ANT. PEREZI ... PRÆLECTIONES IN DUODECIM LIBROS CODICIS JUSTINIANI IMP. ... EDITIO...

Antonio Perez

Digitized by Google

B 17
4
31
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

LIBRI

DONATI DAL

Dottor ANNIBALE GIULIONI

GIURISTA

Nato a Firenze il 7 Febbraio 1807
e morto il 1° Dicembre 1895 in Firenze.

16 Maggio 1896

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANT. PEREZI J. C.

S. C. & R. Majeſtatis Conſiliarij,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

LEGUM ANTECESSORIS,

PRÆLECTIONES

IN DUODECIM LIBROS

CODICIS

JUSTINIANI IMP.

PARS ALTERA.

Reliquos Libros Continens.



ANTVERPIÆ.

Apud Joannem Baptistam Verdussen, viâ vulgò Cammerſtraet,
ſub ſigno duarum Ciconiarum. M. D. C C. XX.

Cum Gratiâ, & Privilegio.

Digitized by Google

B·17. 4. 31

Digitized by Google

ANTONI PEREZI J.C.
IN LIBRUM OCTAVUM
CODICIS JUSTINIANEI
PRÆLECTIONES.

TITULUS PRIMUS.
De Interdictis.

1. *Methodus libri, & continuatio tituli.*
2. *Quid interdictum, & unde dicatur, & quo differat ab edicto & actione.*
3. *Hodie formulis interdictorum ſublatis, extraordinariæ actiones dantur.*
4. *In limine judicii exprimenda eſt actio.*
5. *Et agitanda coram judice competente ipſius rei.*
6. *Quænam interdicta poſſeſſionis & proprietatis cauſam finiant?*
7. *De arbore aliena quæ vicino noceat, & quibus interdictum de arboribus cædendis detur.*
8. *Interdicta cum hodie ſint actiones, dicimus eas eſſe mixtas.*
9. *Interdictorum diviſiones in prohibitoria, reſtitutoria & exhibitoria.*
10. *Item in ſimplicia & duplicia, quædam in præſens, quædam in præteritum.*
11. *Summa diviſio, quod alia ſint adipiſcenda, retinenda & recuperanda.*
12. *Quis interdictorum finis? & quod prius poſſeſſionis litem, quam proprietatis decidi oporteat?*
13. *Commodum poſſeſſoris, & petitoris onus.*
14. *An petitorium & poſſeſſorium judicium cumulari poſſint.*
15. *Refelluntur argumenta quibus negatur cumulatio utriuſque judicii.*
16. *An petitorium cum poſſeſſorio retinendæ cumulari poſſit.*
17. *Sunt qui putant ne quidem principis reſcripto, utriusque cumulationem poſſe admitti.*
18. *Verior eſt ſententia petitorium retinendæ, & poſſeſſorio adjungi poſſe.*
19. *Solvuntur argumenta in contrarium.*
20. *Cumulationis hujus quæ utilitas. An poſſit Judex petitorium ſuſpendere & definire poſſeſſorium, & quis Judex hic ſit competens.*
21. *In pronuntiatione cauſa poſſeſſionis præcedit, in executione prævalet cauſa petitorii.*
22. *An inchoato judicio petitorio, poſſit actor recurrere ad poſſeſſorium?*
23. *Affirmativa probatur & ad objecta reſpondetur.*
24. *Quibus caſibus etiam poſt concluſionem in cauſa liceat poſſeſſorio judicio experiri?*

EXpeditis ordinariis judiciis civilibus, antequam ad criminalia deveniatur, hoc libro octavo ſubjungitur de extraordinariis & acceſſoriis judiciis ſeu interdictis, quibus de materia poſſeſſionum diſceptatur: atque de illis agitur prima parte hujus libri uſque ad Tit. 14. Secunda de pignoribus & hypothecis uſque ad Titul. 36. Tertia de acceſſionibus obligationum & actionum uſque ad Titul. 48. In ultima parte varia pertractantur. De interdictis primò agitur propter vicinitatem quam habent cum poſſeſſionibus, de quibus ſub finem libri ſuperioris actum. 1

Præmittitur autem hic Titul. de interdictis in genere, quippe quæ jure veteri erant formulæ ſeu conceptiones verborum, quibus Prætor cum de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione inter aliquos contendebatur, aliquid fieri jubebat, aut prohibebat, quoad de proprietate judicaretur. Quæ formulæ ex eo appellabantur Interdicta, quod interim duas partes litigantes à Prætore dicerentur. *Inſtit.h.t.* Ex quo apparet egregia differentia inter Edictum & Interdictum. Nam illud eſt lex Prætoris atque ita jus publicum, generale & ad omnes pertinens, hoc autem privatum ac perſonale, quod ex edicto oriebatur, ſicut actiones ſive condictiones ex legibus. Inter actionem quoque & interdictum jure veteri magna erat differentia. Actio enim in judicio verſabatur, interdictum in jure: illa apud judicem pedaneum ut plurimum exercebatur; hoc autem ſemper apud prætorem ipſum, qui judicem de proprietate datum inſtruebat, quo ordine eam cauſam exequi deberet, & quis in judicio petitorio futurus eſſet actor, quis reus, ut ita fuerit interdictum ordinatio & rhythmus futuri 2

de

de proprietate judicij. Deinde alius erat ordo actionis, alius interdicti, diverſa itidem utriuſque formula & executio Cujacius *l.5.obſ.c.17.*

3 Duobus quippe modis interdicebatur Prætor: Uno in genere ſicut actionum, ita & interdictorum formulas in edicto ſuo præſcribendo; altero ſententiam de controverſa poſſeſſione in ſpecie ex edicto generali ferendo. Hi autem modi tempore noſtrorum J. C. & Imperatorum in deſuetudinem abierunt, in eorumque locum ſucceſſit tertius, quo Prætor non ipſe decernebat, ſed actionem dabat, iſque hodie ſolus remanſit. Et poſteaquam omnia judicia cœperunt eſſe extraordinaria, formulæ illæ & ambages interdictorum locum amplius non habuerunt, eaque ſunt mutata in actiones extraordinarias, quæ loco interdictorum competerent. Ita ut hodie revera nullo interdicto agatur, ſed potius actione ad exemplum interdicti concepta, vel ex cauſa ejuſdem reddita, *§. fin. Inſt.h.t.* Cujacius *l.16. obſ. c. 7.*

4 Quo fit, ut actor remotis denunciationum & temporum ambagibus, ſtatim ſuam actionem de poſſeſſione exprimere, ſuaſque allegationes proponere jubeatur, *in l. ult. h.t.* Ait actionem exprimendam, utilem nempe, in factum & extraordinariam quæ loco interdicti competit de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione. Neceſſe eſt hoc jure actori nomen, ſpeciem, genus actionis edere adverſario, *l.3.ſup.r. De edendo,l.1.ff.eod.* ſed hodie ſatis eſt factum ipſum purè exponere & narrare ſimpliciter rei veritatem, non expreſſo etiam nomine actionis, *cap. 6. De judicijs*, facta rei narratione, ut dixi *ad Tit. De edendo num. 6.*

5 Movenda autem hæc actio de poſſeſſione, ex interdicto, coram judice competente, qualis eſt is qui ejuſdem eſt provinciæ cujus eſt reus. Nam qui ejuſdem provinciæ præſes, nec Judex eſt, ex interdicto cognoſcere non poteſt, *lib.2.h.t.* cum qua conjungenda eſt *l. un. ſup. ubi de hæred. agi oport.* in qua uti de proprietate & dominio, ita & *in l.2. ex interdicto*, id eſt, de poſſeſſione agendum dicitur apud judicem, cui reus ſubjectus eſt; Notum enim eſt illud, extra provinciam jus dicenti non eſſe parendum, *l. ult. ff. de juriſdict.* Alia ratio eſt libertatis, cujus favore inter cætera cautum eſt, ut ſi dicatur hæres libertatem præſtare debere; eo abſente & in alia provincia agente, præſes cognoſcere poſſit, *l.28.§. ult. & l.51. §. 7. ff. de fideicom. libert.*

6 * Atque ita Cujacius *lib.5 obſ. cap.19.* rectè interdictum interpretatur, quod eſt de poſſeſſione; quoniam interdicta plerumque ſunt de poſſeſſione vel quaſi; Non tamen inficior eſſe nonnulla, quæ poſſeſſionis & proprietatis cauſam una finiant, veluti interdictum de itinere actuque privato reficiendo, in quo ut in actione confeſſoria docere de jure actor debet, & de aqua caſtellaria, in quo etiam jus aquæ aſſignatum eſſe probari neceſſe eſt, & de mortuo inferendo in locum purum, & de liberis aut libertis exhibendis.

His additur ab Accurſio interdictum de arboribus cædendis, ſed malè, quia etiamſi ex interdicto liceat vicino arborem adimere, eamque ſibi habere; in eo tamen non quæritur de jure dominij, ſed de poſſeſſione tantum, an ſcilicet arbor quæ imminet in prædium vicini, ejus poſſeſſioni noceat. Atqui illius interdicti duo ſunt capita. Unum de arbore quæ impendet in alienas ædes, ut liceat vicino, ſive ædium domino, & fructuario arborem impedientem exſcindere, & ligna tollere. Alterum de arbore, quæ in alienum prædium impendet, ut niſi dominus arborem coërceat, id eſt, ramos cędat uſque ad altitudinem 15. pedum, ne umbra arboris vicino prædio noceat, poterit vicinus luxuriam ramorum compeſcere, eos amputando, *l. 1. ff. de arbor. cædend.* Ad exemplum hujus interdicti, præſes eadem ratione ſtatuere debet de radicibus arborum, ut ſi vicinarum ædium fundamentis periculum creent, excidantur arbores à domino, jubeatque arbores adimi, alioqui ut permittat vicino cujus ædibus nocent, exſcindere, adimere, ſibique ligna habere: atque prohibebit ne ei volenti adimere vis fiat, *l.1.h.t.* Igitur in ſpecie hujus legis non directo agitur interdicto de arboribus cædendis, quia verba deficiunt, ſed utili, ex interdicti ſententia. Sic ut obtineat quod vulgo dicitur, ubi eadem eſt ratio & ſententia legis, ibi idem jus eſſe ſtatuendum, transferendumque ad cæteras res omnes, quæ in lege expreſſæ non ſunt, *l.32.ff.ad l. Aquil.l.12.& ſeqq. ff. de legib.* 7

Cæterum cùm ex prædictis conſtet interdicta hodie eſſe actiones, videndum erit quales ſint, in rem, an verò in perſonam? Ego mixtas eſſe exiſtimo. In rem enim eſſe videntur, quòd ſicut dominium, ita poſſeſſio quoque in re conſideretur, & quod in rem olim ut plurimum fuerint concepta interdicta: In perſonam autem, quod poſſeſſio facti ſit, idque perſonæ cohæreat, & quod interdicta vi & effectu ſint perſonalia, *dict.l.1 §.3.* Et hinc evenit quod quędam interdictorum, ob delictum competere dicantur, & quod interdictum, *Quod vi aut clam*; non ſolum contra facientem quid vi aut clam, ſed etiam contra quemlibet poſſeſſorem locum habeat: Interdictum autem *Unde vi* tantum detur contra dejicientem, cùm hoc in perſonam, illud in rem ſit conceptum. 8

Interdictorum diviſiones plures ſunt. Primo enim à forma interlocutionis, alia dicuntur *prohibitoria*, quibus quid prohibetur fieri, veluti vis, ædificatio in publico, in ſacro; *reſtitutoria*, quibus aliquid reſtitui jubetur, ut poſſeſſio ſpoliato; alia *exhibitoria*, per quæ jubetur res exhiberi, ut liberi, tabulæ, *d.l.1.§.1.* quę poſtrema differunt ab actione ad exhibendum, 9

quod

Digitized by Google

quod in iſtis de poſſeſſione tantum, in illa ob alia
agatur. Sunt etiam quædam mixta interdicta pro-
hibitoria, ſcilicet exhibitoria: & prohibitoria, &
10 reſtitutoria. * Deinde reſpectu perſonarum.quibus
competunt,alia vocantur ſimplicia, in quibus ſcili-
cet actor à reo diſtinguitur: alia duplicia,in quibus
uterque eſt actor,nec quis actor reuſve ſit, diſcerni
poteſt, quæ non tantùm ad retinendam poſſeſſio-
nem, verùm etiam interdum ad eandem adipiſcen
dam & recuperandam pertinent, *l.2.ff.eod.* Tertiò
quædam in præſens tempus, quædam in præteri-
tum referuntur: In præſens, ut uti poſſidetis, in
præteritum, ut de itinere actuque, de aqua æſtiva,
d.l.1.§.2. Quarto reſpectu temporis intra quod
dantur,alia dicuntur annalia,quæ anno tantùm du-
rant; alia perpetua: illa meram pœnam, hæc rei
perſecutionem continent, *d.l.1.§.4.* Quintò à ſub-
jecto vel materia circa quam,alia ſunt propria,alia
communia. Propria competunt de certis ſolum-
modo rebus, iiſque vel divinis vel humanis; quo-
rum illa redduntur vel de rebus & locis ſacris &
ſanctis, vel religioſis.Cujuſmodi interdictum eſt,
ne quid in loco ſacro fiat, id eſt,ne quid fiat deformita-
tis vel incommodi cauſa. De rebus religioſis ſunt
duo interdicta, unum de *mortuo inferendo*, alterum
de ſepulchro ædificando: illud datur contra eum qui
mortuum ſepelire,hoc contra eum qui ſepulchrum
ædificare vel reficere prohibet. *l.1.in pr.ff.h.t.&*
11 *leg.1.ff.ne quid in loco ſacro.* * Equidem magnum olim
Romanorum in ſepulchris monumentiſque tuen-
dis fuiſſe ſtudium paſſim illorum leges teſtantur.
De rebus humanis interdicta,quædam illorum aut
publica ſunt, aut privata. Publica, ut quæ dantur
de flumine, itinere, aliove loco publico, ut his uti
nobis liceat, & ne quid in his fiat quo vel uſus im-
pediatur vel deterior reddatur. Privata, ad rem fa-
miliarem ſpectant,ad quæ feruntur illæ tres ſpecies
utiliſſimæ ac hodie frequentiſſimæ, nimirum *Adi-
piſcendæ poſſeſſionis,Retinendæ, Recuperandæ.* Ita dicta,
quia partim tendunt ad acquirendam de novo poſ-
ſeſſionem, contra occupatorem; partim ad tuen-
dam priſtinam contra turbatorem, partim ad re-
cipiendam amiſſam ab expulſore, *l.2.in fi.1.ff.h.t.*

12 Finis interdictorum eſt, ut poſſeſſionum jura defendantur, ne partes ad arma veniant, cauſa conſequendæ poſſeſſionis, cujus magnum eſt commodum, cùm transferat probandi onus in adverſarium, ſatis enim eſt poſſeſſori quod poſſideat. Igitur ſi controverſia oriatur de proprietate & poſſeſſione, prætor vel præſes prius debet de poſſeſſione decernere interdicto, ut uni addicat poſſeſſionem interim, dum Judex datus pronunciabit de jure dominij. *l.3.h.t.*

13 Prius pronunciandum eſt uter poſſideat, nempe ut intelligamus cui incumbat onus probandi, ei videlicet qui victus eſt de poſſeſſione, ut petitoris partibus fungatur & tunc de dominio quæratur, quæ ſecunda & principalis actio eſt de proprietate, *l.35.ff.de acq.poſſ.l.62.ff.de jud.l.13.ſup.de rei vind.* petitori incumbit onus probandi, non poſſeſſori qui interdicto vicit,& hoc commodum poſſidendi ut in ſuo loco remaneat poſſeſſio, etiam ſi res non ſit poſſeſſoris, ſi actor non probaverit rem ſuam eſſe, & contra petitorem judicari ſolet, cùm ſunt obſcura utriuſque jura, *l.ult.ſupr.de rei vind. l.2.ſup. de probat.* Actore non probante reus abſolvitur, etiam ſi ipſe nihil præſtiterit, *l.4.ſup.de edendo l.9. ſup.de oblig.& act.* Manet ergo veriſſima hujus *l.3.* ſententia poſſeſſionis cauſam prius decidi oportere. Atque ex ea colligimus, niſi prius judex de poſſeſſione judicaverit, jure ab ejus ſententia appellari poſſe, quod & ipſum eſt *in l.1.ſup.de appellat.* Imo etiam placuit prius exequendam eſſe ſententiam de poſſeſſione, quam de proprietate ejuſdem rei lis inſtitui poſſit. *cap.ult.de judic.* quo jure utimur.

Quod ſi verò quis ab initio tam dominij, quam 14
poſſeſſionis probandæ onus ſponte ſubire vellet, quo minus petitorium poſſeſſorio vel adipiſcendæ, vel recuperandæ ejuſdem rei reſpectu, atque adverſus eundem accumulare, atque utrumque ſimul in idem judicium deducere poſſit, nulla cumulationis regula impedit. Eſtque hæc litium dirimendarum favore communis Doctorum ſententia, nititurque expreſſis juris textibus *in cap.3.4.6.x de cauſa poſſ.& propr.* Ubi reſcribit Pontifex petitorium & poſſeſſorium ab initio poſſe ſimul proponi, tractari, finiri in eodem judicio adverſus eundem. Quaſi nihil implicet, utrum quis poſſit contendere ſe & dominum rei eſſe, & ejus poſſeſſione ab adverſario turbari, an verò agere ſimul ad eam ſibi cedendam. Contra tamen multa ſunt quæ objici ſolent. 1. Quod non poſſint plures actiones ejuſdem rei nomine ſimul proponi, ut habet *l.43. §.1.ff.de Regul.Jur.* præcipuè ſi ſint contrariæ, ut per unius propoſitionem videatur alteri renunciare, veluti hac in materia intentans petitorium,non videtur habere poſſeſſionem, & è contra. 2. Quod generalis ſit ſententia *l.3.h.t.* poſſeſſionis quæſtionem prius decidi oportere, quam agatur de vindicanda re: prius enim conſtare debet quis actor, quis reus. 3. In caſu quo agitur de recuperanda poſſeſſione, ſpoliatus ante omnia eſt reſtituendus per jura notiſſima;qua de re infra. 4 Quod poſſeſſori ſufficere debeat quod poſſideat, *l.1.§.3.ff. uti poſſidetis*, ut hoc caſu qui vindicat, poſſit videri non poſſidere, cum vindicatio non tam poſſidenti detur, quam contra poſſidentem. 5. Quod fruſtra fiat cumulatio utriuſque judicij, ex eo quod poſſit per alterum haberi intentio, qua habita, alterum erit ſupervacuum. 6. Obſtat regula,quam colligunt *ex l.16.& 18.ff.de except.* quod quando ſententia

abſo-

Digitized by Google

abſolutoria, lata in prima actione, parit rei judicatæ exceptionem in altera, non admittatur cumulatio, Hæc ſunt argumenta quæ Menoch. Fachin. alijque paſſim colligunt.

15 Quibus tamen non obſtantibus, ſtatuo priorem ſententiam eſſe veriorem, petitorium ſcilicet & poſſeſſorium ab initio ſimul poſſe proponi, tractari, finiri, maxime cum auctoritate prædictorum textuum juris Pontificij ſufficienter firmetur. Ut non implicet, quod propoſito petitorio non liceat recurrere ad poſſeſſorium, quaſi huic videatur renuntiaſſe, cùm utrumque intentans non ſit ſibi contrarius, ſiquidem actiones iſtæ non verſentur circa idem, *lib.* 12. §. 1. *ff. de acq. poſs.* ut non poſſint dici contrariæ, atque ita rectè cumulentur, cùm cumulans ſuſcipiens utriuſque probationem tantum ſibi præjudicet, neutiquam parti adverſæ, quod certe nihil mali involvit; atque ita ceſſat primum argumentum. Itemque ſecundum & tertium. Nam ita juris eſt quando actor, vel ſpoliatus utriuſque probationem, ſcilicet dominij & poſſeſſionis, in ſe ſuſcipit, uti poteſt, cum ſe, non etiam (ut dixi) partem adverſam gravet, facit enim ut in alterius probatione obtineat. Neque etiam obſtat quartum, quia procedit, quando actor non turbatur in ſua poſſeſſione: quidni enim aget, cùm poſſeſſio quam habet, ei prodeſſe nequeat, propter turbationem, per quam alter poſſeſſionem ſibi aſſerit? At quintum dicendum, non eſſe fruſtraneam utriuſque judicij cumulationem, cùm ejus finis ſit, ut ſaltem altero probato non fruſtra egerit actor, cùm ab initio ſit incertum utro judicio ſit obtenturus. Denique non urget regula *ex d. l.* 18. quia non poteſt obtinere hoc in caſu, cùm poſt judicium poſſeſſorium ſuperſit quæſtio petitorij, cui non præjudicatur per priorem ſententiam, niſi quo donus probandi transferatur in eum qui in poſſeſſione victus eſt. Et hoc ita quoad petitorium adipiſcendæ & recuperandæ.

16 Major eſt dubitatio, an petitorium poſſeſſorio retinendæ cumulari poſſit? Negant Donellus & Hubertus Giphanius *ad ad l. 3. hoc tit.* aliique quos refert Fachinæus *lib. 8. controv. cap. 6.* hac ratione moti, quod videatur impoſſibile, ut unus idemque actor adverſus eundem poſſit agere rei vindicatione ſeu judicio petitorio, ſimulque contendere ſe rem quam petit, poſſidere, cùm rei vindicatio duo hæc requirat extrema, ab una ſcilicet parte poſſeſſionem, & ab altera parte dominium; non poteſt itaque non videri ſibi ipſi contrarius, qui cùm petitorium judicium inſtituit ſeu rem vindicat, adverſarium ſuum poſſidere negat, Cujac. *lib. 7. obſ.* 38. facit & in hanc rem text. *in c. 5.* ✠ *De cauſ. poſs.* ubi permiſſa eſt cumulatio interdicti adipiſcendæ recuperandæve poſſeſſionis, cum rei vindicatione,
17 nulla facta mentione interdicti retinendæ. * Unde adeo veram hanc opinionem exiſtimat Menoch. *tract. De retin. poſs. rem 3. num. 515. & ſeqq.* ut non velit ex partium conſenſu, aut principis reſcripto cumulationem admitti, quod tamen improbat Fachinæus *d. loco cap. 7.* ſi actor mediocris ſit fortunæ, & habeat probationes promptiores, nam reſcriptum principis ſubſiſtit, quoties non aufertur alicui jus ſuum, ut in hoc caſu non aufertur; ſed temporalis illa exceptio, ut prius de poſſeſſione quam de proprietate cognoſcatur. * Verùm quo minus petito- 18
rium, retinendæ poſſeſſorio adjungi poſſit, nulla contrarietatis ratio impedit: quoniam rei vindicatio non ſolùm datur contra verum poſſeſſorem, ſed etiam contra omnes qui detinent, & habent reſtituendi facultatem. Cum ergo nihil impediat, cur minus rem quam in rei veritate civiliter poſſideo, alius de facto detineat, nihil quoque prohibet, quin pro civili mea poſſeſſione interdictum retinendæ *uti poſſidetis* inſtituam, eique petitorium rei vindicationis conjungam, pro recuperanda naturali poſſeſſione exiſtente penes adverſarium. Neque enim hoc caſu ulla contrarietas impedit cumulationem petitorij & poſſeſſorij retinendæ, *l. 6. §. 1. ff. De acq. poſs.* cum duo poſſidere eandem rem poſſint, unus ſcilicet naturaliter, alter civiliter; unus juſte, alter injuſte, *l. 3. §. 5. ff. d. tit.* Hotomannus *Illuſt. qq. c.* 31. & Bronchorſt. *Cent. 3. aſs.* 85. Confirmatur hæc opinio per *l. 12. §. 1. ff. d. t. De acq. poſs.* ubi Ulpianus ait, nihil commune habere proprietatem cum poſſeſſione: unde ſequitur, petitorium cum poſſeſſorio nihil commune habere, cùm diverſa reſpiciant, & ad diverſa tendat. Si ergo, nihil commune habent, quid obſtat, quo minus cumulari poſſint? Præterea affirmat ibi J. C. non denegari interdictum *uti poſſidetis*, quod eſt retinendæ ei qui cœpit rem vindicare: igitur ſi poſt petitorium rei vindicationis motum proponi poſſit, non eſt ratio cur non etiam ab initio utrumque judicium conjungatur. * Quare non obſtat primum argumentum, 19
cùm nulla ſubſit hîc contrarietas, neque enim is qui agit rei vindicatione, præſupponit neceſſario adverſarium poſſidere, ſufficit enim ut rem det ineat quoquo modo, *l. 9. in fin. ff. de rei vind.* neque etiam videtur poſſeſſioni renunciaſſe, *d. §. 1. in fin.* quod etiam confirmat *lib. 14. §. fin. ff. de except. rei jud.* Item non obſtat quod *d. c. 5.* ✠ *De cauſ. poſs.* tantum meminerit duarum ſpecierum poſſeſſorij, quaſi velut retinendæ poſſeſſorium excluſum, quoniam de eo ibi Pontifex conſultus non fuerat. Quo facit quod *in c. 4. & 6. eod. Tit.* indiſtinctè dicatur petitorium & poſſeſſorium poſſe cumulari. Iterum non urgent verba generalia, *d. c. 5. Aliis poſſeſſoriis judiciis in ſuo robore duraturis, quæ vindicationem dominij ſui naturâ præcedunt:* nam accipienda ſunt in caſu, quo unus idemque non ſuſcepit utriuſque judicij probationem, tunc enim prius conſtare

Digitized by Google

ſtare debet de poſſeſſione *juxta l. 3. h. t.* ut ſciatur quis ſit actor, quis reus. Contra verò ubi actor utriuſque probationem, ſcilicet dominij & poſſeſſionis, in ſe ſuſcipit, nihil vetat quin utrumque in eodem judicio proponat, ceſſat enim *d. l. 3.* ratio, incertitudo nimirum uter dominium probet.

20 Poteſt itaque petitorium cum poſſeſſorio etiam retinendæ cumulari, atque hujus cumulationis hæc erit utilitas, quod fructus retro à poſſeſſorio cœpto ſint reſtituendi, quodque is qui rem vindicat, non ideo ſubjiciatur oneri probandi dominium, quippe à quo reus non liberatur per poſſeſſionem injuſtam *l. 15. C. de prob.* ibi Gilkenius. Cæterum quanquam hæc ita ſint, poterit nihilominus Judex poſſeſſionis cauſam priore loco definire, neque oberit, quod actor petitorium judicium ſimul intenderit; quid enim ſi de cauſa poſſeſſionis multò ante liquere poſſit, conſentaneum eſt tali caſu petitorium judicium ſuſpendi, donec poſſeſſorium ſit abſolutum, *d. l. 9. ff. de rei vind.* quoniam poſſeſſionis cauſa prævia eſt, & cum momentanea ſit, brevius quoque expediri debet. Idque ſive apud eundem Judicem tam poſſeſſionis, quam proprietatis quæſtio tractetur, quod jure communi comparatum eſt; *c. 1. x de cauſa poſſ.* ſive apud Judices diverſos, uti moribus noſtris receptum videmus, præſertim in cauſis beneficiorum, aliarumque rerum ſacrarum, de quarum poſſeſſione Judices Regij (de jure judices Eccleſiaſtici) pronunciant, eo quidem ordine, ut judicium de poſſeſſione finitum eſſe oporteat, antequam litigatores Eccleſiæ judicium ſubire, ac petitorium judicium intentare poſſint. De quo cognoſcit ordinarius loci, Duar. *De ſacris Eccl. miniſtr. lib. 7. c. 11.* Quod & rationem habet, modo non nimis diu poſſeſſorium judicium differatur; alioqui biennio elapſo æquum eſt petitorium judicium ulterius non ſuſpendi, *c. 1. §. præterea. de treug. & pace. in extravag. comm.* Niſi ſit tale interdictum poſſeſſorium, cui conjuncta ſit cauſa proprietatis, cujus exempla ſupra aſſignavi, *ex l. 1. §. 2. ff h. t.* Facit enim iſta conjunctio, ut una veniat decidenda cauſa proprietatis. Quamvis praxis Gallicana id non videatur admittere, ut multis oſtendit in ſuis arreſtis Papon. & Lud. Charondas *lib. 12. reſp. 3.*

21 Proindè quoties utrumque judicium venit terminandum, illud definiti juris eſt, prius de poſſeſſione pronunciandum eſſe, *c. 16. x de cauſa prop.* quia ejus cauſa prior & potior eſt, *l. 3. h. t.* Quamquam ſi executionem & vim utriuſque judicij conſideres cauſa proprietatis prævalet; illa enim licet poſterior, eſt tamen potior & abſorbet cauſam poſſeſſionis, eamque injuſtam ponit, ut in dolo videatur verſari volens ſibi reſtitui poſſeſſionem, quam mox adverſario victori cedere cogatur.

Illud præterea ad præſentis materiæ explicatio-
22 nem maximè pertinet, quo quæritur: Utrum ſi ab initio actum ſit tantum de proprietate ſeu petitorio judicio, & in eo aliquo uſque proceſſum fuerit, permiſſum ſit actori, ad poſſeſſorium, relicto petitorio tranſire? Quod eo caſu evenire ſolet, cùm in dominij probatione ſe deficere videt actor, facilior quippe multò eſt poſſeſſionis quam dominij probatio. Et ſanè primo aſpectu videtur id permittendum non eſſe, tum quod poſt litis conteſtationem, libelli mutatio ordinariè non admittatur, tum etiam quod cauſa proprietatis ſemel ab initio propoſita, ad finem perduci debeat, priuſquam ad aliud procedatur, quia nimirum ex Juſtiniani conſtitutione, is qui ſemel inſtituit actionem, debet uſque ad finem litis in ea perſeverare, *Auth. qui ſemel. C. quomodo & quando Judex.* quod in propoſito tanto magis dicendum videbatur, quia intentans petitorium rei vindicationis poſſet videri renunciaſſe poſſeſſioni; vindicans enim fatetur adverſarium poſſeſſorem eſſe, *l. 9. l. 23. ff. de rei vindic.* Arumæus *exercit. 19. th. 15.*

Verùm his non obſtantibus reſcribit Innocen- 23
tius III. *In c. 5. x de cauſa poſſ.* poſſeſſionis controverſiam adhuc moveri poſſe ab eo qui cœpit rem vindicare, modo id faciat antequam in cauſa fuerit concluſum, quia per concluſionem renunciatur ulterioribus probationibus, & cauſa eſt penè deciſa, ubi jam plene eſt inſtructa. Non obſtat *d. Auth. qui ſemel.* quæ tantum agit de eo, qui tergiverſandi animo cauſam ſemel ſuſceptam deſerit, qui animus hic non eſt, cùm aut dimittatur cauſa ſuſcepta, quod licet, cùm nemo teneatur invitus agere, *ſup. ut nemo invitus agere*, aut ſuſpendatur, juſtam ob cauſam, ne ſcilicet ob defectum probationis dominij, etiam poſſeſſione actor privetur. Quod licet plerique admittant in poſſeſſorio adipiſcendæ & recuperandæ, id tamen negant in poſſeſſorio retinendæ, *per d. c. 5.* Sed male, quia ibi nulla ſit ejus mentio, ut proinde & in eo procedat ratio *l. 12. §. 1. ff. de acq. poſſeſſ.* quod intentans petitorium non videatur poſſeſſioni renunciare, ſed eam avocare. Ut in ſimili, ſi egero de ingenuitate, dicens me eſſe ingenuum, non videor renunciaſſe libertinitati, *l. pen. C. de ingen. manumiſſ.* Quanquam hæc duo videantur eſſe oppoſita, ingenuitas & libertinitas. Et ſi egero familiæ erciſcundæ, quo genere confiteri videor te cohæredem eſſe, non videor renunciaſſe petitioni hæreditatis, qua tenetur qui cohæres non eſt, *l. 37. ff. fam. erciſc.* Planè ſi agere cœpi rei vindicatione ac ſi non poſſiderem, licere mihi debet (jure meo melius cognito) interdicto uti poſſidetis experiri, quod eſt retinendæ poſſeſſionis, *d. l. 12. §. 1.* Cujac. *lib. 7. obſ. c. 38.* Non movet, quod *in d. c. 5.* nulla fiat mentio retinendæ, nam hoc rectè ideo quod de eo Pontifex conſultus non fuerat. Videatur Goveanus *l. 1. var. lect. 3.*

Cæte-

Digitized by Google

24 Cæterùm quod dictum eſt, tranſitum hunc de uno judicio ad aliud, uſque ad concluſionem in cauſa eſſe permiſſum, id certis caſibus exceptionem patitur, ſi videlicet ex certa cauſa aliud expedire Judex adverterit. Exemplum unum aut duo proponit Pontifex *in d. cap. 5.* ut puta cum ex perſpicuis indiciis apparet de invaſoris iniquitate, & quod ſpoliato, caſu ſeu malitia probandi dominium ſubtraxerit facultatem; Certè cum ſpoliantis ſemper & ubique maximum odium ſit, & eo majus quo magis perſpicuum eſt ſpolium, rectè ſtatutum eſt etiam poſt concluſionem in cauſa de uno judicio ad aliud tranſire poſſe, evidentia quippe ſpolij ſeu invaſionis facit ſpoliatorem improbiorem, quemadmodum rapina furto eſt improbior, *Inſt. de vi bonor. rapt. in pr.*

TITULUS II.

Quorum bonorum.

1. *Continuatio & utilitas hujus interdicti.*
2. *An detur hoc interdictum cuilibet hæredi.*
3. *Utilius petitione hæreditatis. Quid probare debeat, qui utitur hoc interdicto.*
4. *An hoc interdicto quorum bonorum agens, exceptione dominij repelli poſſit.*
5. *Contra quem detur hoc interdictum.*
6. *An detur contra juſto titulo poſſidentem.*
7. *Itemque debitorem hæreditatis.*
8. *Quid in hoc interdictum veniat, ejuſque effectus.*

1 CUm prius ſit poſſeſſionem acquirere, quam retinere, aut recuperare, primo loco agitur de Interdictis reſtitutoriis adipiſcendæ poſſeſſionis, inter quæ principalem locum obtinet interdictum. *Quorum bonorum*, propter ſuam utilitatem, quæ maximè in eo elucet, quod etſi per Prætoris decretum, bonorum poſſeſſor jus & dominium hæreditatis tanquam hæres adipiſcatur, tamen poſſeſſionem corporalem, ſi forte eam alius teneat, quæ facti eſt, non habet ex decreto prætoris, *l. 3. ff. De bonor. poſſ.* ſed à poſſeſſore ea eſt petenda hoc interdicto, & compellendus ad faciendam traditionem.

2 Datur hoc interdictum bonorum poſſeſſori, non hæredi, qui jure civili hæres exiſtit, cum prætor tantum ſuos hæredes tueatur. Ita Cujacius *in paratit. C. h. t.* à quo non multum recedit Donellus, *C. h. t. num. 3.* docens non alij dari hoc interdictum quam ei, qui apud magiſtratum bonorum poſſeſſionem agnovit. Ego quidem ſentio quod & alij communiter, utile interdictum ex interpretatione & mente prætoris dari cuilibet hæredi, etiam ſuo. Facit in hanc rem *l. 1. h. t.* ubi dari dicitur interdictum ei, qui probaverit ſe ad hæreditatem, aut ad bonorum poſſeſſionem admiſſum eſſe. Itemque eò pertinet quod Accurſius alijque tradunt *ad d. l. 1.* jus prætorium non tantum comparatum ut emendet, aut ſuppleat, verùm etiam ut adjuvet jus civile.

Quanquam autem petitio etiam hæreditatis hoc 3
caſu competat, tamen utilius eſt hæredi agere ex hoc interdicto, quam ordinaria hæreditatis petitione, in qua plena inquiſitio requiritur. In interdicto enim non tam exactæ requiruntur probationes, neque opus eſt plenaria cognitione; ſufficit enim quod qui agit tanquam filius, ſe filium eſſe defuncti oſtendat, & ad hæreditatem vel bonorum poſſeſſionem admiſſum, ex ea cauſa quæ ut juſta, ita ſit etiam vera, *d. l. 1.* Itemque negotium eſſe integrum, *l. 2. h. tit.* id eſt, res quarum poſſeſſionem experit, non eſſe ab alio uſucaptas, nec aliter exiiſſe de hæreditate.

Sed quæritur, an adverſus agentem hoc interdi- 4
cto, non poſſit poſſeſſor opponere exceptionem dominij, eaque ſe tueri? Quod affirmo, ſi modo exceptionem iſtam in continenti probare poſſit poſſeſſor; verum ſi probationes dominij offerre differat, exceptio objecta non impediet hujus interdicti executionem, quoniam hoc judicio ſummariè cauſa expeditur, & amputatis omnibus fruſtrationibus res reſtitui jubetur, *l. ult. h. t.* ut non poſſit admitti exceptio requirens altiorem indaginem, *leg. 3. §. 13. ff. ad exhibendum.* Menoch. *De remed. adipiſc. num. 104. quæſt. 29.*

Datur hoc interdictum adverſus eum, qui pro 5
hærede, vel pro poſſeſſore poſſidet aliquid de iis bonis, de quibus agitur, *l. 2. h. t.* pro hærede poſſidet qui putat ſe hæredem eſſe, cùm revera hæres non ſit; pro poſſeſſore poſſidet prædo, qui ſcit ſucceſſionem ad ſe non pertinere, *l. 11. ff. De petit. hæred.* Idem eſt ſi quis dolo malo deſierit poſſidere, nam pro poſſidente habetur, & pro poſſeſſione dolus eſt, *d. l. 2.* ut par conditio ejus eſſe debeat, atque illius qui quid poſſidet, vel habet, *l. 131. & l. 150. De reg. jur.*

Porrò adverſus eum qui bona fide, & juſto ali- 6
quo titulo poſſidet, hoc interdictum non datur, non magis quam hæreditatis petitio, *l. 7. ſup. de petit. hæredit. & l. 4. ſupra in quibuſd. cauſſ. ceſſ. long. temp. præſ.* nam cum hic ſit in pari cauſa cum petitore, potior eſt ratione poſſeſſionis, *cap. in pari, de regul. jur. in 6.* facit etiam æquitas quæ non fert eum qui dominus non eſt, aut certè quem dominum eſſe non conſtat rem auferre ei qui pro domino juſtove titulo poſſidet, *l. ult. ff. De publ.*

Et id quoque hic monendum erat hoc interdi- 7
ctum non dari adverſus debitores hæreditarios, quibus cum perſonalibus actionibus eſt agendū, cum nullum in rebus debitis necdum traditis defunctus jus habuerit, unde exemplo defuncti cui ſuccedit, perſonalibus condictionibus hæres exigere

res

Digitized by Google

res ejuſmodi debet, *l.2.ff.h.t.* Quanquam petitio hæreditatis, quæ jus hæreditarium perſequitur, non item poſſeſſionem facti, meritò adverſus debitórem hæreditarium detur, *l.9. & l.13. §. ult. ff. de pet. hæred.* ut ſolvere cogatur hæredi.

8 Petitur autem hoc judicio univerſali, poſſeſſio reſtitui, hoc eſt, tradi omnium rerum hæreditariarum maximè corporalium; Et quidem confeſtim erit reſtituenda ei, qui hoc interdicto obtinuit, amputatis omnibus fruſtrationibus, id eſt, remota obſervatione temporum, *l. ult. h.t.* ex qua fit manifeſtum per hanc poſſeſſionis tranſlationem reſtitutionemve, præjudicium non fieri cauſæ proprietatis, propter quam poſtea inſtituj poteſt alia actio, quæ ſecunda appellatur, nam prius de poſſeſſione cognoſcendum, *l.3. Tit. præced.* Itemque ex hac Conſtitutione, imo ex ipſa naturæ lege, conſtat maritum à bonis inteſtatæ uxoris, ſuperſtitibus conſanguineis eſſe extraneum, quapropter ſi iſta bona occupaverit, decedere debet à poſſeſſione, alioqui fratres eam vindicare hoc interdicto poterunt, fiſco excluſo, *d.l.ult. & l.1. ſupr. unde vir & uxor.*

TITULUS III.

Quod Legatorum.

1. *Ratio hujus interdicti. Cui & adverſus quos detur.*
2. *Utile agenti eſt hoc interdictum, ſi neget rem legatam eſſe, aut dicant ſupra dodrantem eſſe legatam.*
3. *An hoc interdictum falcidiæ retinendæ cauſa ſolum detur.*
4. *Hæres ſola quarta retenta cogitur reliquum reſtituere legatariis.*
5. *Quando poſſint legatarij legatum occupare, ita ut illud non amittant.*
6. *Hoc interdictum datur contra fideicommiſſarium ſingularem, an & contra univerſalem?*
7. *An detur contra donatarium mortis cauſa.*

1 Interdictum *Quod Legatorum*, non minus eſt adipiſcendæ poſſeſſionis, quam præcedens. Et continet hanc cauſam, ut quod quis Legatorum nomine, non ex voluntate hæredis occupavit, hæredi reſtituat. Etenim æquiſſimum prætori viſum eſt, unumquemque non ſibi jus dicere, occupatis rebus legatis, ſed eas ab hærede petere, *l. 1. ff. h.t.* Unde intelligitur hoc interdictum & hæredi, & bonorum poſſeſſori competere. itemque eorum hæredibus; contra legatarios ad reſtituendas res hæreditatis, quas occuparunt.

Non refert, quod legatarij ipſo jure ſint rei lega-
2 tæ domini, *l. 64. ff. De furtis.* & uti tales actionem habeant ad legatum retinendum; *l. 156. §. 1. ff. De reg. jur.* ac ideo malè videatur hæres repetere, quod mox reſtituere debet juxta regulam *in l. 8. ff. De doli mali & met. except.* Nam hoc procedit ſi hæres & rem legatam eſſe agnoſcat, & idem fateatur nihil ſupra dodrantem legatum eſſe. At ſi quid horum deſit, intereſt hæredis petere res quas negat eſſe legatas, cum ſint propriæ: & quamvis verè eſſent legatæ, ſi tamen dicat ultra dodrantem hæreditatis legatum eſſe, æquiſſimum eſt propter falcidiæ deductionem retentionemve, hæredi hoc interdictum dari. Nam quatenus ſupra dodrantem legatum eſt, eatenus res legata ad hæredem pertinet ex L. Falcidia, *l. 1. & 26. ff. ad l. Falcid.* ſic fit ut hæres rem legatam repetendo, eam repetat, quæ ipſius ſit ex parte; Et licet pars tantum ejus ſit, eaque ſufficere poſſet, intereſt tamen ejus totam rem legatam recipere, ut ea recepta, quartam ſuo jure retineat.

Veriſſima mihi proinde videtur ſententia, *l. uni.* 3
h.t. hoc interdictum comparatum eſſe, ut hæres ex eo poſſeſſione recuperata rerum legatarum, quartam ex L. Falcidia retineat. Unde licet inferre hoc interdictum deficere, ubi conſtat rem legatam eſſe, & fatetur hæres ſupra dodrantem hæreditatis legata relicta non eſſe: quia tunc nihil eſt quod ejus interſit, & dolo faceret rem legatam petendo, quam tenetur ſtatim legatario reſtituere, *juxta d.l.8*

Planè nec eò pertinet hoc interdictum, ut lega- 4
tarius rei legatæ petitionem amittat, & hæres totum legatum recipiens, retineat, ſed ut eo ſaltem quod ex lege falcidia ſibi debetur, deducto, reliquum legati legatariis reſtituat, quibus integrum eſt hæredem denuo convenire, *l.1. §.2. ff. h.t.*

Non movet quod alibi ſcriptum eſt legatarium 5
legati petitionem amittere, propterea quod illud occupaverit, aut ſubtraxerit, *l. 5. ſub. de legatis.* quoniam hoc intelligendum eſt, ſi poſtquam hæres poſſeſſionem rei legatæ apprehenderat, illam legatarius ſine juſſu judicis vel hæredis conſenſu occuparet, eo namque caſu vi uſus diceretur, & quaſi dolo ſubtraxiſſe rem legatam. Contra verò ſi vacantem poſſeſſionem occuparet tanquam ſuam, legati petitionem non amittit, quia ita occupando legatum agnoſcit, agnoſcendo legati jus acquirit. Itaque non obſtat, *l. 13. ff. quod met. cauſa & l. pen. ff. ad. l. Jul. De vi priv.* ex quibus creditores jus omne crediti amittunt, & actione excidunt, ſi poſſeſſionem rerum debitoris temere occupaverint, nullo id concedente & ſine judice; Nec id juris habet creditor in res debitoris ſui, quod legatarius in rem ſibi legatam, cujus nomine ei data eſt actio triplex, in perſonam, in rem & hypothecaria, cum & ea quæ purè legantur recta via ſtatim ſine facto hæredis tranſeant ab eo qui legavit ad legatarium, ſaltem ab adita hæreditate, *l.64. ff. De furtis.* Ant. Gomez *ad l. 45. Tauri. num. 132.*

Præterea obſervandum hoc interdictum loqui 6

non tantum de legatariis, ſed & de fideicommiſſariis. Nam in hoc tractatu de lege falcidia & de interdicto quorum bonorum, fideicommiſſa ſingularia exæquata ſunt legatis, nempe in quartæ deductione, §. 1. *Inſtitut. de legat.* Verùm cum iſta exæquatio ad fideicommiſſa univerſalia non ſe extendat, non videtur quoque hoc interdictum nominatim de legatis conceptum, extendi poſſe, ita ut detur adverſus fideicommiſſarium univerſalem, qui hæreditatem, ea jacente, occupavit. Nec obſtat, *l. uni. h. tit.* ubi æquè in fideicommiſſarium hoc interdictum dari aſſeritur, quia reſtringi debet ad ſingularē, qui cum legatario rectè confertur, maximè cum & ibidem mentio fiat falcidiæ, cujus retentione proſpectum eſt hæredi ſcripto; Falcidiam autem ad legata & fideicommiſſa ſingularia duntaxat pertinere, nec in univerſali fideicommiſſo locum habere certum eſt, quamvis interdum falcidiæ appellatione trebellianica comprehendatur, idque impropriè.

7 Placet quoque hoc interdictum non dari adverſus donatarium mortis cauſa, quia portio legis falcidiæ apud hæredem ipſo jure remanet, etſi corporaliter res in ſolidum tranſlatæ ſint, *l. 1. §. 5. ff. h. t. l. 2. infra de donat. cauſa mort.* Accedit quod donatio mortis cauſa, licet ſit quædam ſpecies legati, quod abſenti relinqui poteſt; plerumque tamen illa à donatore in donatarium transferatur, legata verò ab hærede præſtentur, ut non ſuppetat hæredi facultas retinendæ rei, quam donando jam defunctus corporaliter tranſtulit, & ſupervacuum ei ſit hoc interdictum. Aliud dicendum videtur, ſi poſt mortem donatoris rem ſibi donatam donatarius ſine voluntate hæredis occupaverit, hoc caſu ſanè utile erit hæredi hoc interdictum, quo recuperet rem donatam ſibique falcidiam ſervet per retentionem. Cujacius *lib. 10. obſerv. 28.*

TITULUS IV.

Unde Vi.

1. *Duplex interdictum de vi.*
2. *Pertinet ad vim expulſivam pro poſſeſſione rerum immobilium.*
3. *Itemque pro juribus & annuis reditibus, non item pro rebus mobilibus.*
4. *Competit hoc interdictum dejecto, qui poſſidet tempore dejectionis, juſtè vel injuſtè.*
5. *Item fructuario, emphyteutæ, vaſallo, an & colono?*
6. *Datur contra eum qui dejecit, ſive per ſe, ſive per alium jubendo, ratum habendo.*
7. *Item contra hæredes in id quod ad eos pervenit.*
8. *An detur contra eum qui clam ingreſſus eſt fundum alienum?*
9. *Interdictum unde vi non ſemper ad vim pertinet: Datur adverſus eum qui ſine vi vacuam occupavit poſſeſſionem.*
10. *Qui per negligentiam domini, ejus poſſeſſionem occupavit, eam ſine pœna reſtituit.*
11. *Quæ eſt pœna legitima, qua tenetur violentus invaſor.*
12. *Dejectus, civili, & publico judicio agere poteſt, de concurſu utriuſque judicij.*
13. *Item de ordine cognitionis.*
14. *Quod auctoritate reſcripti vel ſententiæ, ſine ordine judicij impetrata non excidat quis poſſeſſione.*
15. *Cauſam amittit qui vi alium de poſſeſſione dejecit.*
16. *Et tutor punitur, qui fraudulenter minorem huic interdicto ſubjicit.*
17. *Dejectus à Judice perinde reſtituendus, ac ſi à privato.*
18. *An hoc interdictum detur contra tertium poſſeſſorem?*
19. *An jure Canonum competat contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem.*
20. *Hoc interdictum intra annum utilem datur, & quis annus utilis, vel continuus.*
21. *Quæritur quid veniat reſtituendum ſpoliato?*
22. *Quomodo probari poſſit res in eo loco fuiſſe ubi quis eſt dejectus.*
23. *Deficiente probatione defertur juramentum actori, taxatione Judici reſervata.*
24. *An hæredes ſpoliati hoc juramentum ſubeant.*
25. *Ubi facienda reſtitutio rei ablatæ, & quibus caſibus illa ceſſet.*
26. *Vim propulſare licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ.*
27. *An hoc interdictum ceſſet ſi notorius prædo ſpoliatus fuerunt à domino.*
28. *Probatur affirmativa opinio, & diſſolvuntur argumenta objecta in contrarium.*
29. *Quæ ſit pœna violentiæ poſſeſſoribus impoſita.*
30. *An extendatur ad mulieres, milites, minores.*
31. *An actio ex* l. 7. h. tit. *detur conductori cui res ablata; & an detur contra patrem, vel patronum.*
32. *Quid ſi conductor, vel qui precario fundum aut domum tenet, domino repoſcenti reddere recuſet?*

INterdictis acquirendæ poſſeſſionis, ſubjicitur immediatè interdictum recuperandæ, quod *Unde vi* appellatur. Vis alia armata, & publica dicitur, quæ fit coactis armatiſve hominibus; ideò autem publica eſt; quia qui armis violenter graſſatur, & cives Romanos pulſat, aut bona eorum invadit, jus civium publicum violat. Altera eſt vis privata, quæ fit ſine armis cum quis poſſeſſione ſuâ violenter dejicitur. Duarenus *lib. 1. diſp. cap. 20.* 1

De

De utraque propoſuit unum interdictum Prætor *Tit. Digeſt. De vi & vi armata*: quod ſummam habet æquitatem, ſcilicet ne violentia unius alteri ſit damnoſa.

2 Hoc autem interdictum non ad omnem vim pertinet, ſed ad expulſivam & atrocem tantùm, quomodo ſi per vim compulſivam, puta juſtum metum rebus ſuis ſpoliatus quis fuerit, quod metus cauſa actione eas à quolibet poſſeſſore recuperabit, *l. 1. §. 9. in princ. & l. 14. §. 3. ff. quod met. cauſa*. Planè & ad eos tantùm qui de poſſeſſione rerum immobilium dejiciuntur, vi expulſivâ hoc interdictum pertinet, ut puta ſi de fundo, ſive ædificio:
3 itemque ſi quis de areâ, de ligneis ædibus dejectus ſit, dummodò locus unde dejectus ſolo cohæreat, hoc interdicto damni reſtitutionem petet, *l. 1. §. 6. h. t.* Si verò jurium incorporalium quaſi poſſeſſione, ut puta juris eligendi, decimarum, patronatus, juriſdictionis, cenſuum & redituum annuorum quaſi ſpoliatus quis fuerit, unde vi utili interdicto, adverſus ſpoliatorem experietur. In hiſce namque juribus, itemque præſtationibus annuis quaſi ſpoliationem contingere, exiſtimat Fred. Martin. *De annuis reditibus c. ult. n. 30.* ſi domino ſingulis annis, reditus ſuos recipere conſueto, à debitore non quidem ex inopiâ, ſed ejuſdem pertinaciâ ſolutio denegetur. Ut non debeat audiri debitor, poſteà allegare volens cauſas cur reditus annuos ſolvere diſtulerit, quia illa diſputatio non ad poſſeſſorium, ſed ad petitorium pertinet, atque ſpoliatus & fruſtratus ſuo jure, ante omnia reſtituendus eſt; *cap. 5. X. De reſtit. ſpol.* videatur & Andr. Gail. *lib. 2. obſ. 75.* Illud utique in dubium non venit, interdictum hoc ad res mobiles non pertinere, nam illis privatus, vel furti, vel vi bonorum raptorum actione, ablata recuperabit, *d. l. 1. §. 6. & l. 1. §. 2. ff. Vi bonor. rapt.* Planè ſi quæ res ſint in fundo, vel in ædibus undè quis dejectus eſt; etiam earum rerum mobilium nomine, unde vi interdictum, competere non eſt ambigendum, *d. §. 6.*

Datur itaque hoc interdictum ei qui vi dejectus
3 eſt, de poſſeſſione fundi, vel ædium; nec intereſt naturaliter an civiliter tantùm, an utroque modo ſimul poſſederit cùm dejiceretur; qui enim non poſſidet dejici non videtur, *d. l. 1. §. 9. & 23.* Unde dominus licet ingredi poſſeſſionem rei ſuæ prohibeatur, dejici tamen inde non dicitur, *d. l. 1. §. 26.* Nec refert dominus per ſe an per aliam poſſideat, quoniam quod ſervus, vel procurator, vel colonus tenent, dominus videtur poſſidere, ideoque his dejectis, ipſe dejici poſſeſſione videtur, etiamſi ignoret eos dejectos, per quos poſſidebat, *d. l. 1. §. 22.* Juſtè an injuſtè poſſederit non intereſt, nam prædoni & ſpoliatori hoc interdicto ſuccurritur, *d. l. 1. §. 30. & l. 12. ff. eod.* & hoc non tantùm ſi vi aut clam vel precariò ab alio poſſideat, verùm etſi ab eo qui vi dejecit.

Cùm igitur naturaliter poſſidenti hoc interdictum detur, neceſſarium id erit fructuario, emphyteutæ, & vaſallo, nec tam utile, quàm directum, 5
ſi prohibeantur uti, frui fundis, & prædiis, quorum emolumentum ad eos pertinet, & facit ut in plerìſque juris partibus pro dominis habeantur, *l. 3. §. 13. & ſeqq. ff. h. t.*

Colono autem hoc interdictum non accomodatur, ſi de conducto prædio dejectus fuerit, cùm non ſibi, ſed alii poſſideat, uti dictum *per d. l. 1. §. 22.* Etenim quod in *l. 7. §. 11. ff. com. divid.* dicitur colonum naturaliter poſſidere; intelligendum eſt non verè poſſidere, ſed detinere, *l. 3. in fin. & l. 4. ff. ad exhib.* Separandi namque ſunt hi qui verè poſſident, ab iis qui ſunt in poſſeſſione, aliud enim eſt eſſe in poſſeſſione, aliud eſſe poſſeſſorem. In poſſeſſione eſt depoſitarius, commodatarius, colonus, inquilinus, is qui precariò rogavit ut morari liceat, non etiam poſſidere. Sed de colono eſt, *l. 12. & 18. ff. h. t.* quæ videntur adverſari. Nam ibi emptor fundi juſſus à venditore fundum ingredi, à colono repulſus eſt, poſteà emptor vi colonum expulit, dicitur hoc eidem interdicto teneri, cùm tamen non ſit niſi colonus, qui tantùm fuit in poſſeſſione, non autem ſibi poſſedit, quia mutaret cauſam ſuæ poſſeſſionis, quod non licet. Verùm dicendum eſt, in dictis legibus colonum non manere ampliùs ut colonus in fundo, ſed ut violentus poſſeſſor, ſic ut non admittendo emptorem, non ampliùs alteri poſſidere, ſed ſibi videatur, nihil obſtante regulâ, quod nemo mutet ſibi cauſam poſſeſſionis, nam illa non obtinet, quando aliquid accedit, per quod videatur mutari poſſeſſio, uti hoc in caſu per violentiam coloni repellentis emptorem, quem utique expellendo videtur poſſeſſionem ſibi arrogare. Undè licet ipſe teneatur domino interdicto undè vi, quod emptorem ex voluntate ejus miſſum, intrare prohibuerit, nihilominus ſi ab ipſo emptore viciſſim ſpolietur, habet contra eum ſimile interdictum.

Datur verò hoc interdictum adverſus eum, qui 6
ipſe aut cujus familia dejecit, parvi enim referre viſum eſt, ſuis manibus quis dejiciat, an verò per alium jubendo, vel ratum habendo, *d. l. 1. §. 12. & ſeqq.* quia ratihabitio in delictis mandato comparatur. Imò quamvis familia nec jubente, nec ratum habente domino dejecerit, attamen hoc interdicto ſive in factum actione dominus tenetur de eo lucro, quod ex hoc delicto percepit: & ſi ejus filiusfamilias aut mercenarius dejecerit aliquem, utili interdicto conveniri poterit. Quod ſi autem nihil ad dominum ex hoc ſervi delicto pervenit, ipſum noxæ dedendo indemnis erit, quod enim noxæ dedere compellitur, in damno debet reputare, *d. l. 1. §. 15. & 20. ff. h. t.*

7 Hæredes quoque dejicientis, ſi quid ad eos ex hoc delicto pervenit, dolove malo eorum factum ſit quò minùs perveniret, conveniri poſſunt hâc utili in factum actione, *l.2. h.tit.* non interdicto unde vi, quod pœnale eſt, & in perſonam conceptum ejus qui vi dejecit, hæredes ſpoliatoris cæterique ejus ſucceſſoris ipſi quidem vim non fecerunt, in id tamen quod ad eos pervenit ex maleficio tenentur, ne inde lucrum ſentiant injuſtum. Placuit enim injuſta lucra hæredibus extorqueri, *d. l. 1. §. ult. l.38. ff. De Reg. Jur.*

8 Porrò contra eum qui clam ingreſſus eſt poſſeſſionem alienam, interdictum hoc non datur, quoniam illud proponitur ei qui vi dejectus eſt, non poteſt autem vis videri commiſſa, ab eo, qui clam poſſeſſionem abſentis occupavit, ſed contra eum competit interdictum uti poſſidetis, *l.3. in princ. & l. ult. ff. uti poſſ.* Ita ſentit Menochius, cui aſſentior, niſi reverſus poſſeſſor dum conatur ingredi ſuam poſſeſſionem vi impediatur ab invaſore, qui tunc vi magis intelligitur poſſidere, non clam, *l.6. §. fin. ff. De acq. poſſ.*

9 Etenim poſſeſſio aliena invadi & interverti poteſt non ſolùm vi, ſed etiam ſine vi, quo fit ut interdictum momentaneæ poſſeſſionis, cùm non ſemper ad vim pertineat, ſine inſcriptione mox audiri debet, id eſt, quod cùm actor experitur civiliter hoc interdicto, quamvis vim objiciat adverſario, tamen ſe ſubſcribere in id crimen ad pœnam talionis non cogitur, quoniam inſcriptio tantùm cùm criminaliter agitur locum habet. Dicitur autem interdictum hoc momentaneum à temporis brevitate, quo expeditur, quia ſtatim ſine exceptione reſtituitur poſſeſſio, interim dum de proprietate lis pendet, *l.6. h. t.*

10 Datur itaque adverſus eum qui vacuam alterius poſſeſſionem occupavit, etiam ſine vi publica, vel privata, ut puta dolo, vel nullo Judicis decreto. Nam talis utique poſſeſſor ex Juſtiniani conſtitutione habetur pro prædone, qui non ignorat rem eſſe alienam, & ſcit rem nec eſſe ſuam, nec ſibi debitam, & nullam aliam cauſam poſſidendi habet, quam quod poſſidet, *l. ult. h.t.* quo caſu criminalis actio quæ aliàs competeret, *l.4. h.t.* non intentatur, propterea quod nullam vim fecerit abſenti, qui corpore ſaltem non poſſidebat, ſed quaſi de vi tenetur generali interdicto reſtitutorio, *d. l. ult.*

Eodem tenetur, qui ſine vi ullâ poſſeſſionem rei a-
11 lienæ occupavit per errorem, vel negligentiam domini, dum dominus alia loca pro aliis accepit, non admodum peritus, aut certus poſſeſſionum ſuarum, quod facile accidit iis, qui latifundia poſſidet, vel diverſa prædia diverſis locis, vel dum negligit dominus agros ſuos ſæpe inſpicere, vel circumire, fieri enim poteſt ut vicinus aliquis ſine vi nanciſcatur poſſeſſionem horum agrorum, & unà cum ſuis alteri eos vendat & tradat, non ignorante ipſo domino: quo caſu quia hic bonæ fidei emptor, nihil deliquit, nullamve vim adhibuit, domino in hoc tantùm tenetur ut ei reſtituat poſſeſſionem, *l. 5. h.t.* cui non adverſatur *d. l. ultim.* quæ agit de vacuâ poſſeſſione abſentis domini, quam ſine violentiâ quidem, ſed ſua ſponte quis occupavit, & proinde jubet talem poſſeſſorem ut prædonem intelligi. At verò *d. l. 5.* non loquitur de occupatâ, ſed de data, emptave poſſeſſione, quam alius tenebat, aut negligebat, & ideò poſſeſſor nulli pœnæ obſtringitur. Cujacius *lib. 19. obſ. cap. 16.* cùm aliàs invaſor locorum pœna teneatur legitima, ut ait *d. l. 5.*

Sed quænam illa pœna? certe ea varia eſt. Etenim 12
qui civiliter agit interdicto unde vi, vel actione in factum loco interdicti, ad id contendit ut ei à violento poſſeſſore reſtituatur poſſeſſio, & id quod ſua intereſt præſtetur; ſi autem criminaliter agat ex L. Julia de vi publicâ, ad pœnam concludet deportationis, quam publicatio bonorum ſequitur, *l. 10. §. ult. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Etiam capitis, ſi quis ex ſuis ea vi occiſus fuerit, *l. 6. C. eod. tit. ad L. Jul.* Ex lege autem Julia de vi privata pœna eſt, publicatio tertiæ partis bonorum, & infamia, *l. ult. ff. ad L. Jul. de vi priv.* Ex Conſtitutionibus Principum aliæ quoque ſunt pœnæ pro factorum varietate. Nam ex Conſtitutione Divi Marci creditor qui ſuum creditum ſive pro eo rem debitoris, vel pecuniam non ab illo ſibi datam, ipſe ſua ſponte & ſine Judice occupaverit, creditum ſuum amittit, *l. 7. ff. ad L. Jul. De vi priv.* Itemque in *l. 1. in fin.* Divus Pius reſcripſit nullam vim nautis fieri debere, & ſi quis fecerit, ut ſeveriſſimè puniatur. Eſt & alia pœna graviſſima à Valentiniano conſtituta in *l. 7. h.t.* de qua infrà *n. 29.*

Poteſt igitur qui per vim dejectus eſt, agere civi- 13
liter pro poſſeſſione recuperanda, interdicto unde vi, quo tamen, ſi priùs fuerit uſus, non prohibetur etiam prædictis legibus Juliis de vi, inſtituere accuſationem, ut de ultione, & vindicta publica quæratur, *l. 4. h.t.* nec civilis actio criminalem conſumit, *l. uni. C. quando civilis actio crimin. præjud.* Quod ſi autem publico judicio accuſatus, objiciat adverſarium non fuiſſe in poſſeſſione fundi, ante diſceptandum erit civiliter de poſſeſſione, quia non poteſt intelligi, utrum violentia facta ſit poſſeſſori, niſi prius cognoſcatur fuerit poſſeſſor necne, ut ei ubi conſtiterit talem fuiſſe & expulſum eſſe, amiſſæ poſſeſſionis jura reparentur, *l. 7. C. ad L. Jul. de vi publ.*

Itaque ſine cunctatione reſtituenda eſt ſpoliato 14
poſſeſſio, quamvis injuſta fuerit, *l. 3. h.t.* quo facto via aperitur ad diſceptandum de crimine vis, de quo tamen priùs quæritur quàm de jure poſſeſſionis vel dominii, *l. 5. ff. ad L. Jul. de vi publ. & l. 37. ff. De judic.* quâ de re plura dixi *ſup. de ordine judic.* Interim ſtatim momentaneæ poſſeſſionis cauſa reformanda

Digitized by Google

da erit, & ante omnia reſtituendus ſpoliatus, per decretum proviſionale (quod Galli recredentiam, Hiſpani judicium de interim appellant) ſalvâ propoſitione actionis de jure poſſesſionis, in pleno poſſeſſorio, itemque ſalvâ actione dominij. Covarruv. *in pract. cap. 7.*

15 Neque ſanè hunc juris ordinem intervertet impetratio reſcripti Principis, ac multò minùs efficiet illa, ut invaſor retineat violentam poſſesſionem, *l. 3. h. t.* quoniam bonus Princeps non ſolet in cujuſquam injuriam reſcripta, aut beneficia tribuere, *l. 2. §. 10. ff. ne quid in loco publ.* Meminerit proinde quiſquis reſcriptum, vel ſententiam Judicis obtinuit, ne adverſarium è poſſesſione expellat, aut rem ſibi debitam invadat, ſed jure & judicio eam petat, conveniendo ſcilicet adverſarium, vel eo abſente ejus actorem vel procuratorem, cui ſi quid ſolemniter obtinuit id inſinuare curabit per executorem, aut notarium, *l. 6. h. t.* ne, inquit eleganter Imperator, injuriarum inde naſcatur occaſio, unde jura dicuntur.

16 Alioqui ſi hanc juris formam actor non ſervaverit, cauſam ſuam amittet, & creditor ſuum creditum, ac debitori poſſesſionem ſtatim per hoc interdictum unde vi cogetur reſtituere. Non obſtat quod legatarius rem ſibi legatam ſponte occupans, non amittat legatum, ſed tantùm teneatur ad reſtitutionem faciendam hæredi, *ut dixi tit. ſupr.* quia legatarius rem ſuam, itemque vacantem occupat, at creditor in caſu *dict. l. 6.* rem alienam, & ab alio poſſeſſam.

17 Additur præterea in *d. l. 6. §. 1.* quod ſi tutor vel curator minoris cum debitore colluſerit, rem debitam vi occupando, eo conſilio & fraude ut pupillo vel adulto jurgandi copia, & debitum adimatur, atque ita debitor liberetur: illicò quidem poſſesſio ei à quo eſt ablata, redditur, ſine præjudicio jurium minori competentium, curator autem vel tutor æternâ deportatione, & bonorum publicatione punitur. Et rectè, nam ut habet juris regula, neque in interdicto, neque in cæteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, *l. 198. ff. De reg. jur.* Unde à contrario licere intelligere hanc pœnam ceſſare, ſi curator in re minoris invadenda, nullam talem colluſionem adhibuerit.

18 Planè vis Judicis, quâ prætermiſſo juris ordine, & cauſæ cognitione, alicui aufert poſſesſionem, & vis à privato commiſſa æquiparantur, *dict. l. 6.* adeò ut ante omnia ſpoliatus ſit reſtituendus, eique omne damnum reſarciendum, quod liquidò probabitur; Andr. Gail. *lib. 2. obſ. 6.* Judex enim excedendo fines ſui officij, puta procedendo abſque cauſæ cognitione in præjudicium alterius, privatus reputatur, & ut talis ei impunè non paretur; licetque reſiſtere etiam ejus officialibus, qui ad capienda bona alicujus veniunt, *juxta l. 5. Cod. De jure fiſci*, ubi non præceſſit cauſæ cognitio & juſſus Judicis.

Ex his quæ hactenus dixi certum eſt, hoc interdictum dare ei qui dejectus eſt, contra eum qui dejecit, *l. 2. & 4. h. t.* non etiam contra tertium poſſeſſorem, *l. 7. ff. eod.* non tantùm ſi bonæ fidei fuerit, ſed ne quidem ſi mala fide poſſideat. Eſt enim hoc interdictum perſonale, conceptum in eum qui vim fecit, ſaltem inſpecto jure civili: ſed canonico ita temperatum eſt, quod in poſſidentem ſcienter rem à ſpoliatore agi poſſit condictione ex Innocentij tertij conſtitutione *in cap. 15. & cap. 18.* ☩. *De reſtit. ſpol.* ex ratione quod talis videatur ſe ſocium delicti facere, & ſic ſuccedere in vitium ſui auctoris, & non multum interſit quoad animæ periculum, injuſtè & ſcienter rem alienam detinere, aut invadere. Menoch. *De recup. poſſ. rem. 51. q. 13.* 19

Quæſtionis eſt, an jure canonico competat contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem? Et communius videtur receptum competere contra illum condictionem ex remedio *canonis redintegranda 3. q. 1.* Nam generaliter ibi traditum eſt, eum qui quovis modo rerum ſuarum poſſeſſione, ſine culpa ſua privatus eſt, ut puta bellis, captivitate, peſte, fame, dolo, ſeu violentia majore, vel aliàs injuſtè à quolibet etiam ignorante, atque à bonæ fidei poſſeſſore, ſupradicta conditione poſſeſſionem amiſſam recuperare poſſe, quod Archidiaconus tradidit *in d. can. redintegranda*, aliique omnes fere ſine controverſia receperunt. Sed quamvis Innocent. Joan. Andreæ, Panormit. *in d. cap. 18.* & Archidiaconus *d. loco.* indiſtinctè adverſus omnem bonæ fidei poſſeſſorem, etiam titulum juſtum habentem, ſupraſcriptum remedium competere aſſeruerint; veriorem tamen & æquiorem ſententiam putarim exiſtimantium, ſupraſcriptam condictionem adverſus eum bonæ fidei poſſeſſorem non dari, qui non à ſpoliatore, ſed alio bonæ fidei poſſeſſore rem ex aliquo juſto titulo recepit. Facit quod dicitur in *d. c. 15. & 18.* hoc remedium dari contra poſſeſſorem tertium, qui rem ſpoliatam ſcienter recepit, atque ita ſpoliatori quaſi ſucceſſit in vitium, ut aliter ſe res habeat, in eo qui eſt bonæ fidei poſſeſſor, qui titulum juſtum habet, neque in alterius vitium ſuccedit. Deinde cum iſti textus ſint poſteriores, *d. can. redintegranda*, omninò reſtringunt ejus generalitatem, ne alias male in iis excipiatur malæfidei poſſeſſor, qui ſpoliavit, vel mandavit, ratamve habuit ſpoliationem; Poſtremo non eſt novum ut priores leges ad poſteriores trahantur, *l. 26. ff. de legib.* atque ab his deſumant interpretationem, *l. ff. fin. De conſtit. princip.* Videatur Joan. Gutierrez *Canonic. qq. lib. 1. cap. 34.* & quos refert Hieron. Zevallos *comm. contra comm. 52.* & Chriſtinæus *volum. 4. deciſ. 135. numer. 17. & deciſ. 140.* 20

Competit autem hoc interdictum, & actio in factum 21

Digitized by Google

ctum (quæ exemplo interdicti datur) intra annum utilem, *l.2. h.t. & l.1. in pr. ff. eod.* à die quo dejectio facta eſt, quia actio eſt pœnalis. Annus utilis opponitur continuo; uterque annus dicitur, quia conſtat 365. diebus, ut eſt, anni dimenſio *l. 154. ff. De verb. ſign.* Hoc intereſt quod continuus ſuperioribus diebus conſtat continuis, utilis conſtat ſolùm utilibus, id eſt, iis quibus actor experiundi cum adverſario poteſtatem habet, *l.1. ff. De divers. & temp. præſ.* Poſt annum judicium datur de eo quod ad eum qui vi dejecit, pervenit, ſicut etiam datur adverſus hæredem, neque enim in lucro verſari debet, *l. 3. in pr. & §. 1. ff. h. tit.* Sed quamvis hoc interdictum intra annum utilem tantummodo competat, ſuprafcriptas tamen condictiones perpetuò, id eſt, uſque ad triginta annorum ſpatium, tam ad ea quæ ad ſpoliatorem non pervenerunt, quam quæ pervenerunt, competere arbitror, *arg. l. fin. in fine hoc tit.*

22 Videamus cujus rei gratia actio ex hoc interdicto competat. Et quia recuperandæ poſſeſſionis eſt, in id competit, ut ſpoliato omnis priſtinæ cauſæ reſtitutio fiat, id eſt, omnium eorum quæ habiturus erat, ſi non fuiſſet dejectus. Et ideo non ſolum rerum immobilium, ut puta fundi, ædium vel caſtrorum reſtitutio à ſpoliatore fieri debet, ſed etiam rerum mobilium, in qualibet rei immobilis parte contentarum: idque ſive ipſius ſpoliati propriæ fuerint ſive apud eum depoſitæ, vel eidem commodatæ, vel pignoratæ, vel locatæ ſint, *d.l.1. §.32. & ſeqq. ff. h. t.* Nec ſolum fructus à ſe perceptos ſpoliator reſtituet, ſed etiam eos quos verus poſſeſſor percipere potuiſſet ex die quo ſpoliatus eſt, *l.4. h. tit.* nec intereſt naturales, an induſtriales, an civiles ſint, *l.5. & 22. Cod. de rei vind.* nec refert ex rebus mobilibus, an immobilibus percipi potuerint. Proinde ſpoliator damna ſpoliati rebus quovis modo illata, ipſi ad extrema reſarciet. Denique judex ex ſuo officio cæterarum quoque utilitatum rationem in reſtitutionis condemnatione habebit. Et ideo, quidquid damni dejectus ſenſerit per expulſionem recuperabit, tantumque conſequeretur quanti ſua intereſt, ſi dejectus non fuiſſet, *d.l.1.§.34.* Intereſt enim ne dejecto ullo modo injuria fiat, & ne ex ſuo maleficio aliquid dejicienti accreſcat.

Cæterum non ita favet lex dejecto, quin agens hoc interdicto, vel actione ex eo, intentionem ſuam ad exemplum cujuſlibet alterius actoris legitimè probare teneatur, *C. de probat.* Probabit itaque hæc duo ſe in rei fuiſſe poſſeſſione, & præterea ſe ab adverſario fuiſſe ſpoliatum; ſive id fecerit adverſarius, ſive alius ejus nomine, modo ejuſmodi ſpoliationem ratam habuerit.

23 Violenta autem ſpoliatione per teſtes legitimè probata, ſi deinde ſuper rebus abreptis, vel invaſis, vel damno dato, tempore impetus quæſtio proponatur, & vim paſſus non poſſit ſingulas res quas perdidit, per teſtes vel aliàs legitimè probare, in hujuſmodi probationis defectum, per ipſius ſpoliati juramentum iſtarum rerum æſtimatio probari poterit, *l.9.h.t.* Taxatione tamen à Judice pro perſonarum atque negotij qualitate priùs facta, ultra quam taxationem ſpoliato jurare non licet. Et in 21
eam æſtimationem quæ jurejurando dato declarata fuerit, Judicem reum condemnare oportebit, *d. l. 9. in fin.* cujus tamen condemnationis executio ob manifeſtam rei condemnati inopiam merito retardari debebit, quoniam inanis eſt actio, quam excludit inopia debitoris, *cap. 16.* ✕. *De reſt. ſpol.*

Quid ergò, ſi actor, qui litis dominus eſt, præmortuus ſit, an facultas iſta jurandi tranſeat in hæredem? quod videtur, cùm illius interſit, & adſit difficultas probandi valorem rerum ablatarum, latè hac de re, ſed confuſè Mynſingerus *cent.4. obſ.12.* Ego exiſtimo quod Baldus proponit & probat Jaſon *ad d. l. 9. colum. 9. verſ. limitata tamen,* jus probandi per ſacramentum tranſire in hæredem, qui in tali eſt conditione quod poſſit jurare, eo quod ſit benè informatus, alias non: quare oportet talem eſſe hæredem, qui moratus ſit in domo defuncti, aut ejus geſſit negotia, & ferè novit res quas poſſidebat dejectus cùm dejiceretur, & earum æſtimationem aliquatenus; quoniam non debet quis anceps ſubire juramentum. Cæteroquin ab hærede probationes exigantur, ſed illæ leviores. Doctores paſſim *ad d.l.* annotarunt. 24

Eſt autem facienda reſtitutio rerum ſpoliatarum eo loci, unde abreptæ, & ablatæ fuerint, idque ſpoliatoris ſumptibus, *lib.12. in fin. ff. De rei vind.* Cæterum quod dicimus ſtatim faciendam eſſe reſtitutionem ſpoliato perpetuum non eſt, nam interdum denegatur, quando videlicet ex reſtitutione magnum aliquod incommodum timetur, aut ſaltem differtur reſtitutio tantiſper dum adverſus illud incommodum ſatis proſpectum fuerit. Hinc eſt quod viro uxoris reſtitutionem poſtulanti, vel è contra, reſtitutio denegetur, ut puta ſi conjugum alter altero abſente adulteratus fuiſſe convincatur, *cap. 4.* ✕. *de divort.* niſi fortè mutuâ adulterij replicatione juvetur, *cap. pen. & fin.* ✕. *de adult.* Nam paria crimina mutua compenſatione tolli placuit, *l. 39. ff. ſoluto matrim.* Si quoque conſanguinitatis, vel affinitatis in gradu prohibito exiſtentis impedimentum allegetur, atque in continenti probetur, *cap. 13.* ✕. *de reſtitut ſpol.* ſi etiam maritus uxorem capitali odio ita proſequatur, tantaque ipſius ſævitia ſit, ut mulier ſecura eſſe non poſſit, *cap.8.* ✕. *d. tit.* Deinde ſi uxor quæ à marito diſceſſit, ſe virginem aſſerat, atque religionem profeſſa ſit, *cap. 14.* ✕. *de probat.* Plane ſi ſpoliatus beneficio Eccleſiaſtico ante ſpoliationem beneficio renunciavit ſponte coram ſuperiore, interdicto hoc experiri

experiri non poterit, *cap. 3. & 4. ꝟ. de reſtit. ſpol.* Dico ante ſpoliationem, nam ſi ſubſecuta ſit renuntiatio, præſumitur vi metuve facta, ac ita invitus renuntiaſſe, cui proinde interdictum dabitur, niſi fortè reus contrarium probet, *cap. 2. ꝟ. d.t.* Rurſum ſi ſpoliato rerum ſpoliatarum petenti, ab adverſario mutua ſpoliatio ab eodem ſibi prius facta, objiciatur, non antea reſtituetur, quam vel ſponte, vel Judicis juſſu, res alias quibus adverſarium prius ſpoliavit, reſtituerit, *cap. 2. & ult. ꝟ. de ordine cognit.* ubi prius de exceptione objectâ cognoſcendum dicitur, tum quod in pari cauſa favorabiliores ſint partes rei, quam actoris, *l. 125. ff. De reg. jur.* tum etiam quod actor in eadem cauſa, delicto hæreat in quo reus.

26 Ergò vim faciens reſtituendus non eſt, ſi vi repulſus fuerit, *cap. 12. ꝟ. de reſt. ſpol.* quo pertinet quod ait J. C. eum qui cum armis venit, poſſe nos armis repellere, ſed hoc confeſtim, non ex intervallo, *l. 3. §. 9. ff. De vi & vi arm.* Et ideò ſi is qui rei ſuæ poſſeſſione injuſtè ſpoliatus eſſet, cum inculpatæ tutelæ moderamine, id eſt, in continenti, non ex intervallo, atque juſtam poſſeſſionem defendendi cauſa, violentum invaſorem vi repulerit, jure id feciſſe exiſtimabitur, nec ad reſtitutionem convenire poterit, *l. 1. h. t.* Dico, qui injuſtè eſt ſpoliatus, quia de eo loquuntur Imperatores, qui rectè poſſidet & ſine vitio, non vi, non clam nec precario, ut ei liceat vim propulſare cum moderamine inculpatæ tutelæ, id eſt, ut eatenus vis adhibeatur, quatenus ad vim alterius repellendam neceſſe eſt, *l. 3. ff. De juſtitia & jure. l. 3. Cod. ad L. Corn. de ſicar.* Etenim qui cum vitio poſſidet, & injuſtè, non utique ſemper poteſt jure vim propulſare.

27 Quinimò dubitatur, an ceſſet hoc interdictum, ſi notorius prædo ſpoliatus fuerit ab ipſo domino, de cujus juſto dominio conſtat? Et videtur non ceſſare inſpecto jure civili, quo ſpoliatum ante omnia reſtituendum definitur. Eoque pertinet quod reſcribit Conſtantinus Imperator *in l. 7. Cod. ad L. Jul. de vi publ.* ante omnia violentiæ cauſam examinandam eſſe, ut ei quem conſtiterit expulpulſum, amiſſæ poſſeſſionis jura reparentur. Idemque Juſtinianus *in l. pen. §. 2. C. de praſc. 30. annor.* violenter ablatâ poſſeſſionē, priori poſſeſſori ſine ulla diſtinctione vindicare permittit. Quod & *in l. 7. h. t.* clare præcipitur, ut dominus qui invaſit & abſtulit rei poſſeſſionē, eam reſtituat poſſeſſori, & dominium ejuſdem rei amittat.*

28 Unde & interdictum hoc competet ſpoliato contra dominum ſpoliantem, neque enim dominij exceptio ſpoliato agenti interdicto unde vi objici poteſt, *arg. l. 17. ff. h. t.* Facit quoque quod vim inferens confeſtim repelli poteſt, licet non ex intervallo, quod ea res habeat ſpeciem invaſionis, *l. 3. § 9. ff. h. t.* Denique urget, quod cum dominus fundi poſſeſſorem vi dejicit; non videatur poſſeſſio in ejus poteſtatem rediiſſe, ex cauſa quod hoc interdicto eam ſit reſtituturus, *l. 4. §. 26. ff. de uſucap.* Ex quibus tum aliis juris locis collecta, receptaque eſt regula, ſpoliatum ante omnia reſtituendum. Fachineus *l. 8. contra c. 10.* Gomez *ad l. 45. Tauri. n. 182.* Quibus tamen non obſtantibus poſſet dici, nec malè, dictam regulam non procedere, in domino qui notorium prædonem ſpoliavit, in cujus probationem adfertur, *l. 1. §. 30. & l. 12. cum. l. 18. ff. h. t.* qui textus admittunt hoc interdictum dari prædoni, contra tertium ſpoliantem, quaſi argumento ducto à contrario ſenſu; aliter ſe res haberet in vero domino ſpoliante eum à quo anteà ſpoliatus erat. Verum hoc argumenti genus parum urget in caſu, quo aliter jure diſpoſitum, quod paſſim videtur mandare reſtitutionem ſpoliati ante omnia.

Nihilominùs tamen hæc poſterior opinio verior eſt, cùm licet textus loquantur indiſtinctè, juris tamen ratio aliud poſtulat in domino, quàm non domino, ſcilicet quod quando conſtat de jure proprietatis, non ſit attendenda cauſa poſſeſſionis, quia hæc illi cedit *juxta cap. 6. ꝟ. de cauſa poſſeſſ.* conſtat autem hoc in caſu de jure proprietatis, ex præſuppoſito, ut non debeat habere locum regula quæ indiſtinctè vult reſtitutionem ante omnia faciendam eſſe: Quod certè non foret ſine vitio, ſiquidem ad poſſeſſionem nihil juris competat ſpoliato, eo quod conſtet jus proprietatis eſſe penes ſpoliantem, ut ſuccedat regula, ſpoliatum dolo agere, dum petit poſſeſſionem, quam mox reſtituturus eſt, *l. 8. ff. De doli mali & met. except.* Facit quod habet *l. 13. ff. depoſiti.* depoſitum reddendum eſſe deponenti, niſi aliud juſtior cauſa exigat, ut in præſenti caſu ſi dominus rei concurrat cum deponente. Non obſtant textus primò ſupra adducti, quia obtinent in eo caſu quo dominus non ſpoliavit notorium prædonem; quo etiam ſenſu accipienda, *d. l. 7. h. tit.* nimirùm cùm dominus non tam notorium prædonem, quàm juſtum poſſeſſorem ſpoliavit poſſeſſione, uti patet ex eo quod dominus ibi privetur rei ſuæ dominio, quod ſpoliato addicitur, cùm non ſit veroſimile imperatorem voluiſſe afficere præmio prædonem notorium, qui potiùs pœna dignus eſt. Deinde non eſt legis fovere alicujus malitiam, ſed unicuique ſuum tribuere, non tribueret autem, ſi in caſu quo notorius prædo eſt dejectus per dominum, vellet à domino reſtitui prædoni rem, qua antea ſpoliaſſet dominum. Sic ut non obſtet, quod qui vim infert, teneatur rem ablatam reſtituere, quia id non obtinet in domino dejiciente è ſua poſſeſſione notorium prædonem, qui eundem dominum ante dejecerat. Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremò non movet, *d.l. 4. §.26.* cùm non agat de prædone,ſed de poſſeſſore juſto, qualis in dubio eſt præſumendus. Itemque minus urget quod hîc dominus ex intervallo dejiciens invaſorem habeatur tanquam violentus,*d.l.3.§.9.* Nam & ideò aliquam violentiæ admiſſæ pœnam meretur,non etiam poſſeſſionis privationem, quæ nullo jure adjiceretur alteri, qui prius violentiam commiſerat.

29 Enimverò propter violentiæ gravitatem, quam furoris audaciam vocat Valentinianus, ſtatuit idem Imperator *in d.l. 7. h. t.* ut ſi quis rem alienam mobilem vi rapere vel immobilem, apud fiſcum, vel privatum conſtitutam, violenter invadere auſus fuerit, poſt rei reſtitutionem ejuſdem quoque veram æſtimationem, vim paſſo præſtare compellatur: Si verò invaſoris res propria ſit, non ſolùm eam veteri poſſeſſori reſtituat, ſed etiam ejus rei dominium amittat; non quidem ipſo jure, ſed per declaratoriam Judicis ſententiam. Nec refert id ſibi licere, vel non licere invaſor arbitratus fuerit, dummodò rem ſuam eſſe exiſtimaverit.

30 Nec etiam intereſt cujus ſit conditionis invaſor, nam omnes in hanc conſtitutionem incidunt, ſine exceptione ſexus, ætatis, beneficij à lege tributi. Et licet interdum minoribus viginti quinque annis & militibus ſuccurratur & permittatur in jure errare, quodque ruſticis & mulieribus parcatur ſi legibus non obtemperaverint, id tamen non ita latè accipiendum eſt,ut etiam in delictis & violentiâ excuſentur; maximè cùm violentiæ crimen pugnet cum jure naturali.Siquidem aliena per vim invadere naturali & divinâ lege probibeatur, unde hujus juris ignorantia eos non excuſat, *l. 2. Cod. de in jus voc.* Quin etiam auctoritas magiſtratus violatur, dum illi ipſi ſibi jus dicunt.

31 Porrò cùm hujus conſtitutionis actio, ei ſoli detur qui poſſeſſione dejectus eſt, certè depoſitario à deponente, commodatario à commodatore, inquilino vel colono à locatore dejectis non competit, quia illi non tam poſſident, quàm detinent. Deinde *d. l. 7.* non modò nova, ſed & pœnalis eſt, undè ſtrictè accipienda. Neque etiam extendenda eſt, contra patrem, vel patronum rem filij vel liberti invadentes, eâ potiſſimum ratione, quia actio quæ ex hac conſtitutione promanat, ſaltem de facto infamat, meritò igitur hoc caſu ceſſat, *l. 11. ff. de dolo. l.2. ff. de obſeq. à lib. præſt.* Et experiendum erit actione in factum, concludendo hiſce verbis: Quare peto poſſeſſionem rei meæ mihi reſtitui, quia non convenit bonæ fidei, ut quis locupletetur cum jactura aliena, *arg. l.4. §. 16. ff. de doli mali except.* Quinimò hodie generaliter ceſſare videtur actio *ex dict.l. 7.* ad pœnam ibi præſcriptam, ſed is qui vim fecit damnatur in id quod intereſt adverſarij & extra ordinem punitur pro delicti vel facti qualitate; ut poſt D.Covarruv. *lib. 3. var. cap. 16. num.7.* tradit Sarmientus *l. 2. ſelect. interpret. cap. 13. num. 7.*

Cæterùm pœna *d.l. 7.* rectè producitur ad conductores, & eos qui res alienas precario acceperunt utendas, quoniam hi invaſoribus comparantur,ſi à domino frequentiùs moniti,& conventi res iſtas uſque ad ſententiam definitivam pertinaciter, & ſine cauſa reſtituere diſtulerint; tantæ iniquitatis ſuæ nomine ultra ejuſdem rei reſtitutionem, ipſius quoque rei æſtimationem domino pendere coguntur,id eſt,locatori,vel ei qui precario conceſſit, *l.pen.h.t.* ex qua ducta eſt *l.34.ſup.de locato.* Non enim debet conductor ſine cauſa retinere poſſeſſionem rei alienæ finito tempore locationis: Et ea eſt precarij natura ut penes accipientem res tamdiu ſit, quamdiu is qui precibus conceſſit petenti, patitur: quomodo precarium ſtatim revocari poteſt, *l.1. & 2. de precario.* 32

Dico ſine cauſa, quia juſta eſſe poteſt recuſandi, ut ſi conductor,vel qui precario accepit,dicat probetque ſe ejus rei dominum eſſe, nam neque conductio, neque precarium rei ſuæ conſiſtit, & proinde qui dominus eſt neque ex precario neque ex locati actione tenetur, *l. 15. ff. depoſiti.* Sæpè enim fit ut ignorans, rem quis ſuam conducat, *l. 20. ſup. de locato.* Plane ſi locator rejectâ hac exceptione dominij tantum hoc agat, ut ſibi poſſeſſionem rei locatæ petat reſtitui, cogetur eam conductor reſtituere, ſalva tamen ipſi ſua dominij exceptione in judicio petitorio,ut habet, *text. in l.25. ſupr. de locato.* Eſt quoque juſta cauſa non reſtituendæ rei,ſi res repetatur ante finitam locationem,cum conductor mercedem ſolverit, *l. 3. Cod. eod. tit.* Itemque ſi ille impenſas utiles in rem conductam fecerit,quo nomine non tantum retentione uti poterit,ſed ex conducto cum domino rem petente experiri, *l.55. §.1. & l. pen. ff. d. t. locati.*

TITULUS V.

Si per vim, vel alio modo abſentis poſſeſſio perturbata ſit.

1. *Hic Tit. cohæret cum* l. ult. Tit. *ſuperioris.*
2. *Et permittit agere pro abſente dejecto per quoſcumque etiam ſervos.*
3. *Domino reverſo datur actio, etiam poſt annum utilis.*
4. *Prætextu reſcripti, nullius non convicti poſſeſſionem occupare licet.*
5. *Reſtitutâ poſſeſſione, victo ſupereſt cauſa proprietatis ab eodem Judice finienda.*

HIc Titul. pars eſt ſuperioris & quodammodo cohæret cum *l.ult.* quoniam & illa, & Conſtitutiones 1

Digitized by Google

tutiones hujus Titul. ſunt de poſſeſſione occupata abſente domino, ſed illa de poſſeſſione vacante, Conſtitutiones eæ tuentur abſentem, & abſentis poſſeſſionem,ſi per vim,vel alio modo perturbatæ ſint, quamque colonus vel inquilinus tenebat, aut parens,aut proximus aliquis abſentis nomine.

2 Et licet regulariter nemo alieno nomine agat ſine mandato, placet tamen ut abſente nec mandante domino legitimæ perſonæ, ex interdicto momentariæ & redintegrandæ poſſeſſionis agere poſſint,ſine ulla cunctatione, *l.* 1 *h.tit.* debet enim hæc cauſa mox audiri, & ſine dilatione expediri *juxta l.*8.*Tit.ſup.* Placet etiam ut ſervus nomine abſentis interdicto unde vi experiri poſſit, adverſus invaſorem vel prædonem,qui poſſeſſionem rei immobilis alienæ perſuaſit,turbavit, vel occupavit, quamvis ſervo,ut inquit *d.l.*1.cauſas perorare fas non ſit. Verùm momentaneæ poſſeſſionis actio exerceri poteſt,per quamcumque perſonam, *l.ult.ſup.qui legit. perſon.ſtandi in judic.*

3 Interim tamen domino quolibet tempore reverſo, actio recuperandæ poſſeſſionis ſalva manet, quià fieri poteſt ut reſtitutio propter ſervos infideles, vel negligentes propinquos, vel parentes, vel proximos, vel amicos,vel colonos, vel libertos intereà differatur. Ut æquum non ſit ex aliena negligentia, vel malitia dominum abſentem damnum pati, *lib.*1 *hic in* §.1. cui affinis eſt ſpecies, *l.ult.de acquirenda poſſeſſione.* Atque iſta ratio facit, ut etiam poſtquam dominus redierit, poſſit poſt annum utilem experiri interdicto recuperandæ poſſeſſionis; quod certè eſt ſingulare in hac abſentis poſſeſſione, quæ interverſa eſt.

4 Adeoque abſentium ratio habetur,ut ne quidem prætextu reſcripti principalis, aut judicialis præcepti illorum poſſeſſionem occupare aut hujus ſtatum invocare liceat, *l.*2.*h.tit.* quoniam princeps non intelligitur ſuo reſcripto remittere juris ordinem,qui requirit ut poſſeſſor conveniatur, res examinetur,& ex partium,id eſt,litigatorum aſſertione definiatur;quomodo præſentem eſſe oportet eum, adverſus quem quid ſtatuitur.

5 Cæterùm hæc cauſa de poſſeſſione & ejus momento ita agitatur, exercetur & expeditur,ut reſtituto domino,cauſa proprietatis integra maneat adverſario, *l.uni ſup. ſi de moment. poſſ. fuer.appell.* Idque voluit Conſtantinus per hæc verba, *l.*1.*h.tit. omnia immutilata permaneant quæ ſuperſunt ad litigii diſceptationem,* id eſt,cauſam proprietatis. Priùs itaque de poſſeſſione ſententia ferenda, eaque executioni mandanda, ut is qui victus eſt, fungatur partibus petitoris in quæſtione proprietatis, quæ etiam ab eodem Judice dicenda erit, *l.*13.*ſupr. De rei vind.* Sic enim cauſæ continentia accipitur, *in l.* 10. *ſupr. De judiciis.* Hodie tamen apud eundem Judicem non agitur de beneficij poſſeſſione, & de jure proprietatis ejuſdem beneficij Eccleſiaſtici: Nam Judex Regius cognoſcit de poſſeſſione, Judex verò Eccleſiaſticus de proprietate. Ut dictum ſuprà.

TITULUS VI.

Uti poſſidetis.

1. *Interdictum uti poſſidetis differebat ab interdicto utrubi.*
2. *Hodie utriuſque interdicti poteſtas exæquata.*
3. *Quis experiatur hoc interdicto & miſſo in poſſeſſionem?*
4. *An competat colono,creditori. Item fructuario?*
5. *An ſequeſter poſſit hoc interdicto experiri?*
6. *Item abſens cujus poſſeſſio ab alio eſt occupata.*
7. *An vi de poſſeſſione dejecto detur, uti poſſidetis interdictum.*
8. *An hoc interdictum detur hæredi, ſi defunctus in ſua poſſeſſione fuerit turbatus?*
9. *An competat ceſſionario.*
10. *Adverſus quos detur hoc interdictum.*
11. *Quibus in rebus locum habeat hoc interdictum, an in ſervitutibus?*
12. *In quaſi poſſeſſione juriſdictionis & jure percipiendi decimas & reditus.*
13. *Cauſa dandi hoc interdictum, & quod in eo ſit officium Judicis.*
14. *Si uterque litigantium poſſideat & probet ſuam poſſeſſionem, Judex utrumque in ea tuebitur, & declarabit poſſidere.*
15. *Nec ex eo ſequitur duos in ſolidum poſſidere, ſed manere ſuo jure.*
16. *Quomodo ex ſententia intelligi poſſit, quis ſit actor, quis reus,cum utriuſque jus eſt par.*
17. *Quænam ſit cautio præſtanda, & utrum à victo vel à victore.*
18. *Contraria huic interdictio,eſt exceptio annalis.*
19. *Item ſi probetur agens vi, clam poſſidere.*
20. *Denique dominij exceptio rectè opponitur.*

Parum prodeſt acquirere poſſeſſionem & recuperare, niſi ea poſſit defendi contra eum à quo turbatur. Quare proditum eſt interdictum, quod *Uti poſſidetis* appellatur,& *utrubi*: prius competit pro poſſeſſione rerum mobilium retinenda. 1

Utriuſque interdicti hæc olim fuit differentia, quod uti poſſidetis interdicto vinceret qui tempore redditi interdicti rem poſſidebat. Utrubi interdicto, qui majore parte anni retrorſum numerati, nec vi,nec clam,nec præcario ab adverſario poſſidebat.

Hodie tamen aliter obſervatur, nam utriuſque interdicti poteſtas,quantum ad poſſeſſionem pertinet exæquata eſt, nempe ut victor exiſtat tam in rebus mobilibus quam immobilibus qui nec vi, 2

nec clam, nec precario ab adverſario, litis conteſtatæ tempore detinet, *Inſtit. de Interd. §. 5. & 6.* Noviſſimè verò in praxi prævalet, is qui vel juſtiorem, vel antiquiorem poſſeſſionem probat.

3 Igitur in utroque interdicto potior eſt qui nec vi, nec clam, nec precario ab altero, id eſt, ab adverſario poſſidet, *l. un. h. t. in pr. & l. 1. ff. eod.* Quod ſi ab alio quam ab adverſario poſſideat, non obeſt ei poſſeſſio naturalis, quamvis injuſta, quo minus contra ſuum adverſarium experiatur hoc interdicto, verbi gratia, ſi Titium vi de poſſeſſione dejeci, hoc interdicto contra te quem non dejeci uti potero, non contra Titium *d. l. 1. §. ult.* nam hoc ipſo quod poſſeſſor ſum, plus juris habeo, quam ille qui non poſſidet.

4 Unde hoc interdictum non competit colono, aut ſervo cum alieno nomine poſſeſſionem teneant: Neque etiam creditoribus miſſis in poſſeſſionem rei ſervandæ cauſa, quia non poſſident. Idemque & in cæteris omnibus qui cuſtodiæ cauſa miſſi ſunt in poſſeſſionem, dicendum eſt, *l. 3. §. 8 ff. h. t.* Secus proinde in iis qui in poſſeſſionem miſſi ſunt, per ſecundum judicis decretum, cum apud tales non tantùm vera poſſeſſio, ſed & dominium conſtituatur; *leg. 5. ff. com. divid. leg. 15. ff. De damno infecto.* Planè & inter uſufructuarios hoc interdictum reddendum erit, & ſi alter uſumfructum, alter poſſeſſionem ſibi defendat, *l. ult. ff. h. t.* cum & interdictum unde vi his dari conſtet, *ſupr. Titul. 4.* nam licet verè non poſſideant, habentur tamen pro poſſeſſoribus, quamdiu uſusfructus emolumentum ad eos pertinet, quæ res efficit, ut in pleriſque partibus juris etiam pro dominis habeantur, ideoque interdicta poſſeſſoria eis accommodentur. Cujacius *lib. 9. obſ. cap. 33. in fine.*

5 Quid de ſequeſtro dicendum? Et ei non competere hoc interdictum veriùs puto, cum verè non poſſideat. Quamvis ſoleant Interpretes diſtinguere ſequeſtrationem voluntariam, & neceſſariam, ut in illa poſſeſſio in ſequeſtrem tranſeat, eo quod ex voluntate partium fiat, & exploratum ſit, actum voluntarium neceſſariò eſſe potiorem: non item in hac, videlicet neceſſaria quæ jubente judice fit. Coraſius *lib. 3. miſcel. cap. 2. num. 12.* Gail. *lib. 1. obſ. 148. n. 9.* Sed in neutra, tranſit poſſeſſio in ſequeſtrem, eo quod deſit titulus, & cenſeatur ſequeſtratio potius cuſtodiæ cauſa facta, *l. 6. ff. depoſiti.* ut titulum ſufficientem non ponat, cum non ſit veroſimile poſſeſſorem commodum poſſeſſionis velle amittere, ut hoc interdictum ſequeſtro competere nequeat. Niſi ſpecialiter actum ſit ut poſſeſſio penes ipſum ſit, *l. 39. ff. de acq poſſ.* ſecundùm cujus diſtinctionem accipienda eſt *l. 17. ff. depoſiti.* quæ ſimpliciter aſſerit ſequeſtrum poſſidere. And. Cludius *tract. de ſequeſtr. cap. 9. num. 18.*

6 Cæterùm illi, cujus poſſeſſio ab alio eſt occupata, cum abeſſet, dubium non eſt, quin competat hoc interdictum, cùm is qui abeſt dicatur retinere poſſeſſionem in *l. 6. §. fin. ff. De acq. poſſ.* Neque enim propterea quod clam alius ſit poſſeſſionem ingreſſus, abſenti ſua poſſeſſio abſcedit, qui nihilominus dicitur poſſidere, ut non ſufficiat corpore quis abſit à re ſua, cum adſit animus retinendi poſſeſſionem, *l. 3. §. 7. ff. d. t. De acq. poſſ.*

Quod ſi autem abſens ſciverit poſſeſſionem ab 7
alio occupatam, & reverſus timore conterritus à poſſeſſore eam repetere non audeat, credibile eſt eum animum poſſidendi amiſiſſe, *d. l. 3. §. 8. & l. 25. §. 1. ff. eod.* quo caſu, ei competere hoc interdictum exiſtimant Menochius *de retin. poſſeſſ. remed. 3. numer. 35.* & Paul. Buſius *lib. 6. ſubtil. c p. 8.* propter civilem poſſeſſionem, quam à dejecto, animo retineri volunt. Cujus contrarium magis eſt ut obtineat videlicet hoc interdictum non competere, ex eo quod non poſſit dici poſſidere dejectus, ne animo quidem, *l. 5. ff. de uſucap.* Non obſtante *l. 17. ff. d. t. De acq. poſſ.* in qua licet is qui vi de poſſeſſione dejectus eſt, dicatur quaſi poſſidere, non tamen ad vigorem hujus interdicti, ſed interdicti unde vi, quod dejecto pro recuperanda poſſeſſione datur. Donellus *ad h. l. un. num. 12.*

Planè neque hæredi dabitur hoc interdictum, ubi 8
defunctus in poſſeſſione ſua turbatus fuit, ea ratione quod poſſeſſio, niſi naturaliter apprehenſa, non tranſeat in hæredem, *l. 23. d. t. de acq. poſſ.* Quod limitatur in caſu quo ex ſtatuto loci, poſſeſſio defuncti in hæredem continuatur, nam cum habeatur pro poſſeſſore ex vi ſtatuti, debet ei quoque hoc interdictum dari. Item ſi turbatio facta ſit jacente hæreditate, quia hæreditas domini locum obtinet, rectè dicitur hoc interdictum competere hæreditario nomine, *l. 13. §. 5. ff. quod vi aut clam.* Itemque ſi lite jam morâ defunctus deceſſerit, in hæredem actio ex interdicto continuatur. Menoch. *d. loco rem 3. num. 61. & ſeqq.* Ratio autem juris cur hoc interdictum non detur hæredi, ubi defunctus turbatus fuit, non eſt alia, niſi quod interdictum eſt merè poſſeſſorium & fundatur in turbatione, quam prætendere non poteſt hæres, qui nunquam poſſeſſor fuit, quæ ratio in iſto quoque caſu, quo turbatio jacente hæreditate facta eſt, militare videtur, ſiquidem hæres non poteſt videri turbatus, qui tunc actu hæres nondum fuit. Et fictio illa juris qua retro à morte defuncti hæres fuiſſe dicitur, ad continuationem dominij, non poſſeſſionis, pertinet. Nihil facit, quod jacente hæreditate, impleatur cœpta uſucapio, quoniam hoc jure ſingulari receptum eſt, *l. 40. ff. de uſucap.* Quapropter ubi jacente hæreditate poſſeſſio ab altero eſt occupata, remediis ordinariis hæredi utendum erit, ut videre eſt apud Menoch. *d. loco.*

Quæſtio.

Digitized by Google

9 Quæſtionis eſt an competat hoc interdictum ceſſionario? Quod Menochio videtur *q.35.n.258. & ſeqq.* ſub diſtinctione tamen, ut quatenus ceſſio facit tranſire poſſeſſionem in ceſſionarium (uti contingit in incorporalibus, in quibus ſine alia apprehenſione dicitur ceſſionarius conſequutus jus quaſi poſſeſſionis) eatenus liceat ei hoc interdicto experiri, ſi ab aliquo perturbetur: eſt enim ceſſio loco traditionis in incorporalibus, cùm cedere ſit quaſi diſcedere, & alium ſuo loco ponere. Secus in rebus corporalibus, in quibus præter ceſſionem opus eſt traditione & apprehenſione, eaque demum ſubſecuta, ceſſionarius agere poterit ſuo nomine hoc interdicto, quoniam interdicta hodie ſunt actiones, & illæ cedi poſſunt, ſi traditio ſit facta: quod ſi verò non ſit facta, ſed ſimpliciter ceſſio, licet ceſſionario cedentis nomine experiri contra turbantem, quoniam ſola ceſſione non conſequitur jus poſſeſſoris, Nata *conſ.388.* & Sylvanus *conſ.55.*

10 Datur hoc interdictum adverſus quovis modo turbantes, aut impedientes poſſeſſionis uſum, *l.3. §.3. ff. h. tit.* ſive per ſe, ſive per alium, ſive extra judicium ſive in judicio: Nam & contra eum qui in judicio conatur turbare poſſeſſorem, & ejus jus obſcurum reddere, agi, petique poteſt, ut ſilentium imponatur, ne impoſterum turbet. Quin & minantem hoc interdicto teneri exiſtimat Menochius *dict.rem.3.num.488.* ſi videlicet iſtis minis poſſeſſio impediatur, efficiaturque ut colonus metu territus non audeat colere fundum, fructuſque inde percipere, *l.3. §.4. ff. h. tit.* Aliàs contra prohibentem agi poteſt injuriarum, *l.13. in fin. ff. de injuriis.* Sic in *l.25. ff. De act. empt.* contra venditorem qui prohibuerat lectam uvam legere, & calcare, ad exhibendum, vel injuriarum agere emptor poteſt, quemadmodum ſi aliam quamlibet rem ſuam tollere prohibeatur.

11 Sed videamus quibus in rebus locum habeat hoc interdictum? Et conſtat ex initio dictis, locum habere in rebus ſoli, ſeu in fundo, de quo agitur *l. uni. h.tit.in pr.* fundum hic latè accipe, ut complectatur tam ædes, quàm agrum, ut *in l.211. ff. De Verb.Signif.* quamvis ſæpè fundus ab ædibus diſtinguatur; nam hoc interdictum tam in ædibus quàm in fundo propriè dicto locum habet: Itemque utile eſt in rebus incorporalibus veluti ſervitutibus, *l.ult. ff. De ſervit.* cui conſonare videtur *l.8. §.5. ff. ſi ſervit.vind.* ubi ſi quis prohibeatur fumum immittere, vel qualiter velit ſuo jure uti, habet interdictum uti poſſidetis, quod licet in poſſeſſione fundetur, uſus tamen pro poſſeſſione habetur, atque ideo interdicta quaſi poſſeſſoria ſunt. Coſtal. *ad dict.l.8.* addit hoc interdictum competere cum aliquis turbatur in poſſeſſione juriſdictionis, penſionis capiendæ & ſimilium rerum. Sunt quidem multa interdicta ſpecialiter à Prætore propoſita, veluti de itinere actuque privato, de fonte, de aqua quotidiana, de rivis, de cloacis, verum ut his plenius conſuleretur, tum aliis ſervitutibus, pro quarum defenſione nihil fuerat propoſitum, ideo generaliter interdictum uti poſſideris introductum ſuſpicor, cùm non ſit infrequens in jure de eadem re plures competere actiones, unam ejus rei propriam, alteram communem. Ab hac tamen ſententia recedit Donellus & Gyphanius *ad l.uni.h.t.*

Planè & hoc interdictum pro quaſi poſſeſſione 12
juriſdictionis comparatum eſſe exiſtimo, & quidem directum concedi domino turbato, in juriſdictione quam habet in certos homines, puta colonos & adſcriptitios, quoniam illi pars fundi & gleba cui adſcripti, eſſe cenſentur, ut quod de fundo, idem de hiſce ſervis judicandum ſit. Quod ſi non de illis quæſtio moveatur, ſed de tertio aliquo, qui ſervitia, aut penſiones ab hujuſmodi adſcriptitiis, & colonis ſibi deberi aſſerit, & ita dominum turbat, huic utile interdictum ex ſententia Bartoli, Saliceti *ad h. l. uni.* & Menochij concederem, quemadmodum & tunc, cùm turbatur dominus in poſſeſſione juris percipiendi decimas ex fundis alienis, annuos reditus, vel præſtationes perſonales, *per cap. 9. X De probat.* Guido Papæ *conſ. 121.*

Competit autem hoc interdictum duarum rerum 13
gratia: Una & præcipua eſt, ut poſteaquam actor poſſeſſionem ſuam probavit, itemque turbationem ex parte adverſarij, Judex illum potiorem in ſoli poſſeſſione declaret, *l.1.§.1.& 4.ff.h.t.* Altera ut reum qui vim fecit, condemnet, ne in futurum vim faciat poſſidenti, eumque turbet in ſua poſſeſſione; Itemque damnet in id quod victoris intereſt, quietam retinuiſſe poſſeſſionem; In quo continentur fructus & mercedes quibus ille caruit, quia vis ei facta eſt, quo minus liberè uteretur, *l.3.§.ult.ff. h.t.* Donellus. *ad h.l.num.83.*

Quid ergo ſi uterque litigantium pares proferat 14
probationes, puta ſi uterque æqualibus teſtibus ſuam poſſeſſionem comprobat, vel ambo æquali titulo ſuam poſſeſſionem munitam oſtendunt, aut æquè antiquam eſſe demonſtrant: Sanè in hoc conflictu, quibuſdam tutior videtur eſſe ſententia, ut Judex neutri poſſeſſionem adjudicet & ab ea utrumque exire jubeat: quod utique in caſibus maximè dubiis, quando de proprietate agitur, fieri conſuevit, *l.10. ff. De rebus dubiis.* Aliis verò magis probatur, quod Judex diviſione facta, partem poſſeſſionis uni, alteri alteram aſſignet, quod ratio ſuadere videtur cum controverſia aliter dirimi non poteſt, *arg. l.41. ff. de hæredib. inſtitut.* ubi inter duos diviſa fuit hæreditas. Bartol. *ad l. 3. num. 5. ff. h. t.* Menoch. *dict. rem. 3. quæſt. 87. num.7. & ſeqq.* Alij ſentiunt, id Judicem facere debere, quod in judi-

Digitized by Google

judiciis diviſoriis ſolet, ut cum ambo ad judicium provocant, res ſorte dirimatur, *l. 13. & ſeqq. ff. De judicijs.* Quæ ſententia rectè procedit in juris, non autem facti quæſtione, qualis præſens eſt. Alij poſſeſſionem ſequeſtrari debere judicant, ne partes ad arma, & rixas deveniant, *arg. l. 13. §. 3. ff. De uſufructu.* quam ſententiam ſi admittamus æquè erit incognitum quis poſſideat, vel non; Quare mihi magis illa probanda videtur, Judicem debere pronuntiare (ſi partes de eodem genere poſſeſſionis contendant) uti poſſidetis, ita poſſideatis. Comprobatur *l. 3. in pr. ff. h. tit.* ubi in hoc caſu quo uterque demonſtravit ſe poſſidere, neuter altero potior eſſe dicitur, ſed uterque poſſidere. Ex quo intelligitur hoc caſu neutrum altero eſſe ſuperiorem, ſed utrumque vincere, id eſt, Judicem ita pronuntiare debere, ut uterque in ſua poſſeſſione ab altero non inquietetur: quo pertinent verba Edicti, *uti eas ædes,* &c. *poſſidetis quo minus ita poſſideatis vim fieri veto.* Itemque verba noſtræ legis, *uti poſſidetis fundum de quo agitur* &c. *Rector provinciæ vim fieri prohibebit.* Cujacius *lib. 5. obſ. c. 22.*

15 At hinc ſequetur plures unam eandemque rem in ſolidum poſſidere? Quod tamen fieri non poſſe ſupra *Tit. de acq. poſſ. num. 13.* docui, & probavi, *per l. 3. §. 5. ff. de acq. poſſ.* nam contra naturam eſt, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id teneas; eoque referenda *l. 5. §. fin. ff. commodati.* Ubi Celſus filius ſcribit, duorum quidem in ſolidum dominium vel poſſeſſionem eſſe non poſſe. Verùm dicendum quod dum Judex formulam interdicti ſecutus, utrumque poſſidere pronuntiat, non fateatur poſſeſſionem apud utrumque eſſe, ſed quia dubium eſt quo jure litigatores poſſideant, jubet eos manere in ſuo jure, donec res cognoſcatur, & vetat vim atque injuriam alteri ab altero fieri.

16 Interim tamen ex ea ſententia intelligi non poteſt, uter in petitorio ſit actor, & uter ſit reus, cum utriuſque jus ſit par, & uterque poſſideat? In petitorio autem ſolus poſſeſſor eſt reus, *l. 1. ſupr. de alien. judicij mut. l. 9. ff. De rei vind.* Atqui hoc interdictum ad id comparatum, ut ex eo intelligatur uter in petitorio ſit actor aut reus, ut ait Imp. *in §. retinendæ, Inſtit. de interd.* Huic objectioni fiet ſatis, ſi conſideremus in hoc interdicto, interdum unum poſſidere, plerumque duos, ſive duos de poſſeſſione contendere, priori caſu, quo unus tantum poſſidet & ab altero inquietatur, facile per ſententiam intelligitur quis ſit poſſeſſor; ſed in altero caſu, quo uterque eſt poſſeſſor, vix ex ſententia poteſt intelligi uter ſit actor, vel reus in petitorio. Quare huic difficultati remedium adfert Lex noſtra, hoc nimirum, ut ex his duobus poſſidentibus in judicio petitorio, ſtatim ab initio unus ab altero petat cautionem, quam ſi alter neget, transfertur ab eo poſſeſſio in adverſarium, ut ille ſolus ſcilicet poſſideat qui paratus eſt cavere, & is tum ſit reus in petitorio, alter verò qui cautionem denegarit, ſit actor. Quod quidem cautionis remedium, non modo in hoc interdicto, ſed & in aliis quoque actionibus & articulis juris adhiberi ſolet, ut videre eſt in *l. 5. §. 1. ff. ut legatorum nom. cau. l. 6. §. ult. ff. De Carbon. Edict.*

Sed quænam ea ſit cautio quæri ſolet? ſunt qui 17
putant eam eſſe, quæ vulgò dicitur judicio ſiſti, verum ea præſtari non ſolet à poſſeſſore rei immobilis, *l. pen. ff. De ſatiſdat.* Quare Donellus hîc intelligit cautionem judicatum ſolvi; ſed nec ea hodie in petitorio, de quo in hac lege agitur, præſtatur à reo, *§. ſed hodie, Inſt. De ſatiſd.* Duarenus autem exiſtimat cautionem eſſe de non inquietando, vel turbando in futurum, *lib. 1. diſp. c. 21.* quam proinde victus præſtare debet adverſario, de eo in poſterum non inquietando in ſua poſſeſſione, *arg. l. pen. ff. De aq. quot.* ubi victus tenetur cavere adverſario ſe non impediturum eum in uſu aquæ ducendæ. Verum licet hanc opinionem praxis receperit, auctore Gail. *lib. 1. obſerv. 116.* à theorica tamen veritate alienam Cujac. *lib. 1. ſent. Pauli tit. 11. De ſatiſd.* rectè aſſerit. Nam quod hæc cautio in ſervitutibus nominatim exigatur à victo *l. 7. & 12. ff. ſi ſervit. vind.* hoc ipſum argumentum eſt, in controverſiis rerum corporalium, ab eo cautionem non eſſe exigendam. Rationem diverſitatis hanc eſſe putat Donellus *ad h. l.* quod nihil in ſervitutibus ſit, quod dominus confeſſoria ſervitutis actione victus reſtituat corpore; ſervitutum namque nulla eſt poſſeſſio, *l. ult. ff. De ſervit.* Et ob eam cauſam in ſubſidium exigitur cautio à victo, quæ ſit pro ſervitutis reſtitutione. At vero in rebus corporalibus rei ipſius poſſeſſio reſtitui poteſt, qua reſtituta fruſtra aliud exigitur, quod reſtitutionis vice fungatur. Verior igitur eorum opinio, qui cautionem rei non deteriorandæ intelligunt, quamque præſtari à victore ipſo volunt, quod videlicet rem, cujus poſſeſſionem obtinuit, ſalvam & illæſam conſervabit, non verò diminuet, neque fructus ejus rei dilapidabit, donec cauſa proprietatis cognita & determinata fuerit. Quocirca ſi non ſatiſdat hoc modo qui victor eſt declaratus, transferenda eſt poſſeſſio in petitorem ſatiſdantem, ita ut alteri incumbat onus probandi.

At neutro ſatiſdante potior habetur is, qui interdicto vicerit, penes poſſeſſorem poſſeſſio remanet, cujus in pari cauſa potior eſt conditio. Duobus verò poſſidentibus, juxta formulam interdicti, unum ab altero cautionem hanc exigere debere jam ſupra docui, ut conſtare poſſit in petitorio judicio, cui incumbat onus probandi quod eſt actoris cautionem denegantis. Eadem cautio jure deſideratur à poſſeſſore, quoties hæreditas petitur, & ſi illa non præſtetur de re conſervanda, in petitorem transfertur poſſeſſio hæreditatis, ut alteri probandi onus incumbat, aut neutro ſatiſdante potior eſt poſſeſ-

Digitized by Google

ſor, *l. 5. ff. De pet. hæred.* Fachinæus *lib. 8. contr. cap. 14.*

18 Supereſt ut videamus, quæ huic interdicto contraria ſint. I. Exceptio præſcriptionis annalis ex quo primum experiundi poteſtas fuit, *l. 1. in princ. ff. h. t.* tempus enim unius anni utilis viſum eſt ſufficere, cum hæc vis tanta non ſit, quanta expulſiva, & reſpectu rei, ad quem nihil pervenit pœnalis ex hoc interdicto actio ſit, quæ etiam anno concluditur. Unde eo lapſo non competet, quia intra tempus conceſſa, poſt tempus cenſentur denegata. Cæterum de turbatione perpetua & continua, ut & de eo quod ad turbatorem pervenit, ſemper poteſt agi. Weſenbec. *ff. h. tit. num. 4.*

19 II. Si probetur agens vi, clam, precario ab altero, id eſt, adverſario poſſidere, ſecundùm verba interdicti, nam taliter poſſidentem nulla æquitas defendit, *d. l. 1. in fin.* atque hæc exceptio non eſt dilatoria, ſed peremptoria, eoque poſt litem demum conteſtatam eſt proponenda Bart. *ad d. l. 1. § fin. num. 4.* Vi poſſidere dicitur qui expulſo vetere poſſeſſore rem occupat. *l. 1. § 28. ff. De vi & vi. armat.* Clam qui furtive poſſeſſionem ingreſſus eſt, domino ignorante à quo controverſiam metuebat, *l. 6. ff. De acq. poſſ.* Precario qui precibus ab alio impetravit, ut poſſidere, aut uti liceret, *l. 2. in fin. ff. De precario.*

20 III. Notorij juris puta dominij exceptio, quæ cum opponi poſſit interdicto unde vi, certè nihil cauſæ eſt, quare huic interdicto retinendæ non rectè objiciatur tam ſecundùm leges, quam Canones, quos *ſupr. Tit. 4.* adduximus. Et ita Alexand. *ad l. 12. § 1. ff. De acq. poſſ. num. 17.* retinendæ interdicto exceptionem dominij opponi poſſe admittit, eaque repelli agentem, quatenus notoriè conſtiterit de dominio, veluti per ſententiam, cum quod eſt permiſſum in eo qui gravius deliquit, uti ſpoliator, non debeat denegari ei qui minus deliquit, uti turbator, qua ratione iſtam Alexandri opinionem defendit Menochius, *d. rem. 3. num. 985.* à quo recedunt citati à Fachinæo, & ipſe quoque *lib. 8. controv. c. 17.*

TITULUS VII.

De Tabulis exhibendis.

1. *Hoc interdictum datur de tabulis teſtamenti, aut alterius ultimæ voluntatis, juſtæ, vel injuſtæ.*
2. *An locum habeat de omni teſtamento perfecto, quam imperfecto?*
3. *An hoc interdictum fuerit neceſſarium cum ſit actio ad exhibendum?*
4. *Non datur de tabulis viventis, ſed defuncti. Quibus detur.*
5. *Et adverſus quos.*
6. *Et ad quid condemnetur qui non exhibuit.*
7. *An hoc interdictum etiam poſt annum detur.*

INterdicta de quibus hactenus, aut prohibitoria 1
ſunt, aut reſtitutoria, aut exhibitoria; conveniens eſt ut agatur de exhibitoriis, inter quæ primum occurrit *Interdictum de tabulis exhibendis*, quod pertinet non tantum ad teſtamenti tabulas; verum ad omnia, quæ cauſam teſtamenti concernunt, ut puta codicillos & cætera, quæ ad ultimas voluntates ſpectant, *l. 1. § 2. ff. h. t.* Ergo de omni ultima voluntate hoc interdictum eſt, neque in eo diſtinguitur utrum juſtæ an injuſtæ ſint tabulæ, plures, an unæ, primæ, an poſtremæ, omnes enim exhibendas eſſe docet Ulpianus in *d. l. 1. § 4.* Exhibere eſt ipſarum tabularum apprehendarum copiam facere, *l. 3. § 8. ff. h. t.*

Sed quæſitum eſt, an de omni teſtamento tam 2
perfecto, quam imperfecto, hoc interdictum detur? Affirmat id Ulpianus *in d. l. 1. § 5.* his verbis: *Itaque dicendum eſt, ad omnem omnino ſcripturam teſtamenti, ſive perfectam, ſive imperfectam interdictum hoc pertinere.* Negat Africanus *in l. 6. ff. ad L. Corn. de falſ.* Ibid. *hoc tamen tunc verum eſt cum perfectum teſtamentum erit: Cæterum ſi non ſignatum fuerit magis eſt, ut S. C. locus non ſit, nec interdictum de tabulis exhibendis locum habet*; quæ ſententia Africani vera eſt, quoniam teſtamentum quod non eſt ſignatum, non tam eſt inutile, quam nullum. Oportet igitur prius eſſe teſtamentum, idque teſtium ſignaturâ perfectum, ut interdicto locus ſit. Quòd etiam non diffitetur Ulpianus, nam quod dicat interdictum ad omnem omnino ſcripturam etiam imperfectam pertinere, intelligit imperfectam ob vitium aliquid civile, ut quia teſtamentum falſum eſt, injuſtum, vel irritum, quod utique abuſivè teſtamentum appellamus, etiam ſi teſtamentum non ſit, quia imperfectum, *lib. 2. § 1. ff. teſtament. quemadmodum aper.* Nihilominus ad hoc interdictum pertinet; non autem ad illud teſtamentum quod imperfectum eſt ob vitium prætorium, id eſt non ſignati teſtamenti, quia quod ſignatum non eſt, jam dixi apertè non eſſe teſtamentum. Quo fit ut non ſoleat Prætor remedia poſſeſſoria concedere, niſi prius conſtet teſtamentum fuiſſe ſignatum, *l. 23. & 29. ff. qui teſtam. fac. l. 2 ſupra de bonor. poſſ. ſecund. tab.* Remedia ſunt interdicta & bonorum poſſeſſiones.

At quid opus erat hoc interdicto, cum alia ſint 3
juris remedia, ut rei vindicatio, & ad exhibendum actio? *l. 3. ff. quemadm. teſt. apar.* quia hoc interdicto tantum agitur de poſſeſſione, ſed rei vindicatione, de domino: Item quia actio ad exhibendum datur contra eum qui fatetur tabulas apud ſe eſſe, ut compellatur eas exhibere. Sed interdictum contra eum qui negat penes ſe eſſe tabulas, *l. 2. § ult. ff. d. t.* Item iſtæ actiones tantum hæredi competunt, ſed

 hoc

Digitized by Google

hoc interdicto plenius conſulitur omnibus, non tantum hæredibus, ſed & legatariis & fideicommiſſariis ut mox dicemus. Denique actione ad exhibendum petimus eas res exhiberi, quæ noſtræ ſunt, quaſque mox ſumus vindicaturi, *l.3.§.15.ff.h.t.* At hoc interdicto petuntur res quæ noſtræ non ſunt, ut tabulæ teſtamenti, in quibus nobis aliquid relictum eſt, quæ non ſunt ſingulorum, ſed univerſorum, quibus aliquid illic adſcriptum eſt, *l. 2. in pr. ff. quemadm. teſtam. aper.*

4 Competit autem hoc interdictum, defuncto teſtatore, qui tabulas reliquit, reliquiſſe enim nihil dicitur, niſi mortuus, *d.l.1.§.pen.ff.h.tit.* Competit verò ut exhibeantur tabulæ teſtamenti apud Prætorem, ut ex auctoritate ejus ſignatores admoniti veniant ad recognoſcenda ſigna, *l.3.§.9.ff.h.tit.* Et exhibendæ quidem iis quibus primis, vel ſecundis tabulis debetur hæreditas. *l. uni. h.t.* ut puta hæredibus. Itemque ſubſtitutis, ſi caſus pupillaris ſubſtitutionis extiterit, ſi impuberes, & in poteſtate patris fuerint inſtituti primo gradu, & deceſſerint intra pubertatem, quæ eſt ſpecies hujus reſcripti. Non movet quod omnibus qui corpora tabularum ſua eſſe dicunt, hoc interdictum non competat, ut non debeat competere hæredibus, *leg.3. ff. quemadmod. teſtam. aper. & l.3.§.5.ff.h.t.* nam illi cum hoc interdicto experiuntur, non agunt de teſtamento tanquam ſuo, ſeu eo, quod ſuum eſſe contendunt, ſed tanquam de eo, in quo aliquid adſcriptum habent, quæ hujus interdicti intentio eſt. Item datur legatariis & aliis quibus quid teſtamento vel codicillis eſt relictum, *d.l.3.§.10.* etiam ſub conditione, adeo ut non debeat legatarius talis cavere reſtituturum ſi quidquid conſecutus fuerit deficiente conditione, quia id in pœnam contumaciæ præſtatur ab eo qui non exhibet, *d.l.3.§.13.ff h.t.*

5 Datur hoc interdictum adverſus eum penes quem ſunt tabulæ, aut qui dolo fecit quo minus penes ſe eſſent: penes eum eſſe intelliguntur qui aut corpore ſuo eas tenet, & habet exhibendi facultatem, vel depoſuit apud alium? dolo deſiit tenere qui aut ſupprimendi animo fecit, quo minus tabulas apud ſe haberet, aut cum ſciret legatum vel hæreditatem peti, ideò tabulas alij tradidit ne ipſo cóveniretur, *d.l.3.§.6.* Et licet hic dicatur eum teneri penes quem ſunt tabulæ, ſciendum eſt non ſimpliciter eum teneri, ſed hac conditione dumtaxat, ſi aut neget ſe exhibere poſſe tabulas, aut dicat ſe exhibere non debere, *l.1.§.1.* quare adverſus inficiantem hoc interdicto agitur, ut convincatur. Nam adverſus confitentem illud non competit, ſed extra ordinem compellitur exhibere.

6 Quod ſi autem hic reus convictus intra tempus præſtitutum, non exhibuerit, condemnatur in id quod actoris intereſt, *d.l.3.* quod adverſus eum qui dolo non reſtituit, æſtimatur quanti in litem ab actore juratum eſt, adverſus eum autem qui non reſtituit culpa, quanti verè res eſt, quæ regula quidem obtinet in reſtitutoriis judiciis, quia judicis arbitrio non paretur, ut videatur etiam habere locum in exhibitoriis, quoniam utraque pariter ex judicis arbitrio dent, *§. præterea, Inſtit. de act.*

Sed quodnam eſt illud tempus præſtitutum? Cujacius Paulum ſecutus *lib.4. ſent. tit.7. §.6.* exiſtimat intra annum & non ultra hoc interdictum reddi poſſe, quaſi anno concludatur, cum tamen & poſt annum competere conſtet *ex l.3.§.pen.ff.h.tit.* Unde & in hac noſtra lege, ſubſtituti filiis impuberibus ad quos his decedentibus hæreditas cœpit pertinere, de exhibendis tabulis interdicto uti poſſe, nulla habita temporis ratione dicuntur. Quod & juris ratione congruit. Nam & in honorariis actionibus, quarum nomine etiam interdicta veniunt, ſic eſſe definiendum Caſſius ait, ut quæ rei perſecutionem habeant, etiam poſt annum darentur, *l. 35. ff. De obl. & act.* Et licet hoc interdictum in ſe perſecutionem rei non contineat, tamen qua parte præparatorium eſt, ejus actionis quo poſtmodum rem perſequi volumus, ad rei perſecutionem quoque ſpectare intelligitur, ut ſic etiam poſt annum detur. 7

TITULUS VIII.

De Liberis exhibendis ſeu deducendis, & de libero homine exhibendo.

1. *Interdictum de liberis exhibendis cui, & adverſus quem detur.*
2. *Quid ſi diſceptetur an filius ſit in poteſtate, aut an filius ſit?*
3. *Si probet ſe eſſe ſui juris, poterit hæreditatem adire, & agere contra poſſidentem res maternas.*
4. *Contra ſi probetur filiusfamil. pater experitur interdicto de liberis deducendis.*
5. *Non excuſat cauſa in hoc interdicto: Limitationes aliquot ea in re.*
6. *Maritus rectè contra ſocerum experitur hoc interdicto, ut uxor exhibeatur.*
7. *De uxore exhibenda interdictum peculiare datur marito, & quis ea de re Judex.*
8. *Interdictum de libero homine exhibendo, cur detur & quos concernat.*
9. *Quibus detur.*
10. *Et cur creditori non detur?*
11. *Adverſus quos detur hoc interdictum?*
12. *Quando ceſſet hoc interdictum?*
13. *An iterum detur illi qui eo egit, & ad quid.*

SEcundum exhibitorium interdictum eſt, *de liberis exhibendis*, quod competit ei qui dicit aliquem ut filium, filiam, nepotem, neptem eſſe ſua in poteſtate, 1

ſtate, *leg. 2. h. t.* continet cauſam quaſi proprietatis, quam ponit jus patriæ poteſtatis, ut matri non competat, ſiquidem non habeat filium in poteſtate. Competit verò adverſus eum apud quem eſſe dicitur qui exhiberi deſideratur, ut non competat adverſus ipſum filium quem quis ducere vult, *l. 3. §. 3. ff. h. tit.* uti nec adverſus eum apud quem filius ſua ſponte manet, *l. ult. ff. eod.* ubi Venulejus rationem addit, quia filius magis apud ſe, quam apud eum eſt, in quem interdicitur; cùm filius liberam facultatem abeundi, vel remanendi habeat, ut non ſit ratio cur in eum interdicatur.

2 Quod ſi autem diſceptetur utrum filius ſit in poteſtate, an non ſit, ceſſat hoc interdictum exhibitionis, & prætoris notio erit hac de re, *d. §. 3.* Liberi qui ſunt in poteſtate, petuntur aut præjudiciis quæ ſunt de ſtatu perſonarum & liberales cauſæ, de quibus majores judices cognoſcunt, aut interdictis, aut cognitione prætoria, *l. 1. §. 2. ff. de rei vind.* cognitio prætoris eſt iis caſibus, quibus Judicem non dat, ut puta ſi filius neget ſe eſſe in poteſtate patris: quod ſi neget ſe eſſe ejus filium, datur præjudicialis actio, ſimilis illi quæ eſt de partu agnoſcendo.

3 Igitur ſi filius non fuerit in poteſtate, non poterit pater hoc interdicto experiri, ut ei exhibeatur, eique deducere filium liceat qui eſt ſui juris. Namque ceſſante patriâ poteſtate filius eſt paterfamil. & ſuo nomine abſque conſenſu patris poteſt rectè convenire & conveniri, atque etiam ſine illius juſſu hæreditatem adire, ut puta de rebus maternis vel materni generis; adeoque ſuper hiſce rebus ſi obtinuit, jure poteſt filius actione judicati eos convenire, qui in ea lite condemnati ſunt, *l. 1. in pr. h. t.*

4 Quod ſi autem filius ſe patremfamil. dicat, pater verò in poteſtate eſſe contendat, & juſſu ſuo hæreditatem maternam adiiſſe dicat, quam filius contra petit, interdicto hoc in eam rem propoſito, de fide intentionis utriuſque quæretur, *d. l. 1. in fin. h. t.* de qua ubi cognitum fuerit, probatumque eſſe filiumfamil. patri ad eum ducendum, dabitur interdictum alterum *de liberis deducendis*, de quo ſecunda pars Tit. loquitur, *& l. pen. ff. h. t.* Itaque prius interdictum, quod eſt de liberis exhibendis, præparatorium eſt hujus interdicti, quo magis enim quis duci poſſit, exhibendus fuit, *l. 3. in pr. ff. h. t.*

5 Atque in hoc interdicto prætor non admittit cauſam, cur apud eum ſit is qui exhiberi debet, ſed omnino reſtituendum putavit ſi in poteſtate eſt: niſi mater ſit quæ filium retineat, apud quam interdum magis quam apud patrem, morari filium debere juſtiſſima facit cauſa, *l. 1. §. 2. & 3. ff. h. t.* Pari modo ſi judicatum ſit non eſſe eum in poteſtate actoris, etſi per injuriam ita ſit judicatum, agenti hoc interdicto objicienda erit exceptio rei judicatæ, *d. l. 1. §. 4.*

6 Danda quoque erit exceptio adverſus interdictum, ſi fortè pater eo contendat filiam ſuam alteri nuptam ſibi exhiberi, potior enim cauſa mariti, qui proinde ſocerum rectè convenire poteſt, ut ſibi liceat uxorem ſuam ducere jure mariti, ſi eam pater retinet, *l. 3. h. tit.* ne benè concordans matrimonium, fortè & liberis ſubnixum, turbetur jure patriæ poteſtatis: nec enim debet pater in filia quam alij nuptum dedit, acerbè exercere patriam poteſtatem, *d. l. 1. §. fin. l. 2. & 11. ſup. de nuptiis.* Hinc obſervandum hoc jure, per filiæ matrimonium non ſolvi patriam poteſtatem, *leg. 2. §. 1. ff. ſol. matr.* quia ſi ſolveretur, perperam daretur exceptio hac in parte, quin etiam dicendum eſſet hoc interdictum fruſtra intentari ab eo qui non habet jus patriæ poteſtatis.

Sed qua actione experietur maritus? extraordinaria quæ competit loco interdicti, ſive ut ait *l. 3.* 7 *h. tit.* interdicto aget. *De exhibenda uxore*, adverſus omnem, qui uxorem ejus invitam retinet, etiam adverſus patrem uxoris de quo *in d. l. 2.* Dico invitam, quia ſi volens abſit uxor, aget contra eam implorando judicis officium, ſive is ſit Eccleſiaſticus, ſive ſecularis. Panormit. & Butr. *ad cap. 11. X. De ſponſal.* Non movet quod in cauſis matrimonij Judex competens ſit Eccleſiaſticus, non ſecularis, *cap. 2. X. De judiciis. Trid. ſeſſ. 24. can. 12. de ſacram. Matr.* quia id verum eſt, ubi de fœdere & jure matrimonij agitur, ſecus ubi de recuperanda uxore, & judicium quaſi poſſeſſorium intendatur; hoc enim æquè per judicem ſecularem exerceri poteſt cum nihil commune habeat poſſeſſio cum proprietate.

Poſt hæc ſequitur interdictum *De libero homine* 8 *exhibendo*, quod etiam eſt exhibitorium, & proponitur tuendæ libertatis cauſa; videlicet ne homines liberi retineantur à quoquam, ut eis ſit facultas abeundi, recedendi, vel remanendi, *l. 1. & 2. ff. h. t. De lib. homine exhib.* pertinet itaque ad omnem hominem liberum, ſive pubes ſit, ſive impubes: ſive maſculus, ſive fœmina, ſive plures: ſive ſui juris ſit, ſive alieni, hoc enim tantum ſpectatur, an ſit liber, *l. 3. §. 1. ff. h. t.*

Competit hoc interdictum omnibus, nemo enim 9 prohibendus eſt libertati favere, *d. l. 3. §. 9.* quomodo patri datur ut filius emancipatus exhibeatur, item matri ut exhibeatur filius, vel filia, *l. 1. h. t.* marito ut ducatur uxor, *l. 3. h. tit.* quæ ad Evodium maritum ſcripta eſt. Denique cuilibet fautori tuendæ libertatis, eſt enim quaſi publicum interdictum quod patet omnibus. Sed ubi plures ſunt qui experiri eo volunt, eligendus eſt à prætore ad quem res maximè pertinet, vel is qui magis eſt idoneus, ex conjunctione, ex fide, & dignitate, *d. l. 3. §. 12.* qui ſuſpectus eſt, removetur, quia per talem actorem magis periclitaretur libertas

At cur creditori non datur hoc interdictum? quia 10

ei

Digitized by Google

ei adverſus debitorem latitantem alia ſuppetunt remedia ex edicto prætoris, puta ut mittatur in poſſeſſionem bonorum debitoris latitantis, *l.ult.§.ult. ff. De homin.lib exhib.* quo nihil poteſt eſſe gravius, quia ſcilicet creditoris peculiariter intereſt, id eſt, agitur de ære ejus.

11 Datur adverſus eum qui liberum hominem detinet invitum, ſcilicet dolo malo, *l.1.in pr.ff.h.t.* quo modo non tenebitur qui habet in poteſtate, quia dolo malo non videtur habere qui jure ſuo utitur, *dict.l.3.§.2.ff.h.t.* quod & dicendum in eo qui filium retinet, quem non habet in poteſtate, nam pietas genuina efficit ſine dolo malo retineri, niſi ſi evidens dolus intercedat.

12 Non tenetur & qui captum ab hoſtibus redemptum retinet, non enim dolo malo facit, *d.l.3.§.4.* quoniam potius in cauſam pignoris cenſetur conſtitutus, quàm in ſervilem conditionem detruſus, *l. 2. C. de poſtlim. reverſ.* quod ſi verè offeratur pretium, interdictum hoc locum habet, ſed & ſi eum remiſerit, pretio non accepto, dicendum eſt interdicto locum fore, ſi poſteaquam ſemel remiſit, velit retinere, *d.l 3.§.3.* Eſt & extra dolum, qui ex probabili cauſa volentem detinet, uti & qui detinet liberum quem bona fide pro ſervo emit; *l. 4. ff. eod.* quod talis non ſit pro certo liber, quo caſu cum dolus abſit, ceſſat hoc interdictum, uti & ſi quis neſcivit apud ſe liberum hominem eſſe.

13 Porrò ubi quis hoc interdicto agit, ſi alius quiſpiam poſtea eodem agere deſideret, palam erit huic non facile dandum, niſi de perfidia prioris aliquid dici poſſit. Itaque cauſa cognita amplius, quam ſemel, interdictum hoc erit movendum. Nam nec in publicis judiciis permittitur amplius agi, poſtquam ſemel actum eſt, quam ſi prævaricationis fuerit damnatus prior accuſator. Quod ſi liberum hominem non exhibeat reus, litis æſtimationem præſtabit, atque ut eam præſtet ſæpius interdicto experiri licebit. Datur & in abſentem, qui ſi non defendatur, in bona ejus eundum Labeo ait, *d.l. 3.in fin.* Eſt autem hoc interdictum perpetuum, quia libertati non præſcribitur; neque etiam illud aufert legis Faviæ executionem. Itaque & hoc interdicto agi poterit, & nihilominus accuſatio legis Faviæ inſtitui, & vice verſa, ut habet *d.l.3.in pr.& Tit.de l. Favia de plagiariis.*

TITULUS IX.

De precario & Salviano interdicto.

1. *Precarium quid, & quid diſtet à donatione & commodato.*
2. *Quid ſi tempus adjectum ſit precario?*
3. *Qui precario poſſidet interdicto uti poſſidetis experitur.*
4. *Cur hoc interdictum competat, quando ceſſet, & cum illo concurrat actio præſcriptis verbis.*
5. *Quis effectus & cur dolus ſolum præſtetur.*
6. *Debet in priſtinam cauſam reſtitui actor.*
7. *Hoc interdictum eſt perpetuum & datur etiam heredi contra heredes ejus qui precario rogavit.*
8. *Habitatio interdicto de precario ab herede repeti poteſt.*
9. *Salvianum interdictum unde appellatum, cui detur & ad quid?*
10. *Quæ res tacito pignori teneantur pro mercede fundi locati.*
11. *Cur hoc interdictum fuerit neceſſarium, cum extaret actio Serviana? Quæ utriuſque differentia & num.13.*
12. *Senſus* l. 1. h. *adverſus quem detur interdictum Salvianum.*
14. *Utile Salvianum omnibus creditoribus datur contra quemlibet extraneum pignoris poſſeſſorem.*
15. *Directum Salvianum datur etiam adverſus colonum partiarum.*
16. *Quid ſi duobus res ſit in ſolidum obligata, aut pro partibus tantum?*

DUo hic proponuntur interdicta reſtitutoria, 1
prius eſt *de precario*, quod à precibus nomen habet, id nempe quod precibus petenti utendum gratuito conceditur, tam diu, quam is qui conceſſit patitur. Quod genus liberalitatis affine eſt commodato & donationi, ſed per repetitionem rei datæ diſtinguitur à donatione, quæ transfert dominium & per conceſſionem ad libitum revocabilem, diſtat à commodato, quod continet conceſſionem uſus, certo fine & modo præſtituto, *l. 1. §. 2. ff. h. t. De precario l. 17. §. 3. ff. commodati.*

Eſt igitur precarium ſpecies liberalitatis, ſed quæ 2
ſtatim & intempeſtivè revocari poteſt, ſi ſtatim is qui conceſſit mutaverit voluntatem, eaque eſt natura precarij: alioqui aliud negotium eſt: ideoque nulla vis eſt hujus conventionis, ut ad certum tempus precario poſſidere liceat, *l. 12. ff. h. t. De precario*, cum non liceat invito domino rem poſſidere. Etenim qui precario rem tenet, non poſſidet ipſe, ſed per eum dominus. Qui fit tamen, ut Ulpianus & Pomponius, ad tempus rogari, & finito tempore precarium renovari, & in longum tempus concedi, & ab eo qui rogavit poſſideri, dicant *in l. 4. §. ult. & l.5. & l. 8. §. 7. ff. d. t.* & Celſus etiam *in d.l. 12.§.1.* ſubjiciat, precarij rogatio ad hæredem ejus qui precario conceſſit, tranſit: ad hæredem autem ejus qui precario rogavit, non tranſit, quippe ipſi dumtaxat, non etiam hæredi ejus conceſſa poſſeſſio eſt. Sed componi poteſt hæc difficultas, hoc modo, ut dicamus ex natura precarij proprium eſſe, certum tempus utendi non præſcribere,

Digitized by Google

ſcribere, aut legem, ut non liceat revocare intra illud tempus : verumtamen & poſſe concedi in longum tempus & breve, ſed non ideo minus in poteſtate dantis repetere cum voluerit.

3 Igitur qui precario rogavit, & à domino impetravit ut ſibi poſſidere liceret, adeo nanciſcitur poſſeſſionem, ut interdicto uti poſſidetis contra quoſcumque turbantes experiri poſſit, *l.1.§.ult.ff. uti poſſ. l.15.§.4. & ff. de prec.* Alias ſi cui nominatim non fuit precario conceſſa poſſeſſio, nullatenus ei acquiritur, uti nec illi cui conceſſum ut precario ad tempus in fundo moretur, *l.6.§.2.ff. De prec.* Hinc fit quod vitioſe poſſidere dicatur, qui precario tenet, inſtar ejus qui vi, aut clam tenet, *l.13.§.1.ff. De acq. poſſ.* reſpectu videlicet precarij auctoris vel quod verius, reſpectu civilis poſſeſſionis, quæ ad uſucapionem requiritur, nam ille qui precario poſſidet, uſucapere non poteſt, *l.10. ſi ſervit. vind. l.11.ff. De diverſ. & temp. praſc.*

4 Meritò autem hoc interdictum de precario, eſt introductum, quia nulla eo nomine ab initio juris civilis actio prodita eſt, quia magis ad beneficij cauſam, quam negotij contracti ſpectat precarij conditio, *l.14.ff. De precario*, competit autem hoc interdictum, ſi nihil cautum eſt de reſtitutione; nam ſi concedendo precarium, cautum fuit de reſtitutione ex ea agetur, *l.15.§.3.ff.d.t.* videtur enim qui ita ſibi cavit, renuntiaſſe auxilio prætoris, & civile elegiſſe. Itemque competit condictio incerti præſcriptis verbis, quæ ex bona fide oritur, potius ex tacito negotio, quam ex geſto & conventione quæ non exprimitur, *l.2.§.1.l.19.§.fin.ff.eod.* Tacita enim hæc conventio in præcario dando ineſt, quod is qui dat utendum, ita dat, ut declaret ſe dominium non transferre, ſed ubi is qui accepit : uſus autem finis fit, cum danti videbitur, quia & dominus manet, & æquum eſt, unumquemque tamdiu liberalitate noſtra uti quamdiu velimus, *l.15.in pr.ff.d.t.*

5 Itaque non tantum interdicto, ſed & præſcriptis verbis actione licet experiri, & utriuſque idem hic eſt finis & effectus, ut qui precario dedit, quando placuerit revocet poſſeſſionem, & rem ab eo qui eam accepit, ſi penes ſe rem habeat, aut dolo habere deſierit, *l.8.§.3.d.tit.* ubi notandum quod culpam non præſtet is qui precario, rogavit: ſed ſolum dolum; quamquam is qui commodatum ſuſcepit, non tantum dolum, ſed etiam culpam præſtet, nec immeritò dolum ſolum præſtat is qui precario accepit, cum totum hoc ex liberalitate deſcendat ejus qui precario conceſſit & ſatis ſi dolus, & culpa dolo proxima præſtetur. At is qui commodato dedit, cum in eo gravetur quod ante uſum finitum non poſſit revocare, ſublevandus ſaltem erat in eo, quod & ad culpam etiam levem agat.

6 Sed cum dicimus dolum & culpam latam in reſtitutionem venire, accipiendum eſt ante interdictum, nam poſt illud ſi quis moram faciat precario, & dolum & culpam, & omnem cauſam debebit præſtare, ne mora obſit concedenti, *d.l.8.§.5.* quod ſi non faciat, in id condemnabitur quod agentis intereſt, ei rem reſtitui, ex eo tempore à quo res petita & interdictum editum eſt. Unde & fructus ex die interdicti editi præſtabuntur quodve ex re natum erit, cumque omni cauſa, *d.l.8.§.4.& l.10.*

7 Cùm enim nonnunquam in longum tempus precarium concedatur, æquum eſt, ut etiam poſt annum hoc interdictum competat, *d.l.8 §.7.* eoque experiatur & is qui precario dedit, & hæres ejus, ad quem precarium tranſit, nam & ab eo is qui rogavit precario habere videretur, *d.l.8.§.2.* Et ita contra accipientem & contra hæredes quoq; ejus hoc interdictum redditur, licet enim precaria poſſeſſio non tranſeat in hæredem ejus qui precario rogavit, quia nullæ ejus preces adhibitæ ſunt, nec convenit beneficium extendi, tamen ipſe hæres convenitur ex perſona defuncti, non ex ſua, ſive rem habeat, ſive deſierit dolo habere : ex dolo autem defuncti, quatenus ad eum pervenit, *d.l.8.§.ult.*

8 Quo pertinet deciſio noſtræ, *l.2.h.t.* cum enim Titius precariam ædium habitationem accepiſſet, paulò poſt deceſſit, ſic ut finitum ſit precarium morte Titij, unde quæſitum an hæredes ejus hoc interdicto teneantur ad reſtituendum habitaculum, & reſcribunt Impp. teneri, nempè ex perſona defuncti, non ex ſua quia hæres in precarium non ſuccedit, ſed finitum eſt morte ejus cui conceſſum; ideo reſtituere debet alienum, in quo nullum jus ei eſt, *leg.11.ff. De diverſ. & temp. praſc.* & ad id cogi poteſt interdicto, quoniam rem habet, & ejus reſtituendi facultatem.

9 Secundùm interdictum eſt *Salvianum*, quod ita appellatum videtur à Salvio Juliano J.C. qui edictum perpetuum juſſu Imperatoris Adriani compoſuit, & prætoriis interdictis hoc adjecit, qua de cauſa in Pandectis in ultimum locum eſt rejectum, ita Jul. Pacius & Cujacius hîc. Hoc interdictum reſtitutorium eſt, & comparatum adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa, daturque locatori adverſus conductorem, eundemque debitorem, de rebus coloni natis in agro conducto, vel nominatim pignori obligatis pro mercedibus fundi, ne defraudetur, *l.1.h.t.§.adipiſcendæ, in fin. Inſtit. De interd.*

10 Res coloni expreſſa conventione, pignoris jure pro mercedibus fundi domino tenentur : Nec enim invecta in prædium ruſticum tacitè pignori eſſe videntur, ſed ea tantùm quæ ibi nata ſunt, quales ſunt fructus fundi, & hoc domino fundi ſive locatori ſufficere debet, *l.5.6.7.ff. in quib. cauſ. pign.* At invecta & illata in prædium urbanum tacitè pignori, pro mercede fundi locati, obligata ſunt, cujus rei rationem ſupra attigimus, *Tit. De locato. num. 33.*

Digitized by Google

11 Verum in rebus novis conſtituendis, cum magna utilitas eſſe debeat, videamus cur hoc interdictum fuerit neceſſarium, cum extaret actio Serviana, ut ex rebus invectis in fundum à colono poſſit locatori ſatisfieri, §. *item Serviana, Inſt. de act.* Advertendum hîc eſt, apud veteres frequentiſſimum fuiſſe uſum locationis agrorum, & ideo ut penſio ſalva eſſet, locator obligari ſibi curabat res coloni, & potiſſimum quæ in fundum inductæ & illatæ fuerant, *l.4.ff.d.t.in quib.cauſ.pign.* quia vero actio quæ ſuper jure pignoris nitebatur in magnas difficultates non raro conjiciebat creditorem, quia inprimis ea obtinere non poterat, niſi probando rem tempore obligationis fuiſſe in dominio oppignorantis, *l. 15. §. 1. ff. De pignor.* quod quidem dominium non raro in dubium revocabatur, ab eo ad quem res hujuſmodi pervenerant; Ad hæc ergo incommoda tollenda, quæ cum frequentiſſima eſſent & reipublic noxia, ideo Salvianum inventum, quo interdicto cautum eſſet locatori, eique ſatis eſſet ſimpliciter probare rem à debitore fuiſſe poſſeſſam eamq; ut ſibi hypothecatam facile conſequeretur.

12 Igitur cùm hoc interdicto Gordianus Imp *in h.t. l.1.* conſulere voluerit locatori, non debet aliis prodeſſe, de quibus non facit mentionem; Præterea cum locator perſequatur poſſeſſionem rerum, quæ ei pro mercede pignori obligatæ ſunt adverſus conductorem eundemque debitorem; non eſt ratio, ut etiam adverſus extraneum rei poſſeſſorem experiatur hoc interdicto. Sed Serviana actione, vel quæ ad exemplum ejus inſtituitur. Nam quid quæſo, operaretur dictio iſta taxativa *tantummodò, adverſus conductorem, debitoremve*, ſi idem eſſet in quocumque rerum obligatarum poſſeſſore? Senſus itaque noſtræ legis eſt, quod ſi debitor qui locatori aliqua oppignoravit, ea poſteà alicui tertio vendiderit, Salvianum adverſus ſolum conductorem, qui debitor eſt, ſed actio Serviana contra tertium illum emptorem detur.

Quæ differentia Salviani & Servianæ, hæc *dict.*
13 *l.1.* colligitur, itemque ratio differentiæ, hæc nimirùm, quod Serviana ſit actio in rem, & vindicet poſſeſſionem à quolibet poſſeſſore; Interdictum autem Salvianum ſit in perſonam conceptum, adverſus conductorem ipſum, adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa, ut reſtituatur.

Nec adverſatur *l.1.§.1.ff. h.t. De Salviano interdict.*
14 ubi Julianus adverſus extraneum in quem pignus eſt tranſlatum, Salvianum dari ſcribit: quia de utili loquitur, quod utilitatis cauſa ad exemplum directi interdicti redditur, Manet igitur verum, directum Salvianum competere ſolum locatori ruſtici prædij, non etiam prædij urbani contra conductorem, qui debitor eſt, quia ſi debitor non eſſet, non foret opus iſto interdicto. Utile verò etiam locatori prædij urbani, contra inquilinum competere conſtat, pro rebus invectis & illatis, pignorique obligatis; pro penſione domus locatæ. Placuit etiam utile dari creditori cuilibet, non tantùm contra debitorem, qui ex qualibet cauſa rem obligavit, ſed ut dixi, adverſus quemlibet extraneum poſſeſſorem rerum debitoris pignori obligatarum, *d. l.1.ff. & l.1. Cod. h. tit.* ibi Accurſ. Donellus, Gyphanius, Menoch. *rem. 3. adipiſc. n. 23.* Cujacius *lib.5. obſ. cap.24.* Diſſentit Fachinæus *lib.8. contr. cap. 92.*

Planè puto veriſſimum eſſe etiam adverſus par- 15
tiarium colonum directum Salvianum dari, cùm in dictis textibus nulla inter colonos conſtituatur differentia. Et licet partiarius colonus, magis cum locatore ſocius ſit, propterea quod lucrum & damnum cum illo partitur, *l.25.§.6.ff. locati*, non ideò tamen colonus eſſe deſinit, ſiquidem domino fundi tertiam vel dimidiam fructuum partem pro mercede annuâ præſtat, de quâ ut certior ſit dominus, jure habet ejus bona tacito pignori ſibi obligata.

Cæterùm ſi duobus vel pluribus eadem res in ſo- 16
lidum obligata ſit pignoris nomine, Salviano interdicto agere poſſunt omnes, adverſus extraneum & poſſeſſionem ejus rei avocare: Sed in caſu, quo inter duos locatores diſceptatur, potior eſt conditio poſſeſſoris; ſi verò inter eos convenerit, ut pro partibus tantum res obligata ſit, non erit locus Salviano, ſed uterque dominus inter ſe pro ſuis partibus agere poteſt, actione Serviana, *l. 1. §.1. ff. h. tit. De Salviano.* Quia in Serviana de jure quæritur, jus autem pignoris de quo agitur intellectu dividi poteſt, & cuique domino pro ſua parte adjudicari: In Salviano autem interdicto de ſolida poſſeſſione agitur, non quæſito partium jure, cujus cum ſit par cauſa, melior eſt futura occupantis conditio, quia poſſeſſio, res facti eſt, quæ unius rei individua eſt, ut vel nulla ex parte, vel in ſolidum habenda ſit, *d. l.1. §. 1. & l. 2. ff. d. t. l. 10. ff. De pignorib.* Cujacius *d. loco.*

TITULUS X.

De Ædificiis privatis.

1. *Continuatio, & an quis cogatur novas ædes ædificare, aut collapſas reficere.*
2. *Quam is formam ſervare debet in ædificando tam juxta publica, quàm privata ædificia.*
3. *Quod ſpatium inter ædificia ſit relinquendum, & nihil auferendum de proſpectu maris, aut de platea publica.*
4. *Forma in extruendis balneis & concamerandis ædificiis. Et quod camerationes ſint firmiores.*
5. *Quæ forma ſervanda in conſtruendis mænianis. Quæ illa ſint?*
6. *Muris fundos cingere licet, non tamen ad æmulationem alterius.*

7. De-

7. *Deſtruere quis domum ſuam non poteſt, ornatum tamen domus, ad aliam ſuam domum transferre poteſt.*
8. *Legatum, aut venditio materiæ ædibus detractæ, an valeat?*
9. *An maritus ea quæ ad ornatum rei dotalis aſtruxerit, poſſit detrahere.*
10. *Magiſtratus curare debet ut reſtituantur ædificia collapſa.*
11. *An liceat privato hortum facere in eo ſolo, in quo fuit domus ruinam paſſa?*
12. *Quid ſi domus communis refectione egeat, & unus ſociorum interpellatus detrectet impenſas conferre in refectionem, quomodo conſulatur reficienti?*
13. *Quid ſi non ut ſocius ædificium refecit, ſed ut in ſolidum uſurparet?*

1 Rectè in hac juris parte, quæ eſt de interdictis, tractatur *De ædificiis privatis*, de quibus comparata ſunt varia interdicta, veluti de novi operis nuntiatione, de damno infecto, quod vi aut clam, de cloacis, de operibus & locis publicis, quorum quædam ſunt reſtitutoria; alia prohibitoria. Hoc autem Titul. agitur de forma & modo privatorum ædificiorum, atque de iis conſtruendis, reficiendis, demoliendis, vel non diruendis, aut transferendis.

Primò itaque videndum, an quis cogatur novas ædes conſtruere, aut dirutas reparare? Imperatores hic diſtinguunt inter incolas civitatis & curiales, ut incolæ, & municipes cujuſcumque civitatis ad antiquarum ſuarum ædium reparationem, non ad novarum conſtructionem teneantur: At verò curiales etiam inviti non ſolum domos vetuſtate collapſas reparare coguntur, ſed & de novo ſibi ædificare, ſi domibus careant. *l. 8. h. t.* quas proprias habere maximè convenit, propter perpetua onera, quæ circa curiam civitatis ſubeunt.

2 Porrò qui proprias domos renovare, aut novas ædificare cupiunt, veterem ædificandi modum non excedent, aut lumen vel proſpectum vicinis auferent; niſi eis illud liceat ex pacto vel ſtipulatione, nam ſervanda eſt conventio, ſi placuerit vicinis, ut luminibus vel proſpectui ipſorum officere liceat, *l. 13. in pr. h. t.* Alias ſi qui contra ſervitutem debitam ædificaverint, in vicinorum fraudem, novum opus ſuis ſumptibus tollere debent, *l. 5. & 9. ſup. De ſervit.* Et novum opus nuntiari poteſt ſi quid fiat contra modum ædificiorum, *l. 1. §. 16. ff. De novi oper. nunt.* Modus autem hic eſt, ut in ædificando juxta publicas ædes, intermittatur ſpatium xv. pedum, *l. 9. h. t.* inter vicinorum ædes xii. *l. 12. §. 2. h. tit.* ut tali intervallo & publicæ ædes vindicentur à periculo incendij, & privatus ædificator, velut perperam fabricato loco, deſtructionis quandoque futuræ non timeat detrimentum, *d. l. 9.*

Qui autem hoc in poſterum obſervaverit, per- 3
miſſum ei eſt ex Conſtitutione Zenonis *in d. l. 12. §. 2.* in quamcumque voluerit altitudinem domum tollere, & feneſtras fabricare, tam proſpectivas, quam luciferas; ſic tamen ut vicino gratiſſimum in mare proſpectum quem habet, ne auferat: Quod ſi verò auferre voluerit, neceſſe eſt 100. pedum ſpatium relinquat, niſi proſpectus ſit ex culinis, vel latrinis, quia tunc ſufficiunt 12. pedes, *d. l. 12. §. 4.* niſi hac in re ſervitutis jure aliud ſit conſtitutum. Planè ſi inter ædes antiquas & vicinas interjectus ſit angiportus, aut platea latior 12. pedibus, non licet ædificanti, hujus angiportûs vel plateæ partem auferre, & tantum 12. pedes intermittere inter ſuas & vicini ædes. Hæc & plura alia quæ ſola lectione indigent & continentur in dicta Zenonis Conſtitutione, obſervari vult Juſtinianus, non modo in urbe regia, verum etiam in provincialibus urbibus, *l. 13. h. tit.* cujus etiam mentionem facit *in Novell. 61.* ubi prohibet extructionem parietis temporarij, quem quidam erigebant in fraudem vicinorum, ut eis auferrent directum maris proſpectum, quaſi obtento velo, & intermiſſo quidem ſpatio centum pedum, ſed interea poſtea ædificium extruebant.

Cavendum igitur ne in fraudem vicinorum, ædi- 4
ficium extruatur, vel extollatur ultra uſitatum altitudinis modum, qui olim ex L. Julia fuit 70. pedum, auctore Strabone, & ex conſtitutione Trajani eſt 60. pedum, nam altiora ædificia facile ruinam patiuntur, & vicinis graviſſimum damnum adferunt caſu ſuo. Ideo Principes altitudinem ædificiorum cohibuerunt, qua de re Tacitus & Suetonius, & alij obſervante Briſſonio *lib. 1. c. 1.* Eo pertinet. *l. 1. h. t.* quæ & balneum extruere, & ædificium ei ſuperponere unicuiq; in ſuo ſolo licere ait, dummodo formam ſervet, qua cæteris ſuper balneum ædificare permittitur, id eſt, ut illud concameret, ſtructili opere, quo ædificium, & firmius & tutius ſit ab incendiis, & modum uſitatum ædificandi non excedat. Nota concamerationes eſſe firmiores & diuturniores, quam ſint contignationes, aut coaſſationes, quæ plano pede fiunt, & operis ſuſpenſione ipſa, concamerationes ſuperiores minus onerant inferiora ædificia, & inferiores oneri ferendo aptiores ſunt, ut Vitruvius dicit *lib. 6. cap. ultim.*

Planè & mœniana licitè extruuntur, ſi invicem 5
oppoſita habeant inter ſe ſpatium 10. pedum liberi aëris, *l. 11. h. t.* & ſi oppoſita ſint publicis ædificiis, ab iis diſtent 15. pedes, atque in illis conſtruendis ſervetur forma eorum quæ vocantur Romanenſia, *in d. l. 12. §. 5. h. t.* ne videlicet fiant ex ſolis lignis, aut tabulis, neque imponantur columnis, aut parietibus rectis, neque ſcalæ in plateis ponantur,

Digitized by Google

quibus aſcendatur ad mœniana; ſed omnino aër liber maneat & via non coanguſtetur; Ideoque ſi via, vel angiportus non ſit latior decem pedibus, à neutra parte fieri conceditur. Et ſi contra hanc formam mœniana fuerint extructa deſtruentur, & inſuper ædificij dominus 10. libris auri mulctatur, architectus tantundem præſtat, & artifex qui ſi inopia laboret, fuſtibus cæditur, & in exilium mittitur, *d.* §. 5. ſunt autem mœniana, vel ſolaria, quæ tignis extra murum projectis, tabuliſq; ſuperpoſitis inædificantur ſupra publicum, ut inde liceat ſpectare. Suggrundia verò ſunt tecti partes prominentiores, ex quibus imbrices aquam & ſtillicidium in impluvium remittunt, *l.* 242. §. 1. *ff. De Verb. Signif.*

6 Præterea licet cuique ſui fundi loca, murali ambitu vallare, & includere, propter crebras hoſtium & prædonum incurſiones, *l.* 10. *h. t.* Nam privato opus novum etiam ſine Principis auctoritate facere licet, niſi id faciat ad æmulationem, vel injuriam alterius, *l.* 3. *ff. De oper. publ.* quod variis modis ſolet accidere quos refert Gail. *lib.* 1. *obſ.* 69. Intereſt tamen reipubl. ne quilibet villam ſuam, aut vicum foſſa, aut forti muro propria auctoritate muniat, quoniam illud tantum toparchis & dominis caſtrorum licet. Planè cuique Principi aut libero populo licet ſe munire in finibus territorij, contra vicinos alterius territorij. Simancas *de rei publ. lib.* 8. *c.* 14.

7 Hactenus de extruendis ædificiis, nunc de non diruendis aut transferendis, ſed de iis conſervandis videamus. Et quamvis jure naturali & civili rei ſuæ quiſque ſit moderator & arbiter, *l.* 21. *ſup. mandati*, tamen hoc temperatur etiam circa ædificia, quippe quæ non licet dominis deſtruere, neque marmora, aut columnas ex ipſis ædificiis detrahere negotiandi cauſa, *l.* 2. *h. tit.* multo minus ea è civitate ad rura transferre. Intereſt enim Reipub. publicum civitatis aſpectum ruinis non deformari. Quod ita cautum edicto Divi Veſpaſiani, & Senatuſconſulto; de quo Cujac. *lib.* 16. 5. *obſ. cap.* 26. Cæterùm de civitate una in aliam, de domo in aliam transferre quędam licere exceptum eſt, dummodo, ſtatuæ & columnæ quæ transferuntur, ſumantur ex parietibus labentibus, & in alia ejuſdem domini poſſeſſione reponantur, quoniam utrobique hæc eſſe publicum decus eſt, *l.* 6. *h. t.* cui non adverſatur *l.* 7. *C. eod.* quæ non loquitur de rudi & infecta materia, ut quidam putant, ſed de columnis ipſis integris & ſtatuis, quas nemo transferre vel auferre poteſt, ex eadem provincia; excipe, ut dixi, niſi forte dominus ædificij de domo ſua in aliam æque ſuam, ornamenta iſta transferre velit, quod ei permiſſum eſt, *d. l.* 6. dummodo non admiſceatur alia materia ex illius civitatis ædificiis ſumpta.

8 Huc pertinet quod ea quæ ædibus juncta fixaque ſunt, legari non poſſint, adeo ut non convaleſcat legatum, ſi poſtea ſeparata fuerint, propter regulam Catonianam, quæ non vult ex poſtfacto ea convaleſcere, quæ ab initio non valuerunt: niſi relicta fuerint ſub conditione, *l.* 41. *in princ. &* §. 1. *&* 2. *ff. De leg.* Nam ſi exiſtentis conditionis tempore res noſtra eſſe deſierit, vel ædibus juncta non ſit, utile erit legatum, ſicut & ſtipulatio & emptio. *l.* 98. *ff. De verb. obligat.* Alias tantum abeſt ut ſubſiſtat emptio domus negotiandi cauſa, ut emptor & venditor ſinguli pretium, quo domus vel ejus pars diſtracta eſt, fiſco inferre cogantur; cui ſi emptor jam duplum ſolvit, ſimplum repetet à venditore, *l.* 52. *De contr. empt. l. ult. ff. De damno infecto.*

Nec prædictis obſtat, *l.* 45. *ff. De donat. inter virum & uxorem*, 9 cujus ſpecies fuſius repetitur in *l.* 43. §. 1. *ff. De leg.* 1. ubi maritus ſumptu ſuo æſtivam domum ædificaverat in uxoris hortis, quos in dotem acceperat; certum eſt illam domunculam ſolo cedere, ac proinde donatam mulieri videri, nec poſſe revocari: Interim permittitur marito ea detrahere quæ uſui ejus futura ſint, modo id faciat ſine incommodo principalis ædificij & damno ipſius mulieris: & recte, nec eſt quod maritus metuere debeat S. C. quod detrahentibus negotiationis cauſa occurrit, cum ipſe non lucri cauſa, ſed uſus ſui gratia quædam ad ornatum & otioſum domus cultum detraxerit, illæſa re dotali, & ideo legare eum ornatum alteri potuit, *d.* §. 1.

Cùm itaque juris ratio, non deformandi ruinis 10 urbem publica ſit, poterunt Magiſtratus inſpectis ædificiis, dominos eorum cauſa cognita compellere, ea reficere, detrectantem competenti remedio cogere, ſive poſſeſſores curiales ſint ſive non, *l.* 8. *h. tit.* de qua ſupra. Hinc probanda videtur conſuetudo civitatis, quæ permittit collapſis ædificiis areas vendere, ædificare volentibus, is enim venditionis finis ut ædificetur. Sic Veſpaſianus, ut refert Suetonius, privatis ædificare volentibus conceſſit areas vacuas occupare.

An ergo non licebit privato ex ruina domus, hor- 11 tum facere? Et hoc an ei licere debeat Præſes provinciæ cauſa cognita æſtimabit, & ante omnia diſpiciet an caſu domus corruerit, & an conveniat eandem ædificij faciem in civitate reſtituere, aut in hortum convertere, & quid in eodem controverſiæ genere frequenter in oppido obſervatum fuerit, denique iis probatis exquiret Magiſtratuum municipalium & vicinorum conſenſum, *l.* 3. *h. t.* Nam vicinorum plerumq; intereſt ædes vicinas reſtitui, quoniam eis forte debetur ſervitus oneris ferendi, is enim, cujus ſunt ædes quæ ſerviunt, debet columnam & parietem reſtituere, qui onus vicinarum ædium ferat, *l.* 33. *ff. De ſervit. urban.*

Planè prædicta ratio, publicum civitatis aſpe- 12 ctum conſervandi, obtinet etiam in ædificio communi,

Digitized by Google

muni, ad cujus proinde refectionem tenentur plures domini pro parte dominij: Quod ſi unus interpellatus detrectet pro parte ſua impenſas ad refectionem neceſſarias conferre, alter poteſt de ſuo reficere, & niſi ſocius ædificio jam perfecto, pro ſua portione impenſas cum uſuris centeſimis, intra quatuor menſes reſtituat, jus dominij pro ſolido ſibi vindicare poterit, in eo ædificio, vel illud retinere, quouſque recuperet impenſas, ſi eas malit, *l.4.h.t.* poteſt quoque hoc remedio omiſſo cum ſocij ſint, pro ſocio actione petere quod ſua intereſt, *l. 52. §. idem reſpondit, ff. pro ſocio,* aut actione communi dividundo agere, *l.32.ff. De damno infecto,* aut interdicto uti poſſidetis experiri, *l.12.ff. com.divid.* Addit Molinæus *in tract. De uſur. num. 57.* caſum hunc centeſimæ cum pœna commiſſionis dominij, hodie in foro amplius non frequentari, quod tamen non ubique receptum exiſtimo. Hinc etiam proſpectum eſt Reipublicæ, quæ domum ſumptu publico extruxit, ut ſi dominus domus intra tempus conſtitutum pecuniam impenſam cum uſuris reſtituere noluerit, jure eam domum Reſpublica diſtrahit, *l. 46. §.1. ff. De damno infecto.*

13 Ceterùm ſi quis non ut ſocius vel collega, communis operis ſollicitudine, in eo ædificio balneum ſuis ſumptibus extruxerit, ea mente ut ſumptuum partem non reciperet, ſed ut totius loci dominium uſucaperet, & poſtea collapſum balneum proprio nomine refabricare eniſus eſt, cum inprobe id fecerit, ne quidem impenſas reperet, *l. 5. h. t.* cum illæ non debeantur malæ fidei poſſeſſori, qui ſciens prudenſque in alieno ſolo vel communi ædificat, domino, vel ſocio prius non admonito: Ædificium enim cedit ſolo, adeo ut materiam vindicare non poſſit, licet dirutum ſit ædificium. Nam ſcienti alienum ſolum eſſe, vel commune, objici poteſt culpa, quod temere ædificaverit in eo ſolo, quod intelligebat alienum eſſe, *Inſtit. de rer. diviſ. §. ex diverſo.* Sed quod dictum eſt huic mala fide reficienti impenſas non reſtitui, diſtinctionem quandam recipit, de qua egimus *ſup. De rei vind. num. 20. & ſeqq.*

TITULUS XI.

De novi operis nuntiatione,

1. *Continuatio, & quis novum opus facere dicatur.*
2. *Edictum de novi operis nuntiatione, ad quæ ædificia pertineat, & adverſus quæ competat.*
3. *Quæ perſonæ novum opus nuntiare poſſint, & quid de uſufructuario?*
4. *An is qui ſervitutem habet, poſſit opus nuntiare?*
5. *An pupillo danda ſit novi operis nuntiationis executio?*
6. *Item adulto habenti curatorem,*
7. *Servo aut mulieri.*
8. *Quibus perſonis nuntiare novum opus poteſt. Quid ſi plurium res ſit?*
9. *An ſocio rectè nunciare poſſit?*
10. *Nuntiatio in re præſenti fieri debet in loco operis.*
11. *Quot ſint ſpecies novi operis nuntiationis, & quæ potior?*
12. *Quo tempore fieri poſſit nunciatio?*
13. *Effectus nunciationis novi operis, intermitti opus, poſteaque ædificatum demoliendum.*
14. *Lis de operis nuntiatione intra tres menſes finienda; quid ſi id fieri non poſſit? & quid hodie?*
15. *Nuntiatio ſimplex poſſeſſionem transfert, quænam hujus rei ſit ratio?*
16. *Ædificans poſt nunciationem cogitur ædificium demoliri.*
17. *An ſi appareat notoriè injuſta nunciatio, prohibitus rectè pergat ædificare?*
18. *An poſſit nuntians propria auctoritate ædificium deſtruere?*
19. *Nuntiatio tollitur remiſſione, quæ tripliciter fit.*
20. *Nuntiatio olim anno tollebatur, hodie nequaquam.*
21. *Item morte nunciantis, non ejus cui nuntiatum eſt: & quæ ratio illius?*
22. *Denique remiſſa cenſetur nuntiatio, ſi actor non jurat de calumnia.*

HUnc Tit. cum priore aliqui conjungunt, quia 1
ad ædifitia privata pertinet *Novi operis nuntiatio*, quæ nihil aliud eſt, quam ſolemnis quædam prohibitio vicino facta, ne in opere inchoato pergat, donec de jure ædificationis conſtet. Utile itaque hoc interdictum, ſive intra ſive extra oppida novum opus fiat; Novum autem opus facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, priſtinam faciem operis mutat in damnum vicini. *l. 1. §.11. ff. h. tit.* quomodo ædificium vetus fulcienti, non eſt quod nuntietur, cum hic non opus novum faciat, ſed veteri ſuſtinendo remedium adhibeat, §. 13.

Unde hoc edictum prohibitorium, ut omnia 2
opera complectitur; ſed ea tantum quæ ſolo conjuncta ſunt, quorum ædificatio, vel demolitio videtur opus novum continere, idcirco placuit, ſi quis meſſem faciat, arboremve ſuccidat, vineam putet, quamquam opus faciat; tamen ad hoc edictũ non pertinere, quia ad ea opera quæ in ſolo fiunt, pertinet §. 12. Præterea tantum indictum eſt adverſus futura opera impedienda, non adverſus præterita, hoc eſt, adverſus ea quæ nondum facta ſunt, ne fiant: nam ſi quid operis fuerit factum, quod fieri non debuit, ceſſat hoc edictum, & ad interdictum quod vi aut clam recurritur, quo reſtituitur ſi quid illicite factum ſit, *d. l.1. §.1.*

Porrò juris noſtri conſervandi, aut damni depel- 3
lendi

lendi cauſa, opus novum nuntiare poteſt is, ad quem res pertinet, *d. l.* 1. §. *pen.* Igitur bonæ fidei poſſeſſor, ad quem etiam res pertinere videtur, *l.* 181. *ff. de verb. ſign.* & is qui jus ſervitutis, aut illius detentionem habet aut pignoratum prædium, nuntiare poterit, quia illis dantur actiones utiles, *l.* 9. §. *h. t.* Item ſi in publico aliquid fiat, omnes cives opus novum nuntiare poſſunt, propterea quod interſit reipubl. ſuæ cauſæ defenſionem quam plurimis patere; & quia ipſorum quoque civium ſingulorum intereſt, ne quid detrimenti reſpublica capiat, *l.* 3. *in fin.* & *l.* 4. *ff. h. t.* Nuntiat & ſuperficiarius, *d. l.* 3. §. 3.

Item uſufructuarius, non tam ſuo, quam procuratorio nomine, *d. l.* 1. §. *ult.* Non obſtat *l. un.* §. 4. *ff. De remiſſ.* ubi Julianus ait fructuario vindicandarum ſervitutum jus eſſe, ſecundùm quod opus novum nuntiare poterit vicino, & remiſſio utilis erit. Nam Cujacio placuit illic Juliani ſententiam referri, non etiam probari ab Ulpiano, *lib.* 1. *obſ.* 16. quæ interpretatio ſi violenta videatur, poteſt *d.* §. 4. commode accipi de uſufructuario, qui tanquam procurator proprietarij, in rem tamen ſuam, novum opus nunciat. Verum & procurator, & qui alieno nomine nunciat, neceſſe habet ſatisdare rem ratam dominum habiturum, *l.* 5. §. 18. & *l.* 13. *ff. h. t.* & ſi de mandato conſtet. Poteſt & nuntiare novum opus, non ſolum vicinus proximus, ſed inferior ſuperioribus facientibus novum. Nam & ſervitutes quædam intervenientibus mediis locis vel publicis, vel privatis eſſe poſſunt, *l.* 8. *d. t.*

4 Sed videamus an indiſtincte verum ſit, opus novum nuntiare poſſe qui ſervitutem habet? Affirmat Ulpian. *in l. un. ff. De remiſſionib.* verba ſunt: *Jus habet opus novum nuntiandi, qui aut dominium, aut ſervitutem habet.* Itemque *in l.* 6. §. *fin. ff. ſi ſervit. vind.* Eum qui ſervitutem habet, eam vindicare poſſe, ſi in exercitio ſervitutis impediatur, aut opus novum nuntiare poſſe ait. Interpretes hic diſtinguunt inter urbanam & ruſticam, ita ut is novum opus nuntiare poſſit, cui debetur ſervitus à prædio urbano, non item cui debetur à ruſtico, *per l.* 14. *ff. h. tit.* quæ de ſervitute ruſtica loquitur. Duarenus hanc diſtinctionis rationem reddit, *l.* 2. *diſp. c.* 17. quod ædificatio in via minus incommodi adferre ſoleat, quam opus contra ſervitutem urbanam factum, quia hæc opera ſemper nocent, ædificatio in via, iter non uſquequaque impedit, cum per alium locum iter fieri poſſit. Sed hæc ratio non ſemper in via eſt perpetua, quandoquidem locus aliquando ita anguſtus reperitur, ut per aliam partem iri non poſſit, quo caſu ædificium non minus viam impediet, quam ſervitutem urbanam, *l.* 5. §. 9. *ff. h. t.* Ut non videatur admittenda diſtinctio inter ſervitutem ruſticam & urbanam, cum utique officiatur ædificando, *l.* 8. & 9. *ff. h. t.* & *d. l.* 6. §. *fin. ff. ſi ſervit. vind.* Non obſtat *d. l.* 14. quia nihil aliud vult, quam non eſſe locum nuntiationi, niſi actor docuerit de jure ſuo, cum non poſſit fieri nuntiatio ei qui in fraudem quid agit, niſi conſtet alterius detrimentum. Itaque prius conſtare debet ſervitutem competere, ideoque primo agendum confeſſoria. Cujac. *lib.* 1. *obſerv. cap.* 17. & Coraſius *l.* 5. *Miſcel. cap. ult.*

5 Arcetur à denuntiatione ille de quo apertè conſtat jus non habere, vel inhabilem eſſe ad nuntiandum. Unde pupillo non eſſe novi operis nuntiationis executionem dandam ſcribit Ulpian. niſi ad ipſius privatum commodum res pertineat, veluti ſi luminibus ejus officiatur, aut proſpectui obſit: non aliter autem pupilli rata habebitur nuntiatio, quam intercedente tutore auctore: propterea quod aliquando exiſtere poſſit damnoſa, *l.* 5. *in princ. ff. hoc tit.* Quid enim ſi cauſa denuntiationis fuerit minus juſta, poteſt conveniri pupillus actione in factum ad intereſſe, ac ſi aliquod grave damnum incurrat, id evitabit accedente tutoris auctoritate.

6 De adulto quæſitum eſt? & obtinuit majorem 17. annis nuntiare poſſe, *gloſſ. l.* 3. *verb. executionem,* cum ea ætate poſtulare poſſit, & contrahere, reſque ſuas adminiſtrare, niſi tamen curatorem habeat, ſine quo ut non habet adminiſtrationem bonorum, ita nec denuntiationis executionem, tum quia novi operis nunciatio eſt pars adminiſtrationis bonorum quæ ad ſolum curatorem ſpectat, tum quia ſine curatore minor ſe obligare non poteſt, *l.* 3. *Cod. De reſtit. in integr.* obligaretur autem ex nuntiatione ad intereſſe ſi injuſta fuerit, ut dixi de pupillo, cui ſimilis eſt minor curatorem habens.

7 Servi nuntiationem, inutilem eſſe docet dicto loco Ulpianus §. 1. quem ita intelligi gloſſa in cauſa publica, ſecus in privata *per l.* 3. *in pr. ff. quod vi aut clam.* Sed rectius accipitur de interdicto quod vi, aut clam, de quo agit iſta lex. Similiter mulier ubi agitur de nuntiatione operis facti in publico, non nuntiat, niſi ſingulariter illius interſit, exemplo pupillaris actionis, quæ tantum eo caſu illi conceditur uti & pupillo, *l.* 6. *ff. De pupil. actio.*

8 Cùm de perſonis quibus nunciari poteſt quæritur, ſtatuendum primum eſt, nuntiationem in rem fieri, non in perſonam: proinde ea fieri poteſt furioſo, infanti, ut nec tutoris auctoritas exigatur in ea nuntiatione, *l.* 10. *ff. h. t.* Et ideo cuilibet intelligenti, ſcilicet in re exiſtenti veluti ſervo, mulieri, puero, fabro nuntiatio facta tenet, *l.* 11. *ff. eod.* modo idoneè & bona fide ſit facta. Quod ſi plurium res ſit in qua opus novum fiat, ſi uni nuntietur, recte nuntiatum videtur, & omnibus cenſetur facta nuntiatio: ſed ſi unus ædificaverit poſt nuntiationem, alij qui non ædificaverint non tenebuntur; contra ſi communi rei plurium noceat opus novum, omnes nuntiare debent, nec unius nuntiatio ſufficit, *l.* 5. §. 5. & *l.* 18. *ff. h. t.*

Quæri-

Digitized by Google

9 Quæritur an ſocio rectè nuntiari poſſit? Et definitum eſt non poſſe *in l. 3. verſ. planè ff. h. t.* ubi *ſi unus noſtrûm in communi loco faciat, non poſſum ego ſocius novum opus ei nuntiare; ſed eum prohibebo communi dividundo judicio.* Cujus ratio eſt manifeſta, quod in re ſua ædificare nemo prohibeatur, niſi in vicinum aliquid immittat, aut ei nociturus ſit, jam vero res ædificanti cum alio communis, eſt ædificantis ipſius, *l. 7. ff. De leg. 1.* ut non poſſit ipſi prohiberi per nuntiationem ædificare in ſuo. Quod ſi vero temere ædificet, proditum eſt judicium communi dividundo, quo ſocius conſequitur ne opus fiat, *l. 26. ff. De ſerv. urb.* Et ſi hoc judicium non ſatis expeditum putet, per prætorem poterit inhibere, cui ſi non pareat ædificans opus, nuntiationis exemplo ſuis ſumptibus demoliri tenebitur, *d. l. 3. §. 2. verb. præterea & l. 28. ff. com. divid.* Hinc alij differentiam conſtituunt inter verbalem & prætoriam nuntiationem, quod illa facta à ſocio in re communi ſit inſufficiens, hæc verò ſubſiſtat: & ratio hæc eſt, quod verbalis nuntiatio requirat rem diſtinctam, cum fiat in rem adverſarij, diſtincta autem hoc caſu res non eſt, prætoria non item, quomodo ſatis eſt quod prætor qui tuetur jura ſociorum, prohibeat ne ſocius in re communi ædificet. Conferenda hîc *l. 4. §. 7. ff. finium reg.* Amplius quoque uti poſſidetis interdicto experiri licet, *l. 12. ff. comm. divid.* quoniam videtur poſſeſſionis controverſiam facere, qui prohibet ſocium uti ſua poſſeſſione, *l. 3. §. 2. ff. uti poſſidet.*

10 Obſervandum autem eſt; nuntiationem operis novi fieri vel totius, vel partis, ſi totius fiat, ſufficit nuntiare novum opus ſimpliciter, ſi partis, oportet illius demonſtrare locum, *l. 5. §. 5. ff. h. t.* Et ſi in diverſis locis opus fiat, reſcribit Julianus, quia in re præſenti fit nuntiatio, plures nuntiationes eſſe neceſſarias, & conſequenter plures remiſſiones, *dict. l. 1. §. 16.*

11 Fit nuntiatio, vel per verbalem prohibitionem, vel per manus appoſitionem, vel per jactum lapilli, vel per prætorem; Firmior eſt hæc poſterior, quam illa prior. Nam qui verbo dicit ſe opus prohibere, videtur de jure ſuo dubitare; Quare dicitur eum conſtituere poſſeſſorem cui fit nuntiatio, *l. 1. §. 6. ff. h. t.* At vero cum jactu lapilli, aut prætoria prohibitione utitur, retinet poſſeſſionem, *dict. l. 5. §. 10.* quocirca ſatius erit hiſce uti remediis, quâ ſimplici nuntiatione, quæ etiam tum demum ſolet fieri, quando quis in ſuo ædificat, non vero quando ædificat in alieno, hoc eſt; nuntiantis fundo: lapillo autem aut per prætorem quando nuntiatus non in ſuo, ſed in ſolo nuntiantis ædificat. Duarenus *ad d. l. 5. §. 10.* Zaſius *ſing. intel. cap. 15.*

12 Item nuntiatio omnibus diebus fieri poteſt, *d. l. §. 4.* Excipiunt tamen Interpretes dies feriatos ad honorem Dei, quibus admonitiones ceſſare expreſſe jubentur in *l. fin. ſupr. De feriis.* Ego tamen puto etiam prætoriam nuntiationem fieri poſſe omni die etiam feriato, ſi ita neceſſitas urgeat, quæ facit ut eo die tranſigere, emancipare, & manumittere liceat, *l. 8. ... t. De feriis.* Et quamquam adeatur prętor, nihilominus tamen de plano tantum nuntiatio petitur, non pro tribunali, cum cauſæ cognitionem non deſideret, *arg. l. 2. §. 1. ff. quis ordo in bon. poſſ. ſerv.* ita ut quovis die poſſit expediri, quando nuntiatio prætermiſſa noceret, *l. 3. §. 4. ff. De feriis.*

Nuntiationis effectus hic eſt præcipuus, quod 13
prohibitus ſtatim quieſcere debeat ab opere, donec ea de re cognitum ſit, niſi cautionem offerat de opere de moliendo, ſi contra jus ædificatum appareat, *l. 8. §. 4. ff. h. t.* Et ſi nihilominus continuaverit ædificationem, cogetur reſtitutorio interdicto, vel quod vi, aut clam reſtituere quidquid fecerit poſt nuntiationem, ante remiſſionem vel ſatiſdationem, *l. 20. §. 1. ff. h. t.*

Eſt itaque in poteſtate denuntiantis hanc ſatiſ- 14
dationem ab initio oblatam acceptare, & à controverſia recedere ſi velit. Sed in caſu quo non conveniunt partes, ſed litigant inter ſe, dum una affirmat ſibi jus eſſe nuntiandi, & offert atque deſiderat præſentem Prætoris cognitionem; & altera negat ei jus eſſe nuntiandi, placet Juſtiniano, ut hæc lis intra tres menſes finiatur, intra quos denuntiatus non poſſit ædificare, nec oblata quidem ſatiſdatione; ſin autem aliqua ex cauſa, hæc controverſia definiri non poſſit, intra prædictos tres menſes, ut tunc is cui nuntiatum eſt novum opus, de quo agitur, perficere poſſit, oblata cautione fideijuſſoria de opere reſtituendo, nempe ut ſi non recte ædificaverit, omne opus quod poſt denuntiationem extruxit, deſtruet ſuis ſumptibus, *l. uni. h. t.* Moribus noſtris præſciptum tempus non tam exacte ſervatur, in dirimenda hac controverſia, propter aliarum cauſarum multitudinem, ut docet Gail. *lib. 1. obſ. 16. n. 17.* qui proinde ſufficere ait ut nuntiator intra illud tempus offerat tantum articulos, ut vocant probatorios, eoſque ad probandum petat recipi: Interea autem denuntiatum non poſſe pergere in ædificando etiamſi offerat cautionem, quod ſane durum eſſe fatetur ipſe Gail.

Alterum nuntiationis effectum ſuprà inſinua- 15
vi, quod videlicet per verbalem nuntiationem tranſeat poſſeſſio in adverſarium, *d. l. 5. §. 10.* non etiam per jactum lapilli vel Prætorem. Sed in ratione differentiæ aſſignanda laborant interpretes; mihi probatur opinio Duareni, fundata in ſatiſdatione & remiſſione, quæ habet locum in verbali, nam qui poſt ſatiſdationem & remiſſionem ædificare permittit; fateri videtur adverſarium poſſidere, *l. 7. §. 2. ff. quod vi aut clam*, quod non ita eſt, in lapilli jactu, aut prohibitione prætoria, in qua remiſſio aut ſatiſdatio nulla ſubeſt, nō enim Prætor per-

Digitized by Google

permittit ei cui hiſce modis inhibitio facta eſt, ædificare ſatiſdanti aut remiſſionem petenti, cum nullo jure id cautum legatur; & Prætor in edicto de nunciatione (quæ propriè eſt ea quæ verbis fit) loquatur in qua cautio iſta obtinet. Duar. *in d. l. 5. §. meminiſſe.* 10.

16 Magna profectò vis eſt nuntiationis, ut ſive juſta, ſive injuſta, ei parendum ſit; nec audiatur qui poſt nuntiationem extruit, oſtendere volens, ſibi jus eſſe ædificandi, ante demolitionem, reſtitutionemque operis in priſtinum ſtatum, nec datur ei actio per Prætorem volenti agere ſibi jus eſſe ita ædificatum haberi, *l. 1. §. 7. ff. h. t.* Quin è contra adverſus eum agi poteſt interdicto de opere demoliendo, ut ædificium demoliri faciat, etiam ſi cum adverſario ſuper jure ædificandi litem fuerit conteſtatus, quia litis conteſtatio, non ſolet reddere deteriorem conditionem eorum qui litem ſunt conteſtati, *l. 87. ff. De reg. jur.* nec impedire quo minus ſpoliatus, aut injuria affectus, ante omnia reſtituatur. Fachinæus *l. 8. cont. cap. 45.*

17 Quid igitur ſi manifeſtè appareat injuſta nuntiatio? Certe ſi publicè facta ſit, prohibitus demoliri cogetur ædificatum, non enim debuit Prætoris auctoritatem contemnere, ſed ab eo vel remiſſionem petere, vel præſtita ſatiſdatione ſibi proſpicere, *l. 20. §. 9. ff. h. t.* quo pertinet juris regula, non eſſe privatis concedendum, quod per Magiſtratum poſſit fieri, *l. 170. ff. De reg. jur.* nam illius eſt, non privati decernere inſtante an injuſta ſit nuntiatio, qua de re Fachinæus *lib. 8. contr. c. 44.* Aliud eſt ſi privatim facta denuntiatio notoriè ſit injuſta, nam poteſt prohibitus in ædificio pergere, ut fruſtra expectetur liquidatio juris quod certum eſt. Facit in ſimili quod ſi venditoris cauſa notoriè ſit injuſta, non debeat illi fieri nuntiatio ſuper lite mota.

18 Sed dubitatur an liceat propria auctoritate deſtruere ædificium? quod videtur, ſi in eo quod poſſidemus, ædificium à vicino fiat, & hoc incontinenti poſt denunciationem, quia videtur vis vi repelli, quod licitum eſt, & probatur variis locis, ut in *l. 27. ff. De ſerv. urb. l. 1. & 2. C. ut nemini liceat.* Contra tamen ſi is qui ædificavit ſit in poſſeſſione diutina ædificij, non poterit dominus ſoli, propria auctoritate ædificium demoliri, quia videretur poſſeſſorem de poſſeſſione ſua dejicere, an tunc juſta eſſet defenſio. *l. 3. §. 26. ff. De vi & vi arm.*

19 Ceſſat effectus nuntiationis per remiſſionem, quæ tripliciter, ſit nempe à denuntiante, à Judice, à lege; à denuntiante, ſi is permittat expreſſe opus proſequi, *l. 1. §. 10. ff. h. tit.* à Judice, ſi examinato negotio Judex pronuntiaverit jus eſſe ædificandi, quia res judicata finem imponit negotio, à lege fit remiſſio, quando nuntiatio eſt ipſo jure nulla, ut ſi facta ab eo eive, à quo, cuive fieri non poterat, paria enim ſunt non fieri; vel fieri inutiliter. Itemque remittit lex prohibitionem ſi cautio ab eo cui nuntiatum præſtita ſit coram Judice, de opere demoliendo reſtituendove, ſi poſtea appareat injuſtè ædificatum, *dict. l. uni. h. t. l. 5. §. 19. & l. 8. §. 2. & 4. ff. eod.*

Præterea olim extinguebatur nuntiatio novi operis 20 poſt annum, hodie non, ſublataque eſt *l. 20. §. fin. ff. h. t.* per *d. l. uni.* qua refertur olim extinctam poſt annum, novi operis nuntiationem, ſed nunc ſtatutum durare etiam poſt annum, ut aliæ in rem actiones, quæ pœnales non ſunt, perpetuæ ſunt, & poſt annum dantur, *l. 35. ff. De oblig. & action.*

Item tollitur nuntiatio, alienatione & morte 21 nuntiantis, quia finitur jus prohibendi; morte namque quis deſinit eſſe dominus, quamvis morte ejus cui fit nuntiatio, non extinguatur, idque ex eo apparet, quod id ſtipulatione quæ ex hac cauſa interponitur, etiam hæredis mentio ſit, *d. l. 8. §. pen. & ult.* Verum cum dico morte & alienatione nuntiantis extingui nuntiationem, ita accipi debet, ſi res ſit integra, id eſt, opus cœptum adhuc non ſit, aut cœptum ſit, ſed nondum ſatiſdatum: nam ſi aliquid operis factum ſit, vivente nuntiante, res deſinit eſſe integra, ut ejus morte non extinguatur nuntiatio, ſed tranſeat in hæredes, pro futuro opere præcedenti connexo; quemadmodum etiam non extinguitur morte nuntiantis, qui pro ſe & ſuis hæredibus novum opus nuntiavit, *arg. l. 27. ff. De arbitr.* Bartolus *ad d. §. pen. num. 6. d. l. 8.* & ibi Coraſius. Sed quæ ratio, cur morte ejus cui nuntiatur, non extinguitur nuntiatio, uti morte nuntiantis? quia ex parte illius nuntiatio eſt realis, ex parte nuntiantis perſonalis, qui ideo quandocumque illi placuerit, remittit: ſiquidem in rem præſentem fit nuntiatio, nec extra rem efficax eſt: proinde quod perſonale eſt, cum perſona extinguitur: reale tranſit in alias perſonas rem poſſidentes, reſque obligatæ diſtrahuntur cum ſuo onere, *l. 67. ff. De contr. empt.*

Poſtremò remiſſa cenſetur novi operis nuntia- 22 tio, ſi is qui nuntiaverit, noluerit jurare de calumnia, etenim tenetur nuntians jurare non calumniæ cauſa opus novum nuntiare. Quod jusjurandum auctore Prætore defertur, *d. l. 5. §. 14.* in omnibus pene litibus inſtituendis exigitur, ad compeſcendas litigantium calumnias, ut actor ſi illud ſubire recuſet inſtituta actione cadat, tanquam improbus litigator, reus pro confeſſo habeatur, ut dixi *ſupr. de jurejur. propt. calum. in fin.*

TITULUS XII.

De operibus publicis.

1. *Continuatio Titul. & diſtinctio inter publica & communia.*
2. *Enumerantur opera publica.*

3. Magi-

Digitized by Google

3. *Magiſtratus opus publicum ex ærario extruere non debent, inconſulto Principe, ſumptu ſuo poſſunt etiam privati.*
4. *An publici operis faciendi gratia, liceat domum privatam diruere, vel ob damnum quod imminet?*
5. *Interdum Princeps privato concedit opus publicum deſtructum.*
6. *Opus publicum propria auctoritate occupare prohibitum ſub pœna.*
7. *Nec poteſt opponi præſcriptio, aut reſcriptum. Quid ſi turres vel muri fiant in terra privati?*
8. *Novum opus non debet extrui priuſquam cœptum perficiatur.*
9. *Unde ſumptus reparandis operibus publicis ſumantur.*
10. *Ad inſtructionem portuum, murorum, pontiumque omnes contribuunt, neque excuſantur Eccleſiaſtici.*
11. *Qualiter iſta contributio inter cives ſingulos facienda.*
12. *Impenſa pecunia in opus publicum accepto ferri debet.*
13. *Ædificans opus publicum de vitio intra 15. annos tenetur, ſe ſuosque obligat.*
14. *An qui opus fecit, poſſit nomen ſuum inſcribere?*
15. *Loca publica non poſſunt niſi à publicis perſonis habitari.*
16. *Baſilica perpetuo libera manere debet, nec in ea licet commercia, nuptias, aut convivia celebrare.*

1 UT de privatis, ita etiam de publicis operibus, ſunt interdicta, quibus & opera & loci publici defenduntur, *l. 1. ff. De interd.* Opera iſta uti publica, proprietate ſunt alicujus populi, quo ſeparantur à communibus quorum proprietas nullius eſt, ut littora maris, quæ nullius ſunt, & jure gentium omnibus vacant, ſunt enim communia uſu, uti & mare, *l. 2. ff. De diviſ. rer. l. 51. ff. De contr. empt.* Quod verò Celſus ait littora eſſe publica, vel populi Romani, *l. 3. ff. ne quid in loco publ.* id accipiendum non quoad proprietatem, ſed quoad juriſdictionem, cum littora attingentia limites imperij Romani, eidem ſubſint.

2 Proprius opera quæ hic vocantur publica, dicerentur univerſitatis eſſe propria, cum deſerviant uſibus ſingulorum. Inter opera publica, ſeu publici uſus enumerantur theatra, ſtadia, prætoria judicum, baſilica, porticus, portus, angiportus, vici urbis, viæ publicæ, balnea publica, thermæ publicæ, campus publicus, piſcinæ, canales, aquæductus, fontes, forum, fana, palatium, ſtatuæ, imagines, muri, pontes, portæ civitatis, cavea publica, agri vectigales, aggeres publici, paſcua, nemora, & ſimilia.

3 Novum opus publicum, Magiſtratus alicujus civitatis extruere non debet, ex pecunia publica, ſine Principis auctoritate & ſcientia, alioqui impenſa ei non feretur accepto, niſi ex ſuis pecuniis hujuſmodi opus conſtruere voluerit, *l. 5. h. t.* Quod non tantum Magiſtratui licet, ſed & privatis ſine reſcripto Principis, ſuo ſumptu opus novum facere, vel vetus firmius renovare: præterquam ſi ad æmulationem alterius civitatis pertineat, vel materiam ſeditionis præbeat, *l. 3. ff. h. t.* Permiſſum quoque inſtaurare horrea publica, in quibus annonæ civiles adſerventur; & ſtabula equorum publicorum fabricare, qui deſerviunt curſui publico, *l. 13. h. t.* Quin etiam poſſunt privati inconſulto Principe ejus imagines, aut anteriorum Principum ſtatuas, cum honore deponere, dum opera publica reficiunt, ita ut poſt refectionem proprio loco rurſus collocentur, *l. 16. h. t.*

Sed licetne pro ædificando opere publico, domum privatam diruere? omnino licet, maximè ſi illa operi ſit impedimento, idque fiat conſulto Principe, & è publico æſtimatio domino domus perſolvatur, & demolienda domus non excedat quinquaginta libras argenti pretij, *l. 9. h. t.* Unde infertur privatos interdum cogi, publica auctoritate domos ſuas ob cauſam publicam juſto pretio vendere Reipublicæ. Potiori ratione, tempore belli ſi ſic Reipublic. expediat, etiam nullo ſoluto pretio dirui, ac proſterni poterit domus privata, quæ publicum aliquem locum occupavit, *l. 6. h. tit.* vel quæ ita mœnibus, vel publicis operibus ſociata eſt, ut inde incendium, vel inſidias vicinitas reformidet, aut anguſtentur plateæ civitatis, *l. 14. h. t.* Relinquendum proinde ſpatium quindecim pedum inter publica & privata ædificia; & ſi juxta horrea publica centum pedum, omni præſcriptione rejecta, *l. 4. l. præſcriptio. Cod. Theod. h. t.* * E diverſo pro ædificando 5
opere privato, non licet publicum diruere, dirutum tamen & penitus deſtructum, quodque civibus nullius ſit uſus, ſolet Princeps privato poſtulanti concedere ſuo reſcripto, quod Magiſtratui inſinuandum eſt, ut probetur & exquiratur, an veritate nitatur, *l. 15. h. t.* Quocirca originale & authenticum ipſum reſcriptum, non exemplar proferendum *juxta l. 3. ſupra de reſcript.*

Eſtque adeo hujus reſcripti impetratio, & inſi- 6
nuatio neceſſaria, ut ſi quis ſine auctoritate reſcripti angiportus, vel eorum partes ſuæ domui incluſerit, vel potius uſurpaverit, jura priſtina civitati reddere jubeatur, & 50. libris auri mulctetur, *l. 20. h. t.*
* Nec enim poterit præſcriptionem temporis etiam 7
longiſſimi opponere juri publico, cum illa non ſoleat obeſſe, nec reſcriptum quidem, cum illicitum ſit & contra publicam utilitatem impetratum, ideoque ſi quid ex loco publico privatus ædificando occupavit, aut in tali loco extruxit, contra ornatum ac decoram faciem civitatis, id diruendum eſt, *dict. l. 6. h. t.* Is tamen privatus, in cujus terris, turres, vel muri novi civitatis conſtruuntur, opere perfe-

cto

cto uſum ædificatorum habet, ea tamen lege in perpetuum ſervanda, ut annis ſingulis is, in cujus uſum terrula demigraverit, proprio ſumptu inſtaurationem eorū ſibi exiſtimet procurandam, *l.* 18. *h.t.*

8 Quod attinet ad opus imperfectum perficiendum reficiendumve, declarant plures hujus Titul. Conſtitutiones, omnibus licere, reficere antiquum publicum opus, etiam inconſulto Principe, *d. l.* 5. & 16. atque ex eo plurimum laudis acquirere eum, qui operam & pecuniam ſuam inſumit in tam laudabili opere, *l. ult. h. tit.* ubi præterea Leo Imperator prohibet ſumptu publico abſque licentia Principis, novum opus publicum inchoare, priuſquam vetus reficiatur, aut quod cœptum eſt abſolvatur: nam & hoc ſatius eſt propter decus civitatis, & ut publici ſumptus minuantur. Et proinde optimè D. Pius reſcribit pecuniam quæ teſtamento in opera nova legata eſt civitati, potius in tutelam eorum operum, quæ ſunt, convertendam quam ad inchoandum opus erogandam, ſcilicet ſi ſatis operum civitas habeat, nec facile pecunia inveniatur ad reficienda vetuſta opera, aut, ad perficienda quæ incepta ſunt, *l. ult. ff. hoc titulo.*

9 Sed quoniam non ſemper invenitur, qui poſſit aut velit ſumptus conferre, in refectionem operum publicorum, ne interea publica mœnia aliáve ædificia vetuſtate labantur, placuit Arcadio & Honorio Impp. ut de reditibus fundorum Reipublicæ, tertia pars ejus annui reditus reparationi impendatur, *l.* 11. *h.t.* Idem ſtatuerunt *in l.* 3. *infr. De Veterſ. præd. urb. lib.* 11. Itemque ut reditus qui ex domibus publicis cum officinis locari ſolitis, percipiuntur, reſerventur pro luminibus thermarum, & ædificiis ac tectis reparandis, *l.* 19. *h.t.* Sic hodie publicis ſacriſve locis deputari ſolent certi reditus, pro reparatione & fabrica illorum, proque exequiis miſerabilium perſonarum, ut illæ ſine ſumptu & gratis fiant, *juxta l.* 18. *ſup. de ſacroſ. Eccleſ.*

10 Cæterùm ad inſtructionem portuum, aquæductuum, murorum, pontiumque omnes certatim pecuniam, vel operam conferre debent, cujuſcunque dignitatis fuerint, *l.* 7. *h.t.* quoniam hæc opera omnibus utilia ſunt, & neceſſaria. Quare etiam divinas ſeu Principis domos, & venerabiles Eccleſias tam laudabili titulo adſcribimus, cùm hæc inter ſordida munera non numerentur, *l.* 7. *ſup. De ſacroſanct. Eccleſ.* cujus conſtitutionis verba fere repetuntur, *in l.* 4. *infr. De privil. domus Aug. lib.* 11.

11 Verumtamen ad hoc onus & contributionem cives omnes reliquoſve privilegiatos teneri exiſtimo, cum non ſufficiunt reditus prædiorum civitatis, atque tunc habenda erit ratio fundorum quos quiſque poſſidet, itemque ratio territorij, agrorum, jugerum non ſterilium cujuſque pro æſtimatione futuri operis, ne plus vel minus conferatur quam par eſt, atque eo modo fiet iſta contributio, ut tenuiores à potentioribus ſubleventur, *l.* 12. *h.t.* nemo tamen ab ea excuſetur. *d. l.* 7. etiamſi à Judice immunitatem obtinuerit, quia illicita eſt talis immunitas, nec ſolet ab alio quam Principe indulgeri, præmij & honoris cauſa, *l.* 1. *h.t.* Similiter improbatur injuſta immunitas tributariæ fructionis, *l.* 1. *infr. De immunit. nemini conced. lib.* 10.

Quod ſi autem non civium contributione, aut privati alicujus ſumptu, opus publicum ſit extructum, ſed ex ærario publico in id impenſum ſit, ærarij præfectis & curatoribus operum publicorum, accepto ferri debet pecunia, quaſi bene erogata, *l.* 2. *h. tit.* Pone igitur quod Judex aliquem ob crimen commiſſum mulctaverit, mulctam iſtam protinus ærario quæri nullus ignorat, niſi ipſe Judex in aliquem uſum publicum, aut in opus publicum reficiendum, deputaverit *juxta l.* 5. *ſup. de modo mulct.* Eoque caſu mulcta iſta ſeu pecunia, quanta impenſa, ei accepto ferri debet. 12

Et proinde curare debet Judex ut ædificium ſolidum ſit, & impenſæ reſpondeat. Nam in gratiam publicæ ædificationis, omnes quibus illa demandata eſt, vel pecunia ad extructionem credita, uſque ad annos quindecim ab opere perfecto, cum ſuis hæredibus, obnoxij tenentur, ita ut ſi quid vitij in ædificatione intra præſtitutum tempus pervenerit de eorum patrimonio (exceptis tamen caſibus qui ſunt fortuiti) reformetur, *l.* 8. *h.t.* 13

Plane ad curam Magiſtratus civitatis pertinet, ut in operibus publicis, publico ſumptu excitatis, nemo præterquam Princeps titulos ſuos, vel nomen ſcribat, & ſi ipſi Magiſtratus vel alij auſi fuerint nomen ſuum operi inſcribere, ſine Principis mentione, læſæ majeſtatis crimini cenſentur obnoxij, *l.* 10. *h. t.* cum nec proprio ſumptu id liceat. Unde apud Tacitum *lib.* 3. *Annal. Lepidus à Senatu petivit, ut Baſilicam Pauli, Æmilij monumenta, propria pecunia firmaret ornaretque.* Et licet invidia ſit, prohibere aliquem fructu munificentiæ ſuæ, hoc eſt, inſcriptione ſui nominis, tamen abſque Principis auctoritate id fieri indecens, imo nefas eſt, *l.* 2. *ff. h.t.* 14

Indecens quoque ut prætoria judicum, & loca publica publicis uſibus deputata, à privatis perſonis occupentur, & inhabitentur; quare juri atque uſui publico ea vindicari oportet, generali interdicto reſtitutorio, *l.* 4. *h t.* Prætoria ſunt domus publicæ, in quibus Magiſtratus habitant, vel jus dicunt. Domus verò Principis, baſilica & palatium plerumque dicitur, in quo habitare debent poſt principem illi qui ejus uſibus inſerviunt, & alij excludi, ac dirui ædificia, quibus palatium incommodè occupatur, *l.* 17. *h.t.* 15

Baſilicam quoque inauratam, & marmoribus decoratam, 16

Digitized by Google

coratam, liberam in perpetuum manere placuit, nec in ea poni imagines cujuſquam privati, aut pictas tabulas geſti Magiſtratus, vel honoris, quibus regia adumbratur, eique lumen eripiatur, neque occupetur pars aliqua ejuſdem baſilicæ, conſtituendo in ea ſtationes, ergaſteria artificum, officinas mercatorum; Illud quoque præcipitur, ne in regiam hanc baſilicam equi intromittantur, convivia aut nuptiæ privatorum celebrentur, *l. pen. h. t.* videlicet ne ſerviat uſibus privatorum. Non enim debent cives abuti domo regia. Ut nec templo, aut locis, rebuſque ſacris. Quo pertinet Conſtitutio Græca Leonis Imp. *in l. 3. h. t.* Ne Monachus neve alius quivis in loco publico, vel ubi ſpectacula fiunt, crucem imponat, aut reliquias Sanctas, cum non deſint religioſæ ædes, in quibus collocentur & venerentur. Deſumpta eſt hæc Conſtitutio *ex l. 26. ſup. de Epiſc. & Cler.* quæ cùm plenius ibi repetatur, forte ideo in aliis Codicibus omittitur.

TITULUS XIII.

De Ratiociniis operum publicorum, & de patribus civitatum.

1. *Curator reipub. excutit rationes operum publicorum, non præſes provinciæ.*
2. *Opus publicum promittens ex ſua liberalitate quatenus poſſit conveniri.*
3. *Pollicitatio quando obliget, & quomodo à pacto differat?*

1 PUblicorum operum ratio reddenda eſt Curatoribus reipublicæ, qui patres civitatum hic appellantur, quorum officio incumbit, cum à redemptoribus ipſis rationes redduntur, eas benè examinare, & diſcutere, atque inſpicere num conſtructio vel refectio reſpondeat impenſæ; quod non pertinet ad officium præſidis provinciæ, nec ad alios ſpectabiles judices alicujus diœceſeos vel tractus. Quinimò prohibet hujus Titul. Conſtitutio hos magiſtratus provinciales eorumque apparitores & officiales, lucrum aliquod captare, pro diſcuſſione civilium redituum, aut unicam ſiliquam exigere (uti facere ſolebant) ex ſingulis ſolidis, qui erogantur in opus publicum, alioqui in pecunia mulctantur, *l. un. h. t.* ſiliqua eſt viceſima quarta pars ſolidi, qui aureus eſt. Budæus de *aſſe lib. F.*

2 Porro ex Conſtitutione hac is qui ultro opus ſe facturum ſuo ſumptu pollicitus eſt, licet certum ſit eum ex ſola pollicitatione teneri, tamen poſtquam illud perfecit, nullo modo inquietari debet, nec hæres ejus, ideo quod opus non reſpondeat promiſſæ quantitati, vel hoc prætextu quod opus inutiliter factum ſit, aut ad vetuſtatem permanere non poſſit. Namque benignum & æquum eſt rempublicam qualicumque liberalitate contentam eſſe.

Magnus quidem eſt reipublicæ favor, ſed non 3
tantus, ut extremum exigatur ab eo qui ultro quid pollicitus eſt: Quin & interdum eum ex pollicitatione non obligari conſtat, ſi ſine cauſa promiſerit; ſin vero ex juſta cauſa, puta ob honorem ſibi decretum, vel decernendum, aut res non ſit integra, quia opus ſit inchoatum, omnino tenebitur, uſque adeo ut tranſeat ad hæredes obligatio, *l. 1. §. 1. & l. 9. ff. de pollicitationib.* ſi opus cœptum ſit.

Promiſſio & pollicitatio eandem obligandi vim habent, ſed pollicitatio majoris eſt aſſeverationis & voti inſtar. Unde pollicitatio quæ ſolius eſt offerentis promiſſum, & Deo & publicæ perſonæ fit, differt à pacto, quod eſt duorum conſenſus atque conventio, *l. 3. ff. d. t.* Cauſa legitima efficacis pollicitationis cenſetur propter incendium, vel terræ motum, vel aliquam ruinam quæ reipublicæ contingit, ob quos caſus quia commiſeratione digni ſunt, ſi quis promiſerit ſe quid facturum, etſi non inchoaverit, omnino tenetur, *l. 4. & 7. ff. d. t. De pollicit.*

TITULUS XIV.

De Pignoribus & Hypothecis.

1. *Continuatio, & quo pacto pignus & hypotheca inter ſe diſcrepent.*
2. *Pignus duplex tacitum & expreſſum, hoc generale eſt omnium bonorum, vel ſpeciale aliquorum.*
3. *Summatim declaratur quæ res pignorari poſſint.*
4. *Militia à debitore alteri quaſita, quatenus pignori obligetur?*
5. *Itemque caſus militiæ.*
6. *Res empta pecunia aliena, non eſt tacitè obligata, niſi empta ſit pecunia pupilli.*
7. *Diſtinctio inter pecuniam mutuo datam ſuo nomine, vel nomine domini, quod ad pignoris obligationem.*
8. *Per donationem pignoris non liberatur quis à perſonali obligatione, licet pignus cedat creditoribus.*
9. *De jure creditoris circa pignus, & quod non poſſit alteri alienando adimi.*
10. *An debitor pignus alienare poſſit, & quatenus?*
11. *Quis ſit effectus iſtius alienationis.*
12. *Creditor poteſt agere in debitorem perſonali, vel hypothecaria actione.*
13. *Hoc jure utralibet actione experitur, contra quemcumque poſſeſſorem.*
14. *Jure noviſſimo ſubvenitur extraneis poſſeſſoribus, ut à creditore non conveniantur hypothecaria, priuſquam excuſſerit principalem.*
15. *Exceptio una eſt, ſi principalis debitor pendente lite rem oppignoratam extraneo vendiderit.*

 16. *Cum*

Digitized by Google

16. *Cum hypothecaria experitur creditor, probare debet rem in bonis debitoris fuiſſe, cum ei obligata eſt.*

17. *Habens generalem hypothecam præfertur habenti ſpecialem poſteriorem.*

18. *Si ex ſpecialiter obligatis ſuum debitum corradere poteſt, removetur à petitione earum rerum, quæ aliis poſtea ſunt obligata?*

19. *Quid ſi unus creditor habet generalem, alter ſpecialem hypothecam?*

20. *Quando poſterior creditor ſortem & uſuras repetat, & quomodo pignus obligationi uſurarum accedat?*

21. *Itemque obligatur debitor pro impenſis à creditore in rem factis.*

22. *Et fruſtra dicit ſe vi coactum oppignoraſſe.*

23. *Solutione facta agitur ut res pignorata reddatur & præſtetur dolus & culpa, non vis major.*

24. *Pignore caſu amiſſo, manet creditori integra debiti actio. Itemque pignore ſurrepto.*

25. *Sed non prius agitur quàm totum debitum ſit ſolutum: quid ſi debitor id nolit accipere?*

26. *Obſignatione pecuniæ, pignus liberatur, oblatio ſola quando proſit debitori?*

27. *Solvere pro debitore etiam invito quis poteſt, ſed non ideo quicquam juris in pignus conſequitur.*

28. *Remiſſione & conventione ſola pignus liberatur.*

29. *Non liberatur pignus ceſſione, vel debitoris condemnatione.*

30. *Sententia adverſus debitorem lata de pignore, an creditori noceat? itemque præſcriptio.*

31. *Pignus uſucapione cur non extinguatur, ſed ſalvum maneat creditori.*

32. *Quando actio hypothecaria extinguatur, manente ſalva hypotheca.*

33. *Creditor non adipiſcitur poſſeſſionem pignoris propria auctoritate, ſed judicis.*

34. *Neque etiam licet nominatori vel magiſtratui municipali pignora nominati capere, & quare?*

1 EXplicationi interdictorum ſuccedit tractatio pignorum, quod ea ad judicia civilia, nec non contractus omnes confirmandos magnam habeant vim. Pignus eſt contractus quo jus in re conſtituitur creditori in ſecuritatem crediti: ab hypotheca quoad vim & effectum, id eſt, actionem hypothecariam non differt, ſed tantùm nominis ſono, *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Habet enim locum pignus in iis quæ traduntur, & tranſeunt in poſſeſſionem creditoris, unde fere ad res mobiles ſpectat: hypotheca verò citra traditionem, nuda conventione contrahitur, remque afficit, atque in rebus ſoli potiſſimum conſtitui ſolet, ideoque pignus à pugno quaſi à manus traditione derivatur, *l.* 238. *ff. De V. S.* Hypotheca ſupponere ſignificat; Qui enim veretur, ne is cui pecunia mutuo datur minus ſolvendo ſit, rem aliquam ſibi ſupponi, hoc eſt, obligari cavet in cautionem & ſecuritatem mutui dati; Et moribus quidem noſtris res iſta ſolemniter coram magiſtratu loci hypothecæ ſubjicitur; neque ſufficit nuda conventio, ut hypotheca conſtituatur in rebus immobilibus.

Eſt autem pignus aliud expreſſum, aliud tacitum, 2 de hoc *Tit. ſeq.* Expreſſum quod ex conventione partium, vel citra eam conſtituitur, auctoritate magiſtratus, quod prætorium pignus dicitur, de quo *infrà, Tit.* 22. Conventionale pignus aliud eſt generale, aliud ſpeciale, hoc bona certa afficit, eaque non egreditur, illud bona omnia complectitur, exceptis iis quæ veriſimile eſt quempiam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe, vel propter affectionem, ut ſi ancilla ſit concubina, liberi naturales, vel propter uſum quotidianum, ut ſuppellex, & veſtis quæ omnino relinquenda eſt debitori, *l.* 6. 7. 8. *ff. h. tit.* Futura quoque bona obligatione generali comprehenduntur, non tantùm expreſſe, ſed etſi ſimpliciter bona ſua quis hypothecæ ſuppoſuerit, aut promiſerit pecuniam acceptam ſe ſoluturum fide & periculo rerum ſuarum, *l. fin. infrà, Tit.* 17. Ratio conſiſtit in verborum generalitate, quæ res omnes complectitur, non ſecus ac ſi generaliter eſſent expreſſæ, *l.* 147. *ff. De Reg. Jur.*

Omnes itaque res quæ emptionem venditio- 3 nemve recipiunt, id eſt, quæcumque ſunt in commercio, pignori, hypothecæ ſubjici poſſunt, *leg.* 9. *ff. h. t.* veluti res immobiles, ut agri, *leg.* 4. & 9. *h. tit.* ubi poſſeſſionis appellatione agri ſignificantur, *juxta leg.* 78. *ff. de Verb. Sign.* res mobiles, ut mancipia, *l.* 25. & *ſeq. h. t.* Itemque res incorporales ut cautio debitoris, *l.* 7. *ſup. de hæred. vel act. vend.*

Militia quoque ſi talis ſit, quæ vendi & ad hære- 4 des tranſmitti poſſit, *l. ult. h. t.* qualis eſt militia apparitorum, ſilentiariorum, ſeu adjutorum quæſtoris, *Novell.* 32. ſi quis igitur pecuniam mutuam acceperit, atque ex ea officium aliquod ſive militiam comparaverit, hæc militia jure hypothecæ obligata eſt creditori, quanquam pecunia non fuerit expreſſe credita in emptionem iſtius militiæ, nec ipſe negotiator ſuo nomine militiam emerit, ſed filij vel cognati ſui nomine: nec creditor probaverit militiam emptam pecunia debitoris negotiatoris: Nam hoc caſu probatio incumbit negotiatori, vel militanti. Quod etiam obtinet ſi negotiator poſt contractum æs alienum, ſuis nummis extraneo militiam emerit, ſi modò id appareat & probatum ſit à creditore, hoc caſu probatio creditori incumbit, ſi velit jus pignoris exercere, quoniam non intervenit cognatio, ceſſatque præſumptio & affectio debitoris, *l. ultim. h. tit.*

Porrò non tantùm militia ipſa hypothecæ obli- 5 gatur ut res aliæ, ſed & caſus militiæ, id eſt, commodum ſive ſalarium quod militiæ talis intuitu, mor-

mortuo militante ejus hæredibus ex beneficio Principis præſtatur; Illud inquam commodum cedit creditori hypothecario, *ex d.l.ultim.* Sed hodie ita demum ſi miles ſine uxore & liberis deceſſerit; nam privilegij nomine, non hæreditatis paternæ præferuntur creditori, niſi ejus pecuniâ militia comparata ſit, *Novell.* 35. *cap.* 5. unde deſumpta *Auth. Quod obtinet h.t.*

6 Hæc enim militia tacitè creditori eſt obligata, uti & pupillo, minori, militi obligata res eſt, ex pecunia ipſorum comparata, *l.* 26. *ff. de reb.cred. l.* 6. *ſup. de ſervo pign. dat. man.* quod eſt ſingulare, nam regulariter nullius debitoris rem creditori obligari conſtat, niſi ſpecialiter vel generaliter convenerit ut eſſet obligata. Hinc fit, ut res emptoris non ſit pignori obligata ei, cujus pecunia empta eſt, quia de pignore nihil convenit, ſed de mutuo tantum, *l.* 17. *h.t.*

7 Planè & qui pecuniam alienam alteri mutuo dedit ſuo nomine, & pignus accepit, illud pignus non ei cujus eſt pecunia, ſed ei qui eam mutuo dedit, acquiritur, *l.* 16. *h.t.* quod autem illi cujus eſt pecunia, pignus non acquiratur, ratio eſt, quia ei mihi debetur, cui principalis actio non eſt quæſita, neque verò alij res pignori obligari poteſt quam creditori, quoniam pignus acceſſio eſt principalis obligationis. At verò ſi quis pecuniam alienam credat, nomine domini ut condictionem, ita & pignoris obligationem illi hodie acquirit, *l.* 2. *ſup. per quas perſonas nob. acq.* ubi in fine rationem aſſignavi cur olim ceſſione opus eſſet.

8 Finis pignoris ſive hypothecæ eſt, ut creditoribus ſit cautum ſuper credito, quibus utile eſt ultra perſonam, etiam habere rem, cui incumbant in quam plus juris eſt quam in perſonam; Dico ultra perſonam, neque enim perſona liberatur per pignus vel hypothecam, ne inducta ad unum finem diverſa operentur. Et hinc eſt quod debitor pignus creditoribus cedendo, nihilo magis liberetur, *l.* 1. *h. tit.* quoniam liberatio non contingit, niſi per ſolutionem ejus quod debetur, non eſt autem ſolutionis loco ceſſio, ne quidem omnium bonorum. Præterea cum pignus pro debito ceditur, fieri poteſt ut illud non tanti valeat, quantum ad debitum, quare non prohibetur creditor petere quod ſibi debetur, etiam tum cum tanti aut pluris valet pignus; cum eo invito aliud pro alio ſolvi non poſſit, *l.* 2. §. 1. *ff. ſi cert. pet.*

9 Effectus eſt quod bona hypothecæ ſubjecta, affecta ſint creditoribus, etiam citra traditionem, ſitque illis actio hypothecaria, quæ eſt in rem perſecutio, *l.* 18. *h.t.* naſcitur enim non ex obligatione, ſed ex jure pignoris, quod creditores acquirunt in rem, ſimul atque eam pacti ſunt ſibi pignori dari. Quod jus pignoris ita rei annexum eſt, ut debitor nec rem alienando, neque alteri poſtea obligando, poſſit creditori auferre, *l.* 15. *h.t.*

An ergo debitor rem pignori obligatam, impeditur alienare? nequaquam, ſiquidem maneat rei dominus, *l.* 9. *h.t.* non obſtante obligatione, qua tantum poſſeſſionem rei pignoratæ tranſtulit in creditorem, *l.* 9. *ſupr. de pign. act.* Atque adeo ſubſiſtit alienatio, ut is in quem dominium eſt tranſlatum, poſſit eam rem vindicare, etiam ab ipſo creditore, ſi fortè res obligata in ejus poſſeſſionem pervenerit, *d. l.* 9. *h. t.* 10

Verum non eo minus onus obligationis comitatur rem oppignoratam, ſiquidem non alia lege eam recuperet dominus, quam qua debitor reciperet, nempe debitum ſolvendo creditori, quoniam jus non patitur conditionem creditoris fieri deteriorem per alienationem debitoris, *d.l.* 15. maximè ſi creditore inſcio, alienatio, tranſlatiove rei facta ſit. Idcirco ſi adhuc creditor rem oblatam poſſideat, dominum vindicantem removebit exceptione pignoris, niſi ſibi ſolutum, vel aliter ſatisfactum fuerit, *d.l.* 9. *h.t.* aut ipſe creditor, volens eam rem in ſolutum acceperit, *l.* 13. *h.tit.* Dico volens, quia cogi non poteſt eam accipere, ut nec actionem inſtituere, *l.* 20. *h.t.* 11

Quod ſi verò creditor non poſſideat, poterit perſonali actione adverſus debitorem vel fidejuſſores ejus experiri, ut debitum conſequatur, vel actione hypothecaria ad pignus ſibi à debitore conſtitutum, *l.* 8. *h.tit.* ſi fortè metuat ne debitor poſtea ſit ſolvendo. 12

Imò contra quemcumque poſſeſſorem pignoris, creditor poteſt utram velit actionem prius vel poſterius movere, *l.* 14. & *l.* 24. *h.t.* & quidem ante excuſſum principalem, ſaltem hoc jure Codicis. Non obſtat *l.* 10. *h.t.* quæ non jubet creditorem experiri actione hypothecariâ priuſquam agat perſonali, ſed hortatur & ſuadet, ut creditor antequam pignus perſequatur, debitorem utpotè præſentem interpellet, atque ei denunciet, ut ſolvat non quia hoc eſt neceſſarium, ſed quia æquius & humanius. 13

Dixi hoc jure, nam jure noviſſimo diſtinguendum eſt, utrum debitor ipſe, vel ejus hæres pignus poſſideat, quo caſu, jure Codicis, ſalva manet electio creditori, utra actione experiri malit. *Novell.* 4. *c.* 1. ſed ſi extraneus pignus poſſideat, ut forte emptor illius, tum non habet electionem creditor, neque poteſt uti hypothecaria contra tertium hunc poſſeſſorem, donec egerit perſonaliter, & excuſſerit debitorem & interceſſores ejus, repertumque fuerit eos non eſſe ſolvendo, *Auth. hoc ſi debitor. h.tit.* Et hoc optimo jure conſtitutum, ne extraneum tertiumve poſſeſſorem, qui nullam obligationem ſuper re conſtituit, ex alieno facto & contractu nudari re ſua contingat. 14

Quod jus deinde temperatum eſt, ab eodem Juſtiniano, in caſu ſingulari, quo nimirū creditor debitorem pignus adhuc poſſidentem convenit actione hypo- 15

hypothecaria, motaque jam lite, idem debitor rem in extraneum alienavit, in hac inquam ſpecie permittit Imp. creditori, inexcuſſo prius debitore, ſtatim & recta invadere emptorem, eundemque poſſeſſorem & pignus perſequi, ſi ei de pretio emptionis non ſtatim ſatisfiat, atque ita intelligenda *Auth. hoc ita h. tit.* nempe ſpecialiter de re litigioſa extraneo vendita, *ex Novel.* 112. unde deſumpta *hæc Auth.*

16 Porro ut hypothecaria actio creditori competat, ad rem ei obligatam perſequendam, oportet rem in bonis debitoris fuiſſe, tempore contractæ obligationis, ac debitum ſubfuiſſe, pro quo ſpecialiter obligata res eſt, *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.* Rem in bonis eſſe intelligimus, quoties poſſidens exceptionem, aut amittens actionem habuit, ad rem amiſſam recuperandam, *l.* 52. *ff. De acq. rer. dom.* Incumbit autem probatio rem tunc fuiſſe in bonis debitoris, ipſi creditori, quia actor eſt, maxime quando agit adverſus eum qui non habuit cauſam à debitore.

17 Cæterùm creditor cui generaliter bona ſunt obligata, electionem habet eorum, quæ per hypothecariam petat, adeo ut præferatur etiam poſteriori creditori in bonis ſpecialiter ſibi obligatis, *l.* 2. *ff. qui pot. in pign.* nam ſpecialis iſta hypotheca non poteſt minuere jus priori quæſitum, eſt enim manifeſta juris regula, quod quoties duobus eadem res pignori obligata eſt, diverſis temporibus, qui prior eſt tempore potior ſit jure, in pignore perſequendo, *l.* 2. & 3. *infr. qui potior. in pign.* ubi hac de re latius.

18 Quod ſi tamen priori creditori bona debitoris primo ſpecialiter fuerint obligata, deinde generaliter reliqua omnia bona, atque ex bonis ſpecialiter obligatis debitum ſuum conſequi poteſt, iis contentus, non tranſibit ad alia bona, ſed ea libera relinquet ſecundo creditori, *l.* 2. *h. tit.* quia hoc tacite actum videtur, ut non aliter generali hypotheca utatur, quam ſi ſpecialis non ſufficiat, quæ proinde prius excutienda eſt. Cujacius *lib.* 3. *reſponſ. Papiniani in explicatione d. l.* 2. Non movet quod prior hic creditor æquale jus habeat in omnibus bonis, ipſi tam ſpecialiter, quam generaliter obligatis, ut ideo potior eſſe debeat, quia hoc procedit ſtricto jure, quod temperavit æquitas, in eo poſita, quod licet nemo alteri prodeſſe cogatur, tamen quod ſibi non nocet, alteri autem noceret, non conceditur, *l.* 1. §. 6. *in fin. ff. De aqua & aqua pluvia arc. plura infrà Tit.* 18. *num.* 7. & 8.

19 At vero cum duobus creditoribus eadem bona ſunt obligata, videndum eſt, an eodem tempore, an diverſis temporibus pignus acceperunt, nam priori caſu concurrunt in pignore & ſimul admittuntur, *l.* 7. §. 1. *ff. qui potior. in pign.* Poſteriori caſu prior tempore eſt potior jure, etiamſi prior habeat generalem, poſterior ſpecialem in certis bonis, in quibus etiam prior præfertur excluſo ſecundo, *l.* 2. *ff.*
20 *d. t.* * At vero ſi hic ſecundus creditor priori ſolvat, vel offerat quod ei debetur, illo remoto poſterior in pignore primus eſſe incipit, adeoque pignus ſibi confirmat, ut non tantùm ſortem quam priori creditori ſolvit repetat, ſed etiam ejus ſortis uſuras quas debitor eidem primo creditori ſolvere debuiſſet, ſed uſuras uſurarum à ſe ſolutarum, non repetit, *l.* 22. *h. tit.*

Solet enim pignus accedere obligationi ſolius ſortis, & tunc uſuræ non debentur, quia iniquum eſſet in plus teneri pignus, quam inter contrahentes conveniſſet, *l.* 11. §. 3. *ff. De pign. act.* At cum utrique obligationi ſortis videlicet & uſurarum, pignus accedit, illud ex pactione datum videtur tam ob ſortem non ſolutam, quam ob uſuras, & cætera quæ in id impenſa ſunt, *l.* 8. § *ult. ff. d. t. d. l.* 22. *l.* 13. §. *ult. ff. h. t.*

Quo fit ut in ſumma debiti, computetur id quod 21
creditor impendit, & ſolvit pro debitore ad muniendas vias, ad portus, aquæductus, muros, pontes reficiendos (nam hæc onera prædiorum ſunt, id eſt, poſſeſſorem ſequuntur) auget enim ipſam ſortem, ita ut ſi ſors ſit centum, & creditor oneris nomine ſolverit viginti, ſors erit centum & viginti, nec tenebitur creditor debitori reddere pignus niſi ubi centum & viginti perſolverit, *l.* 6. *h. tit.*
* Et ſi debitor alleget ſe vi coactum fuiſſe pignori 22
dare, ut poſſet pecuniam accipere, non audietur, quia ſatis eſt quod fateatur eam accepiſſe, *l.* 4. *h. t.* cum nulla ei neceſſitas inferatur. Etenim cum volens receperit, videtur ceſſare metus, ut non rectè quæratur coactum fuiſſe pignori dare, quia cum voluit mutuum accipere, etiam videtur velle pignus dare, quod non ante liberandum, quam pecunia ſolvatur, *l.* 9. §. 3. *ff. de pign. act.*

Facta itaque debiti ſolutione creditori, debitor 23
ab eo repetet pignoratitia actione rem ipſam pignori obligatam, *l.* 10. *ſup. De pign. act.* quæ actio etiam hæredibus debitoris datur, *l.* 12. *h. t.* & in hæredes creditoris, ad hoc ut res integra non deteriorata reddatur, itemque præſtetur dolus culpave lata, atque etiam cuſtodia, *l.* 19. *h. t.* oportet enim creditorem rem ſibi obligatam cuſtodire, & niſi cuſtodiat, dolo aut culpa non vacat, leviſſimam tamen culpam non præſtat, neque vim majorem ſive caſum fortuitum, quia cum prævideri non potuerit, nullò bonæ fidei judicio præſtatur ab eo qui rem præſtare debuit, *l.* 6. *ſup. De pign. act.*

Et ideo creditor pignora quæ hujuſmodi caſu 24
interierint præſtare non compellitur; nec à petitione debiti ſubmovetur, ſed manet integra petitio, ut dicitur *in l.* 25. *h. t.* niſi inter contrahentes placuerit, ut amiſſio pignorum liberet dibitorem, *d. l.* 6. & *l.* 9. *ſupr. De pign. act.* Planè ut amiſſo pignore manet actio creditori, ita etiam eo ſurrepto, eidem liberum eſt vel hypothecariam exercere adverſus eum qui pignus poſſidet, vel dolo deſiit poſſi-

Digitized by Google

poſſidere, *l.16.h.tit.* vel actionem furti *juxta l.* 15. *& 87. ff. De furtis.*

25 Ex adverſo autem creditor non ante convenitur ad reſtitutionem rei pignori datæ, quàm totum debitum ſolutum fuerit, *l.9.§.3. ff. De pign.act.* nam pro parte ſive active ſive paſſive diviſio pignoris non fit, *l.1.C. De luitione pign.* adeo ut parte debiti ſoluta, totum pignus pro reſiduo obligatum maneat. Quid ſi creditor nolit debitum accipere? Non poteſt quidem cogi ad petitionem debiti, ſed tamen licentia datur debitori, eo caſu quo creditor neque petit, neque accipere vult debitum, pecuniam ei offerre, oblatam conſignare atque deponere, *l.20.h.tit.* eo facto cogitur creditor pignus reddere. Non obſtat quod pignus reddere non cogatur creditor, niſi prius ipſi tota ſumma fuerit ſoluta: nam hæc obſignatio & depoſitio debitæ pecuniæ ſolemniter facta, pro juſta ſolutione eſt, *l.9.C. De ſolution.*

26 Requiritur, inquam, obſignatio & depoſitio, ſola enim oblatio obligationem principalem nec tollit, nec pignus liberat, *l.19. ſup. de uſur.* Interdum tamen prodeſt debitori ſi is puta pignus poſſideat, & pecuniam creditori offerat in judicio: ſic enim conſequitur ne cogatur pignus reddere, non quia pignus liberatum ſit, ſed quod obſtet creditori agenti doli exceptio, *l. 11. §. ultim. ff. qui pot. in pign.* Prodeſt etiam debitori ultro pignoratitia actione agenti, ſi in eodem judicio debitam pecuniam offerat, licet enim male agat ante ſolutionem repetendo pignus, tamen oblatione debiti, & pignus & quod ſua intereſt, conſequetur, *l.9.§.ult. ff. De pign.act.*

27 Neque refert utrum ipſe debitor ſolvat, *l.4.h.t.* an quivis extraneus ejus nomine, quia ſolutione à quocumque facta debitor etiam invitus liberatur, *l.39.ff. de negot geſt.* Sed non propterea is qui rem liberavit nexu pignoris quicquam juris nanciſcitur, *l.21.h.t.* ſed tantùm ea ſolutione id aſſequitur, ut quod ſolvit poſſit repetere à debitore actione mandati, ſi ab eo mandatum habuit, aut ſi non habuit, actione negotiorum geſtorum, quia utiliter in rem debitoris impendit, dum eum liberat, *l. 2. ff. & l.3. Cod. De negot.geſt.*

28 Cæterum ut ſolutione obſignatione ve pignus liberatur, ita etiam conventione & remiſſione creditoris, *l.23. h. t. & l.2. Cod. De rem. piſſ. pign.* adeo ut illud amplius perſequi non poſſit, propter pactum, quo ſemel placuit ne res eſſet pignori. Et quamvis pactum hoc nudum ſit, ſuſtinetur tamen juriſdictione ſeu auctoritate prætoris ſecundùm voluntatem creditoris, *d.l.23.*

29 Poſtremo videndum de modis quibus pignus non liberatur. Et primo, debitor ceſſione pignoris invito creditore liberari non poteſt, quia ut dictum eſt, *ad l.1.h.t.* liberatio non contingit, niſi per ſolutionem ejus quod debetur. II. Si debitor principalis, vel qui pro eo interceſſit creditori tantùm condemnatus ſit, *l.8.h.t.* quia per hoc non eſt ei ſolutum, vel ſatisfactum quod habeat judicati actionem aut quod defenſor debitoris novam cautionem præſtet, *l.13.§.4.ff.h.t.*

30 III. Sententia adverſus debitorem lata, creditori non nocet, niſi ut in *l. pen. verſ. ſcientibus ff. De re judic.* pignore jam conſtituto, creditor paſſus fuerit debitorem experiri de proprietate pignoris, eo enim caſu, victo debitore ſententia contra eum lata, obeſt creditori ſcienti & patienti agere debitorem, contra pignoris poſſeſſorem; At vero ignoranti non obeſt, *l.29.§.1.ff. De except. rei judic.* qua de re plura dixi ad *dict. l. pen. lib. 7. Tit. 56. num. 7.* Interdum etiam ſcienti non obeſt ſententia, ſi debitor cum adverſario ſuo colluſerit & paſſus ſit ſe vinci, in fraudem creditoris, aut ſuperatus ſit præſcriptione, *l.5. h.tit.* id eſt, exceptione aliqua extrinſecus; Accipitur enim hic præſcriptio, pro exceptione ex facto culpa debitoris naſcente, puta rei judicatæ, aut longi temporis, aut pacti conventi, quæ non nocet creditori. Hinc ſi debitor paſſus ſit rem quam pignori obligaverat uſucapi à poſſeſſore, deinde cum eandem rem vindicaret, ſummotus eſt præſcriptione temporis, hæc præſcriptio aut ſententia creditori non obeſt, non enim uſucapio jus pignoris tollit, *l.7.h.t.*

31 Sive ut hujus legis verba ſonant, *uſucapio pignoris conventionem non extinguit*, quæ ut interpretemur, ponendus eſt caſus, quo debitor hypothecam ſive rem pignoratam vendidit extraneo, & is eam uſuceperit, creditori nihilominus manet hypotheca ſive pignus, quoniam quæſtio pignoris ab intentione dominii ſeparatur, *l.1.§.2.ff.h.t.* ſive ut *in l.44. §.5.ff. De uſuc. p.* dicitur uſucapio ſuperveniens non mutare quo minus perſecutio pignoris ſalva ſit, ut enim uſusfructus uſucapi non poteſt, ita perſecutio pignoris, quæ nulla ſocietate dominii conjungitur, nam pignus nuda conventione conſtituitur, dominium verò traditione & uſucapione acquiritur, & aufertur domino, non etiam pignus aufertur creditori.

32 Non obſtat quod dicitur *in l. 1. & 2. ſupr. ſi adverſ. cred. præſcr.* creditorem præſcriptione longi temporis excludi à perſecutione pignoris, contra tertium poſſeſſorem, quia longum ſilentium debitoris non obeſt creditori, niſi & ipſius creditoris ſilentium concurrat, quod utique obſtabit & debitori dominium vindicanti, & creditori perſequenti pignus, debet enim hic ſibi imputare quod tam longo tempore ſiluerit, nec actionem, hypothecariam moverit, quam cum amiſerit, per conſequens pignus illi redditur inutile, non quidem propter uſucapionem ſolam, qua pignus non extinguitur, ſed propter diuturnum ſilentium quod concurrit, Donel. *ad dict. l.7. num.6.*

Obſer-

Digitized by Google

33 Obſervandum & illud eſt, quod etſi creditori liceat ex vi conventionis ingredi poſſeſſionem rei oppignoratæ, tamen tutius erit ſi eam ingrediatur & nanciſcatur auctoritate magiſtratus, *l.3.h.t.& l. pen.ſupr.De pign.act.* (de qua ibi dixi in fine,& plenius dicam infra ad *L.Jul.De vi publ.& priva.*)ne vim facere exiſtimetur, & ſimul crediti jus amittat ex decreto D.Marci *l.13.ff.quod met.cauſa.* Eo pertinet *l.7. ſupr.de judiciis.* Ubi ait Imp,debere creditorem officio judicis ad poſſeſſionem pignorum venire; Et rectè, cum nec mulieri (quæ tamen eſt domina rei dotalis) ſit facultas ſoluto matrimonio ingrediendi poſſeſſionem rei dotalis, ſine auctoritate competentis judicis,*l.9.ſup.ſol.matrim.*

34 Idemque de nominatore reſcriptum eſt, non habere poteſtatem capiendi pignora nominati, recuſantis ſubire munus publicum,ſine auctoritate prętoris, vel præſidis, qui nominationem probavit & ſecundùm eam munus injunxit, *l.11.h.tit.* Eſt enim pignoris capio imperij magis, ſicut non liceat Magiſtratibus municipalibus,qui jus habent nominandi, pignora eorum quos ad munera nominarunt, capere, ſine juſſu præſidis, ut nec tutores dare, vel confirmare ſine præcepto prætoris, *l.5.ff.De confir. tut.l.46.§.pen.ff.De adminiſt.tut.* Solent autem hi magiſtratus vel nominatores bona nominatorum pignori capere,propter periculum,quod nominatoribus imminet à nominatis ex illorum adminiſtratione,*l.1.& 2.C. De pericul.nomin.l.11.tit.33.*

TITULUS XV.

In quibus cauſis pignus vel Hypotheca tacitè contrahitur.

1. *Quid tacitum pignus? Invecta pro penſione tacitè obligantur.*
2. *Cur diverſum ſit in illatis in prædium ruſticum?*
3. *An invecta à ſecundo conductore tacite rei domino pignorata ſint?*
4. *Ex inductione bonorum pignus contrahitur,ſi eo animo inducta ſint, ut pignoris nexu teneantur.*
5. *An tacitum pignus locum habeat in mercibus in domum illatis,& in pecunia?*
6. *Itemque in ſupellectili?*
7. *In prædiis ruſticis fructus tacite ſunt obligati; ſed alia bona invecta tenentur ex conventione.*
8. *Prædia ex fructibus empta non veniunt in hoc pignus. Quid ſi quis fundum pignoratum emat,an teneatur fructus reſtituere?*
9. *Bona mariti tacite ſunt obligata pro dote, itemque mariti ſecundi pro rationibus tutelæ geſtæ à matre tutrice filiorum primi matrimonij.*
10. *Bona uxoris obligata fiſco pro adminiſtratione mariti primipili.*
11. *Potius jus fiſci quàm reipublicæ.*
12. *Minor & pupillus habent jus tacitæ hypothecæ.*
13. *Et qui mutavit ad refectionem, non item ad emptionem domus,vel alterius rei.*
14. *Effectus tacitæ hypothecæ, quod rem afficiat & transeat cum ſuo onere.*
15. *An id procedat in invectis & illatis antequam præcludantur?*

T*Acitum pignus* de quo hoc Titul.eſt quod citra 1
conventionem, ex præſumpta voluntate contrahentium, vel legis diſpoſitione conſtituitur. Illius exemplum eſt invectis & illatis in prædium urbanum à conductore, quæ non ſecus cenſentur pro penſione obligata, ac ſi expreſsè de iis cum domino conveniſſet, *l.fin. h. t.* dummodo hoc animo illata ſint, ut ibi maneant ad perpetuum uſum, *l. 7. ff. h. t. & l. 11. §. 5. verſ. planè ff. De pign. act.* Solebant enim qui ædes locabant de harum rerum pignore paciſci, quod autem plerumque fieri ſolet, tacite fieri cenſetur, atque ex præſumpta mente.

Diverſum eſt in invectis & illatis à colono in 2
prædium ruſticum, *l. 4. ff. h. tit.* quæ non niſi expreſſa conventione oppignorata cenſentur, *l.5.h.t.* ubi traditur ſervos coloni non eſſe domino fundi pignori nexos, niſi hi ſervi in fundum inducti fuerint,& ſpecialiter convenerit ut pignoris jure à locatore teneantur. Rationem diverſitatis jam ſuprà *Titul. de locato num. 23.* aſſignavi, quod in ruſticis prædiis fructus quotannis naſcantur & tacite pro mercede obligentur, iiſque ſatis cautum ſit locatori: At in urbanis cùm nihil naſcatur ex quo ſecuritati domini coſulatur, ideo proſpiciendum dominis ſive locatoribus fuit, ut res inquilini ſive invecta & illata tacite eſſent pignori, *d. l. fin. h. t. & l. 4. ff. De pact.*

Sed quid ſi conductor prædij urbani,alteri denuo 3
id relocaverit, eruntne bona à ſecundo conductore invecta,domino tacitè obligata? Et ſane cum inter dominum,& ſecundùm hunc conductorem nullum ſit commercium,nulla quoque obligatio contrahetur,& ex conſequenti nulla actio,quia ut hæc detur, locati contractum intervenire neceſſe eſt, *l.2.ff.h.t.* Itemque ex *l.11.§.5.ff.De pign.act.* apparet rem non eſſe obligatam domino,ſed conductori. Et apertius ex *l.53.ff. De act.or. empt.* ubi licet inquilinus alteri majori pretio relocaverit, tantùm quod domino ab inquilino, non quod inquilino à tertio conductore, penſionis nomine debetur, intelligitur accedere. Indeque colligitur non deberi domino penſionem ſecundi conductoris, quare nec tacitam hypothecam ejus nomine. Nec movet quod in *dict.l.11.§.5.* dicitur invecta & illata à ſecundo conductore in eam ſummam teneri, in qua conduxit cœnaculum, quia non reſpectu domini id intelligendum eſt, qui non contraxit, ſed prioris

Digitized by Google

prioris conductoris; qui obligationem ipſe ſibi quæſivit, tacitum etiam pignus ad ſe trahentem, *Gloſſ. in d.l.2. & ad d.§.5.* Diſſentit perperam Bronchorſt, *miſc. controverſ. lib. 1. aſſ.80.*

4 Hic duo obſervatione digna occurrunt, prius eſt invecta & illata eſſe pignori, non vero inducenda aut inferenda, adeo ut etiamſi expreſsè convenerit, ut inducta & illata ſint pignori, antequam inducantur, ſi eadem alij dentur pignori, is potior ſit in pignore, cum non ex conventione; ſed ex inductione rerum tacitum pignus colligatur, *l.11. §.2. ff. qui pot. in pign.* eoque referenda *d.l.5. h.t.* Alterum eſt, ea tantùm invecta eſſe pignori, quæ eo animo inducta ſunt, ut perpetuo, quamdiu ſcilicet durat locatio, ſint in domo, *l.7.§.1. ff. h.t.* nam ſi res ſint in domum illatæ, non ut ibi ſint, ſed ut mox aut paulo poſt, alio transferantur, hæc tacito pignori non obſtringentur.

5 Unde dubitatur an merces in domum conductam invectæ, tacitè pro penſione obligatæ cenſeantur? Et illas obligatas non eſſe opinantur Angelus, Jaſon & alij *ad §. item Serviana Inſtit. de act.* ea ratione, quod hæc ſit natura & conditio mercium, ut diſtrahantur & commutentur, ut non in domo perpetuò maneant. Sed verius eſt, illas tacitè pro penſione obſtrictas cenſeri, non in ſpecie, ſed in genere, quaſi pignus duret per ſubſtitutionem aliarum mercium in locum alienatarum, *l. 34. ff. De pign.* Quo facit etiam textus *in l. 13. ff. eod. tit. De pign.* ubi grege pignori obligato, decedentibus capitibus quibuſdam, ſi qua poſtea comparentur vel adnaſcantur, nihilominus pignori tenebuntur. Planè etiam ſpecies tempore ceſſæ & ſolvendæ penſionis, quæ extant, pignori affectæ videntur. Pecunia quoque in domum invecta, tacitè pro penſione cenſetur obligata, modo illata ſit eo animo ut ibi retineatur, non verò ad quotidianum uſum exponatur, aut ita exponatur exemplo mercium, ut ſemper alia ſubſtituatur, quæ pignoris loco ſit. Bartolus *ad d. l. 34. §. ult.*

6 At verò ſupellectilem, Faber, Angelus, Jaſon *dict. loco* obligari negant, propterea quod in generalem expreſſam hypothecam, cui tacitam hanc ſimilem faciunt, non veniat, uti nec alia quæ in uſu quotidiano habentur, *l. 6. & 7. ff. De pign.* Sed contrarium eſt verius, cum eo animo inferatur ſupellex, ut perpetuo ibi maneat, cenſeaturque proinde ea tacitè obligata, quæ extat tempore penſionis ſolvendæ. Zaſius *ad d. §. item Serviana numer. 22. ad fin.* Nihil facit *dict. l.4.* nam alia ratio eſt illius generalis bonorum obligationis, alia hujus, quia in illa exiguum quid eſt ſupellex reſpectu omnium bonorum, per quæ ſufficienter cautum eſt creditori, huic vero tacitæ obligationi, ſi ſupellectilem & ea quæ ſunt in uſu quotidiano eximas, aliunde locatori proſpectum vix erit, quia vix quidquam aliud eſſet, quod hac obligatione contineretur, unde male comparatur hæc obligatio illatorum & invectorum ei, quæ generalis eſt, cum tantum contineat ea, quæ eo animo invehuntur ut perpetuo maneant, *l.7. §.1. ff. h.t.*

Ex diſpoſitione legis, in prædiis ruſticis, fructus 7
ibi extantes, tacitè propenſione, fundi domino obligati ſunt ſi naturales, ſive induſtriales ſint, *l.7. ff. h.t.* licet Bartolus diſtinguat: Idemq; juris eſſe exiſtimat, ſi dominus ſciverit coloni bona in fundum invecta eſſe, *l. 5. ſup. De locato*: ſecus ſi ignoraverit; ſed ego indiſtinctè puto, ut ea bona pignoris jure teneantur, requiri expreſſam conventionem, de qua accipi velim verbum voluntatis & ſcientiæ *in d. l. 5.* itemque verbum placuerat *in l. 5. h. t.* Non obſtat *l.7. §.1. ff. h. tit.* quia expreſſim ibi convenerat, ut invecta & illata in prædium ruſticum eſſent obligata.

Cæterum quamvis fundo pignorato, etiam fru- 8
ctus pignori credantur tacita pactione ineſſe, tamen fundi qui emuntur ex fructuum pretio ad hoc pignus non pertinent, *l.3. h.tit.* Sed pone extraneum fundum pignoratum bona fide à debitore emiſſe, ſi conveniatur actione hypothecaria cogeturne fructus reſtituere? Ante litem conteſtatam conſumptos non reſtituit, perceptos verò ante litem & extantes poſt litem conteſtatam ita demum reſtituit, ſi fundus non ſufficiat ad hoc ut creditori ſatisfiat; fructuum verò poſt litem conteſtatam perceptorum nomine, omni modo condemnatur, *l.1. §.4. & l.16. §.4. ff. De pignor.*

Planè ex eadem legis diſpoſitione, res mariti ta- 9
citè ſunt obligatæ mulieri, pro dotis reſtitutione, ut dictum ſuprà *Tit. de jur. dotium num.* 18. Quin & vitrici bona pro ratiociniis tenentur obnoxia, eo caſu quo uxor tutrix filiorum prioris matrimonij nupſit, non redditis rationibus præteritæ tutelæ, aut nondum dato tutore liberis, *l. 6. h.t.* præſumit enim lex mulierem ad ſecundas contra ſacramentum præſtitum nuptias adſpirantem, omnia bona ad ſecundum maritum detuliſſe.

Contra uxoris bona in dotem data, pro obliga- 10
tione primipili mariti, tacitam hypothecam ſubeunt, *l. 4. h. t.* ſi univerſis mariti ac nominatorum facultatibus exhauſtis, nihil reſiduum inveniatur,
unde fiſco ſatisfieri poſſit. * Unde apparet hac in 11
parte majus dote fiſci privilegium, quodque extenditur in bonis ejus cum quo contraxit, *l.2. h.t.* Itemq; pro penſione, tributi *l.1. h.t.* & primipilari debito, contracto ob cauſam ſubminiſtratæ annonæ exercitui, præter jus tacitæ hypothecæ, habeat quodq; prælationem. DD. *ad l. 3. Cod. De primipilo, lib. 12.* Quod jus non communicari reipublicæ, cum privatorum jure utatur multi aſſerunt, *per l.17. ff. De verb. ſign.* niſi ſit reſpublica, quæ beneficio Principis jus tacitæ hypothecæ impetraſſet, *l. 2. infr. de jure reipub.*

reipub. lib. 11. aut talis, quæ ſuperiorem non agnoſcat, qualis olim fuit Romana, donec monarchia ſtatum ejus mutavit. Latius *infr. ad d. t.* 2.

12 Tale jus etiam conceſſum eſt à lege pupillo, furioſo, & cæteris qui in tutela, curatione aliave ſimili gubernatione ſunt, in bonis tutoris, curatoris, negotiorumve geſtoris pro officij ejus rationibus, *l.* 20. *ſup. De admin. tut.* * Inſuper ille qui in
13 refectionem ædificij credidit, illud ſibi tacitæ hypothecæ nomine obligatum habet *l.* 1. *ff. h. t.* Dico in refectionem ædificij, quia qui in refectionem conſervationemque aliarum rerum mutuavit, jus taciti pignoris non habet, cum ſit diverſa ratio cæterarum rerum, quæ ædificiorum, quorum ruina deformitatem urbi adfert. Unde nec puto tale jus competere ei, qui in emptionem ædificij pecuniam credidit, niſi expreſſa conventione fuerit jus hypothecæ conſtitutum. *l.* 7. *infr. qui pot. in pign.* non enim hic ſubeſt tanta neceſſitas, quanta in refectione, in quam qui credidit, fecit ut res eſſet in bonis debitoris, atque eſſet cæteris creditoribus cauſa pignoris ſalva, *l.* 6. *ff. qui potior. in pignor.*

14 Effectus tacitæ hypothecæ eſt, quod rem afficiat, quæ cum ſuo onere alienatur. Quomodo ſi res in prædium urbanum illatæ ante præcluſionem alienantur, non idcirco (etſi pleriq; contrarium ſentiant *ad l.* 4. *ff. De pact.*) à pignoris obligatione eximuntur, *l.* 12. *Cod. De diſt. pign. l.* 15. *ſup. De pign.* quia ut dixi, res ſemper cum ſua cauſa & onere tranſeunt; adeò ut non poſſit debitor legans, donans, aut vendens res pignori nexas jus hypothecæ convellere, *d. l.* 15.

15 Huc pertinet quod tacitum pignus non ex præcluſione, ſed inductione contrahatur, *l.* 2. *& aliis, ff. h. tit.* Et abſurdum eſt dicere res ſimul atque in prædium urbanum inductæ fuerint obligatas eſſe, nihilominus autem eas liberè conductorem, ſine onere tacitæ hypothecæ alienare poſſe, ut ſic locator earum cauſa, actione Serviana adverſus poſſeſſorem experiri nequeat. Non obſtat *l.* 9. *ff. h. t.* ubi bono illata ante incluſionem factam abſque ullo onere hypothecæ alienantur. Nam favore libertatis illud ſingulariter placuit, ut generalis hypotheca non impediat manumiſſionem ſervi, ſpecialis autem eam impediat, *l.* 2. *&* 3. *Cod. De ſervo pign. dato manumiſ.* cum igitur jure ſingulari hoc tributum ſit libertati, ut inquilinus non prohibeatur ſervum manumittere, priuſquam locator ei manum injecit, eumque veluti incluſit, inde ſatis apparet res alias ab inquilino liberari ab alienando non poſſe. Jus quippe ſingulare in uno, ſignificat jus commune eſſe contrarium in aliis, Weſenbec. *in parat. ff. h. t. in fine.*

TITULUS XVI.

Si aliena res pignori data ſit.

1. *Re aliena pignori data pure, pignus non valet: data ſub conditione, cur valeat?*
2. *Res aliena, quare vendi queat, non item pignori dari?*
3. *Qua actione ſubvenitur creditori re aliena ei data pignori.*
4. *Quid juris eo caſu quo creditor ſcivit, vel ignoravit rem alienam ſibi oppignoratam.*
5. *Exemplis illuſtratur regula, quod qui dominus non eſt, rem obligare nequeat.*
6. *Quibus caſibus pignus rei alienæ valeat, aut convaleſcat.*
7. *Quid ſi debitor rei antea alienæ in hypothecam, datæ poſtea factus ſit dominus?*
8. *An igitur creditori dabitur retentio, an etiam actio?*
9. *An tam creditori qui ignoravit rem alienam, quam qui ſcivit, utilis actio detur?*
10. *Si dominus rei obligatæ ſuccedit debitori, qui rem alienam pignori dedit, an creditori contra dominum rei, nunc hæredem detur hypothecaria utilis?*

Hic Titul. ad perſonam pignorantem & ad rem pignoratam pertinet, cum quæritur, an debitor non dominus poſſit rem alienam pignori dare? Et reſolvitur non poſſe purè, ſed ſub conditione, 16. §. 7. *ff. De pign.* Quod ſub conditione utiliter poſſit res alienas obligare, idcirco eſt, quia in conditionalibus tempus demum exiſtentis conditionis inſpicitur, *l.* 61. *ff. De contr. empt.* quo nimirum res debitoris facta erit, ita ut non tam alienam, quam ſuam rem obligare videatur. Cur verò debitor rem alienam pignori obligare non poſſit purè, hæc contra ratio eſt, quia in pura datione, tempus preſens inſpiciendum eſt, quo tempore non habet debitor in ea re, quod dare aut transferre poſſit. Pignus omnino jus eſt in re, unde creditor actionem in eam rem habere poſſit, *l.* 17. *ff. De pign.* quod jus non aliunde ſumere poteſt, quam ab ipſo domino, aliove qui id jus habeat, nemo enim plus juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet, *l.* 54. *ff. De reg. jur.* Quod ſi debitor eo tempore quo pignori dat non eſt dominus, nec quidquam juris habet in ea re quam purè pignori dat, ſequitur quod creditor pignus inutiliter ab eo accipiat. 1

Non obſtat quod emptio rei alienæ valeat, *l.* 28. *ff. De contr. empt.* quia per eam non tam in rem, quàm in perſonam obligatio contrahitur, eaque cogitur venditor rei venditæ poſſeſſionem emptori tradere, vel ſolvere quanti ejus intereſt, quod res 2

tradita

tradita non ſit, aut ſit evicta, *l.11.ff. De act. empt. l.3. Cod. De evict.* At verò pignus jus in rem conſtituit, res autem aliena ſine conſenſu domini obligari nequit, & propterea dixi oportere rem eſſe in bonis debitoris, eo tempore quo pignori dat, *l.15. §.1. ff. De pign.* nam alias quæ ſecuritas eſſet creditori, ſi res non ſit in bonis, ſed alteri oppignorata vel omnino aliena. * Siquidem creditori actio hypothecaria competere non poſſit, quæ tantum datur ei, qui in re jus aliquod ſibi conſtitutum habet: Attamen quin illi adverſus debitorem pignoratitia contraria competat, non eſt dubium, cùm hæc actio perſonam ſequatur, *l.6.h.t.* Imò etiam experiri poterit actione ſtellionatus, adverſus debitorem, qui ſciens prudenſque rem alienam pignori dederit, *l.16.§.1.& l.36.ff.d.t. De pign. act.*

4 Verum etſi quantum ad hypothecariam actionem attinet, pignoris in re aliena conſtitutio ſit inutilis, diſtinguendum tamen eſt inter creditorem qui rem alienam ſciens ſibi hypothecari paſſus eſt, & eum qui ignorabat. Si enim ſcivit, vera eſt dicta ſententia quod denegetur ei actio, quia ſibi imputet quod rem alienam pignori acceperit. Ei tamen retentio competit, quoniam in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, *l. 14. ff. qui pot. in pign.* & quia improbe debitor fecerit, ſi ex ſuo mendacio ſe juvari velit. At ſi ignoravit, ei actio hypothecaria datur adverſus debitorem, vel poſteriorem creditorem, vel alium poſſeſſorem, non dominum, quia ad hos quod attinet, plus in re aliena juris habet, *l.9.§. pen. l.22.§.2.& l.32.ff. De pign. act. l.18.ff. De pignor. & d.l. 14.* At multò magis ignoranti creditori ſi poſſidet, exceptio retentionis competit, quia cui datur actio, multò magis dabitur exceptio. Cujacius *l.8. ad Africanum, fol. 570.*

5 Quare firma manet regula initio Tit. propoſita, pignus rei alienæ non valere, niſi is pignori det, qui rei obligandæ jus habet, quale habet verus rei dominus. Hinc eſt quod neque filiusfamil. rem patris eo invito pignori obliget, *l. 4. h. tit.* neque ſervus, neque procurator, neque actor, aut conductor ſine conſenſu domini cujus res eſt, *d.l.ult.* Imò nec mater rem quam filio donavit, utiliter oppignorat, cum per donationem, rei dominium in filium tranſtulerit, *l. 6. h. tit.* Multò minus curator adulti, vel tutor pupilli rem mobilem, ejus cujus negotia tuetur, pignoris jure obligat, niſi in rem ejus pecuniam mutuam accipiat, *l. 3. h.t.* Quod ſi ergo illam mutuetur in rem ſuam oppignorando rem minoris, non ſubſiſtet hæc pignoris datio, niſi minor poſtquam ad legitimam ætatem pervenit, conſenſum accomodaverit ratumque habuerit, quod à curatore ejus geſtum, *l. 7. h. tit.* Soli itaque domino licet rem ſuam onerare, & uti & perſonam ſuam pejorare, ut alibi loquitur Paulus, alij ut extraneo non licet, *l.21. ſup. mandat. l.54. ff. De reg. jur.* pignore autem res obligatur & oneratur. Quæ cauſa quoque eſt cur Emphyteuta rem emphyteuticam obligare non poſſit, niſi quamdiu emphyteuſis duraverit, *l. 13. & 31. §.1. ff. De pign.* neque vaſallus feudum, *cap. de prohib. feud. alien.*

Enimverò plures caſus dari poſſunt quibus pignus rei alienæ valet, aut convaleſcit, aut confirmatur. 6 Pone quod voluntate domini res aliena obligetur, valebit pignus, *l. 20. ff. De pignor. act.* quia volenti non fit injuria, videtur enim ipſe hoc caſu rem ſuam pignori ſupponere non per ſe, ſed miniſterio ejus qui id fecit. Item convaleſcit pignus ſi dominus ratum habeat, *d. l. 20.* atque hoc ipſo quod ratum habet dicendum eſt, voluiſſe eum retro recurrere ratihabitionem ad tempus illud, quo convenit, *l.16. §.1. ff. De pignor.* Sic ſuſtinetur judicium ſuſceptum, aut quid aliud geſtum à falſo procuratore, ſi poſtea dominus ratum habuit, *l. 56. ff. De judic.* Sic ſi procurator citra domini voluntatem pignus dedit, ut pecuniam mutuam acciperet, eamque in rem domini verſam eſſe conſtat, adeò firmum cenſetur pignus, ut illius retentione creditori conſulatur, deſideranti ſibi quod numeratum eſt, exſolvi, *l.1. h. t.* Planè ſi dominus ſciens diſſimulet in fraudem creditoris ignorantis, rem non eſſe ſuam, eamque patiatur ei à debitore obligari, ſubſiſtit pignoris obligatio, propter fraudulentam diſſimulationem domini, qui fingitur conſenſiſſe, ne impunita ſit ejus calliditas, cum alieno detrimento, *l. 2. h. t.*

Quid ergo ſi debitor, qui rem alienam obliga- 7 vit, poſtmodum ejus rei dominus fiat, veluti ſi domino rei obligatæ ſuccedat? Hoc caſu pignus quod ante non valuit, ex poſt facto, non ipſo jure, ſed ex æquo & bono convaleſcit, *l.5. h.t.* quia verum eſt debitorem rem illam pignoraſſe, & ejus jam eſſe dominum, & quia res in eum caſum venit, à quo incipere potuit, quia denique iniquum eſt creditorem decipi à debitore, & hunc ex ſuo mendacio lucrum conſequi. * Hinc ſi creditor poſſidet, 8 ſive rem alienam eſſe ſciverit, ſive ignoraverit, habet retentionem, nempe per exceptionem doli mali, quia debitor dolo malo & ſimulatione eſt uſus, & quia improbe rem creditoris vult auferre, quam ei oppignoravit. An etiã habeat actionem? Stricto jure non habet, propter juris regulam, qua dicitur quod id quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis convaleſcere non poſſit, unde creditori tam ſcienti, quam ignoranti non datur actio pignoratitia, ſive hypothecaria directa, cum ad illam requiratur, ut res ab initio ſit dantis, ſed ex æquitate utilis perſecutio exemplo pignoratitiæ accommodatur, *d. l.5. & l.41. ff. De pign. act.* id eſt, utilis hypothecaria actio, exemplo hypothecariæ directæ datur, perſecutio enim ad actiones magis reales pertinet quam ad perſonales, præſertim

Digitized by Google

cum in *d. l. 5.* affirmetur actionem eſſe ſuper pignore, id eſt, re quæ eſt hypothecata, cum ea quæ pignoratitia eſt, ſit ſuper perſona.

9 Verùm cum *d. l. 5.* indiſtinctè loquatur, quæritur an actio illa utilis, perinde detur creditori ſcienti alienam, atque datur ignoranti? Et ſcienti difficilius dari reſcribit Papinianus *in d. l. 1. in princ. ff. De pign.* Quod verbum *difficilius*, quomodo accipi debeat, variant interpretes: Duarenus *lib. 1. diſput. cap. 11.* Balduinus *tract. De pign. cap. 12.* Donellus *De pign. cap. 7.* Mudæus *ad d. l. 1.* Dicendum videtur retentionem rei hypothecatæ facilius dari, actionem verò hypothecariam difficilius ſeu rarius. Etenim creditori ignoranti ſemper actionem dari conſtat, tam contra debitorem, & eum qui à debitore cauſam habet, quàm contra quemvis alium rei oppignoratæ poſſeſſorem. At ſcienti non ſemper dari veriſſimum eſt, quoniam ei tantum datur contra debitorem, aut eum ad quem debitor poſt dominii acquiſitionem, rem poſſeſſionemve tranſtulit; non etiam contra quemvis alium poſſeſſorem. Contra debitorem, quia ſi hac defenſione uti velit, quod non fuerit dominus, tunc cum pignoravit, venit contra factum ſuum, & doli mali replicatio ipſi obſtabit, *l. 21. §. 1. ff. de pign.* Convincitur enim de ſuo mendacio, quia rem non pro aliena, ſed pro ſua oppignoravit, *l. 41. ff. de pign. act.* Item contra eum qui à debitore domino effecto cauſam habet, quia debet auctoris ſui jure niti, *l. 54. ff. De reg. jur.* Non etiam contra quemvis alium poſſeſſorem, quia tum dictæ rationes ceſſant, & proinde hic agenti creditori rectè objiciet, rem non fuiſſe in bonis debitoris tempore conventionis, Jul. Pacius *cent. 4. enant. quæſt. 51.*

10 Cæterum in caſu converſo, diſceptatio major eſt, ſi nimirum dominus rei obligatæ ſucceſſit debitori, qui rem alienam pignori dedit, An creditori contra dominum pignoratæ rei nunc hæredem, hypothecaria ſaltem utilis concedatur? In hac quæſtione diſſentiunt inter ſe juris noſtri auctores, quia Modeſtinus affirmat, pignus ex poſt facto directè quidem non convaleſcere, attamen utilem actionem pignoratitiam creditori dari, *l. 22. ff. De pign.* Paulus verò negat creditori pignoris perſecutionem dari, *d. l. 41. ff. De pign. act.* In conciliatione laborant tam veteres quam recentiores Interpretes, Accurſius plures conciliationes adfert *ad d. l. 22.* Item Mudæus *ad l. 1. ff. De pign. num. 21.* Alciatus *l. 7. parerg. cap. 14.* Duarenus *lib. 2. diſp. cap. 4.* Cujacius *lib. 19. obſerv. c. 26.* Gyphanius *ad d. l. 2. h. t.* Vultejus *lib. diſcept. ſchol. cap. 17.* Ludov. Charondas *lib. 1. veriſ. cap. 10.* & alibi Hottomanus *ad Tit. ff. quæ res pignori, &c. & lib. 5. obſ. cap. 18.* ubi cenſet inexplicabilem eſſe contrarietatem iſtarum legum, ſed facile erit eas conciliare, ſi in ſingulis diſtincti explicentur caſus, quorum explicationi ſuperſedeo, brevitatis cauſa, & quia clarè apud Vultejum, & citatos Doctores inveniuntur.

TITULUS XVII.

Quæ res pignori obligari poſſunt, vel non, & qualiter pignus contrahitur.

1. *Pignorari poſſunt nomina, & generaliter & ſpecialiter.*
2. *Quænam res non cenſeantur generaliter oppignoratæ.*
3. *Quid de bonis, quæ defuncti non fuerunt, ſed ab hærede ejus aliunde acquiſita ſunt?*
4. *Pignorari prohibentur res ſacræ, religioſæ.*
5. *Liberi homines Obſides tamen dari poſſunt.*
6. *Quatenus prohibetur ſpes præmij athletici opignorari?*
7. *Pignorari non debent, nec in pignus judiciale capi res agriculturæ deſtinatæ.*
8. *Conventione expreſſa pignorari creditoribus poſſunt? Imo vendi agricolis, qui ſunt in eadem villa.*
9. *Quæritur, an ſervitutes tam ruſticæ, quam urbanæ pignori dari poſſint?*
10. *Probatur ſententia quæ indiſtinctè negat ſervitutes pignorari poſſe.*
11. *Quid de ſervitutibus perſonalibus?*
12. *Pignus contrahitur, conſenſu & traditione rei, etiam inſtrumenti quo illius rei emptio continetur.*
13. *Obligatione bonorum generali continentur præſentia bona & futura.*
14. *Cur ſub venditione, donatione, legato non veniant bona futura.*

DUæ ſunt hujus Titul. partes, in prima traditur generalis regula, quod res omnes quæ in commercio ſunt, oppignorari ab earum dominis poſſunt, tam generaliter, quam ſpecialiter, uti actiones ſeu nomina debitorum, idque ita exigente utilitate commerciorum. Quare poteſt creditor obligatum ſuo debitori excutere, utili actione in perſonam. Niſi antequam illi ſignificaverit obligationem pignoris, is jam ſatisfecerat quod debebat proprio creditori, *l. 4. h. t.* Admonendum tamen hoc pignus nominis, ne quidem hodie valere ipſo jure, ſed tantum per tuitionem prætoris ſuſtineri, *l. 18. ff. De pign. act.* Et proinde ex hoc pignore non directam, ſed utilem tantùm actionem naſci, *l. 7. ſup. De hæred. act. vend.* Coſtal. *ad l. 18. ff. De pign. act.* 1

Nonulla obligari ſpecialiter poſſunt; quæ ſub generali hypotheca non continentur, ut ſupellex, veſtimenta, mancipia ad uſum neceſſaria, alumni, qui penè liberorum loco ſunt, & à nutritore vel nutrice non ſeparantur, itemque cæteræ res quæ ad 2

affectio-

affectionem pertinent, quas nemo præſumitur velle pignorare, niſi expreſsè & in ſpecie pignoret, *l. 1. h. t. l. 6. & ſeqq. ff. De pignorib.* Joan. à Sande *lib. 3. deciſ. Friſ. tit. 12. defunct. 11.* * Imò quamvis genera-
3 liter quis omnia bona ſua pignori eſſe pactus ſit, non tamen poteſt videri de his quæ ab ejus hærede demum acquiſita ſunt, conveniſſe; vel certè fruſtra convenerit, cum illa neque in dominio, neque in poſſeſſione defuncti fuerint, ſed ſeparata omnino ab ejus bonis, *l. 29. ff. De pignor.* Aliud dicendum ſi rem quampiam uſu cepiſſet hæres, utendo acceſſione poſſeſſionis defuncti, *l. 14. ff. De diverſ. temp. præſ.*

Porrò ſunt res aliæ, quæ ne quidem ſpecialiter à
4 quopiam obligari poſſunt prohibente juris religione, ut res ſacræ religioſæ, *l. 3. h. t.* excepta cauſa captivitatis, vel famis, ob quam poſſunt oppignorari, *l. 21. ſupr. De SS. Eccleſ.*

5 Planè quia in commercio liberi homines non ſunt, neque illos in pignus dari poſſe manifeſtum eſt, *l. 6. h. t.* ut creditoribus ſerviant, & qui ſcienter eos in pignus acceperit, debito cadit, & relegatur, *Auth. Imò ſup. de Oblig. & Action. & l. fin. ff. h. t.* Receptum tamen obſides dari poſſe pro pignore fidei ſervandæ, publica urgente cauſa. Sed illi non ut ſervi, ſed ut liberi detinentur, donec pretium redemptionis ſolvant, *l. 2. C. de poſtl. reverſ.* & idcircò dicuntur vinculo quodam pignoris retine-
6 ri in *l. 20. §. 1. ff. qui teſt. fac.* * Spem eorum præmiorum, quæ pro coronis Athletis penſitanda ſunt, privata pactione pignorari minimè admittendum eſt, *l. 5. h. t.* ne fortè dum eorum præmiorum ſpes adimitur, Athletarum virtus & alacritas impediatur; Dico privata; nam Judicis auctoritate præmia obtentæ victoriæ, pignori capi poſſunt, eo condemnato qui victoriam obtinuit, *l. 40. ff. de re jud.* ſi alio modo ſatisfacere rei judicatæ non poſſit, juxta *l. 4. ſup. De execut. rei jud.* vide quæ ibi dixi *num. 12.* & Connanum *l. 4. commentar. cap. 14. num. 8.*

Inſtrumenta quoque ad culturam agrorum per-
7 tinentia, pignoris cauſa abſtrahi prohibentur, de poſſeſſoribus, vel capi in pignus judicati ab executoribus, cujuſcumque Judicis, ne agricolæ inſtrumentis ſuis deſtituti, agriculturam deſerant magno cum Reip. detrimento, & jactura tributorum, quæ ab ipſis præſtari non poterunt deficientibus alimentis, *l. 7. 8. & Aut. Agricultores. h. t.*

8 Quæ quidem Conſtitutiones cum vetant hæc inſtrumenta pignoris jure auferre; Inde colligimus non prohibere, quo minus agricolæ ſua inſtrumenta expreſſa conventione pignori obligare poſſint ſuis creditoribus, atque ab iis vendi dummodò vendantur agricolis, qui in eadem villa & poſſeſſione, iſtis inſtrumentis, ad agriculturam utentur; ſic enim fiet ne inſtrumenta aratoria auferantur de vetere poſſeſſione, quod ad ſententiam iſtarum legum ſatis eſt. Quod autem expreſſa conventione obligari poſſe exiſtimem, movet me quod ait Scævola *in l. 32. ff. De pign.* Servum ad culturam miſſum, hoc eſt, ſervum aratorium generali conventione obligari, ergo etiam alia inſtrumenta ruſtica obligantur, quia ſervus & boves aratorij & alia inſtrumenta æquiparantur, *d. l. 7.*

Quæritur de ſervitutibus realibus? Et ruſticas 9
pignori dari poſſe non etiam urbanas plerique volunt; inter quos Eruditiſſimus Cujacius *l. 15. obſ. cap. 6.* conatur hanc differentiam defendere, aſſeritque ob contrahentium utilitatem (in qua ſe fundat Paulus J.C. in *l. 12. ff. De pign.*) non poſſe pignus conſiſtere in ſervitutibus urbanis, uti in ruſticis per *l. 11. §. fin. ff. eod. tit.* Nam ut ſervitutis pignus utile ſit neceſſe eſt, ut non ſolum utile ſit creditori habenti prædium vicinum, ſed etiam alteri vicino, cui ſervitutem vendere poſſit; inutile enim eſt pignus quod vendi non poteſt, *l. 4 ff. De pign. act.* Quod in urbanis ſervitutibus contingere non poteſt, quia ſervitus quam creditor habet, vicino uſui eſſe nequit, ſiquidem ſervitutis tigni immittendi ex ædibus creditoris in ædes debitoris, nulla poteſt eſſe utilitas alteri vicino, & ideò nullus vicinus tale pignus empturus eſt, & non vicinus emeret fruſtra, & inutiliter. Quod omninò diverſum eſt in ruſtici prædij ſervitutibus, quarum aliqua ſi creditori ſit obligata, facilè hic creditor vicinum emptorem inveniet, cum poſſit per unum fundum aditus pluribus in ſuos fundos patere: & ſic de cæteris ſervitutibus ruſticis.

Verius tamen indiſtinctè neutras ſervitutes ipſo 10
jure conſtitui hoc modo poſſe. Nam Paulus *in dict. l. 11. §. fin.* non hoc in quæſtionem vocat, an ſervitutes ruſticæ pignori dari queant, ut ita eas ab urbanis ſeparet, ſed illud an dominus in ſuo ſervitutem de novo conſtituere poſſit creditori pignoris loco, ut ea creditor utatur, quamdiu pecunia ſoluta non ſit, id verò dominum facere poſſe reſpondit, non ut ipſo jure conſtitui hoc modo poſſit ſervitus, quia ipſo jure ad tempus, vel ex tempore conſtitui non poteſt, habere enim debet cauſam perpetuam, *l. 4. ff. De ſerv.* ſed benignè propter utilitatem contrahentium hoc ita ſuſtinetur. Atque de domino fundi J.C. loqui, qui temporis cauſa in ſuo ſervitutem imponit, arguunt illa verba quibus conventio talis initur, ut hiſce ſervitutibus creditor utatur: *Scilicet ſi vicinum fundum habeat, & ſi intra diem certum pecunia ſoluta non ſit, vendere eas vicino liceat.* Hæc namq; pactio de ſervitute, quæ nobis in alieno debetur recipi nequit. Semper enim dominus fundi ſervientis rectè negabit ſe creditori, aut ei cui creditor vendiderit ſervitutem debere, nec quiſquam cui ſervitus debetur, ſervientis fundi cauſam deteriorem facere poteſt, *l. 20. §. 5. verſ. & omnino. ff. de ſervit. præd.*

ſrad. urb. Non obſtat etiam quod Martianus *in dict. l.* 11. *§. fin.* generaliter dicat, *Jura prædiorum urbanorum non poſſe pignori dari*; nam ex eo perperam à contrario infertur, ſervitutes ruſticas poſſe oppignorari. Et rejecta emendatione quorundam affirmantium verbum *urbanorum* abeſſe debere, dicendum eſt ſervitutum urbanarum exempli ſolum,non etiam definitionis cauſa, mentionem fieri, atque indiſtinctè ruſticas, non magis quam urbanas non poſſe pignori dari,quoniam licet ſint diverſæ, non ſunt tamen contrariæ, cum poſſint æque hæ, atque illæ præcario concedi, *l.* 3. *l.* 15. *§.* 2. *ff. De precario.* Videatur Duaren. *lib.* 2. *diſp. c.* 13. Donell. *De pign. c.* 10. Mudæus *ad h. t. num.* 14. *& ſeq.* ubi concludit non tam ipſum jus ſervitutis dari pignori, quam facultatem eundi perſonalem.

11 Cæterum quin ſervitutes perſonales, ut uſusfructus poſſint pignori dari, non dubitatur, *per l.* 9. *§.* 1. *ff. De pignorib.* ubi quod emptionem venditionemque recipit, id etiam pignorationem recipere poteſt. Hinc etiam Prætor qua ratione emptorem uſusfructus tuetur, eadem tuebitur creditorem, *d. l.* 11. *§.* 2. ut hic tam diu utatur & fruatur commodis uſusfructus, quoad pecunia ei ſoluta ſit. Aliud in uſu receptum: Etenim cum is perſonæ ſic cohæreat, & nec vendi, nec cedi queat, merito nec pignori obligari darive poterit, *§.* 1. *Inſt. de uſu. & habit.*

12 Altera Titul. pars docet qualiter pignus contrahatur, nudo videlicet debitoris & creditoris conſenſu, qui colligitur,vel ex verbis, vel ex ſcriptura, quæ interdum ſolet accedere ad faciliorem geſti probationem, vel ex rei pignoratæ traditione. In pignore itaque obligando magis ſpectare oportet, quid contrahentes ſenſerint, quam quid dixerint, quomodo qui inſtrumentū emptionis agri pignori dat, ipſum agrum quem emptionis titulo nactus eſt, pignorare intelligitur, *l.* 2. *h. t.* quemadmodum inſtrumento emptionis donato, res ipſa empta donata videtur, *l.* 1. *Cod. De donat.*

13 Planè qui omnia bona ſua pignori dat, non tantum mobilia & immobilia præſentia, ſed etiam futura quæ habiturus eſt, obligaſſe cenſetur, quamvis de futuris bonis nihil expreſſerit. Quia qui omnia dicit nihil excipit. Imò licet debitor dixerit fide, & periculo rerum ad ſe pertinentium, quibus verbis veteres exiſtimabant contrahi præſentium rerum ſpecialem hypothecam; hodie etiam generalem hypothecam contrahi & futura bona comprehendi placet Juſtiniano *in l. fin. h. t.* quandoquidem debitor verbo generali hypothecæ vel pignoris uſus ſit; non ideo tamen tenetur in majorem ſummam vel quantitatem.

14 Cæterùm ſi de venditione,donatione, aut legato agatur,non erit idem dicendum, nempe ſi quis ſimpliciter bona ſua vendiderit, donaverit, legaverit, vel veſtem ſuam omnem, vel argentum omne, in his alienationibus rerum, præſentes tantum, non futuræ res intelliguntur, ſi aliud expreſſius dictum non ſit, *l.* 7. *ff. De auro & argent. leg.* Ratio diverſitatis eſt, quod obligatio pignoris eandem cauſam habeat, tam quoad futuras res, quam præſentes, ut videlicet omni modo creditori cautum ſit, quæ ratio non ſubeſt in rebus donandis & alienandis, in quibus ſatis proviſum eſt emptori, donatario, legatario per res præſentes, ſecundùm mentem domini.

Poſtremo etſi generalis obligationis tanta ſit vis, illa tamen obligatione non continebuntur ea omnia, quæ veriſimile eſt debitorem ſpecialiter pignori daturum non fuiſſe *l.* 6. *ff. De pignor.* exempla ſupra *Titul.* 14. *num.* 2. aſſignavi.

TITULUS XVIII.

Qui potiores in pignore habeantur.

1. *Effectus pignoris. Etſi debitor res ſuas duobus pignori obligaverit, quo modo jus ſuum quiſque perſequatur.*
2. *Si utrique res pro parte obligata ſit, uterque agit actione hypothecaria, Cur non etiam Salviano interdicto?*
3. *Quid ſi non convenerit, ut res eſſet in ſolidum, vel pro parte duobus obligata.*
4. *Si diverſis temporibus pignus contractum ſit, is potior habetur, qui prius habet hypothecam.*
5. *Idque exemplis declaratur.*
6. *Quid ſi eadem res priori creditori ſub conditione, poſteriori purè ſit obligata?*
7. *Generalis hypotheca prioris creditoris præfertur ſpeciali poſterioris.*
8. *Interdum qui ſpecialem habet, eum qui generalem, ſed poſteriorem accepit, antevertit.*
9. *Quid ſi uni primum bona omnia generaliter ſint obligata, deinde eadem alteri?*
10. *Quid juris ſi privatus cum fiſco concurrat in proprietate hypothecæ?*
11. *Fiſcus & reſpublica gaudent jure privati, quando illa præfertur chirographariis.*
12. *In pœnali debito fiſcus poſtponitur creditoribus.*
13. *Quid ſit tempore potiorem jure priorem eſſe, & quatenus id procedat contra legatarios.*
14. *Cur eſt potior is qui prius pignus accepit, non item extra pignus qui prius contraxit.*
15. *Quomodo ſecundus creditor poſſit ſibi confirmare jus pignoris adverſus priorem?*
16. *Prærogativa temporis non obtinet niſi inter creditores hypothecarios, non item chirographarios.*
17. *Quid ſi hypotheca ſit conſtituta, à non domino, cui poſtea dominium acceſſit?*
18. *Prærogativa temporis gaudent creditores privilegiarij.*

19. *Alij*

Digitized by Google

19. *Alij ſunt privilegiati creditores, & præferuntur propter cauſam, veluti qui ad rem reficiendam, emendam, conſervandam, credunt.*
20. *Quid ſi pecunia pupilli res ſit comparata?*
21. *Cauſa religionis omne creditum præcedit.*
22. *Mulier in dotis ſuæ repetitione omnibus creditoribus præfertur.*
23. *Poſtponitur liberis prioris matrimonij.*
24. *Item creditoribus qui ad militiam emendam pecuniam crediderunt.*
25. *Item qui publico inſtrumento pignus accepit, præfertur priori creditori, qui ex chirographo tantum accepit.*
26. *Quando privatum inſtrumentum vim habeat publici.*
27. *Quid ſi dubitetur de teſtium ſubſcriptione, aut ſcriptura nulla confecta ſit?*

1 HActenus de pignore conſtituendo, ſequitur de ejus effectu, qui eſt, ut ſi debitor non ſolvendo exiſtat, creditor rei pignoratæ commodo potiatur: verum, quia rem unam duobus vel pluribus obligari contingit, multum refert ſimul eodem tempore, vel ſeparatim diverſis temporibus debitor eandem rem pignori obligavit: ſi eodem tempore, diſtinguendum eſt, utrum convenerit in ſolidum duobus eſſe obligatam, vel per partes; vel ſi nihil de ea re convenerit, an in ſolidum vel per partes eſſet obligata re in ſolidum duobus obligata, uterque adverſus debitorem & adverſus extraneos, poſſeſſionem ejus rei avocare poteſt actione hypothecaria; inter ipſos creditores actio hypothecaria non datur, quia ſi unus ex his prius egerit, & ſic poſſeſſionem occupaverit, potior eſt conditio poſſidentis, *l. 10. ff. h. t.*

2 Sin autem convenerit ut pro partibus res obligaretur, uterque agere poterit utili hypothecaria adverſus extraneos & inter ſe; ſi alter eorum ſolus poſſideat, ut dimidiam poſſeſſionis partem quiſque apprehendat, non tamen Salviano interdicto, *l. 1. §. 1. ff. De ſalvi interdict.* Ratio differentiæ inter hypothecariam actionem & ſalvianum interdictum ea eſt, quod qui agit interdicto, agit de tota poſſeſſione, commodove poſſidendi, quod per partes ſcindi non poteſt. At licet actio hypothecaria ſeu quaſi Serviana poſſeſſionem revocet, *l. 66. ff. De evictiōn.* Rem tamen ipſam proſequitur ſeu jus hypothecæ quod per partes ſciendi, & cuique domino ſua pars adjudicari poteſt; quam diſtinctionem ſupra explanavimus *Titul. 9. num. 16.*

Quod ſi nihil expreſſum convenerit, ut res pro
3 parte, vel in ſolidum eſſet obligata, pro modo debiti cuique actio competet, ſi videlicet inter utrumque creditorem ſit quæſtio: ſin verò adverſus poſſeſſorem aut ipſum debitorem creditores agant, magis eſt, ut quia pares tempore ſunt, in ſolidū agere poſſint, *l. 16. pen. ff. De pignorib.* videntur autem eodem tempore de pignore conveniſſe ſi ſeparatim eodem die convenerint, licet unus horarum numero prior fuerit, quia non habetur ratio horæ, ſed tantum diei, vel menſis, vel anni: Ubi itaque ſeparatim eodem die creditoribus obligata res fuit; ſatis per ſe intelligitur quiſque creditor ſolidum paciſci voluiſſe, ideoque non exigitur ut ſpecialiter hoc actum ſit. At verò ubi ſimul, id eſt, plures præſentes de pignore paciſcuntur, procul dubio nō videntur ſinguli per ſe, aut per naturam ipſius conjunctionis ſolidum pacti eſſe, quin potius concurſu ſuo pignus pro cujuſcumque parte diviſiſſe, *l. 56. & l. 112. in fine pr. & §. 1. ff. De cond. & demonſt.*

Cæterum ſi diverſis temporibus ſeparatim res 4
fuerit pluribus obligata, potior eſt ille, qui prius credidit pecuniam, & hypothecam cum effectu acquiſivit, *l. 2. 7. & 8. h. tit.* quia non ex credendi, ſed ex pignoris adipiſcendi tempore jus prælationis æſtimatur. Sic ſi huic ab initio res pignori data eſt, ut ſolus in ea pignus habeat, ſequitur, quod ſi eadem res alteri obligetur, prior adhuc potior ſit, quia debitor non potuit ejus conditionem deteriorem facere, *l. 15. ſupr. De pignorib.** Et propterea ſi primus 5
qui ſine hypotheca credidit, aliquanto poſt hypothecam accepit, ſed poſt ſecundum qui utrumque fecit, in hypotheca ſine dubio poſterior erit. Item ſi primus bis cum hypotheca credidit, ſemel ante ſecundum, iterum poſt ſecundum, in priore credito præferetur ſecundo, in poſteriore tertius erit, *l. 12. §. 2. & 3. ff. h. tit.* Ita quoque ſi convenerit, ut res ſibi pignorata eſſet, quo tempore nondum pecuniam credidit quam tamen numeravit poſt ſecundum, iſto poſterior erit, quia pignoris obligatio non ante incipit, quam pecunia fuerit numerata, licet enim ante convenerit, in debitoris tamen eſt poteſtate non accipere ab eo pecuniam, *l. 11. in princ. ff. h. t.*

Verum tamen ſi ſub conditione priori creditori 6
eadem res ſit obligata, potior erit ſecundo, qui pecuniam numeravit, modò conditio talis ſit quæ invito debitore impleri poterat, ut *ſi navis ex Aſia venerit*, cum ea ſit natura conditionis, ut ubi ſemel extiterit, perinde habeatur ac ſi illo tempore quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſub conditione facta eſſet, & hac ratione ſit ut obligatio pignoris prius quæſita fuerit primo creditori, *l. 9. in princ. & §. 1. & d. l. 11. ff. h. tit.* Si verò ea ſit conditio pignoris, quæ non niſi volente debitore poſſit impleri, veluti *ſi in Capitolium aſcenderit*; non tempus contractus, ſed quo conditio extitit ſpectatur: Et hoc exiſtente, uti ſecundus creditor in pignore vel hypotheca prior, ita & potior eſt, *d. l. 11. §. 2.*

Quid igitur ſi alter creditor habeat generalem 7
hypothecam in omnibus bonis debitoris, alter ſpecialem in certis tantum bonis? & hic quoque pro-

cedet

Digitized by Google

cedet regula, quod qui prior eſt tempore potior eſt jure, nimirum, ut qui primus generaliter accepit hypothecam vel pigus, præferatur creditori, cui poſtea quædam bona ſpecialiter ſunt obligata, *l.6.h.t.* quia non minus generali oratione res ſingulæ obligantur, quam ſi de ſingulis ſpecialiter conveniſſet, genus enim omnes ſub ſe complectitur ſpecies. Itaque jus pignoris priori generaliter quæſitum, facto debitoris ſpecialiter bona quædam poſtea obligantis deterius fieri non poteſt, *l.3.ff. De remiſſ. pign.* Eſtque adeo prior hic creditor, ut jure ſuo illam ipſam rem ſpecialiter alteri obligatam, perſequi atque diſtrahere poſſit, non minus, quam ſi in eo pignore ſolus eſſet, *d.l.6. & l. 2. ff. h.t.* quoniam vi generalis obligationis ipſi obſtricta res iſta eſt.

8 Diverſum tamen eſt, cum priori creditori res aliquæ ſpecialiter pignori obligantur, deinde generaliter bona omnia præſentia & futura debitoris, in quibus ſit certa res, puta fundus, qui ſpecialiter poſtea ſecundo creditori eſt obligatus, nam non poteſt primus fundum hunc diſtrahere vi ſuæ generalis hypothecæ quamdiu ex rebus ſpecialiter eidem obligatis ſuum debitum redigere poſſit, *l. 2. ſup. De pign.* Cum enim in toto jure ſpecies deroget generi, *l. 80. ff. De reg. jur.* videtur hoc tacitè actum cum priore creditore, cui ſpecialiter quædam, pòſt generaliter omnia obligantur, ut ad iſta bona ſibi generaliter obligata non accedat, niſi ob defectum bonorum eidem ſpecialiter obligatorum; quare cum ex hiſce bonis poſſit ſuum conſequi, non debet cum injuria & damno ſecundi creditoris res illi obligatas invadere. Atque eo caſu non eſt metuendum ne contra ſuperiorem regulam *qui prior eſt tempore* peccetur, quia hic ſecundus creditor cum primo non concurrit, ſed ſecundus in fundo ſibi ſpecialiter obligato, non tam potior, quam ſolus reperitur.

9 Quid ergò dicendum eo caſu, quo mihi Titius primum omnia ſua bona generaliter obligavit, deinde alteri etiam generaliter? Et placuit me potiorem eſſe, præferrique debere in iis, quæ quæſita ſunt à Titio poſt utriuſque conventionem, *l. ult. ff. h. tit.* quod ſummam habet rationem, nam cum uterque generali pignore nitatur, valere debet in hujuſmodi pignoris perſecutione temporis prærogativa, *l. 2. & 12. ff. eod.* * Notat tamen Ulpianus ut ſi is qui mi-

10 hi obligaverat quæ habet habiturusve eſſet, cum fiſco contraxerit; fiſcum in re poſtea acquiſita potiorem eſſe, ex reſponſo Papiniani: *prævenit*, inquit, *cauſam pignoris fiſcus, l. 28. ff. De jure fiſc.* Atque ideo verba illa, poſtea acquiſita, referenda ſunt, ad tempus quod ſecutum eſt obligationem fiſci, non ad tempus, quod intervenit poſt obligationem prioris, ante obligationem fiſci: nam illa quæ medio illo tempore quæruntur, & ante fiſci obligationem, priori potius creditori, quam fiſco obligata cenſentur, & is in his præferendus erit fiſco, *l.8. & l. ultim. ff. h. tit.* poſt obligationem autem fiſci, quæcumque ejus debitor acquirit, ea quaſi conditione ad ipſum veniunt, ut fiſco cenſeantur obligata, qua enim legis auctoritate ea bona ſibi acquirit, eadem cenſentur obligata eſſe, ideoque in his fiſcus præfertur. Nec obſtat *d.l.ult.* ubi prior creditor in bonis poſtea quæſitis præfertur, nam præter id quod hic creditor præcedebat fiſcum, habebat & privilegium tutelæ, & ſic erat æqualis fiſco, unde meritò ei præfertur in poſt quæſitis, ubi enim eſt par privilegium ſemper remanet illa ſententia, ut prior præferatur poſteriori. Cujacius *lib. 19. obſerv. cap. 22.* Conanus *lib. 4. comm. jur. cap. 17.*

Hinc regulariter antiquior creditor, ſive in generali, ſive ſpeciali hypatheca, vincit poſteriorem fiſcum, in cauſis ſcilicet in quibus ſaltem jure tacitæ hypothechæ gaudet, ut & Rempublicam, *l. 4. h. tit.* Siquidem fiſcus & Reſpublica, eodem quo privati jure utuntur, & non habent privilegium niſi in cauſis expreſſis, *l. 2. l. ult. Cod. De fiſcal. uſur. lib. 10.* Sic Reſpublica Heliopolitana miſſa in poſſeſſionem ſervandi judicati cauſa, præfertur chirographariis creditoribus pignora habentibus *in l. 3. h. tit.* quia & non miſſa idem privilegium habet, *l. penul. ff. De rebus auct. jud. poſſ.* Eſt enim Reſpublica in actione perſonali privilegiata. 11

Cæterum in pœnali debito, fiſcus prælationis ſuæ privilegium non exercet, ſed poſtponitur omnibus creditoribus, *l. un. pœnal. fiſc. cred. præf.* ſiquidem fiſcus pœnam perſequendo de lucro captando, reliqui verò creditores de damno vitando certant, ideoque horum cauſa ſemper favorabilior, durior verò petitoris, *l. 33. ff. De reg. jur.* tum quia bonorum publicatio ſic accipitur, ut æs alienum prius deducatur, *l. 72. ff. De jure dot. l. 37. ff. De jure fiſci*, ubi reſponſum non eſſe petendam pœnam, niſi creditores ſuum recuperaverint. 12

Atque ex his intelligimus privatum creditorem prævalere in jure, quia prævenit in pignore, ita ut non modo pignus à quolibet poſſeſſore vindicare, idemque adverſus quemcumque retinere poſſit, verum & ſe tueri adverſus creditorem cui idem pignus conſtitutum eſt, quoniam ſemper tenenda eſt ſententia, quiſquis prius pignus ſibi comparavit ei invito pignus adimi non poſſe. Quod fieret, ſi ſecundus creditor pignus poſtea nactus priori præferretur. Quapropter in caſu *l. 2. h. t.* cum creditor de damno certet, & pignus præſens petat ex cauſa judicati, meritò præferri debet legatariis certantibus de lucro, ſeu legato conditionali, quod nec dum debetur, & incertum eſt an exiſtet conditio, *l. 213. ff. De verb. ſign.* Imò hodie ex Conſtitutione Juſtiniani, quamvis legatariis legatum ſit purè, & prius hypothecam acceperint, creditorum cauſa potior eſt, cum bona 13

omnibus

Digitized by Google

omnibus ſolvendo non ſunt, quo caſu creditoribus qui pro damno certant, prius ſatisfaciendum erit, etiamſi hi nullam habeant hypothecam, *l. ult. §. 5. ſupr. De jure delib. & l. 16. ad L. Falcid.* ubi legata non debentur, niſi de eo quod ære alieno deducto ſupereſt.

14 Cum igitur prioris creditoris hypotheca, prior & firmior ſit, eam hic prior contendens cum poſteriore, ſuo jure aufert, tametſi ei debitum non offerat, *l. 5. h. t.* Contrà verò poſterioris hypotheca infirmior eſt, quia in id tantum efficax eſt, quo ſumma pignoris excedit ſummam prioris ſortis, & poſteriori creditori non confirmatur jus pignoris in totum, ſic ut non ſit ei facultas ſi adverſus priorem agat, hypothecam retinendi, niſi ei omnem pecuniam debitam ſolvat, aut illo non accipiente, pecuniam obſignet & legitimè deponat, neque in ſuos uſus deinceps convertat, *l. 1. h. t.* ita enim poſterior creditor jus ſuum confirmat, & non tam ſit prior, quam ſolus, remoto ſcilicet priore per ſolutionem vel oblationem pecuniæ legitimè factam, *d. l. 5.*

15 *. Interdum poſterior creditor præfertur priori in hypotheca, non quidem perpetuò, ſed ad tempus, eo caſu videlicet quo prior creditor negat rem de qua agitur in bonis debitoris fuiſſe, cum tamen poſterior, jam ante probaſſet eam rem & in bonis fuiſſe debitoris & ſibi obligatam eſſe, quare in pœnam mendacij, tantiſper transfertur poſſeſſio pignoris in poſteriorem creditorem, quouſque prior jus ſuum probaverit. *Auth. Item poſſeſſor h. t.* deſumpta *ex Novell. 18. c. 10.* Eo namque probato manet firma regula priorem creditorem poſteriore eſſe potiorem.

16 Obſervandum tamen hanc temporis prærogativam non obtinere, niſi inter eos creditores qui eandem hypothecam habent, itemque privilegiarios. Quomodò creditores qui ſolo nituntur chirographo, temporis rationem non obſervant, atque is in ſuo debito obtinendo potior eſt, cui debitor ſolvit, aut qui prius damnato debitore, ex cauſa judicati pignus accepit. Quod autem hic ſit potior, nec removeatur per priorem creditorem, ratio eſt, quia omnes creditores chirographarij in bona debitoris nihilo plus juris habent, cum ejus perſonam ſolùm habeant obligatam, *l. 6. ſupr. De bonis auctor. Judic.* Grivell. *deciſ. 27.* At verò qui hypothecam habent, ultra perſonam, etiam habent jus in rem, in qua plus cautionis, quam in perſona, *l. 25. ff. De reg. jur.* Ex quo jure cum in rem actionem habeant, non mirum ſi potiores habeantur, præferanturque chirographariis, & illis qui privilegio muniuntur, *l. 9. h. t.*

17 Quid ſi hypotheca ſit conſtituta à non domino, cui poſtea dominium rei acceſſit? Verius adhuc eſt priorem creditorem potiorem eſſe poſteriore, cui jam à domino conſtituta eſt hypotheca, *l. 5. h. t. & l. 14. ff. eod.* nam hoc ipſo quo accedit dominium, jus prioris confirmatur, ſecundum *dicta ſup. Tit. 16.* ſi tamen uterque creditor à non domino hypothecam acceperit, potior erit poſſeſſor, cum utriuſque conditio par ſit, *dict. l. 14.* ſi verò unus à domino, alter à non domino eam accepiſſet, is præfertur qui à domino habet, *arg. l. 31. in fin. ff. De act. empt.* Cæterùm caſus addi non poteſt, ut ambo acceperint à domino, quia non poſſunt eſſe duo domini ejuſdem rei in ſolidum, *l. 5. §. ult. ff. commod.*

Dictum eſt paulò ante inter creditores privile- 18
giarios dictam regulam quoque obtinere, ut prior tempore præferatur poſteriori, & rectè quia privilegiarius contra privilegiarium non utitur ſuo privilegio, ideoque manet differentia temporis, cujus ratione prior præfertur. Hac ratione (ut rem exemplis illuſtremus) privigni dotem maternam repetentes, præferuntur novercæ dotem ſuam repetenti, *l. ultim. §. exceptis hoc tit. Novell. 91. cap. 1.* quia dos ad illos (tanquam filios jure ſanguinis) pertinens, eſt antiquior. Eademque ratione ſi mulier dotem repetens & fiſcus concurrant, prior tempore eſt potior jure, *l. 2. ſupr. De jure fiſci.*

Verum ab hac regula excipiuntur aliquot credi- 19
tores, firmius & potentius privilegium habentes, vel propter cauſam de qua agitur; vel propter cauſam & perſonam, vel propter cautionem inſtrumenti in hypotheca danda adhibitam. Propter cauſæ favorem poſterior creditor potior eſt priore, qui pecuniam ad totius pignoris conſervationem mutuo dedit, vel impendit, veluti in navis refectionem, inſtructionem, vel in redemptionem ſervi pignorati, vel ſi propriis pecuniis procuravit agrum emi, *l. 5. & ſeq. ff. hoc tit. l. 10. & 19. ff. De privileg. cred.* videlicet ſi emendo ſibi ſpecialiter eum obligavit, *l. 7. h. t.* quod autem hic præferatur habenti generalem hypothecam priorem, ſumma eſt ratio, quia ejus pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam, nam niſi ipſe credidiſſet, res oppignorata periiſſet; at quia credidit, & ita conſervando pignus aliis profuit, meritò prælatione gaudet. Dico, ſi ſpecialiter ſibi de pignore illo cavit pro mutuatæ pecuniæ ſolutione, quia ſi non expreſsè pactus fuerit, tantùm habebit inter perſonales creditores privilegium, non verò tacitam hypothecam, *dict. l. 7.* Covarruv. *l. 1. var. cap. 7. num. 3.* Gutierez. *lib. 5. pract. quæſt. 98.* Diſſentit Merenda *lib. 5. contr. jur. cap. 43.* Excipitur qui pecuniam ad ædes reficiendas mutuam dedit, huic enim nominatim Senatuſconſultum jus tacitæ hypothecæ conceſſit, *l. 1. ff. in quib. cauſ. pignor.* Quomodò ſi cum muliere agente pro repetenda dote concurrat, inter eos privilegium temporis omninò obtinet, ita ut reficiens prior, mulierem poſteriorem tempore excludat & vice verſa, *Novell. 97. cap. 3.* unde ſumpta *Auth. Quo jure h. tit.* Id enim propter publicam utilitatem, & decus civitatum &

Digitized by Google

Reipubl. eſt receptum, ut ædificia integra ſint & bene compoſita, quibus publicus civitatum aſpectus ornatur, *l. 2. Cod. De ædific. privat.* Quæ ratio armandis navibus, cæteriſque rebus comparandis reficiendiſve minimè convenit.

Cæterùm ſi pecuniâ pupilli res comparata ſit,
20 in ea re tacitam hypothecam, prælationemque habet pupillus, favore ætatis, *l. 7. ff. eod.* neque in hoc ulla ſit injuria prioribus creditoribus, quoniam ſi ea res pecuniâ pupilli non fuiſſet comparata, in bonis debitoris non eſſet. Itaque invidere pupillo non debent, ut pretium quod ſibi abeſt, inprimis ex re empta recuperet; præſertim cum ſuperfluum reliquorum creditorum commodo cedat, *arg. l. 5. ff. h. tit.*

Planè qui in cauſam pietatis impendunt, ſolent
21 præferri anterioribus creditoribus, anteriorem habentibus hypothecam, ut ſi in morbum, funus, exequias crediderint, *l. 45. ff. De relig. & ſump. fun.* quoniam iſta cauſa, omne creditum ſolet præcedere cum bona ſolvendo non ſunt; adeoque vincere ipſam dotem, *l. 19. ff. d. t. De relig.* Contra Vanderanus *tit. De Privil. cred.* dicit creditores qui in funus debitoris impenderunt (licet præferantur legatariis & chirographariis creditoribus) cedere tamen iis, quibus hypotheca ex pacto competit, per *l. 9. h. tit.* ex quo in rem actionem habeant.

Porrò propter cauſam & perſonam potior eſt
22 mulier, quamvis poſterior, in repetitione ſuæ dotis, *l. ult. h. tit.* tribuitur hoc privilegium partim cauſæ, quia mulier non in omni cauſa præfertur anterioribus creditoribus, ſed ſolùm in dotis repetitione, partim perſonæ, quia non quiſquis dotem repetit, hoc privilegio utitur, ſed mulier dumtaxat, ut facilius poſſit nubere, *l. 1. ff. ſolut. matrim.* Nec dubitandum quin præferatur etiam illis creditoribus, qui expreſſam anteriorem hypothecam habent, *l. 10. & l. ultim. in princ. h. t.* quandoquidem contra omnes creditores ſive tacitam, ſive expreſſam hypothecam habentes, mulierem hoc privilegium impetraſſe conſtat, ex generalitate verborum *d. l. ult.* quam *ſupra Titul. De jure dotium num.* 18. expoſui, & dixi non obſtare quod lex non ſoleat auferre proviſionem quam non dedit, quia lex non aufert alicui hypothecam de qua ſibi proſpexit conventione ſua, ſed tantum ſtatuit prælationem & ordinem in hypothecis, in quo ordine ſtatuendo, rectè majorem habet rationem cauſæ, quam temporis, idcirco mulierem dotem repetentem præfert aliis creditoribus anterioribus, & quod antiquitas dare incœpit, ad effectum pertulit iſta lex *ultim.* quæ una eſt ex Juſtiniani Conſtitutionibus, quàm & in praxi Germaniæ obſervari affirmat And. Gail. *lib. 2. obſ. 45. num.* 10. Fachinæus *l. 3. contr. 99.* & noviſſimè Mathias Berlichius *concl. pract. 45. De prælatione dotis num. 6. & ſeqq.* in Belgio tamen minus practicatur, præterquam ſub diſtrictu Antverpienſi, Joan. Uffelius ad Covarruv. *lib. 1. var. c. 7.* & in Hiſpania multò minus, ut docet Ant. Gomez. *ad ll. Tauri 53. num. 39.*

Iſtud autem dotis privilegium, quamvis reſpectu 23
perſonæ mulieris, lex conceſſerit, producitur tamen ad filios, utpote hæredes matris ejus dotem repetentes, non autem ad extraneos mulieris hæredes, *Auth. Si quis ex rebus h. t.* ubi dicitur filios prioris thori, præferri novercæ dotem quoque ſuam, ſoluto matrimonio, exigenti; quia videlicet ſicut dos, quam illi repetunt antiquior eſt, ſic & tacita ejus hypotheca liberis competens, pro dote matris ſuæ, in bonis patris, quo pertinet etiam *Novell. 91. cap. 1.*

Præterea is ex cujus pecunia militia marito emp- 24
ta eſt, ſi cum ſcriptura & teſtibus caſum militiæ pignori cœperit, & pepigerit nominatim ſe potiora jura habiturum, tantum habet privilegium, ut etiam mulieri pro dote ſua agenti præferatur, *Auth. Quo jure h. tit.* propterea quod militia marito empta, ad decus & commodum utriuſque conjugis ſpectet. Conſtat enim militiis maritos cohoneſtari: de hiſce militiis plura diximus *ſup. de pignorib. num. 4. & ſeq.*

Denique propter cautionem hypothecæ, is qui 25
inſtrumentum habet publicum, licet ſit poſterior, præfertur in concurſu creditorum habenti inſtrumentum privatum, & in eo hypothecam priorem, *l. 11. cum. Auth. ſeq. h. tit.* Hujus expedita ratio eſt, quia privata ſcriptura contra tertium nihil probat, *l. 5. & ſeqq. Cod. De probat.* Et recte ſane, ſiquidem in privata ſcriptura, dies obligationis in fraudem anteriorum creditorum, facile proferri poſſet.

Attamen ſi privata ſcriptura ſubſcriptione trium 26
teſtium idoneorum firmata eſſet, aliud cenſendum eſt; quia tunc ſi tempore prior ſit, merito poſteriori hypothecæ præfertur, cum eo caſu ſuſpicio fraudis & doli ceſſet, adeoque inſtrumentum privatum publico parem firmitatem obtineat, *d. l. 11. in fin. Novell. 73. cap. 1. & 2.* Covarruv. *pract. qq. cap.* 22. Fachinæus *lib. 11. contr. cap. 29. & ſeqq.*

Quod ſi dubitetur de ſubſcriptione teſtium, illis 27
fortè mortuis, remedium eſt comparationis litterarum, quod & in aliis caſibus ſolet adhiberi, de quo eſt, *l. comparationes 20. ſup. De fide inſtrum.* Quinimò licet nulla privata confecta ſit ſcriptura, tamen ſi conſtitutio hypothecæ, & quo tempore facta ſit, teſtium depoſitione probari poſſit, creditor tempore prior, præferri debet creditori poſteriori, hypothecam publicam habenti, quoniam non minorem fidem faciunt teſtes, quam inſtrumentum publicum, *l. 15. Cod. d. t. De fide inſtrum.* Gail. *lib. 2. obſerv. cap.* 25. latius ex recentioribus *ad dict. l. 11.* ſcripſit Gyphanius.

TITU.

Digitized by Google

TITULUS XIX.

De his, qui in priorum creditorum locum ſuccedunt.

1. *Continuatio Tituli, & quando poſterior creditor hypothecarius in jus prioris creditoris ſuccedat.*
2. *Tertius creditor ſecundo potior, quoties ſuccedit in locum primi.*
3. *Si per ſententiam primum ſuperavit, ſecundum viciſſe non intelligitur.*
4. *Creditor chirographarius non ſuccedit in locum prioris creditoris ei ſolvendo, niſi ſolverit ex pacto.*
5. *Aut niſi pignus emerit, ea lege, ut pretium ad creditorem perveniret, & pervenit.*
6. *Cur pactione opus eſt, ut locum prioris quis obtineat.*
7. *Quid ſi conventio nulla intervenerit, pervenerit tamen pecunia ad primum creditorem?*
8. *Qui legitimè in jus primi creditoris ſuccedit, omni jure & privilegijs ejus fruitur, & aliis præfertur.*

1 DIximus de his qui ſuo jure potiores ſunt in
pignore, hic traditur de his qui alterius beneficio
potiores cenſentur, cum nimirum in locum
priorum creditorum ſuccedunt. Et quidem poſterior
creditor hypothecarius in ſe transferre poteſt
jus & prærogativam prioris, ſolvendo illi nomine
debitoris pecuniam una cum uſuris, ſecundum *l. 22.*
ſupr. De pignor. vel ſi pecuniam accipere recuſat,
eandem obſignatam rite deponendo, *l. ult. h tit.* ut
enim ſolutione ejus quod debetur, extinguitur obligatio,
ita etiam conſignatione, depoſitioneve pecuniæ
publicè facta. Atque iſto modo hic ſecundus
creditor confirmare ſibi pignus, & in jus creditoris
ſuccedere dicitur, *l. 1. Tit. ſup. & d. l. 22.* Nec refert
utrum debitore volente, an invito vel ignorante
id fiat, *l. 12. §. 6. ff. qui pot. in pign.*

2 Planè ſi tertius ipſi debitori pecuniam credat, ſolvendam
primo creditori & de pignoris ejus ſucceſſione
paciſcatur, jus quidem pignoris ſibi confirmavit,
ſed pro illa tantum pecunia quam credidit
& ſoluta eſt priori, nec ea res ſecundo creditori
oneri eſſe poteſt, cum hic tertius in locum primi
ſuccedens, eumque repræſentans efficiat, ut adhuc
penes primum pignus eſſe videatur. Atque hoc procedit
quamvis ſecundus hoc pacto pecuniam crediderit,
ut cum res primo obligata eſſe deſierit, ſibi
3 pignori eſſet, *d. l. 12. §. 8.* * Verum ſi tertius primum
creditorem, judicio quod de pignore accipi placuit,
vicerit, non ideo potior erit ſecundo, tanquam
hunc quoque vincat, qui ſuperavit eum à quo is
vincebatur: quia non ideo in locum ejus ſuccedit,
ſiquidem res inter alios judicata, aliis nec prodeſſe,
nec nocere ſoleat, *l. 16. ff. qui pot. in pign. l. 2. & ult.*
Cod. quib. res judic. non noc.

Atque hæc ita obtinent in creditore hypotheca- 4
rio: Nam ſimplex chirographarius non confirmabit
ſibi pignus, neque in locum ſuccedet prioris
creditoris, hoc ipſo quo de pecunia ſua creditori
exſolvit, aut illam debitori numeravit, ut ille ſolveret
creditori eumque dimitteret, ſed opus eſt nominatim
actum ſit inter ipſum & debitorem, vel hypothecarium
cui ſolvit ut in pignus ſuccedat, *l. 1.*
h. tit. vel tempore ſolutionis officio Judicis obtinuerit
(cum fortè diſtractio immineret) ut in locum
hypothecarij cui ſolvit, ſubſtituatur; *l. 11. ff.*
De fidejuſſ. l. 2. h. tit. ſed hoc eatenus tenet, quatenus
ad hunc hypothecarium pecunia pervenit, *l. 17. ff.*
qui pot. in pign. Fachin. *lib. 11. contr. cap. 9.*

Cæterum quod dicimus de eo qui hac lege credi- 5
dit debitori, ut in prioris locum ſuccedat, id quoque
ad eum pertinet qui pignus emit à debitore ex
pacto, ut pretium ad creditorem perveniret, & pervenit,
l. 3. h. tit. perinde enim eſt, quaſi qui pecuniam
dedit, ipſi creditori numeraſſet. * Itaque con- 6
ventione opus eſt in creditore chirographario, ut
poſſit priorem hypothecarium de ſua pecunia dimittere,
& locum ejus obtinere: Multoque magis
pactione opus erit, ut ſubſtituatur illi extraneus qui
debitoris creditor non eſt, hic enim alienum creditorem
nullo modo poteſt compellere, ut accepto
debito jus obligationis in ſe transferat, *l. 5. Cod.*
De ſolutionib. * Quid ergò ſi nihil ea de re conven- 7
tum ſit, pecunia tamen ad creditorem primum pervenerit,
re ipſa? Sane etſi hic qui pecuniam dedit,
non ſuccedat in jus pignoris, conſequitur tamen
jura perſonalia prioris creditoris, proinde ei
actio Pauliana tribuenda erit, quæ competebat
priori ob res à debitore fraudulenter alienatas, *l. 10.*
§. 1. & 16. ff. quæ in fraud. cred. Quinimo ſi pignus ſua
pecunia dimiſſum poſſideat, poterit idem ſibi per
retentionem conſulere, non tantum adverſus debitorem,
ſed etiam contra ſecundum creditorem,
donec ei refundatur pecunia, quam priori creditori
exſolvit, *d. l. 17. & l. 2. & 8. §. fin. ff. quib. mod.*
pign. vel hypothec.

Cum igitur hiſce modis ſuccedat in locum primi 8
creditoris ille, cujus pecunia primus dimiſſus eſt,
conſequens eſt quod exprimitur *in l. 2. hoc tit.* eum
qui in locum prioris ſuccedit, omni ejus jure & privilegio
frui, adeò ut creditoribus aliis præferatur,
& contra eos qui inferiores illis fuerunt jure ſe
tueatur, quemadmodum primus creditor potior
eſſet, ſeque tueri poſſet ſi pignus retinuiſſet, *l. 3.*
in fin. h. tit. & de hac materia videatur Joan. Larrea ad
deciſ. Granat. diſput. 20.

Digitized by Google

TITULUS XX.

Si antiquior creditor pignus vendiderit.

1. *Continuatio Titul. & quomodo creditor pignus vendendo extraneo eum ſecurum faciat?*
2. *Nec poteſt id debitor evincere, aut creditor poſterior recuperare ab emptore, quamvis ei pretium offerat.*
3. *Adeo venditio tenet ut in emptorem non tantum jus crediti, ſed & dominium ſit tranſlatum.*
4. *Cur item ſi venditio facta ſit ſecundo creditori à primo, ſupereſt tertio jus offerendi ſecundo debitum?*
5. *Si debitor vendiderit priori creditori, poſteriori jus eſt offerendi priori.*

1 CUm dictum ſit antiquiorem creditorem poſteriori præferri, conſequens eſt ut jus vendendi pignoris, potiſſimum priori creditori competat. Unde quo minus hoc jus exerceat creditor, nullo modo poteſt impediri, niſi ſibi debitum offeratur, neque à debitore, neque à poſteriore creditore, *l. 3. h. t.*

2 Quamobrem ſi prior hic creditor rem oppignoratam extraneo alicui vendiderit, ac tradiderit, adeò ſecurum eum facit, ut eam avocandi nulla ſit licentia debitori, quamvis emptori pretium, vel creditori debitum offerre velit. *l. 2. h. t.* multo minus creditor poſteriori actio hypothecaria ſupereſſe poteſt adverſus emptorem, ut pignus recuperet, *arg. l. 2. ſup. De repud. hæred.*

3 Cæterum ubi bona fide, juſtoque pretio, venditio pignoris celebrata eſt, ſera nimis & intempeſtiva eſt per debitorem pretij oblatio, neque etiam injuriam facit antiquior creditor ſecundo, pignus diſtrahendo, cum jure ſuo utatur, & ſi ſolus eſſet, æque id diſtraxiſſet, *l. 55. ff. De reg. jur.* Porrò novum non eſt, ut qui dominium non habet, alij dominium præbeat, nam hic creditor pignus vendendo cauſam dominij præſtat, quam ipſe non habuit, *l. 46. ff. De acq. rer. domin.* Ut non rectè putent alij creditorem qui jure ſuo pignus diſtrahit, jus tantum crediti quod habet in emptorem tranſtuliſſe, *per l. pen. ff. De diſtract. pignor.* Nam locus ille ſic eſt ſumendus, ut creditor in emptorem tranſtulerit *jus ſuum*, id eſt poſſeſſionem quam habet, & conſequenter rei dominium. Alioquin creditor difficillimè emptorem inveniret. Neque movet *l. 10. ff. eod. tit.* nam ab emptore eo loci res evincitur non per debitorem, aut per ſequentem creditorem, ſed per tertium, eo nempe caſu quo res aliena fuerat, non debitoris.

4 Dico hoc procedere cum creditor extraneo pignus vendidit, nam ſi ſecundo creditori vendidiſſet, ſupereſſet tertio jus offerendi ſecundo debitum, *l. 5. in fin. ff. De diſtract. pignor.* Ratio diverſitatis eſt quia extraneus non alio fine comparavit rem, quam acquirendi dominij cauſa, quod ipſi non debet eripi. Secundus autem creditor non tam adquirendi dominij, quam ſervandi pignoris cauſa, quod ſalvum erit oblato debito à poſteriore, *l. 6. ff. d. t.* 5

Cæterum, ſi debitor ipſe, vel vendiderit extraneo, vel in ſolutum dederit priori creditori, poſteriori jus eſt ſalvum contra emptorem, & manet jus offerendi contra priorem creditorem, *l. 1. h. tit. & l. 3. ff. d. tit.* tum, quia debitor extraneo vendendo, non poteſt cauſam creditorum facere deteriorem, tum, quia in ſolutum datio priori creditori, fit tantum ſervandi pignoris cauſa, unde ei rectè fit oblatio crediti, per quam (ſecundum dicta) confirmatur jus poſterioris creditoris, qui tamen niſi totam quantitatem debitam exſolverit, non poterit jus ſui pignoris exercere.

TITULUS XXI.

Si communis res pignori data ſit.

1. *Res communis quare non poſſit tota obligari à ſocio?*
2. *An id poſſit fieri à fiſco?*

QUemadmodum res aliena pignori dari nequit, 1
quia in eam nihil juris eſt, *l. 5. & 6. ſupr. ſi aliena res pignor. data ſit.* Ita nec res tota communis, quia pro parte aliena obligari poteſt, & ſi tota obligetur, tantum conſiſtet pignoris obligatio pro parte illa quæ pignorantem concernit, pro ſociorum verò partibus nullus erit obligationis effectus, illis invitis, *l. uni. hoc titul.* Eò pertinet *lib. 7. ſupr. commun. utriuſque judic. & lib. 2. ſupr. commun. divid.* 2

Sunt qui excipiunt fiſcum, quaſi hic rem communem habens cum privato, eam obligare poſſit, prout & totam rem vendere, idque ideo ut facilius inveniat emptorem, *l. 2. ſup. de commun. rer. alien.* parte tamen pretij ſocio reſtituta *l. un. Cod. de vend. rer. fiſc. libr. 10.* ibi Joan. De Platea. Verum cum *d. l. un.* agat de venditione, non videtur extendenda ad pignus. In quo non militat eadem ratio, quæ eſt, quod cum res tota venditur, facilius invenitur emptor, qui plus offerat, & datio prætij quæ facienda eſt ſocio, in caſu pignorationis non procedit, quia emptionis verbo tantum ea veniunt, quæ pretio acquiruntur. Unde ſocius nihil præter damnum conſequetur, coactus ſtare dationi pignoris, cujus ratione poſſet poſtea re ſua privari, ſi debitor non ſolveret. Amaya *ad d. l. un. num. 40.*

TITU

TITULUS XXII.

De Prætorio pignore, & ut in actionibus etiam debitorum miſſio prætorij pignoris procedat.

1. *Diviſio pignorum, & quid ſit prætorium pignus.*
2. *Hoc prætoris decreto non tam poſſeſſio, quam cuſtodia datur creditori.*
3. *Quibus in rebus prætorium pignus conſtituatur?*
4. *Conſtituitur tam in bona corporalia, quam incorporalia, non ſervato ordine quæ prius occupentur.*
5. *Non attenditur prioritas temporis in hoc pignore, ſed bene in judiciali.*
6. *Differentia utriuſque pignoris.*
7. *Creditori in poſſeſſionem miſſo benigne datur hypothecaria ad recuperandam amiſſam poſſeſſionem.*

1 JUſtinianus *in l. 2. h. t.* duplex eſſe ait genus pignoris, unum quidem quod ex conventionibus & pactis hominum naſcitur, alterum quod à Judice datur, & prætorium nuncupatur; de priore hactenus dictum, ſequitur ut de prætorio pignore, cujus frequens in foro eſt uſus nunc agamus.

Igitur *Prætorium pignus* eſt, quod à Judice datur, ante rem judicatam coactionis, vel rei ſervandæ cauſa, veluti ut cogatur dominus ædium ruinoſarum cavere de damno infecto, alioquin adverſarius vicinus qui petit, mittatur in poſſeſſionem ex primo decreto pignoris cauſa, *l. 4. §. 1. ff. De damn. infecto.* Similiter creditor, mulier, legatarius, fideicommiſſarius, ex edicto prætoris mittuntur in poſſeſſionem rerum omnium, vel unius rei debitoris, crediti, dotis, legati aut fideicommiſſi ſervandi cauſa, utque eam rem teneant cuſtodiæ cauſa ſi debitor, vel hæres non ſolvat, non reſpondeat, non caveat: ſic etiam cum alius reus contumax eſt, vel latitat & à nullo in judicio defenditur, *l. 9. ſup. De bon. auct. jud. poſſ. l. 12. ff. pro emptore, l. 2. in pr. ff. pro hærede. l. 26. ff. De pign. act. l. 2. & 3. ſup. qui pot. in pign.*

2 Hoc prætoris decreto, non tam poſſeſſio rerum, quam cuſtodia datur creditori, mulieri, legatario, vicino, qui ſimul cum debitore poſſidere jubentur, ut ſaltem tædio perpetuæ cuſtodiæ & obſervationis debitor ſatisfaciat, *l. 5. in pr. ut in poſſ. legat. l. 5. C. eod. l. 3. §. ult. ff. De acq. poſſ.* Atque hæc juſta eſt poſſidendi cauſa, cuſtodiæ gratia, ut pignus habeatur; diciturque creditor in poſſeſſione, ſed non poſſeſſor. Plus enim eſt poſſidere, quam eſſe in poſſeſſione tantum, & qui ex edicto prætoris mittitur in poſſeſſionem debitoris, non nanciſcitur proprietatem ſed jus pignoris.

Cæterum duo hoc Titulo præcipue quæruntur. Primum eſt, quibus rebus Prætorium pignus conſtituatur? Et decidit Imp. conſtitui poſſe non ſolum in 3
rebus corporalibus, ſive ſint mobiles, ſive immobiles, ſive ſe moventes, ſed etiam in rebus incorporalibus, quales ſunt actiones, ſive obligationes, aut nomina debitoris in cujus bonorum poſſeſſionem jure pignoris, creditores mitti debent, *l. 1. h. t.* * Sed 4
quomodo mitti poſſunt in poſſeſſionem nominum & actionum, cum res incorporales, ut nomina, nec capi, nec poſſideri poſſint? Attamen quia hujuſmodi res conventione obligari poſſunt, ut diximus *ſupr. Tit. quæ res obligat. per l. 4.* fit ut in vicem conventionis cedat auctoritas Judicis, jubentis ut creditores quibus cautum eſſe vult, mittantur in poſſeſſionem, ſeu in quaſi poſſeſſionem harum rerum, quæ debitori competunt, eaſque perſequi poſſint, *d. l. 1.* ex qua conſtitutione ſtatim ab initio rectè miſſio fieri poteſt, à prætore vel præſide, vel alio mixtum imperium habente, & quidem in univerſa nomina debitoris, etiam non excuſſis rebus corporalibus debitoris, quòd olim videtur aliter obſervatum, ut colligere licet ex *l. 10. ut in poſſeſſ. legat.* Sed hodie hic ordo non ſervatur in prætorio pignore.

Planè nec in hoc pignore obſervatur privilegium 5
temporis, inter eos creditores qui ejuſdem conditionis ſunt & tituli, permittitur enim illa miſſio in rem omnium creditorum cauſa, non in perſonam: itaque omnibus creditoribus proficit illa miſſio, ita ut qui prior miſſus eſt in poſſeſſionem, videatur non ſibi tantum ſed omnibus poſſidere, *l. 12. ff. De reb. auct. jud.* Eoque pertinet *l. 148. ff. De reg. jur.* Diverſum eſt in judiciali pignore, quod exequendæ rei judicatæ cauſa captum eſt, ſicut in conventionali pignore, privilegium & ordo temporis ſpectatur.

Hinc fit ut in pignore judiciali potior ſit, cujus 6
nomine prius captum eſt pignus ex cauſa judicati, *l. 10. ff. qui potior. in pign.* Ideò autem in judiciali pignore ordo temporis attenditur, ex jam dicta ratione, quod hoc pignoris genus in perſonam conſtituatur, id eſt, reſpectu perſonę ejus, ſecundùm quam judicatum eſt, & extra ordinem ab executore capitur. At prætorium jure ordinario ex edicto in rem conſtituitur, omnium creditorum cauſa, proinde in eo non eſt locus prælationi. Niſi tamen ſi quis aliquam habeat prærogativam, ut de Republ. Heliopontana ait, *l. 3. ſup. qui potior. in pign.* nam non eſt æqualis miſſorum conditio, ſi ipſi ſunt diſpares tituli & conditionis, *l. 2. ſupr. Tit. qui potior.*

Alterum quod hic quæritur eſt, An creditori in 7
poſſeſſionem miſſo, competat hypothecaria actio, ad recuperandam poſſeſſionem, quam negligentia ſua amiſit? Et ait Juſtinianus, licet enim debuerat creditor incumbere ſuo pignori, tamen ne aliquam inde patiatur jacturam benignius ei recuperationem

 nem

Digitized by Google

ſive actionem damus, *l. 2. h. t.* utilem videlicet, quæ ex æquitate naſcitur; Quandoquidem igitur, & creditori pignoratitio & hypothecario, ex pacto, & conventione competat actio hypothecaria, adverſus quemlibet poſſeſſorem, per quam creditor pro debito, pignora, & hypothecas perſequitur; non minor eſſe debet auctoritas prætorij pignoris, ut ex eo in poſſeſſionem miſſus, ſi illam amiſerit, ſive ſua culpa, ſive non, ſive fortuito caſu, hypothecaria quoque utatur, *d. l. 2. h. tit.* De hac materia, & ejus uſu, videatur Car. Loyſeau *tract. de deguerpiſſement l. 3. cap. 6. & ſeqq.*

TITULUS XXIII.

Si in cauſa judicati pignus captum ſit.

1. *Judiciale pignus quid?*
2. *Quæ bona capi poſſunt in pignus rei judicatæ: & quo ordine.*
3. *Mores hunc ordinem non ſervant, ſed permittunt executionem à quibuſlibet rebus ordiri.*
4. *Effectus capti pignoris eſt ut publicè vendatur. Quid ſi non reperiatur emptor?*

1 P*ignus judiciale*, eſt, quòd poſt rem judicatam, juſſu judicis, capitur, exequendæ ſententiæ cauſa, & contumace exiſtente in ſolvendo damnato. Idemque operatur in conſtituendo pignore Judicis auctoritas, quòd in conventionali contrahentium conſenſus, *l. 1. h. t.* nec mirum ſi Judex poſſit pignus conſtituere, cum & quilibet in teſtamento id facere poſſit, *l. 26. ff. De pignor. act.* cumque nec privatis quibuſcumque ſine juſſu judicis liceat capere pignora invitorum, *l. 11. ſup. De pign.*

2 Capiuntur iſtius pignoris nomine, primo res mobiles, de hinc ſe moventes, tertio immobiles, quæ ſoli ſunt, & his ſolutioni non ſufficientibus ad nomina pervenitur, *l. 15. §. 2. ff. De re judic.* poſtquam tamen verbalis monitio præceſſerit, & judicis juncta fuerit auctoritas, non aliter, nam aliàs videretur vim facere is qui id quod deberi ſibi putat, non per
3 judicem repoſcit, *l. 13. quod metus cauſa.* * Moribus hodiernis non ſemper hic ordo ſervatur, ſed ex quibus rebus ſibi citius putat pecuniam confici debitor, eas auctoritate judicis per apparitorem capit, ut diſtrahantur, eademque auctoritate, & nomina capit, & ſequeſtrari procurat debitum debitoris ſui, apud debentem, & eo vocato & confeſſo ſe eſſe debitorem, petit pecuniam in judicium deferri, & ſibi dari. Guido Papæ *quæſt. 281.*

4 Effectus igitur capti pignoris in cauſa judicati hic eſt, ut non per creditorem, ſed per judicem publica licitatione vendatur, neque arbitrio creditoris concedatur, niſi per calliditatem debitoris condemnati factum ſit, ut emptor nullus exiſtat, quo caſu auctoritate Principis dominium pignoris creditori addici ſolet, *l. 3. h. t.* Cum itaque hoc pignus publicè vendatur, poterit creditor cum cæteris ad licitationem admitti, & ut alius quilibet emptor addictione pretij certare, & ita demum vincendo pervenire ad dominium pignoris, *l. 2. h. t.* Diverſum eſt in conventionali pignore, quod emere creditor prohibetur, quia ipſe eſt qui vendit, ut neceſſe ſit alium emptorem eſſe.

TITULUS XXIV.

Si pignus pignori datum ſit.

1. *Pignus à creditore pignori dari poteſt.*
2. *Sed tamdiu pignus ſecundi creditoris manet, quamdiu & manet jus primi.*
3. *Quid ſi dominus ſecundo creditori ſolverit?*
4. *Contra, quod ſi non ſecundo, ſed primo ſuo creditori debitor ſolverit?*
5. *Poteſt ſecundus creditor rem ipſam oppignoratam vendere quamdiu debitor primo creditori non ſolverit.*
6. *Liberatur pignus ſolutione ſecundo facta ab hærede primi.*
7. *Quid ſi is, cui à ſuo debitore uſusfructus pignoratus eſt, rem ipſam pignori dedit?*

QUoniam ſupra dictum eſt, rem alienam pig- 1
nori dari non poſſe, videbatur quod nec pignus à creditore acceptum, ipſe ſuo creditori pignorare poſſet. Nam etſi creditor habeat jus pignoris, dominium tamen rei oppignoratæ non habet, quia remanet illud penes debitorem; attamen propter contrahentium utilitatem, jam dudum placuit, inquit Gordianus Imp. etiam id quod pignori obligatum eſt à creditore, pignori obſtringi poſſe, *l. 1. in princ. h. t.* * Scilicet ut ſequenti credi- 2
tori utilis actio detur, tamque diu cum is qui jus repræſentat, tueatur, quamdiu in caſu pignoris manet ejus qui dedit. Nam finito jure dantis, finitur jus habentis ab eo cauſam, ideoque quam primum creditori primo exſolutum eſt, res liberatur, non tantum à nexu pignoris ipſi conſtituti, ſed & ejus quod ipſe conſtituit ſuo creditori, *l. 2. h. tit.* Idque ex ratione & comparatione quam diximus principalis & acceſſionis. Cum enim pignus primi, quod principale eſt, tollitur, non poteſt pignus ſecundi, quod acceſſio ejus eſt, conſiſtere, *l. 40. §. ult. ff. De pign. act.*

At non contra cum pignus ſecundi tollitur, ſic vi- 3
detur etiam pignus primi tolli: puta ſi primus creditor ſolverit ſuo, ſeu ſecundo, ſic liberavit pignus quod illi dedit, non etiam quod à ſuo debitore accepit. Si tamen dominus ſecundo creditori ſolverit, forte

Digitized by Google

ſorte hypothecaria utili ab eo conventus, dum vult condemnationem vitare, *l. 16. §. 3. ff. De pign.* Sic ſane utrumque pignus perimitur, qui una numeratione non tantum ſe ipſum, ſed etiam ſuum ſeu primum creditorem, eadem opera liberaverit, *l. 18. ff. De pign. act.*

4 Quid ſi non ſecundo, ſed primo ſuo creditori debitor ſolverit? Sane huic ſecundo, qui pignus pignori accepit, hypothecaria actio dabitur in debitorem, ſi modò huic denuntiaverit jus ſui pignoris, utque ipſi, non primo creditori ſolveret, *l. 4. ſup. quæ res pign.* ibi Gabriël Mudæus *n. 20. & DD. ad d. l. 13. §. 2.* Ubi obſervandum pignus ſecundo creditori teneri pro quantitate, quæ debebatur primo creditori, nam in majori utiq; oppignoratio non tenet, *l. 1. h. t.*

5 Cæterùm ſi adhuc duret cauſa & obligatio primi creditoris, liberum erit ſecundo jus pignoris exercere, etiam diſtrahendo, vendendoque rem ipſam oppignoratam, ideò ut non poſſit debitor creditori ſuo debitum offerendo venditionem à creditore factam reſcindere, *l. 1. h. t.* debet enim ſibi imputare debitor quod non ante ſuo creditori ſolverit, *l. 13. §. 2. ff. De pignorib.*

6 Quod ſi verò ante venditionem ſuo creditori ſolverit, rem ſuam recipiet, quia utrumque pignus (ut dixi) ea ſolutione liberatur, 40. §. *ult. ff. De pign. act.* Idem dicendum ſi domini, qui rem pignoravit, hæres ſolvat, *l. 2. h. t.*

7 Porrò is qui uſumfructum pignori accepit, ipſam rem cujus uſusfructus ſibi oppignoratus eſt, pignori dare non poteſt, *l. 1. verſ. Sed ſi vos, h. t.* Ideòque ſecundo creditori rem diſtrahere non licet, quia nec primo liceret alienare, & ſi alienaverit ſecundus non faciet domino, à quo primus creditor rem pignori accepit, ullum præjudicium, *d. l. 1. §. 1.*

TITULUS XXV.

De partu pignoris & omni cauſa.

1. *Re aliqua oppignorata, cur etiam fructus, & quæcumque inde edita, pignori ſint?*
2. *Fructus à creditore percepti in uſuras, & ſortem imputantur.*
3. *Quid ſi ab alio fructus ſint percepti, ut ab emptore qui pignus emerat?*
4. *Si res oppignorata non ſufficiat, fructus veniunt in condemnationem.*

1 HOc Titul. traditur partum ancillæ oppignoratæ, in pari cauſa eſſe qua mater eſt; *l. 1. h. tit.* partus enim ventrem ſequitur. In eadem cauſa ſunt pecorum fœtus, & fructus fundi oppignorati, qui etiam, ſi de iis nihil ſit conventum, tacite tamen pignori eſſe intelliguntur, *l. 3. ſupr. in quib. cauſ. pign.* Nec movet quod dicitur nullam rem eſſe pignori, niſi quæ generaliter, aut ſpecialiter pignori obligata ſit, *l. 17. ſupr. De pignorib.* nam re principaliter obligata intelliguntur una obligatæ ſingulæ ejus partes. Fructus autem omnes, & quæcumque ex re poſtea nata ſunt, aliquando rei oppignoratæ partes fuerunt, nempe tunc cum rei unde nata ſunt, cohærebant, *l. 44. ff. De rei vind.* * Quo fit ut jure creditor 2
fructus iſtos quos percepit, vel percipere potuit, primo imputet in uſuras, deinde in ſortem, & reſiduum quod debetur exiget, vel ſi non accipiat oblatum, id debitor conſignare ac deponere debet, ut pignus luat & recipiat, *l. 1. h. t.*

Quod ſi verò fructus à tertio aliquo percepti 3
ſunt, ut ab emptore fortè qui pignus emerat ſine conſenſu creditoris, non ſunt illi fructus tacitè pignori obligati creditori, niſi concepti fuerint penes debitorem, *l. 29. in fin. ff. De pign.* quia non poſſunt fructus pignori teneri, qui nunquam fuerunt in dominio debitoris, *l. 1. §. 2. ff. De pign.*

Quod ſi contra ipſum debitorem hypothecaria 4
agatur, & res pignorata non ſufficiat creditori, fructus etiam conſumpti à tempore litis conteſtatæ in condemnationem venient, antecedentis verò temporis tantum extantes, *l. 16. §. 3. ff. d. t.*

TITULUS XXVI.

De Remiſſione pignoris.

1. *Quod pignus non ſolum expreſſo, ſed & tacito pacto remittatur, exemplis oſtenditur, ex Conſtitut. Titul.*
2. *Qui debitum remittit, etiam pignus remittere videtur, ſi modo id potuit.*
3. *Qui debitum pro alio ſolvit, & ei pignus reddidit, repetere poteſt quod ſolvit.*
4. *Jus pignoris remittit, qui patitur rem pignoratam vendi.*
5. *Item ſi accedat expreſſa repudiatio pignoris.*
6. *Res alienata & iterum ad debitorem reverſa, generali præſentium & futurarum rerum hypotheca, non continetur.*
7. *Si ignorante aut non contradicente creditore remiſſio pignoris fiat, manet ei ſalvum.*
8. *Item eo conſentiente ſi manifeſte appareat deceptus, aut conſenſerit ſalva pignoris cauſa.*
9. *Quid ſi tempore venditionis admoniti fuerint creditores ut adeſſent, nec comparuerunt.*
10. *An prior creditor videatur jus pignoris remiſiſſe eo quod conſenſerit pignus obligari ſecundo.*

QUemadmodum pignoris obligatio conſenſu 1
contrahitur, ita & diſſolvitur ſi creditor pactus ſit ne peteret, *l. 2. h. t.* non quidem ipſo jure, ſed op-

poſita

poſita exceptione pacti,vel doli mali,*l.16.§.2.ff.De pact.* Neque ſolum expreſſo pacto, ſed etiam tacito pignoris obligatio remittitur, veluti ſi debitor ex conſenſu creditoris ſervum quem oppignoraverat, manumittat, *l.1.h.t.* vel ſi creditor chirographum, quo obligatio pignoris continebatur, reddat debitori, *l.7.h.t.* nam & principalis obligatio redditur inefficax, quaſi tacitè hoc actum ſit, ne debitum quod chirographo continetur, petatur, *l.2.§.1.& l.3.ff. De pact.*

2 Adeoque verum eſt remiſſione debiti principalis per conſequentiam à pignoris obligatione diſcedi, ut quamvis debitum utiliter remittatur, tamen pignus tollatur, ſi modo is qui debitum remittebat, pignus quoque remittere potuit, & voluit. Ut non obſtet *l.5.h.t.* qua debito per pacti conventionem inutiliter factam remiſſo, placet non tantum principalem obligationem manere, ſed pignora: quia dicendum conventionem ibi inutiliter factam, accipi debere de ea quæ in totum inutiliter facta ſit, tam de principali debito,quam de pignoribus quod tunc accidit cum is creditor,puta pupillus,furioſus, debitum remiſit,qui nec debitum remittere potuit, nec pignus, aut neutrum voluit.

3 Porrò eo caſu quo quis pro debitore ſolvit,eique pignus à creditore receptum reddidit, obligatio pignoris extincta eſt, adeò ut non poſſit iterum inſtaurari, non tamen jus debiti extinctum cenſetur, quapropter ad repetendam pecuniam ſolutam, adverſus eum pro quo is ſolvit, habet actionem mandati, quia ejus mandato ſolvit, *l.9.h.t.* aliàs ſi abſque mandato ageret actione negotiorum geſtorum, *l.2.ſupr. De negot. geſt.*

4 Remittere quoque cenſetur pignus creditor, qui ſciens & conſentiens rem pignoratam patitur à debitore vendi, vel aliter alienari, *l.2.h.t.* adeò ut eadem res non reincidat poſtea in pignoris obligationem ſine novo pignoris pacto & nova voluntate, *l.4.h.t.* etiamſi redeat in dominium debitoris legitimo quodam modo, puta ſi debitor rem illam poſtea redemerit bona fide ab emptore vel ejus hærede, aut debitor emptori hæres extiterit, quo pertinet *l. ult. h.t.* cui acriter adverſatur *l.10.ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. ſol.* ubi ſi venditione reſoluta, res pignori prius nexa in debitoris poſſeſſionem revertatur,jus priſtinum intelligitur utrique reſtitutum, pignuſque illud inter mortuum exſuſcitatur.

5 * Dicendum itaque videtur creditorem non idcircò tantùm quod pignoris venditioni conſenſum adhibeat, jus pignoris ita remiſſum videri, ut ſoluta venditione reſtaurari nunquam poſſit, *d.l.10.* Sed ita demum ſi cum ipſo conſenſu, expreſſa quoque pignoris repudiatio concurrat: quod probatur ex verbis *dict. l. ult. Nobis autem,* Inquit Juſtinianus. *viſum eſt, eum qui ſemel conſenſit alienationi hypothecæ, & hoc modo jus ſuum reſpuit, indignum eſſe, &c.* Reſpuandi namque verbum expreſſam renuntiationem continet, addito etiam contemptu.

Illud etiam ex eo apparet,quod in dicta Juſtinia- 6
ni Conſtitutione dubitatur, An creditor jus pignoris recuperare poſſet, non quia jus illud expreſſa repudiatione extinctum, reſtitutum eſſe videretur, ſed quia generalis hypotheca conſtituta fuerat,quæ res tam futuras, quam præſentes complectitur, *juxta l. fin. ſupr. quæ res pign. oblig. poſſ.* & quia res ad debitorem reverſa, intra futuras hypotheca generali comprehenſas,cenſenda videbatur,dubitabant veteres, an poſt quoque jure pignoris peti poſſet. Et non poſſe reſcriptum eſt, tantum operatur expreſſa & ſpecialis juris renuntiatio, per quam meritò hypothecæ generali derogatum eſt, *cap. gener. de regul. jur. in 6.* At ubi conſenſus venditioni dumtaxat accedit, non tamen pignus reſpuitur diſtracta pignoratæ rei venditione,tacitè ipſa in cauſam pignoris redit, & ita fit ut eodem modo quo quid extinctum eſt, reviviſcat, *l.23. & ſeq. ff. quib. mod. uſuſfruct. amitt.*

Loquitur Imp. de creditore qui venditioni con- 7
ſenſit, ut aliud dicendum ſit de eo qui diſſenſit, aut ſaltem eo ignorante à debitore eſt facta rei oppignoratæ alienatio,quoniam ſalvum manet creditori jus ſui pignoris, *l.10.h.t.* At quid ſi creditor non ignoraverit venditionem, ſed ei contradixit? nec eo caſu cenſebitur remiſiſſe jus pignoris, tranſit enim res oppignorata cum ſuo onere in emptorem, *leg.15.ſupr. De pign.* neque videtur præjudicare ſibi creditor voluiſſe, qui tantum non impedivit venditionem, quam futuram ſciebat, niſi ea perfecta, ratam habuerit, ſubſcripſeritque in tabulas
emptionis ſe in eam conſentire. * Quamquam & 8
hoc caſu quo conſentit, non præjudicabit ſibi ſi manifeſtè appareat deceptum eſſe: Quod obſervare oportet, etſi ſine ſcriptis conſenſerit, *l.8.§.15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* Aut expreſsè conſenſerit venditioni, donationi, vel in dotem dationi,adjecto eo ut ſibi pignoris ſui cauſa ſalva maneat: Nam ita ſolent multi ſalva cauſa pignoris ſui, conſentire ne ſibi præjudicent. Sed & ſi ipſe creditor vendiderit, ſic tamen venditionem fecit, ne diſcederet à pignore, niſi ei ſatisfiat, dicendum erit exceptionem ei non nocere, *d.§.15.*

Cæterùm ſi eo tempore quo diſtrahebatur pig- 9
nus, programmate admoniti fuerint creditores, ut adeſſent, non comparuerint,poſſunt videri pignori renunciaſſe, ne eorum fraudulenta diſſimulatio emptoribus noceat,*l.6.h.t.*Item ſi fiſco hypothecas diſtrahente, creditores ſilentio tradiderunt negotium,palam eſt etiam eos quantumvis priores actionem ſuam amiſiſſe,quam in rem habebant,nam fiſcalis haſtæ fides facile convelli non debet, *l.8.h.t.*

Sed videamus quid in ea facti quæſtione reſpon- 10
dendum

Digitized by Google

dendum ſit, cum videlicet debitor conſenſu primi creditoris eandem rem obligavit ſecundo? Et in dubio non videtur prior creditor jus pignoris remiſiſſe, ſed tantum prælationem, ſic ut qui prior erat ſecundo loco conſtituatur, *l. 12. ff. qui pot. in pign.* Imò poſtremus erit in pignore non ſolum quoad eum cui conſenſit rem obligari, ſed quoad alios omnes qui tempore conſenſus habebant hypothecam, *l. 12. ff. quib. mod. pign. ſolv.* Niſi ut rectè limitat Molinæus *De uſuris, num. 685.* iſte conſentiens deceptus fuerit ab ultimo creditore affirmante non eſſe hypothecam intermediam, nam creditor deceptus, ignorans, aut invitus per obligationem poſteriorem non læditur, *l. 3. h. tit.*

TITULUS XXVII.

Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri poſſe.

1. *Ut remiſſione, ita & novatione voluntaria pignus extinguitur, cur non etiam neceſſaria novatione?*
2. *Extincto pignore per ſolutionem debiti, poterit creditor idem pignus retinere pro debito chirographario pro quo non fuit pignus conſtitutum.*
3. *Iſta pignoris retentio obtinet adverſus debitorem, non contra ſecundum creditorem, cui eadem res poſtea fuit pignorata.*
4. *Itemque procedit pignoris retentio, ratione debiti, principalis, non uſurarum.*

1 NOn tantum *remiſſione*, ſeu conventione expreſſa, vel tacita, pignus tollitur, ſed etiam *novatione voluntaria*, quia novatione principalis obligatio tollitur, *§. præterea Inſtit. quib. mod. toll. obl.* Dico *voluntaria*, quia *neceſſaria novatione* non extinguitur pignus, ſicut etiam non extinguitur ipſa obligatio, ut cum quis litem conteſtatur. Ratio autem differentiæ, cur voluntaria novatio pignus perimat, non item neceſſaria, eſt hæc, quia creditor qui contra debitorem agit de debito, id eſt, actione perſonali, etiamſi victor novam nactus ſit actionem judicati, contra debitorem, non tamen cenſeri debet voluiſſe agendo, pignus ſuum dimittere: nemo enim agendo, rem ſuam deteriorem, ſed meliorem facere ſolet, *l. 29. ff. De novat. l. 86. ſeq. ff. & de reg. jur.* At in voluntaria, aperta eſt mens volentis, obligationem principalem, ita & ejus acceſſionem, pignus ſcilicet, tolli, v.g. Si creditor, quod ſibi Titius debet ſub certo pignore, animo novandæ ejus obligationis, id ſibi dari ſtipuletur à Cajo. Sed excipitur caſus *in pr. h. l.* Si pignus in ipſa novatione voluntaria fuerit repetitum, v. g. Si creditor ita ſtipuletur à Cajo quod Titius ſibi debet ſub pignore, ut Cajus idem debeat Titio ſub eodem pignore: hæc pignoris repetitio impedit, quo minus novatio pignus perimat.

In ſecunda autem Legis parte, dicitur debitorem 2 qui eidem creditori aliam pecuniam debet ſub pignore, aliam ſine pignore, ſolo videlicet chirographo pignoratitia actione agentem, exceptione doli mali repelli poſſe, niſi utramque pecuniam reddat, vel offerat. Non movet quod pignus liberetur ſolutione ejus pecuniæ pro qua obligatum eſt, *l. 5. ff. quib. mod. pig. vel hypoth. ſol.* & iniquum ſit invitis nobis res noſtras ab alio detineri, ceſſante principali obligatione, *l. 25. §. 1. ff. ſol. matr.* Quia hujus deciſionis ratio hæc eſt, quod debitor improbe facere videatur non ſolvendo, quod ſe debere fatetur, & animum ſatis improbum & malitioſum declarat, ſeque debitum hypothecarium, imò neutrum eſſe ſoluturum, niſi metueret fruſtrari ſuo pignore. Quæ cauſa eſt, quod debitor utramque pecuniam, tam hypothecariam, quam chirographariam creditori ſolvere teneatur, antequam ſuum pignus recuperet, & quouſque utramque ſolverit debitor, jure retentionis pignus poſſidere poterit, & debitor actione pignoratitia repelli. Molinæus *ad Conſuet. Pariſ. titul. 1. §. 1. gloſſ. 9. num. 35.*

Sed hæc retentio pignoris comparata eſt adverſus debitorem, rem ſuam repetentem, non item adverſus ſecundùm creditorem, cui eadem res poſteà oppignorata fuit: nam hic ſecundus in primum locum ſuccedere poteſt, quamvis tantum ſolvat pecuniam hypothecariam primo creditori, nec pecuniam ſine pignore debitam offerat. Ratio eſt quia debitor utramq; debet, ut mala fides quæ ipſum repetentem pignus ſubmovebat, in ſecundo creditore locum non habeat, qui nihil primo creditori debet, huic tamen ſi ſolvat hypothecarium debitum, jus pignoris ſibi ſoli confirmat, *text. in l. un. h. t. in fin. & l. 1. ſupr. qui pot. in pignor.* 3

Quod autem dicitur pignus retineri ob debitum 4 chirographarium, procedit, quando illud obligatum eſt pro ſorte, ſeu debito principali, non pro uſuris, *l. 4. ſup. De uſuris*; & quidem pro ſorte, ſi illa ſimpliciter debeatur, neque aliqua conventio intervenerit, ſortem à pignore ſejungens; ſicut enim ſi pignus obligatum ſit dumtaxat in ſortem, non poteſt retineri nomine uſurarum, ita ſi ſit obligatum in uſuras non poteſt retineri nomine ſortis, quia contrahentium voluntas fuit, ut alteri obligationi pignus accederet, ab altera omnino ſepararetur, ac ita accipienda *l. 11. §. 1. ff. De pign. act.* Aliter Cujacius *l. 5. obſ. cap. 28. & lib. 15. cap. 22.* Joan. Robertus *lib. 1. recept. lect. cap. 17.* Utrum autem pignus obligatum in ſortem, cenſeatur etiam obligatum in uſuras, dictum eſt ſupra non obligari tacitè, ſed expreſsè per *l. 4. & 22. ſupr. De uſur.*

Digitized by Google

TITULUS XXVIII.

De diſtractione pignorum.

1. *Extinguitur pignus illius diſtractione jure pignoris facta, licet actum non ſit de eo diſtrahendo.*
2. *Modò ſolemniter facta fuerit denuntiatio debitori, integri debiti oblatione pignus liberatur.*
3. *Si conventum fuerit ne pignus diſtrahatur, trina neceſſaria erit denuntiatio.*
4. *Pacto effici poteſt ne liceat debitori pignus vendere.*
5. *Creditor non prohibetur pignus vendere, ex eo quod dicat debitor ſibi id precario conceſſum.*
6. *Quatenus creditor pignus vendere poſſit, vel non.*
7. *Solemnitates quas in diſtrahendis pignoribus ſervare debeat creditor.*
8. *Venditio quamvis fraudulenter facta, non reſcinditur, ſed in creditorem agitur.*
9. *Quis non ſibimetipſi per ſe, vel per alium emere, ſed alij vendere debet.*
10. *Vendito legitime pignore & tradito emptori acquiritur in rem actio.*
11. *Venditio pignoris non idonei, reſidui petitionem non adimit.*
12. *Si creditor pignus plus vendiderit, quam ſibi debebatur tenetur debitori ſuperfluum reſtituere.*
13. *An & rem quam ex ea pecunia ſibi comparavit?*
14. *Pro ſuperfluo & uſuris competit actio perſonalis debitori.*
15. *Cur illa ceſſet pro re quam ex ſuperflua pecunia creditor comparavit.*

1 EXtinguitur quoque pignus diſtractione, utpote cum creditor jure pignoris vendit pignus, debitore ceſſante in ſolutione. Quod ſi autem inter creditorem & debitorem pactum intervenerit de diſtrahendo pignore, illud imprimis erit obſervandum; *l. 7. h. tit. & l. ult. §. 1. Infra de jur. domin. imp.* Sed ſi nihil convenerit de diſtractione, intelligitur tamen hoc tacitè actum quod creditor poſſit ſtatim pignus vendere, ſi debitor in ſolutione ceſſaverit.

2 Sed oportet ipſi ante denuntiari à creditore pignus diſtrahendum, niſi ſolvat, & quidem teſtibus adhibitis, *l. 4. h. t.* Nam interim oblatio & conſignatio totius pecuniæ debitæ ante venditionem, impedire poſſet pignoris diſtractionem, *l. 8. h. t.* dico totius, nam quamdiu tota pecunia debita, non eſt oblata, vel numerata, etiam ſi pro parte majore, eam creditor conſecutus ſit, diſtrahendi tamen rem obligatam non amittit facultatem, & quod huic conſequens eſt, non vult Imperator ullatenus pignus liberari, *l. 6. h. t.* ea ratione, quod pignoris obligatio ſit individua, & ideò pro parte diſſolvi nequeat, ſunt enim ſingulæ pignoris partes pro integro debito obligatæ. Unde nec liberabitur, quamvis unus ex multis debitoris hæredibus pro parte ſua ſolverit, *l. 16. h. t.* Dixi ea de re ſup. *de pignor.*

Quid ergo ſi conveniat inter debitorem & creditorem, ne pignus diſtrahatur? Huic pacto hæc ineſt conditio, ne liceat diſtrahere, modo debitor ſolvat quod debet, igitur ſi moram faciat in ſolvendo, creditor poterit pignus vendere, ſed non niſi ter antea denuntiaverit debitori, *l. 4. ff. De pignor. act.* Non obſtat *l. 7. h. tit.* quia tunc creditor reluctante lege contractus, & ſic nulliter pignus vendit, quando prævenit diem ſolutioni faciendæ præſcriptum, non autem ex eo quod venditur. 3

Quanquam ſane pactum ne liceat debitori pignus vendere æquitatem habeat, in gratiam creditoris, qui quia jus in re ſibi retinet, pacto poteſt efficere, ut prohibita venditione pignoris, alteri dominium non quæratur, cum nulla ſit venditio, *l. 7. §. ultim. ff. h. t.* Alias non interveniente pacto, nec creditoris conſenſu, adeò tenet venditio, à debitore uti domino facta, ut dominium ad emptorem transferat, ſalvo jure pignoris, *l. 12. h. t* quod tamen remittere cenſetur creditor, ſi venditioni conſenſiſſet, *ſupr. De rem. pignor.* 4

Cæterum quia ſæpe debitores ſolent in dando pignore, rogare creditorem, ut ipſis pignus poſſidere liceat precario. Quæritur quomodo poterit creditor hoc pignus vendere, & emptori tradere, cum illud ſit quaſi litigioſum, ex eo quod debitor dicat ſibi id precario conceſſum, rei autem litigioſæ venditio nulla ſit, *l. 3. & tot. tit. infr. De litigioſ.* Et reſcribit Alexander Imp. creditorem non prohiberi pignus vendere, eo quod dicat debitor ſibi id precario conceſſum, quia ſola precarij conceſſio non facit rem litigioſam, *l. 2. h. t.* ſiquidem res litigioſa dicatur de cujus dominio eſt controverſia. *Novell. 112. cap. 1.* in caſu autem propoſito nulla eſt de dominio controverſia, neque poſſeſſione, quam tantum debitori creditor precario permittit, non verò remittit jus pignoris, neque illius diſtrahendi facultatem, cum creditor pignus etiam apud debitorem conſtitutum poſſit vendere, *l. 14. h. t.* 5

Verumtamen ita demum creditor pignus vendere poteſt ſi ei res ſit obligata, *d. l. 2.* Quo ſit ut creditor chirographarius, in præjudicium creditoris hypothecarij, pignus vendere non poſſit, & ſi vendat res, à creditore hypothecario poterit auferri, *l. 17. h. tit.* Planè ſi maritus mutuo dedit pecuniam uxoris, eorum quæ pignoris titulo accepit, niſi illa creditori marito ſucceſſerit, diſtrahendi nullam habet facultatem, *l. pen. h. tit.* Quin etſi pro alio pignus dederit, non tamen id creditor diſtrahere poterit, niſi marito res uxoris obligante, ſimulans ipſa non eſſe ſuas, creditorem ignorantem circumſcripſerit, *l. 11. h. tit.* hoc enim caſu res iſtæ pignori obnoxiæ ſunt, & vendi à creditore poſſunt. 6

Digitized by Google

ſunt, propterea quod ſenatus mulieribus deceptis, non decipientibus ſuccurrit, *l. 2. §. ſed ita ff. S. C. Vellejan.* Non permittitur quoque diſtractio pignoris, ſi perceptione fructuum extenuata ſit ſors, & creditor fructibus redactis ex fundo pignorato debitum ſit conſecutus, *l. 1. h. t.* hoc enim caſu ipſo jure pignus ab obligatione liberatur. itemque ſi alio quovis modo ſatisfactum ſit creditori, eique reſiduum debiti fuerit oblatum, & à judice æſtimatum, cujus proinde arbitrium ſi creditor detrectaverit, ſive oblato ſuperfluo ad venditionem proſilierit, improba alienatio proprietatis, debitoris jus non auferet, *l. 5. h. t.* cum non poſſit videri conſtitutus in mora, ad effectum ut poſſit creditor vendere pignus. Vide Barboſam *ad l. divortio* 8. §. *fin. num. 39. ff. ſol. matr.*

7 Porrò in hac venditione, quæ obſervare debeat creditor videamus, ac inprimis illud obſervabit, ut cum venditurus eſt, hoc notum faciat debitori detrectanti ſolutionem, vel teſtato, id eſt, teſtibus adhibitis ſi poteſt, *l. 4. h. tit.* Deinde ut bona fide & ſolemniter per præconem ſub haſta pignus vendat, ita ut plus offerenti addicatur, ſic enim apparebit an ex pretio pignoris publicè oblato ſatisfieri poſſit debito, *l. 9. h. t.* ubi additur ea quæ ſpecialiter obligata ſunt prius eſſe diſtrahenda & poſtea ad reliqua veniendum. Ita quidem ut ſi res ſit immobilis, creditor eam rem proſcribat, *diſt. l. 4.* id eſt, litteris publicis ante ædes, aut eum locum quo venditur, propoſitis, ſignificet rem venalem eſſe, ut ita plures reperiantur emptores: ſin autem ſit res mobilis, quæ à creditore diſtrahitur, ea proſcribi non poteſt, ſed ſolet & debet ſub auctione publica vendi, ex bona fide, nam hæc etſi in aliis bonæ fidei contractibus conſideretur, in pignoratis tamen rebus diſtrahendis, maximè exubera-
8 re debet: * Itemque à creditore abeſſe omnis colluſio cum emptore, ne illi longe minoris rem utpote non ſuam, ſed debitoris, vendat, atq; exemplo boni patrisfamil. tanti rem vendat, quanti ille eam eſſet venditurus. Alioqui à debitore conveniri poterit actione pignoratitia. Neque enim ipſa venditio fraudulenter facta reſcinditur contra bonæ fidei emptorem, ſed contra ipſum creditorem agi debet à debitore, *l. 7. h. tit.* & hæc eſt actio quam intelligit Imp. *in d. l. 4. ut inferatur actio quæ eo nomine competit*, id eſt, pignoratitia directa experiatur debitor adverſus creditorem, in id quod ſua intereſt pignus non ita diſtractum fuiſſe, ut eſt *in l. 1. infr. ſi vend. pign. agat.*

9 Cum ergo bona fide in venditione verſari debeat creditor, non poterit ſibi ipſi per ſe, vel per ſuppoſitam imaginarij emptoris perſonam pignus emere, multoque minus poterit id ſibi adjicere, ut ſit ſimul emptor & venditor, *l. 10. h. t.* Alioqui permiſſum eſt debitori oblata pecunia, cum uſuris ad reſtitutionem creditorem compellere, atque ita pignus liberare. Verum ſi diſtrahente debitore, creditor pignus comparaverit, conſenſu emptionem perfectam (ſi neque dolus adverſarij, neque metus cauſa geſta arguentur) revocari exemplo grave eſt, *d. l. 10. & l. 7. ſupr. De reſc. vend.* Itemque pignus quod ex cauſa judicati à miniſtro Judicis ſub haſta vendi debet, idque creditori plus offerenti addici, nihil vetat, *leg. 2. §. 1. ſup. ſi in cauſa jud. pign. capt. ſit.*

Effectus venditionis ritè factæ hic eſt, quod 10
emptor de proprietate rei quam emit, vinci non poteſt, *l. 18. h. tit.* nec illius ſolum habet retentionem, ſed etiam vindicationem, dummodo res à venditore ei tradita fuerit, *l. 13. h. t.* quia creditor licet pignoris dominus non ſit, tamen ejus dominium in emptorem transfert, propterea quod voluntate debitoris id facere videtur, tanquam debitor id in pignore contrahendo conceſſerit, *§. 1. Inſtit. quib. mod. alien. licet vel non.* nihil enim refert utrum dominus an alius ejus voluntate rem tradat: Adeoque tenet traditio à creditore facta, ut ſi pòſt debitor quondam pignus ſollicitaverit, & id ad eum redierit, non venditori, ſed emptori, pignoris legitimo domino, contra poſſidentem in rem competat actio, ut dictum eſt, & probatur, *l. 15. h. t.*

Porrò hypothecis, vel pignoribus à creditore 11
venundatis, ſi ex iis nihil præter debitum is conſecutus fuerit, nulla ſubeſt cauſa agendi debitori, neque creditori, cui jam ſatisfactum eſt. At verò ſi creditor minus accepit in id quod deeſt adverſus debitorem vel fidejuſſorem ejus exactionem habet, quam etiam habuiſſet pignoribus non diſtractis, *l. 3. h. t.*

Cæterum ſi pluris vendiderit pignora quàm ei 12
deberetur, actione pignoratitia cogitur ſuperfluum debitori reſtituere, *l. ultim. h. t. & l. ult. §. 5. infr. De jure dom. imp.*

Sed quid ſi ex ea pecunia ſuperflua creditor rem 13
aliquam emerit? Sane cum res iſta non tam ex occaſione pignoris, quam ex creditoris negotiatione proveniat, non competit hac de cauſa debitori actio in rem, ſed in perſonam, id eſt pignoratitiam adverſus creditorem, *l. ult. h. t.* cujus ratio eſt quòd ea res debitori quæſita non ſit, ſed creditori, in quem dominus rem translatam voluit, *§. per traditionem Inſtit. de rer. diviſ.* Non obſtat quod res iſta debitoris eſſe videatur, quia empta ex ſuperfluo pretij, quod ei reſtituendum venit: nam notum eſt etiam ex aliena pecunia rem mihi emptam meam fieri, *ex Tit. ſup. Si quis alteri vel ſibi.*

Interim tamen ſervandum erit ſuperfluum de- 14
bitori, pro quo & ei actio competit, ſed perſonalis, adverſus creditorem, quia id quod ex occaſione pignoris ad creditorem pervenit, ad debi-

toris commodum pertinet, eique proficere debet, non autem creditori, ne is lucrum ex aliena jactura acquirat, *l.12.§.1.ff.h.t.* Ergo inquies res ipſa ex ſuperfluo empta debitori proficere debet? Minimè, cum dictum mox ſit, & verum eſt, eam rem non tam ex pignore, vel ejus pretij reſiduo, quàm ex nova emptione, & contractu creditoris ad eum per-
15 veniſſe, *l.23.ff. De har. vel act. vend.* * Quod autem reſcriptum eſt ſi creditor pignus plus vendiderit quam debetur, debitorem poſſe agere non ſolum de ſuperflua pecunia, ſed etiam de uſuris, quas ex uſu ejus pecuniæ creditor perceperit, *l.6. §.ult. & l.7.ff. De pignor. act.* Id extendi non debet ad præſentem caſum, ut permitti debeat debitori agere ad reſtitutionem rei, quam ex ſuperflua pecunia creditor comparavit, cum alia ſit ratio uſurarum, ſiquidem hæ fructus ſint pecuniæ, ut non mirum ſi una cum ipſo reliquo ad utilitatem debitoris pertineant, eique ſint reſtituendæ, non minus atque fructus: At verò res ex ea pecunia emptæ, non ſunt ejus pecuniæ fructus, ſed pretium induſtriæ creditoris.

TITULUS XXIX.

Debitorem vindicationem pignoris impedire non poſſe.

1. *Debitor non poteſt denunciatione, aut prohibitione ſua impedire pignoris venditionem.*
2. *Niſi creditori totum debitum obtulerit, & is accipere noluerit, obſignatumque depoſuerit.*

1 DIctum eſt ſuperiore Titul. ceſſante debitore in ſolutione, poſſe creditorem pignus diſtrahere, hoc cum ita ſit, ſequitur quod hic dicitur debitorem nulla denuntiatione ſua aut prohibitione impedire poſſe quominus creditor rectè vendat, & qui emit, bona fide emat, *l.2.h.tit.* Adeò ut non impediatur pignora emere, propterea quod debitor ſuam prohibitionem teſtamento fuerit complexus & pœnam addiderit, ut illa prædia ſi vendantur fiſci fiant, *l.1.h.tit.* Cùm nemo poſſit cavere ne leges in ſuo teſtamento locum habeant. Quo modo neque conventio ab initio interpoſita impediet jus diſtrahendi, quia faceret deteriorem conditionem creditoris. * Etenim pignoris diſtractio non aliter
2 impeditur, quam ſi debitor univerſum tam ſortis, quam uſurarum debitum obtulerit creditori, eoque id non accipiente, idoneo fide probationis (ita ut oportet) depoſitum oſtenderit, *d.l.2.h.t.* & certò conſtet oblatum depoſitumque fuiſſe debitum ante venditionem, nam poſt non admittitur, *l.2. ſupr. ſi antiq. cred. pign. vend.*

TITULUS XXX.

Si vendito pignore agatur.

1. *Si creditor non ſervato juris ordine, pignus vendiderit, nulla eſt venditio, & debitor dominium non amittit.*
2. *Quid ſi juris poſſeſſor rem uſuceperit.*
3. *Quid ſi creditor jus vendendi pignoris habuit, ſed mala fide vendidit & emptor emit?*
4. *Quomodo conſulitur debitori, ſi de bonis condemnati creditoris ſolvi non potuerit?*
5. *Si jure creditor pignus vendidit, ſed mala fide, tenebitur ſolus debitori; non etiam emptor niſi fraudis particeps fuerit.*
6. *Si bona fide venditio fuerit celebrata, debitori nulla competit actio, niſi pluris venditum ſit pignus.*

VEnditio per creditorem pignore, contingit 1
ſæpe ut debitor actionem movere velit, tam adverſus creditorem, quàm emptorem, quod an jure poſſit, & quatenus hic quæritur. Sanè multum intereſt, utrum creditor qui pignus vendidit, jure vendere non potuerit, an potuerit, ſed mala fide vendiderit. Priore caſu, quo creditor non ſervato juris ordine & refragante conventione ad venditionem proceſſit, cum nulla ſit venditio, debitor dominium rei ita venditæ non amittit, & conſequenter eam vindicabit ab emptore, vel alio quocumque poſſeſſore. *l. 2. h. t.* oblato pretio, quod perſolutum eſt creditori.

Excipitur caſus quo poſſeſſor rem uſuceperit, 2
tunc enim actio pignoratitia debitori contra creditorem ſupereſt, qua conſequatur rei venditæ pretium, *dict. l. 2.* ceſſante actione in rem adverſus emptorem, quia uſucapione jam eſt effectus rei dominus. Certi namque juris eſt veterem dominum, uſucapione dominium, & rei vindicationem perdere.

Alter caſus eſt, quo creditor jus vendendi pig- 3
noris habuit, ſed vendidit mala fide, non obſervatis juris ſolemnibus, quæ in diſtrahendis pignoribus celebrari conſueverunt, hoc caſu ſi emptor quoque in mala fide fuerit, electionem habet debitor, utrum malit agere adverſus creditorem actione pignoratitia, in id quod ſua intereſt, an reſciſſa venditione rem ab emptore conſequi, *l. 4. h. t.* ubi non jubetur offerre pretium, ſed ſupplendum id *ex l.1.h.t.*

Ex qua & illud obſervandum, quod ſi de bonis 4
creditoris condemnati ſolvi pecunia non potuerit, probatumque fuerit non eſſe ſolvendo, itemque emptorem mala fide emiſſe, debitori adverſus hunc emptorem actio dabitur, eaque in rem utilis, quæ appellatur reſciſſoria, quia *d. l. 1.* utitur verbo *reſtituendi*, qua cogatur emptor debitori offerenti pretium

Digitized by Google

tium cum uſuris, rem emptam reſtituere, una cum fructibus, cum fuerit fraudis particeps & malæ fidei.

5 Quod ſi autem creditor qui jure vendere poterat, ſolemniter, mala tamen fide vendidit, puta curavit ut vili pretio in gratiam emptoris pignus addiceretur, ipſe ſolus actione pignoratitia tenebitur debitori reſtituere, quanti ejus intereſt, *l. 3. h. tit.* non item emptor, niſi (ut jam dixi) fraudis particeps fuerit, aut creditor non ſit ſolvendo, quia in ſubſidium tenebitur, *d.l. 1. & 4.*

6 Cæterum ſi bona fide, emptio & venditio ab utroque fuerit celebrata, obſervatis nimirum iis, quæ in pignoribus diſtrahendis obſervari ſolent, debitori nulla competit actio, neque contra creditorem neque contra emptorem, ut fruſtra illi debitum, aut huic pretium offerat, *l. 2. ſup. Si antiq. cred. pign. vend.* Interdum tamen ei actio datur de ſuperfluo, cum videlicet pignus pluris diſtractum ſit, quam creditori debetur, eaque non in rem, ſed in perſonam eſt, adverſus creditorem ejuſque ſucceſſorem, non item in emptorem, aut ejus hæredem, qui jure rem poſſidet, *l. ult. h. t.*

TITULUS XXXI.

De luitione pignoris.

1. *Luitur ſeu liberatur pignus, ſolutione totius debiti, non item partis.*
2. *Si unus ex multis hæredibus debitoris, pro parte ſua debitum ſolvat, liberatur ab obligatione, non tamen recipit ſuam partem ex pignoribus.*
3. *Sublata actione perſonali, adhuc durat pignorum perſecutio, certis tantummodo caſibus.*

1 PIgnoris diſtractio impeditur per ipſius luitionem, id eſt, liberationem, quæ contingit naturali ſolutione totius debiti, vel conſignatione ejus, vel depoſitione, *l. 3. h. tit.* Etenim partis ſolutione, licet obligatio principalis pro parte tollatur, nihilominus tamen totum pignus obligatum manet ut prius: adeo ut creditor non tantum poſſit totum pignus à poſſeſſore perſequi, ſed etiam id vendere, *l. 6. ſup. Tit. 28. & infr. Tit. ſeq.*

2 Debet enim ſibi imputare debitor, qui totum debitum non ſolvit, cùm totum deberet; quæ ratio etiam procedit in perſona hæredum debitoris, nam ſi debitori ſub pignore duo hæredes extiterunt, ſinguli actione perſonali tenentur, pro hæreditariis portionibus, & hypothecaria in ſolidum, & ideò ſi unus pro parte ſua ſolverit, tollitur quidem omni jure actio perſonalis, at non hypothecaria, qua iſte unus tenetur in ſolidum, & hoc vult *l. 1. h. t.* cum ait, quod niſi is qui pro parte hæres extitit, totum debitum exſolvat, ſuam portionem ex pignoribus recipere non poſſit; propter indiviſam cauſam pignoris ejuſque conditionem, quæ ex perſona hæredum immutari nequit, *arg. l. 2. §. 2. ff. De verb. obl. l. 2. ff. De præt. ſtipul.* ſed potius manet in hæredibus: ea autem eſt hujuſmòdi, ut pignus, ſicut ab initio in ſolidam ſummam obligatum eſt, ita quoque non liberatur aliter, quam ſi unus hæredum, vel omnes ſolidum ſolverint, *d.l. 1. & l. 18. §. 4. ff. famil. erciſc.*

Ad hanc facti ſpeciem, & ad alios certos caſus, 3 reſpexiſſe videtur Gordianus Imp. cùm dicit vincula pignoris durare, perſonali actione ſubmota, *l. 2. hic.* quoniam iſta ſententia generaliter recipi nequit, utpote repugnans certiſſimo juris principio, quo præcipitur ut ſublata actione perſonali per ſolutionem debiti, tollatur hypothecaria, *l. 43. ff. de ſol.* Quare uti dictum, certis tantummodo caſibus *dicta l. 2.* diſpoſitio procedit, nimirum ſi alia principalis, alia acceſſorij ratio ſubſit. Quid enim ſi creditor victus, ex eo, quod ſuo vitio cauſam perdidit litem intentando in perſonali actione? certe non eſt ratio ut hypothecariam conſequenter amittat, quia vitium quod principali actioni infuit, male eam movendo, non ineſt hypothecariæ actioni, *l. 95. §. 8. ff. De ſolution.* Idem probatur *l. 59. ff. ad Trebell. l. 51. ff. De evict. l. 27. ff. De pignorib.* ubi Hortenſius, & de aliis videatur Negulantius *de pignor. 6. p. memb. 2. num. 8.* Ant. Faber *l. 7. conj. cap. 18.* Contrà Donellus *l. 16. com. cap. ult.* & Gyphan. *l. 2.* textum emendant, & Cujacius *lib. 5. obſ. cap. 32.* leguntque vincula pignoris non durare.

TITULUS XXXII.

Si unus ex pluribus hæredibus creditoris, vel debitoris partem ſuam debiti ſolverit, vel acceperit.

1. *Et ſi obligatio principalis inter hæredes ipſo jure dividatur pro rata, pignoris tamen obligatio non dividitur.*
2. *Si multi ſint hæredes debitoris, quicumque pignus poſſidet actione hypothecaria in ſolidum convenitur.*

MAnifeſti juris eſt defuncto creditore, multis 1 relictis hæredibus, actionem quidem perſonalem inter eos *leg. 12. Tab.* dividi pro rata, pignus verò in ſolidum unicuique teneri, & uno pro parte debitum exigente, pignus in ſolidum pro reſiduo quod cæteris hæredibus debetur obligatum manere, *l. 1. hic. & l. 1. Tit. ſup.* ubi rationem poſuimus in individuitate pignoris ejuſque conditione, quæ eſt hujuſmodi ut tamdiu pignus maneat obligatum donec omnis pecunia fuerit perſoluta, *l. 9. §. 3. ff. De pign. act.* neque enim ex perſona hæredum immutatur conditio obligationis. Proinde ſi iſti hæredi cre-

 ditori

ditori exigenti, debitor pro portione ipſius ſolverit, permiſſum eſt adhuc cæteris hæredibus totum pignus vendere, dummodo debitori reſtituant, quod cohæredi ſolvit. *l.* 11. §. 4. *ff. De pign. act.*

2 Similiter ſi plures ſint debitoris hæredes, actio quidem perſonalis inter eos pro ſingulis portionibus quæſita ſcinditur, quia divídua eſt, pignoris autem jure multis obligatis rebus, quas diverſi poſſident, cum ejus vindicatio non perſonam obliget, ſed rem ſequatur, quicumque pignus poſſident, unus, vel plures, non pro modo ſingularum rerum ſubſtantiæ, ſed in ſolidum, actione hypothecaria (quæ individua) conveniuntur, compelluntúrque vel totum debitum ſolvere, vel totum pignus reſtituere, *l.* 2. *h. t.* Neque id iniquum cuiquam videri debet, ut unus ex multis hæredibus pignus poſſidens cogatur ſolidum ſolvere, cum partem tantum debeat, ſiquidem in ejus arbitrio poſitum ſit alterum facere, pignus videlicet totum reſtituere, *juxta d. l.* 2. de qua Joan. Parladorius *lib.* 2. *rer. quotid. cap. fin. p.* 4. §. 1. *n.* 15.

TITULUS XXXIII.

Si pignoris conventionem numeratio pecuniæ ſecuta non fuerit.

1. *Si creditor in cujus ſecuritatem pignus datum fuit, non numeraverit pecuniam promiſſam, repellitur ſi agat hypothecaria.*
2. *Debet prius conſtare quod pecuniam realiter numeraverit.*

1 NOn opus eſt pecuniam ſolvere & pignus luere, cum reus pecuniam non accepit. Ideoque ſi ſpe futuræ numerationis debitor, cautionem emiſit, qua fatetur ſibi certam pecuniæ ſummam eſſe numeratam, & in eam pignus dederit, ſi poſtea conſtiterit ſibi pecuniam numeratam non eſſe, atque ideò fruſtra rem pignori dediſſe; poterit non tantum pignoratitia actione, ſed & rei vindicatione rem ſuam repetere, *l.* 1. *h. t.* Namque exceptionem de pignore dato, & pecunia non ſolutâ à creditore objectam facile elidet, per replicationem non ſecutæ numerationis.

2 Debet itaque prius de fide numerationis conſtare, probatione creditoris, quia alias pignoris obligatio, & extorta cautio nullius eſt momenti, cum mendaci ſcriptura, contra veritatis fidem, in cauſam pignoris res obligari non potuerit, *l.* 2. *h. t.*

TITULUS XXXIV.

De jure dominij impetrando.

1. *Creditor, quomodo & quando pignus diſtrahere poſſit.*
2. *Illius dominium ſibi addicere nequit, ſed opus eſt Principis decreto, & quare.*
3. *Item tantum pignus ei addicitur quod ſpecialiter eſt obligatum.*
4. *Quæ olim forma impetrandi dominij pignoris, & quæ hodie præſcripta.*
5. *Non ante biennium jus dominij creditor impetrat, eoque exacto rem venum exponit.*
6. *Pignus liberare poterit debitor, intra biennium offerendo debitum.*
7. *Quomodo creditor à beneficio impetrati pignoris cadat?*
8. *Hæc dominij impetratio moribus hodiernis ſublata, atque alius ordo receptus, qui hic exponitur.*

CReditor ceſſante debitore in ſolutione, pignus vel hypothecam diſtrahere poteſt, non reluctante lege contractus, *l.* 7. *ſup. Titul.* 28. nam ſervanda pactio eſt, citra pactum autem opus eſt denuntiatione, & judicis permiſſu, atque publicè ſolemniter ſub haſta diſtractio pignoris fieri debet, & interdum trina denuntiatione opus eſt, *leg.* 4. *d. t. & l.* 4. *&* 5. *ff. De pign. act.* neque poteſt creditor à ſe ipſo emere, ſed à miniſtro judicis poteſt, *l.* 1. *ſup. ſi in cauſa jud.* * Fruſtra etiam pignus ſibi addicit, nam in dominio pignoris addicendo creditori, neceſſaria eſt Principis auctoritas, *l.* 2. *&* 3. *h. t.* quamvis debitor ceſſet in ſolutione, nec creditor inveniat emptorem. Ratio cur Principis auctoritate opus ſit, eſt hæc, quia Magiſtratus ſive Prætor ut hæredem, ita & dominum facere non poteſt. §. 1. *Inſtit. De bonor. poſſ.* Legis eſt ſive Principis facere vel hæredem, vel dominum. 1 2

Verum multum intereſt quomodo creditori obligatum ſit pignus, generaliterne; an ſpecialiter: nam tantum illud quod ſpecialiter obligatum eſt, ei addici poteſt, ſi verò omnia debitoris bona ſint hypothecæ ſubjecta, non poſſunt ea omnia creditori addici, ſed nominatim res certæ pro modo debiti addicuntur, *l.* 1. *h. t.* quia alias iniquum eſſet, ut plus conſequatur creditor, quàm ei debetur. 3

Olim antequam creditor poſſet pignus jure dominij poſſidere, præcedere debebat ſolemnitas proſcriptionis & haſtæ publicæ, atque poſt addictum à Principe dominium creditori, debitor habebat anni ſpatium, intra quod offerendo debitum, poterat adhuc pignus recuperare. Sed Juſtinianus aliam formam & ordinem impetrandi dominij pignoris præſcribit, ſublata veteri illa ſolemnitate proſcriptionis & ſubhaſtationis. Forma autem eſt hæc, ut facta denuntiatione debitori, ut ſolvat, aut poſt judicis ſententiam, poſſit creditor ceſſante debitore, iterum monito, & non reperto emptore, qui pignus emat, ejus dominium à Principe impetrare. 4

Sed non antequam integrum biennium pignus apud ſe habuerit venale, atque ita intelligenda *l. ult. h. tit.* ejuſque hic verus ſenſus, creditores qui jus dominij 5

Digitized by Google

dominij impetrare volunt, non ante biennium id impetrare poſſe, non autem extendenda eſt conſtitutio ad jus diſtrahendi, tanquam id exerceri non poſſit, niſi lapſo biennio à denuntiatione. Late Do-
6 nellus *tract. De pign. cap. 12.* * Sed & intra biennium ex quo jus dominij impetratum eſt, poterit debitor pignus liberare, offerendo debitum cum uſuris, atque ſumptibus litis & omni damno creditori, ex ceſſatione illato, ſin minus, pignus pleno jure remanebit penes creditorem in ſolutum, pro rata debiti quantitate, & ſalva reſidui, vel ſuperflui petitione, prout aperte definitum *in d. l. ult.*

7 Interdum creditor à beneficio impetrati dominij receſſiſſe videtur; Ita ut rei dominium debitori & priſtina obligatio creditori reſtituatur. Hoc autem contingit ſi poſt impetratum jus dominij, ſequentis anni uſuras à debitore accipiat *l. 2. h. t.*

8 Verum hoc remedium impetrationis, quia longum, & creditoribus non ſatis utile, moribus hodiernis vix eſt receptum, eſtque alius ordo diſtrahendi pignoris, ex publica auctoritate per apparitorem, ſive res mobilis, ſive immobilis fuerit, quæ pignori vel hypothecæ obligata, aut in cauſam judicati capta ſit. Solet etiam quaſi curator, vel magiſter bonis immobilibus debitoris, antè condemnati, cuſtodiendis & adminiſtrandis dari ab executore, ut obſervatis ſolemnibus omnibus, res immobilis publicè ex licitatione diſtrahatur, & plus licitanti addicatur firmo jure: Nec ipſe creditor hodie à magiſtratu mittitur in poſſeſſionem, nec à Principe impetrat jus dominij, ſed ad licitationem & auctionem admittitur, ut & alius quilibet, atque ex pretio bonorum ſolvitur creditoribus, pro modo pecuniæ cujuſque. Rebuffus *ad conſtitut. Regias in procem. Gloſſ. 5. num. 103.* Paul. Chriſtinæus *in ſuo Cod. ad h. t.*

TITULUS XXXV.

De pactis pignorum & Lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda.

1. *Tria pacta hoc tit. referuntur. Quæritur quæ ſit vis hujus pacti, niſi intra tempus certum pecuniam ſolverit ceſſurum ſe pignus creditori?*
2. *Pactum de pignore, quod ob periculum evictionis datum eſt, ſi evictio ſecuta non ſit, reſtituendo.*
3. *Verior ſententia hoc pignus recuperari actione pigneratitia, non ex vendito.*
4. *Pactum legis commiſſoriæ cur in pignoribus reprobetur, & ſi pignus valore ſuo non ſuperet debitum.*
5. *An pactum legis commiſſoriæ juramento vel ſtatuto confirmari poſſit.*
6. *Valet tamen quo convenit, ut res pignorata creditori, ſit empta juſto pretio, niſi debitor ſuo die ſolvat.*
7. *Cur pactum commiſſorium in emptione valet?*
8. *An in pignore, pactum l. commiſ. ex intervallo factum valeat?*

SUb hoc Titul. tres ſunt conſtitutiones, & tria 1
pacta, pignoribus contrahendis adjici ſolita, declarantur, pro coronide hujus tractatus. Eorum pactorum quædam ſunt utilia, veluti ſi pactum ſit ut pecunia intra certum tempus non ſoluta, pignus cedat creditori, *l. 1. h. t.* eo namque pacto intelligitur creditori permiſſa tantum eſſe venditio pignoris, non autem ut habeat creditor pignus emptionis jure, cum emptio & venditio ſine pretio eſſe poſſit. *Inſtit. de empt. & vend.* Ergo cum illa verba *ut pignus ſibi cedat*, ambigua ſint, interpretanda ſunt potius ut pactum valeat, quam pereat, *l. 12. ff. de reb. dub.* & ideò dictum eſt *ſupra de pignor. per l. 1.* quod debitor qui profitetur ſe pignus cedere creditori nihilo magis liberetur ab obligatione. Poſſet tamen videri minus utile hujuſmodi pactum quandoquidem etiam ſine eo, jure communi creditor pignoris vendendi habeat facultatem, ſi ei ſtatuto tempore non ſolvatur, obſervatis tamen iis, quæ in pignore diſtrahendo obſervanda eſſe docuimus, *ſupr. De diſtract. pign.*

Utile & illud pactum quo convenit, ut pignus 2
quod datum eſt ob periculum evictionis emptori, cui quis movebat controverſiam rei venditæ, reſtituatur, re judicata ſecundùm emptorem, nec teneatur in cauſam evictionis, cum illius periculum nunc ceſſet, id eſt, conditio deficiat, ob quam pignus conſtitutum fuit, *l. 1. h. tit.* quod pene idem refertur ab Ulpiano *in l. 11. §. 1. ff. De pign. act.*

Addam cum Accurſio *ad d. l. 2.* hoc pignus pig- 3
noratitia actione recuperari, rejecta ſententia Hotomanni, qui putat actionem ex vendito dari, quaſi hoc pactum pignori adjectum inſit venditioni, id eſt, in continenti factum ſit & proſit ad agendum, *l. 27. ff. De contr. empt.* Cum tamen ex ipſo textu *l. 2.* ſatis colligatur pignus ex intervallo datum eſſe, & conſequenter pactum pignori adjectum non ineſſe venditioni, quæ jam ante præceſſerat dationem pignoris.

Tertium verò pactum hodie injuſtum, commiſ- 4
ſorium dicitur, eo quod pignus creditori committatur, id eſt, ejus fiat; ita enim J. C. verbo committendi utuntur, & Cicero pro Flacco agens de hoc pacto ait commiſſam eſſe fiduciam, id eſt, pignus. Sic & merces commiſſæ fiſco, ſive Principi, dicuntur ob non ſolutum vectigal, *l. 11. & 14. ff. De publicanis.* Dico pactum hoc eſſe injuſtum, propter ſummam iniquitatem quam continet, quia niſi debitor die certa creditori ſatisfecerit, pignus quod eo nomine obligatum eſt, creditori committitur pœnæ cauſa, ſeu acquirſtur pleno jure, cum

cum tamen non infrequenter res oppignorata ſuperet quantitatem debitam. Et quamvis eam non ſuperaret, adhuc improba cenſeri debet ejuſmodi conventio, ob id quod re ſua carere cogatur debitor, ob non ſolutum ſua die debitum, & quidem pretio non conſtituendo; cum in ſolutione ceſſaſſet debitor, & pignus creditor diſtrahere poſſet, ſed conſtituto, cum res nexui pignoris ſupponeretur. Quæ iniquitas movit Conſtantinum, ut pactionem hanc improbaret, legemque commiſſoriam etiam in præteritum prohiberet, *l.3.h.t.* cum tamen leges in futurum vim ſuam exerceant, *l. 7. ſupr. De legib.* niſi in rebus ſua ſponte & natura ſceleratis.

5 Cum ergo tam impia ſit iſta conventio, & contra leges & bonos mores, non poterit ea juramento aut ſtatuto firmari, illud enim pro non dicto, aut ſcripto reputari debet. *Novel.61.cap.1.§.4.& Novell. 134.cap.1.in fin.* Diſſentit Fachin. *lib.10.contr.cap.3.* per *cap.cum contingat.* ꝟ. *& jurejur.* ex quo Canoniſtæ juramentum eſſe ſervandum dicunt, quod ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ, quale hoc eſt; quod non admitto, ſi magna verteretur captio debitoris, qui proinde, ſi de facto juramentum interpoſuerit, facile illius relaxationem impetrabit, exemplo debitoris, qui cum juramento uſuras ſolvere promiſit *cap.debitores* ꝟ. *& jurejur.*

6 Valet tamen pactum, quo convenit, ut ſua die non ſoluta quantitate debita, creditor rem nexui pignoris obligatam, pleno jure habeat, non pro quantitate debita, ſed juſto pretio tunc conſtituendo, cùm in ſolutione ceſſaſſet debitor. *l.16.§.ult.ff. De pign.* ceſſat enim hic prædicta iniquitas, cum neuter contrahentium lædatur, pactumque iſtud cadat in emptionem conditionalem, & juſtum pretium relinquatur arbitrio boni viri, aut referatur ad communem, quæ tunc erit, æſtimationem: quo facto id quod debito ſoluto ſupereſt, debitori pigneratitia agenti reſtituendum erit, quod in lege commiſſoria non intelligitur. Salicetus *ad l. 3. h. t.* & Alexand. *Conſ.378.num.9.lib.7.* Covarruv. *lib.3.var. cap.2.num.7.verſ.ſecundo.*

7 At cur pactum commiſſorium in emptione valet? quia nihil iniqui involvit, cum in caſum, quo ad diem certum emptor pretium non ſolverit, res ſit inempta, redeatque ad ſuum principium, *l.2.& 4. ff. De L. commiſ.* de qua dictum *ſup.de pact.inter empt. & vend.n.8.* Ideò itaque lex commiſſoria in emptione valet, quod veteri domino ſcilicet venditori dominium rei reſervet, idque nullo cum damno emptoris, qui licet ex lege conventionis dominio rei emptæ ob non ſolutum ſua die pretium conventum excidat, nummos tamen quos promiſerat (qui juſtum rei valorem communiter conſtituunt) ſibi retinet. Quamvis igitur in eo conveniat debitor, cum emptore, quod uterque ex propria culpa, ob non ſolutam quantitatem debitam, ſua re careat; in hoc tamen differentia eſt, quod huic nihil decedat, illi autem plurimum, ſi quidem dominium rei ſuæ, pro minima ſæpe quantitate lex commiſſoria auferat, quæ ideò in pignoribus improbatur, *d.l.ult.*

Denique dubitatur, An hoc pactum L. Commiſſoriæ in pignore ex intervallo factum valeat? Et valere ſaltem ad excipiendum, communi DD. calculo receptum eſt *per text. l.34.ff. De pign. act.* Ego verò exiſtimo idem pactum ex intervallo factum æque reprobari, ac factum initio contractus *per d.l.3.* cùm utroque modo factum prædicta iniquitate laboret, præſertim cùm debitor ex intervallo plerumque non minus metuat creditorem, quàm ab initio contractus. Etenim ut initio contractus debitor pecuniæ indigens quaſvis conditiones facile admittit, idem faciet ex intervallo, ne fortè ad prætorem eatur, bona publicè diſtrahantur, & dure cum eo agatur. Itaque non obſtat *text. in l. 34.* quia non tractatur ibi de pacto legis commiſſoriæ, ut ſcilicet creditori pignus habere liceat pro debito, ſed ut certo & juſto pretio res ſit empta. Quod juri conſonum eſt, & ideò rectè concludit ibi Marcellus debitorem non poſſe hanc venditionem revocare; ſæpe enim placuit licere debitori pignus, aut aliam rem juſto pretio æſtimatam vendere vel in ſolutum creditori dare, *l. 44. ff. De ſolut. l. 13. Cod. De pign.* Quod diverſum eſt à lege commiſſoria, de qua præter Mudæum, noviſſimè ſcripſit Jac. Mæſtertius. 8

TITULUS XXXVI.

De exceptionibus ſeu Præſcriptionibus.

1. *Continuatio. Quid ſit exceptio, cur inventa.*
2. *Cur hic vocetur Præſcriptio.*
3. *Exceptio alia facti, alia juris.*
4. *Juris alia eſt dilatoria, alia peremptoria, illius exempla.*
5. *Cur dilatoriæ exceptiones ante litem conteſtatam opponantur.*
6. *Id fallit certis caſibus.*
7. *Exceptio majoris excommunicationis quandocumque objici poteſt; & cur inducta?*
8. *Interdum remittitur à Judice. Excommunicatus ſe defendere non prohibetur.*
9. *An dilatoriæ exceptiones probari debeant, ante inchoatum judicium?*
10. *Peremptoriæ etiam poſt, proponi probarique poſſunt.*
11. *Quædam in principio ſunt opponendæ, quæ vocantur litis finitæ.*
12. *Aliæ ſunt exceptiones quæ etiam poſt ſententiam latam opponuntur, ut Macedon. Vellei.*
13. *Item militibus competentes & minoribus ob beneficium ætatis.*

14. Ex

14. *Exceptio donatori ne in plus quam facere poteſt condemnetur; an à marito, ſocio, patre poſt ſententiam opponatur?*
15. *Et à quibus alij opponatur, & quid ſi exceptio fuerit ante rejecta.*
16. *Hoc Titul. proponuntur exempla exceptionum rei judicata, doli, metus. Rei judicata cui noceat?*
17. *Exceptio metus & doli mali cur ſit perpetua, cum actio metus & doli ſit temporalis.*
18. *Exceptione doli ſe tuetur reus, qui juſſu teſtatoris & creditoris, uni ex hæredibus totum ſolvit.*
19. *Quibus caſibus utile & neceſſarium ſit reo, exceptiones proponere.*
20. *Id ſub diſtinctione reſolvitur, vel reus negat intentionem actoris, vel eam fatetur, vel de ea dubitat.*
21. *Utrum exceptiones reo competentes, fidejuſſori quoque proſint?*
22. *Diſtinguitur inter perſonales & reales exceptiones.*
23. *Reales proſunt fidejuſſori etiam minoris, qui in re fuit deceptus.*
24. *Perſonales cur non competant fidejuſſori cum dentur defenſori.*
25. *Proſunt fidejuſſori convento, ſi defendatur ab ipſo principali.*
26. *Et quando illi eſt regreſſus contra principalem, ut in materia competentia.*
27. *Quæ præterea exceptiones reo competentes, non accommodantur fidejuſſoribus?*
28. *Quatenus reo pluribus exceptionibus, itemque contrarijs uti licet.*
29. *Cur non etiam actori liceat plures actiones ſimul proponere.*
30. *Actoris gratia introducta eſt replicatio, qua pacti & doli exceptio eliditur.*
31. *Exemplo declaratur quo modo ex dolo rei, ſeu tutoris, oritur replicatio actori.*

1 JUdicijs & Actionibus exceptiones non minus affines ſunt, quam interdicta & pignora, nam qui excipit, actoris partes quodammodo ſuſtinet, *l. 1. ff. h. t.* quæ cauſa eſt, quod de illis hoc loco agatur. *Exceptio* generaliter ſumpta, nihil aliud eſt, quam neceſſaria defenſio, & ita vocatur *in l. 9. in pr. & l. 11. h. tit.* ſtrictè verò accepta, eſt quædam excluſio, quæ opponi actioni cujuſque rei ſolet, ad excludendum id quod in intentionem condemnationemve deductum eſt, *l. 2. ff. eod.* Cum ſæpe accidat, ut licet ipſa actio ſit juſta, & in jure fundata ſi per ſe conſideretur, iniqua tamen ſit adverſus eum, cum quo agitur. Unde exceptionem ita definit Theophilus, ut ſit allegatio quædam reo competens, adverſus actionem, quæ jure civili ſit efficax,
2 ſed natura iniquas habeat vires. * Hic inſcriptione Tit. vocatur *Præſcriptio.* Unde præſcriptio Fori, præſcriptio rei judicatæ, præſcriptio doli, quæ locutio uſitata eſt, præſcribit namque, id eſt, dictat reus actori, quomodo actionem concipere debuerit, addendo exceptionem.

Omnis namque exceptio aut facti, ſeu intentio- 3
nis, aut juris eſt. Facti ſeu intentionis, quæ actoris nullo jure agentis intentionem excludit, ut puta ejus qui pecuniam nunquam creditam, vel ſi credita fuerit, ſemel ſolutam, condicat. Juris verò quæ actoris jus, id eſt, actionem excludit, ut puta ejus qui ex promiſſione, metu, dolove malo impellente, ſibi facta, ad id quod promiſſum eſt, actionem juris ſubtilitate ſibi competentem, movet, *§. 1. & ſeqq. Inſtit. h. t.*

Juris exceptiones aut *dilatoriæ* temporalesve ſunt, 4
l. pen. h. t. aut *peremptoriæ* & perpetuæ, ſic dictæ, quod hæ rem, ſive jus agentis omnino perimant, *l. 7. h. tit.* Illæ verò tantum principale negotium ejuſdemque congnitionem ad tempus differant. Differtur enim nonnunquam cognitio cauſæ, quia contra judicem, ſeu ipſius juriſdictionem quippiam objicitur, qualis vocatur *præſcriptio fori,* eſtque in principio litis opponenda, ne aliud quippiam dicendo, reus in Judicem conſenſiſſe videatur, *l. ult. h. t.* Alias differtur etiam cognitio, propterea quod perſonis litigatorum, vel intervenientium aliquid opponitur, puta quod idoneæ non ſint ad judicium exercendum; vel actioni quid objicitur, quod ea intendi non poſſit, aut alia prius intendi debeat, ne per eam majori cauſæ præjudicium fiat.

Dilatoriarum exceptionum hæc eſt natura, ut 5
omnes ante litis conteſtationem opponi debeant, *d. l. ult.* quandoquidem non reſpiciant cauſæ merita, ſed ea quæ judicium potiſſime conſtituunt, perſonas videlicet, locum, tempus, ſic ut conſtituto jam judicio præpoſtere opponerentur, cum prius iis renunciaſſe videatur tacendo. Quamobtem ſi advocatus inter exordia litis, prætermiſſam dilatoriam exceptionem poſtea voluerit exercere, non tantum ejus fructu carebit, ſed inſuper unius libræ auri condemnatione mulctabitur, *l. pen. h. t.* Itaque ne nimis diu judicium differatur, tempus ad hujuſmodi exceptiones proponendas à Judice præfixum, ſervandum erit. * Niſi fortè poſt judicium cœptum, 6
vel tempus præfixum ex nova cauſa emerſerint, vel ad ſuam notitiam perveniſſe reus juret, vel de eis antea proteſtatus fuerit, *cap. 4. ✠. h. t.* aut judicium reddatur retro nullum, quomodo falſi procuratoris exceptio non ſolum lite conteſtata quandocumque, ſed etiam definitiva ſententia lata proponi, *l. 24. ſup. De procurat.* uti & quævis alia querela falſi intra vicennium moveri poteſt, *l. 12. C. ad. l. Corn. De falſ.*

Itemque majoris excommunicationis exceptio; 7
& ante, & poſt litis conteſtationem, quandocumque objici poteſt. *c. 1. eod. in. 6.* Modò non calumnioſe ea objiciatur. Quapropter ſpecies excommuni-

Digitized by Google

cationis, nomenque ejus qui excommunicavit, exprimere oportet, ac intra octiduum objectionem probare. Sane optima ratione Conditores canonũ excommunicatos à judiciis ſubmoveri voluerunt, ne quis cogatur cum illis communicare, in animæ ſuæ periculum, *c.12. X. h.t.* nam qui ſcienter cum excommunicato communicat, minorem excommunicationem incurrit, *c.2. X. h.t.* Eſt itaque hæc exceptio inducta in odium excommunicati, ut contumaciæ ejus vitium reprimatur, & rubore ſuffuſus ad humanitatis gratiam, & reconciliationis effectum facilius inclinetur, *d.c.1.* Quod ita procedere vult Covarruvias. *1.var. c.18.n.5.* ut ne quidem per

8 legem ſecularem contrarium ſtatui poſſit. * Interdum exceptionem excommunicationis & reliquarum cenſurarum remittere Judex debet, facereque excommunicato agendi facultatem, data ab ipſo cautione, nempe cum talis excommunicatio altiorem longioremque cognitionem requirere videtur *c.9. X. h.t.* Quod autem dictum eſt excommunicatos à Judice repelli, id verum eſt in iis, qui actione, vel mutua petitione quippiam perſequuntur; alioqui excommunicatio nullum genus defenſionis adimit. Quare qui excommunicatus eſt, poteſt defendere, & jus ſuum tueri exceptionibus, ſi in jus vocetur; quin etiam poteſt appellare appellationemque proſequi, ſi de iniquitate ſententiæ queratur, *c.5. 10. & 11. X. h.t.* Atque ea facere poterit per ſe, abſque procuratoris auxilio, quia aliàs non foret excommunicato plena ſui defenſio, & multa ſæpè incidunt, quæ non commodè per procuratorem explicari poſſunt, ſed requirunt propriam rei præſentiam, non obſtante *textu cap.7. X. De judiciys*, inde quo videantur Abbas, Innoc. Hoſtienſis, quia hæc magis juris Pontificij ſunt.

9 Hujus verò loci proprium eſt inquirere, quando exceptiones probari decidique debeant? Et verius eſt dilatorias probari debere, antequam lis conteſtetur, ne ea conteſtata, in Judicem conſentire, agentiumque perſonas approbare reus videatur, *l. pen. §. ult. h.t.* Attamen huic ſententiæ obſtat *text. in l. 19. ſupr. De probat.* ubi ſcriptum eſt, dilatoriam exceptionem, peremptoriam exceptionem ſi quam habet, eidem objicere probareque neceſſario debet, ſi evitat exceptionem, demum probari à reo oportere, poſtquam actor monſtraverit id, quod aſſeverat Hugo Donellus *ad d.*l.19. putat mendum eſſe in textu, & loco vocabuli *dilatoriam*, legendum eſſe *peremptoriam*, quod neſcio an probabiliter dici poſſit. Quapropter retenta conſtanti omnium codicum lectione, exiſtimo legem illam loqui de illa dilatoria, quæ cauſam potius concernit, quam judicij conſtitutionem, talis enim etiam poſt litem conteſtatam probari poteſt, cum non videatur reus ſibi præjudicare. Nam pone, quod quis petat decem, quæ mutuo dedit, reus verò neget ea data eſſe, & ſub disjunctione adjiciat, ſi data ſint, pactum interveniſſe, ne intra quinquennium petantur; hæc ſiquidem pacti exceptio, cauſam principalem concernit, quam proinde probari ſufficiat à reo, poſtquam intentionem ſeu aſſeverationem ſuam de mutuo dato petitor probaverit, *l.9. in fin. h.t.*

10 Hinc peremptoriæ præſcriptiones, quia non ſunt de judicio conſtituendo, ſed jam conſtituto finiendo, quia rem ipſam finiunt, qua de agitur ideò quamdiu judicium durat, quandocumque proponi poſſunt, dummodo ante ſententiam definitivam opponantur, *l.4. & 8. h.t.* poſt enim ſententiam opponi non poſſunt, niſi ab ea ſit appellatum, *l.2. ſup. ſent. non poſſ.*

11 Quædam tamen peremptoriæ in principio litis propoſitæ, ejus ingreſſum impediunt, & dicuntur litis finitę, cujuſmodi eſt rei judicatę exceptio, tranſactionis, jurisjurandi, *cap.1. de lit. cont. in 6.* quia præter rem principalem, etiam inſtantiam concernunt. Idemque & in omnibus illis peremptoriis exceptionibus permiſſum eſt, quibus actori nullum jus, nullamve actionem competere reus aſſerit. Cujuſmodi eſt ſolutionis, atque etiam acceptilationis exceptio. *Inſt. quib. mod. toll. obl. in princ.* Quam quidem reſtrictionem ita demum veram eſſe Bartolus voluit, *in l. cum quærebatur. verſ. proinde ff. judic. ſolvi.* ſi hujuſmodi peremptoriæ exceptiones, confeſtim atque ex continenti probari poſſint, ſique in dilatoriæ non peremptoriæ exceptionis modum proponantur, ad ulteriorem nempe cauſæ proceſſum impediendum, magis quam ejuſdem merita confutanda. Denique ſine controverſia receptum eſt, peremptorias exceptiones de quarum veritate publicè conſtat, & per quas actoris calumnia evidenter apparet, ante litis conteſtationem objici, objectaſque eam impedire poſſe, ne reum diutius laboribus & expenſis fruſtra fatigari contingat.

12 Dixi exceptiones peremptorias poſt ſententiam non opponi, & rectè, quia nemo tunc pulſatur. Sunt tamen quædam peremptoriæ quæ poſt ſententiam, quæ etiam in rem judicatam tranſivit, opponi poſſunt, oppoſitæque & probatæ ejuſdem executionem impediunt, qualis eſt S.C. Macedoniani, atque Vellejani exceptio, filiisfamil. mutuam pecuniam accipientibus, atque mulieribus pro alio quovis modo intercedentibus competens, *l.11. ff. De S.C. Maced.* hæc namque exceptio mulierum favorem, illa verò quæ filiis competit, fœneratorum odium reſpicit.

13 Talis etiam eſt exceptio militi competens, quæ ſi juris ignorantia ante ſententiam objecta non fuerit, ex ſpeciali ejuſdem beneficio, poſtea objici poterit, *l.1. C. De juris & facti ign.* Idemque beneficium & minoribus 25. annis imbecillis ætatis ſuæ nomine conceſſum eſt, *l.36. ff. De minoribus.*

14 Qualis quoque eſt doli mali exceptio, donatori, maritove donationis adimplẽdæ, dotiſve reſtituen-

dæ

Digitized by Google

dæ nomine in ſolidum condemnato competens, ne in plus quam facere poteſt ex condemnatione facta conveniatur, *l. 41. §. fin. ff. De re jud.* Nec movet quod *d. §. fin. & l. 33. ff. De donat.* tantum loquitur de donatore, ut proinde in marito, ſocio, patre ſequendum videatur jus commune, quod vult peremptoriam exceptionem opponendam eſſe ante ſententiam *l. 2. ſup. ſentent. reſc. non poſſe:* nam ut verum eſt iſtis in ſolidum condemnatis, competere exceptionem, ne in plus quam facere poſſunt conveniantur, ita quoque eam poſt ſententiam proponere licere, quia non tam ſententiæ injuſtitiam impugnant, quam ejus executionem.

15 Idem obtinet in exceptione compenſationis, *l. 2. ſup. De compenſ.* ſic & ex confectione inventarij exceptio hæredi competens, ne damnetur ultra vires, rectè ab eo objicitur poſt ſententiam. Jaſon *ad l. 11. num. 17. C. De juris & facti ign.* Clericus quoque poſt ſententiam auditur *c. 3. X. De ſolut.* Quæ ita procedunt, niſi exceptio ante oppoſita fuerit à judice rejecta, tunc enim ejus oppoſitio tanquam injuſta, non impediet, quominus tranſeat in rem judicatam ſententia, ceſſante appellatione; *l. 21. X De re jud.*

16 Cæterum hic ſpeciatim agitur de quibuſdam exceptionibus perpetuis & peremptorijs, cujuſmodi eſt exceptio rei judicatæ, doli, metus. *Exceptio rei judicatæ* ei tantum prodeſt, vel nocet, qui in judicio fuit, ejuſque hæredi, *l. 2. ſup. quib. res jud. non noc.* Quare ſi domum mecum communem habeas, & partem tuam vindicans ſuccubueris, ſententia mihi non nocebit, quo minus partem meam vindicare poſſim *l. 2. h. t.* Unde eleganter *l. 16. ff. qui pot. in pign. hab.* ſine præjudicio ſententiæ ei qui non litigavit, vel per contumaciam judicio non abfuit, jus ſuum integrum relinquit.

17 *Exceptio Unde vi metuſve* perpetua eſt, & peremptoria, actionem perimens, daturque metum paſſo, non tantum contra eum qui metum intulit, ſed & contra quemcumque ſucceſſorem, eſt itaque perpetua, licet interdictum *unde vi* ſit annale, *l. 5. h. t.* Itemque *Exceptio doli* perpetua eſt, licet actio de dolo biennio concludatur, *l. ult. ſup. De dolo.* Ratio differentiæ eſt, quia in poteſtate actoris eſt, quando ex interdicti cauſa, vel actione de dolo agat, non eſt autem in poteſtate rei, quando conveniatur, proinde non eſt in ejus poteſtate quando excipiat, *l. 5. §. ult. ff. De doli except.*

18 Doli exceptio latiſſimè patet, nam & cum aliis omnibus exceptionibus concurrit, quia dolo facit, quicumque actionem movet, quæ exceptione aliqua elidi poteſt, *l. 2. §. 5. ff. De doli mali except.* & aliis, exceptionibus ceſſantibus in ſubſidium datur, *l. 10. §. ult. ff. De pact.* uti in hac ſpecie. Debitores hæreditarij unicuique hæredum pro portione hæreditaria antiqua lege 12. Tabb. obligati ſunt, quare ſi debitor uni ex hæredibus ſolverit, cui teſtator nomen prælegavit & id ſolvi voluit, jure poteſt à cæteris quibus non ſolvit conveniri; cum his adhuc ſuperſit vetus actio, tamen quia fuit in poteſtate teſtatoris prohibere, ne quidam ex hæredibus id debitum petant, hac voluntate ſe defendet debitor, eaque tutus erit oppoſita exceptione doli, adverſus eos quos teſtator vetuit petere, *l. 1. h. t.*

In hiſce & aliis peremptoriis exceptionibus obji- 19
ciendis, Reus hoc conſilium ſequetur, ut ſi Actoris intentionem probatione deficere confidat, eam ſtatim ſimpliciterque inficietur, *l. 4. in pr. h. t.* ut actore non probante, ipſe, etſi nihil præſtiterit, obtineat,
l. 4. Cod. De edendo & ibi DD. * Et ideò *d. l. 9.* ait *nulla* 20
opus eſt reo *neceſſaria defenſione:* cur enim ea ſe oneraret, cum poſſit negare quod petit, quodve certo ſcit non poſſe probari ab actore? At verò ſi actorem intentionem ſuam plene probaturum credat, eamque ex continenti confiteatur, certè peremptoriam exceptionem ſi quam habet, eidem objicere probareque neceſſariò debet, ſi evitare velit condemnationem, *d. l. 9. verſ. Si verò.* cum confeſſus pro convicto habeatur. Itaque ſi fateatur ſe centum mutuò accepiſſe ab actore, ſtatim excipiet, ſibi ea pacto convento remiſſa eſſe, vel donata. Caveat tamen actoris intentionem, quam certò ſcit fundatam, ſemel negare, ne ea poſtea legitimè probata, ad exceptionis auxilium ſi confugere velit, pugnantia loqui videatur, atque ut ſibi contrarius in exceptione non audiatur, *Auth. contra qui propriam C. de non numer. pec.* Sin autem reus intentionem actoris neque fateatur, neque neget, ſed de illius probatione dubitet, ipſi conſultum erit occurrere actori, exceptionem peremptoriam ſub conditione proponendo, in hunc modum: Centum quæ petis, me tibi non debere arbitror, & ſi contrarium legitimè probaveris, à me tibi exoluta, vel à te mihi pacto remiſſa aſſero: Aut rem quam me tibi reſtituere debere aſſeris, tuam eſſe nego, & ſi tuam eſſe docueris, eam à me uſucaptam affirmo *d. l. 9. in fin.* Hæc namque excipiendi ratio faciet, ut reus neque contraria locutus, neque adverſarij intentionem confeſſus videatur. Quo pertinet, quod ſcribit Marcellus; cum ex eo quod exceptione utatur, non utique cenſendum confiteri intentionem adverſarij, *l. 9. ff. h. t. & c. 63. De reg. jur. in 6.* Atque ideò exceptionem ſuprascripto modo objectam, non antea reus probabit, quam actor ſuam intentionem legitimis probationibus firmarit. Cæterum, ſi purè exceptionem ſuam objeciſſet, de actoris intentione tacitè confeſſus crederetur, eoque nomine ſuam exceptionem imprimis probare deberet, *arg. l. 1. ff. h. t.* niſi fortè pecuniæ, dotiſve non numeratæ exceptione uſus fuiſſet, *l. 3. & 10. C. De non num. pec.*

Quæſtio hic occurrit an exceptiones reo compe- 21
tentes, ejus interceſſori quoque accommodentur?

quod generaliter affirmant, Impp. *in l. 11, in pr. h. t.* Eſtque hujus rei duplex ratio, una, quod incivile ſit, eum qui pro alio laborat & ſe in periculum conjicit, ipſo liberato in damno verſari, & proinde exceptiones reorum interceſſoribus competunt, reis etiam invitis, *l. 32. ff. De fidejuſſ. l. 19. ff. h. t.* Altera ratio eſt, quod ſi exceptiones interceſſoribus, non competerent adverſus creditorem, & huic illi coacti ſolverint, haberent ſtatim regreſſum adverſus ipſum reum, cui proinde non prodeſſet ſua exceptio, ſiquidem actio contra fidejuſſorem mota, adverſus ipſum debitorem, vi ipſa & effectu moveretur, & cogeretur judicio mandati fidejuſſori reddere quod pro eo ſolvit, *§. fin. Inſtit. De replic.*

22 Quod procedit, ſub diſtinctione tradita *in l. 7. ff. h. t.* Inter exceptiones quæ rei vel perſonæ cohærent, ut *Rei cohærentes* non ſolum competant hæredibus, & iis qui in rem ſucceſſerunt, quos jus actoris circa rem ſequitur, ſed etiam interceſſoribus, ut rei judicatæ exceptio, doli mali, jurisjurandi, & quod metus cauſa factum eſt, *d. l. 7.* Interceſſionis quoque exceptio, item quod libertatis onerandæ cauſa petitur, etiam fidejuſſori competit. Idem dicitur & ſi pro filiofamilias contra Senatuſconſultum quis fidejuſſerit.

23 * Aut pro minore 25. annis circumſcripto, quod ſi deceptus ſit in re, hæc enim deceptio realem facit exceptionem, ideòque fidejuſſori competit; ſi non in re, ſed ſua facilitate & dolo creditoris circumſcribatur minor, fidejuſſor exceptionis beneficium non habet priuſquam minor in integrum reſtitutus fuerit, *l. 7. in fin.* Nam hoc caſu læſio minoris proficiſcitur ex ſua perſona, nempe ex ſua facilitate & dolo creditoris, quæ perſonalia ſunt, ideòque hic exceptio fidejuſſori prius non datur, quam minor fuerit reſtitutus; ſuperiore caſu, quo læſio commiſſa eſt in re, ut fidejuſſor habeat exceptionem, non opus eſt reſtitutione minoris. Vide quæ ſupra diximus, *ſupr. De fidejuſſ. minor.* & quæ tradit Caldas *ad l. ſi curatorem verb. minoribus. Cod. De in integr. reſt. minor.*

24 Exceptiones autem *perſonæ cujuſque cohærentes* non tranſeunt ad alios, eo quod ſint conceſſæ intuitu conditionis ipſam perſonam concernentis, veluti ea exceptio, quam pater, patronus, maritus, donator, & ſocius habent, ſi conveniantur ultra quam facere poſſunt, non competit eorum fidejuſſori, cui non eſt eadem indigentia, nec debetur reverentia, quæ prædictis perſonis; ſic perſonale privilegium, nec ad exemplum trahitur, nec perſonam cui conceſſum egreditur, *l. 1. §. 2. ff. De conſt. princ.* Non obſtat, quod defenſor etiam per perſonalem exceptionem competentem principali objectam, ſe ſalvet. *l. 14. in princ. ff. ſol. matr.* nam alia cauſa eſt defenſoris, alia fidejuſſoris: etenim ille ſubit eandem vicem, quam reus ſubiret, convenitur & eadem actione, qua reus abſens eſſet conveniendus, *l. 51. ff. De procurat.* & quaſi ejus loco ſurrogatur, eodem modo condemnandus, prout dictum *ſupr. lib. 7. Tit. 53. num. 29.* Fidejuſſor autem ex propria ſtipulatione convenitur, quandoquidem per ſolemnem ſtipulationem interceſſit, *l. 12. Cod. De fidejuſſ.*

Iterum non movet, quod ſi privilegium perſonale non proſit fidejuſſori, inutile poſſit reddi iis, quibus illud competit, uti parenti, marito, donatori, ſocio; cum fidejuſſor pecuniam à ſe exactam poſtea poſſit ab illis repetere, actione mandati, *l. 28. ff. mandati.* Nam fidejuſſori convento integrum eſt denuntiare principali, ut ſe veniat defenſum, qui ubi venerit, ex propria perſona, poterit ſuſcepto judicio exceptionem opponere, & oſtendere judici ſua intereſſe fidejuſſorem non damnari in ſolidum, atque ita exceptio iſta eidem proderit, ne alias reddatur principali inutilis, *l. 10. §. pen. ff. mandati.* Cui non rectè opponitur cum Duareno *in d. l. 14. ff. ſolut. matrim.* quod generaliter dicatur exceptiones, quæ perſonæ cohærent, non prodeſſe fidejuſſori: nam id accipiendum, ut fidejuſſor exceptionibus utatur ex propria perſona; non etiam negant jura ipſum principalem ſuſcepto judicio, & ex ſua perſona illas opponendo poſſe prodeſſe fidejuſſori. 25

Non alias tamen iſta cautela habebit locum, quàm quatenus fidejuſſori eſt regreſſus contra principalem, uti in materia competentiæ. Caſtrenſis *in l. maritum, n. 10. ff. ſolut. matrim.* non etiam in cauſa ceſſionis, aut ætatis minoris, ſi acceptus ſit in eum finem, quo principalis non exiſtens ſolvendo cedit bonis, *§. ultim. Inſtit. de replic.* aut minor, ætatis ratione læſus reſtituitur, ut tunc proviſum ſit creditori per fidejuſſorem, cui proinde non eſſet æquum ſubveniri in necem & damnum creditoris, *l. 13. in princ. ff. De minor. & l. 25. ff. De fidejuſſ.* Dico ratione ætatis læſus, nam ſi dolo adverſarii circumventus fuerit minor, proderit etiam ea res fidejuſſori, quia ponit exceptionem realem, ut paulò ante diximus, & ad *l. 1. ſup. De fidejuſſ. minor.* Videatur præter Franc. Caldas *d. loco.* Petr. Barboſa ad *l. maritum, num. 48. & ſeq. ſolut. matr.* 26

Sunt & aliæ exceptiones, quæ quidem reo tribuuntur, ſed ad fidejuſſores non extenduntur, & ſi ſolverint, non datur eis adverſus debitorem actio mandati, ut ſi fidejuſſerint donandi animo, vel in rem ſuam, vel ſi pro invito, *l. 6. §. 2. ff. mandati,* vel ſi juſſu teſtatoris, *l. 8. ff. De uſufr. ear. rer. quæ uſu.* Qua ratione etiam debitore capite minuto, (ſeu ita damnato, ut ex damnatione ejus bona publicata ſint) ipſe quidem liberatur, ſed non etiam fidejuſſor, *l. 11. h. t. & l. 1. infr. De fidejuſſ.* qui proinde ſi ſolverit adverſus debitorem mandati actio non dabitur. Non obſtat *l. 4. ff. qui ſatiſd. cog. & l. 4. in princ. ff. ſi quis cautionib.* nam in utraque agitur de cautione judicio ſiſti, in qua hoc juris eſt, ut ſi ante commiſ- 27

ſam

Digitized by Google

ſam ſtipulationem debitor moriatur, aut ejus ſtatus mutetur, fidejuſſor non teneatur, quia deſiit ſiſti debitor. Qui tamen procul dubio, tenebitur, ſi poſt commiſſam ſtipulationem ille moriatur, ut *l.16. Cod. De fidejuſſ.* & hoc caſu non datur ei exceptio ideò, ne judicia reddantur eluſoria, Cujac. *l.19. Obſ. c.29.*

28 Sunt autem opponendæ exceptiones; neq; enim Judex eas ſupplet omiſſas: & non una tantum, ſed & pluribus uti reo permiſſum eſt, *l.5. ff. h. t.* veluti poſt exceptionem jurisjurandi, ad exceptionem pacti de non petendo, judicati, aut ſimilem non prohibetur recurrere, *l.43. ff. De reg. jur.* Imò & contrarias proponere, v.g. ſi negaverit primò ſe hominem occidiſſe, deinde convincatur, rectè allegabit, ad ſui defenſionem, ſervato moderamine inculpatæ tutelę ſe occidiſſe: non obſtante regula, quæ habet, contraria allegantem non eſſe audiendum; nam illa obtinet in actore, non etiam in reo, cui favore liberationis à lege indulgetur, ut quovis modo & quibuſvis actionibus, etiam contrariis, ſe defendat, nec unam tantum poſt aliam proponat, ſed & ſimul omnes. Non tamen contrarias copulative proponet, ſed rectè alternativè, vel conditionaliter, ut ſi dicat, *Nego me pecuniam accepiſſe, aut ſi accepi, dico me ſolviſſe.*

29 Et hoc ita procedit, niſi lex impediat plures exceptiones opponi, *d. l. 43.* ubi etiam additur, quod quoties concurrunt plures actiones ejuſdem rei nomine, unâ actor experiri debeat. Sic cum legatorum nomine variæ actiones competant, *l.1. ſup. comm. De leg. 1t.* Non tamen niſi unam actor proponit, quod diverſum eſt in reo, cui (ut dictum eſt) pluribus exceptionibus uti permittitur. Nam etſi in judiciis inter utrumq; ſervari debeat æqualitas, hoc tamen rei favor extorſit, ut poſſit ſe pluribus modis defendere, non in prima tantum, ſed & in ſecunda inſtantia, cum in utraque de damno vitando agat Facit etiam quod reus imparatus ad judicium trahatur & pulſetur invitus, cujus proinde conditio foret miſera, ſi una tantum defenſione uti poſſet; Actor verò paratus veniat, cum ſit in ejus arbitrio litem intentare, & ſtatuere qua potiſſimum actione utatur, quam ſi minus commodam elegerit, ſibi imputare debet.

30 Ex hac ratione etiam dici poſſet actori licere uti pluribus replicationibus, quæ ſunt exceptiones actoris, *l.2. §.1. ff. h.t.* quod actor de exceptionibus rei non inſtructus ab initio, non potuerit cogitare, quid ſibi eſſet replicandum. Itaque poſt exceptionem à reo oppoſitam, ſi forte ea minus juſta appareat, integrum eſt actori per replicationem ejus vires excludere, *d. §.1. & l.10. h.t.* veluti cum creditor pactus eſt, à debitore ſe nihil petiturum, quaſi jam ab eo nihil deberetur, cum deberet, non prohibetur priſtina actione experiri, quæ pacto non eſt remiſſa; cui ſi objicietur pacti exceptio, replicatione doli recte ſe tuebitur & exceptionem elidet, *l.7. h.t.* quæ replicatio tempore non finitur, ſed perpetuo competit, *l. 6. h. t.* Quemadmodum & doli exceptio, *l. 5. §. ult. ff. De doli mali except.* ut dictum ſupra *num.* 17.

Aliud ſubjicitur hîc exemplum, quo finiam, de 31
pupillo, qui dolo à fratre legitimo tutore, inductus fuit, ut ei remitteret actionem tutelæ, pacto inter eos inito, ſed per fraudem fratris, qui perſuaſerat juniori, ſe tantum impendiſſe, quantum ex bonis perceperat; certè ſi fraus probari poteſt, jure frater adverſus fratrem inſtituet judicium tutelæ: cui ſi conventus frater opponat exceptionem pacti, replicabit pupillus de dolo, & perſequetur actionem cœptam *l.3. h. t.* Illa enim reviviſcit, excluſa fraudulenta exceptione per doli replicationem. Videatur Cujacius *lib. 3. obſ. cap.* 17. Donellus & Giphanius *ad d. l. 3.*

TITULUS XXXVII.
De Litigioſis.

1. *Quid ſit exceptio litigioſi, & quæ dicatur res litigioſa.*
2. *Talis eſſe dicitur lite conteſtata, non item facta denuntiatione.*
3. *In realibus actionibus res fit litigioſa per libelli oblationem.*
4. *Cur objiciatur hæc exceptio; ceſſat reſpectu ejus, qui nullam patitur controverſiam.*
5. *Quis ſit effectus alienationis rei litigioſæ.*
6. *Et pœna ementis hujuſmodi rem.*
7. *Exceptio litigioſi non habet locum contra eum, qui petit rem ex teſtamento, codicillis, ex cauſa dotis & alia lucrativa.*
8. *Legata re litigioſa, præſtatur ejus æſtimatio legatario, hodie ei litis eventus debetur.*

DIxi ſuperiore Titul. aliam eſſe exceptionem Ju- 1
ris, aliam facti ſeu intentionis. Juris exceptio eſt *litigioſi exceptio*, qua repellitur is, qui rem litigioſam emptione, vel donatione, vel alio aliquo contractu ſibi acquiſitam perſequitur. Ad irritum enim ejuſmodi alienatio conſtituitur, & perinde ac ſi non interveniſſet, re priſtino loco reſtituta, per eos lis peragitur, per quos inchoata fuit, *l.2. h.t.* Litigioſi appellatione res non tantum continentur, tam mobiles, quam immobiles, de quarum proprietate lis pendet, ſed nomina etiam debitorum, & ambigua chirographa, *l.3. h.t. & Novell. 112. c.1.*

Lis pendere dicebatur, cum res in judicium eſſet 2
deducta, per conteſtationem *l.1. §. 1. ff. & d. l.2. in pr. h.t.* Nam ſimplex denuntiatio facta poſſeſſori, ne rem vendat, non facit eam rem litigioſam, *d. l. 1.* etiamſi debitor, qui rem ſuam pignoravit, creditori denuntiaverit, ne pignus vendat *l.1. h. tit.* cum talis denuntiatio non ponat rem controverſam, atq; ita

Digitized by Google

3 nec litem. * Hodie in realibus actionibus, vitium litigioſi contrahitur citatione, vel libelli oblatione Principi facta, & Judici inſinuata, & per eum futuro reo cognita, *Auth. litigioſa h. tit.* quæ cum tantum meminerit realium, non etiam perſonalium actionum, videtur in his requiri litis conteſtatio, ad effectum rei litigioſæ, ſecundùm jura priora, quæ cum non ſint mutata, perdurare intelliguntur, *l.* 32. §. *ult. ſupr. De appellat.*

4 Qui autem rem litigioſam vendit, donat, aut oppignorat, videtur deteriorem facere velle conditionem adverſarij ſui, oppoſito potentiore adverſario: Ideoque emptori, donatario, creditori objici poteſt exceptio litigioſi, ſi rem ab eo acceperint, qui litem cum alio ſuſtinet, *l.* 2. *h. t.* Nam ſi ab alio, cui nulla mota controverſia, res habeatur, ceſſabit hæc exceptio, cum in necem tertij non tendat lis inter alios habita, *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* niſi à procuratore aut tutore judicium ſit acceptum, tunc enim quaſi cum ipſo domino litigatur, ut conſequens ſit dicere ad eum pertinere exceptionem, *d. l.* 1.

5 Effectus hujus exceptionis eſt, quod lis cœpta nihilominus inter eoſdem peragatur, ac ſi non interveniſſet venditio, permutatio, donatio, pignus, ut dixi in initio per *l.* 2. *h. t.* Ex quibus verbis non rectè inferas alienationem eſſe ipſo jure irritam, ſed potius inanem conſtitui oppoſita exceptione, *l. ult.*
6 §. 1. *h. t.* * Ubi Juſtinianus diſtinguit, An is, qui rem comparaverit, ſciverit eam eſſe litigioſam, an verò illud ignoraverit, ita ut priori caſu non ſolum rem reſtituat, ſed etiam pretium amittat, fiſco applicandum; cui & alterum tantum improbus venditor pœnæ nomine inferre jubetur, nam commune eſt delictum. Secundo caſu, quo emptor ignoraverit rem eſſe litigioſam, irrita quidem fit per exceptionem alienatio, & à venditore, qui dolo fecit, emptor recipit pretium, quod numeravit, & præterea tertiam partem pretij, duæ verò partes fiſco præſtantur: ſic venditor qui litem ignorare non potuit, ſolus plectitur in duplum, quia improbè fecit.

7 Verum excipit Imp. alienationes, quæ fiunt juſta ex cauſa, dotis, donationis ante vel propter nuptias, tranſactionis, diviſionis, rerum hæreditariarum, vel legati, aut fideicommiſſi cauſa, *d. l. ult.* Quod confirmavit etiam Novella ſua 112. quoniam hiſce caſibus non videtur alienatio facta vexandi adverſarij cauſa, ſed ex neceſſaria, dum fortè non ſuppeteret res alia, quæ in dotem daretur, vel propter dotem.

8 Sic etiam actor, vel reus non incidit in edictum de alienatione judicij futuri mutandi cauſa facta, ſi hæredem inſtituerit, vel aliquid legaverit, ne impediatur libertas teſtandi, *l.* 8. *de alienat. judic.* Legata verò aut per fideicommiſſum relicta re litigioſa, hæres legatario præſtare debet litis æſtimationem jure Codicis, & ſuo periculo litem perſequi, *l.* 3. *h. t.* Sed jure noviſſimo videtur teſtator litis eventum reliquiſſe, adeò ut periculum ſit legatarij, non hæredis, qui proinde non alias tenebitur rem præſtare legatario, quam ſi in lite victor extiterit. *Auth. Nunc ſi hæres h. t.* quæ deſumpta eſt ex *d. Novell.* 112. *cap.* 1. ubi permittitur legatario, ſi velit, una cum hærede cauſam agere & judicio adeſſe, ne fortè in ipſius fraudem hæres cum adverſario colludat, ut in ſpecie *l.* 29. *ff. De inoff. teſtam.*

TITULUS XXXVIII.

De contrahenda & committenda ſtipulatione.

1. *Continuatio, definitio ſtipulationis, & quando verbis contrahitur obligatio.*
2. *Quæ ratio fuit introducendæ ſtipulationis, & in quo à pacto nudo diſtinguatur.*
3. *Unde dicta ſtipulatio, & quo jure introducta.*
4. *Quibuſlibet verbis ſtipulatio contrahitur inter præſentes.*
5. *Inter abſentes eſt inutilis. Quid ſi tamen ſcriptura uſi ſint, & in ea habeatur aliquem promiſiſſe?*
6. *Quæ perſonæ ſtipulentur.*
7. *Cur pupillus abſente tutore promittens non obligetur; Pubes tamen curatore abſente, obligetur.*
8. *Differentia inter impuberem, qui eſt in poteſtate patria, & eum qui eſt in tutela.*
9. *Differentia inter ſervum & filium, quatenus hic patri, ille domino ſtipulando acquirat.*
10. *Cur ſi quis alteri dari ſtipuletur, non valet ſtipulatio, valeat tamen mutuum.*
11. *Valet ſtipulatio ſi ejus qui ſtipulatur interſit; Item ſi pœnam ſibi dari ſtipuletur.*
12. *Item ſi ſtipuletur ei in cujus poteſtate eſt, vel ei, quem in poteſtate habet.*
13. *Si quis ſibi, aut alteri dari ſtipuletur.*
14. *Quid juris, ſi quis ſtipuletur ſibi dari cum morietur, vel cum morieris.*
15. *Item poſt mortem ſtipulatoris, vel promiſſoris, vel hæredis?*
16. *An obligatio faciendi, veluti ædificandi inſulam cum morieris, tranſeat ad hæredes promiſſoris.*
17. *Quænam facta excipiuntur, quæ non tranſeunt ad hæredes.*
18. *Stipulatio quomodo pure fiat, & quis illius effectus, ſi ſtipuler decem aureos quoad vivam dabis?*
19. & 20. *In diem & ſub conditione quomodo fiat ſtipulatio.*
21. *Stipulatio ſub conditione concepta ad hæredem tranſmittitur. Secus eſt in legatis.*
22. *Stipulatio pura ſtatim committitur, & ex ea debitum peti poteſt.*
23. *Committitur & ſtipulatio conditionalis lite mota.*

24. *An*

Digitized by Google

24. *An pœna committiatur ſi intra tempus quo convenit non detur, aut fiat, quod promiſſum?*
25. *Quid ſi tempus dandi, vel faciendi ſit adjectum? non item pœna: An dies interpellet pro homine?*
26. *Quibus caſibus admittitur purgatio moræ.*
27. *Quæ actio ex ſtipulatione detur?*
28. *Huic actioni obſtat exceptio, ſi juſto metu quid promiſſum ſit, aut inique tranſactum.*

1 CUm ſtipulatio negotiis tam judicialibus, quam extrajudicialibus, ſive obligationibus civilibus adminiculari adjicique ſoleat, non immerito de ea hîc agitur. *Stipulatio* eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturumve ſe, quod interrogatus eſt reſpondet, *l.* 5. §. 1. *ff. De verb. oblig.* Ideò autem verbis contrahitur, quia utrimque ex parte ſtipulatoris, id eſt, illius, qui interrogat, & ex parte promiſſoris intervenire verba neceſſe eſt. Adverte tamen non ſtatim, quoties is, qui interrogatus eſt, reſponderit contrahi ſtipulationem: nam & verbis plerumque uno interrogante, altero reſpondente paciſcimur, nec protinus eſt ſtipulatio, ſed quædam nuda promiſſio. Tunc autem cenſetur contrahi ſtipulatio, quando animo ſtipulandi, & ut inde oriatur obligatio, verba interrogandi reſpondendique adhibita fuere, & talia quæ non ſolum conſenſum ſignificent, ſed firmandæ, vel cõſtituendæ ex ſtipulatu obligationis cauſa accedant.

2 Stipulationis itaque introducendæ ratio hæc una fuit, ut diſcerni poſſet, an promiſſio temere effuſa, an verò conſultò concepta eſſet. Stipulatio namque ea forma, modoque concepta non niſi mediato perficitur; & planè diſtinguitur à nudo pacto, in quo ſæpe conſenſus leviter interponitur. Qua ratione quamvis alias honeſtum ſit pacta ſervari, ex nudo pacto actionem dari jus civile prohibuit, *l.* 5. *h.t.* ne homines facilè verbis leviter prolatis caperentur, & ut litium finiendarum, quæ inde exoriri
3 poſſent, occaſio tolleretur, *l.* 7. §. 1. *ff. De pact.* * Dicitur autem ſtipulatio à ſtipulo, quod veteribus firmum denotabat, & fortè ſtipulum à ſtipite deſcendit: eaque videtur fuiſſe ratio, quod verborum obligationem J. C. vocarint ſtipulationem; quia ſcilicet aliis contractibus ac negotiis firmandis adhiberi ſolet; nam omnis ſtipulatio cautio quædam eſt, *l.* 1. §. 4. *ff. De præt. ſtipul.* Eſtque introducta Jure Civili, à quo ejus origo, forma & ſolemnitas profecta. Quo fit, ut deportatus, cui jus gentium eſt ſalvum, non etiam civile, non poſſit ſtipulari, *l.* 17. *in fin. ff. De pœnis.* Non obſtat conſenſus, quem & hic intervenire eſt neceſſe, quia in eo non conſiſtit forma, ſed in verbis, & certis formulis verborum.

4 Stipulatio igitur contrahitur inter præſentes præcedente interrogatione, & ad eam ſecuta in continenti reſponſione promittentis, *l.* 1. *h.t.* Olim quidem verbis ſolemnibus & directis, *Spondes? ſpondeo: Promittis? promitto: Dabis? dabo: Facies? faciam.* Hodie ſolemnitate verborum ſublata, quibuſlibet verbis uti licet in ſtipulatione, modò illis conſonans intellectus utrimque exprimatur, *l.* 10. *h. tit.* Neque etiam refert, qua lingua ſtipulatio concipiatur, modò contrahentes ſe invicem intelligant, *l.* 1. §. *fin. ff. De verb. oblig.*

Dico inter præſentes contrahi, nam inter abſentes non contrahitur ſtipulatio, & contracta erit inutilis, defectu formæ, §. 13. *Inſtit. h.t.* vide infra Tit. ſeq. Qua ratione verba ſtipulationis ſcriptura ſupplere non poteſt, ſi tamen verba præceſſerint, erit ea cautionis loco, *d.l.* 1. Interdum & probationis cauſa, ſolent verba in ſcripturam redigi, cui credendum, niſi contrarium idoneè probetur, *d.* §. 13. *verſ. Sed cum.* Hinc ſi in ſcriptura habeatur aliquem promiſiſſe, promiſſor verò afferat ſe tunc abſentem fuiſſe, decidit Juſtinianus ſecundùm ſcripturam publicam cenſeri omnia legitimè acta, eique ſtandum eſſe, donec aſſerens ſe abſentem fuiſſe, manifeſtiſſimis probationibus, vel per ſcripturam, vel per teſtes idoneos, probaverit, ſeſe vel adverſarium ſuum toto eo die, quo conficiebatur inſtrumentum, aliis in locis fuiſſe, ita ut non potuerit promittere eo die, quo dicitur ſcriptura confecta, *l. pen. h.t.* 5

Cum ergò ſtipulatio confici non poſſit, niſi utroque loquente, ſequitur, quod neque metus, neque ſurdus, neque infans ſtipulationem contrahere poſſint, neque abſens quidem, quoniam exaudire invicem debent, *l.* 1. *in princ. ff. De verb. oblig.* Pupillus verò infantiæ proximus, licet ejus ætatis ſit, ut nondum intelligat, quid agatur, propter utilitatem tamen ex æquo & bono receptum eſt, rectè eum ſtipulari, *l.* 1. §. 13. *ff. De obl. & act.* * Pupillus quoque pubertati proximus, quia intelligit quod agit, ſibi rectè ſtipulatur, omneſque actus gerit, quibus ſibi alios obligare, non ipſe aliis obligari poſſit, quia tunc deſideraretur tutoris auctoritas, §. *pupillus Inſtit. De inutil. ſtipul.* Sine curationis tamen auctoritate is, qui jam pubes eſt, ex ſtipulatu obligatur, *l.* 101. *ff. De verb. obligat.* ſed deceptus in integrum reſtituitur propter ætatem, *l.* 1. §. 1. *ff. De minor.* Quin & fœminam minorem 25. annis abſente curatore, ſtipulari poſſe non ambigitur, *l.* 7. *h.t.* quia ſine illius auctoritate meliorem ſuam conditionem facere poteſt, non tamen deteriorem, ideòque ſine curatoris auctoritate ſtipulanti promittere non debet. Videatur Cujac. *l.* 19. *obſ. c.* 33. Dico fœminam, ut vera maneat ſententia *d.l.* 101. maſculum minorem viginti quinque annis ſine curatore ſuo ex ſtipulatione obligari poſſe: cui non obſtat *l.* 3. *ſup. de in integr. reſt.* quia non de ſtipulatione loquitur, ſed de venditione, & alienatione rei à minore curatorē habente facta, quæ alienatio ipſo jure nulla eſt, quia minori curatorē habenti adempta eſt admini-

6 (margin, at "Cum ergò") · 7 (margin, at "Pupillus quoque")

Digitized by Google

adminiſtratio rerum,perinde ut prodigo,& tranſlata ad curatorem. Obligatio autem, quia jus eſt, & vinculum perſonæ, ideò adempta non eſt minori curatorem habenti, quia curator in perſonam ejus nihil juris habet, ſed ſolam rei familiaris adminiſtrationem ſuſtinet, *l.20.ff. De ritu nupt.* quod diverſum eſt in tutore,ſub cujus poteſtate magis eſt perſona pupilli.

8 Unde hac in re plus ſane valet tutoris auctoritas, quam ipſa patria poteſtas,cum filius impubes, qui in poteſtate patris eſt, ne quidem patre auctore obligari poſſit. Ratio differentiæ eſt, quia pupillo ſemper cautum eſt contra tutorem,ſi fortè obligatio ipſi fuerit damnoſa; filio contra patrem non item;nam tutor actione tutelæ pupillo tenetur,filio verò in patrem nulla competit actio, ob rem male geſtam, *l.ult.* §.2. *ff. De verb. obligat.*

9 Porrò non tantùm liber homo, ſed & ſervus ſtipulari poteſt,*l.14.h.t.* quia ex perſona domini habet jus ſtipulandi,eique ſtipulando acquirit,§.1.*Inſt.De ſtipul. ſerv.* niſi tamen ſtipulatione contineatur factum,veluti ut ſibi ire,agere liceat per fundum; factum enim non tranſit ad dominum, ſed cum ſit perſonale, & naturale per ſervum expleri poteſt. Item filiusfamilias ſtipulando patri ſuo acquirit, quemadmodum ſervus domino; hac tamen diſtinctione,quod ſervus ex perſona domini,omnibus ex cauſis acquirat: filius verò non ex perſona patris, ſed ſua, quam habet liberam, & tantùm ex cauſis peculij profectitij patri acquirit. Sin autem ſit emancipatus,ſibi ſoli acquirit. De qua diſtinctione vide *ſupra Tit. per quas perſonas.*

10 Sequitur de perſona,cui quis ſtipulatur. Hic notanda eſt regula, quod *nemo poteſt alteri ſtipulari,* quia ſtipulationes introductæ ſunt, ut quiſque ſibi acquirat, quod ſua intereſt, & non alteri; Cæterum, ut alij detur,nihil noſtra intereſt, §.*ſi quis alij, & §. Alteri, Inſt.de inutil. ſtip.* Procedit autem regula,ſive quis quid totum alteri ſtipuletur, ſive partem tantum,cum ſit eadem ratio totius & partis. Unde ſibi & Titio decem dari ſtipulatus, non niſi ad quinque actionem habet, quæ ſtipulatorem concernunt, cum reliqua quinque perſonam concernant extranei,cui, ut dictum quæri non poteſt, *l.56.ff.de verb. obl.* Planè ſi credat Cajo decem, eademque ſtipuletur Titio reddi, inutilis eſt ſtipulatio, utpote facta alteri; valet tamen mutuum inter creditorem, & Cajum debitorem contractum,ſibique certi condictionem acquirit, quod ſi debitor Titio extraneo ſolverit,& creditor ſolutionem ratam habuerit, ipſe creditor ab illo extraneo actione negotiorum geſtorum repetere poterit,*l.3.h.tit.* De quo late Giphanius & Bronchorſt. *cent.4.aſſ.39.*

11 Prædictæ regulæ aliquot ſunt exceptiones.I.*Niſi ejus, qui ſtipulatur, interſit,* veluti cum quis adminiſtrationem tutelæ cedens ſuo contutori, ab eo ſtipuletur rem pupilli ſalvam fore,hoc caſu,quia non tantum pupillo, ſed & ſibi conſulit,utilis eſt ſtipulatio, *Inſt.d.t.§.ſed & ſi quis l.38.§.7.& ſeqq.ff.De V.O.* II. *Niſi pœna adjiciatur*, in eum caſum, quo ſtipulationi non fiat ſatis.Eſt enim pœna hic in obligatione, eaque cedit ſtipulanti etiamſi ejus non interſit, quia non tam conſideratur intereſſe, quam conventio,quo caſu pœna non tam habet vices acceſſionis, quam ſuo pondere nititur, & hoc ſi ſtipulatiò non contineat turpitudinem, aut impoſſibilitatem, ad quam ne quidem per pœnam quis eſt obligandus.

III. *Niſi quis ei ſtipuletur,cujus juri ſubjectus eſt,* ut filius patri,ſervus domino;quoniam ei actionem acquirit, *d.§.17. & l.45.ff.d.t.* IV. *Niſi ſtipuletur ei quem in poteſtate habet*, quia non tam alteri, quam ſibi fit ſtipulatio, ſibique acquirit, *l.2.h.t.* ubi Antoninus Imp.in hæc verba reſcribit: *Si filia tua quam in poteſtate habebas, pecuniam dari ſtipulatus es, paratam obligationem exercere non prohibebis.* Summa enim conjunctio inter has perſonas facit, ut vox patris, tanquam vox filij filiæve intelligatur,& contra,utique in his rebus,quæ patri filiove acquiri poſſunt, *l.39. & l.56.§.1.ff.de verb.oblig.* Dicit in poteſtate,quia filio emancipato,qui pro extraneo eſt, inutiliter ſtipilatur pater,cum ceſſet fictio ejuſdem perſonæ. 12

V. *Niſi in perſonam alterius non obligationem, ſed ſolutionem quis conferat,* veluti ſi ita ſtipuletur, mihi aut Sejo dare ſpondes; ſolutio in Sejum extraneum confertur, adeò ut ei ſolvi poſſit etiam invito & prohibente ſtipulatore,ſed obligatio ſtipulatori acquiritur,& per conſequens contra hunc extraneum (qui adjectus dicitur) cui fortè ſolutum eſt, ad id repetendum mandati datur actio, *l.131.§.1.& l.ultim.§.3.ff.d.t.* Mandaſſe enim ipſi ſaltem tacitè hoc videtur, ut quod ex ſolutione accepiſſet, redderet, *l.98.§.5.ff. De ſolut.* 13

Eò pertinet, quod ſi mulier in danda ita dote, à marito ſtipuletur, *Dotis partem dimidiam cum moriar ei reſtitues, cui relinquere voluero*; quamvis iſta ſtipulatio videatur inutilis, tanquam facta extraneo, & quidem perſonæ incertæ; tamen ſuſtinetur, quia perinde habetur ac ſi mulier ſtipulata eſſet,*cum moreretur ſibi reddi,*ut ait Alexan. Imp. *in l.4.h.t.* Hæc enim conceptio,qua quis ſtipulatur ſibi dari *cum morietur,*& hodie valet,& olim valuit,§.*ita autem Inſt. de inut. ſtip.* quia per eam non tam poſt mortem, quam in vita promiſſoris, aut ſtipulatoris oritur obligatio, tempuſque *cum morietur,*id eſt mortis,tribuitur vitæ, adeòque ultimo vitæ momento talis cõditio ſtipulatioque impleri poteſt.Nec facit quod tempus non niſi poſt mortem ſciri poſſit, cum res ipſa inſpiciatur, quam ignorantia noſtra nó mutat. 14

Hæc autem ſtipulatio, poſt mortem meam, vel pridie quam moriar,dabis mihi centum;erat inutilis,cum ſciri non poſſit quando ſit illud pridie, niſi 15

poſt

Digitized by Google

poſt mortem. Item, quia obligatio, vel actio ab hærede vel contra hæredem non incipiebat, quæ defuncto non competierat, *teſte Cajo lib. 2. tit. 9. §. 7.* Hodie verò cum hæc regula ſit ſublata *per l. un. Cod. ut act. ab hæred. & contra hæred. incip.* meritò ejus effectus tam in ſtipulationibus, quam in legatis ſublatus eſt. Atque ita nihil refert an ſtipulator dixerit, poſt mortem ſuam ſibi dari vel fieri, vel poſt mortem ejus à quo ſtipulatur, vel pridie quam moriatur ſtipulator, aut promiſſor. Quin & ſic *poſt mortem ſervi dabis?* qua tamen ſtipulatione, ne dicas promiſſum ſervum jam mortuum, aut ſervum cum erit mortuus, quia impoſſibilis eſt talis promiſſio, ut ait *l. 8. h. t.* ſed quod poſt ſervi mortem, qui ſtipulatus rectè ſolutionem poſtulet rei promiſſæ. Latè itaque accipienda eſt voluntas contrahentium, & teſtantium, eaque magis eſt obſervanda, quam ſcrupuloſa ſubtilitas; quo fit, ut etiam poſt mortem hæredis aut legatarij hodie teſtamento legatum relinqui poſſit, cogatur hæredis hæres id adimplere, *l. 11. h. t.* cum in locum & jus defuncti ſuccedendo perſonam ejus ſuſtineat. Cæterum etiam ſi prædicta regula ſit mutata in ſtipulatione, & legato, viget tamen adhuc in hæredis inſtitutione: Nam poſt mortem ſuam nemo hæres rectè inſtituitur, cum morietur rectiſſime, *l. 9. C. De hæred. Inſt.* quia hæc conditio omnino extitura eſt, proinde actus cui appoſita purus eſt, *l. 9. §. 1. ff. De novat.* & extraneum quidem rectè cum morietur, hæredem ſcribi placet, non tamen filium, quia hæc inſtitutio præteritioni ob longiorem moram ſimilis eſt. Vide quæ ſupra diximus *tit. De hæred. Inſtit. num. 8.*

16 Hanc quoque ſtipulationem veteres tanquam impoſſibilē rejiciebant, *cum morieris inſulam ædificabis?* quia fieri non poteſt, ut quis eo momento, quo moritur inſulam ædificet. Sed Juſtinianus juvat voluntatē contrahentium; inter quos hoc actum videtur, ut obligatio incipiat adverſus promiſſorem ipſum, quandoquidem ut diximus, momentum moriendi vitæ potius, quam morti adſcribitur: Ideòque hæredibus promiſſoris iſta obligatio imminet, ut cogantur ædificium facere, quod contrahentes non ignorarunt, uno die, vel hora una fieri non poſſe à promiſſore. Nam licet de hæredibus intra contrahendum nihil expreſſe dictum ſit, de iis tamen videtur cogitatum ab utraque parte, ut perinde obligentur atque ſi ſtipulatio concepta eſſet in dando, quam omnes veteres dicebant tranſmitti in hæredes, cum factum hoc ædificare domum non ſit merè perſonale, ſed ab alio impleri, & pretio æſtimari poſſit, *l. ult. h. t.* ubi Imperator tollit illam veterum differentiam inter promiſſionem faciendi, & dandi ut & in *l. 13. h. tit.* cujus etiam meminit *in l. un. §. 9. Col. De caduc. toll.*

17 Atque hæ conſtitutiones Juſtiniani accipiendæ ſunt de factis, quæ per hæredem, vel per alium impleri poſſunt, quæve dummodò impleantur, non intereſt à quo fiant. Niſi aliter convenerit nominatim, ut puta ſi factum ſit tale, ut induſtriam perſonæ electam eſſe appareat, deque ea actum, ſit, veluti ſi ædificatio promiſſa eſt ab artifice, *l. 31. ff. De ſolut.* nam inter artifices longa differentia eſt, & naturæ, & induſtriæ. Planè illud factum quod nullum opus poſt ſe relinquit, ab hærede expleri nequit, veluti ſi quis Romæ exiſtens promittat ſe Alexandriam iturum, cum morietur, eſt enim hæc ſtipulatio ab initio inutilis, ut nec per promiſſoris hæredem impleri poſſit, *l. 46. §. 1. ff. De verb. oblig.* ubi Cujacius. Itemque ſi quis uti frui ſibi licere ſtipulatus ſit, natura rei repugnat, ut talis ſtipulatio ad hæredem tranſeat, *l. 38. §. 10. ff. d. t.* ſed etſi non addiderit, ſibi, non putat ibi J. C. ſtipulationem de uſufructu, ad hæredem tranſire. Uſumfructum enim ſibi nullus cum morietur rectè ſtipulatur, nam cum morte intercidat, à morte nequit incipere, *l. 5. ff. De uſufruct. legat.*

Præter modum, initio expoſitum, qui ad formam 18
contrahendæ ſtipulationis pertinet, eſt alius quo ſtipulatio concipi ſolet, tum *purè*, vel *in diem*, vel *ſub conditione*, *§. omnis Inſt. De verb. obligat.*

Purè fit ſtipulatio, id eſt, ſine ulla temporis, vel conditionis adjectione: veluti *Quinque aureos dare ſpondes?* Cujus is eſt effectus, ut quod promiſſum eſt, confeſtim, & debeatur & peti poſſit; quia ſtatim & ceſſit & venit dies, *l. 213. De verb. ſign.* Quid ſi ſtipuler *decem aureos quoad vivam dabis?* Perinde eſt, ac ſi purè ſtipuler, *decem aureos dare ſpondes?* Puræ autem ſtipulationes perpetuantur, & ſingulis annis debentur ſemel, ſtrictoque jure tranſmittuntur ad hæredem, & hæredis hæredem, *l. 56. §. 4. ff. De verb. oblig.* Eſt itaque ſtipulatio iſta, *Decem aureos quoad vivam dabis?* & pura, quia annorum commēmoratio non differendi, ſed multiplicandi cauſa intervenit: & perpetua, quia ad tempus non poteſt deberi, cum obligatio ſit juris, atque ea, quæ ſunt juris, ſui natura ſunt perpetua, non minus atque ipſum jus, neque tempus cum ſit facti, poteſt extinguere obligationem ſemel legitimè natam, *l. 118. §. 1. d. t.* Verum contra hunc juris rigorem æquitas pacti conventi repellet hæredes ſtipulatoris, ob verba quoad vivam, nam qui ad vitam ſtipulatur, id egiſſe videtur ne hæres ejus peteret, *l. 44. §. 1. ff. De oblig. & action.*

In diem fit ſtipulatio, cum dies ſive tempus cer- 19
tum adjicitur, quo pecunia ſolvatur, vel quod promiſſum eſt, fiat; veluti *Decem aureos 1. Kalendis Martij dare ſpondes?* Cujus ſtipulationis dies quidem ceſſit, id eſt, contracta eſt obligatio, ſed nondum venit, id eſt, peti id quod promiſſum & intentari actio non poteſt, antequam totus dies effluxerit, quia is totus arbitrio ſolventis tribui debet, quippe in favorem debitoris adjectus, *l. 99. ff. De verb. obligat.*

Digitized by Google

20 *Sub conditione* fit ſtipulatio, cum obligatio differtur in aliquem caſum, id eſt, ſi aliquid factum fuerit: veluti *Si Titius Conſul factus fuerit, quinque aureos dare ſpondes?* ex cujuſmodi ſtipulatione conditionali, dicitur neque cedere, neque venire dies, ante conditionis eventum; niſi talis ſit conditio, quæ non poteſt non evenire, quæ proinde præſentem ponit obligationem, adeò ut ex ea ſolutum ante eventum conditionis repeti non poſſit, *l. 18. ff. De condict. indeb. l. 44. §. 2. ff. De obl. & act.*

21 Quod ſi priuſquam conditio extiterit, mors ſtipulatori, aut promiſſori contigerit, non poteſt tunc dici quid certi deberi, ſed tantum ſpes eſt debitum iri, eamque ipſam in hæredem tranſmitti, docet *l. 13. h. t.* Itemque *l. ult. eod.* ex qua probatur nihil intereſſe à quo detur, vel fiat ab hærede, vel à defuncto. Non obſtat *l. 48. ff. De verb. oblig.* Nam arbitrariæ conditiones ſunt duplices, aliæ enim reſpiciunt perſonam contrahentis, eique adhærent, ut ſunt, ſi Capitolium aſcendero, ſi Conſul fiam, ſi voluero, ſi venero, & hæ nequeunt adimpleri per hæredem, ſi defunctus eas non implevit. *l. 44. l. 66. ff. De condit. & demonſtr.* Aliæ non ita reſpiciunt perſonam contrahentis, v.g. ſi decem dedero, ſi inſulam ædificavero, reſpiciunt enim opus, vel dationem, atque ideò ſupra diximus hæc facta tranſire in hæredem, quia nihil refert, faciat aut det ſtipulator, an ejus hæres, *d. l. 13. & d. l. ult.* Neque obſtat quod conditio debeat impleri in forma ſpecifica. *l. 94. ff. De condit. & demonſtr.* quia per æquipollens poteſt adimpleri, ita ut cenſeatur in forma propria adimpleta eſſe. Nec movet quod ſtipulatio ſit ſtricti juris, in qua ſtricta ſit interpretatio: Etenim cum defunctus & hæres habeantur pro perſona eadem, conditio ſtipulationis poterit adimpleri ab hærede, præſertim cum ſtipulator ad rem familiæ magis reſpexiſſe videatur cenſeaturque hæredi ſuo conſulere voluiſſe, *l. 9. ff. De probat.* Quæ ratio facit, ut aliud obtineat in legatis, aliiſque ultimis voluntatibus, in quibus magis ſpectatur perſona, cum legati, aut inſtitutionis cauſa ſit benevolentia, & ideò ad deficientis legatarij, aut hæredis ſucceſſorem non intelligitur extendi diſpoſitio, atque liberalitas teſtatoris. Videatur noviſſimè Dominicus Arumæus *exercit. 13. th. 6.* ubi Connanum, Cujacium, Donellum alioſque refert, & exponit *text. in l. 122. §. Agerius 4. ff. De verb. obligat.* qui contra innuit implementum conditionis non tranſire ad hæredem.

22 Secunda Tit. pars eſt de *Committenda ſtipulatione.* Committitur autem ſtipulatio cum id ſtatim peti poteſt, quod per eam eſt promiſſum dari, vel fieri. Dico ſtatim propter *§. omnes Inſt. h. t.* qui ait, *confeſtim peti poteſt*, ex pura obligatione debitum, quia obligatio & actio ex perfecto contractu nata eſt: ſed tamen humanitatis cauſa breve aliquod temporis intervallum promiſſori datur, quo id quod promiſit impleri poſſit, *juxta l. 105. ff. De ſolutionib.* Bronchorſt. *cent. 4. aſſ. 49.*

23 Item committitur ſtipulatio, cum conditio qua ejus vis ſuſpendebatur exiſtit, veluti ſi quis nudo pacto aliquid promiſit, & adjecta ſit ſtipulatio ejus quod intereſt, ſi pactum non impleret; poſt motam litem, ſtipulatio licet conditionalis effectum ſortitur, atque ipſo momento committi dicitur, *l. 5. h. t.* Nec movet quod ex pacto nudo non naſcatur actio, quia non ex pacto, ſed ex ſtipulatione ſubjecta pacto, agitur. Latè de hac lege Giphanius, quam & Cujacius aliter interpretatur, *lib. 19. obſerv. cap. 32.*

24 Similiter ſi quis certò tempore facturum ſe aliquid, vel daturum ſtipuletur, vel quæ ſtipulator voluit, promiſit, & adjecerit, quod ſi ſtatuto tempore minime hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit, placet Juſtiniano abſque ulla interpellatione vel admonitione committi ſtipulationem pœnæ, pœnamque deberi ſtipulatori, *l. 12. h. t.* namque promiſſor intelligere debuit ſe dare, aut facere oportere, certò die, quæ cum non fecerit, aut dederit, ſibi debet imputare, ſi ſolo diei lapſu, pœnæ pro ſtipulationis tenore fiat obnoxius, cum ea quæ promiſit, ipſe in memoria ſua tenere, non autem ab aliis ſibi manifeſtari poſcere debeat, *d. l. 12. & l. 23. ff. De oblig. & act.* Non obſtat quod mora fieri intelligatur, cum quis interpellatus opportuno loco non ſolverit, *l. 32. ff. De uſur.* nam prædicta Juſtiniani Conſtitutio, non de mora tractat, ſed de pœna, quæ non ideò præcipuè debetur quod mora facta ſit, ſed quod conditio ſub qua promiſſa fuit, extiterit *l. 90. ff. De verb. oblig.* Neque idcircò tam propter moram, quam ob purificatam obligationem petitur, *l. 23. ff. De arbit.* Huc pertinet commune illud axioma, quod dies in obligatione adjecta, interpellet pro homine, cum promiſſor ipſe meminiſſe debeat diei, & non expectare ut ab alio commonefiat.

25 Quod ſi dies tantum dandi, vel faciendi fuerit comprehenſus, pœna non adjecta. Quæritur, An interpellet pro homine? & verius eſt moram fieri ex die ſolo, ſi promiſſor ad diem dictum non ſolvat, etiamſi interpellatus non ſit, quia ſatis id actum videtur, ut ſi falleret ad diem, ſtatim incideret in pœnam & uſuras, *d. l. 12.* Nec movet quod dies adjectus ſit in favorem debitoris, quoniam aliud eſt diem adjectum eſſe, aliud veniſſe, adjicitur ut differat actionem, venit ut actioni locus ſit; prius in favorem, alterum in gravamen tendit debitoris. Confirmatur hæc opinio per *l. 4. §. ult. ff. De lege commiſſ.* ubi ſi convenerit inter emptorem & venditorem, ut pretio & ad diem non ſoluto, res ſit inempta, non opus erit eo caſu interpellatione, ſed ſtatim res erit inempta, ſi pretium ſua die ſolutum non fuerit. Item per *l. 9. §. 1. ff. De uſur.* ſorte non ſoluta ad diem, uſurarum ſtipulatio ſtatim committitur, id eſt, dibitore licet

Digitized by Google

licet non interpellato. Idemque probat *text. in l. 2. De jure emphyt.* ubi emphyteuta qui intra triennium domino canonem non ſolverit, cadit emphyteuſi, licet non admonitus à domino ut ſolvat, cum neminem oporteat admonitionem exſpectare, ſed ultro ſeſe offerre, ſecundùm *d. l. 12. h. tit. in fin.* ex qua etiam hoc communiter annotare ſolent Interpretes, adeò verum eſſe, quod lapſus diei interpellet pro homine; ut ſi quis rem aliquam certo pretio emerit ſolvendo intra certum tempus, in aliis mercibus ad æſtimationem, ſi intra præfixum tempus in mercibus non ſolvat, poſtmodum non admittatur, ſed in parata pecunia ſolvere debeat, uti Pariſienſis Senatus decrevit teſte Papone *l. 12. tit. 10. art. 1.* Quamquam pleriſque Gallis, ut ad *d. l. 12.* obſervat Franciſcus Raguellius, durior nimis viſa ſit iſta Juſtiniani conſtitutio, quam proinde non extendunt ad poſſeſſorem emphyteuſeos, ut ſine interpellatione cadat jure ſuo, ob non ſolutum canonem, inter triennium, ſed quod moneri debeat à domino, vel nuntio, annis ſingulis ut ſolvat, quin & poſſit moram purgare offerendo ſolutionem præteritorum annorum, prout ſupra *De jure emphyt.*

26 Fallit tamen ſententia *dicta l. 12.* in præparatoriis judiciorum, nam ſi quis poſt tres, aut quinque pluresve dies promiſerit ſub pœna ſiſtere ſe in judicio, admittitur purgatio moræ, niſi ex mora, actoris jus deterius factum ſit, *l. 8. ff. ſi quis cautionibus in jud. ſiſt.* Idem eſt circa pecuniam conſtitutam, *l. 17. ff. De conſtit. pecun.* ubi autem dies in conditione adſcripta non eſt, non niſi interpellatione debitor in mora conſtituitur; idque multis juris locis ſcriptum oſtendit Philib. Bruſſelius, *tract. de cond. lib. 3. tit. 2. n. 15.* quæ tamen juris loca non pertinent ad obligationes, quæ diem habent certum à jure, aut præfixum ex conventione contrahentium, nam hæ ſtrictiores ſunt, in quibus dies eſt pro interpellatione. An autem debitor moram purgare poſſit, nec ne, ſaltem ante conteſtationem litis, diximus *ſupra. De uſur.* & Doctores paſſim tractant *ad l. 84. ff. De verb. oblig.* & noviſſimè Guilielmus Maſius in ſuo ſubtili tractatu ſingul. opinionum *lib. 2. cap. 5. & aliis.*

27 Effectus ſtipulationis eſt, quod actionem det, quæ dicitur *Condictio certi*, ſic ſciatur quæ, qualis quanta res debeatur, vel *Actio ex ſtipulatu*, ſi incerta ſit ſtipulatio, utpotè ſi factum aliquod quis ſtipuletur, *Inſt. de V. O. in pr.* Utriuſque actionis meminit *l. 6. h. t.* ubi quæ ſub tranſactione dari placuit, certi vel incerti ſtipulatione peti poſſunt dummodò va-
28 lida fuerit tranſactio. * Nam ſi ob non inſtituendam accuſationem criminis promiſſa pecunia ſit, cum ex hac cauſa non ſubſiſtat tranſactio, ita nec valebit ſtipulatio, *l. 9. in fin. h. t.* Quæ & interdum ſummovetur juſta exceptione puta ab eo propoſita qui metu mortis, vel cruciatus corporis territus, aliquid ſtipulanti promiſit: Cæterum accuſationis inſtitutæ, vel inſtituendæ prætextu, ob probabilem cauſam habita ſtipulatione, promiſſio ſi quæ facta non infirmabitur, *dict. l. 9. in princ.*

TITULUS XXXIX.

De Inutilibus ſtipulationibus.

1. *Continuatio, & ratio, cur pupillus ſine tutore non promittat.*
2. *Si quis alteri ſtipuletur, nihil agit, neque ſi avia nepoti dari ſtipuletur.*
3. *Niſi hic ſibi ex ſua perſona ſtipuletur, vel ſubſit favor doti.*
4. *Si ſtipulantis interſit alteri dari, valet ſtipulatio, & ſi cum ea iniretur, interſit.*
5. *Sic valet ſtipulatio dotis poſt mortem filiæ à patre facta, reſtituendæ cuidam extraneo.*
6. *Ratione formæ inutilis eſt ſtipulatio inter abſentes.*
7. *Matrimonium liberum eſſe debet, ut non liceat ſtipulari pœnam qua illud conſtringatur.*
8. *Inutilis eſt ſtipulatio de futura ſucceſſione, qua conſtringitur libertas teſtandi.*
9. *Stipulationes inter milites & conjuges de reciproca ſucceſſione valent.*
10. *Stipulatio dolo inita tenet, ſed exceptione doli ſummovetur, diverſum in contractu bonæ fidei.*

DIctum eſt quæ ſtipulationes utiles, pergit nunc 1
Imperator tradere, quæ ſint inutiles ipſo jure, idque ratione perſonæ, quæ ſtipulatur, promittitve, vel ratione formæ, vel ratione materiæ, ſeu rei in ſtipulationem deductæ.

Ratione perſonæ veluti ſi pupillus ſine tutore auctore promittat, *l. 1. h. t.* quia ſine eo tantum ſtipulari, & conditionem ſuam meliorem facere, non promittere, & alteri obligari poteſt, quia periculum eſt læſionis, cum obligari ſit periculoſum, & æquè damno obnoxium, ut lucro. Quò pertinent quæ *ſuprà Tit. prox.* diximus *ex l. 7.*

Planè ſi quis alij, quam ei, cujus juri ſubjectus
eſt, aliquid dari vel reſtitui ſtipuletur, placuit ni- 2
hil agi *l. 3. h. t.* & per conſequens neque civilem, neque naturalem oriri inde obligationem, cum ſtipulationes inventæ ſint, ut quiſque ſibi acquirat, quod ſua intereſt & non alteri: *§. ſi quis alij & §. alteri Inſt. h. t.* eſtque etiam hoc extra commercium contrahentium poſitum. Procedit itaque iſta regula in extraneo, cui facta ſtipulatio non valet. Adeò ut nec avia, quæ ſibi & nepoti, pecuniam quam mutuam dederat, ſolvi fuerat ſtipulata quidquã, nepoti, utpote extraneo, acquirere potuerit, *l. 4. ſup.*

De pactis conventis, ſed tantum ſibi, in ſpecie *l. ult. h. t.* quia avia, uti nec ulla fœmina liberos in poteſtate habet. *§. fœmina de adopt.*

3 Subjungit tamen Imperator ſi ipſe nepos, id quod ei ſolvi placuerat, in ſtipulationem ſuo nomine deduxerit, in ipſius perſona ſtipulationem ſubſiſtere, quia hoc caſu non alteri, ſed ipſi ſtipulanti eſt facta. *d. l. ult. in fin.* Cui non obſtat *l. Cajus 45. ff. ſolut. matrim.* ubi avus maternus nepti, quæ erat in patris poteſtate, certam pecuniæ quantitatem dotis nomine dedit, & inſtrumento dotali hujuſmodi pactum & ſtipulationem complexus eſt, ut ſi matrimonium ſolveretur, ſine culpa mulieris, dos nepti reſtitueretur, aut ſibi, & licet in perſona quidem neptis videatur inutiliter ſtipulationem eſſe conceptam, quoniam avus maternus neptem non habuit in poteſtate, nihilominus propter affectionem perſonarum & maximè favore nuptiarum, ſuſtinetur prædicta ſtipulatio, ſic ut per eam acquiratur utilis actio nepti ad dotem repetendam, ne alias maneret indotata. Late hoc argumentum *d. l. 45.* proſequitur Petr. Barboſa.

4 Interdum autem ſtipulatio extraneo facta valet, videlicet ſi ſtipulantis interſit, ut quia ejus eſt procurator, creditor, contutor, *l. 38. §. 17. §. 20. & ſeq. ff. de verb. oblig.* cum enim commodum ſtipulationis ipſum tangat ſtipulantem, ſibi is ſtipulatus videtur: Quare hoc ſuum intereſſe probabit: imo quod jam inde ab initio ejus intereſſe cœperit, videlicet tempore ſtipulationis alteri factæ: nam ſi ex poſtfacto intereſſe incipiat, inutilem ei fore ſtipulationem exiſtimo, quamvis Zaſius contra ſentiat *ad d. l. 28. §. alteri. 17. n. 37. & ſeq.* moveor ea ratione, quod in ſtipulationibus tempus contractus ſpectatur, & ſecundùm hoc vires capit, *l. 38. ff. de verb. obl.* Alias procedit regula *in l. quod ab initio 39. ff. de reg. jur.* Facit quod *in §. ſi quis alij Inſt. h. t.* dicatur nihil agi, quod dici non poſſet, ſi actus ſuſpenderetur in eventum quo intereſſe cœpiſſet. Eſt enim hæc ſtipulatio purè concepta, & proinde ſecundùm præſentis temporis jus æſtimari debet, *l. 137. §. 6. in ff. de verb. obligat.*

5 Cum itaque ſtipulator in ſpecie, *l. 3. h. t.* probaverit præſidi provinciæ ſuæ intereſſe, ut mortua in matrimonio filia, dos ejus filio (nepoti ſcilicet ſtipulatoris) ſuperſtiti reſtituatur, vel ſi is obiiſſet, cuidam extraneo Juliani nomine, puta procuratori, vel creditori ſuo, rectè concludit per actionem ex ſtipulatu id quod ſua intereſt, juxta placiti fidem dotis portionem Juliano reſtitui. Generaliter enim in faciendis ſtipulationibus placuit, ſi id non fiat, quod promiſſum eſt, ſtipulationem committi in id quod intereſt, *l. 13. in fin. ff. de re jud. l. 72. in princ. ff. de verb. oblig.* quod quia incertum, Judicis ſententia definietur, ſive taxabitur juxta Conſtitutionem Juſtin. *ſup. de ſent. quæ pro eo quod intereſt.*

Etenim ut alteri aliquid dari, vel reſtitui (niſi 6
ſua interſit) nemo ſtipulari poteſt, ita etiam inter abſentes verborum obligatio contrahi non poteſt, *l. 3. h. t.* quod invicem ſe exaudire nequeant: peccatur enim in forma ſtipulationis, ſi nec præſentes ſint nec verba proferant contrahentes, *l. 1. in princ. ff. de verb. oblig.* & hinc eſt quod Julianus in caſu *d. l. 3.* agere non potuerit, quia aberat tempore initæ ſtipulationis, ſed ſtipulator ipſe agere potuit & debuit in id quod intereſt, dotem Juliano fuiſſe reſtitutam.

Inutilis quoque eſt ſtipulatio defectu materiæ, 7
veluti ſi vir & uxor invicem pœnam ſtipulentur, quam præſtare debent, ſi eorum alter ſine juſta cauſa divortium fecerit, quia matrimonia debent eſſe libera, *l. 2. h. t.* id eſt, nullius pœnæ metu conſtricta, idque tam in contrahendo, quàm in diſtrahendo, *l. 71. §. 1. ff. de condit. & demonſtrat.* Nam non licet excedere pœnam legitimam, cum legibus ſeveriores eſſe non poſſimus, ſed contenti eſſe debeamus pœnis legibus comprehenſis, *l. 19. ff. de verb. oblig.* quod non tantum in hac ſpecie ſervandum, ſed & generaliter propter expreſſam Juſtiniani conſtitutionem, *in l. un. ſup. de ſentent. quæ pro eo quod int. prof.* Quapropter in caſum divortij, tantum licuit ſtipulari pœnam lege definitam non autē eam excedere.

Quemadmodum matrimonium, ita & hæredis 8
inſtitutio ſummam requirit libertatem, quam vinculo pœnæ impediri inhoneſtum eſt: Quapropter ſi contra bonos mores & juris publici diſpoſitionem, de ſucceſſione futura, interpoſita fuerit ſtipulatio, omnino erit inutilis, *l. 4. h. t.* cum juris ſit manifeſti, quod hæreditas non deferatur pactis, vel ſtipulationibus, ſed tantùm lege, vel ex teſtamento obveniat, *ut dixi ſupra de pact.* Quid ſi non hæreditas tota, ſed pars bonorum in ſtipulationem deducatur? dico illam non valere, quia æquè in parte militat turpitudo & juris prohibitio, quod nemo ſollicitus eſſe debeat de hæreditate viventis, *l. ult. ſup. de pact.* cum qua conferenda eſt *d. l. 4.*

* Plane inter milites pactum de mutua & viciſſitu- 9
dinaria ſucceſſione toleratur, *l. 19. ſup. de pact. de qua ibi.* Quod an de conjugum quoque pactis reciprocis verum ſit, utilis eſt diſputatio. Quod de conſuetudine manifeſtum eſt. Fundata in hac ratione, quod non minor favor militet pro conjugio, quàm pro militia; plurimumque interſit hæc pacta reciproca inter conjuges valere; ut ſcilicet præmio & emolumento de lucrandis bonis dotalibus facilius homines invitentur ad contrahendum matrimonium, utque eo contracto, maximè inter illuſtres perſonas, conſervetur ſplendor familiæ, in caſum deficientis maſculæ prolis. Accedit & iſta ratio, quod per hujuſmodi pacta reciproca tolli videatur ſiniſtra ſuſpicio, deſiderandi mortem alterius, cùm non minus quis propriam ſuam hæreditatem al-

teri

Digitized by Google

teri relinquat, quàm ut alterius hæreditatem ſibi deferri exſpectet, adeoque hæc pacta ſtatim rata eſſe, ac in ſpeciem donationis inter vivos cadere, ſcribunt Gail. *lib.* 2. *obſ. c.* 126. & Minſing. 2. *obſ.* 23. ut ob ingratitudinem revocari non poſſint. Quod non abſque ratione improbat D. Tuld. ad *h. t. C. n.* 2. ubi plures hujus argumenti caſus congeſſit, & ſubtiliter reſolvit, quos & nos, *ſupra de pact.* & *Tit. de pact. conv.* attigimus.

10 Atque hæc de inutilibus ſtipulationibus, quæ quia jure improbantur, actionem non pariunt, aut ſi quæ ſuſtinentur & ſummo jure actionem producunt, infirmantur per exceptionem. Sic ſi quis dolo vel metu adhibito, inductus fuit ad quid promittendum, obligatur quidem, ſed poteſt petitionem agentis repellere per doli mali, vel metus exceptionem, *l.* 5. *h. t.* Quamvis enim contractus emptionis venditionis, & alij bonæ fidei dolo malo initi ipſo jure nulli ſint; ſtricti tamen juris contractus, (inter quos cenſetur ſtipulatio,) non infirmantur, niſi actione vel exceptione doli propoſita, quia in ſtrictis quod actum inſpicitur, in bonæ fidei vero contractibus, exuberare debet bona fides, cui nihil magis contrarium quàm dolus & fraus, *ut dictum ſupra de dolo, n.* 5. & 6.

TITULUS XL.

De duobus reis ſtipulandi & promittendi.

1. *Continuatio Rei ſtipulandi & promittendi qui.*
2. *Et quomodo illi, & hi conſtituantur? An in diem & ſub conditione poſſint obligari?*
3. *Poſſunt in aliis contractibus, & ultima voluntate plures rei fieri.*
4. *Conveniuntur in ſolidum rei debendi, etiam unus, cui nihil datum.*
5. *Sejunguntur duo rei, ab his, qui pro partibus tenentur.*
6. *Per ſolutionem unius cæteri correi liberantur.*
7. *An creditor ab uno ex correis partem debiti accipiendo, cenſeatur diviſiſſe obligationem?*
8. *Correus liberatur per novationem. An pactum proſit correo ſocio?*
9. *Item an proſit correo non ſocio?*
10. *An novatio ab uno ex reis ſtipulandi facta, aliis noceat?*
11. *An pactum ab uno ex reis ſtipulandi, cæteris ſociis noceat?*
12. *Si unus ex reis debendi, integrum ſolverit debitum, an partem poſſit repetere à ſocio?*
13. *Nulla actione aut remedio reo ſolventi ſubvenitur.*
14. *Probatur diſtinctio inter correos ex cauſa oneroſa & lucrativa.*
15. *Creditor qui ſolidum accepit, an id tenentur communicare aliis?*
16. *Quid hodie juris eſt circa conſtitutionem plurium reorum, & effectum illius?*
17. *Et quid ſi mercatores ſocij ſint?*
18. *Interpellatio unius ex correis interrumpit præſcriptionem, etiam quoad cæteros.*

DIctum eſt de ſingulorum ſtipulatione, nunc de 1
pluribus unam & eandem rem ab uno & eodem ſtipulantibus, aut uni & eidem promittentibus. Illi rei ſive correi ſtipulandi, vel credendi dicuntur; hi rei promittendi vel debendi. Conſtituuntur duo pluresve rei ſtipulandi, cum poſt omnium interrogationem de eadem re ſeparatim factam, promiſſor conjunctim ſive conjuncta oratione reſpondeat, ſpondeo, ſive utrique veſtrum dare ſpondeo. §. 1. *Inſtit. h. t.* & *l.* 2. *ff. eod.* Nam ſi prius uni, deinde alij interroganti reſpondeat, ſpondeatque alia, atque alia erit obligatio; nec creduntur duo rei ſtipulandi eſſe, cum reus promittendi ſeparata ſua reſponſione eos diviſerit, *l.* 9. *eod.*

Duo vero rei promittendi ſunt, qui ſtipulanti 2
eandem rem eadem ex cauſa ſimul promittunt, animo reos ſe conſtituendi, ſive reſpondeant ſinguli ſeparatim, vel conjunctim omnes; *l.* 4. *ff. h. t.* Dico eandem rem, quia ſi non ſit una res, ſed in ſingulis perſonis propria intelligatur, non fiunt duo rei, *l.* 15. *ff. eod.* ſic ſi quis cum rem eandem deponit penes duos, cum altero eorum convenit, ut culpam quoque ille præſtet, cum altero nihil convenit, verius eſt non eſſe duos reos, à quibus impar ſuſcepta eſt obligatio, *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* Cujac. *lib.* 26. *Obſ. c.* 26. Quod tamen non ita intelligendum quaſi non poſſit ex duobus reis promittendi, unus purè, alter in diem, vel ſub conditione obligari, hoc enim fieri poteſt, *l.* 7. *ff. eod.* Cur ita, cum & ibi diſpar ſit cauſa? quia ſcilicet temporale eſt impedimentum, quodque deſiturum erit adventu diei, vel eventu conditionis, quo ſublato tandem proprie erunt duo rei, tunc demum pari obligatione inter eos facta.

Poſſunt autem plures rei conſtitui non tantum 3
verbis ſtipulationis, ſed & in cæteris contractibus, veluti emptione, venditione, locatione, conductione, commodato, depoſito; Item in teſtamento ſive ultima voluntate, dummodo appareat hoc actum eſſe, ut ſint duo rei, ut puta ſi pluribus hæredibus inſtitutis teſtator dixerit, *Titius & Mævius Sempronio decem danto*, *l.* 9. *ff. h. t.* *l.* 8. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l.* 16. *de leg.* 2.

Ex hujuſmodi obligationibus & ſtipulationibus 4
ſingulis ſolidum debetur, ſi plures ſint rei ſtipulandi, vel ſinguli in ſolidum tenentur, ſi ſint plures rei promittendi. Quo fit ut unus ex pluribus reis ſtipulandi habeat electionem petendi partes à ſingulis, *l.* 11. *ff. h. t.* vel exigendi ſolidum à quo velit, perinde ac ſi ſolus ſtipulatus eſſet, *l.* 2. *in pr. h. t.* Quod procedit,

Digitized by Google

cedit, licet ad eum quem elegit nihil ex pecunia mutuo data pervenerit, ſed alteri tota ſit numerata, quia ſatis eſt quod uterque de reddenda promiſerit, ſeque principalem conſtituerit, *l.3.h.t.* numeratione namque pecuniæ uni ex correis facta, omnibus facta videtur, *l.5.ſup.ſi cert. pet.*

5 Quapropter videndum, utrumne in partem, an in ſolidum ſinguli rei ſe obligaverint, ac duo rei promittendi extiterint, cum ſiquidem ab initio unuſquiſq; pro parte tantum ſit obligatus, ſervanda erit conventio, ut quilibet pro parte ſua conveniatur: ſi vero in ſolidum, non poterit etiam reſcripto Principis adimi electio iſta creditori, quam lex ei tribuit excutiendi quem velit, in ſolidũ, *l.3.h.t.* Plane ſi re tradita, convenerint duo ſibi viciſſim aliquid in ſolidum dari, vel fieri, ſingulos agere in ſolidum certum eſt, atque id ipſum puto ſignificari *in l.1.h.t.* quam tamen apud veteres non reperies, & ex neotericis Cujacius *l.5. obſ. c.35.* eam uti mendoſam rejicit, quaſi aliud ſignificent ejus verba.

6 Cæterum ſi unus ex correis totum debitum uni ſolverit, cæteri omnes illico liberantur, quia ſolutione ejus quod debetur ſolvitur obligatio, quæ in perſonis correorum utique una eſt, una & ſumma, *l.2.in fin.ff.h.t.* Cui non obſtat *l.9. §. ult. eod.* ubi in cujuſque perſona, propria ſingulorum conſiſtit obligatio: Etenim una quidem eſt obligatio omnium correorum, ſi interpretemur rem debitam, quoniam eadem res ab omnibus debetur, quamvis poſſint dici plures obligationes, propterea quod perſonæ plures ſunt obligatæ.

7 Quid ſi creditor ab uno ex correis partem debiti accipiat? putant plerique eum diviſiſſe obligationem aliorum reſpectu, nam cum omnium correorum una eademque ſit obligatio, non poteſt illa diverſo jure cenſeri. Atque ideo unius ex correis conventio cæteris quoque prodeſſe debet, *l. ult. h.t.* ita ut non niſi pro rata conveniri, & conventi taciti pacti exceptione ſe tueri poſſint, *l. 18. ſup. de pact.* ubi paſſim DD. & Thomingius *Deciſ.47.* & D. Tuldenus *in C. h. t. n. 3.* Sed verius puto creditorem à cæteris correis ſolidum exigere poſſe, quia quod unum ex illis pro ſua perſona ſolventem admiſerit, hoc animo gratificandi feciſſe videtur, ut non debeat ipſi obeſſe, nec extendi gratificationis teſtatio, aut unius liberatio ad reliquos de quibus non eſt actum. Quo pertinet quod refert Pomponius ſi duo eandem pecuniam debeant, & unus ab obligatione exemptus ſit alterum non liberari, *l. fin. h.t.* nec pactum cum uno initum ad alios extendi, *l.27. §.4. ff. de pact.* nec inter abſentes negotium contrahi, niſi per epiſtolam aut nuntium. Non obſtat quod dicitur inter correos factum unius, cæteris quoque prodeſſe, nam hoc procedit in iis in quibus omnium æquo jure intereſt obligationem in totum vel perimi, vel conſervari, veluti ſi interpellatio unius præſcriptionem quoad omnes impediat. Sed quoties non de ipſa obligatione, aut de univerſo omnium jure, ſed de unius perſonali obligatione agitur, hoc ad cæteros non ſpectat, & liberationis jus, ſingulari jure uni conceſſum, cæteris non acquiritur, prout judicatum refert in ſenatu Pariſienſi Annæus Robertus *lib.4.rer.jud. c.7.*

Cæterum cum acceptilatio vim ſolutionis habeat ſequitur, uni ex reis debendi acceptilatione facta, omnes liberari, *d.l.2. in fin.* Quid ſi fiat novatio cum uno ex reis debendi? probabile eſt correum liberari quia per novationem extinguitur prior obligatio & nova ponitur, *l. 1. ff. de novat.* quæ non utriuſque, ſed tantum novantis perſonam concernit. At vero ſi pactum uni ex reis debendi factum ſit, dubitatur an illud proſit ſocio correo? & puto prodeſſe, *arg. l. 21. §. ult. & l.25. juncta l. præced. ff. de pact.* in quibus reſolvitur, pacta omnibus prodeſſe, quorum obligationem diſſolutam eſſe, ejus qui paciſcebatur interfuit, atque intereſt ſocij paciſcentis pactum prodeſſe correo ſocio, quia alioquin ipſimet non prodeſſet, quia quod alter ſocius ſolveret, id ſocio reputaretur in judicio ſocietatis, *l.3. §.3. verſ. ſed quid ſi ſocij ff. de liberat. legata.* Unde non obſtat regula, quod nemo alteri Stipulari poſſit, aut paciſci, *§. alteri Inſt. de inutil. ſtipul.* Nam quando ſtipulantis, aut paciſcentis intereſt, non tam cenſetur alteri ſtipulari, quam ſibi ſtipulando conſulere. 8

Sed major eſt difficultas, utrum hujuſmodi pactum proſit alteri correo non ſocio: Et licet quidam putarint prodeſſe ſi in rem conceptum eſſet pactum, Nic. Valla *de reb. dubiis tract.18.* juri tamen & rationi conformius eſt, pactum alteri correo non prodeſſe ſi ſocius non ſit, *arg. d.l.25. & d. §. ult.* Facit quoque *l.23. ff. de pact.* in verbis, *ſed tum demum cum per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus eſt, proficiat.* Nec enim intereſt paciſcentis pactum alteri correo prodeſſe, ſi ſocius non eſt. Videatur *ad h.l.* Cujac. & Ant. Faber *lib.11. conject. c.18.* Non obſtat quod ſolvente uno ex reis debendi, ſolutio iſta omnibus proficiat, ita ut omnes liberentur correi, licet ſocij non ſint, *l.2. & 3. in fin. ff. hoc. tit.* quia per ſolutionem perimitur obligatio ipſo jure, per pactum non item. 9

Quæritur, an novatio ab uno ex reis ſtipulandi facta aliis noceat? non nocere probari apertè videtur *in l.27. ff. de pact.* ubi Paulus ait, *Nam nec novare alium poſſe, quamvis ei recte ſolvatur.* At Paulo Venulejus adverſatur *in l.31. §. ſi duo 1. ff. de novat.* ubi *ſi unus ab aliquo ſtipuletur, novatione quoque liberare eum ab altero poterit* Interpretes nonnulli putant Paulum & Venulejum contraria ſenſiſſe de hac quæſtione: atque ita rejecta Venuleji ſententia, ſequuntur Paulum exiſtimantes novationem ab uno ex reis ſtipulandi factam alteri non obeſſe, ſi ſocij ſint *d. l. 27.* 10

Obeſſe

Digitized by Google

Obeſſe vero ſi ſocij non ſint *d. §. ſi duo.* Sed mihi magis probatur illorum opinio, qui indiſtinctè aſſerunt, unum ex reis ſtipulandi novare poſſe veterem obligationem, ſive ſocij ſint, ſive non ſint, cum & talis ſolidum exigere, in judicium deducere & ſolutum accipere poſſit, itemque acceptum ferre, quoniam acceptilatio imago eſt ſolutionis, *l. 16. ff. de acceptilat.* Ubi Ulpian. in hac materia plurium reorum hanc rationem ponderat, & Venulejus quoque *in d. §. ſi duo*, cum ait, unum ex correis ſtipulandi novare poſſe, quia ea ſtipulatio per quam fit novatio, ut & ipſa acceptilatio ſimilis eſt ſolutioni. Quare objecta Pauli verba *in d. l. 27.* ſunt qui aliter legant, ut pro *novare* reponant *donare*. Robertus *recept. ſentent. c. 25.* Rectius diceremus non fuiſſe Paulo propoſitum tradere unum ex correis, vel argentariis novare non poſſe, ſed docere voluit ac oſtendere, ex eo quod totum petere poſſit debitum unus ex argentariis, non poſſe eundem paciſci, in ſocij præjudicium: quod ut probet Paulus, auctoritatem adfert Labeonis tradentis, eſſe aliquos quibus licet ſolvi poſſit, non poſſunt tamen novare, quales ſunt filiifamil. atque ideo non ſequitur uni ex argentariis totum ſolvi poteſt, ergo & ille paciſci poterit in ſocij præjudicium.

11 Itaque Paulus non conſtituit *in d. l. 27.* diſputationem hanc, an unus ex argentariis, vel correis ſtipulandi novare poſſit, vel non novare. Etenim ibi præcipua ejus intentio eſt, quæſtionem ab antiquis motam tradere, an pactum unius ex argentariis, vel correis alteri noceat? Et quia ibidem reſolvit non nocere ſociis aliis, videri poterat nocere hoc pactum ſi ſocij non ſint. Sed veriùs eſt illud indiſtinctè non nocere, quia pactum non eſt loco ſolutionis, ut tollat ipſo jure obligationem priorem. Nam quod novatio, vel acceptilatio ab uno ex reis ſtipulandi facta, aliis noceat, rationem hanc inſinuant J. C. Ulpianus & Venulejus quod acceptilatio & novatio ſit ſimilis ſolutioni. Atque hanc ſententiam confirmat *l. 93. ff. de ſolut.* Ut non obſtet *d. l. 27.* Nam Paulus agit de argentariis ſociis ex neceſſitate, quia argentarij vix poſſunt menſas habere communes, niſi ſint ſocij: Imo quod ibi de argentariis ſociis dixerat, idem poſtea tradit de duobus reis ſtipulandi, non adhibita diſtinctione an ſocij ſint, an non ſocij. Verumtamen licet hæc vera ſint, non deſunt alia ejuſdem Pauli loca, quibus aſſeritur pactum unius correi alteri nocere præſertim ſocio: unum eſt in *l. 34. de arbitr.* ubi ſi unus ex reis ſtipulandi cum debitore compromiſit in arbitrum, & ſententia arbitri prohibitus ſit petere à debitore; altero correo petente ſit locus pœnæ in compromiſſum deductæ ſi ſocij ſint. Alterum in *l. 5. pr. ff. ſi quis caut. in jud. ſiſt.* ubi ſi debitor uni ex reis ſtipulandi cum pœna promiſerit ſe judicio ſiſti, alter autem impediat debitorem quo minus ſe ſiſtere poſſit, hæc prohibitio nocebit alteri correo, ſi ſocij ſint. At in neutro loco tractatur de pacto, nam in *l. 34.* agitur de compromiſſo ſub pœna facto, ſi contraveniretur, ac docetur pœnam committi ſi correus ſocius agat. Similiter in *l. 5.* agitur de correo ſocio impediente debitorem judicio ſe ſiſtere, quod facit ut debitor non cadat in pœnam promiſſam, ſi certo die ſe judicio non ſiſteret. utrobique enim factum verſatur, non pactum, hoc ſocio non nocet, illud nocet, unde ſi quid mora alterius ſocij factum ſit, alteri quoque nocet *l. 18. ff. h. t.* quamvis factum correi non ſocij, correo non noceat *d. l. 5. & l. 32. §. pen. ff. de uſur.* Ex communi ſententia, ſanè juramentum unius, aut potius ab uno delatum alteri nocet, *l. 28. in pr. ff. de jurejur.* quia juramentum vim ſolutionis habet. Latè de hac materia Cujacius *ad d. l. 27. & l. 2. obſ. c. 6.* & Joan. Robertus *l. 1. ſent. c. 25. in fin.* Donellus *ad h. t.* & alij.

Illud hic proprius quæritur. Si unus ex reis debendi integrum ſolverit debitum, an partem repetere poſſit à correo? quod plerique affirmant per *l. 2. h. t.* ubi dicitur quod ſi reus probaverit ſe conventum in ſolidum exſolviſſe, Rector provinciæ juvare eum debeat, adverſus correum, qui nihil ſolvit. Sed quo remedio? putant ei dandam eſſe actionem ex ſtipulatu, ſi à ſtipulatore ei actio iſta ceſſa fuerit; vel actionem mandati, ſi vice mutua fidejuſſerint, vel actionem negotiorum geſtorum, quod videatur correi negotium geſſiſſe, vel actionem pro ſocio, ſi ſocij ſint: atque hanc opinionem tenet Jul. Pacius in Analyſi *C. ad h. t.* quam late impugnat Antonius Faber *lib. 11. conject. c. 17.* dicens clauſulam *d. l. 2.* ſpuriam eſſe, & temerè prioribus verbis ab ipſo Triboniano adjectam; ſicut & verba *l. alterius 20. ff. de tut. & rat. diſt.* minus elegantia, ſatis indicant eſſe ejuſdem Triboniani, ex quibus æquitatis ratione ſuadente, per utilem actionem huic correo ſubveniri plerique putant, & Molinæus *ad l. Modeſtinus ff. de ſolut.* multis conatur oſtendere iſti correo dandam eſſe condictionem, *ex l. 32. ff. de reb. cred.* aut ſaltem actionem ex ceſſione creditoris. Sed contra Cujacius putat poſt ſolutionem ab uno reorum factam creditori, nullam ſupereſſe actionem, quæ poſſit cedi, ut aperte dicitur *in d. l. Modeſtinus 76. ff. de ſolut.* Quoniam ſoluto per unum correum debito, tota obligatio perimitur, *l. 2. ff. h. t.* Quod autem obligatio dividatur in Lege Falcidia, *l. 62. ff. ad l. Falc.* ratio eſt, quod ibi tantum ſpectatur quantitas patrimonij correorum, ut poſſit iniri ratio Falcidiæ. 12

Itaq; non video quo remedio, vel actione reo ſolventi ſolidum, poſſit ſubveniri adverſus correum: Nam ſi quæ actio ei dari poſſet, eſſet actio mandati, ſed hic neuter alteri mandavit, & uterq; principaliter ſe obligavit; non etiam actio negotiorum geſtorum, ex eadem ratione, quia ſolidum ſolvendo, non 13

tam

Digitized by Google

tam alienum,quam ſuum negotium geſſiſſe videtur; non item actio communi dividundo, quia non ſocij.Etenim ſi eſſent ſocij,ut quia mutuam pecuniam accepiſſent, in rem communem, eamque unus totam reſtituiſſet creditori,non dubium eſt, quin ejus rei haberetur ratio in judicio ſocietatis, divideretur que obligatio inter ſocios reos; *juxta d.l. 62.*

14 In hac opinionum varietate,magis probarem diſtinctionem inter correos ex cauſa lucrativa,ut denegetur repetitio ei, qui totum debitum ſolvit *d. l. 62.*& inter correos ex cauſa oneroſa,ut tum,ſi omnes utilitatem ſenſerunt,pro partibus ſibi tangentibus,poſſit qui ſolvit repetere,*l.2.h.t.* Nam correi ex cauſa oneroſa videntur aliquatenus contineri ſub correis ſociis. Ut non male dici poſſet, correo iſti competere actionem negotiorum geſtorum; licet enim hactenus negotium ſuum gerat, quod in ſolidum obligatus fuit, eo tamen reſpectu quo correos alios liberat, eorum ſimul negotium gerere videri poteſt,videatur Bart. *ad l.11.ff.h.t.* & Gomez. *tom. 2. var. cap. 12. num. fin.*

15 Quæri etiam hic ſolet, An ſi unus ex correis ſtipulandi, totius debiti ſolutionem acceperit, teneatur correo eam communicare, data ei parte? Id affirmat Carolus Molinæus per *d.l.62.*Alij rectius negant, cum cuilibet correorum in ſolidum debeatur quod eſt ſolutum, ut nequeat alter videri recepiſſe rem communem, eſt enim illo in caſu melior conditio præoccupantis. Cæterum quando ſunt ſocij, dubium non eſt locum eſſe communicationi, *d. l. 62.* cui & locum eſſe videri poſſet cum ſocij non ſunt,ſi modo ſint correi ex cauſa oneroſa,ut reſolvit *d. loco* Gomez.

16 Supereſt, ut dicamus,quid hodie juris ſit, circa conſtitutionem plurium reorum & effectum illius? Jure quidem veteri ad diſcernendum, utrum aliqui duo rei eſſent,ſedulo inſpici ſolebat,quid actum eſſet,ſeu quæ mens fuiſſet contrahentium.Hodie vero non datur locus conjecturis, nec ſpectatur quid actum ſit,inter contrahentes, ſed ita demum intelliguntur conſtitui,ſi nominatim dictum expreſſumque ſit, ut ſinguli in ſolidum teneantur, *Novel. 99.* Quo caſu in ſolidum conventus poſtulare poteſt beneficium diviſionis, ut creditor diviſa actione, pro parte tantum virili eum conveniat,ſi modo reliqui correi preſentes & ſolvendo ſint. *Auth.hoc ita h.t.* Sed ab hac ſententia recedit Cujacius. qui putat idem hodie obtinere,quod olim, & plures reos debendi etiam hodie in ſolidum conveniri poſſe, quoniam propriam potius,quam alienam ſuſtinere cenſentur obligationem, quæ ſententia juri magis conſona videtur, ut proinde jus vetus non ſit abrogatum per *d.Auth.hoc ita.* ſed illa referenda ſit ad caſum *Novellæ 99.* ex qua eſt deſumpta, non autem agit iſta Novella ſimpliciter de duobus reis, ſed de duobus reis, qui iidem & fidejuſſores vice mutua accepti ſunt,ut patet ex ipſo textu & inſcriptione Novellæ Donellus *ad d. Auth.*

Ad mores noſtros quod attinet, notandum eſt 17
mercatores ſocios,qui per ſemetipſos mercaturam exercent, ſive uno in loco, ſive diverſis, in ſolidum teneri, cum ob utilitatem contrahentium, tum quod factum unius videatur factum alterius; Itemque ex contractu inſtitoris ſive factoris, quem negotiationi præpoſuerunt,omnes ſocios tacitè obligari in ſolidum conſtat. Bart. *ad d. l. Auth. hoc ita* Charond. *in Pandect. jur.Gall. lib.2. c.36. poſt princ.* ita judicatum refert.

Poſtremo quoniam ex uno eodemque contractu 18
ſingulorum obligatio fluit,atque una eademque res & ſumma hic vertitur, *l.3.in fin ff.h.t.* Idcirco Juſtinianus conſtituit, interpellationem unius ſtipulatoris alteri correo prodeſſe, ſi debitorem communem teſtatione, libelli conventione, vel in judicio poſtulatione interpellaverit, ut ſolveret: & unius promiſſoris agnitionem alteri nocere, ſi debitum agnoverit in judicio,vel extra judicium. Placet itaque ut conventio, vel agnitio ſit generalis & omnes complectatur, quorum una eſt & communis obligatio: Ita ut reus qui non interpellarit, ſi agat ex ſtipulatu,alteri reo ſtipulandi objicere non poſſit temporis præſcriptionem,ut puta 30. annorum, qua ſolet perimi actio: vel alter ex reis debendi qui non eſt interpellatus, tueri ſe non poſſit præſcriptione temporis, *l.ult.h.t.* Nec obſtat *l.32.§.pen. ff. de uſur.* ubi ob moram unius ex correis promittendi,non augetur uſuris obligatio in perſona alterius rei, qui interpellatus non fuit. Facilius enim principalis obligatio retinetur, quod favorabile, quàm augeatur acceſſione uſurarum, quod odioſum.Deinde potentius eſt factum,vel interrumpentis creditoris, vel debitoris partem exſolventis, quàm omiſſio, qua conſtat mora. Ita Pacius *cent. 7. q. 34.* Donell. & Giphan *ad h. l. ult.*

TITULUS XLI.

De Fidejuſſoribus & mandatoribus.

1. *Continuatio Tit. & differentia fidejuſſorum, & correorum promittendi, & mandatorum.*
2. *Quid eſt fidejuſſio, quibus verbis fiat.*
3. *An valeat ſi inſtrumentum fidejuſſionis quis ſignaverit: Aut in eo ſcripſerit ſe fidejuſſiſſe.*
4. *Fidejuſſores dantur ut caveatur creditoribus, nec liberantur per pignoris dationem.*
5. *Obligatus dare fidejuſſorem, offerendo pignus an ſatisfaciat obligationi?*
6. *Qui & pro quibus fidejubere poſſunt. Et an filius pro patre?*
7. *Fidejubere prohibentur mulier, miles, ſervus. An & clericus? & quid de monacho?*

8. *An*

Digitized by Google

8. *An denuo cogatur cavere debitor, ſi fidejuſſor effectus ſit idoneus.*
9. *In omnibus obligationibus aſſumi fidejuſſores poſſunt.*
10. *An etiam in obligationibus quæ ex delicto deſcendunt.*
11. *An & naturali obligationi accedant?*
12. *Poſſunt præcedere obligationem, & ſequi.*
13. *An obligatio fidejuſſoria tranſmittatur ad heredes.*
14. *Quid ſi quis ſuccedat tam debitori, quàm fidejuſſori?*
15. *In duriorem cauſam, aut majorem ſummam non obligatur fidejuſſor.*
16. *An ſaltem in eam ſummam, quam principalis debet, teneatur?*
17. *Quatenus fidejuſſor arctius obligatur, quam principalis.*
18. *Promittens ſub certa pœna reum ſe exhibiturum, lapſo tempore, petere poteſt dilationem 6. menſium.*
19. *Poteſt fidejuſſor obligare ſe ſub pignore, ipſo principali tantum perſonaliter obligato.*
20. *An fidejuſſor teneatur in uſuras?*
21. *Olim uti & reus poterat conveniri in ſolidum, vel pro parte.*
22. *Hodie prius excuti debet principalis ſi ſit præſens, ſi abſit non repelletur creditor à fidejuſſore.*
23. *An generalis renuntiatio excludat fidejuſſorem ab hoc beneficio?*
24. *An ſi fidejuſſor ut principalem ſe obligaverit, cenſeatur beneficio ordinis renuntiaſſe?*
25. *Ille non cenſetur renuntiare qui promittit ſe ſoluturum, neque fidejuſſor indemnitatis.*
26. *Niſi juramento firmaverit renuntiationem.*
27. *Non cenſetur renuntiare qui cum juramento fidejuſſit.*
28. *Quid ſi plures fuerint fidejuſſores, qualiter illi obligantur?*
29. *Non privantur beneficio diviſionis qui in ſolidum ſe obligarunt.*
30. *Ei qui cum muliere fidejuſſit hoc beneficium non competit.*
31. *Quid ſi ſimul cum minore fidejuſſerit, aut prior ſolus.*
32. *Beneficium ordinis & diviſionis competunt ope exceptionis.*
33. *Quando hæc beneficia ſint opponenda.*
34. *Alterum eſt beneficium cedendarum actionum, & quid ſi eas cedere creditor recuſet.*
35. *Cedendæ actiones contra pignorum poſſeſſores & fidejuſſores.*
36. *Non cogitur creditor fidejuſſori parato ſolvere, cedere in ſuum ipſius præjudicium.*
37. *An poſſit ceſſio peti poſt ſolutionem?*
38. *An contra pignorum poſſeſſores, alioſve fidejuſſores actionum ceſſio recte petatur?*
39. *Mandator agere poteſt poſtquam ſolvit, ut ſibi cedantur actiones.*
40. *Quatenus creditor teneatur præſtare actiones contra alios fidejuſſores in ſolidum, an pro parte?*
41. *Actionibus ceſſis & ſolutione facta, datur fidejuſſori contra debitorem & alios actio mandati.*
42. *An non etiam ante ſolutionem?*
43. *Diverſi modi proponuntur quibus fidejuſſor liberatur.*
44. *Non liberatur ceſſione neque confiſcatione bonorum debitoris.*
45. *An liberetur prorogatione termini per creditorem facta debitori?*
46. *Quid ſi debitor non ſolvendo evaſit inter moras creditoris non exigentis exactionem?*
47. *Non liberatur fidejuſſor lapſu longi, ſed longiſſimi temporis, aut ſi promiſit aliquem judicio ſiſti.*
48. *Fidejuſſor, qui diu in obligatione ſtetit agere non poteſt ut ab ea liberetur niſi debitor in ſolvendo, vel creditor in exigendo ceſſaverit.*
49. *Uno ex pluribus mandatoribus electis, vel fidejuſſoribus, cæteri non liberantur.*

SUperius dictum qui per ſtipulationem principaliter obligentur, nunc de fidejuſſoribus qui obligationibus principalibus accedunt, recte ſequitur & quidem poſt Tit. de duobus reis, quia correi promittendi etiam pro aliis ſe obligant tanquam principales, ſed fidejuſſores non tanquam principales, ſed alieno nomine accedunt obligationi. Differunt quoque inter ſe fidejuſſores & mandatores, quod mandatores obligentur conſenſu, fidejuſſores verbis, hi præſentes ſint cum fidejubent, illi & abſentes eſſe poſſint, dum mandant futuro creditori, ut pecuniam alicui credat. Item mandatum præcedit actum qui fieri mandatur. At fidejuſſio præcedere & ſequi poteſt principalem obligationem, *l.6.§.2.ff.h.t.* 1

Eſt igitur *fidejuſſio contractus, qui verbis conſtat accedens firmandæ obligationi alienæ*; dum ſcilicet pro debitore principali, alius fidem ſuam interponit, apud creditorem, ſi contigerit illum fide & bonis deficere. Dico *verbis*: remota enim ſtipulatione, promiſſio pro alieno debitore eſt *conſtitutum*, vel ſi antecedat obligationem *mandatum*. Quamquam hodie ſecundum mores, conſtitutum à fidejuſſione vix diſcernatur, ſiquidem ſtipulationum ſolemnitas, extra uſum abierit, & obligationes etiam ex pactis nunc oriantur. Imo etiam jure noſtro inſpecto, verba quibus fidejuſſiones contrahuntur, non opus eſt ſint ſolemnia, ut olim, ſed quæcumque idonea, tam Græca quam Latina ſufficiunt, ut in quavis ſtipulatione *ſup. Tit. 38. per l. 10.* Quin & hiſce verbis obligabitur is, qui ſtipulanti *fidejubes?* reſponderit *faciam quod vis*, *l.12.h.tit.* 2

Attamen ſi quis fidejuſſionis contractui interfuit, ut teſtis, non obligabitur, quaſi fidejuſſor, ex eo quod tabulas obligationis ſignaverit, *l. 6. h. t.* 3

Digitized by Google

ſolet ad majorem certitudinem firmitatemque contractus, fidejuſſionis obligatio in ſcripturam redigi, & ſignari: & cum quis fatetur apud acta ſe fidejuſſiſſe, in cauſis publicis intelligitur fidejuſſio ſcripta, in privatis non ſcripta, *l. pen. h. t.* Plane ſi quis in tabulis ſcripſerit, ſe fidejuſſiſſe, ſolemnis cenſetur fidejuſſio, adeo quidem, ut ſi ipſe fidejuſſor, conventus poſtea à creditore, neget fidejuſſionem legitimè factam, quia dicat ſtipulationem non interveniſſe, vel non rectè factam, propter diverſitatem reſponſionis, non fidejuſſoris aſſertioni, ſed ejus ſcriptioni & inſtrumento credatur, *§. ult. Inſt. h. t.* Id enim ritè factum præſumitur, donec contrarium demonſtretur, *l. 8. ſup. de probat.*

4 Fidejuſſores aliàs dicuntur ad promiſſores, quippe qui idem promittunt quod alius debet, accipi à creditoribus ſolent, dum curant, ut diligentius ſibi cautum ſit. Eſt quidem interdum iis cautum nuda & juratoria cautione, at multo magis interventu pignoris, aut perſonæ, ſeu fidejuſſoris; cujus fides utrique & debitori & creditori prodeſt, illi quo magis ei credatur, huic quo magis ei in tuto ſit creditum. Obſervandum hic eſt, quod licet creditori cautum ſit interventu pignoris, non propterea tamen liberetur fidejuſſor datus, cum utroque modo ſibi caverit creditor, *l. 9. h. t.* qui non cogitur dimittere fidejuſſorem.

5 Quid ergo ſi fidejuſſorem dare obligatus quis ſit, poteritne invito creditori offerre pignus? Id quibuſdam videtur, propterea quod plus cautionis ſit in pignore, quam in fidejuſſore, *l. 25. ff. de reg. jur.* propter litis diuturnitatem, atque moleſtias, Gloſ. *in l. 7. ff. de ſtipul. prœt.* Decius *in d. l. 25.* Veriùs tamen per dationem pignoris non ſatisfieri obligationi; Neque enim poteſt obligatus aliud pro alio offerre creditori invito, *l. 2. in fin. ff. de reb. cred.* Facit etiam quod majus in cuſtodiendo pignore verſetur onus & periculum, quod proinde ſuſcipere non tenetur creditor, nam ſi id in ſe ſuſciperet, damna quoque ſi quæ pignori acciderent, reſarcire cogeretur. Videatur Emanuel Suarez *theſ. cum ej. in. l. F. n. 154.* Atque hæc de fidejuſſionis forma, & modo: ſequitur de perſonis, quæ fidejubere utiliter poſſunt, vel non.

6 Poſſunt autem omnes regulariter fidejubere, qui obligari, tam patres, quam filiifamil. *l. 3. & 10. §. 2. ff. h. t.* Imo filiusfamil. pro patre fidejubere, & fidejubendo obligari poteſt, *l. 8. h. t.* adeo ut ſui juris effectus conveniri poſſit, in quantum facere poteſt, vel in poteſtate conſtitutus damnari in ſolidum poſſit, & ipſe quoque pater ex hac cauſa tenetur actione quod juſſu, ſed ſi ignorante patre pro eo fidejuſſerit, ceſſat iſta actio: tamen ſi in rem patris verſum ſit, poteſt agi cum patre. Plane ſi filius emancipatus ſolverit, utilis ei actio debebit competere: In poteſtate etiam manenti eadem actio competit, ſi de peculio caſtrenſi pro patre ſolverit. *d. l. 10. §. 2.*

7 Ad fidejubendum tamen idonea non eſt mulier, ſiquidem ab aliena obligatione S. C. Vellejano tuta ſit *ſup. Tit. ad Vellejan.* ubi quibus modis ſuccurratur mulieri pro alio fidejubenti, & quando ipſi non ſuccurratur, ſufficienter expoſui. Similiter fidejuſſor idoneus non eſt miles, ne dum privatis negotiis occupatur, diſtrahatur ab officio ſuo militari, *l. 31. ſup. de locato*, neque ſervus inſcio domino rectè pro alio fidejubet, aut extra cauſam peculiarem, *l. 19. ff. eod.*

Quæritur, an clericus fidem ſuam obligare queat? Et videtur quod non per *c. 1.* ẍ *h. t. & can. te quidem 11. q. 1.* Idem aſſeritur in Conſtitutionibus Apoſtolorum *can. 19.* Eum verum Canonem Zonaras Græcus interpres ita accipit, ut clerico quidem non liceat pro publicanis, vel vectigalium redemptoribus fidejubere, pro aliis vero non prohibeatur, maxime ſi pietatis & neceſſitatis cauſa urgeat. Ea interpretatio confirmatur *Novel. 123. §. alium autem, & Novel. 120. c. 6.* quibus locis dum vetatur, ne Clerici publicarum functionum exactores conſtituantur, aut vectigalia, vel privatas poſſeſſiones conducant, & in his fidē ſuam pro aliis obſtringant, ſatis apertè oſtenditur in aliis negotiis rectè quaſi fidejuſſores intercedere. Item Clerici qui de facto pro aliis fidejuſſorio nomine ſe obligaverunt, rectè ad ſolutionem compelluntur, *c. 2. & 3.* ẍ *h. t.* quæ ratio facit ut rectè interceſſiſſe videantur. Cæterum monachi, quia ſui juris non ſunt, ex quacumque cauſa obligationi alienæ acceſſerint, vel novam ipſi contraxerint, nec in ipſos actionem, nec in monaſterium ullam dari conſtat, niſi Abbatis ſui & capituli conſenſu ſe obligaverint, aut in rem monaſterij verſum aliquid probatur *c. pen.* ẍ *h. t.*

8 Quicumque etiam fidejuſſorem dare tenetur, eum dare non poteſt qui inopia laborat: & licet ab initio datus fidejuſſor locuples fuerit, ſi tamen medio tempore calamitas inſignis, vel magna inopia acciderit, cauſa cognita ex integro ſatisdare & alium fidejuſſorem dare, cogetur debitor, *l. 10. §. 1. ff. de his qui ſatisd. cog.* Niſi ab initio creditor, eo fidejuſſore fuerit contentus, & ex conventione partium acceptus, eo namque caſu non cogetur debitor repetere ſatisdationem, quia ſatisdatio debita fuit jure obligationis, & ſolutionis, quæ ſolutione facta jam eſt extincta. Ita Gomez. *2. var. c. 13. n. 7.*

9 Quod attinet ad principalem obligationem, cui fidejuſſor accedere poteſt, certum eſt fidejuſſorem in omnem obligationem adſumi poſſe ſive re, ſive verbis, ſive litteris, ſive conſenſu contracta ſit. Imo & obligationi quæ ex delicto, vel quaſi delicto deſcendit, quatenus agitur civiliter, rectè accedere fidejuſſorem docet, *textus in §. in omnibus Inſt. h. tit.*

Digitized by Google

h.tit.& in l.8.§.5.ff.eod. quia pœna pecuniaria æque
10 ab ipſo præſtari poteſt. * Non tamen intervenire poterit fidejuſſor pro reo ut vice ejus pœnam ſuſtineat corporalem, quia pœnæ ſuos debent tenere auctores, *l.22.C.de pœnis.* Non movet quod qui ſe latronem inventurum ſpopondit, compellendus ſit eum exhibere, aut niſi exhibeat tranſmittatur puniendus ad præſidem provinciæ, *l.13.h.t.* quoniam incidit in extraordinarium crimen occultatoris ſeu receptoris: proinde ſi culpa non exhibeat fidejuſſor, pœna pecuniaria plectitur; ſi dolo malo, punietur ſecundum arbitrium judicis extra ordinem, *l.4.ff.de cuſt. reor.* Imo & corporaliter puniri poteſt fidejuſſor, ſi dolo, vel fraude ejus, reus fuga elapſus ſit, ut ſi doloſe eum celaverit, vel fugæ ejus auxilium, aut ſubſidium ſubminiſtraverit, *d.l.3.& l. pen.C.de cuſt.reor.*

11 Non intereſt cui obligationi civili, an naturali fidejuſſor accedat, quia naturalis vera eſt obligatio, licet ex ſe ſatis ſit infirma, quam proinde fidejuſſor acceſſione ſua munit & firmat. Qua ratione pro pupillo, qui tantum tenetur naturaliter, recte intercedit fidejuſſor, qui etiam obligatur civiliter, aliàs fidejuſſio foret ſine effectu, *l. 16. §. 3. & l.25. ff. h. tit.* Idem in ſervo juris eſt, eoque caſu fidejuſſor tenetur tam domino, quam extraneo, qui fidejuſſorem à ſervo acceperit, *l. 35. & 70. §. 3. ff. eod.* Non movet quod videatur durius obligari, quam principalis, nam id ſibi imputet, cum potuerit abſtinere à fidejuſſione: Etenim dum pro naturaliter obligato interceſſit, quem jure convenire non poſſe noverat, aut noſſe debuerat, animo donandi id feciſſe præſumitur, *l. 32. ff. de pact.* & ſane hic non tam in conſiderationem venit, quod fidejuſſerit pro pupillo, quam quod promiſerit, ut ratione ſuæ promiſſionis, quæ vim habet donationis, teneri videatur. Dico pro pupillo, nam pro furioſo, vel prodigo contrahente, intercedens fidejuſſor, non obligatur, quia non ſolum ipſa ſtipulatio nulla interceſſit, ſed ne negotium quidem ullum cum furioſo, aut prodigo geſtum intelligitur, *d. l. 70. §. 4. & l. 6. ff. de verb. oblig.* atqui nulla obligatione civili, vel naturali præcedente, ſubſiſtere nequit fidejuſſoria obligatio, quæ eſt ſequela principalis. Non obſtat *d.l.25.* quia ibi fidejuſſor fuerat acceptus pro pupillo, prodigo, vel furioſo non contrahente, ſed jure obligato, ut puta ex quaſi contractu, vel delicto, juxta *text. in l. 46. ff. de oblig. & act.* At dices, ſi fidejuſſor accedere poteſt naturali obligationi, & ex ea teneri, qui ſit tamen ut non teneatur in caſu *l. 11. ff. h. t* ubi acceptus eſt pro filiofamil. qui contra ſenatuſconſultum mutuam pecuniam accepit, cum tamen filiusfamil. naturaliter obligetur. Ideo enim non tenetur fidejuſſor quia mortuus erat filius, pro quo interceſſerat, & ſic extincta fuit naturalis oligatio, cum nullus ſit hæres filiofamil. jure iſto.

Præterea poteſt fidejuſſor & præcedere obliga- 12
tionem & ſequi, hoc eſt, accedere obligationi & contractæ ante, & futuræ, *lib.4.& 6.ff.hoc tit.* futuræ accedit fidejuſſor etiam hoc modo, quantam pecuniam Titio quandoque credidero, dare ſpondes? *l. 55. ff. eod.* ad quam vide Cujacium *lib. 11. quæſt. Pauli, pag. 239.* Verum cum principalem obligationem præcedit, non ſtatim conveniri poteſt, ſed tum demum cum reus debet. Quod enim fidejuſſio dicatur ſequela & acceſſio obligationis principalis, id non ad ordinem temporis, ſed conditionem ipſius obligationis pertinet, quæ effectum exactionis producere non poteſt, antequam reus principalis debeat.

Porro non ſolum ex fidejuſſione tenetur fidejuſ- 13
ſor, ſed etiam hæredem relinquit obligatum, exemplo rei principalis, *l.24.h.t.* Idque in omnibus contractibus receptum eſt, ut facto defuncti hæres conſtringatur, *l.49.ff.de obl.& act.* ſiquidem ex quo lucrum percipit, ad ejus facti præſtationem teneatur in ſolidum, nec contravenire poſſit, *l.14.ſup.de rei vind.l.10.infr.de ſolut.* etiamſi in contractu nulla ipſius mentio facta fuerit. Nam hoc eſt regulare tum in ſtipulationibus dandi, tum faciendi ut tacite hæredes complectantur, *l.13.ſup.de contr.ſtip.*

Quid ergo ſi quis ſuccedat tam reo principali, 14
quam fidejuſſori? principalis obligatio manet, fidejuſſoria extinguitur, *lib. 24. verſ. Sed ſi idem h. t.* quemadmodum ſi debitor fidejuſſori, vel fidejuſſor debitori hæres extiterit, quia non poteſt idem eſſe fidejuſſor pro ſemetipſo: & cum duæ obligationes, altera principalis, altera acceſſoria, in eandem perſonam concurrunt, principalis manet, acceſſoria extinguitur, *l. 3. ff. de ſep. l. 13. ff. de duob. reis. l. 5. & 14. ff. h. t.* Cæterùm ſi plures ſunt hæredes in ſolidum non tenentur, ſed pro partibus hæreditariis, *l. 24. & l. 49. §. 1. ff. h. t.* excipe niſi fidejuſſor debitori ſuo hæres exiſtat, tunc enim utraque actio manet, & utraque tenetur, *l 21. ff. eod.* Similiter cum fidejuſſor confidejuſſori ſuccedit, utraque obligatio in ejus perſona conſiſtit. *d.l.21.§.1.* quemadmodum & cum creditor creditori, vel debitor debitori ſuccedit; Verùm cum fidejuſſoris obligatio ſit individua, qui ſit ut pro partibus hæreditariis hæredes obligentur? contra juris regulam *in l.192.ff.de reg.jur.* huic difficultati ita ſatisfaciendum arbitror. Reſpectu quidem ipſius defuncti obligatio eſt individua, & reſpectu ipſius creditoris omnes hæredes tenentur in ſolidum: ſed reſpectu hæredum inter ſe obligatio eſt dividua ipſo jure, adeo ut pro portione tantum hæreditaria conveniantur, quia unuſquiſque repræſentat defunctum, pro ea parte, pro qua hæres eſt. Videatur Gomez. *tom.2.var.c.10.n.3.*

Digitized by Google

15 Natura fidejuſſionis in eo conſiſtit, ut fidejuſſio fiat in eandem, vel leviorem, non autem duriorem cauſam: in acceſſione enim qualis eſt fidejuſſio, plus eſſe non poteſt, quam in re principali, minus autem eſſe poteſt. Hinc quia plus eſt pure promittere, quàm ſub conditione, ideo fidejuſſor ſub conditione intercedere poteſt, non contra. §. *fidejuſſores ita Inſt. h. t.* Plane ut non poteſt in duriorem cauſam ſe obligare: ita nec in majorem ſummam, quàm eſt principalis: in minorem poteſt, neque enim eſt neceſſe, ut acceſſorium adæquet principale, *l. 8. §. 7. ff. hoc tit.*

16 Quid igitur ſi quis in majorem ſummam, ſive quantitatem ſeſe obligaverit, eritne inutilis obligatio? Sunt qui exiſtimant eam in totum eſſe inutilem *per d. l. 8. §. 7. ff. h. t.* ubi ſi fuerit in duriorem cauſam obligatus fidejuſſor, placuit eum omnino non obligari. Item per *text. Inſt. h. t. §. fidejuſſores*, qui habet fidejuſſores ita obligari non poſſe, ut plus debeant, quam debet is pro quo obligantur. Nam eorum obligatio, acceſſio eſt principali obligationi, nec plus in acceſſione poteſt eſſe, quàm in principali re. Denique iſtis in locis promittens majorem ſummam, conjungitur cum eo, qui pro obligato ſub conditione, obligat ſe purè, hunc autem nullatenus obligari certum eſt, ut de illo idem ſit dicendum, aliàs temeritas videretur conjungere diſſimilia, atque iſtam opinionem defendunt Bartolus *ad d. §. 7.* Connanus *lib. 6. comm. c. 6. num. 8.* Fachinæus *lib. 8. contr. c. 51.* Sed verior eſt affirmativa ſententia, videlicet non vitiari omnino fidejuſſionem, ſed valere ſaltem quoad concurrentem quantitatem, ne utile per inutile vitietur, argumento ſtipulationis, *l. 1. §. 4. ff. de verb. oblig.* ubi detracto eo, quod eſt inutile in ſtipulatione, reliquum ſuſtinetur: quia certum eſt utique in ſummam minorem conſenſiſſe, qui in majorem ſpopondit, cum in majore ſumma inſit minor, *l. 83. §. 3. & l. 110. ff. d. t. de verb. oblig.* Ut non obſtet *d. l. 8. §. 7.* cujus hæc eſt ſententia, ne fidejuſſor teneatur in id quo excedit ſua obligatio principalis debitoris obligationem, Sic enim verba *omnino non obligari* legenda, ut non omnino in totam ſummam quam fidejuſſit obligetur, ſed in concurrentem, & in quam debitor principalis tenebatur. Præterea dici poteſt *in d. §. 7.* tantum agi de fidejuſſore in duriorem cauſam aſſumpto, in qua non poteſt fieri ſeparatio, ſecundùm exemplum ſibi ſubjunctum, quando quis fidejuſſit purè pro obligato ſub conditione, neque enim obligatio pura ineſt conditionali, ut meritò dicatur durior conditio fidejuſſoris, ita ut obligatio in totum ſit inutilis & invalida, de qua eſt accipienda *l. 16. §. 1. l. 34 38 4: & ſimiles ff. h. t.* non etiam in caſu quo in ſummam majorem ſe obligavit, quia ſumma diviſionem admittit. Unde patet ſolutio ad objectum, §. *fidejuſſores Inſt. h. t.* cum non obligetur fidejuſſor in duriorem cauſam, neque in plus teneatur quàm reus principalis, ſiquidem ſuperfluum habeatur pro non adjecto, & ſub nullo prætextu illud exigi poſſit. Hanc opinionem probant Cujacius, Duarenus *per d. l. 1. §. 4. ff. de verb. obl.* Gomez. *tom. 2. var. cap. 13. n. 2.* Pro qua etiam facit quod Impp. Diocl. & Maxim. reſcripſerunt, mandatorem non teneri ex ſtipulatione facta, ultra quam fuerit mandatum, ſive debitor plus acceperit à creditore, ſive non acceperit, *in l. 22. h. t.* proinde ſi creditor ultra petat, ex ſtipulatu repelletur exceptione doli, ut petens ex ſtipulatione ſine cauſa, *l. 2. §. 3. ff. de doli mali except.* Alciatus *5. par. reg. c. 7.*

Cæterum licet fidejuſſor in plus non obligetur, quam principalis, arctius tamen eum obligari nihil implicat, cum uti dictum fidejuſſor poſſit obligari pro eo qui tantum naturaliter tenetur, & contra quem excuſſus non habet mandati actionem, *l. 25. ff. h. t.* Poteſt & fidejuſſor obligari ſub pœna quam non promiſit principalis, quæ tendit ad efficaciam obligationis ratione moræ ipſius fidejuſſoris, Gloſſ. *in l. 65. ff. h. t.* ex mora principalis teneri non poteſt, niſi & ipſe principalis ad eam teneatur, quia durior ejus cauſa foret, Bartol. *ad l. 34. n. 12. ff. h. t.* 17

Porrò iſto caſu quo quid ſub certa pœna promiſit, puta ſi intra certum tempus reum non exhibeat, etſi tempore illo elapſo pœna commiſſa ſit; Juſtinianus tamen benigne ſuccurrit fidejuſſori, ut non ſtatim cogatur pœnam ſolvere, ſed poſt tempus ſex menſium, intra quod poteſt moram purgare, exhibito vel defenſo reo *l. 26. h. tit.* quod alias non obtinet, quia regulariter pœnæ ſemel commiſſæ, ex die certa appoſita obligationi, nulla deprecatio eſt, nullum effugium, nec opus eſt alia interpellatione, vel monitione, cum dies ipſa dicta ſatis interpellet promiſſorem, *l. 22. ff. de oblig. & act. l. 77. ff. de verb. obl. l. 23. ff. de recept. arbitr.* 18

Præterea poteſt fidejuſſor obligare ſe ſub pignore aut hypotheca, ipſo principali non obligato niſi perſonaliter, quod non tam in plus obligetur, quam efficacius, cum non creſcat ſumma debiti, nam ſi aliquo modo creſceret, non teneretur, ut *in l. 8. §. 9. ff. h. t.* ubi ſi is qui hominem, aut decem ſtipulatus, ita fidejuſſorem acceperit hominem aut decem utrum ego velim, non obligabit eum, propterea quod durior ſit ejus conditio propter electionem principali competentem, ſublatam fidejuſſori. Fidejuſſio itaque dirigenda venit ſecundùm terminos principalis cum ſit acceſſoria, ut non extendat ſe ultra quam fuit in principali tempore interpoſitæ fidejuſſionis, ſic ut non debeat officere fidejuſſori, quod poſtea facto principalis creverit obligatio, *l. ult. ff. h. t.* 19

An ergo conveniri non poterit fidejuſſor in uſuras ex cauſa moræ principalis? Diſtinguo, aut enim 20

Digitized by Google

enim fidejuſſit tantum in ſortem, & non tenetur ad uſuras,aliaſque acceſſiones,quæ ex mora principalis accedunt, *l.68.§.1.ff.h.t.* ex jam dicta ratione, quia cujuſlibet obligationis vis & qualitas ex contractus initio æſtimanda eſt,*l.1.§.30.ff.depoſiti.* Quo fit ut etiam ſimpliciter intercedens, ad id tantummodo obligetur, quod in præſenti erat debitum,nō quod de futuro accrevit, *l.4.& l.22.C. de uſur.* cum ſua culpa nihil commiſſum arguatur,*l.17.§.fin.ff.ad municip.* Aut vero in uſuras ſe obligavit fidejuſſor, & juſtam cauſam eas recuſandi non habet, inquit Imp.*in l.10.h.tit.*quandoquidem interceſſionis tempore in uſuras fuerit acceptus: Idem dicendum ſi fidejuſſerit in omnem cauſam,vel in omne id quod ex natura contractus debetur. Quo pertinet *l.54.ff. locati.* ubi Paulus reſpondit, ſi in omnem cauſam conductionis etiam fidejuſſor ſe obligavit, eum quoque exemplo coloni,tardius illatarum per moram coloni penſionum præſtare debere uſuras, eo quod in bonæ fidei judiciis etſi non tam ex obligatione proficiſcantur, quam ex officio judicis applicentur, tamen cum fidejuſſor in omnem cauſam ſe obligavit, æquum videtur ipſum quoque agnoſcere onus uſurarum, ac ſi ita fidejuſſiſſet. Igitur ſi in omnem cauſam, non ſe obligaverit, neque uſuras fuerit ſtipulatus fidejuſſor, æquum non eſt ex mora rei,ut illius obligatio augeatur,quamvis non diminuatur, *l.8.ff.de eo quod certo loco.* ubi Africanus arbitrariam actionem de eo,quod certo loco ſolvi promiſſum fuit, ab uſurarum cauſa ſeparat, ut illa quidem fidejuſſor quoque ad intereſſe teneatur, quia una ſit obligatio, & ab initio intereſſe ex natura actionis arbitrariæ in obligationem deductum.Ratione uſurarum vero conveniri non poſſit fidejuſſor, quod duæ ſint ſtipulationes, ad unam vero ſe obligarit fidejuſſor. Ita quoque eſt accipienda *l.24. ff.de uſuris*, quod cum reus moram facit,etiam fidejuſſor teneatur quoad intereſſe, quando natura rei vel cauſæ id exigit, vel quod quoad actionem perpetuandam ſemper ex mora rei teneatur,non etiam quoad augendam obligationem præſtationemve uſurarum,eodem ſenſu intelligenda *l.88.ff.de Verb. Obl.* ubi dicitur moram rei fidejuſſori nocere. Non obſtat quod alio loco reſpondit Africanus, ſi poſteaquam pupillus ad pubertatem pervenerit,tutor in reſtituenda tutela aliquamdiu moram fecerit, fructuum nomine & uſurarum medij temporis fidejuſſores teneri, *l.10.ff.rem pupilli ſalv.* Nam hoc jure ſingulari favore pupillorum receptum eſt, ut fidejuſſores tutorum,teneantur ex mora rei,*l.3.& 5. ff.de fidejuſſ.tut.* maximè cum interveniſſe cenſeantur in omnem cauſam, quæ poſſet oriri ex judicio tutelæ,idque in ſecuritatem pupillorum. Ita Coraſius *lib.2.miſc.c.12.* Donellus *ad d.l.10.h.t.*

21 Effectus fidejuſſionis eſt,quod fidejuſſor teneatur nomine rei principalis,& quidem in ſolidum,adeo ut liberum ſit creditori eligere, an primo velit debitorem, an fidejuſſorem convenire in ſolidum, an pro parte utrumque, *l.2.& 5.h.t.* niſi in initio contractus aliter placuerit, *l.19.h.t.* Quod ſi creditor maluit eligere fidejuſſorem, cogitur ei pignora,ſive hypothecas cedere *l.21.h.t.* Et ſi plures ſint fidejuſſores, unum poteſt creditor eligere, à quo ſolidum exigat, *§. ſi plures Inſt.h.t.* Uno tamen electo, non liberantur reus,nec confidejuſſor, nec pignora, *l.23.& ult.h.t.* uti etiam electis pignoribus,non liberantur fidejuſſores, *l.9.l.18.& l.25.h.t.* Nam & hi poſſunt primo conveniri, dummodo ſimpliciter ſint accepti, non in id quod ex pignoribus refici non poterit,ut ſcriptum eſt *in l.17.h.t.*quia iſta conditione accepti fidejuſſores non ante ſunt, quam pignora diſtracta ſint

22 Verùm contra hæc gravamina, plura habent remedia fidejuſſores. *I. Beneficium ordinis* ſive excuſſionis, quo hoc conſequuntur fidejuſſores, quod conventi,poſſint repellere agentem creditorem, donec excuſſerit principalem,*l.3.h.t.* Si modo iſte ſit præſens, nam ſi abſens ſit, non repelletur creditor à fidejuſſore, ſi tamen hic deſideret ſibi dari tempus, intra quod advocet adducatque reum primo conveniendum, id Judex ei pro locorum diſtantia ſtatuere debet,ea lege, ut tranſacto tempore cogatur fidejuſſor reſpondere creditori & condemnatus ſatisfacere, ceſſis ſibi à creditore actionibus, abſque diſtinctione contractus ſive interceſſionis *Auth. Præſente h.t.*quæ deſumpta eſt ex *Novel.4.c.1.* Non repelletur etiam creditor, ſi notorium ſit debitorem non eſſe ſolvendo, cum quæ ſunt certa, non debeant amplius certiorari. Præterea poterat creditor perſequi pignora licet à fidejuſſore eſſent alienata, vel ad fiſcum tranſlata, *d.l.3.in pr.* At hodie creditor non poteſt eligere pignora niſi in bonis ipſius debitoris: quia contra debitorem poteſt incipere ab actione hypothecaria, contra alios non poteſt. *d.Novel.c.2.*

23 Cæterùm hoc ordinis beneficium ita demum competit fidejuſſoribus,niſi ei ſpecialiter renunciaverint, quod poſſunt cum favori pro ſe introducto quivis renuntiet, *l.pen.ſup.de pact.* Dico ſpecialiter, nam generalis renuntiatio, qua fidejuſſor renuntiat juribus ſibi competentibus, non ipſum excludet ab hoc beneficio: cum renuntiatio ſit ſtricti juris, ut niſi de ea expreſſe diſponatur,non veniat ſubintelligenda. Ne alias contra juris regulam quis donare & ſuum jactare præſumatur, ſeque excludere à beneficio de quo nō cogitavit. Hanc opinionem probat & ſequitur Andr. Tiraq. *ad d.l.ſi unquam n.122.* quam limitat primo niſi renuntians utatur verbis generalibus, quæ in effectu ſunt ſpecialia, veluti ſe ſoluturū ante principalem, quæ nihil aliud ſonant, quam non uſurū beneficio ordinis. Secundo quando aliqua beneficia ſunt ſpecialiter expreſſa & de-

Digitized by Google

inde ſubjuncta clauſula generalis, videtur enim de uno quoque ſpecialiter actum. *Gloſſ. in l. 4. §. 4. verb. ſpecialiter ff. ſi quis caut. in judic. ſiſt.*

24 An cenſeatur ſpecialiter renuntiaſſe huic beneficio, qui ſe ut principalem obligavit? Si de animo novandi conſtet, ceſſabit hoc beneficium, cum novationis effectus ſit, diſſolvere priorem obligationem & novam conſtituere, ut dicetur *tit. ſeq.* Si de animo novandi non conſtiterit, probabile quidem eſt, renuntiatum eſſe huic beneficio, ne verba contrahentium nihil operentur. Probabilius tamen iſti verborum formulæ non ſubeſſe renuntiationem, quam ſpecialem eſſe oportet, ad effectum dictæ excluſionis *Auth. hoc ita ſup. de duob. reis.* cum dictis verbis tantum contineatur generalis renuntiatio, per quam nemo jure ſuo cadit, Barboſa *ad l. 25. in princ. 116. ff. ſol. matr.* Facit quod dicta conventio reſpondeat diſpoſitioni juris communis, quo conveniri poterat fidejuſſor ante principalem, ut recte ſecundum iſtam intelligatur, *l. 3. in fin. h. t.* ubi ſi id quod ineſt exprimatur, non mutabit conditionem juris.

25 Plane neque is cenſebitur renuntiaſſe, qui promiſit ſe ſoluturum, cum talia verba ſimpliciter prolata, intelligantur ſecundum naturam & conditionem actus celebrati, *arg. l. 54. §. 1. ff. locati.* Fidejuſſor indemnitatis, qualis eſt qui promiſit ſolvere, illud quod creditor à reo conſequi non poteſt etſi omnibus beneficiis renuntiaverit, etiam ſpecialiter, non poterit tamen excuti, ante excuſſum principalem, quia tantum promiſit in ſubſidium, ut prius ſit excutiendus reus, eo quod ante ſciri nequeat quantum ab eo non potuerit creditor conſequi. Suarez *com. opin. litt. fidejuſſor. indemnit.* facit in hanc rem *l. 21. ff. de ſolut. & l. 67. ff. pro ſocio.* ex quibus apertè conſtat hunc fidejuſſorem non conveniri ante principalem, quia conditionalis eſt debitor, ſi principalis non ſolverit. Gamma *deciſ. 380.*

26 At vero qui juramento firmavit renuntiationem, non poterit uti beneficio excuſſionis, ſiquidem juramentum habeat vim ſpecialis renuntiationis, *arg. l. 77. §. 23. ff. de leg. 2.* & ſervandum ſit, quatenus ſervari poteſt ſine detrimento animæ jurantis, aut tertij. Gail. *l. 2. obſ. c. 27. num. 22.*

27 * Cæterum fidejuſſor qui cum juramento ſe obligavit, non poteſt videri huic beneficio renuntiaſſe, nam juramentum ſequitur naturam actus cui apponitur, neque extenditur ultra id de quo agitur: agitur autem de munienda fidejuſſione, à quo diverſa prorſus eſt renuntiatio beneficij. Non obſtat *c. ex reſcripto X. de jurejur.* in quo non alias conveniuntur fidejuſſores jurati quam ſi principales non ſatisfecerint. Nil facit quod ibi mulier jurato intercedens, jubeatur ſatisfacere, non attento S. C. Vellejani beneficio, nam hoc ideo, quia ſpecificè juravit ſolutionem, quam non poſſet citra perjurium recuſare objiciendo Velleianum. Videatur Joan. Gutierrez *de juram. confirm. cap. 2. num. 2.*

II. *Eſt beneficium diviſionis* ex epiſtola D. Hadriani competens pluribus fidejuſſoribus, quo ſinguli in ſolidum non recte excutiuntur cum effectu, ſed pro virili tantum, & hoc ut æqualitas ſit inter æqualiter obligatos, *§. ſi plures Inſt. h. t.* quatenus tamen omnes ſunt ſolvendo tempore propoſitæ diviſionis, *l. 3. §. 1. h. t.* neque enim alias conceſſum hoc beneficium, quam quatenus fieri poteſt ſine gravi creditoris detrimento: non eſt autem ita grave à pluribus petere qui ſunt ſolvendo, grave vero foret tum actionem dividi quando aliqui non ſunt ſolvendo. Sane ſi poſt diviſam legitime actionem, contingat aliquos fidejuſſores fieri non ſolvendo, hoc damno erit creditori, qui ſibi imputare debet quod tempeſtive eos non excuſſerit, minimè tamen onerabit alios fidejuſſores, quos ſemel liberatos non patitur juris ratio invitos trahi in obligationem *l. 16. h. t.* 28

Competit hoc beneficium cuicumque fidejuſſori, ſimul cum altero intervenienti, niſi vel malitia ſua ſe privaverit, veluti falsò negando ſe fidejuſſiſſe, vel renuntiarit ſpecialiter, ut dictum ſupra. Quomodo qui inſolidum ſe obligavit, non ideo hoc beneficio privabitur *l. 3. h. t.* ubi ratio hæc redditur, quod juris conſtitutio diviſionem admittens, non mutetur tali conventione, à jure non tam diſſentiente, quam eidem conſentiente, quo in ſolidum obligatio unumquemque tenet, licet ſi omnes ſolvendo fuerint tempore diviſionis, non niſi pro virili conveniantur cum effectu, ſecundum quod dicta conventio recte accipitur. Nec facit quod ita nil ſit operatura, contra *l. 80. ff. de verb. obl. & l. 109. ff. de leg. 1.* ubi oratio ſic accipi debet, ut aliquid partes videantur egiſſe. Nam hoc ita interpretandum, modo ſententia quam accipi volumus etiam verbis contineatur, imputandum enim creditori potius, quod verba plenius non expreſſerit, *l. 21. ff. de contr. empt.* Donel. *ad l. 3. h. t. n. 7.* 29

Utrum beneficium diviſionis competat fidejubenti ſimul cum muliere? Quod negandum per *l. 48. ff. h. t.* ubi ſubducta muliere, in ſolidum tenetur qui cum ea fidejuſſit, eo quod mulier cum effectu non interveniat, ſic ut tota obligatio reſideat in perſona conjuncta, quæ ſcire potuit, aut ignorare non debuit, mulieri ſuccurri per Velleianum, ut imputare ſibi debeat quod una cum muliere intervenerit. 30

Quod ſi autem mulier in rem communem cum alio fidejuſſerit, pro ſua parte, tantum tenetur, non pro parte maſculi, quia pro parte maſculi videtur interceſſiſſe dum ſe obligavit in ſolidum. *l. 17. in fin. & l. ſeq. ff. ad S.C. Velleian.* Molinæus *tract. de uſur. n. 288.* At cur vir fidejubens cum muliere pro alio, tenetur in ſolidum, ſi vero una cum minore 25. annis, 31

pro

Digitized by Google

pro parte tantum: quia etſi videatur minor, non minus quam mulier fruſtra fidejubere, propter ſpem reſtitutionis in integrum, ignorare tamen potuit ætatem illius, non etiam ſexum, & per eum competens beneficium Velleiani, quo infringitur fidejuſſio: vel ſi ætatem non ignoraverit, potuit tamen cogitaſſe, prætorem non eſſe accommodaturum ſuum auxilium, quod non temere accommodat, ſed cauſa cognita. Et hoc procedit ſi ſimul intercedant, nam ſi primo interceſſerit major, & deinde aſſumptus ſit minor hujus reſtitutio faciet in totum teneri majorem, eo quod ſolus ab initio obligationem ſuſceperit, quæ reſtituto minore redintegratur creditori. *d. l.* 48. §. 1. *ff. de fidejuſſ.* Cujacius *lib.* 10. *obſ. c.* 23.

32 Competunt autem hæc duo beneficia, non ipſo jure, ſed tantum ope exceptionis, uti patet *ex d. §. ſi plures Inſt. h. t. & d. Auth. præſente*, quomodo ſi ante excuſſum principalem ſolverit fidejuſſor, non repetit à creditore tamquam indebitum, cum ipſe debeat; uti nec ſi omiſerit exceptionem diviſionis, contra alios fidejuſſores regreſſum habebit, *l.* 11. *h. t.* qua de re infra latius.

33 Sed dubitatur quando hæc beneficia ſint opponenda; Quantum ad exceptionem diviſionis uſque ad ſententiam, eam opponi poſſe traditum eſt *in l.* 10. §. 1. *h. t.* quod videatur ſapere naturam peremptoriarum, quæ uſque ad ſententiam opponuntur, non poſtea, nam in ſolidum conventus antequam condemnaretur, ſi non oppoſuerit actionis diviſionem, ſed in ſolidum ſe ſit paſſus condemnari, cœpit judicati actione in ſolidum teneri creditori, quam ſemel quæſitam iniquum eſt invito auferri, per partis oblationem. Donel. *ad d. l.* 10. niſi à ſententia fuerit appellatum, cum per appellationem extinguatur judicatum, & reponatur res in eo ſtatu quo erat ante litem conteſtatam. Gomez 2. *var. c.* 13. *n.* 15. Quantum ad exceptionem excuſſionis, videtur non niſi ante litem conteſtatam opponi poſſe, quod ſit dilatoria, differens excuſſionem fidejuſſoris donec excuſſus fuerit principalis, & quidem concernens judicium conſtituendum. Gomez. *d. loco. n.* 14. Benignior tamen eſt ſententia hanc exceptionem quandocumque uſque ad concluſionem in cauſa opponi poſſe, Gail. *lib.* 2. *obſ. c.* 27. *n.* 3.

34 III. *Beneficium eſt cedendarum actionum*, quarum exceptionem rectè fidejuſſor objicit creditori agenti, quæ ita juſta eſt, ut ſi cedere recuſet creditor ab actione repellatur & decurſi interea temporis uſuras non debeat fidejuſſor, licet non obſignarit debitum, etiam in caſu quo dies, aut locus ſolutionis eſt dictus, cum in ſolvendo non poſſit videri moram feciſſe is, à quo propter juſtam exceptionem pecunia male petitur. *l.* 21. *ff. de uſur.*

35 Cedendæ ſunt actiones contra pignorum poſſeſſores, *l.* 2. *l.* 11. *l.* 14. *&* 21. *h. t.* niſi & in aliam cauſam ſint obligata *d. l.* 2. quia ceſſio foret damnoſa creditori. Cedenda etiam contra alios qui unà confidejuſſerunt, *leg.* 17. *& l.* 36. *ff. eod.* Idque ex æquo & bono cum fidejuſſori ea res proſit, creditori non noceat, *l.* 2. §. 5. *verſ. quanquam ff. de aqua pl. arc.*

Quo pertinet quod *in d. l.* 2. *h. t.* traditur creditorem qui pro eodem debito pignora & fidejuſſorem accepit, teneri in fidejuſſorem ſolventem transferre pignora, quia videlicet hæc ceſſio ipſi nihil nocitura ſit, diverſum vero eſſet ſi eadem pignora in aliam ſummam, vel in aliud quam à fidejuſſore diſſolvitur debitum, ſint obligata. Nam tunc quia creditor pignora cedere non poteſt, quin in illam ſummam amittat pignorum perſecutionem, rectè placet creditorem non prius compellendum eſſe pignora transferre, quam omne debitum, & omnis pecunia, ac ſic etiam ea, pro qua non fidejuſſit, à fidejuſſore exſolvatur. Donellus ad *d. l.* 2. Modeſt. Piſtor. *p.* 2. *q.* 1. Phil. Deciſ. 204. 36

Quæritur an poſſit hæc ceſſio peti poſt ſolutionem? Quantum ad debitorem non eſt neceſſaria hæc ceſſio fidejuſſori, quod illi ſit conſultum actione mandati, vel negotiorum geſtorum, ut infra dicetur. Poterit tamen ſi velit dum ſolvit petere *per Novel.* 4. §. 1. *in fin.* etiam contra invitum cum omnino debeat ſuſcipere actionem debitor, eamque tenetur cedere creditor, *d. l.* 2. *h. t.* ita poſtulante æquitate. Poſt ſolutionem non videtur ceſſio tenere, quia nulla ſupereſt actio quæ cedatur, *l.* 76. *ff. de ſolut.* utpote debitore jam liberato, ut extinctæ etiam ſint acceſſiones, *l.* 43. *ff. d. t.* Quia tamen tanquam fidejuſſor ſolvit ſuo nomine ex ratione mandati ipſo jure non liberat reum, ut videatur poſtea petere poſſe contra eum ſibi cedi actiones, *l.* 28. *ff. mandati.* Non obſtat *d. l.* 76. quia loquitur de pluribus tutoribus quorum unus ſolvendo liberat reliquos, uti jam dicetur. * Quantum ad pignorum poſſeſſores & alios fidejuſſores fruſtra contra eos petitur actionum ceſſio poſt ſolutionem, nam numerato eo quod debetur, cenſetur extincta principalis obligatio, quoad ipſum creditorem, ut fidejuſſio aliorum tanquam acceſſoria ceſſet, nam qui ſemel ſunt liberati, inviti in obligationem reduci nequeunt, quo modo *in d. l.* 76. dicitur nihil agi cedendo poſt ſolutionem, cum nulla actio ſuperfuerit, quæ ſi aliqua ſupereſt, vel foret mandati, de qua non patet, vel negotiorum geſtorum, quæ eſſe non poteſt, quod non tam alienum, quam proprium negotium ſit geſtum, cum uti dictum ſupra ipſe fidejuſſor de jure in ſolidum ſit obligatus. Nec obſtat quod per ſolutionem unius contigerit & aliorum liberatio, hoc enim non quia id actum ex officio geſtionis, ſed per conſequentiam tantum ex natura actus, ut non veniat conſiderandum, *Gloſſ. in l.* 30. *verb. qua actione ff. de neg. geſt.* Niſi tamen initio ſolutionis convenerit de

(Right margin numbers: 37 beside "Quæritur an poſſit…"; 38 beside "Quantum ad pignorum poſſeſſores".)

de cedendis actionibus, quia conventio iſta facit non tam eſſe peremptas actiones per ſolutionem, quam venditas, *d.l.76.*

39 In mandatore qualis eſt qui mandat credi, aliud juris eſt, quod ſcilicet & poſt ſolutionem poſſit petere ſibi cedi actiones, ex eo quod non ſit liberatus ipſe principalis ejus ſolutione, *l.31.in pr.ff.de pet.her.* cum ſolverit proprio nomine ex cauſa ſui mandati, non etiam nomine debitoris, *d.l.28.* Imò neceſſaria eſt huic ceſſio, quoniam ex propria perſona nullam habet actionem contra debitorem, atq; ita in damno moraretur, ſi per ceſſionem ei non ſubveniretur. Late Donellus de hac materia *ad l.11. C.h.t.* Intereſt itaque mandatoris poſt ſolutionem, cedi ſibi actiones & pignora, quæ creditor habuit. Quod ſi autem creditor ſine pignoribus pecuniam crediderit, cum non aliter mandator credi conſenſerit, recte hic actionem adverſus ſe recuſabit, præſertim cum deficiat conditio mandati, & creditoris culpa factum ſit, quo minus pignora illi cederet. *l.7.h.t.*

40 Sed videamus quatenus creditor teneatur præſtare actiones contra alios fidejuſſores, in ſolidumne an pro parte? Cum enim jura loquantur indiſtinctè, dicendū videbatur, eatenus cedendas eſſe actiones, quatenus ſunt apud creditorem, ſic ut poſſit fidejuſſor cui actiones ceſſæ ſunt in ſolidum alios convenire. Verum non fert & æquitatis ratio, ut quis ejus portionis pro qua ipſemet propria obligatione obſtrictus fuerat ceſſionem impetret, atque id quod ipſe ſemel liberaturus ſolvit, ab alio repetat, qui eſt in pari cauſa. eſt enim pro regula traditū ejus quod quis proprium debitum agnoſcendo ſolvit, actionem adverſus alium cedendam non eſſe, Bart. *ad d.l.76.n.9.* Poteſt autem iſta actionum ceſſio peti etiam ab eo qui renuntiavit beneficio diviſionis; nam ea renuntiatio tantum ſpectat commodum creditoris, ut non cogatur dividere actiones, non etiam ipſos fidejuſſores inter ſe. Piſtorius *parte 1.quæſt.jur.cap.48.num.6.& 8.*

41 Actionibus ceſſis & ſolutione facta, habet fidejuſſor actionem mandati contra debitorem, ſi pro mandante vel præſente fidejuſſerit, *l.6.ſupr.mand.* vel negotiorum geſtorum ſi pro abſente vel ignorante, *l.1.& 2.ſup. de negot.geſt.* contra eos qui una fidejuſſerunt pro rata & pignorum poſſeſſores, *l.2. 11.& 14.h.t.* ad conſequendum debitum & omne damnum, ne officium ſuum ſit damnoſum, *c.2. ꝟ. eod.* niſi vel pro invito fidejuſſerit, quia videtur donaſſe, *l. fin. ſup. de negot.geſt.* vel ipſi imputari poſſit, quod exceptione non ſit uſus contra creditores,
42 *l.10.ſup.mandati.* * Ante ſolutionem fidejuſſori non eſt actio quod needum mandatum peregerit, aut negotium geſſerit, niſi tamen vel jam ſit condemnatus, quia ſententia habet paratam executionem, *l.56.ff. De re jud.* vel ipſe reus ad inopiam vergat bona ſua dilapidando, quia æquum eſt ut ſibi provideat fidejuſſor, vel ſolutionem diu protrahat, *c.fin. ꝟ. h.t.* quando autem diu protrahere ſit dicendus ſolutionem, eſt in arbitrio judicis, uti tradit Menochius *2. arbitr. caſ.41.* Adde ſi conventum fuerit inter reum & fidejuſſorem, quod etiam ante ſolutionem poſſit fidejuſſor conveniri.

Atque hæc de fidejuſſionis effectu, quem con- 43
tingit ceſſare, omni eo caſu, quo principalis obligatio ceſſat, veluti per debiti ſolutionem, *l.15.§.1. h.t.* acceptilationem, pactum de non petendo & aliam exceptionem realem, aliamque ſatisfactionem, præſcriptionem, *l.37.ff.h.t.* per litteras dilatorias à Principe impetratas, quas fidejuſſori prodeſſe ſupra docui *per l. 4. Tit. de precib. Imp.off.num.8.* Item ſi cum falſo putaret ſe fidejuſſiſſe, cavit ſe pecuniam ſoluturum & à creditore conveniatur, doli mali exceptione defenditur: ſed etſi non conveniatur, ultro agere & liberationem condicere poteſt, *d.l.15.in pr.h.t.* Item per novationem legitimè perfectam liberabitur fidejuſſor, cum per illam extinguatur prior obligatio & nova ponatur, pro qua nō intervenit. Secus ſi pro nova obligatione interveniſſet, *l.4.h.t.* Per ſucceſſionem quoque contingit liberatio, ſive debitor ſuccedat creditori, ſive creditor debitori, cum pro eodem apud eundem non intercedatur. Idem erit ſi fidejuſſor extiterit hæres debitori, quem tunc tantum ut hæredem teneri ſuprà *dixi num.14.* Denique per mortem rei, quem judicio ſiſti fidejuſſor promiſit, liberabitur, modo intra tempus quo ſiſti debuit reus mortuus fuerit, *l.26.verſ. niſi intra h.t.* ubi notandum pœnalem ſtipulationem evaneſcere mortuo reo.

Supereſt ut proponamus modos quibus fidejuſ- 44
ſor non liberatur. Et certum eſt eum non liberari ceſſione debitoris, quia per eam non extinguitur principalis obligatio, ſed tantum conceditur beneficium competentiæ, quod eſt perſonale, & competere fidejuſſori nequit, qui in eum caſum eſt acceptus quo contingeret principalem non eſſe ſolvendo. Confiſcatione quoque omnium, vel partis bonorum debitoris minimè fidejuſſorem liberari conſtat ex variis hujus Tit.Conſtit. *in l.1.& 15.§.1.& l.20.* durat enim principale debitum per fiſcum, qui in bona rei ſucceſſit, atque ita durat & acceſſoria obligatio; prius tamen excutiendus erit fiſcus, *d.l.1.* quæ licet loquatur de eo qui exulare juſſus eſt, & exilium propriè ſignificet deportationem, *l.2.ff. De publ. jud.* accipienda tamen de relegato, qui jura & bona omnia retinet, *l.4.& 5.ff. De interd. & releg.* niſi ſententia ſpecialiter adempta fuerit & in fiſcum translata, *l.8.C. De pœnis.*

Quæritur an fidejuſſor prorogatione termini li- 45
beretur? Diſtinguo, aut fidejuſſor ſimpliciter abſque præfinitione termini datus eſt, & is per prorogationem ſe inſcio factam non liberatur. Quia fidejuſſor ſimpliciter datus, intelligitur ad omnem

nē cauſam & caſum datus, donec creditori planè ſatisfactum ſit, *l.* 54. *ff. locati l.* 56. *§.* 2. *ſub fin. ff. h. t.* Quomodo non minus in ſecundo, quam in primo termino fidejuſſor tenetur, ſive pure, ſive ad certum definitumve tempus ſe obligaverit, cum iſta temporis adjectio non ſit modus inducendæ, aut finiendæ obligationis, ſed ſolum definiat atque exprimat terminum intra quem fieri debeat ſolutio, *l.* 44. *§. placet ff. de obl. & act.* Igitur ut ſolutionis prorogatio non facit finiri obligationem, ita nec fidejuſſoriam, aliàs enim daretur occaſio per prorogatam ſolutionem fraudandi creditorem ſua ſecuritate. At verò ſi inter contrahentes tempus eſt adjectum limitandæ vel tollendæ obligationis cauſa, juris ratio non patitur ut ultra id tempus fidejuſſor teneatur exemplum eſt *in l.* 7. *ſup. De locato*: ubi cum quis conduxit vectigalia ad quinquennium dato fidejuſſore, hic non tenetur ſi ultra quinquennium protracta fuerit conductio, niſi de novo conſenſerit, neque enim factum ſeu conventio debitoris nocere debet fidejuſſori, qui non conſenſit, *l.* 13. *§.* 11. *ff. locati.* ubi pignora quidem manent data ab ipſo reconducente, non etiam à tertio niſi ipſe conſenſerit, *Mynſing. cent.* 6. *obſ.* 53. And. Gail. *lib.* 2. *obſ.* 30. *n.* 11. Fach. *lib.* 2. *contr. c.* 89. *& lib.* 12. *c.* 30.

46 Planè neque mora creditoris, in excutiendo debitorem (qui interim factus eſt non ſolvendo) nocebit fidejuſſori, cum ille de ſe queri debeat, quod cum potuerit tempeſtive non excuſſerit reum: ſecus eſt ſi creditori imputari mora nequeat, aut illum non admonuerit fidejuſſor, ſciens debitorem evaſurum, vel futurum non ſolvendo, *l.* 41. *ff. h. tit.* Gomez. *tom.* 2. *var. cap.* 13. *num.* 9.

47 Porrò lapſu temporis, quamvis longum ſit, non liberatur fidejuſſor, *l.* 25. *h. t.* Excipe primò longiſſimum tempus triginta annorum, cujus temporis exceptio cuivis perſonali obligationi nocet, *l.* 3. *&* 7. *ſup. de præſc.* 30. *vel* 40. *annor.* Excipe ſecundò fidejuſſorem judicio ſiſtendi cauſa datum, qui ſi ſine ſcriptis caveat, duobus menſibus elapſis liberatur, niſi ad longius tempus caverit. Cum autem apud acta cavet, ſiquidem in privata cauſa, intelligitur fidejuſſio ſine ſcriptis facta, adeò ut dicti temporis lapſu liberetur: ſi verò in cauſa publica, cenſetur in ſcriptis caviſſe, adeò ut perpetuo teneatur, *l. pen. h. t.*

48 Cæterùm non poterit agere fidejuſſor ut liberetur qui promiſit judicatum ſolvi, niſi poſt rem judicatam debitor condemnatus ceſſet, & negligat ſatisfacere. Eoque pertinet *l.* 38. *ff. mandati*, ut ſi reus diu in ſolutione ceſſavit vel creditor in exigendo debito, fidejuſſor ad liberationem agere poſſit: ut quia fortè creditor cum debitore colludit, & cogitat ſibi ſatis eſſe proſpectum per idoneum fidejuſſorem, aut ſi debitum ſit uſurarium, & creditor ob lucrum differat exigere. Gomez *d. c.* 13. *n.* 10. Gail. *lib.* 2. *obſ.* 29.

Tom. II.

Hæc quæ hactenus docui de fidejuſſoribus, maxima ex parte accommodantur etiam mandatoribus, de quibus Juſtinianus hoc generaliter conſtituit, ut uno electo, atque lite cum eo conteſtata, alter non liberetur, ut nec electo principali reo: Neque etiam vult ipſum reum debendi liberari, fidejuſſoribus electis, & æquè idoneis oblatis, vel uno ex illis, niſi ſatisfiat creditori ſolutione, vel alio modo, alioquin creditori manet jus integrum, *l. ult. h. t.* Idem dictum ſupra per *l.* 23. *h. tit.* creditorem non prohiberi quo minus conveniat pro parte nondum ſoluta cæteros mandatores, vel confidejuſſores, de quibus pro inſtituto dictum ſatis. 49

TITULUS XLII.

De novationibus & Delegationibus.

1. *Continuatio, & quid ſit novatio explicatur.*
2. *Dividitur in voluntariam & neceſſariam.*
3. *Novatur obligatio purè, in diem & ſub conditone contracta.*
4. *Qui novare poſſint vel non, & quid de procuratore creditoris?*
5. *Quibus modis fiat novatio?*
6. *Hodie facta non creditur niſi partes expreſſe dicant ſe novare.*
7. *An non hodie per conjecturas introduci poſſit?*
8. *Effectus novationis voluntariæ, & neceſſariæ.*
9. *Quid ſit delegatio & quomodo fiat?*
10. *Cur non ſit neceſſe ut delegans ſtipuletur à debitore, hic tamen non aliter quam ſtipul tione obligetur.*
11. *Invitus nemo delegatur. eoque differt delegatio à ceſſione & venditione actionum.*
12. *An expreſſe fieri debeat deleg tio, uti & novatio.*
13. *Effectus delegationis quod non poſſit delegatus à delegante conveniri.*
14. *Cur creditor chirographarius non poteſt debitorem ſui debitoris convenire?*
15. *Exceptiones quæ poterant deleganti opponi ceſſant in perſona creditoris cui delegatus eſt.*
16. *Idem eſt in exceptione Maced, quæ filioſ. datur.*
17. *Diverſum in muliere delegata a creditore ſuo quæ ſe exceptione Vellej. tuetur. Idem in minore qui circumſcriptus delegatur: & marito.*

NOn minus *novatio* & *delegatio* requirunt ſtipulationis adminiculum, quam fidejuſſio: accedit etiam ad ordinem quod novatio & delegatio ſint modi mixti obligationum tam inducendarum, quam tollendarum, ut idcircò inter ſtipulationes & ſolutiones medium teneant locum. *Novatio* à nova obligatione nomen accepit, * eſt autem prioris debiti in aliam obligationem transfuſio atque translatio, *l.* 1. *ff. h. t.* Dico prioris debiti, intellige ſive illud 1

ſit naturale, ſive civile, ſive honorarium, item ſive obligatio prior re, ſive verbis, ſive conſenſu contracta ſit. Dico in aliam obligationem, quia novatio non ſolum priſtinam obligationem tollit, ſed & novam conſtituit, ſit autem civilis, vel naturalis obligatio non intereſt. quia ad hoc ut prior perimatur, ſufficit quod ſequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter, ut puta ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit. Dicitur transfuſio, quia novationis finis non eſt perimere omnino obligationem, ſed tantum mutare, unde neceſſe eſt aliam ſubeſſe. Nulla ſi ſubſit obligatio, non poteſt videri facta novatio.

Eſt autem duplex nempe voluntaria & neceſſa-
2 ria. Voluntaria per ſtipulationem fit: Neceſſaria per judicium. *l.29.ff. eod.* quia ſtipulatio eſt inter conſentientes, judicium verò redditur in invitum *l. 83. §.1. ff. De verb.oblig.* Eſt ergo neceſſitas ex parte rei, quin etiam ex parte actoris, quatenus aliter ſuum conſequi non poteſt, *l.ult. ff. De ſeparat.* Hæc neceſſaria novatio quæ fit per judicium, duobus modis fit, vel per litis conteſtationem, vel per ſententiam. Per litis conteſtationem novatio fit, cum is, cui debitor delegatus eſt, vel cui mandatæ ſunt contra aliquem actiones, contra eum judicio agit, *l.3. h. t. & l.11.§.1. ff. eod.* Per ſententiam fit novatio, cum debitor à ſuo creditore conventus condemnatur; facit enim ſecuta condemnatio actionem priſtinam converti in actionem judicati. Hinc Juſtinianus *in l. ult. Cod. De uſur. rei jud.* dicit judicati actione novari priorem contractum, & alterius modi uſuras deberi poſt ſententiam, quam ante ex priſtino contractu debeantur, ſemel enim cauſa tranſire videtur in condemnationem, & inde pecunia deberi. *l.16. §.6. ff. De pignorib. & hypoth.*

Novatur obligatio non tantum pure contracta,
3 verum & in diem, *l.5. & l.8.§.1.ff.h.t.* & ſub conditione, non ante tamen quam conditio prioris obligationis extiterit, novatio effectum habet, nam ea non eveniente ab initio nulla eſt, utpote deficiente materia, quam ponit præcedens obligatio. Nec conſtituta tantum & præſens, verum & futura obligatio, novatur, *d.l. 8. §.2.* veluti ſi à Sejo novandi cauſa ſtipuler, quod à Titio ſtipulatus fuero, eodemque tempore & naſcetur & novabitur obligatio.

Novare poteſt quilibet creditor qui ſui juris eſt,
4 aut alius ejus juſſu, *l. 10. ff. h. t.* is quoque cui rectè ſolvitur, excepto eo ſi mihi aut Titio ſtipulatus ſim, nam Titius novare non poteſt licet rectè ei ſolvatur, *l. 10. ff.h.t.* His qui in noſtra poteſtate ſunt rectè interdum ſolvitur quod crediderunt, novare tamen non eſt permiſſum, *l. 16. & 25. ff. eod.* Hinc cui bonis interdictum eſt, novare obligationem ſuam non poteſt, niſi meliorem conditionem ſuam fecerit. *l.3. ff. eod.* quo caſu non indiget curatoris auctoritate. Idem dicendum de pupillo, qui licet novare non poſſit, tutore tamen auctore poteſt, ſi hoc pupillo expediat, *d.l.20.§.1. & l.fin.§. 1.ff.eod.* Quid de procuratore creditoris? certè ſi omnium bonorum procurator ſit conſtitutus, libera ei novandi cenſetur data poteſtas, *d.l.20.§.1.* Alias ſi ad exigendam tantum pecuniam datus ſit, neque novare, neque debitorem non ſolventem, aut pro qua parte non ſolvit, liberare poterit, *l.4.h.t.* quia non licet ei contra mandatum quicquam facere, aut ejus fines excedere, *l.10. ſup. De procur.*

Variis autem modis fit novatio obligationis, 5
cum prius debitum transfunditur, aut transfertur in aliam obligationem, cum ex præcedendi cauſa ita nova conſtituitur ut prior perimatur, ut puta interventu novæ perſonæ creditoris, vel debitoris, aut utriuſque; vel mutata cauſa debendi, aut facto novo chirographo priori amiſſo, quamvis nec perſona, nec cauſa obligationis mutata ſit.

Quæſtio facti erat, an contrahentes id egiſſent, 6
ut novatio fieret, ut puta correo debendi poſtea adjecto obligationi, pignore, aut fidejuſſore poſtea accepto, aucta, vel diminuta quantitate debita, conditione, tempore, pœna adjecta, vel detracta, namque ſufficiebat ſolus novandi animus, iſque etiam tacitè colligebatur, ex circumſtantiis, ex præſumptione & conjectura voluntatis contrahentium, *l. 2. 8. & 9. ff. h.t.* Sed cum variæ ea de cauſa inciderent de illorum voluntate dubitationes, & in obſcuro plerumque poſitum eſſet, quam contrahentes mentem habuiſſent, induxit Juſtinianus veteris juris emendationem, nec aliter deinceps novationem factam intelligi vult, quam ſi contrahentes *remiſerint priorem obligationem, & hoc expreſſerint* ſe ab illa omnino recedere, & novam obligationem conſtituere alioqui & manere priſtinam & ſecundam ei accedere, ita ut ſit integrum creditori uti qua velit, *l. ult. h. t.* cujus mentio fit *in §. præterea in fin. Inſtit. quib. modis tol. obligat.* Non movet quod plura ſint juris veteris loca, quæ requirunt, ut exprimatur in ſtipulatione animus novandi, ſpecialiter, *l.58. ff. De verb. obl. l. 31. in fin. ff. h. t.* nam id tribuendum eſt Triboniano, qui iſtis locis interpoſuit, ea, quæ poſtea demum fuere ſtatuta. Ant. Faber *lib. 3. conjectur. cap. 3.*

Sunt nihilominus ex Interpretibus recentiores 7
aliqui, qui opinantur, conjecturis, & argumentis neceſſariis, ac evidentibus jure hodierno induci novationem, cum non interſit verbis, an facto quis voluntatem ſuam declaret, videaturque ſatis id expreſſum, quod ex veroſimili contrahentium voluntate reſultat, ut inſinuat Imp. *in fin.d.l.ult.* voluntate ſolum eſſe, & non lege novandum, etſi non verbis exprimatur. Quaſi velit ſufficere ut ex natura rei ſeu cauſæ novatio inſit, licet verba extrinſecus non ſuperveniant. Exemplis hanc ſententiam confirmat

Digitized by Google

mat Fachin. *lib.* 3. *cont. c.* 92. eamq; in praxi receptam obſervat Gail. 2. *obſ. cap.* 30. *n.* 4. Ego tamen puto alienam eſſe à mente Juſtiniani, cui non eſt ſatis quod de voluntate contrahentium conſtet, ſed oportet ut illi *hoc expreſſerint* nominatim ſe ſecundam pro prima eligere, & proinde quod Imp. ait voluntate, non lege novationem introduci, non eſt intelligendum, ut ſufficiat per conjecturas de voluntate conſtare, quia hoc admiſſo inania prorſus ſunt prędicta verba, multum enim illa differunt, per conjecturas conſtare de animo novandi, & partes remittere ſpecialiter priorem obligationem, exprimendo ſe ſecundam pro prima eligere.

8 Effectus novationis eſt priſtina ſublata obligatione novam inducere, ubi & ſimul acceſſoria priſtinę obligationis tolluntur, veluti pignora, fidejuſſores, niſi ſint repetita, curſus uſurarum ſiſtitur, *l.* 4. *ſup. De fidejuſſ. l.* 18. *ff. h. t.* impeditur & pœnæ commiſſio *l.* 15. *ff. h. t.* quod receſſum ſit à priore obligatione, cui pœna erat ſubjuncta, & hoc ita in novatione voluntaria procedit, ſi aliter non ſit conventum, *l. uni ſup. etiam ob chirogr. pec. pig. retin.* non etiam in neceſſaria, quia per eam non tam deteriorē, quam meliorem facit ſuam conditionem actor, *l.* 29. *ff. h. t.*

9 Altera rubricæ pars eſt de *Delegationibus*. Eſt autem delegatio novationis ſpecies, cum creditori meo vice mea reum delego, *l.* 11. *ff. h. t.* Idque fit dupliciter per ſtipulationem & litis conteſtationem. Per ſtipulationem, puta cum debitor meus creditori meo, vel alij cui juſſerim rem mihi debitam promittit; quorum omnium requiritur conſenſus, *l.* 6. *h. t.* Per conteſtationem fit delegatio, ſi quis pro reo convento judicium ſubeat & litem conteſtetur, non invito actore: Igitur qui cedit actiones ſuas vel delegat debitorem ſuum creditori, prius debet jure novationis delegatione facta, liberari ſtipulatione. Quamvis enim inquit Gordianus, creditori tuo adverſus eum ſolutionis cauſa, mandaveris actiones, tamen antequā lis conteſtetur, vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denuntiaverit, exigere à debitore debitam quantitatem non vetaris, & eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere, *l.* 2. *&* 3 *in princ. h. t.* quia remanet adhuc actio penes mandantem, ſeu delegantem, neq; enim incorporalia, qualia ſunt jura, facile à domino ſeparantur, vel non tam facile quā corporalia.

10 De legatis qui novat, *l.* 15. *ff. De ſolut.* Delegari vero poteſt vel debitor ipſius delegantis, *d. l.* 3. vel non debitor, ut quia delegans ei promiſit indemnitatem, *l.* 5. *h. t.* Delegans quomodo voluntatem ſuam declarat parum refert, nam delegare ſcriptura vel nutu debitorem ſuum poteſt, *l.* 17. *ff. h. t.* At delegatus debitor ſtitulatione obligare ſe debet ſecundo creditori cui delegatur, *l.* 1. *h. t.* Cur in hoc neceſſaria ſit ſtipulatio, non autem in illo, ratio eſt, quod in illo tantum ſit mandatum, quod nudo fit conſenſu; in hoc nova promiſſio eſt neceſſaria, quæ jure civili nudo pacto vel conſenſu non parit obligationem.

Delegationem debiti niſi conſentiente & ſtipulanti promittente debitore, jure perfici non poſſe reſcribit Alexander Imp. *in l.* 1. *h. t.* At quid ſi creditor creditori ſuo deleget debitorem, an non hunc ſaltem poterit invitum delegare? Et placet nec hoc quidem eum poſſe, *d l.* 6. *h. t.* Et recte, non eſt enim delegatio, niſi delegato promittente, nemo autem promittit per ſtipulationem invitus, & hoc differt delegatio à ceſſione & venditione actionum, quæ etiam ignorante eo, adverſus, quem actiones mandantur, contrahi ſolet, *d. l.* 1. quia nova obligatione hic non implicatur debitor, ſed tantummodo veteris obligationis ſolutionem & exactionem creditor alteri mandat, *l.* 3. *h. t.* quod invito etiam debitore fieri poteſt, iſque qui actionem redemit, ſive ſit perſonalis, ſive realis, ſuo nomine exercere eam poteſt *l. fin. ſup. De hered. vel act. vend.* & eodem jure, ac qui ceſſit, utitur, demptis privilegiis perſonalibus, quæ à perſona cedentis non transferuntur in ceſſionarium, ut ſi pupillus vendat nomina, quia privilegium perſonæ, non cauſæ datur, *l.* 33. *ff. h. t. l.* 42. *ff. De admin. tutor.* 11

Quæſitum eſt, Utrum delegatio debeat fieri hodie expreſſim ſecundum *l. ult. h. tit.* Et magis eſt quod non, cum *d. l. ult.* ſe fundet in ambiguitate, quæ olim ex eo oriebatur quod ſæpe non conſtaret de animo contrahentium, an novare vellent, qui quidem animus hac in parte ſatis indicatur, cum creditori delegatur debitor, qui eidem promittit ſtipulando ſe eidem ſoluturum. 12

Cæterùm delegationis effectus, planè idem eſt qui novationis, eſt enim delegatio pro juſta præſtatione, *l.* 51. *in fin. ff. De peculio*, & ſolutionis vicem, obtinet, *l.* 8. §. 3. *ff. ad Vell* quæ obligatio ſemel extincta non reviviſcit, *l.* 98. §. 8. *ff. De ſolut.* Nec amplius poteſt dirigi actio, adverſus debitorem, qui ſuum debitorem creditori delegavit, ſed adverſus delegatum novatione facta, *l.* 2. *h. t.* Nec quicquam facit quod delegatus poſtea appareat non ſolvendo, *d. l.* 3. §. 1. quia bonum nomen creditor accepiſſe videtur, qui eo contentus fuit, idque ipſum quale initio obligationis fuit ſecutus eſt, ut ejus periculo id nomen ſit, niſi tamen periculo debitoris ab ejus debitore ſtipulatus fuerit, tunc enim pecuniæ, quæ à delegato ſervari non potuit, exactio eſt ſalva. *l.* 45. *Paragrapho pen. ff. mand.* 13

Notandum tamen in delegatione, delegatum à debitore, fruſtra conveniri à creditore chirographario, niſi ille delegatus conſtituerit ſe ſoluturum nomine ſuo, & ita novaverit: quia creditor debitorem debitoris ſui actione perſonali, convenire non poteſt, ſine conſenſu ejus debitoris, qui debitori debet, *l. pen. h. t.* Quo pertinent juris regulæ, ut non detur actio in perſonam, niſi adverſus eum qui 14

nobis obligatus eſt, *l. 25. ff. De oblig. & act.* debitor autem debitoris mei non eſt mihi obligatus.

15 Eſt & ille delegationis effectus, quod exceptio, quam poterat deleganti opponere delegatus, ceſſet in perſona creditoris, cui eſt delegatus, cujuſmodi eſt exceptio doli. Itemque in cæteris ſimilibus exceptionibus quæ dantur ejus cauſa cum quo agitur, uti pacti conventi, rei judicatæ, quod metus cauſa, jurisjurandi, *l. 19. ff. h. tit.* rationem ibi hanc ſubjungit Paulus, quia in privatis contractibus & pactionibus non facile creditor ſecundus ſcire poteſt, quid inter eum qui delegatus eſt & delegantem actum ſit, aut etiamſi ſciat, diſſimulare debet, ne curioſus videatur.

16 Extenditur id ipſum ad exceptionem quæ ex ſenatuſconſulto filiofamil. datur, nam adverſus creditorem cui filiusfamil. delegatus eſt ab eo, qui mutuam pecuniam contra ſenatuſconſultum dederat, non utetur exceptione, quia ſecundus iſte creditor ſcire non potuit qua ex cauſa deberet, & quia nihil in ea promiſſione contra ſenatuſconſultum fiat, cum ſecundus creditor pecuniam filiof. non credat, ſed quam alij credidit à filiofamil. ſibi reddi ſtipuletur. Ubi non rectè objicietur *l. 7 § 6. ff. ad S.C. Maced.* ubi non ſolum ei qui ſtipulatus eſt, ſed & ſucceſſoribus ejus denegatur actio, cum agatur de eo qui eadem eſt perſona cum creditore, ejuſque nomine ſtipulatur, cum quo non eſt eadem perſona ſecundus creditor qui ſibi, non alij ſtipulatur.

Diverſum eſt in muliere, quæ contra ſenatuſconſultum Vellejanum pro alio interceſſit. Illa namque ſi delegata ſit à creditore ſuo, ſe ſua exceptione tue-
17 bitur contra ſecundum, *d. l. 19. §. diverſum.* Etenim apud ſecundum creditorem videtur intercedere, ideò ſenatus ejus interceſſionem infirmat *l. 8. §. 2. ff. ad S.C. Velleſ.* Idemque eſt in minore, qui ſi circumſcriptus promiſerit, delegatus ſe tuebitur exceptione adverſus eum cui delegatus, quod duret circumſcriptio, *d. l. 19. §. Idemque.* Marito quoque priori id tributum, ut ſi poſt ſolutum matrimonium, alij in dotem cujus eſt debitor delegetur, à muliere, cæteris dumtaxat, quatenus ſalva dignitate facere poteſt teneatur, *l. 32. ff. ſol. matr.* nam ſubeſt idem inconveniens in hac delegatione quod ante fuit.

TITULUS XLIII.

De Solutionibus & Liberationibus.

1. *Continuatio, & quid ſit ſolutio.*
2. *Solvit non tantum is qui debet ſed & ejus hæres, & procurator nomine debitoris.*
3. *Maritus pro uxore, & vice verſa, uxor pro marito ſolvere non tenetur. Quid de conſuetudine?*
4. *Cui fiat ſolutio & alij quam creditori. Item adjecto, rectè ſolvitur.*
5. *An etiam ſervo creditoris rectè ſolvatur?*
6. *An creditori creditoris facta ſolutio, inducat ipſo jure liberationem?*
7. *Reo criminis num ſolvi poſſit?*
8. *An aliud ſolvi poſſit, quam quod creditori debetur?*
9. *Lucrum ex reſoluta factum à creditore, non avocatur. Nec fundus in ſolutum datus repetitur poſt meliorationem.*
10. *An creditori invito ſolvi poſſit debitum per partes?*
11. *Quid ſi integrum debitum recepiſſe caverit, nec id acceperit niſi pro parte.*
12. *Solutio facienda modo, & loco convento, niſi ex juſta cauſa, alio loco ſolvatur.*
13. *Solutio ante diem adjectum an fieri poſſit?*
14. *Quomodo ſolutio probetur.*
15. *Chirographi redditio, vel poſſeſſio, vel cancellatio quid operetur?*
16. *Item Chirographo reddito, cum ſubſcriptione procuratoris quod nihil creditoribus debeatur.*
17. *Effectus ſolutionis eſt, quod per eam tollatur obligatio nec amplius ſuſcitetur.*
18. *Non revocatur quod ſemel ſolutum, niſi à minore læſo, vel majore decepto ultra dimidium.*
19. *Quid juris ſi debitor ex diverſis cauſis tenebatur?*

POſteaquam tractatum eſt de novatione, qui eſt 1
modus tranſferendæ obligationis, ſupereſt ut de ea omnino tollenda dicamus. Tollitur, cum debitor liberatur, ut ſolutione, acceptilatione & aliis modis. *Inſtit. quib. mod. tol. obl.*

Solutio eſt naturalis præſtatio, ejus quod debetur, ſive pecunia debeatur, ſive alia res, ſive etiam factum. Eaque ſpeciatim ſolutio eſt, generatim autem ſolutio pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam *l. 49. ff. h. t.* In qua ſpectamus quis, cui, rectè ſolvat, quid & quantum ſolvendum ſit, quomodo, quo loco, quo tempore ſolutio fieri debeat, tum etiam quis ſolutionis ſit effectus.

Regulariter debitor ipſe debita quæ contraxit ſol- 2
vere tenetur, eo autem defuncto ſolvendi neceſſitas incumbit debitoris hæredi, ut qui in omne jus defuncti ſuccedit. Et quidem in arbitrio eſt hæredis primo venienti creditori ſolvere & reliqui creditores ſibi imputare debent, quod ipſi non vigilarint, nec ab alio concreditore ſuo ſolutum repetere poſſunt, *l. 22. §. & ſi præfatam Cod. de jure delib.* Item pro debitore rectè ſolvit procurator, vel alius quivis, modò non ſuo, ſed debitoris nomine ſolvat: Nam à quocunque debitum ſolvatur, etiam invito & inſcio debitore contingit liberatio, *l. 17. h. t.* cui cavetur magis, quam obligationi, *l. 47. ff. De obl. & act.* ut non obſtet juris regula, qua dicitur invito beneficium non dari *l. invito 69. ff. De Reg. jur.* quia hoc beneficium liberationis, non tam pendet

Digitized by Google

pendet ex voluntate liberati, quam ex voluntate creditoris, cum quo magis quam cum debitore negotium geſtum eſſe videtur, utpote, qui diſtrahere poſſit nomen ſeu obligationem invito debitore, *l. 3. ſup. de hær. & act. vend.* Attamen nulla huic pro alio invito ſolutionem offerenti actio competit, adverſus extraneum creditorem, qua eum poſſit cogere, ut ſibi jus obligationis cedat quod adverſus debitorem habet, niſi jus iſtud. ſive nomen, à creditore emerit, *l. 5. h. t.* Alia eſt cauſa procuratoris omnium bonorum, qui mandati actionem habet, quamvis dominus ſolutionem ratam non habeat, *l. 87. ff. h. tit.* Si tamen procurator meus pecuniam meam quam pro me, ut creditori meo, pro me ſolveret, acceperat, non nomine meo, ſed ſuo potius dederit, ea ſolutione non liberor, *l. 17. ff. h. tit.* Rectè igitur in *d. l. 5.* dicitur nomine debitoris, nam alioqui ſolutio eum non liberaret, & poſſet qui ſuo nomine ſolvit, quaſi ipſe deberet ſolutum repetere, quod non poſſet, ſi pro debitore ſolviſſet, *l. 8. 19. §. 1. & 44. ff. De condict. indeb.* præterea ut ſolutio liberationem inducat, facienda eſt ab eo qui licentiam habet res ſuas adminiſtrandi & diſtrahendi, quam non habet pupillus, furioſus, prodigus, qui ſi ſolverint forte, ſolutum vindicari poſſe palam eſt, *l. 14. in fin. & l. 15. ff. h. t.* Servus cui periculum eſt conceſſum rectè ſolvit, cum & rectè mutuum det, ex tacita conceſſione ſui domini, *l. 32. & 35. ff. eod.*

3 Cæterùm uxor marito, aut maritus pro uxore non tenetur debita exſolvere, *Tit. C. ne uxor pro mar.* etiamſi contra ſint alimentorum cauſa Gravæus *l. 1. pract. obſ. 90.* de conſuetudine verò receptum videmus, quod uxor mariti & maritus uxoris debita ſolvere teneatur, ut obſervat Gail. 2. *pract. obſ. 90.* maximè ubi uterque communem negotiationem maritus pecuniam, vel merces non accepit vel comparavit, ſed ad ſuam tantùm utilitatem contraxit, quod tunc uxor pro marito non teneatur, quia creditum in communem negotiationem verſum non eſt, *l. 82. ff. pro ſocio.*

4 Creditori ipſi, utiq; majori & ſanæ mentis rectè ſolvitur, & cui creditor hoc nominatim mandaverit, uti etiam verò procuratori, cui res omnes adminiſtrandæ mandatæ ſunt, adminiſtrationis enim verbo, tacitè exactio pecuniæ conceſſa videtur. Solent quandoq; alij ſolutionis gratia, in contractibus adjici, creditori quod accidit cùm creditor ſibi, aut Titio ſolvi ſive dari ſtipulatur, & huic adjecto, tuto ſolvi poteſt, atq; cùm illi ſolvitur, ipſi creditori ſolvi intelligitur, *l. 12. ff. h. t. & l. 7. §. 1. ff. De conſt. pec.* adeò ut per talem ſolutionem debitor ipſo jure liberetur, *§. ſi quis alii, Inſt. de inut. ſtipul.* verùm cum dico procuratori rectè ſolvi, hoc intelligendum quamdiu ejus mandatum durat, eo vero vel per revocationem, vel per mortem domini finito, ipſi ampliùs ſolvi non poteſt. Interdum tamen & non procuratori rectè ſolvitur, ſi factam ei ſolutionem dominus ratam habuerit, *l. 12. h. t. & l. 13. ff. eod.* Quod obtinet in debitore mulieris qui marito rectè ſolvit, dummodo illa major ætate conſenſerit, & ſolutionem factam ratam fecerit, *l. 11. h. t.* Solvi quoque poteſt tutori, curatori vel ei qui pro tutore negocia gerit. Ipſis verò pupillis, & adoleſcentibus non rectè ſolvitur, ſine auctoritate tutoris vel curatoris, *l. 14. §. 1. l. 28. & l. 49. ff. h. t.*

Nihil quoque intereſt, utrum creditori mutuam pecuniam debitor ſolverit, an ex ejus voluntate ſervo numeraverit, *l. 4. in princ. h. t.* nam debitor ei ſolvens omninò liberatur. Idem dicendum ſi ſervo actori ſolverit, id eſt, ei qui mutuis pecuniis dandis & exigendis à domino præpoſitus eſt, *l. 19. h. t.* Quin etiam ſi ab eo ſervo liberam peculij adminiſtrationem habente, mutuam pecuniam acceperit, eamq; debitor exſolverit, priuſquam ademptum peculium cognoſceret, ea ſolutione liberatus eſt, *l. 3. h. t.* videtur enim voluntate domini, qui cum ſervo contrahit, ab eo accipere & ei ſolvere. *l. 35. ff. h. t.* Sed quid ſi poſt juſſum, ſed ante ſolutionem mortuus fuerit dominus? intereſt ſanè utrumne ſciverit mortem debitor, an ignoraverit, nam hoc caſu ſolvens liberabitur, illo non item, *l. 18. & 32. & d. l. 35. ff. h. t.* Planè ſi mortuus ſit dominus priuſquã inſtrumentum redderet, ſolutione debitor liberatur, *l. 4. h. t.* ita ut chirographum ſive inſtrumentum amplius nec defuncto ejuſve hæredibus proſit, nec debitori noceat, *d. l. 19. h. t.* cum illud tantum contineat obligationem debitoris, quam conſtat jam ſublatam eſſe ſolutione. Ea namque tollitur obligatio ipſo jure & ſequitur liberatio. 5

Sed dubitatur utrum creditori creditoris facta ſolutio inducat liberationem ipſo jure, an ope exceptionis? Diſtinguo, nam aut fuit cauſa ſolvendi creditori mei creditoris, & ſi eadem fuerit cauſa obligationis, ſolutione continget & debitoris & creditoris liberatio ipſo jure: ut in ſpecie *l. 36. ff. de negot. geſt. & l. 11. §. 5. ff. De pign. act.* Aut non fuit cauſa, res tamen verſa eſt in utilitatem creditoris, & continget liberatio tantum per opem exceptionis, *l. 6. ff. De doli mali & met. except.* cum enim in ejus commodum verſa ſit ſolutio, licet abſque mandato & ſine cauſa, malè tamen iterato petit quod jam habet. Quod ſi non interfuerit creditoris ſolvi ſuo creditori pecuniam debitam, ut quia exceptione tutus erat, aut retentionem compenſationemve ſalvam habebat, nulla continget liberatio, *Gloſſ. in l. 43. ff. de negot. geſt.* 6

Reo criminis poſtulato, nihil prohibet rectè pecuniam à debitore ſolvi, alioquin pleriq; innocentium neceſſario ſumptu egebunt, *l. 41. ff. h. t.* niſi reus fuga ſe ſubduxerit, & bona ejus interim annotata ſint & ſequeſtro commiſſa, *l. fin. §. fin. ff. De requir. reis.* vel perduellionis crimine ſit incuſatus, quo 7

 caſu

caſu ſuorum bonorum liberam, crimine ipſo commiſſo, non habet diſpoſitionem, *l. fin. C. ad L. Jul. Maj.* In aliis contrà, in quibus & ipſe reus aliis libere ſolvere poteſt, *l. 42. ff. h. t.* ſi non in fraudem fiſci id faciat.

8 Videamus nunc quid & quantum ſolvendum ſit. Solvere autem debitor tenetur id quod debet, & non aliud, ſive res, ſive factum fuerit. Nam alia res pro alia, nec aliud factum pro alio ſolvi poteſt, *l. 7. & l. 20. h. t.* niſi conſentienti creditori, *l. 16. h. t.* invito enim non eſt auferendum jus ad rem, quæ erat in obligatione, *l. 2. §. mutui ff. De reb. cred.* Interdum tamen etiam nolenti, loco rei ſolvitur ejus æſtimatio, aut quia neceſſitas cogat, veluti cùm res quæ debita eſt præſtari nequit, quoniam periit, aut quia res ſit aliena, quæ à domino abſque magno incommodo redimi nequeat, *Auth. Hoc niſi h. t.* Inde inferunt pragmatici, pro re fungibili veluti vino, oleo vel frumento, creditorem teneri accipere pecuniã, quando debitor frumentum vel vinum non habet, nec ſine magna difficultate habere poteſt, modo probet ſe adhibita diligentia frumentum vel vinum promiſſum comparare non potuiſſe. Joan. Koeppe *Deciſ. q. 25. num. 10.* tunc quippe neceſſitas, aut inopia debitoris facit, ut creditor aliud acceptet, ſi velit ſibi ſatisfieri, aut niſi eam poteſtatem habeat ſibi conceſſam debitor à lege uti in noxalibus, *l. 6. §. 1. ff. De re jud.* Aut niſi certæ ſpeciei nummos debeat, quos in alia ſpecie cogitur creditor accipere, ſi inde damnum paſſurus non ſit, *l. 99. ff. h. t.* de qua plenius egi *ſup. ſi certum pet.* & multis agit Ant. Faber *in ſuo C. h. t. definit. 27. 41. & qq.* Item excipitur ſolutio ſi volente creditore facta ſit, ut quia ab initio convenit, ut res alia ſolvi poſſet, quam quæ in obligatione eſt, *d. l. 17. & l. 115. in fin. ff. De verb. oblig.* licet enim cuique jus ſuum remittere.

9 Hinc pro pecunia quam debitor mutuo accepit, bona immobilia, puta fundum quem habet meliorem, creditori ſuo offerre poteſt, ita ut offerendo, eundemque præſtando liberetur, *d. Auth. Hoc niſi*; modo, ut dixi, probet debitor, ſe facultatem non habere in pecunia numerata ſolvendi. At quid, ſi creditor fundum ſibi ſolutum multò meliorem fecerit, ſive etiam vendiderit multò pluris, quam debebatur, ſanè hanc induſtriam, atque hunc eventum ipſi creditori prodeſſe debere, non debitori, optimè reſcriptum eſt *in l. pen. h. t.* quia ſi res ſoluta periret creditori eidemque domino ſuo periret: hoc autem ſecundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda *l. 10. ff. De reg. jur.*

10 Quæritur an creditori invito ſolvi poſſit per partes? Et non poteſt, niſi ita ſit conventum, quia ſolutio partium non minima ſolet habere incommoda, *l. 3. ff. famil. erciſ.* veluti ſi quis pecuniam pro qua reditum debet, ſolvere per partes velit, quia hic non eadem eſt commoditas creditori, alium ſimilem reditum comparandi, cum tota ſumma ſimul & ſemel non numeretur. Facit *l. 41. §. 1. ff. de uſur.* ubi debitor qui minorem pecuniæ ſummam quam debebat, obligavit, nihilominus ad uſuras conſignatæ pecuniæ tenetur. Etenim manifeſtum eſt debitorem liberari obſignatione pecuniæ ſolemniter facta dummodo tamen *totius debitæ pecuniæ* fiat oblatio, ut dicitur *in l. 9. h. tit.* Non obſtat *text. in l. 21. ff. de reb. cred.* cum agat, ut aliqui volunt, de debito partim liquido, partim illiquido, ut patet ex verbis *& reliqua perſequi*, quæ videlicet non erant liquida. Poteſt etiam dici, *d. l. 21.* non velle ipſo jure cogi poſſe creditorem accipere partem, ſed humanius eſſe (ita exigentibus cauſæ circumſtantiis) ut per prætorem compellatur accipere id quod offertur, cum ad officium ejus pertineat lites diminuere. Fachinæus *l. 10. contr. cap. 59.*

Porro ſi cum tantum partem debitæ quantitatis 11
creditor acceperit, apocham nihilominus dederit quaſi totum debitum accepiſſet, non prohibetur reſiduum petere, quoniam opocha vim acceptillationis non habet, *l. 6. h. t.* niſi de eo quod non accepit debitorem liberaverit, pacto tranſactionis donationiſve cauſa interpoſito, *d. l. 6. & l. 21. h. t.* tunc enim reſiduum exigenti obſtabit iſtius pacti exceptio. Contra tamen audietur creditor, ſi parte debiti accepta, probet ſe falſo ſcripſiſſe quod univerſum debitum receperit, figmento inquit Imp. veritatis extingui nõ potuit, obligatio, *l. 13. h. t.* quaſi diceret, falſa apocha non proderit debitori, ſed ab eo reſiduum peti poteſt. Idemque eſt ſi ſpe futuræ numerationis, quis ſcripſerit ſe pecuniam accepiſſe, quam revera non accepit, *d. l. 21.* aut in litteris confeſſus ſit, totum ſe jam debitum recepiſſe, quod ne quidem poſtea accepit, tota namque petitio debiti ſalva manet, nihilque apochæ, vel ſcripturæ legitimam exactionem impedire poſſunt, cum illæ non habeant vim acceptilationis, *l. 23. hoc tit.*

Sequitur de modo, loco, & tempore ſolutionis: 12
Modus & forma ſolutionis eſt ipſa naturalis, id eſt, realis præſtatio debiti: ut cum debitor in conſpectu creditoris rem ipſam debitam ejus eſſe facit, & poteſtati ſubjicit, *l. 49. & pen. ff. h. t.* atque in eo differt ſolutio à cæteris modis diſſolvendæ obligationis, de quibus mox dicemus.

Solutio ex lege obligationis facienda eſt *in loco* 13
congruo, quod placuit *l. 9. h. t.* aliàs non continget liberatio, ſtipulatore invito, eſt enim eo loco debitum, juriſque dictat ratio ſolutionem debere eſſe conformem obligationi, *l. 9. §. 9. ff. de eo quod certo loco.* Excipe niſi juſta ſubſit cauſa, cur alio loco, quam convento debitum ſolvatur, veluti ſi ad illum locum tutò accedi propter bellum, vel peſtem non poſſit. *l. 8. h. t.*

Item fieri debet ſolutio *dicto die*, non ulteriori, 14
imo

Digitized by Google

imò nec ante diem conſtitutam debitor tenetur ſolvere, poteſt tamen ſi velit,cùm dies ſit adjectus in gratiam illius,qui poteſt juri ſuo renuntiare;&cùm continuò ſit orta obligatio,quid ni continuo diſſolvitur? niſi aliud obſtet, ut quia appareat creditoris quoque cauſa diem eſſe adjectum,tunc enim eo invito per debitorem non poterit anticipari ſolutio, *l.70. & l.98.§.4.ff.h.t.l.17.ff. de reg. jur.*

15 Porrò ſi dubitetur an ſolutum ſit,necne, creditor probare non tenetur obligationem durare, ſed debitori aſſeveranti ſolutum eſſe, onus probationis incumbit, *l.ult.h.t.* Probatur autem non ſolùm teſtibus, ſed & conjecturis, veluti ſi chirographum debitori redditum ſit, *l.2.ff.de pact.* Niſi creditor contra voluntatem ſuam ad eum perveniſſe chirographum doceat, *l.15.h.t.* vel alio modo conſtet & probetur
16 non eſſe ſolutum. * Eſttamen præſumptio juris urgentiſſima pro debitore, qui profert chirographum acceptæ pecuniæ mutuæ, quamvis majorem fidem faciat & rei geſtæ probationem contineat inſtrumentum ſolutæ pecuniæ, *l.14.h.t.* Refert an chirographum cancellatum ſit,nam illud licet præſumptionem inducat ſolutum fuiſſe debitum,non tamen excludit probationem contrariam creditoris, *l.24.ff. de probat.* Quemadmodum ſolutionem probanti debitori nihil obeſt inductum,vel cancellatum fuerit, *l.22.h.t.* probatâ enim ſolutione inſtrumentum obligationis redditur inane, itemque chirographum quod integrum remanſit penes creditorem, *l.19.h.t.* videatur Ant. Faber *Cod.h.t. definit.28.*

17 Cæterùm ſi hæres procuratoris chirographa obligationum,quas in rem domini contraxit,ei reddiderit,cum ſubſcriptione procuratoris ſignificante, *quod nihil creditoribus debeatur*, non tollitur quæſtio, utrùm domini, an procuratoris pecunia creditoribus ſatisfactum ſit, & ideò non prohibetur illius hæres probando ſolutionem ex ſua pecunia proceſſiſſe,eam repetere, *l.18.h.t.* generalis iſta locutio, creditoribus nihil deberi,non ad alia pertinet,quam ad ea de quibus prius ſpecialiter actum eſt, *l.31. ſup. de tranſact.* in chirographis autem in quibus erat hæc ſubſcriptio, non agebatur de perſona loquentis,ſive procuratoris, ſed de creditoribus, ad quos chirographa pertinebant.

18 Poſtremò declarantur effectus ſolutionis, inter quos eſt, quod debitor per ſolutionem liberetur ipſo jure ab obligatione *inſt. quib. mod. tol. obl. in pr.* orta videlicet ex ea cauſa ex qua ſolvit, neque creditore ante redditum debitori chirographum moriente, obligatio exſuſcitatur, *l.4.§.1.h.t.* neque ſi chirographum manſerit penes creditorem poſt ſolutionem, *l.22.h.t.* Quo fit ut debitor ſolutione facta, & probata, poſſit chirographum à creditore repetere, actione ad exhibendum & poſtea vindicare, vel condicere, *juxta L. ult. h.t.*

19 Alter effectus eſt quod ſolutione rei dominium transfertur in creditorem, ſi videlicet debitor ſit dominus, alioquin transfertur uſucapiendi conditio. Eodem pertinet quod non poſſit ejus hæres quod ſolutum eſt revocare, licet pro debito mancipia dederit, ſive rem aliam pro alia, *l.10.h.t.* dummodò ſolvens major fuerit 25. annis,nam ſi minor aliud pro alio ſolverit,nihil alienat ſi res immobilis ſoluta eſt,aut ſi ex decreto magiſtratus,vel auctoritate curatoris ſolvit & læſus eſt, conſequitur beneficio ætatis in integrum reſtitutionem, *l.44.ff.de minoribus.* Planè quoniam emptioni comparatur datio in ſolutum, *l.4. infr.de evict.* ſi major ætate debitor, in ſolutum dederit, rem quæ in duplum excedat quantitatem debitam, poterit agere ex *l.2. ſup. de reſc. vend.* Itemque ſi erravit in quantitate debiti, veluti cùm falſo exiſtimaret ſe debere mille, cùm tantùm deberet centum, & dedit in ſolutum fundum,qui mille valet,certè illum condicere poterit: ſecùs eſt ſi in æſtimatione fundi erraverit, quia tunc tantùm ſuperfluum pretij poterit repetere, ſalvâ datione in ſolutum, *l.ult.§.4.C.de jur.dom.imp.* ibi Bart. Item Caſtr. Alex. & *alij ad l.26.§.4.ff. de cond. indeb.*

Quod ſi ex diverſis cauſis debitor quis ſit, tum 20
ea tantùm obligatio tollitur, in quam expreſſit debitum ſolutum. Eſt enim in arbitrio ſolventis dicere, quod potiùs debitum voluerit ſolutum. Quod ſi debitor id non dixit, in quam cauſam ſolutum vellet, tunc in arbitrio creditoris accipientis eſt, in re præſente conſtituere, cui potiùs debito acceptum ferat, *l.1.h.t.* Si verò ſolutionis tempore, neuter expreſſerit voluntatem ſuam, id eſt, in quam cauſam ſolutum, vel acceptum debitum vellet, diſpiciendum erit, an inter plures cauſas aliqua ſit, ex qua debitor jam compelli ad ſolvendum poſſit ex quibus verò non poſſit, quales ſunt in diem, & conditionales obligationes, item obligatio merè naturalis. Nam hoc caſu ex illa,non ex his ſolutum creditor accepto ferre jubetur, *l.3. l.103. ff. h.t.* Quod ſi debitor ex omnibus cauſis jam compelli ad ſolvendum poſſit, multum refert utrùm de pluribus ſummis principalibus agatur,an vero de ſorte & uſuris. Si de pluribus ſummis principalibus agatur, hæc definitio certi juris tenenda eſt, non poſſe creditorem poſteà conſtituere in quam ſummam acceptum ferat,quod ſolutum eſt,niſi in duriorem &graviorem. Gravior & durior cauſa eſt, quæ ex famoſa cauſa debetur, mox ejus quæ pœnam continet, deinde quæ ſub hypotheca vel pignore contracta eſt, poſt hunc ordinem potior habetur ex propria, quam aliena obligatione,id eſt,ex fidejuſſione. His ceſſantibus ſi par ſit cauſa debitorem, antiquiori contractui adſcribenda eſt ſolutio, ſuperfluum ordini ſecundo vel in totum, vel pro parte minuendo videbitur datum, *l. cùm ex 97. ff. h.t.* Quod ſi par & dierum & contractuum cauſa ſit, ex omnibus ſummis

Digitized by Google

inde ſubjuncta clauſula generalis, videtur enim de uno quoque ſpecialiter actum. *Gloſſ. in l. 4. §. 4. verb. ſpecialiter ff. ſi quis caut. in judic. ſiſt.*

24 An cenſeatur ſpecialiter renuntiaſſe huic beneficio, qui ſe ut principalem obligavit? Si de animo novandi conſtet, ceſſabit hoc beneficium, cum novationis effectus ſit, diſſolvere priorem obligationem & novam conſtituere, ut dicetur *tit. ſeq.* Si de animo novandi non conſtiterit, probabile quidem eſt, renuntiatum eſſe huic beneficio, ne verba contrahentium nihil operentur. Probabilius tamen iſti verborum formulæ non ſubeſſe renuntiationem, quam ſpecialem eſſe oportet, ad effectum dictæ excluſionis *Auth. hoc ita ſup. de duob. reis.* cum dictis verbis tantum contineatur generalis renuntiatio, per quam nemo jure ſuo cadit, Barboſa *ad l. 25. in princ. 116. ff. ſol. matr.* Facit quod dicta conventio reſpondeat diſpoſitioni juris communis, quo conveniri poterat fidejuſſor ante principalem, ut recte ſecundum iſtam intelligatur, *l. 3. in fin. h. t.* ubi ſi id quod ineſt exprimatur, non mutabit conditionem juris.

25 Plane neque is cenſebitur renuntiaſſe, qui promiſit ſe ſoluturum, cum talia verba ſimpliciter prolata, intelligantur ſecundum naturam & conditionem actus celebrati, *arg. l. 54. §. 1. ff. locati.* Fidejuſſor indemnitatis, qualis eſt qui promiſit ſolvere, illud quod creditor à reo conſequi non poteſt etſi omnibus beneficiis renuntiaverit, etiam ſpecialiter, non poterit tamen excuti, ante excuſſum principalem, quia tantum promiſit in ſubſidium, ut prius ſit excutiendus reus, eo quod ante ſciri nequeat quantum ab eo non potuerit creditor conſequi. Suarez *com. opin. litt. fidejuſſor. indemnit.* facit in hanc rem *l. 21. ff. de ſolut. & l. 67. ff. pro ſocio.* ex quibus apertè conſtat hunc fidejuſſorem non conveniri ante principalem, quia conditionalis eſt debitor, ſi principalis non ſolverit. Gamma *deciſ. 380.*

26 At vero qui juramento firmavit renuntiationem, non poterit uti beneficio excuſſionis, ſiquidem juramentum habeat vim ſpecialis renuntiationis, *arg. l. 77. §. 23. ff. de leg. 2.* & ſervandum ſit, quatenus ſervari poteſt ſine detrimento animæ jurantis, aut

27 tertij. Gail. *l. 2. obſ. c. 27. num. 21.* * Cæterum fidejuſſor qui cum juramento ſe obligavit, non poteſt videri huic beneficio renuntiaſſe, nam juramentum ſequitur naturam actus cui apponitur, neque extenditur ultra id de quo agitur: agitur autem de munienda fidejuſſione, à quo diverſa prorſus eſt renuntiatio beneficij. Non obſtat *c. ex reſcripto 23 de jurejur.* in quo non alias conveniuntur fidejuſſores jurati quam ſi principales non ſatisfecerint. Nil facit quod ibi mulier jurato intercedens, jubeatur ſatisfacere, non attento S. C. Vellejani beneficio, nam hoc ideo, quia ſpecificè juravit ſolutionem, quam non poſſet citra perjurium recuſare objiciendo Velleianum. Videatur Joan. Gutierrez *de juram. confirm. cap. 2. num. 2.*

II. *Eſt beneficium diviſionis* ex epiſtola D. Hadriani competens pluribus fidejuſſoribus, quo ſinguli in ſolidum non recte excutiuntur cum effectu, ſed pro virili tantum, & hoc ut æqualitas ſit inter æqualiter obligatos, *§. ſi plures Inſt. h. t.* quatenus tamen omnes ſunt ſolvendo tempore propoſitæ diviſionis, *l. 3. §. 1. h. t.* neque enim alias conceſſum hoc beneficium, quam quatenus fieri poteſt ſine gravi creditoris detrimento: non eſt autem ita grave à pluribus petere qui ſunt ſolvendo, grave vero foret tum actionem dividi quando aliqui non ſunt ſolvendo. Sane ſi poſt diviſam legitime actionem, contingat aliquos fidejuſſores fieri non ſolvendo, hoc damno erit creditori, qui ſibi imputare debet quod tempeſtive eos non excuſſerit, minimè tamen onerabit alios fidejuſſores, quos ſemel liberatos non patitur juris ratio invitos trahi in obligationem *l. 16. h. t.* 28

Competit hoc beneficium cuicumque fidejuſſori, ſimul cum altero intervenienti, niſi vel malitia ſua ſe privaverit, veluti falsò negando ſe fidejuſſiſſe, vel renuntiarit ſpecialiter, ut dictum ſupra. Quomodo qui inſolidum ſe obligavit, non ideo hoc beneficio privabitur *l. 3. h. t.* ubi ratio hæc redditur, quod juris conſtitutio diviſionem admittens, non mutetur tali conventione, à jure non tam diſſentiente, quam eidem conſentiente, quo in ſolidum obligatio unumquemque tenet, licet ſi omnes ſolvendo fuerint tempore diviſionis, non niſi pro virili conveniantur cum effectu, ſecundum quod dicta conventio recte accipitur. Nec facit quod ita nil ſit operatura, contra *l. 80. ff. de verb. obl. & l. 109. ff. de leg. 1.* ubi oratio ſic accipi debet, ut aliquid partes videantur egiſſe. Nam hoc ita interpretandum, modo ſententia quam accipi volumus etiam verbis contineatur, imputandum enim creditori potius, quod verba plenius non expreſſerit, *l. 21. ff. de contr. empt.* Donel. *ad l. 3. h. t. n. 7.* 29

Utrum beneficium diviſionis competat fidejubenti ſimul cum muliere? Quod negandum per *l. 48. ff. h. t.* ubi ſubducta muliere, in ſolidum tenetur qui cum ea fidejuſſit, eo quod mulier cum effectu non interveniat, ſic ut tota obligatio reſideat in perſona conjuncta, quæ ſcire potuit, aut ignorare non debuit, mulieri ſuccurri per Velleianum, ut imputare ſibi debeat quod una cum muliere intervenerit. 30

Quod ſi autem mulier in rem communem cum alio fidejuſſerit, pro ſua parte, tantum tenetur, non pro parte maſculi, quia pro parte maſculi videtur interceſſiſſe dum ſe obligavit in ſolidum. *l. 17. in fin. & l. ſeq. ff. ad S. C. Velleian.* Molinæus *tract. de uſur. n. 288.* At cur vir fidejubens cum muliere pro alio, tenetur in ſolidum, ſi vero una cum minore 25. annis, 31

pro

pro parte tantum: quia etſi videatur minor, non minus quam mulier fruſtra fidejubere, propter ſpem reſtitutionis in integrum, ignorare tamen potuit ætatem illius, non etiam ſexum, & per eum competens beneficium Velleiani, quo infringitur fidejuſſio: vel ſi ætatem non ignoraverit, potuit tamen cogitaſſe, prætorem non eſſe accommodaturum ſuum auxilium, quod non temere accommodat, ſed cauſa cognita. Et hoc procedit ſi ſimul intercedant, nam ſi primo interceſſerit major, & deinde aſſumptus ſit minor hujus reſtitutio faciet in totum teneri majorem, eo quod ſolus ab initio obligationem ſuſceperit, quæ reſtituto minore redintegratur creditori. *d. l.* 48. §. 1. *ff. de fidejuſſ.* Cujacius *lib.* 10. *obſ. c.* 23.

32 Competunt autem hæc duo beneficia, non ipſo jure, ſed tantum ope exceptionis, uti patet *ex d. §. ſi plures Inſt. h. t. & d. Auth. præſente*, quomodo ſi ante excuſſum principalem ſolverit fidejuſſor, non repetit à creditore tamquam indebitum, cum ipſe debeat; uti nec ſi omiſerit exceptionem diviſionis, contra alios fidejuſſores regreſſum habebit, *l.* 11. *h. t.* qua de re infra latius.

33 Sed dubitatur quando hæc beneficia ſint opponenda; Quantum ad exceptionem diviſionis uſque ad ſententiam, eam opponi poſſe traditum eſt *in l.* 10. §. 1. *h. t.* quod videatur ſapere naturam peremptoriarum, quæ uſque ad ſententiam opponuntur, non poſtea, nam in ſolidum conventus antequam condemnaretur, ſi non oppoſuerit actionis diviſionem, ſed in ſolidum ſe ſit paſſus condemnari, cœpit judicati actione in ſolidum teneri creditori, quam ſemel quæſitam iniquum eſt invito auferri, per partis oblationem. Donel. *ad d. l.* 10. niſi à ſententia fuerit appellatum, cum per appellationem extinguatur judicatum, & reponatur res in eo ſtatu quo erat ante litem conteſtatam. Gomez 2. *var. c.* 13. *n.* 15. Quantum ad exceptionem excuſſionis, videtur non niſi ante litem conteſtatam opponi poſſe, quod ſit dilatoria, differens excuſſionem fidejuſſoris donec excuſſus fuerit principalis, & quidem concernens judicium conſtituendum. Gomez. *d. loco. n.* 14. Benignior tamen eſt ſententia hanc exceptionem quandocumque uſque ad concluſionem in cauſa opponi poſſe, Gail. *lib.* 2. *obſ. c.* 27. *n.* 3.

34 III. *Beneficium eſt cedendarum actionum*, quarum exceptionem rectè fidejuſſor objicit creditori agenti, quæ ita juſta eſt, ut ſi cedere recuſet creditor ab actione repellatur & decurſi interea temporis uſuras non debeat fidejuſſor, licet non obſignarit debitum, etiam in caſu quo dies, aut locus ſolutionis eſt dictus, cum in ſolvendo non poſſit videri moram feciſſe is, à quo propter juſtam exceptionem pecunia male petitur. *l.* 21. *ff. de uſur.*

35 Cedendæ ſunt actiones contra pignorum poſſeſſores, *l.* 2. *l.* 11. *l.* 14. *&* 21. *h. t.* niſi & in aliam cauſam ſint obligata *d. l.* 2. quia ceſſio foret damnoſa creditori. Cedenda etiam contra alios qui unà confidejuſſerunt, *leg.* 17. *& l.* 36. *ff. eod.* Idque ex æquo & bono cum fidejuſſori ea res proſit, creditori non noceat, *l.* 2. §. 5. *verſ. quanquam ff. de aqua pl. arc.*

Quo pertinet quod *in d. l.* 2. *h. t.* traditur creditorem qui pro eodem debito pignora & fidejuſſorem accepit, teneri in fidejuſſorem ſolventem transferre pignora, quia videlicet hæc ceſſio ipſi nihil nocitura ſit, diverſum vero eſſet ſi eadem pignora in aliam ſummam, vel in aliud quam à fidejuſſore diſſolvitur debitum, ſint obligata. Nam tunc quia creditor pignora cedere non poteſt, quin in illam ſummam amittat pignorum perſecutionem, rectè placet creditorem non prius compellendum eſſe pignora transferre, quam omne debitum, & omnis pecunia, ac ſic etiam ea, pro qua non fidejuſſit, à fidejuſſore exſolvatur. Donellus ad *d. l.* 2. Modeſt. Piſtor. *p.* 2. *q.* 1. Phil. Deciſ. 204. 36

Quæritur an poſſit hæc ceſſio peti poſt ſolutionem? Quantum ad debitorem non eſt neceſſaria hæc ceſſio fidejuſſori, quod illi ſit conſultum actione mandati, vel negotiorum geſtorum, ut infra dicetur. Poterit tamen ſi velit dum ſolvit petere *per Novel.* 4. §. 1. *in fin.* etiam contra invitum cum omnino debeat ſuſcipere actionem debitor, eamque tenetur cedere creditor, *d. l.* 2. *h. t.* ita poſtulante æquitate. Poſt ſolutionem non videtur ceſſio tenere, quia nulla ſupereſt actio quæ cedatur, *l.* 76. *ff. de ſolut.* utpote debitore jam liberato, ut extinctæ etiam ſint acceſſiones, *l.* 43. *ff. d. t.* Quia tamen tanquam fidejuſſor ſolvit ſuo nomine ex ratione mandati ipſo jure non liberat reum, ut videatur poſtea petere poſſe contra eum ſibi cedi actiones, *l.* 28. *ff. mandati.* Non obſtat *d. l.* 76. quia loquitur de pluribus tutoribus quorum unus ſolvendo liberat reliquos, uti jam dicetur. 37

* Quantum ad pignorum poſſeſſores & alios fidejuſſores fruſtra contra eos petitur actionum ceſſio poſt ſolutionem, nam numerato eo quod debetur, cenſetur extincta principalis obligatio, quoad ipſum creditorem, ut fidejuſſio aliorum tanquam acceſſoria ceſſet, nam qui ſemel ſunt liberati, inviti in obligationem reduci nequeunt, quo modo *in d. l.* 76. dicitur nihil agi cedendo poſt ſolutionem, cum nulla actio ſuperfuerit, quæ ſi aliqua ſupereſt, vel foret mandati, de qua non patet, vel negotiorum geſtorum, quæ eſſe non poteſt, quod non tam alienum, quam proprium negotium ſit geſtum, cum uti dictum ſupra ipſe fidejuſſor de jure in ſolidum ſit obligatus. Nec obſtat quod per ſolutionem unius contigerit & aliorum liberatio, hoc enim non quia id actum ex officio geſtionis, ſed per conſequentiam tantum ex natura actus, ut non veniat conſiderandum, *Gloſſ. in l.* 30. *verb. qua actione ff. de neg. geſt.* Niſi tamen initio ſolutionis convenerit 38

de

de cedendis actionibus, quia conventio iſta facit non tam eſſe peremptas actiones per ſolutionem, quam venditas, *d.l.76.*

39 In mandatore qualis eſt qui mandat credi, aliud juris eſt, quod ſcilicet & poſt ſolutionem poſſit petere ſibi cedi actiones, ex eo quod non ſit liberatus ipſe principalis ejus ſolutione, *l.31.in pr.ff.de pet.her.* cum ſolverit proprio nomine ex cauſa ſui mandati, non etiam nomine debitoris, *d.l.28.* Imò neceſſaria eſt huic ceſſio, quoniam ex propria perſona nullam habet actionem contra debitorem, atq; ita in damno moraretur, ſi per ceſſionem ei non ſubveniretur. Late Donellus de hac materia *ad l.11. C.h.t.* Intereſt itaque mandatoris poſt ſolutionem, cedi ſibi actiones & pignora, quæ creditor habuit. Quod ſi autem creditor ſine pignoribus pecuniam crediderit, cum non aliter mandator credi conſenſerit, recte hic actionem adverſus ſe recuſabit, præſertim cum deficiat conditio mandati, & creditoris culpa factum ſit, quo minus pignora illi cederet *l.7.h.t.*

40 Sed videamus quatenus creditor teneatur præſtare actiones contra alios fidejuſſores, in ſolidum ne an pro parte? Cum enim jura loquantur indiſtinctè, dicendũ videbatur, eatenus cedendas eſſe actiones, quatenus ſunt apud creditorem, ſic ut poſſit fidejuſſor cui actiones ceſſæ ſunt in ſolidum alios convenire. Verum non fert & æquitatis ratio, ut quis ejus portionis pro qua ipſemet propria obligatione obſtrictus fuerat ceſſionem impetret, atque id quod ipſe ſemel liberaturus ſolvit, ab alio repetat, qui eſt in pari cauſa. eſt enim pro regula traditũ ejus quod quis proprium debitum agnoſcendo ſolvit, actionem adverſus alium cedendam non eſſe, Bart. *ad d.l.76.n.9.* Poteſt autem iſta actionum ceſſio peti etiam ab eo qui renuntiavit beneficio diviſionis; nam ea renuntiatio tantum ſpectat commodum creditoris, ut non cogatur dividere actiones, non etiam ipſos fidejuſſores inter ſe. Piſtorius *parte 1.quæſt.jur.cap.48.num.6.& 8.*

41 Actionibus ceſſis & ſolutione facta, habet fidejuſſor actionem mandati contra debitorem, ſi pro mandante vel præſente fidejuſſerit, *l.6.ſupr.mand.* vel negotiorum geſtorum ſi pro abſente vel ignorante, *l.1.& 2.ſup. de negot.geſt.* contra eos qui una fidejuſſerunt pro rata & pignorum poſſeſſores, *l.2. 11.& 14.h.t.* ad conſequendum debitum & omne damnum, ne officium ſuum ſit damnoſum, *c.2.* X. *eod.* niſi vel pro invito fidejuſſerit, quia videtur donaſſe, *l. fin. ſup.de negot.geſt.* vel ipſi imputari poſſit, quod exceptione non ſit uſus contra creditores,
42 *l 10.ſup.mandati.* * Ante ſolutionem fidejuſſori non eſt actio quod necdum mandatum peregerit, aut negotium geſſerit, niſi tamen vel jam ſit condemnatus, quia ſententia habet paratam executionem, *l.56.ff.De re jud.* vel ipſe reus ad inopiam vergat bona ſua dilapidando, quia æquum eſt ut ſibi provideat fidejuſſor, vel ſolutionem diu protrahat, *c.fin.* X. *h.t.* quando autem diu protrahere ſit dicendus ſolutionem, eſt in arbitrio judicis, uti tradit Menochius *2. arbitr. caſ.41.* Adde ſi conventum fuerit inter reum & fidejuſſorem, quod etiam ante ſolutionem poſſit fidejuſſor conveniri.

43 Atque hæc de fidejuſſionis effectu, quem contingit ceſſare, omni eo caſu, quo principalis obligatio ceſſat, veluti per debiti ſolutionem, *l.15.§.1. h.t.* acceptilationem, pactum de non petendo & aliam exceptionem realem, aliamque ſatisfactionem, præſcriptionem, *l.37.ff.h.t.* per litteras dilatorias à Principe impetratas, quas fidejuſſori prodeſſe ſupra docui *per l. 4. Tit. de precib. Imp.off.num.8.* Item ſi cum falſo putaret ſe fidejuſſiſſe, cavit ſe pecuniam ſoluturum & à creditore conveniatur, doli mali exceptione defenditur: ſed etſi non conveniatur, ultro agere & liberationem condicere poteſt, *d.l.15.in pr.h.t.* Item per novationem legitimè perfectam liberabitur fidejuſſor, cum per illam extinguatur prior obligatio & nova ponatur, pro qua nõ intervenit. Secus ſi pro nova obligatione interveniſſet, *l.4.h.t.* Per ſucceſſionem quoque contingit liberatio, ſive debitor ſuccedat creditori, ſive creditor debitori, cum pro eodem apud eundem non intercedatur. Idem erit ſi fidejuſſor extiterit hæres debitori, quem tunc tantum ut hæredem teneri ſuprà *dixi num.14.* Denique per mortem rei, quem judicio ſiſti fidejuſſor promiſit, liberabitur, modo intra tempus quo ſiſti debuit reus mortuus fuerit, *l.26.verſ. niſi intra h.t.* ubi notandum pœnalem ſtipulationem evaneſcere mortuo reo.

44 Supereſt ut proponamus modos quibus fidejuſſor non liberatur. Et certum eſt eum non liberari ceſſione debitoris, quia per eam non extinguitur principalis obligatio, ſed tantum conceditur beneficium competentiæ, quod eſt perſonale, & competere fidejuſſori nequit, qui in eum caſum eſt acceptus quo continget principalem non eſſe ſolvendo. Confiſcatione quoque omnium, vel partis bonorum debitoris minimè fidejuſſorem liberari conſtat ex variis hujus Tit.Conſtit. *in l.1.& 15.§.1.& l.20.* durat enim principale debitum per fiſcum, qui in bona rei ſucceſſit, atque ita durat & acceſſoria obligatio; prius tamen excutiendus erit fiſcus, *d.l.1.* quæ licet loquatur de eo qui exulare juſſus eſt, & exilium propriè ſignificet deportationem, *l.2.ff. De publ. jud.* accipienda tamen de relegato, qui jura & bona omnia retinet, *l.4.& 5.ff. De interd. & releg.* niſi ſententia ſpecialiter adempta fuerit & in fiſcum tranſlata, *l.8.C. De pœnis.*

45 Quæritur an fidejuſſor prorogatione termini liberetur? Diſtinguo, aut fidejuſſor ſimpliciter abſque præfinitione termini datus eſt, & is per prorogationem ſe inſcio factam non liberatur. Quia fidejuſſor ſimpliciter datus, intelligitur ad omnem

Digitized by Google

nē cauſam & caſum datus, donec creditori planè ſatiſfactum ſit, *l. 54. ff. locati l. 56. §. 2. ſub fin. ff. h. t.* Quomodo non minus in ſecundo, quam in primo termino fidejuſſor tenetur, ſive purè, ſive ad certum definitumve tempus ſe obligaverit, cum iſta temporis adjectio non ſit modus inducendæ, aut finiendæ obligationis, ſed ſolum definiat atque exprimat terminum intra quem fieri debeat ſolutio, *l. 44. §. placet ff. de obl. & act.* Igitur ut ſolutionis prorogatio non facit finiri obligationem, ita nec fidejuſſoriam, aliàs enim daretur occaſio per prorogatam ſolutionem fraudandi creditorem ſua ſecuritate. At verò ſi inter contrahentes tempus eſt adjectum limitandæ vel tollendæ obligationis cauſa, juris ratio non patitur ut ultra id tempus fidejuſſor teneatur exemplum eſt *in l. 7. ſup. De locato*: ubi cum quis conduxit vectigalia ad quinquennium dato fidejuſſore, hic non tenetur ſi ultra quinquennium protracta fuerit conductio, niſi de novo conſenſerit, neque enim factum ſeu conventio debitoris nocere debet fidejuſſori, qui non conſenſit, *l. 13. §. 11. ff. locati.* ubi pignora quidem manent data ab ipſo reconducente, non etiam à tertio niſi ipſe conſenſerit, *Mynſing. cent. 6. obſ. 53.* And. Gail. *lib. 2. obſ. 30. n. 11.* Fach. *lib. 2. contr. c. 89. & lib. 12. c. 30.*

46 Planè neque mora creditoris, in excutiendo debitorem (qui interim factus eſt non ſolvendo) nocebit fidejuſſori, cum ille de ſe queri debeat, quod cum potuerit tempeſtive non excuſſerit reum: ſecus eſt ſi creditori imputari mora nequeat, aut illum non admonuerit fidejuſſor, ſciens debitorem evaſurum, vel futurum non ſolvendo, *l. 41. ff. h. tit.* Gomez. *tom. 2. var. cap. 13. num. 9.*

47 Porrò lapſu temporis, quamvis longum ſit, non liberatur fidejuſſor, *l. 25. h. t.* Excipe primò longiſſimum tempus triginta annorum, cujus temporis exceptio cuivis perſonali obligationi nocet, *l. 3. & 7. ſup. de præſc. 30. vel 40. annor.* Excipe ſecundò fidejuſſorem judicio ſiſtendi cauſa datum, qui ſi ſine ſcriptis caveat, duobus menſibus elapſis liberatur, niſi ad longius tempus caverit. Cum autem apud acta cavet, ſiquidem in privata cauſa, intelligitur fidejuſſio ſine ſcriptis facta, adeò ut dicti temporis lapſu liberetur: ſi verò in cauſa publica, cenſetur in ſcriptis caviſſe, adeò ut perpetuo teneatur, *l pen. h. t.*

48 Cæterùm non poterit agere fidejuſſor ut liberetur qui promiſit judicatum ſolvi, niſi poſt rem judicatam debitor condemnatus ceſſet, & negligat ſatiſfacere. Eoque pertinet *l. 38. ff. mandati,* ut ſi reus diu in ſolutione ceſſavit vel creditor in exigendo debito, fidejuſſor ad liberationem agere poſſit: ut quia fortè creditor cum debitore colludit, & cogitat ſibi ſatis eſſe proſpectum per idoneum fidejuſſorem, aut ſi debitum ſit uſurarium, & creditor ob lucrum differat exigere. Gomez *d. c. 13. n. 10.* Gail. *lib. 2. obſ. 29.*

Hæc quæ hactenus docui de fidejuſſoribus, maxima ex parte accommodantur etiam mandatoribus, 49
de quibus Juſtinianus hoc generaliter conſtituit, ut uno electo, atque lite cum eo conteſtata, alter non liberetur, ut nec electo principali reo: Neque etiam vult ipſum reum debendi liberari, fidejuſſoribus electis, & æquè idoneis oblatis, vel uno ex illis, niſi ſatisfiat creditori ſolutione, vel alio modo, alioquin creditori manet jus integrum, *l. ult. h. t.* Idem dictum ſupra per *l. 23. h. tit.* creditorem non prohiberi quo minus conveniat pro parte nondum ſoluta cæteros mandatores, vel confidejuſſores, de quibus pro inſtituto dictum ſatis.

TITULUS XLII.

De novationibus & Delegationibus.

1. *Continuatio, & quid ſit novatio explicatur.*
2. *Dividitur in voluntariam & neceſſariam.*
3. *Novatur obligatio purè, in diem & ſub conditone contracta.*
4. *Qui novare poſſint vel non, & quid de procuratore creditoris?*
5. *Quibus modis fiat novatio?*
6. *Hodie facta non creditur niſi partes expreſſe dicant ſe novare.*
7. *An non hodie per conjecturas introduci poſſit?*
8. *Effectus novationis voluntaria, & neceſſaria.*
9. *Quid ſit delegatio & quomodo fiat?*
10. *Cur non ſit neceſſe ut delegans ſtipuletur à debitore, hic tamen non aliter quam ſtipulatione obligetur.*
11. *Invitus nemo delegatur, eoque differt delegatio à ceſſione & venditione actionum.*
12. *An expreſſe fieri debeat delegatio, uti & novatio.*
13. *Effectus delegationis quod non poſſit delegatus à delegante conveniri.*
14. *Cur creditor chirographarius non poteſt debitorem ſui debitoris convenire?*
15. *Exceptiones quæ poterant deleganti opponi ceſſant in perſona creditoris cui delegatus eſt.*
16. *Idem eſt in exceptione Maced, quæ filiof. datur.*
17. *Diverſum in muliere delegata a creditore ſuo quæ ſe exceptione Vellej. tuetur. Idem in minore qui circumſcriptus delegatur: & marito.*

NOn minus *novatio* & *delegatio* requirunt ſtipulationis adminiculum, quam fidejuſſio: accedit etiam ad ordinem quod novatio & delegatio 1
ſint modi mixti obligationum tam inducendarum, quam tollendarum, ut idcircò inter ſtipulationes & ſolutiones medium teneant locum. *Novatio* à nova obligatione nomen accepit, * eſt autem prioris debiti in aliam obligationem transfuſio atque translatio, *l. 1. ff. h. t.* Dico prioris debiti, intellige ſive illud

ſit naturale, ſive civile, ſive honorarium, item ſive obligatio prior re, ſive verbis, ſive conſenſu contracta ſit. Dico in aliam obligationem, quia novatio non ſolum priſtinam obligationem tollit, ſed & novam conſtituit, ſit autem civilis, vel naturalis obligatio non intereſt. quia ad hoc ut prior perimatur, ſufficit quod ſequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter, ut puta ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit. Dicitur transfuſio, quia novationis finis non eſt perimere omnino obligationem, ſed tantum mutare, unde neceſſe eſt aliam ſubeſſe. Nulla ſi ſubſit obligatio, non poteſt videri facta novatio.

Eſt autem duplex nempe voluntaria & neceſſa-
2 ria.Voluntaria per ſtipulationem fit: Neceſſaria per judicium. *l.29.ff. eod.* quia ſtipulatio eſt inter conſentientes, judicium verò redditur in invitum *l. 83. §.1.ff. De verb.oblig.* Eſt ergo neceſſitas ex parte rei, quin etiam ex parte actoris, quatenus aliter ſuum conſequi non poteſt, *l.ult. ff. De ſeparat.* Hæc neceſſaria novatio quæ fit per judicium, duobus modis fit,vel per litis conteſtationem,vel per ſententiam. Per litis conteſtationem novatio fit,cum is, cui debitor delegatus eſt,vel cui mandatæ ſunt contra aliquem actiones,contra eum judicio agit, *l.3. h. t. & l.11.§.1. ff.eod.* Per ſententiam fit novatio, cum debitor à ſuo creditore conventus condemnatur; facit enim ſecuta condemnatio actionem priſtinam converti in actionem judicati. Hinc Juſtinianus *in l. ult. Cod. De uſur. rei jud.* dicit judicati actione novari priorem contractum, & alterius modi uſuras deberi poſt ſententiam, quam ante ex priſtino contractu debeantur,ſemel enim cauſa tranſire videtur in condemnationem, & inde pecunia deberi. *l.16. §.6. ff. De pignorib. & hypoth.*

Novatur obligatio non tantum pure contracta,
3 verum & in diem,*l.5.& l.8.§.1.ff.h.t.*& ſub conditione,non ante tamen quam conditio prioris obligationis extiterit, novatio effectum habet, nam ea non eveniente ab initio nulla eſt, utpote deficiente materia, quam ponit præcedens obligatio. Nec conſtituta tantum & præſens,verum & futura obligatio,novatur, *d.l. 8. §.2.* veluti ſi à Sejo novandi cauſa ſtipuler,quod à Titio ſtipulatus fuero,eodemque tempore & naſcetur & novabitur obligatio.

Novare poteſt quilibet creditor qui ſui juris eſt,
4 aut alius ejus juſſu, *l. 10. ff. h. t.* is quoque cui rectè ſolvitur,excepto eo ſi mihi aut Titio ſtipulatus ſim, nam Titius novare non poteſt licet rectè ei ſolvatur, *l.10.ff.h.t.* His qui in noſtra poteſtate ſunt rectè interdum ſolvitur quod crediderunt,novare tamen non eſt permiſſum, *l. 16. & 25. ff. eod.* Hinc cui bonis interdictum eſt, novare obligationem ſuam non poteſt, niſi meliorem conditionem ſuam fecerit.*l.3.ff.eod.* quo caſu non indiget curatoris auctoritate. Idem dicendum de pupillo, qui licet novare non poſſit, tutore tamen auctore poteſt, ſi hoc pupillo expediat,*d.l.20.§.1. & l.fin.§. 1.ff.eod.* Quid de procuratore creditoris? certè ſi omnium bonorum procurator ſit conſtitutus, libera ei novandi cenſetur data poteſtas, *d.l.20.§.1.* Alias ſi ad exigendam tantum pecuniam datus ſit, neque novare, neque debitorem non ſolventem, aut pro qua parte non ſolvit,liberare poterit,*l.4.h.t.* quia non licet ei contra mandatum quicquam facere, aut ejus fines excedere, *l.10. ſup. De procur.*

Variis autem modis fit novatio obligationis, 5
cum prius debitum transfunditur, aut transfertur in aliam obligationem, cum ex præcedendi cauſa ita nova conſtituitur ut prior perimatur, ut puta interventu novæ perſonæ creditoris, vel debitoris, aut utriuſque; vel mutata cauſa debendi, aut facto novo chirographo priori amiſſo, quamvis nec perſona, nec cauſa obligationis mutata ſit.

Quæſtio facti erat, an contrahentes id egiſſent, 6
ut novatio fieret, ut puta correo debendi poſtea adjecto obligationi, pignore, aut fidejuſſore poſtea accepto, aucta, vel diminuta quantitate debita, conditione, tempore, pœna adjecta, vel detracta, namque ſufficiebat ſolus novandi animus, iſque etiam tacitè colligebatur, ex circumſtantiis, ex præſumptione & conjectura voluntatis contrahentium, *l. 2. 8. & 9.ff. h.t.* Sed cum variæ ea de cauſa inciderent de illorum voluntate dubitationes, & in obſcuro plerumque poſitum eſſet, quam contrahentes mentem habuiſſent, induxit Juſtinianus veteris juris emendationem, nec aliter deinceps novationem factam intelligi vult, quam ſi contrahentes *remiſerint priorem obligationem, & hoc expreſſerint* ſe ab illa omnino recedere, & novam obligationem conſtituere alioqui & manere priſtinam & ſecundam ei accedere, ita ut ſit integrum creditori uti qua velit, *l. ult. h. t.* cujus mentio fit *in §. præterea in fin. Inſtit. quib. modis tol. obligat.* Non movet quod plura ſint juris veteris loca, quæ requirunt, ut exprimatur in ſtipulatione animus novandi, ſpecialiter, *l.58. ff. De verb. obl. l. 31. in fin. ff. h. t.* nam id tribuendum eſt Triboniano, qui iſtis locis interpoſuit, ea, quæ poſtea demum fuere ſtatuta. Ant. Faber *lib. 3. conjectur. cap. 3.*

Sunt nihilominus ex Interpretibus recentiores 7
aliqui,qui opinantur,conjecturis,& argumentis neceſſariis,ac evidentibus jure hodierno induci novationem, cum non interſit verbis, an facto quis voluntatem ſuam declaret, videaturque ſatis id expreſſum,quod ex veroſimili contrahentium voluntate reſultat,ut inſinuat Imp. *in fin.d.l.ult.* voluntate ſolum eſſe, & non lege novandum, etſi non verbis exprimatur.Quaſi velit ſufficere ut ex natura rei ſeu cauſæ novatio inſit,licet verba extrinſecus non ſupervenіant. Exemplis hanc ſententiam confirmat

mat Fachin.*lib.3.cont.c.91*.eamq; in praxi receptam obſervat Gail. *2.obſ.cap.30.n.4.* Ego tamen puto alienam eſſe à mente Juſtiniani, cui non eſt ſatis quod de voluntate contrahentium conſtet, ſed oportet ut illi *hoc expreſſerint* nominatim ſe ſecundam pro prima eligere, & proinde quod Imp. ait voluntate, non lege novationem introduci, non eſt intelligendum, ut ſufficiat per conjecturas de voluntate conſtare, quia hoc admiſſo inania prorſus ſunt prędicta verba, multum enim illa differunt, per conjecturas conſtare de animo novandi, & partes remittere ſpecialiter priorem obligationem, exprimendo ſe ſecundam pro prima eligere.

8 Effectus novationis eſt priſtina ſublata obligatione novam inducere, ubi & ſimul acceſſoria priſtinę obligationis tolluntur, veluti pignora, fidejuſſores, niſi ſint repetita, curſus uſurarum ſiſtitur, *l.4.ſup.De fidejuſſ. l.18.ff.h.t.* impeditur & pœnæ commiſſio *l.15.ff.h.t.* quod receſſum ſit à priore obligatione, cui pœna erat ſubjuncta, & hoc ita in novatione voluntaria procedit, ſi aliter non ſit conventum, *l.uni ſup.etiam ob chirogr.pec.pig.retin.* non etiam in neceſſaria, quia per eam non tam deteriorē, quam meliorem facit ſuam conditionem actor, *l.29.ff.h.t.*

9 Altera rubricæ pars eſt de *Delegationibus*. Eſt autem delegatio novationis ſpecies, cum creditori meo vice mea reum delego, *l.11.ff.h.t.* Idque fit dupliciter per ſtipulationem & litis conteſtationem. Per ſtipulationem, puta cum debitor meus creditori meo, vel alij cui juſſerim rem mihi debitam promittit; quorum omnium requiritur conſenſus, *l.6.h.t.* Per conteſtationem fit delegatio, ſi quis pro reo convento judicium ſubeat & litem conteſtetur, non invito actore: Igitur qui cedit actiones ſuas vel delegat debitorem ſuum creditori, prius debet jure novationis delegatione facta, liberari ſtipulatione. Quamvis enim inquit Gordianus, creditori tuo adverſus eum ſolutionis cauſa, mandaveris actiones; tamen antequā lis conteſtetur, vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denuntiaverit, exigere à debitore debitam quantitatem non vetaris, & eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere, *l.2.& 3.in princ.h.t.* quia remanet adhuc actio penes mandantem, ſeu delegantem, neq; enim incorporalia, qualia ſunt jura, facile à domino ſeparantur, vel non tam facile quā corporalia.

10 De legatis qui novat, *l.15.ff.De ſolut.* Delegari vero poteſt vel debitor ipſius delegantis, *d.l.3.* vel non debitor, ut quia delegans ei promiſit indemnitatem, *l.5.h.t.* Delegans quomodo voluntatem ſuam declarat parum refert, nam delegare ſcriptura vel nutu debitorem ſuum poteſt, *l.17.ff.h.t.* At delegatus debitor ſtitulatione obligare ſe debet ſecundo creditori cui delegatur, *l.1.h.t.* Cur in hoc neceſſaria ſit ſtipulatio, non autem in illo, ratio eſt, quod in illo tantum fit mandatum, quod nudo fit conſenſu; in hoc nova promiſſio eſt neceſſaria, quæ jure civili nudo pacto vel conſenſu non parit obligationem.

11 Delegationem debiti niſi conſentiente & ſtipulanti promittente debitore, jure perfici non poſſe reſcribit Alexander Imp. *in l.1.h.t.* At quid ſi creditor creditori ſuo deleget debitorem, an non hunc ſaltem poterit invitum delegare? Et placet nec hoc quidem eum poſſe, *d l.6.h.t.* Et recte, non eſt enim delegatio, niſi delegato promittente, nemo autem promittit per ſtipulationem invitus, & hoc differt delegatio à ceſſione & venditione actionum, quæ etiam ignorante eo, adverſus, quem actiones mandantur, contrahi ſolet, *d.l.1.* quia nova obligatione hic non implicatur debitor, ſed tantummodo veteris obligationis ſolutionem & exactionem creditor alteri mandat, *l.3.h.t.* quod invito etiam debitore fieri poteſt, iſque qui actionem redemit, ſive ſit perſonalis, ſive realis, ſuo nomine exercere eam poteſt *l.fin.ſup.De hæred. vel act.vend.* & eodem jure, ac qui ceſſit, utitur, demptis privilegiis perſonalibus, quæ à perſona cedentis non transferuntur in ceſſionarium, ut ſi pupillus vendat nomina, quia privilegium perſonæ, non cauſæ datur, *l.33.ff.h.t. l.42.ff.De admin.tutor.*

12 Quæſitum eſt, Utrum delegatio debeat fieri hodie expreſſim ſecundum *l.ult.h.tit.* Et magis eſt quod non, cum *d.l.ult.* ſe fundet in ambiguitate, quæ olim ex eo oriebatur quod ſæpe non conſtaret de animo contrahentium, an novare vellent, qui quidem animus hac in parte ſatis indicatur, cum creditori delegatur debitor, qui eidem promittit ſtipulando ſe eidem ſoluturum.

13 Cæterùm delegationis effectus, planè idem eſt qui novationis, eſt enim delegatio pro juſta præſtatione, *l.51.in fin.ff.De peculio,* & ſolutionis vicem, obtinet, *l.8.§.3.ff.ad Vell* quæ obligatio ſemel extincta non reviviſcit, *l.98.§.8.ff.De ſolut.* Nec amplius poteſt dirigi actio, adverſus debitorem, qui ſuum debitorem creditori delegavit, ſed adverſus delegatum novatione facta, *l.2.h.t.* Nec quicquam facit quod delegatus poſtea appareat non ſolvendo, *d.l.3.§.1.* quia bonum nomen creditor accepiſſe videtur, qui eo contentus fuit, idque ipſum quale initio obligationis fuit ſecutus eſt, ut ejus periculo id nomen ſit, niſi tamen periculo debitoris ab ejus debitore ſtipulatus fuerit, tunc enim pecuniæ, quæ à delegato ſervari non potuit, exactio eſt ſalva. *l.45. Paragrapho pen.ff.mand.*

14 Notandum tamen in delegatione, delegatum à debitore, fruſtra conveniri à creditore chirographario, niſi ille delegatus conſtituerit ſe ſoluturum nomine ſuo, & ita novaverit: quia creditor debitorem debitoris ſui actione perſonali, convenire non poteſt, ſine conſenſu ejus debitoris, qui debitori debet, *l.pen.h.t.* Quo pertinent juris regulæ, ut non detur actio in perſonam, niſi adverſus eum qui

Digitized by Google

nobis obligatus eſt, *l. 25. ff. De oblig. & act.* debitor autem debitoris mei non eſt mihi obligatus.

15 Eſt & ille delegationis effectus, quod exceptio, quam poterat deleganti opponere delegatus, ceſſet in perſona creditoris, cui eſt delegatus, cujuſmodi eſt exceptio doli. Itemque in cæteris ſimilibus exceptionibus quæ dantur ejus cauſa cum quo agitur, uti pacti conventi, rei judicatæ, quod metus cauſa, jurisjurandi, *l. 19. ff. h. tit.* rationem ibi hanc ſubjungit Paulus, quia in privatis contractibus & pactionibus non facile creditor ſecundus ſcire poteſt, quid inter eum qui delegatus eſt & delegantem actum ſit, aut etiamſi ſciat, diſſimulare debet, ne curioſus videatur.

16 Extenditur id ipſum ad exceptionem quæ ex ſenatuſconſulto filiofamil. datur, nam adverſus creditorem cui filiusfamil. delegatus eſt ab eo, qui mutuam pecuniam contra ſenatuſconſultum dederat, non utetur exceptione, quia ſecundus iſte creditor ſcire non potuit qua ex cauſa deberet, & quia nihil in ea promiſſione contra ſenatuſconſultum fiat, cum ſecundus creditor pecuniam filiof. non credat, ſed quam alij credidit à filiofamil. ſibi reddi ſtipuletur. Ubi non recte objicitur *l. 7. §. 6. ff. ad S.C. Maced.* ubi non ſolum ei qui ſtipulatus eſt, ſed & ſucceſſoribus ejus denegatur actio, cum agatur de eo qui eadem eſt perſona cum creditore, ejuſque nomine ſtipulatur, cum quo non eſt eadem perſona ſecundus creditor qui ſibi, non alij ſtipulatur.

Diverſum eſt in muliere, quæ contra ſenatuſconſultum Vellejanum pro alio interceſſit. Illa namque ſi delegata ſit à creditore ſuo, ſe ſua exceptione tuebitur contra ſecundum, *d. l. 19. §. diverſum.* Etenim apud ſecundum creditorem videtur intercedere, 17 ideò ſenatus ejus interceſſionem infirmat *l. 8. §. 2. ff. ad S.C. Velleſ.* Idemque eſt in minore, qui ſi circumſcriptus promiſerit, delegatus ſe tuebitur exceptione adverſus eum cui delegatus, quod duret circumſcriptio, *d. l. 19. §. Idemque.* Marito quoque priori id tributum, ut ſi poſt ſolutum matrimonium, alij in dotem cujus eſt debitor delegetur, à muliere, catenus duntaxat, quatenus ſalva dignitate facere poteſt teneatur, *l. 32. ff. ſol. matr.* nam ſubeſt idem inconveniens in hac delegatione quod ante fuit.

TITULUS XLIII.

De Solutionibus & Liberationibus.

1. *Continuatio, & quid ſit ſolutio.*
2. *Solvit non tantum is qui debet ſed & ejus hæres, & procurator nomine debitoris.*
3. *Maritus pro uxore, & vice verſa, uxor pro marito ſolvere non tenetur. Quid de conſuetudine?*
4. *Cui fiat ſolutio & alij quam creditori. Item adjecto, rectè ſolvitur.*
5. *An etiam ſervo creditoris rectè ſolvatur?*
6. *An creditori creditoris facta ſolutio, inducat ipſo jure liberationem?*
7. *Reo criminis num ſolvi poſſit?*
8. *An aliud ſolvi poſſit, quam quod creditori debetur?*
9. *Lucrum ex reſoluta factum à creditore, non avocatur. Nec fundus in ſolutum datus repetitur poſt meliorationem.*
10. *An creditori invito ſolvi poſſit debitum per partes?*
11. *Quid ſi integrum debitum recepiſſe caverit, nec id acceperit niſi pro parte.*
12. *Solutio facienda modo, & loco convento, niſi ex juſta cauſa, alio loco ſolvatur.*
13. *Solutio ante diem adjectum an fieri poſſit?*
14. *Quomodo ſolutio probetur.*
15. *Chirographi redditio, vel poſſeſſio, vel cancellatio quid operetur?*
16. *Item Chirographo reddito, cum ſubſcriptione procuratoris quod nihil creditoribus debeatur.*
17. *Effectus ſolutionis eſt, quod per eam tollatur obligatio nec amplius ſuſcitetur.*
18. *Non revocatur quod ſemel ſolutum, niſi à minore læſo, vel majore decepto ultra dimidium.*
19. *Quid juris ſi debitor ex diverſis cauſis tenebatur?*

POſteaquam tractatum eſt de novatione, qui eſt modus tranferendæ obligationis, ſupereſt ut de 1 ea omnino tollenda dicamus. Tollitur, cum debitor liberatur, ut ſolutione, acceptilatione & aliis modis. *Inſtit. quib. mod. tol. obl.*

Solutio eſt naturalis præſtatio, ejus quod debetur, ſive pecunia debeatur, ſive alia res, ſive etiam factum. Eaque ſpeciatim ſolutio eſt, generatim autem ſolutio pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam *l. 49. ff. h. t.* In qua ſpectamus quis, cui, rectè ſolvat, quid & quantum ſolvendum ſit, quomodo, quo loco, quo tempore ſolutio fieri debeat, tum etiam quis ſolutionis ſit effectus.

Regulariter debitor ipſe debita quæ contraxit ſolvere tenetur, eo autem defuncto ſolvendi neceſſitas incumbit debitoris hæredi, ut qui in omne jus defuncti ſuccedit. Et quidem in arbitrio eſt hæredis primo venienti creditori ſolvere & reliqui creditores ſibi imputare debent, quod ipſi non vigilarint, nec ab alio concreditore ſuo ſolutum repetere poſſunt, *l. 22. §. & ſi præfatam Cod. de jure delib.* Item pro debitore rectè ſolvit procurator, vel alius quivis, modò non ſuo, ſed debitoris nomine ſolvat: Nam à quocunque debitum ſolvatur, etiam invito & inſcio debitore contingit liberatio, *l. 17. h. t.* cui cavetur magis, quam obligationi, *l. 47. ff. De obl. & act.* ut non obſtet juris regula, qua dicitur invito beneficium non dari *l. invito 69. ff. De Reg. jur.* quia hoc beneficium liberationis, non tam pendet

pendet ex voluntate liberati, quam ex voluntate creditoris, cum quo magis quam cum debitore negotium geſtum eſſe videtur, utpote, qui diſtrahere poſſit nomen ſeu obligationem invito debitore, *l. 3. ſup. de hær. & act. vend.* Attamen nulla huic pro alio invito ſolutionem offerenti actio competit, adverſus extraneum creditorem, qua eum poſſit cogere, ut ſibi jus obligationis cedat quod adverſus debitorem habet, niſi jus iſtud. ſive nomen, à creditore emerit, *l. 5. h. t.* Alia eſt cauſa procuratoris omnium bonorum, qui mandati actionem habet, quamvis dominus ſolutionem ratam non habeat, *l. 87. ff. h. tit.* Si tamen procurator meus pecuniam meam quam pro me, ut creditori meo, pro me ſolveret, acceperat, non nomine meo, ſed ſuo potius dederit, ea ſolutione non liberor, *l. 17. ff. h. tit.* Rectè igitur in *d. l. 5.* dicitur nomine debitoris, nam alioqui ſolutio eum non liberaret, & poſſet qui ſuo nomine ſolvit, quaſi ipſe deberet ſolutum repetere, quod non poſſet, ſi pro debitore ſolviſſet, *l. 8. 19. §. 1. & 44. ff. De condict. indeb.* præterea ut ſolutio liberationem inducat, facienda eſt ab eo qui licentiam habet res ſuas adminiſtrandi & diſtrahendi, quam non habet pupillus, furioſus, prodigus, qui ſi ſolverint fortè, ſolutum vindicari poſſe palam eſt, *l. 14. in fin. & l. 15. ff. h. t.* Servus cui periculum eſt conceſſum rectè ſolvit, cum & rectè mutuum det, ex tacita conceſſione ſui domini, *l. 32. & 35. ff. eod.*

3 Cæterùm uxor marito, aut maritus pro uxore non tenetur debita exſolvere, *Tit. C. ne uxor pro mar.* etiamſi contra ſint alimentorum cauſa Gravæus *l. 2. pract. obſ. 90.* de conſuetudine verò receptum videmus, quod uxor mariti & maritus uxoris debita ſolvere teneatur, ut obſervat Gail. *2. pract. obſ. 90.* maximè ubi uterque communem negotiationem maritus pecuniam, vel merces non accepit vel comparavit, ſed ad ſuam tantùm utilitatem contraxit, quod tunc uxor pro marito non teneatur, quia creditum in communem negotiationem verſum non eſt, *l. 82. ff. pro ſocio.*

4 Creditori ipſi, utiq; majori & ſanæ mentis rectè ſolvitur, & cui creditor hoc nominatim mandaverit, uti etiam verò procuratori, cui res omnes adminiſtrandæ mandatæ ſunt, adminiſtrationis enim verbo, tacitè exactio pecuniæ conceſſa videtur. Solent quandoq; alij ſolutionis gratia, in contractibus adjici, creditori quod accidit cùm creditor ſibi, aut Titio ſolvi ſive dari ſtipulatur, & huic adjecto, tuto ſolvi poteſt, atq; cùm illi ſolvitur, ipſi creditori ſolvi intelligitur, *l. 12. ff. h. t. & l. 7. §. 1. ff. De conſtit. pec.* adeò ut per talem ſolutionem debitor ipſo jure liberetur, *§. ſi quis alii, Inſt. de inut. ſtipul.* verùm cum dico procuratori rectè ſolvi, hoc intelligendum quamdiu ejus mandatum durat, eo vero vel per revocationem, vel per mortem domini finito, ipſi amplius ſolvi non poteſt. Interdum tamen & non procuratori rectè ſolvitur, ſi factam ei ſolutionem dominus ratam habuerit, *l. 12. h. t. & l. 13. ff. eod.* Quod obtinet in debitore mulieris qui marito rectè ſolvit, dummodo illa major ætate conſenſerit, & ſolutionem factam ratam fecerit, *l. 11. h. t.* Solvi quoque poteſt tutori, curatori vel ei qui pro tutore negocia gerit. Ipſis verò pupillis, & adoleſcentibus non rectè ſolvitur, ſine auctoritate tutoris vel curatoris, *l. 14. §. 1. l. 28. & l. 49. ff. h. t.*

5 Nihil quoque intereſt, utrum creditori mutuam pecuniam debitor ſolverit, an ex ejus voluntate ſervo numeraverit, *l. 4. in princ. h. t.* nam debitor ei ſolvens omninò liberatur. Idem dicendum ſi ſervo actori ſolverit, id eſt, ei qui mutuis pecuniis dandis & exigendis à domino præpoſitus eſt, *l. 19. h. t.* Quin etiam ſi ab eo ſervo liberam peculij adminiſtrationem habente, mutuam pecuniam acceperit, eamq; debitor exſolverit, priuſquam ademptum peculium cognoſceret, ea ſolutione liberatus eſt, *l. 3. h. t.* videtur enim voluntate domini, qui cum ſervo contrahit, ab eo accipere & ei ſolvere. *l. 35. ff. h. t.* Sed quid ſi poſt juſſum, ſed ante ſolutionem mortuus fuerit dominus? intereſt ſanè utrumne ſciverit mortem debitor, an ignoraverit, nam hoc caſu ſolvens liberabitur, illo non item, *l. 18. & 32. & d. l. 35. ff. h. t.* Planè ſi mortuus ſit dominus priuſquā inſtrumentum redderet, ſolutione debitor liberatur, *l. 4. h. t.* ita ut chirographum ſive inſtrumentum amplius nec defuncto ejuſve hæredibus proſit, nec debitori noceat, *d. l. 19. h. t.* cum illud tantum contineat obligationem debitoris, quam conſtat jam ſublatam eſſe ſolutione. Ea namque tollitur obligatio ipſo jure & ſequitur liberatio.

6 Sed dubitatur utrum creditori creditoris facta ſolutio inducat liberationem ipſo jure, an ope exceptionis? Diſtinguo, nam aut fuit cauſa ſolvendi creditori mei creditoris, & ſi eadem fuerit cauſa obligationis, ſolutione continget & debitoris & creditoris liberatio ipſo jure: ut in ſpecie *l. 36. ff. de negot. geſt. & l. 11. §. 5. ff. De pign. act.* Aut non fuit cauſa, res tamen verſa eſt in utilitatem creditoris, & continget liberatio tantum per opem exceptionis, *l. 6. ff. De doli mali & met. except.* cum enim in ejus commodum verſa ſit ſolutio, licet abſque mandato & ſine cauſa, malè tamen iterato petit quod jam habet. Quod ſi non interfuerit creditoris ſolvi ſuo creditori pecuniam debitam, ut quia exceptione tutus erat, aut retentionem compenſationemve ſalvam habebat, nulla continget liberatio, *Gloſſ. in l. 43. ff. de negot. geſt.*

7 Reo criminis poſtulato, nihil prohibet rectè pecuniam à debitore ſolvi, alioquin pleriq; innocentium neceſſario ſumptu egebunt, *l. 41. ff. h. t.* niſi reus fuga ſe ſubduxerit, & bona ejus interim annotata ſint & ſequeſtro commiſſa, *l. fin. §. fin. ff. De requir. reis.* vel perduellionis crimine ſit incuſatus, quo

Digitized by Google

caſu ſuorum bonorum liberam, crimine ipſo commiſſo, non habet diſpoſitionem, *l. fin. C. ad L. Jul. Maj.* In aliis contrà, in quibus & ipſe reus aliis libere ſolvere poteſt, *l. 42. ff. h. t.* ſi non in fraudem fiſci id faciat.

8 Videamus nunc quid & quantum ſolvendum ſit. Solvere autem debitor tenetur id quod debet, & non aliud, ſive res, ſive factum fuerit. Nam alia res pro alia, nec aliud factum pro alio ſolvi poteſt, *l. 7. & l. 20. h. t.* niſi conſentienti creditori, *l. 16. h. t.* invito enim non eſt auferendum jus ad rem, quæ erat in obligatione, *l. 2. §. mutui ff. De reb. cred.* Interdum tamen etiam nolenti, loco rei ſolvitur ejus æſtimatio, aut quia neceſſitas cogat, veluti cùm res quæ debita eſt præſtari nequit, quoniam periit, aut quia res ſit aliena, quæ à domino abſque magno incommodo redimi nequeat, *Auth. Hoc niſi h. t.* Inde inferunt pragmatici, pro re fungibili veluti vino, oleo vel frumento, creditorem teneri accipere pecuniã, quando debitor frumentum vel vinum non habet, nec ſine magna difficultate habere poteſt, modo probet ſe adhibita diligentia frumentum vel vinum promiſſum comparare non potuiſſe. Joan. Koeppe *Deciſ. q. 25. num.* 10. tunc quippe neceſſitas, aut inopia debitoris facit, ut creditor aliud acceptet, ſi velit ſibi ſatisfieri, aut niſi eam poteſtatem habeat ſibi conceſſam debitor à lege uti in noxalibus, *l. 6. §. 1. ff. De re jud.* Aut niſi certæ ſpeciei nummos debeat, quos in alia ſpecie cogitur creditor accipere, ſi inde damnum paſſurus non ſit, *l. 99. ff. h. t,* de qua plenius egi *ſup. ſi certum pet.* & multis agit Ant. Faber *in ſuo C. h. t. definit. 27. 41. & qq.* Item excipitur ſolutio ſi volente creditore facta ſit, ut quia ab initio convenit, ut res alia ſolvi poſſet, quam quæ in obligatione eſt, *d. l. 17. & l. 115. in fin. ff. De verb. oblig.* licet enim cuique jus ſuum remittere.

9 Hinc pro pecunia quam debitor mutuo accepit, bona immobilia, puta fundum quem habet meliorem, creditori ſuo offerre poteſt, ita ut offerendo, eundemque præſtando liberetur, *d. Auth. Hoc niſi*; modo, ut dixi, probet debitor, ſe facultatem non habere in pecunia numerata ſolvendi. At quid, ſi creditor fundum ſibi ſolutum multò meliorem fecerit, ſive etiam vendiderit multò pluris, quam debebatur, ſanè hanc induſtriam, atque hunc eventum ipſi creditori prodeſſe debere, non debitori, optimè reſcriptum eſt *in l. pen. h. t.* quia ſi res ſoluta periret creditori eidemque domino ſuo periret: hoc autem ſecundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda *l. 10. ff. De reg. jur.*

10 Quæritur an creditori invito ſolvi poſſit per partes? Et non poteſt, niſi ita ſit conventum, quia ſolutio partium non minima ſolet habere incommoda, *l. 3. ff. famil. erciſ.* veluti ſi quis pecuniam pro qua reditum debet, ſolvere per partes velit, quia hic non eadem eſt commoditas creditori, alium ſimilem reditum comparandi, cum tota ſumma ſimul & ſemel non numeretur. Facit *l. 41. §. 1. ff. de uſur.* ubi debitor qui minorem pecuniæ ſummam quam debebat, obligavit, nihilominus ad uſuras conſignatæ pecuniæ tenetur. Etenim manifeſtum eſt debitorem liberari obſignatione pecuniæ ſolemniter facta dummodo tamen *totius debitæ pecuniæ* fiat oblatio, ut dicitur *in l. 9. h. tit.* Non obſtat *text. in l. 21. ff. de reb. cred.* cum agat, ut aliqui volunt, de debito partim liquido, partim illiquido, ut patet ex verbis & *reliqua perſequi*, quæ videlicet non erant liquida. Poteſt etiam dici, *d. l. 21.* non velle ipſo jure cogi poſſe creditorem accipere partem, ſed humanius eſſe (ita exigentibus cauſæ circumſtantiis) ut per prætorem compellatur accipere id quod offertur, cum ad officium ejus pertineat lites diminuere. Fachinæus *l. 10. contr. cap. 59.*

Porro ſi cum tantum partem debitæ quantitatis 11
creditor acceperit, apocham nihilominus dederit quaſi totum debitum accepiſſet, non prohibetur reſiduum petere, quoniam opocha vim acceptillationis non habet, *l. 6. h. t.* niſi de eo quod non accepit debitorem liberaverit, pacto tranſactionis donationiſve cauſa interpoſito, *d. l. 6. & l. 21. h. t.* tunc enim reſiduum exigenti obſtabit iſtius pacti exceptio. Contra tamen audietur creditor, ſi parte debiti accepta, probet ſe falſo ſcripſiſſe quod univerſum debitum receperit, figmento inquit Imp. veritatis extingui nõ potuit, obligatio, *l. 13. h. t.* quaſi diceret, falſa apocha non proderit debitori, ſed ab eo reſiduum peti poteſt. Idemque eſt ſi ſpe futuræ numerationis, quis ſcripſerit ſe pecuniam accepiſſe, quam revera non accepit, *d. l. 21.* aut in litteris confeſſus ſit, totum ſe jam debitum recepiſſe, quod ne quidem poſtea accepit, tota namque petitio debiti ſalva manet, nihilque apochæ, vel ſcripturæ legitimam exactionem impedire poſſunt, cum illæ non habeant vim acceptilationis, *l. 23. hoc tit.*

Sequitur de modo, loco, & tempore ſolutionis: 12
Modus & forma ſolutionis eſt ipſa naturalis, id eſt, realis præſtatio debiti: ut cum debitor in conſpectu creditoris rem ipſam debitam ejus eſſe facit, & poteſtati ſubjicit, *l. 49. & pen. ff. h. t.* atque in eo differt ſolutio à cæteris modis diſſolvendæ obligationis, de quibus mox dicemus.

Solutio ex lege obligationis facienda eſt *in loco* 13
congruo, quod placuit *l. 9. h. t.* aliàs non continget liberatio, ſtipulatore invito, eſt enim eo loco debitum, juriſque dictat ratio ſolutionem debere eſſe conformem obligationi, *l. 9. §. 9. ff. de eo quod certo loco.* Excipe niſi juſta ſubſit cauſa, cur alio loco, quam convento debitum ſolvatur, veluti ſi ad illum locum tutò accedi propter bellum, vel peſtem non poſſit. *l. 8. h. t.*

Item fieri debet ſolutio *dicto die*, non ulteriori, 14
imo

Digitized by Google

imò nec ante diem conſtitutam debitor tenetur ſolvere, poteſt tamen ſi velit, cùm dies ſit adjectus in gratiam illius, qui poteſt juri ſuo renuntiare; & cùm continuò ſit orta obligatio, quid ni continuo diſſolvitur? niſi aliud obſtet, ut quia appareat creditoris quoque cauſa diem eſſe adjectum, tunc enim eo invito per debitorem non poterit anticipari ſolutio, *l. 70. & l. 98. §. 4. ff. h.t. l. 17. ff. de reg. jur.*

15 Porrò ſi dubitetur an ſolutum ſit, necne, creditor probare non tenetur obligationem durare, ſed debitori aſſeveranti ſolutum eſſe, onus probationis incumbit, *l. ult. h.t.* Probatur autem non ſolùm teſtibus, ſed & conjecturis, veluti ſi chirographum debitori redditum ſit, *l. 2. ff. de pact.* Niſi creditor contra voluntatem ſuam ad eum perveniſſe chirographum doceat, *l. 15. h.t.* vel alio modo conſtet & probetur non eſſe ſolutum.
16 * Eſt tamen præſumptio juris urgentiſſima pro debitore, qui profert chirographum acceptæ pecuniæ mutuæ, quamvis majorem fidem faciat & rei geſtæ probationem contineat inſtrumentum ſolutæ pecuniæ, *l. 14. h.t.* Refert an chirographum cancellatum ſit, nam illud licet præſumptionem inducat ſolutum fuiſſe debitum, non tamen excludit probationem contrariam creditoris, *l. 24. ff. de probat.* Quemadmodum ſolutionem probanti debitori nihil obeſt inductum, vel cancellatum fuerit, *l. 22. h.t.* probatâ enim ſolutione inſtrumentum obligationis redditur inane, itemque chirographum quod integrum remanſit penes creditorem, *l. 19. h.t.* videatur Ant. Faber *Cod. h.t. definit.* 28.

17 Cæterùm ſi hæres procuratoris chirographa obligationum, quas in rem domini contraxit, ei reddiderit, cum ſubſcriptione procuratoris ſignificante, *quod nihil creditoribus debeatur*, non tollitur quæſtio, utrùm domini, an procuratoris pecunia creditoribus ſatisfactum ſit, & ideò non prohibetur illius hæres probando ſolutionem ex ſua pecunia proceſſiſſe, eam repetere, *l. 18. h.t.* generalis iſta locutio, creditoribus nihil deberi, non ad alia pertinet, quam ad ea de quibus prius ſpecialiter actum eſt, *l. 31. ſup. de tranſact.* in chirographis autem in quibus erat hæc ſubſcriptio, non agebatur de perſona loquentis, ſive procuratoris, ſed de creditoribus, ad quos chirographa pertinebant.

18 Poſtremò declarantur effectus ſolutionis, inter quos eſt, quod debitor per ſolutionem liberetur ipſo jure ab obligatione *inſt. quib. mod. tol. obl. in pr.* orta videlicet ex ea cauſa ex qua ſolvit, neque creditore ante redditum debitori chirographum moriente, obligatio exſuſcitatur, *l. 4. §. 1. h.t.* neque ſi chirographum manſerit penes creditorem poſt ſolutionem, *l. 22. h. t.* Quo fit ut debitor ſolutione facta, & probata, poſſit chirographum à creditore repetere, actione ad exhibendum & poſtea vindicare, vel condicere, *juxta l. ult. h.t.*

19 Alter effectus eſt quod ſolutione rei dominium transfertur in creditorem, ſi videlicet debitor ſit dominus, alioquin transfertur uſucapiendi conditio. Eodem pertinet quod non poſſit ejus hæres quod ſolutum eſt revocare, licet pro debito mancipia dederit, ſive rem aliam pro alia, *l. 10. h.t.* dummodò ſolvens major fuerit 25. annis, nam ſi minor aliud pro alio ſolverit, nihil alienat ſi res immobilis ſoluta eſt, aut ſi ex decreto magiſtratus, vel auctoritate curatoris ſolvit & læſus eſt, conſequitur beneficio ætatis in integrum reſtitutionem, *l. 44. ff. de minoribus.* Planè quoniam emptioni comparatur datio in ſolutum, *l. 4. infr. de evict.* ſi major ætate debitor, in ſolutum dederit, rem quæ in duplum excedat quantitatem debitam, poterit agere ex *l. 2. ſup. de reſc. vend.* Itemque ſi erravit in quantitate debiti, veluti cùm falſo exiſtimaret ſe debere mille, cùm tantùm deberet centum, & dedit in ſolutum fundum, qui mille valet, certè illum condicere poterit: ſecùs eſt ſi in æſtimatione fundi erraverit, quia tunc tantùm ſuperfluum pretij poterit repetere, ſalvâ datione in ſolutum, *l. ult. §. 4. C. de jur. dom. imp.* ibi Bart. Item Caſtr. Alex. *& alij ad l. 26. §. 4. ff. de cond. indeb.*

Quod ſi ex diverſis cauſis debitor quis ſit, tum 20
ea tantùm obligatio tollitur, in quam expreſſit debitum ſolutum. Eſt enim in arbitrio ſolventis dicere, quod potiùs debitum voluerit ſolutum. Quod ſi debitor id non dixit, in quam cauſam ſolutum vellet, tunc in arbitrio creditoris accipientis eſt, in re præſente conſtituere, cui potiùs debito acceptum ferat, *l. 1. h.t.* Si verò ſolutionis tempore, neuter expreſſerit voluntatem ſuam, id eſt, in quam cauſam ſolutum, vel acceptum debitum vellet, diſpiciendum erit, an inter plures cauſas aliqua ſit, ex qua debitor jam compelli ad ſolvendum poſſit ex quibus verò non poſſit, quales ſunt in diem, & conditionales obligationes, item obligatio merè naturalis. Nam hoc caſu ex illa, non ex his ſolutum creditor accepto ferre jubetur, *l. 3. l. 103. ff. h.t.* Quod ſi debitor ex omnibus cauſis jam compelli ad ſolvendum poſſit, multum refert utrùm de pluribus ſummis principalibus agatur, an vero de ſorte & uſuris. Si de pluribus ſummis principalibus agatur, hæc definitio certi juris tenenda eſt, non poſſe creditorem poſteà conſtituere in quam ſummam acceptum ferat, quod ſolutum eſt, niſi in duriorem & graviorem. Gravior & durior cauſa eſt, quæ ex famoſa cauſa debetur, mox ejus quæ pœnam continet, deinde quæ ſub hypotheca vel pignore contracta eſt, poſt hunc ordinem potior habetur ex propria, quam aliena obligatione, id eſt, ex fidejuſſione. His ceſſantibus ſi par ſit cauſa debitorem, antiquiori contractui adſcribenda eſt ſolutio, ſuperfluum ordini ſecundo vel in totum, vel pro parte minuendo videbitur datum, *l. cùm ex 97. ff. h.t.* Quod ſi par & dierum & contractuum cauſa ſit, ex omnibus ſummis

mis

Digitized by Google

mis pro portione videbitur ſolutum, *l.8.ff.h.tit.* Diſparem autem cauſam debiti non facit major vel minor ſumma, ſed cauſa ex qua debetur res, *l. ſi in duabus* 104. *ff. De reg. jur.* Porrò ſi de ſorte & uſuris agatur, ex quibus ſortis obligatio principalis eſt, uſurarum acceſſoria. Hic ſi quid ſolutum ſit quod ad utramque cauſam non ſufficiat, neutro exprimente ſuam voluntatem, tunc priùs id; quod ſolvitur in uſuras, deinde in ſortem accepto ferri debet, proindeque in eam cauſam in quam accepto ferri creditori expedit, non debitori, *d.l.* 1. *h.t.* ſi quidem ſorte ſoluta, uſurarum acceſſoria tollatur obligatio, *l.26. in princ. C. De uſur.* ſi ampliùs ſolutum ſit, quam in uſuras acceptum feratur, quod ſupereſt in ſortem cedit, *l.5.ult. ff. h.t.*

21 Secunda Tit. pars eſt *De liberationibus*, quarum variæ cauſæ exponuntur. I. *Solutio* de qua dictum fuit. II. *Oblatio* rei debitæ non ea quæ verbalis tantùm, quæ fit quando debitor dicit ſe paratum ſolvere, ſed & realis, quando rem ipſam repræſentans paratus eſt de menu in manum tradere, & nolente accipere creditore, eam obſignat & deponit, *l.9. h. tit.* Obſignatio & depoſitio iſta; ſolemniter facta, apud Magiſtratum, vel ejuſmodi loco tuto, vim habet ſolutionis, ut mox liberet plenè debitorem, quamdiu is rem ad ſe non receperit & ſiſtere facit curſum uſurarum, ut dixi *ſuprà de uſur. n.*30. III. *Confuſio* idem operatur quod ſolutio, nempè cùm jus duarum perſonarū (quas in obligatione diſtinctas eſſe oportet) in unam eandemque perſonam devenit, veluti ſi creditor debitori, aut debitor creditori, aut tertius utrique ſucceſſerit, *l.75.ff.h.t.* quia res ad eum caſum devenit, à quo inchoari nequit. Eo pertinet Alexandri Imp. reſcriptum liberari fidejuſſores, quoties fiſcus tam debitori, quàm creditori ſuccedit; licet diverſarum ſint ſtationum debitor & creditor, *l.2.h.tit.* Habet enim fiſcus varias ſtationes, ſive manſiones in quibus Procurator fiſci rationalis Cæſaris adminiſtros ſuos habet, *l.1. ſuprà de compenſ.* IV. *Compenſatio* debitorem quoque ipſo jure liberat, & vim ſolutionis habet, *l.7.h.t.* cùm ſit debiti & crediti mutua contributio, in alia ſignificatione accipitur *in l.* 20. *h. t.* nimirum cùm aliud pro alio ſolvitur, & ita res cum re debita compenſatur, ut & in *l.6. ſuprà de rei vind.* V. *Reſtitutio* chirographi à creditore facta debitori, eum liberat ab obligatione, quæ tamen non tam ipſo jure tollitur, quàm potiùs inducitur tacitum pactum de non petendo, ex quo datur debitori exceptio, *l.2.§.1.ff. De pact.* Cæterùm debitori redditum chirographum contra voluntatem creditoris, ei non nocere certum eſt, per *l.* 15. *h.t.* VI. *Pacto* expreſſo tollitur omninò ea obligatio quæ conſenſu contrahitur, quod ſi aliter fuerit contracta, naturalis dumtaxat perimitur obligatio, *l.95. §.4.ff.h.t.* eadem eſt jurisjurandi ratio. VII. *Interitu* rei liberatur debitor, nimirum cùm abſque ejus culpa res in rebus humanis eſſe deſiit. *l.pen.h.t.* At cùm duæ res ſub alternatione promittuntur, perempta una, nihilominus altera peti poteſt. *d.l.* 95. *in princ.*

TITULUS XLIV.

De Acceptilationibus.

1. *Acceptilatio quid & quomodo fiat?*
2. *Accepto ferre quæ perſonæ poſſint, vel non poſſint?*
3. *Effectus acceptilationis.*
4. *Acceptilatione tollitur ipſo jure obligatio verbis contracta.*
5. *An aliæ obligationes tolli acceptilatione poſſint?*

OBligatio etiam per acceptilationem tollitur ipſo jure. *Eſt autem acceptilatio imaginaria ſolutio*, habens ſcilicet imaginem veræ & naturalis ſolutionis, ex vi & poteſtate legis, vel: *Acceptilatio eſt liberatio, per mutuam interrogationem, qua utriuſque contingit ab eodem nexu abſolutio. l.1. ff. h. t. & §.1. Inſtit. quib. mod. toll. obl.* Acceptum ferre eſt confiteri accepiſſe, quod non accepimus. Veluti cùm creditor cui quid ſolemnibus verbis promiſſum eſt, rogatus à promiſſore, an *quod ei promiſit habeat acceptum, reſpondet ſe habere acceptum*, liberandi ejus cauſa. Non refert quo idiomate fiat, modò reſponſio interrogationi congruat, *l.6. & 8.§.ult.ff.h.t.* fieri autem in diem, neque ſub conditione poteſt, *l.4. & 5. ff. eod.* Quod adeò verum eſt, ut die interjecta, vel conditione tacitâ non vetietur, juxta *l. 77. ff. De reg. jur.* Nam ſive defecerit, ſive eventum conditio tacita ſortita fuerit, ſemper ipſo actu liberatio contingit, quæ liberatio impediri videtur aliquâ conditione expreſsè additâ. 1

Perſonæ per quas confici acceptilatio poteſt ſunt creditor cui debetur, & debitor qui debet. Cùm enim ſit quædam verborum conceptio, nemo ſtipulatione alteri quærere regulari jure poteſt, *l. 38. §. alteri ff. De verb. obligat.* Per procuratorem itaque nec liberari, nec liberare quiſquam acceptilatione ſine mandeto poteſt, *l.3. ff.h.t.* ſeu nec is, nec tutor, nec curator furioſi, vel prodigi acceptum ferre poſſunt, niſi priùs novarint obligationem & in ſuam perſonam tranſtulerint, *l. 13. ff. h. t.* ſervus quoque nec juſſu domini acceptum ferre poteſt, videlicet quod domino debetur, niſi priùs ſibi ſtipuletur & novet. Poteſt tamen ſervus liberare dominum, & filius patrem à debito quod debent, rogando per acceptilationem, quia hæc liberatio eſt ſpecies acquiſitionis, *l. 22. & l.11. ff.h.t.* Porrò ex conſtitutione Antonini conſtat pupillum liberare ſiſum debitorem non poſſe, niſi tutoris auctoritate interveniente & ſolemnibus verbis, *in l. 1.h.t.* At verò pupillum per acceptilationem, 2

Digitized by Google

tionem, etiam ſine tutoris auctoritate liberari poſſe placuit, *l. 2. ff. eod.*

3 Effectus acceptilationis eſt, quod per eam ipſo jure liberetur debitor, ita ut nulla ampliùs agendi via ſuperſit creditori ut declaratur *in d. l. 2.* Idemque *in l. 3. h. tit.* cum hac exceptione, niſi juſta ſit cauſa in integrum reſtitutionis. Prætereà notandum nihil referre an pecunia fuerit ſoluta nec ne, nam & donationis cauſa poteſt fieri acceptilatio, *d. l. 2.*

4 * Cæterum non quælibet tollitur obligatio per acceptilationem, ſed quæ verbis eſt contracta, cùm nihil tam ſit naturale, quàm unum quodque eo genere diſſolvi quo colligatum eſt, *d. §. 1. Inſt. d. t. l. 35. ff. De reg. jur.* Quare ſi accepto feratur ei, qui re obligatus eſt, exceptione pacti, vel doli mali ſe tueri poterit, *l. 19. ff. h. t.* At verò ſi accepto feratur ei, qui ſolo conſenſu eſt obligatus, ipſo jure obligatio tollitur, non vi acceptilationis, ſed conventionis, quia hujuſmodi obligationes, quæ conſenſu contrahuntur, contrario conſenſu tolluntur, *l. ult. ff. h. t. d. l. 35.*

5 An non ergò aliæ obligationes tolli acceptilatione poſſunt? Poſſunt quidem, ſed hâc cautelâ, ſi id quod ex alia cauſa debetur, interveniente novatione, deducatur in ſtipulatum, & per acceptilationem diſſolvatur. Hinc eſt quod novationis fiat mentio in hac ſtipulatione interponenda *in l. 2. h. t.* Atque in hanc rem recepta eſt formula Aquilianæ ſtipulationis, v. g. *Quidquid te mihi ex cauſa mutui, aut ex vendito debere conſtat, dare ſpondes? ſpondeo.* Jam quod ex cauſa mutui, aut venditi debitum erat, debetur ex ſtipulatione, & proinde tolli per acceptilationem poterit, debitore interrogante, *Quod tibi debeo acceptum fers*, & creditore reſpondente, *Acceptum fero:* hujus Aquiliæ ſtipulationis formulæ meminit, *l. ult. h. t.* ejuſque uſus magnus eſt in tranſactionibus, *l. 3. 4. 15. & 40. ſuprà de tranſaction.*

TITULUS XLV.

De Evictionibus.

1. *Continuatio. Evicta res quando vere dicatur.*
2. *Venditor quia evictione obligatus eſt non agit; nec ejus ſucceſſor. Quid ſi venditor rem evicit?*
3. *An fidejuſſor venditoris rem evincere poſſit? & quid de ejus hærede?*
4. *Præter venditorem & ejus hæredem, tenetur de evictione procurator, fidejuſſor, & is qui in ſolutum dedit.*
5. *Pignoribus ex cauſa judicati diſtracta evictis, tenetur de evictione debitor.*
6. *Tenetur & qui ex cauſa permutationis rem dedit, aut diviſit rem communem.*
7. *An evictio locum habeat in venditore hæreditatis?*
8. *An teneatur de evictione venditor propter agnatum retrahentem rem jure proximitatis?*
9. *An donator teneatur de evictione?*
10. *Utrum ſit locus evictioni in re legatâ, vel in dotem data?*
11. *Quæ actio de evictione competat emptori.*
12. *A quo ſumptus in rem poſſeſſam factos recuperet.*
13. *An pretium reddendum quod fuit tempore evictionis, an contractus?*
14. *Quid conſequatur emptor actione ex ſtipulatione ſimplæ aut duplæ?*
15. *Quæ præterea remedia emptori, cui res evicta eſt, competunt.*
16. *Intereſſe in materia evictionis, an duplum poſſit excedere?*
17. *Si pars evincatur utrum intereſſe tantùm præſtari debeat, pro rata partis evictæ?*
18. *Fundo pro parte indiviſa evicto, regreſſus datur pro quantitate partis evictæ. At pro parte diviſa datur pro bonitate loci.*
19. *In quibus cauſis non competat evictio, ſi res quam conſtat eſſe alienam nedum ſit evicta. Excipiuntur tres caſus.*
20. *Actio ob evictionem non ante ceſſat, quam res ſit evicta, ideò nullâ præſcriptione excluditur.*
21. *Quid ſi res nondum evicta pereat?*
22. *Utrum præſtetur evictio, ſi quid ex finibus demonſtratis evincatur?*
23. *Si pactus ſit venditor ne evictionis periculum præſtet.*
24. *Quid ſi emptor rem alienam ſciens emerit? non præſumitur ſcire alienam ex eo quod ſtipulatur.*
25. *An emptor rei alienæ ſcienter, eâ evictâ, pretium repetere queat?*
26. *Quid ſi nominatim ſtipulatus ſit de evictione?*
27. *Quibus caſibus ob culpam emptoris ceſſet evictio?*
28. *Ceſſat evictio ſi emptor non denuntiaverit venditori litem motam, niſi notoriè venditoris cauſa ſit injuſta.*
29. *Denuntiatio requiritur, licet venditor ſciat litem eſſe motam.*
30. *Defendente venditore, ſi res evicta ſit, utrum emptor poſſit iterum de eadem re agere, ex perſona venditoris?*
31. *Sententia lata contra emptorem in cauſa evictionis, an ei ſit regreſſus contra venditorem?*
32. *Si emptor in lite obtinuit, utrùm recuperet à venditore ſumptus, quos fecit in litem?*
33. *Quibus fieri debeat denuntiatio litis?*
34. *Quomodo facienda & cur ſimplex denuntiatio ſufficiat?*
35. *Quando facienda?*
36. *Quonam in foro debeat venditor defendere emptorem.*
37. *Quid ſi ſit clericus an cogetur ſequi forum emptoris.*
38. *Referuntur caſus alii quibus ob culpam emptoris ceſſet evictio.*

39. Item ſi per injuriam Judicis victus ſit, & non appellaverit à ſententia.

1 CUm de Evictione plerumque caveatur per ſtipulationem duplæ, vel ſimplæ, non incongruè de ea hoc loco tractatur. Eſt autem *Evictio* rei noſtræ, quam adverſarius legitimo titulo acquiſivit, per judicem facta recuperatio. Evicta tunc res cenſetur ſi ita amittatur, ut eam emptori habere non liceat, & ſpes habendi ſit abſciſſa, *l.* 34. §. 1. *& l. ſeq. ff. h. tit.* Quod enim evincitur in bonis noſtris non eſt, *l.* 190. *ff. De reg. jur.* ſiquidem res aliena vendita, ſine conſenſu domini, per dominum emptori auferri poteſt, *l.* 28. *ff. De contr. empt.* Niſi poſtea dominus ratam habuerit alienationem.

2 Vel niſi res quæ aliena vendita eſt, perveniat in dominium venditoris, quo caſu firmatur venditio, neque poteſt eandem tanquam alienam venditam ab emptore petere. Quia nemini dubium eſt vindicantem venditorem rem, quam ipſe vendidit, exceptione doli poſſe ſubmoveri, quamvis alio jure dominium quæſierit, improbè enim à ſe diſtractam evincere conatur; cum ejus intentionem per exceptionem elidere emptori integrum ſit, niſi malit re ablatâ, ex cauſa ſtipulationis duplum conſequi, *l.* 17. *ff. h. t.* Quamobrem hinc conſtat venditorem evincere rem non poſſe, nec etiam ejus hæredem, eo nomine quo hæres ſit, *l.* 14. *h. t.* quia cogitur præſtare factum defuncti, *l.* 24. *ſupr. De rei vind.* proinde ſi emptor venditori evincenti non oppoſuerit exceptionem, ſed paſſus ſit rem evinci, ſalva nihilominus ipſi eſt actio ex ſtipulatu, vel ex empto contra venditorem, vel ejus hæredem, *l.* 18. *ff. h. t.* ibi Coſtalius, nec enim novum eſt ut qui ſuccubuit in lite per modum exceptionis, poſſit etiam regredi per modum actionis.

3 Idem ferè dicendum in perſonâ fidejuſſoris venditoris, qui non poteſt rem evincere, *l.* 11. *h. t.* quia per fidejuſſionem de evictione ſe obligavit, dolo quippe facit, qui petit quod ſtatim reſtituturus eſt, non obſtat *l. ult. h. t.* quæ non loquitur de fidejuſſore, ſed de ipſius hærede, qui ex ſua perſona vindicare non impeditur rem, pro qua defunctus intervenit ſava tamen & contra hunc actione evictionis, ex jam dicta ratione, *d. l. ult.* Facit in hanc rem quod fidejuſſor tantùm compellatur ratione præſtiti conſenſus in rem vendendam, quo ſibi præjudicat, & illi qui ex jure ejus ſcilicet hæreditario velit rem vindicare, non etiam pro prio jure quo hæredi permiſſum eſt, vindicare rem ſuam, quia conſenſus fidejuſſoris defuncti hunc caſum non incluſit, ut aſſerit Barboſa *ad l. Lucius num.* 26. *ff ſoluto matr.* Videamus igitur qui teneantur de evictione.

4 Tenetur itaque de Evictione venditor & ejus hæres, *l.* 9. *&* 18. *h. t.* quocumque gradu conſtitutus; *l.* 23. *in princ. h. t.* Quod autem venditor teneatur, ratio eſt, quia rei venditæ poſſeſſionem debebat emptori tradere, non videtur autem res tradita, ſi alius eam avocet, atque evincat, *l.* 4. *& l.* 11. §. 8. *ff. De act. empt.* Quid ſi rem vendiderit alieno nomine tanquam procurator? Et certè, ſi privato nomine contraxerit, obſtrictus eſt ad evictionem, quia privatam ejus fidem emptor ſecutus eſt, fortè non contracturus ſi putaſſet ſibi negotium fore cum domino. At verò ſi procuratorio nomine contraxerit, non tenetur, ſed tantùm debet mandati ſui fidem facere, ſecutus enim eſt emptor, fidem domini, non procuratoris; & ideò agendum erit cum domino, utili actione, ad exemplum inſtitoriæ actionis, *l.* 13 §. 25. *De actor. empt.* Item fidejuſſor à venditore datus, & omnis venditori ſimilis conveniri evictionis nomine poteſt, *l.* 7. *h. t.* Quin & fidejuſſor à venditore ſimpliciter datus, in omnem cauſam evictionis datus intelligitur, niſi aliud actum appareat, *l.* 39. *ff. De pact.* Planè ſi antiquior creditor evicerit pignus à poſteriore creditore, cui datum eſt in ſolutum, poterit poſterior creditor agere adverſus debitorem qui in ſolutum dedit, in id quod ſua intereſt *l.* 4. *h. t.* quia hujuſmodi contractus, id eſt, datio in ſolutum vicem emptionis obtinet: ſed tamen plurimum intereſt an pro pecunia numerata quæ debebatur, data fuerit res in ſolutum, an verò pro ſpecie aliquâ. Nam ſi pro pecunia, quaſi emptio contracta erit, & utili ideò actione ex empto agetur, *d. l.* 4. *& l.* 29. *in princ. ff. De pign. act.* ſin autem pro ſpecie, permutatio, aut contractus ſimilis permutationi, unde re evictâ, non utilis actio ex empto dabitur, ſed agetur priſtinâ actione, *l.* 8. *ſup. de ſent & inter. l.* 46. *ff. de ſolut.* Videatur Cujacius *l.* 16. *obſ. c.* 38. & Nicolaus Burgundus *De eviction. cap.* 12.

Porrò quemadmodum ſi conventionale pignus 5
diſtractum ab emptore evincitur, de evictione debitor tenetur, qui ejus diſtractionis pretio à creditore ſuo eſt liberatus *l.* 12. §. 1. *ff. De diſt. pign.* ita ſi in cauſam judicati pignus captum ſit & diſtractum evincatur, debitor, vel illius hæres de evictione tenetur, *l.* 13. *h. t.* Iniquiſſimum enim eſſet ipſum judicem, vel apparitorem qui pignus diſtraxit evictionem præſtare, cum officio ſuo uterque fungatur, nec ſponte rem diſtrahat, *l.* 50. *ff. h. t.*

* Obtinet & permutatio vim emptionis, *l.* 2. *ſupr.* 6
De rer. permut. Quo fit ut is qui ex cauſa permutationis rem dedit, ea evicta, evictionem præſtare debeat, *l.* 29. *h. t.* Huic ſimilis eſt is cujus ſocio res attributa, deinde evicta fuit, veluti ſi prædium mihi tecum commune obligavero creditori meo, deinde in rerum communium diviſione convenerit, ut hoc prædium ad te perveniret, mox idem prædium tibi pro mea parte, quam pro indiviſo habebam (nam pro parte, quæ ad te ſpectabat,

ſpectabat, pignus non tenuit) evincatur, ego tibi de evictione tenebor, *l.7. ſup. comm. utriuſque jud.*

7 Cæterùm hæreditatis venditor, ita demùm de evictione tenetur, ſi illa alteri tanquam hæredi fuerit adjudicata, non etiam ſi ex ea res aliquæ à dominis earum ablatæ, *l.1. h.t.* quia ipſum jus ſucceſſionis, ipſaque univerſitas augmenti & diminutionis capax, in venditionem venit, non res ſingulæ, quas proinde ſi habere velit emptor à poſſeſſoribus, ſumptu ac periculo ſuo perſequi debet, *d. l. 1.* non item ob illarum rerum evictionem, agere adverſus venditorem, quem extra periculum ponit, quod hæreditatem vendiderit, juſque univerſum, non res ſingulas, niſi aliud actum ſit, id eſt, convenit ut venditor reum ſingularum evictionem præſtaret, ſervanda enim præſtandaque eſt conventio; cujus ſpecies eſt, ſi venditor de ſubſtantia hæreditatis affirmavit, ſive dixit has & illas res eſſe hæreditarias: Quare ſi poſteà hæ res evincantur, evictionem præſtabit, quia ita affirmavit, ut præſtaret, quippe propterea pluris vendidit, *l.1. ff. De hæred. vel act. vend. l.45. ff. De contr. empt.* Burgundus *d. loco cap. 10.*

8 Si quæras, An teneatur de evictione venditor, propter agnatum retrahentem rem jure proximitatis? Reſpondeo quod non, cùm non ideò res avocetur ab emptore, propterea quod aliena ſit, ſed quia jus municipale ita diſponit, ut præferatur agnatus extraneo emptori, ut res in familia maneat, qua in re nullum verſatur peccatum, aut mala fides venditoris, qui non cauſavit retractum, cui demùm poſt rem tranſlatam in extraneum eſt locus, ut rei jam venditæ caſus iſte advenire cenſeatur, atque ita non tam venditori, quàm emptori nocere debeat, *l. 3. ff. h. t.* Facit quod emptor hujuſmodi juris ignarus non fuerit, aut eſſe debuerit, ut ſibi adſcribere debeat ſi rem retinere nequeat, non etiam venditori, cujus nulla culpa argui poteſt. Tiraquellus *de retract. part. 1. §. 1. Gloſſ. 9. num. 34.* Argentræus *ad Conſuet. Britanniæ art. 145.* ubi addit quod cum res ex natura ſua evincitur, nulla evictio debeatur, veluti cum res eſt ſubjecta reſtitutioni, aut feudalis aut emphyteutica. Alex. *conſ. 21. num. 5. lib. 3.*

9 Hic quoque controverti ſolet, An donator teneatur de evictione? Et verius eſt nudo pacto interveniente minimè eum teneri, niſi ſtipulatione ſe obligaverit, *l.2. h.t.* cujus major vis eſt, quàm pacti, licet ſtatim adjecti. Sunt tamen qui indiſtinctè putant donatorem non teneri de evictione, ſive à traditione, vel ſtipulatione cœperit donatio. Quæ diſtinctio quamvis in dote recepta ſit, *l.1. C. De jure dot.* non tamen convenit donationi. Dos enim rectè incipit à promiſſione, quoniam dos aut datur, aut promittitur, *Ulp. in fragm. tit. 6. in pr.* ita ut ſi dos promiſſa tantum fuerit, dotem tamen eſſe convenit, licet data non fuerit, quia deducta eſt in obligationem. Donatio verò non perficitur ſine traditione. Nam evictio non fit niſi ratione pretij quod abeſt, non autem abeſt donatario, cùm donatio ſit liberalitas quædam. Præterea ſi propter evictam rem donatam, pretium poſſet repeti à donatore, is ſuæ liberalitatis pœnam pateretur, *l.62. ff. De ædil. edicto.* cùm tamen non intelligatur plus juris donare voluiſſe, quam ipſe in re donata habebat; neque præſumendum eſt, quod ipſe voluerit ſe ſubjicere periculo evictionis. Quam ſententiam probat Fulgoſius *ad d. l.2.* Si tamen quis ſciens rem alienam donaverit ignoranti, datur decepto actio de dolo, ratione ſumptuum, quos in rem fecit, eorum enim abeſt pretium, dolo donatoris, qui non debet alteri obeſſe, *l.8. §. ult. ff. h.t. & d.l.62.* Gomez. *tom.2. c.2. n.35.* Burgund. *De evict. c.16. & ſeq.*

10 Idem dicendum in re legata, quod non videatur legans niſi jus quod circa rem habet legaſſe, *l. 71. §. fin. ff. De leg. 1.* Hinc ſi teſtator certam ſpeciem legaverit eamque deſignaverit, ut puta ſtichum, talis tantùm dari debet, qualis eſt, *l.45. in fin. ff. De legat. 1.* traditione factâ liberatur hæres ab obligatione, nec ſuccedit obligatio ad intereſſe re evicta. Quoniam lucrativa cauſa, non eſt ex ſua natura evictioni obnoxia: Bart. & alij *ad d. l. 71. §. 1.* At verò ſi res legata ſit in genere, ut puta homo, & hæres ſtichum tradiderit, iſque evincatur, poterit legatarius iterum ex teſtamento agere, ut homo ei detur, *l.29. §. hæres ff. De legat. 3.* tametſi alienum eſſe hæres ignoraverit. Quando enim res in genere legata eſt, conjicimus eam eſſe voluntatem teſtatoris, ut talis homo detur, qui futurus ſit legatarij: ne ſit in poteſtate hæredis alienum dando, voluntatem teſtatoris eluſoriam facere, *l. 58. ff. h. t.* Quid igitur ſi res aliena in dotem data evincatur à domino? maritus experiri poteſt condictione ex lege, vel ex ſtipulatione, ſi ſit interpoſita, quia in re aliena data non eſt ſatisfactum obligationi, cum marito habere non liceat. At verò ſi nec pollicitatio, nec ſtipulatio interceſſerit, res tamen æſtimata in dotem data fuerit, datur marito, adverſus mulierem utilis actio ex empto, ad id quod intereſt, quoniam vera venditio contrahitur per hujuſmodi æſtimationem. Quod ſi nec æſtimatio, nec promiſſio intervenerit, ſola ſupereſt actio de dolo, ſi ſocer alienum fundum in dotem ſcienter dederit, ſin uxor, convenitur actione in factum, *l. 1. Cod. De jure dot.* Extraneus verò qui eundem fundum dedit, eo evicto de evictione conveniri non poteſt, quia eſt mera donatio ſponſæ facta, & proindè donator non tenetur de evictione, uti dictum.

11 Porrò evictâ re, triplex datur emptori actio, adverſus venditorem. I. Eſt ex empto actio, quæ ineſt ex natura contractus, ut etſi eo nomine nulla pactio interceſſerit, re tamen evictâ emptor conſequitur rei pretium, & præterea quanti ſua intereſt

Digitized by Google

rem evictam non eſſe, *l. 6. & 9. & l.25. h. t.* Item damnum omne ob evictionem contingens, *l. 17.*
12 *h.t.* * Quin etiam ſumptus recuperat quos in rem meliorandam fecit; Verum in hiſce ſumptibus, ſervanda erit diſtinctio, aut enim potuit emptor hos ſumptus, in rem emptam factos ab evincente recipere, *l.16. h.t.* quia rem ipſe poſſidebat, ita ut evincentem deductis impenſis, ſumptus reſtituere nolentem exceptione doli mali ſummovere poſſet; aut eos ab evincente conſequi non potuit, quia rem non poſſidebat; priori caſu ſibi debet imputare, ſi doli mali exceptione omiſſa, non eſt ſumptus ab evincente conſecutus, nec debet ejus culpa nocere venditori, niſi hic ſciens rem alienam vendiderit, tunc enim ob dolum tenetur, *l. 45. §. 1. ff. De act. empt.* poſteriori caſu à venditore ſumptus conſequitur, *l. 9. h. t.* uti & pretium rei totius evictæ aut partis ejus, *d. l. 16. h.t.* Garſia *de expenſis c.7. n.14.*
13 *Sed quale pretium hic reddendum, quod fuit tempore venditionis, an verò evictionis? Et potiùs eſt illud præſtari, quod fuit tempore venditionis, ſecundum Gloſſ. *in l.13. ff. h. t.* & facit ratio, nam ſi majus pretium fuerit tempore evictionis, ejus nomine ad intereſſe agetur.

14 II. Actio eſt ex ſimplæ ſtipulatione, qua emptor ſimplum pretij conſequitur, non etiam quod intereſt, quia non poteſt dici contineri ſub ſimplo; ſed ex natura ex empto actionis præſtandum eſt etiam id quod intereſt, quia hoc ineſt bonæ fidei contractui, cui ſtipulando non renunciavit, *l. 6. ff. h. t.* III. Actio eſt emptori, ex ſtipulatione duplæ, ſi qua fuerit interpoſita, conſequitur duplum pretij conventi, hoc eſt, quod fuerit tempore contractus, etſi minoris interſit, *l.7.4. ff. h.t.* cum ſtricto jure tantum habeatur ejus ratio quod in ſtipulationem deductum eſt, *l.17. & 48. ff. h. t.*

Eſt itaque in electione emptoris utra actione experiri velit, nam poteſt agere vel ex ſtipulatione ad pœnam, vel ex empto ad id quod intereſt, *l.25. h.t.*
15 Nec electio unius alteram tollit.* Præter has actiones, eſt & actio ex ſtipulatione indemnitatis, qua agit emptor adverſus venditorem, de ſumma à ſe ſoluta creditori, cui res à venditore pignorata fuerat, quia cùm rei pretium ipſi abſit, ipſa res abeſſe videtur, *l.22. h.t.* Eſt & alia actio communis, nempe condictio certi, ſi evictio ſtipulanti emptori fuerit à venditore promiſſa, de qua item *l. 2. & 25. h. t.* Item doli exceptio contra venditorem petentem pretium. *l.5 h.t.* Itemque perſecutio pignoris, quod emptor ob evictionis periculum accepit à venditore, *l. 15. h. t.* Sunt & alia remedia quæ conſultò prætermitto, quia ad rem præſentem non pertinent.

An intereſſe in materia evictionis excedat verum
16 rei pretium quæritur? Et poſſit hoc videri cùm textus ſimpliciter loquantur, & indiſtinctè id quod intereſt emptoris præſtandum eſſe dicant, ut quantumcumque interſit peti poſſe videatur, *l. 9. 21. & 25. h.t. & l.8. ff. eod.* Verius tamen non excedere duplum *per l.43. in fin. cum ſeq. ff. de action. empti & vendit.* Quia non eſt æquum propter venditionem bonâ fide factam, plus damni venditori inferri quam ſit res ipſa, ne acceſſorium egrediatur ſuum principale, vel pœnam culpa excedat, nam id quod intereſt, pœna quædam dicitur, *l. ult. ff. de eo quod loco.* Facit etiam in hanc rem quod pleræque leges reſtringant intereſſe, ad duplum pretij venditionis, atque ita deciſum *in l. un. C. De ſent. quæ pro eo quod intereſt*, intereſſe in caſibus certis, qualis eſt hic de quo agimus, duplum pretij conventi non excedere. Hinc ſervo cui delata hæreditas evicto, non venit æſtimatio hæreditatis, ſed tantùm duplum pretij conventi, quia iniquum videtur in magnam quantitatem obligari venditorem, *d.l.43. in fine.* Sed cùm dico id quod intereſt duplum excedere non poſſe, toties accipiendum eſt, quoties bonâ fide diſtractio facta eſt: Itaque ſi dolo malo venditor egerit, ut puta ſi alienum fundum ſciens ignoranti vendiderit, omnia detrimenta quæ emptor traxit ex ea emptione refundere tenetur, etiam ſi duplum excedant, *l. 13. in princ. ff. De act. empt.* ibi Bart. Bald. Caſtr. quia dolus ſuus neminem relevat. *l.63. §. hoc quoque ff. pro ſocio.* neque lex doloſis ſuccurrit, *l. 37. ff. De minorib.* ne invitet homines ad delinquendum. Sed hoc tamen ita accipiendum eſt, niſi venditor probabilem cauſam habeat, quæ à dolo lataque culpa eum excuſet.

Perinde autem eſt, utrùm tota res evincatur, an 17
aliqua ejus pars, utrovis in caſu agit de evictione emptor in venditorem, *l. 1. ff. h.t.* atque ab eo conſequitur intereſſe, quod duplum non excedere dixi. Sed dubitatur ſi res pro parte tantùm ſit evicta, utrùm intereſſe totius rei; an verò pro ratâ partis evictæ præſtari debeat? Pone, quod fundus emptus ſit mille, & pro dimidiâ parte evincitur, pro ea quidem parte ſimpla tantùm reſtituenda eſt, hoc eſt, quingenti, ſed quid ſi emptoris interſit ex certis cauſis, uſque ad mille partem illam evictam non eſſe, utrum quingenti tantùm præſtandi ſunt nomine intereſſe, an verò mille? Verius eſt, ſi propter evictionem partis tanti emptoris interſit, quanti res ipſa tota vendita eſt, id totum actione ex empto conſequi poſſe emptorem. Ita ut intereſſe referatur ad totius rei pretium. Quod conforme eſt diſpoſitioni, *d.l.un.* intereſſe non debere excedere duplum, quod hoc caſu non excedet, ſed ei potiùs ſe conformabit, ſi partis evictio cauſaverit intereſſe in tantum, ut pretio rei totius æquivaleat, aut etiam ſuperet. Duaren. *ad l.16. h.t.* Non movet quod ſtipulatio duplæ non committatur niſi pro modo partis evictæ. *l. 1. & 64. ff. h.t.* nec extendatur ultra duplum ejus quod evincitur, nam videtur duplum ſtipulatus, tranſegiſſe de futuro eoque incerto intereſſe,

hoc

Digitized by Google

hoc ſenſu ut conſequatur duplum ejus quod evincitur; ſive interfuerit evinci ſive non: Aliud eſt, in actione ex empto, quæ refertur ad intereſſe totius, quod cùm cauſaverit etiam evictio partis, æquè id præſtandum erit emptori, ne aliàs ipſi injuria inferatur. Molinæus *in tract. de eo quod intereſt. num.* 104. *cum ſeq.*

18 Itaque quamvis tantum pars rei evicta ſit, de evictione tamen agit emptor. Sed multum intereſt utrum pars pro indiviſo, an pro diviſo evicta ſit, & quidem ſi pro indiviſo regreſſus datur pro quantitate partis evictæ, *l.* 1. *ff. h. t.* ut puta fundus centum jugerum venditus eſt ducentis aureis, ſi unum jugerum evictum ſit æſtimabitur duobus aureis; quoniam ſingula jugera intelliguntur binis aureis vendita, *l.* 69. *§. ult. ff. h. t.* At ſi pro diviſo pars fundi evicta ſit, ut puta certus locus, habetur ratio qualitatis, quia pars evicta fortaſſe eſt fructuoſior & pretioſior vel minus fructuoſa & vilior, quam aliæ partes *d. l.* 1. ubi regreſſus emptori datur pro loci bonitate. Ad quem conſequendum utriuſque partis tam evictæ, quàm non evictæ ſeparatim æſtimanda eſt bonitas, quæ tempore contractus fuit, non qualis eſt tempore evictionis. Duaren. *ad l.* 10. *&* 16. *h. t.* Pacius *de empt. & vend. n.* 263. & Nic. Burgund. *de evict. cap.* 45. *n.* 2. Item ſpectandum deinde, quotam partem totius æſtimationis evictæ partis bonitas conſtituat, nempe utrum dimidiam, vel tertiam, vel quartam, aut ulteriorem, & pro eadem parte ac proportione committetur ſtipulatio duplæ, vel actione ex empto repetetur pretiũ, præter id quod emptoris intereſt partem illam evictam non eſſe. Ita ut ſubſequentis temporis melioratio vel deterioratio intereſſe augeat vel minuat, *l.* 43. *in fin. ff. De act. empti & venditi l.* 8. *&* 66. *in fin. ff. h. tit.*

19 Atque hæc ita procedunt, quatenus evictioni locus eſt, quam contingit variis caſibus ceſſare, veluti ſi res quam conſtat eſſe alienam vel alteri obligatam necdum ſit evicta, id eſt, ablata per ſententiam, *l.* 3. *h. t.* quia necdum habet quod conqueratur emptor qui rem poſſidet. Excipe niſi venditor ſciens eſſe alienam ignoranti vendiderit, nam propter dolum poteſt bonæ fidei emptor etiam ante rem evictam agere ex empto in id quod ſua intereſt, *l.* 30. *§.* 1. *ff. De act. empt.* Eadem actione poterit ſtatim experiri, ut prædium traditum liberetur ab obligatione pignoris; vel exceptione doli obtinere poterit, contra venditorem pretium petentem, *l.* 5. *h. t.* Excipe ſecundò, niſi in limite contractus immineat evictio, & res appareat aliena, ut quia perfectâ venditione, ante numerationem pretij, movetur quæſtio ſuper illa re vendita, quia tunc, licet prorſus non agat emptor de evictione, quia res non eſt evicta, tamen poterit pretium retinere, donec ſibi idoneè caveatur de evictione, *l.* 24. *h. t.* ubi DD. Ergo ſi idoneum fidejuſſorem venditor offerat, nulla ampliùs cauſa eſt, cur minus pretium emptor refundere recuſet. Excipe tertiò, niſi quis quaſi ſervus alienatus ſit, quem nihil vetat in libertatem evinci, cùm ita conventum fuerit ab initio, ut motâ ejus nomine quæſtione, etiamſi nedum evictus eſſet, poſſet emptor pretium recuperare, *l.* 12. *h. t.* Servanda enim eſt conventio, ex qua non agitur pro evictione, ſed ad diſſolvendam emptionem, utili videlicet ex empto actione, *l.* 11. *§. qui ff. de act. empt.* * Nihil autem refert 20 quando res ſit evicta, dummodò ſit evicta, nam etſi poſt longum temporis ſpatium evicta fuerit, tamen actio de evictione efficaciter competit, nec longi temporis præſcriptione ſubmovetur, *l.* 21. *h. t.* quia de evictione actio ante rem evictam non naſcitur, actione autem nondum nata præſcriptio non currit, *l.* 7. *§. illud. ſuprà de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.*

Porrò ſi res nondum evicta pereat, evictionis pe- 21 riculum ceſſat, nec poteſt amplius eſſe locus actioni de evictione, *l.* 26. *h. t.* atque ita cum nemo rem evicerit, ſed fato humanæ ſortis id adſcribatur, venditor emptori non tenetur, ſed pretium retinet, licet emptor rem amittat, quod iniquum videri non debet, quandoquidem contracta emptione, ut commoda, ita & incommoda ſupervenientia emptorem ſequantur, *l.* 8. *ff. De pericul. & comm. rei vend.* de dolo tamen rectè aget, ſi dolum venditoris interveniſſe probare poſſit, *l.* 21. *ff. h. t.*

Item ceſſat evictio, ſi lite de finibus motâ, vendi- 22 tor demonſtravit fines, ita ut diceret, ſe fundum vendere ſuis finibus, quidquid enim ultra veros fines evictum erit non præſtat, quod non cenſeatur in venditionem veniſſe: At verò ſi venditor fines agri demonſtravit & legem dixit intra eos neminem ingreſſurum: ſi quid inde evincatur, de evictione actio competit emptori, *l.* 10. *h. t.* licet poſt evictionem tot jugera reperiantur, quot eſſe venditor dixit, *l.* 45. *ff. h. t.* quia emptor majorem fidem demonſtrationi finium, quam dimenſioni jugerum habere cenſetur.

Ceſſat quoque evictio, ſi venditor pactus ſit ne 23 ejus periculum præſtet, *l.* 21. *h. t.* dummodò careat dolo, eſt autem dolus, ſi ſciens rem alienam, vel pignoratam, non certioraverit emptorem, qui id ignorabat. Cæterùm non obſtante iſtâ pactione, non dubitarem venditorem, re evictâ, poſſe ad hoc conveniri, ut pretium reſtituat, licet non teneatur in id quod emptoris intereſt, *l.* 11. *§. ult. ff. De act. empti*, quia non patitur bonæ fidei contractus, ut emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret. Atque ita judicaſſe Senatum Pariſienſem refert Papo *l.* 11. *titul.* 4. *art.* 3.

Itemque ceſſat de evictione actio, ſi emptor rem 24 alienam, vel oppignoratam ſciens emerit, *l.* 18. *h. t.* neque quicquam de evictione convenerit, *l.* 27. *h. t.* debet enim ſibi adſcribere, quod rem quam ſciebat alienam evinci poſſe non adverterit. Non tamen ex

Digitized by Google

eo quod emptor evictionis nomine ſibi duplam ſtipulatus eſt, alienæ rei ſcientia convincitur; nec opinio ejus ex hoc læditur ut malæ fidei exiſtimetur; aliis itaque argumentis hoc probari debet, *l. pen. h. t.*

25 Quæritur, An hic emptor qui ſciebat rem alienam eſſe, ea evicta, pretium repetere poſſit à venditore? Et non poſſe videbatur dicendum inſpectis verbis, *d. l. 17.* quæ habent eum contra juris rationem poſcere, quod eo nomine dedit, quaſi videatur donaſſe, qui ſcienter rem alienam comparavit. Veriùs tamen ei reſtituendum eſſe pretium, quia iniquum eſſet illud penes venditorem remanere ratione rei venditæ ad quam illi nil juris erat. Et foret hoc contra *l. 32. ff. ſi certum pet.* ubi dicitur bonum & æquum eſſe pecuniam meam quæ ad te pervenit, eam à te mihi reddi, quæ hoc caſu non poteſt videri donata, cùm data ſit ex cauſa, & donatio non præſumatur. Non obſtant verba *d. l. 17.* quia intelligenda, non de pretio, quod venditori numeratum eſt, ſed de litis æſtimatione, quam domino rem vindicanti ſolvit emptor, vel creditori pignus vindicanti, nam ut pretium penes venditorem maneat nulla æquitas patitur, *d. l. 11. §. ult.* videatur Covar. *lib. 3. Var. cap. 17.* Facit in hanc rem, quod emptor qui ſciens comparavit rem fideicommiſſo obnoxiam, exiſtente ejus conditione avocatam, actionem habeat ad reſtitutionem pretij, adverſus venditorem, *l. 3. in fine Cod. comm. de leg.*

26 Dicitur *in d. l. 17.* ſi emptor de evictione non convenerit, nam ſi nominatim pactus vel ſtipulatus ſit ſuper evictione ei actio ſalva manet, *l. 7. ſup. commun. utriuſque jud.* Excipe caſum *d. l. 3. in fine*, ubi emptori ſcientiam rei alienæ, aut gravatæ habenti, non prodeſt ſtipulatio duplæ, quod ſingulare ibi eſſe notat Accurſius, ne temerè quis accedat ad emendum res gravatas contra defuncti voluntatem, qua de cauſa & res hujuſmodi uſucapi nequeunt, *d. l. 3. §. ſin autem ſub. 3.*

27 Præterea ceſſat evictionis præſtatio, ob culpam, vel negligentiam emptoris. Culpam autem committit emptor, ſi cùm ſolita præſcriptione ſe tueri poſſet, ea non eſt uſus, *l. 19. h. t.* aut neglexit exceptionem competentem adverſus extraneum, evincentem opponere. Dico extraneum, quia ſecus eſt ſi ipſe evicit, qui de evictione tenetur, tunc enim exceptio omiſſa non obſtat, quò minùs de evictione agatur, *l. 17. & ſeq. h. t.* Item ſi cum defenſionibus legitimis uti poſſet, motâ ei quæſtione ſuper proprietate rei, eas omiſit, neque allegavit jura ſui auctoris, quæ tamen ei potuiſſent ad cauſæ defenſionem prodeſſe, *l. 28. h. t.* Planè ſi cùm venditor admonuiſſet emptorem, ut publiciana potiùs, vel eâ actione, quę de fundo vectigali propoſita eſt, experiretur, emptor id facere ſuperſedit, omnino nocebit ei ſua culpâ, nec committitur ſtipulatio: ſecus eſt ſi venditor monuit ut Serviana uteretur, quia cùm hæc nudam poſſeſſionem avocet, meritò emptor non eſt ea contentus, *l. 66. ff. h. tit.*

Culpam quoque committit emptor, neque de 28
evictione agere poteſt, ſi cùm poſſet venditori denunciare, non denunciaverit motam controverſiam, *l. 8. & l. 20. h. t.* utque judicio adeſſet, & rem defenderet, nam venditori poterat fuiſſe juſta defenſionis cauſa, utpote ſcienti melius rei à ſe venditæ jus, & conditionem, niſi tamen venditoris cauſa notoriè fuerit injuſta, quo caſu tam culpa erit emptoris, cui res evicta, quàm venditoris, cujus cauſam non ſalvam feciſſet denunciatio, quia ea non obſtante res erat certò evincenda. Quamobrem rectè fecerit emptor conventus, ſi antequam condemnetur ſententia Judicis, rem reſtituat petitori, dum tamen probet manifeſtè rem eſſe ejus, cui eſt reſtituta, *l. 17. ibi Gloſſ. h. t.* & Gomez *tom. 2. var. cap. 20. n. 39. verſ. Item adde.* Idem dicendum ſi pacto remiſſa ſit emptori neceſſitas denuntiandi, aut denuntiare non potuerit litem motam, cujus & hoc caſu ceſſabit culpa, *l. 56. §. 5. & l. 63. ff. h. t.*

Obſervandum hic eſt, denuntiationem requiri, 29
licet venditor habeat ſcientiam litis motæ, quod inſinuat, *d. l. 20.* ubi ſi negotium non fuerit denuntiatum venditori, habet ille quo ſe defendat contra emptorem, & apertè id probat textus *in l. 8. h. t.* dum indiſtinctè aſſerit quod niſi emptor fundi, auctori aut hæredi ejus denuntiaverit litem motam, evicto prædio, neque ex ſtipulatu, neque ex duplo, neque ex empto actionem habet contra venditorem. Non obſtat regula quod certus non ſit certiorandus, *in cap. Eum qui certus de reg. jur. in 6.* quia procedit in caſu, quo denuntiatio fit in eum finem, ut habeatur ſcientia, ſeu notitia rei. At in propoſito, non tantùm fit denuntiatio ut ſciat venditor litem motam, ſed ut excitetur ad eam defendendam in judicio, *l. 21. h. t.* maximè cùm non teneatur operam ſuam, & defenſionem ſpontè offerre. Gloſſ. *ad d. l. 8.* Covarruvias *3. var. reſol. cap. 17. num. 3.*

Quæritur utrum ſi vocatus venditor, cauſæ evi- 30
ctionis adfuerit, & ſententia lata ſit contra emptorem, poſſit ex perſona venditoris iterum agi? Certi juris eſt poſſe venditorem abſente emptore, judicio adeſſe, & ſuſcipere rei defenſionem ſi velit, *l. 10. h. t.* Quo pertinet quod publicè utile ſit abſentium cauſas defendere, etiam abſque mandato, *l. 23. §. 2. ff. de procurat.* vel etiam emptore præſente & invito, quod inviti conditionem liceat meliorem facere, *l. 39. ff. de negot. geſt.* maximè in hoc caſu, quo cauſa venditorem concernit. Quod ſi tamen contra emptorem judicatum fuerit, minimè ex perſona venditoris lis ſuſcitari poterit, ſi appellatum non fuerit, eo quod cùm venditor in judicio fuerit, nec obtinuerit, nihil juris ad rem videatur habere,

&

Digitized by Google

& non appellando, ut potuit, cum cauſa intereſſet, *l.4.§.1. ff. de appellat.* videatur ſententiæ acquieviſſe.

31 An in cauſa evictionis ſententia lata contra emptorem, ei ſit regreſſus contra venditorem? Non eſt dubitandum, ſi vocatus ab emptore, venditor in judicio comparuerit ad rei defenſionem, eamque ſuſceperit, quia nihil eſt quod imputetur emptori, qui ut requiritur denuntiavit venditori motam litem, cui quod eam defendere non potuerit, imputandum erit, *l.8.h.t.* At ſi citra denuntiationem adfuerit cauſæ venditor, probabile eſt evictionem ei non nocituram, quia ut noceat requiritur ut ei ſit denuntiatum, *d.l.8.* Nec facit quod ultrò acceſſerit ad cauſæ defenſionem, nam in eo officium præſtitit emptori utile, ſibi non neceſſarium, nulli autem officium ſuum debet eſſe damnoſum.

32 Quid igitur ſi emptor in lite obtineat, & expenſæ litis cauſa factæ compenſentur, an eas à venditore repetere valeat? Affirmat Bartolus *in l.1.h.t. & l.102 ff. de verbor. obligat.* quem ſequitur Fachinæus *lib. 2. contr. c.39.* eâ ratione quod venditor teneatur emptorem defendere, *l.74.§.1. ff. h.t.* defendere autem includit in ſe præſtare expenſas litis, *l.5.§.12. in fin. commodati.* itemque teneatur præſtare ut emptori rem habere liceat, *l.11. ff. de act. empt.* Sed contraria opinio vera eſt, videlicet venditorem non teneri ad expenſas; fundatur *in l.18. h. tit.* in qua dicitur ſi res vendita declarata fuerit venditoris, adeòque venditor ab actione contra ſe inſtituta abſolutus fuerit, emptorem non poſſe reverti ad venditorem. Quod malè ſimpliciter & indiſtinctè diceretur, ſi ad ſumptus litis illi actio foret. Facit quod injuria emptori facta, per eum qui litem movit, venditorem contingere non debeat, *per. l.51. in princ. ff. h.t.* quæ negat injuriam emptori per Judicem, aut partem factam ſpectare ad venditorem, quem onerare iniquum eſſet, in eo, quod forte ſua culpa emptor perdidit; Altera ratio dari poteſt, quod contractâ emptione, continuò omne commodum, & incommodum ad emptorem ſpectet, ut ſi quid diſpendij caſu, aut facto alieno, ſit datum, à venditore non veniat præſtandum, quem ea quæ poſt perfectam emptionem accidunt, non concernunt, ut dicitur *in l.11. ff. h.t. & pleniùs Tit. de peric. & comm. rei vind.* certum autem eſt venditorem liti cauſam non dediſſe, cum ſit judicatum pro emptore, ſic ut potius cauſam ſumptuum dediſſe videatur temeritas litem moventis, aut injuria judicis, aut incuria emptoris qui minus curavit aliquos litis terminos, quapropter ea res venditorem gravare non debet, *Gloſſ. in d. l.1.h.t.* quam ſequitur Donel *ad d. l. 102. & ad l. 18.* Covar. *ſup. d. loco.* moventur auctoritate *l.11. in pr. & l. 30. §. ult. 45. §. illud ff. de act. empt.* ubi ſcriptum eſt venditorem emptori, re vendita tradita, non teneri, niſi ob evictionem, vel quod idem eſt, non teneri, ſi emptori habere liceat, licet autem ei habere rem, quamdiu non eſt evicta, *l.57. ff. h.t.* maximè verò eo caſu quo abſolutus eſt emptor ab eo qui rem vindicabat. Igitur ubi abſolutus eſt, non tenetur de ſumptibus venditor, niſi in cauſa fuerit motæ litis, propterea quod titulos ſuos non declaraverit. Non obſtat quod teneatur defendere emptorem, & præſtare ut ei rem habere liceat, nam utrumque verum eſt, teneri inprimis venditorem defendere, ſed non ſuo ſumptu, verum ſumptibus emptoris, cum defenſio conſiſtat in allegatione cauſarum, quæ rei venditionem faciunt juſtam, ad quam tenetur venditor non etiam ultra. Quod autem præſtare debeat emptori ut rem venditam illi habere liceat, id hunc habet cenſum, ne res emptori evincatur, non etiam ut ſumptus agnoſcat venditor, quos emptor in re defendenda utiliter fecit, & iis cauſam dedit pars, non etiam venditor, qui non aliàs ſumptus refundit, quàm ſi emptor in lite ſuccumbat. Cujac. *ad l.1. h.t.* aut aliter conventum fuerit. Ut non obſtet *d. l. 5. § 12.* quia ibi ſumptus ab eo agnoſcendi, qui commodatum accepit, cujus ſine dubio eſt præſtare, commodanti rem ſuam ſalvam, ad cujus cuſtodiam tenetur, ne alias beneficium alicui præſtitum ſit damnoſum, ut ſumptus illi facti nomine commodatarij rectè ab eo ferantur, uti & hi facti nomine emptoris eum manent. Latè Nic. Burgundus *De evict. c. 92. & ſeq.*

Supereſt ut dicamus, quibus, quomodo, & 33
quando facienda ſit denuntiatio. Et priùs ex dictis ſatis colligitur, denuntiationem auctori ſeu venditori faciendam eſſe, vel ſi ille ſine dolo abſens fuerit, & non reperiatur domi, familiæ, vel procuratori ſuo vel amicis denuntiationem fieri ſufficere docet *Capel. Tholoſ. deciſ. 407.* aut eo mortuo hæredi ejus, *l. 8. & 9. h. t.* etiam pupillo, ſi tutor ejus non appareat, *l. 56. §. ult. ff. h. t.* Quod ſi plures ſint hæredes, omnibus denuntiandum erit, qui ſi non comparuerint tenebuntur, *l.62. §.1. ff. h.t.* ut compareant præciſe non poſſunt cogi, cum ſatis ſit ſumptus refundant, & rem evictam præſtent, pro parte ſua hæreditaria, *l. 85. §. 5. ff. de verb. obl.* Venditoris fidejuſſori non opus eſt denuntietur, nam hic evictionis nomine convenire poterit, licet cauſam agi ignoraverit, *l.7. h.t.* pendet enim fidejuſſoris obligatio ex obligatione principalis rei.

Porrò licet in jure noſtro nil requiratur amplius, 34
quam ut venditori denuntiatio fiat litis motæ, & litigatoris eam moventis, ſuper re emptori vendita, *l.8. h.t.* tamen Pragmatici deſiderant, ut una cum denuntiationis libello acta & actitata emptor venditori tranſmittat, aut ſaltem ea ei communicet, quæ inſtruere poſſint ad defenſionem. Videantur relati à Fach. *d. loc. c. 34.* ubi etiam diſputat & tres opiniones in hac quæſtione refert, utrum ſufficiat

Digitized by Google

ciat ſimplex litis motæ denuntiatio venditori facta, an inſuper opus ſit petere, ut venditor ad defendendum veniat, & concludit veriorem eſſe eorum ſententiam, qui dicunt præter denuntiationem, ſimul neceſſariam eſſe interpellationem, ut venditor ad defendendum veniat. Ego tamen puto emptorem dum venditori denuntiat litem ſibi motam & acta tranſmittit eo ipſo ſi non expreſsè, ſaltem tacitè petere, ut ad defendendum veniat & liti adſiſtat, cùm in *l.17.h.t.* hòc requiratur, ut emptor venditorem de lite mota certiorem faciat. Quorſum enim aliò pertinet iſta certioratio & denunciatio, quàm ut ſciat venditor ſe vocatum, & veniat ad defendendum, *arg. l. 1. §.3. ff. de lib. ag.* cum ipſe meliùs præſens in judicio, rei à ſe venditæ jura & defenſiones poſſit ſuggerere, *l. 23. h.t.*

35 Quando autem facienda ſit denuntiatio dubitatur: Rationem dubitandi movent verba Pomponij *in l.29.§.ult. ff. h.t.* ubi poſtquam dixiſſet, quolibet tempore venditori denuntiari poſſe, ut de ea re agenda adſit, quia non præfinitur tempus certum in ea ſtipulatione, ſubjungit, dum tamen ne propè ipſam condemnationem denuntiatio fiat; Quod autem tempus dicatur propè, ſive ante condemnationem, non ita conſtat. Placet ſententia Gomezij *lib. 2. var. cap. 2. n. 39. verſ. dubium,* aſſerentis denuntiari poſſe quandocumque, dummodò id fiat ante publicationem teſtium, & ante concluſionem in cauſa, & ſimiliter antequam tranſeat tempus exceptionis proponendæ vel probationis faciendæ, quia ſi poſtea fieret denuntiatio, non poſſet venditor rem defendere, nec jus ſuum in judicio proponere & probare, cùm debeat litem aſſumere in eo ſtatu, in quo eam invenerit, *c.2. verſ. ult. ut lite pendente in 6.*

36 Denuntiatione venditori legitimè facta, tenetur emptorem defendere in loco ubi lis agitur, id eſt, in foro emptoris. Neque poteſt venditor revocare ad ſuum forum, quia non eſt ipſe principalis reus, ſed emptor qui rem poſſidet, & venditorem nominat ac laudat. Et hoc efficit defenſoris verbum, nam defendere, eſt eandem vicem quam reus, ſubire, *l.35. §.3. & l.51. ff. De procurat.* Facit quoque *l.8. §. veterani ff. eod. tit. de procurat.* ubi quamvis miles tanquam procurator, nequeat ſtare in judicio, tanquam defenſor neceſſarius poteſt.

37 Unde idem dicendum in clerico venditore, qui iſto nequeat vocari in judicium apud judicem ſecularem, tamen in cauſa evictionis cogitur ſequi forum emptoris, eique aſſiſtere. Idque Paulus reſpondit *in l.49. ff. de judiciis; venditorem emptoris judicem ſequi ſolere.* nec ſe juvare privilegio ſui judicis. Concordat *l. 1. C. ubi in rem actio exerc.* quæ negat propter auctoris in alia provincia exiſtentis perſonam, quicquam immutari debere, & ratio eſt in neceſſitate judicij cœpti, *l.30. ff. De judiciis.* Deinde quia venditor accedit non ut principalis, ſed ut neceſſarius defenſor emptoris, qui rem emptam poſſidet, atque ita interpellatus & denuntiatus evictionis nomine, rei forum ſequi debet, non revocare ad ſuum forum prætextu alicujus privilegij. Ut fruſtra alleget venditor ſe clericum eſſe, & exemptum juriſdictione judicis ſecularis, *c. ſi diligenti* ꝫ *de foro comp.* cum ipſe non conveniatur coram ſeculari, ſed conventum defendat, quod licet de jure. Quemadmodum fiſcus, qui etſi ex privilegio peculiarem habet judicem, ſequi tamen tenetur forum emptoris quem defendit, propter generalitatem *d. l. 49.* Quamvis quibuſdam placeat contrarium per *l. 5. ſup. ubi fiſcales cauſæ.* Videatur Covarr. *Pract. qq. c. 8. n.3.* Grammat. *dec. 21. n. 7.* Boërius *deciſ. 69. n. 27.* Petr. Barboſa *ad dict. l. 49. n. 136. & ſeqq.* Petr. Caſtalius *ad d. l. 49.*

Præter ſuprà enumeratos caſus, quibus ob culpam emptoris evictionis præſtatio ceſſat, ſunt & 38 alij breviter hìc perſtringendi. Unus eſt ſi emptor ſine judiciali diſceptatione rem tradiderit, *l.17. h.t.* nullaque neceſſitate cogente id fecit. Item ſi ſine condemnatione rem ceſſit, tranſactione *d.l.17.* nam nec ad hoc emptorem cogit neceſſitas, aut ſi liti renunciavit, ne fortè ſubiret defenſionis moleſtias: itemque ſi cùm potuiſſet rem uſucapere, non uſuceperit, *l.29.§.1. ff. h.t.* Denique ſi ob ſuam contumaciam res fuerit evicta, quia hiſce caſibus culpa emptoris intervenit, ea non debet alteri obeſſe. * Planè 39
ſi injuria, imperitiave judicis res ſit alteri adjudicata, abſente actore, vel fidejuſſore, regreſſum adverſus eum emptor non habet, *l.8. in fin. h.t.* culpa enim aut factum alienum non debet tertio innocenti nocere; deinde culpa judicis eſt quaſi factum fortuitum, quod rei domino nocet, *l.51. ff. h.t.* Quod ſi emptor præſente venditore victus, non appellaverit à ſententia injuſta, non ſibi, ſed venditori oberit, cui lis fuerat denuntiata, *l.63. §.1. ff. h.t.* quia venditoris cauſa præcipuè agitur, qui acquieſcendo ſententiæ, fatetur ſe rem alienam vendidiſſe. Aliud eſt ſi venditore abſente lata fuerit, tunc enim omiſſa appellatio emptori nocebit, quod videatur ſua culpa cauſam deſeruiſſe, ut contra venditorem illi non ſit regreſſus. Idem dicendum ſi appellaverit quidem, ſed appellationem non eſt perſecutus, *d. l.63. §.ult.* niſi notoria cauſæ juſtitia defendat emptorem. Salicetus & poſt eum Coſtal. *ad l.8. §. ſi ignorantes ff. mandati.* Gomez *d. loco num.39. verſ. ſecundus eſt.*

TITULUS XLVI.

Creditorem evictionem pignoris non debere.

1. *Creditor qui pignus vendidit, evictionis nomine non obligatur.*
2. *Sed debitor cujus pignus diſtractum eſt.*

3. *Niſi*

3. *Niſi evictionem promiſerit, aut dolum commiſerit. Creditor qui dolum commiſit, & ſciens diſtrahit rem alienam vel non ſibi obligatam, tenetur.*

4. *Item ſi pro evictione ſe obligavit.*

1 CUm creditor in diſtractione pignoris, partes venditoris ſuſtineat, poterat dubitari an pignore evicto, evictionis nomine obligetur, & deciſum eſt hoc Tit. non obligari, imò ne quidem teneri ad pretij reſtitutionem, cùm vendiderit jure creditoris, hoc eſt, eo jure quo debitoris fuit, ut ſibi imputare debeat emptor, quod cautè mercatus non ſit, *l.1.h.t.* Conſulitur tamen emptori, vel per actionem utilem ex empto, contra debitorem, *l.12.§.1.ff.de diſtr.pign.* quaſi ipſe debitorem vendidiſſet cui pretium acceptum profuit, *l.13.ſup.de evict.* vel per actionem pignoratitiam contrariam, quam creditor tenetur cedere emptori, æquiſſimum enim eſt emptorem id ſaltem conſequi, quod ſine diſpendio creditoris futurum eſt, *l.38.ff. De evict.l.13.ff. De diſtr. pignor.*

2 Venditio enim à creditore facta, vel à judice rem adjudicante cenſetur fieri à debitore, qui ea lege pignus dedit, ut creditori liceret diſtrahere. Quinimò ſi emptor pretium non ſolverit, ſed creditori caverit ſe ſoluturum, evictione facta, nullam prorſus habet exceptionem quo minus ſolvat. *l.68.ff.h.t.* nullum ergo emptor habet alium regreſſum, quam contra debitorem, à quo ſi ſolverit, ſive non ſolverit, conſequi poterit pretium, ſed tantùm pretium ejusque uſuras, non id quod intereſt, *l.74.§.1.ff.h.t.* quia deceptus non fuit facto debitoris. Fructus tamen quos percepit deducere debet, ſi hos ei qui evicit reſtituere neceſſe non habeat, *d.§.1.*

3 Quod ſi tamen creditor promiſiſſet debitorem eſſe ſolvendo, haberet emptor regreſſum adverſus creditorem, ad id quod à debitore conſequi non potuit excuſſione facta. Molin. *de uſuris q.61.n.413.* Item ſi ſciens creditor rem ſibi non eſſe obligatam, vel non eſſe ejus qui obligavit, vendiderit, quamvis actione pro evictione non teneatur, tamen quia dolo non caret, qui ſcit rem ſine vitio non eſſe, præſtare debet judicio empti, id quod intereſt; nec id à debitore repetere poteſt, nec adverſus eum eo nomine agere contrariâ pignoratitiâ actione *l.2.h.t.*

4 Quare ut creditor eximatur ab obligatione, quatuor omninò præſtare debet, 1. rem ſibi eſſe obligatam. 2. ſe potiorem eſſe reliquis creditoribus. 3. nihil fraude dolove à ſe factum. 4. licuiſſe illi pignus diſtrahere: quæ ſi præſtiterit planè ſecurus eſt, niſi ſe nominatim pro evictione obligaverit, quia tunc ex ſua obligatione conveniri poterit, ſervanda enim eſt conventio, *l.2.h.t.* An non ergo id quod eo nomine præſtitit, repetere poterit à debitore? de debito ſuo, non eſt dubium, poteſt illud perſequi à debitore, qui non eſt liberatus, quando pro evictione conventus creditor pretium emptori præſtitit. Imò & quod ſua intereſt conſequetur, ſi bona fide pignus vendidit, ut puta quod aliter tanti quanti vendidit pignus vendere non potuit, quam promiſſa evictione, *l.12.§.1.ff.De diſtr.pign.*

TITULUS XLVII.

De patria poteſtate.

1. *Continuatio. Qui ſint in poteſtate, & qui eam habeant.*
2. *Mater eam non habet in filios. hi tamen ei debent reverentiam, & niſi eam matri exhibeant, coërcentur.*
3. *Effectus patriæ poteſtatis in perſona liberorum.*
4. *Alter effectus quoad acquiſitionem bonorum.*
5. *An filius ſit in poteſtate, Judex cognoſcet: præſumitur emancipatus, ſi pater ei diu res ſuas agere permittat.*

IN ſequenti parte agitur de præjudicialibus 1
actionibus, quibus quæritur, an quis ſit filius, an ſui juris, vel in poteſtate patris: nam de præjudicio libertatis dictum fuit in prima parte libri ſeptimi.

Jus patriæ poteſtatis acquiritur tribus modis, juſtis nuptiis, adoptione, & legitimatione; de legitimatione dictum fuit *Titul. de natur. lib.* de adoptione dicetur. Tit. ſeq. de jure quod ex nuptiis oritur nunc dicendum. Sunt itaque in poteſtate patris liberi ex juſtis nuptiis procreati, quia qui ex injuſtis, aut concubina naſcuntur, patris poteſtate non continentur, cum tales patrem habere non cenſeantur, quippe qui extra juſtas nuptias plerumque incertus ſit, *l.19.& 24.ff. De ſtatu homin.* Pater libertinus exemplo ingenui, liberos poſt libertatem ex legitimis nuptiis natos, in poteſtate habet, *l.8.h.t.* At ſervus aliquem in poteſtate habere non poteſt, quia nuptias non contrahit, ſed contubernium, *l.3.ſup. de inceſt.nupt.* Non ſoli filij ſed & nepotes, etiam ex filio milite ſuſcepti, in poteſtate ſunt avi, ſi ille adhuc erat in patria poteſtate, *l.7.h.t.* quo tempore nepotes fuere concepti.

In poteſtate verò matris non ſunt filij, quia illa 2
tutela eget aliena, & cum non ſit ſuæ poteſtatis, nec alios regere, nec in ſua poteſtate habere poteſt, *§. fœmina Inſt.de Adopt.* Itaque filij ſequuntur familiam patris, non matris, *d.l.19.ff.de ſtatu hom.* quanquam & filius matri ac patri reverentiam debeat, & alimenta & ſucceſſionem, *l.5.h.t.* adeò ut ſi debitam reverentiam matri non exhibeat, eam exhibere judex coget; & ſi provectam ad inclementiores injurias improbitatem deprehenderit, læſam pietatem ſeveriùs vindicabit. Quanquam congruentiùs erit intra domum, inter matrem & filios ſi quæ contro-

verſiæ oriantur terminari, niſi (ut dictum) atrocitas injuriæ & contumaciæ exigat interventum Judicis *l. 4. h. t.*

3 Jus hoc patriæ poteſtatis conſiſtit in perſona liberorum, & rebus eorundem. Dabat enim lex Romana patri tantùm, non etiam avo, jus vitæ & necis in liberos. jus coërcendi, verberandi, vinctos ad opus ruſticum mittendi, non tamen in ſervitutem redigendi, vendendi, vel alienandi, quoniam liberi hominis nullum eſt commercium, *l. ult. h. t.* niſi quod egeſtatis nomine permiſſa fuerit venditio, eâ conditione ut reſtituto pretio emptori, poſſent liberi reſtitui ingenuitati, *l. 2. C. de patrib. qui filios diſtr.* Merillius *l. 2. obſ. c. 4.* Hodiè ut dominorum in ſervos, ita & parentum in liberos coarctata eſt poteſtas, quia ea in pietate magis, quam atrocitate debet conſiſtere, *d. l. ult. & l. 11. ff. de lib. & poſt. l. 5. ff. ad l. Pomp. de parricid.* Hinc eſt quod nec patri filium negare liberum ſit, *l. pen. h. t.* multo minus filium, quem agnovit ſuum, ob contumaciam ejus abalienare à familia: licet enim abdicatio Græcorum legibus uſurparetur, Romanis tamen legibus reprobatur, *l. 6. h. t.* & ſolummodo conceſſa patri moderata caſtigatio, ſi pietatem ei debitam filius non agnoſcat, qui tamen ſi adhuc in pari contumacia perſeveraverit, ut acriore remedio coërceri debeat, cum parens Judici offeret dicturo ſententiam, quam ipſe pater dici voluerit. *l. 3. in fin. h. t.*

4 Maxima quoque vis patriæ poteſtatis cernitur in rebus per liberos acquiſitis. Et quidem olim liberi in poteſtate exiſtentes nihil poterant proprium habere, ſed omnia per ipſos ſtatim acquirebantur patri, quibuſdã exceptis, *l. 2. h. t.* id eſt, peculio caſtrenſi & adventitij proprietate, *§. 1. Inſtit. per quas perſonas nob. acq.* At ea bona quæ patri acquiruntur filius alienare non potuit, nec nunc inſcio patre, *l. 3. in pr. h. t.* de acquiſitione & diſtinctione iſta bonorum plura dixi *ſup. lib. 6. tit. 60. & ſeq.*

5 Cæterùm ſi pater filium in poteſtate eſſe dicat, ejus rei cognitio Judici committitur. Itemq; ut alimenta pro facultatibus patris filio prçſtentur, *l. 1. & l. pen. h. t.* Verùm ſi pater diu paſſus eſt filium ut patremfamil. negotia ſua ſeorſim agere, aut matris bona quæ poſſidebat, per eos adminiſtrari, qui teſtamento matris tutores nominati fuerunt, prçſumitur eum emancipaſſe, *d. l. 1. h. t.* Ideoque Judex patrem qui hunc filium in poteſtatem revocare cupit, non facilè audiet, cum contra factum ſuum venire velit, niſi pater probaverit, quod errore ductus, paſſus fuerit res geri per filium, putans eum ab avo emancipatum fuiſſe. Interim pro filio contra patrem, militat hæc conjectura, quod paſſus ſit pater eum res maternas habere, cùm filijfamil. neq; bona habeant, neque tutores, bona enim jure veteri etiam materna patri acquiruntur: tutores verò non dantur eis qui adhuc ſunt in poteſtate patris, ſed ea ſolutis.

TITULUS XLVIII.

De Adoptionibus.

1. *Quid ſit adoptio, quo modo & apud quem fiat.*
2. *Quæ ſint requiſita ad arrogationem, & cur in hac major requiratur ſolemnitas, quam in adoptione.*
3. *Qui adoptari vel arrogari poſſint.*
4. *Adoptare vel arrogare qui poſſint, vel prohibeantur, natura, aut lege.*
5. *Quando vitrico conceſſum adoptare privignum, vel patrono libertum, vel civi alterius civitatis civem.*
6. *Quid juris ſi filiusfamil. adoptatus fuerit ab extranea perſona, vel à non extranea?*
7. *Quâ cautione arrogatus impubes tranſit in poteſtatem arrogatoris.*
8. *Cur arrogati liberi una tranſeant, ſecus in adoptione.*
9. *Quid juris ſi arrogator emancipet filium arrogatum?*
10. *An quarta impuberi arrogato, & ſine juſta cauſa emancipato debita, ſit omnium arrogatoris bonorum?*
11. *An impuberi arrogator ſubſtituere poſſit?*

SEquitur de adoptione, alter modus acquirendæ patriæ poteſtatis. *Adoptio eſt legis actio, ſeu legitimus actus, quo qui natura liberi non ſunt, lege efficiuntur, Inſtit. h. t. in pr.* Eſt enim adoptio quaſi naturæ æmula, quæ vices ſubit nuptiarum. Nam ut juſtis nuptiis naturales & legitimi naſcuntur, ita per adoptionem legitimi tantum fiunt. Eſtque duplex *adoptio in ſpecie, & Arrogatio; quæ eſt legitima hominis ſui juris in filium aſſumptio. Adoptio verò ejus, qui ſubeſt poteſtati patriæ, l. 1. ff. h. t.* Adoptio fiebat apud Judicem competentem, penes quem plena legis actio eſt, *l. 1. h. tit.* Adoptionem præibant more antiquo emancipationes tres & duæ manumiſſiones, quæ poſtmodum ſublatæ ſunt, & ſtatutum ſufficere ad adoptionis ſolemnitatem, adire Judicem ordinarium, & ex voluntate patris naturalis dantis in adoptionem, & accipientis, & adoptati fieri *l. ult. h. tit.* non autem agnatorum adoptati aſſenſus exigitur, *l. 7. ff. h. t.* verùm cum nepos adoptatur, quaſi ex filio natus, conſenſus filij deſideratur, conſentire autem filius intelligitur, qui non contradicit, *l. 5. & 6. ff. h. t.* Non ſufficit autem adoptionis tabulas per tabellionem confici, niſi dictus juris ordo ſervetur, ut non aliter fiat, conſentiaturque in adoptionem quam coram Magiſtratu, qui vel præſes eſt, vel proconſul, *l. 4. h. t.* 1

Arrogatio verò eorum qui ſui juris ſunt auctoritate Principis fieri dicitur, quia opus eſt ejus reſcripto, quod apud acta inſinuatur, *l. 2. §. 1. & l. 6. h. t.* perindeque valet, ac ſi apud populum jure anti- 2

quo

quo facta eſſet arrogatio, *d. §. 1.* Sed quare hæc tanta indiget ſolemnitate, non item adoptio? quia agitur de ſtatu civis Romani, ſuper quo non niſi populo auctore, aut Principe, quid ſtatuendum. At vero in adoptione ſupereſt pater, qui filio quem adoptandum alteri dat, præſumitur ſufficienter cōſulere. In arrogatione deſideratur conſenſus expreſſus ejus qui arrogatur. Quomodo nemo arrogatur abſens, vel diſſentiens. *l. 24. ff. h. t.* neque ſeptennio minor, ſed major, cujus eſt aliqua voluntas, adhibita auctoritate tutoris ſi ſit impubes, aut curatoris ſi ſit minor. *l. 8. ff. h. t. & l. ult. C. de auct. præſt.* cum tamen in adoptione conſenſus tacitus ſufficiat, quatenus videlicet non contradicit adoptandus etiam ſeptennio minor, *l. 5. ff h. t.*

3 Ex dictis ſatis apparet eos tantum adoptari qui filiiſfamil. ſunt, *l. 1. h. t.* ſive in poteſtate patris adhuc ſint, *l. 8. h. t.* ſive avi, aut proavi, *l. pen. §. ult. & l. ult. h. t.* Arrogari verò qui ſui juris ſunt, *l. 6. h. t. & d. §. ult.* etiam impuberes, *l. 2. in pr. h. t.* fœminæ quamvis ſui juris ſint, non arrogantur, niſi ex reſcripto ac ſpeciali Principis indulgentia, *d. l. 8. in fin.*

4 Adoptare, vel arrogare poſſunt omnes, quibus vel natura, vel lex impedimento non eſt. Natura impediuntur omnes illi, quibus eſt impoſſibile ſuſcipere liberos. Naturam enim adoptio imitatur. Quamobrem minor natu majorem ſibi non adoptat, pro monſtro enim & impoſſibile eſt naturâ, ut major ſit filius quam pater, *§. 4. & 5. Inſt. h. t.* Neceſſe itaque eſt, ut adoptans ſit plena pubertate, id eſt, 18. annis præcedat adoptandum; licet enim generare ante poſſit, rarius tamen eſt ut generet. Pari modo qui vitio incurabili, ſeu morbo detinentur, ut ſanari non contingat, quo inhibeatur uxorem ducere & generare, nec adoptare quoque poſſunt, veluti caſtrati. Spadones verò, aut quibus ob accidens aliquod vitium non datur generare, poſſunt adoptare, uti & nuptias contrahere, quia retinent tales principia procreandi, & ſublato vitio, redire facultas illa poteſt. *l. 2. §. 1. & l. 30. ff. h. tit.* Lege impediuntur adoptare & arrogare fœminæ, quia nec naturales liberos in poteſtate habent, quamvis ex indulgentia Principis, in ſolatium liberorum amiſſorum adoptare poſſint in hunc finem, ut legitimum habeant ſucceſſorem. *l. 5. h. t.* Deinde impedit quoque civilis ratio quo minus pater adoptivus dimiſſum è poteſtate ſua filium adoptivum iterum adoptet: & ne minor ſit ſexaginta annis, qui arrogat, quia magis liberorum procreationi ſtudere debeat; niſi fortè valetudo, aut alia cauſa generationem impediat, vel ſi quis conjunctam perſonam velit adoptare.

5 Sed nec illi lex permittit arrogare, qui tutelam, vel curam alicujus adminiſtrat, propter metum intercipiendarum rationum, niſi is vitricus fuerit, cui conceſſum eſt adoptare privignum ſuum, ceſſante in eo ſuſpicione fraudis, *l. 15. §. 2. l. 17. & 32. ff. h. t.* Conceſſum quoque patrono libertum ſuum arrogare, ſi liberos non habeat, *l. 3. h. t.* Item civis alterius municipii poteſt extraneum adoptare. At non propterea hic adoptatus patriam mutat, ſed utrobique tam in loco originis, quam ubi adoptatus eſt, honores & munera ſuſcipit, *l. 7. h. t.* niſi à patre adoptivo emancipetur, quia ſicut per adoptionem civis factus fuerat, ita per emancipationem ejus civitatis, civis eſſe deſinit, *l. 15. §. ult. & l. 16. ff. ad municipalem.* Siquidem emancipatio facit, ut omnia jura per adoptionem quæſita diſſolvantur, nullumque familiæ retineatur veſtigium, *l. 9. h. t. l. 13. & ſeq. ff. eod.*

Cæterùm ſi filiusfamilias extraneæ perſonæ in 6
adoptionem detur, non tranſit in ejus poteſtatem, neque enim jura patris naturalis diſſolvuntur, robuſtiora ſiquidem illa ſunt, quam ut civili aliqua ratione tollantur. Hoc ſolum ex adoptionis actu adoptans conſequitur, quod adoptatus etiam filius dicatur ejus, qui adoptat, & ad legitimam ſucceſſionem admittatur, ſi inteſtatus pater adoptivus deceſſerit. Quod ſi verò conjunctæ perſonæ, puta avo, proavoque paterno, ſeu materno, vel patri naturali emancipato, filius datus fuerit in adoptionem, hic in adoptantis familiam & poteſtatem omnino tranſit. Manet quippe tunc ſtabile jus patris adoptivi, cùm concurrant hoc caſu in unam eandemque perſonam, & naturalia & adoptionis jura, ita ut adoptatus hoc modo à patre naturali nihil ampliùs expectare queat, neque tabulas ejus moleſtare, ſed ſolum adoptivum agnoſcere jubeatur, niſi ab eo iterùm fuerit emancipatus. Quo caſu rurſus ad domum revertitur patris naturalis, diſſoluta videlicet adoptione, *l. pen. h. t.* quæ Juſtiniani eſt correctoria, cujus & meminit *in §. ſed hodiè Inſtit. eod. tit. & in §. ſed ea omnia Inſtit. De hæred. quæ ab inteſt.*

Hoc verò proprium eſt arrogationis, quod arro- 7
gatus tranſeat in familiam poteſtatemque arrogatoris, & quidem indiſtinctè, ſive is veſticeps fuerit, id eſt, pubes, qui olim arrogari tantum poterat, ſive impubes ex Conſtitutione Antonii Pii, dum modo poſteriori caſu, causâ cognitâ, an honeſta ſit, expediatque pupillo, arrogatio fiat, & arrogator caveat perſonæ publicæ, datis fidejuſſoribus, ſe bona arrogati, ſi is impubes moriatur reſtituturum illis, qui, ſi arrogatio facta non eſſet, ad ſucceſſionem ejus eſſent venturi, *§. cùm autem Inſtit. l. 2. h. t. & 17. in fin. & ſeqq. ff. eod.* Fidejuſſorum cùm lex meminerit, non ſufficiet nuda promiſſio, in arrogatione pupilli, ſed omninò neceſſaria erit cautio fidejuſſoria, *d. l. 2.*

Porrò non ipſe ſolùm poteſtati arrogatoris ſub- 8
jicitur, ſed & liberi ac bona ejus in ejuſdem tranſeunt poteſtatem. Unde cùm Auguſtus adop-

Digitized by Google

taſſet Tiberium, unà cum Tiberio & Germanicus, quem Tiberius antè adoptaverat, tranſiit in poteſtatem Auguſti, *§. illud proprium Inſt.h.tit.* Qui effectus adoptioni ſpeciali tribui non poteſt. Ratio differentiæ eſt, quod arrogatus fuerit antè paterfamilias, atque ita filios habuerit in poteſtate, qui ſimul cum patre per arrogationem tranſeunt in alienam familiam, cum qui in poteſtate alterius eſt, alium in ſua poteſtate habere nequeat. Adoptatus verò, quia filiusfamilias, ex ſe natos non habuit in poteſtate, qui propterea unà cum patre non tranſeunt in po-
9 teſtatem adoptantis, *l.2. in fin. l.15. & 40. ff. h.t.* * Præterea eſt hic effectus arrogationis impuberis, quod arrogator non poſſit arrogatum ſine juſta cauſa emancipare, vel exhæredare; ex juſta cauſa emancipans, vel exhæredans non ſolum reddere eidem bona ſua tenetur, ſed etiam quartam bonorum ſuorum partem relinquere, *l.2. in princ.h.t.*

10 Quæritur, An hæc quarta arrogato & ſine juſta cauſa emancipato debita, ſit omnium arrogatoris bonorum, an verò portionis ab inteſtato debitæ? Sunt qui hanc quartam omnium bonorum eſſe ſentiant, *per text.l.22. in pr.ff. & l.2.h.t.* ubi quarta hæc bonorum teſtatoris dicitur, & quidem quæ mortis tempore habuit, *l.fin.ff.ſi quid in fraud.patr.* Nec ullibi portionis ab inteſtato debitæ vocatur, cum tamen quarta filiis naturalibus & legitimis relinquenda portionis debitæ paſſim appelletur, eaque ſufficiat ad excludendam querelam, *l.8 §.8.ff.de inoff.teſt.* Veriùs tamen hanc quartam eſſe portionis ab inteſtato debitæ *d.l.8.§.15.* cùm non ſit ratio ut impuberes arrogati melioris conditionis & plus habeant, quam liberi ex legitimis nuptiis procreati, quibus tamen quarta ſufficit. Tum quia poſſet contingere pluribus arrogatis (etſi hoc vix permittatur) ſi ſingulis deberetur quarta omnium bonorum, exhauriri ſubſtantiam arrogatoris, in injuriam naturalem, ſi qui fuerint: (nam & illis exiſtentibus permitti adoptionem, cauſa cognita habet textus *in l.17. in fin.ff.h.t.*) aut qui poſt arrogationem ſunt nati.

11 Poſtremò notandum eſt, non poſſe arrogatorem filio arrogato ſubſtituere, eo caſu quo impubes deceſſit, in bonis ſcilicet ipſius arrogati, quoniam ea reſtituere compellitur, ut diximus. At benè quidem ſubſiſtet ſubſtitutio in bonis quæ dederit arrogator itemque in dicta quarta ex Conſtitutione Divi Pij debita: licet tamen in ea non poſſit arrogato ſubſtituere per fideicommiſſum, quia non judicio ejus ad eum pervenit, ſed principali providentia, *l.22.ff.h.t. l.10.§ pen.ff. De vulgari & pupilli.*

TITULUS XLIX.

De emancipationibus liberorum.

1. *Emancipatio filij apud quem Judicem fiat.*
2. *Olim fiebat varijs circuitibus & ſolemnitatibus.*
3. *Hodie fit ſola voluntate patris, profeſſa apud Magiſtratum abſque reſcripto.*
4. *Cauſa ob quas pater filium emancipare cogitur.*
5. *Quod jus conſequatur filius emancipatus, & quæ retineat pater in præmium emancipationis.*
6. *Filius moribus noſtris emancipatur per matrimonium. Quos effectus producat iſta emancipatio.*

PEr emancipationem inquit Juſtinianus jura ad- 1
optiva diſſolvuntur, *in l.pen. § fin.autem Tit. ſup.* Itemque deſinunt liberi in poteſtate patria eſſe, quâ tamen non liberantur nudo conſenſu, ſed actu ſolemni, *l.3.h.tit.* Nam adeundus eſt Magiſtratus apud quem pater voluntatem ſuam exponat, *l. ult. h. t.* quemadmodum Juridicus Alexandriæ, item Proconſul, & Duumviri; ſunt autem Duumviri magiſtratus municipales, ab ipſis municipibus, non à populo creati. Quod ſi lex municipalis permitteret, ut pater liberos ſuos emancipare poſſet, apud Duumviros alterius municipij, quod à patre factum erat ſuam obtinebat firmitatem, *l.1.h.t.*

Præter patris declarationem, multas adinvene- 2
rat antiquitas ſolemnitates in emancipationibus, nam requirebat imaginariam filij venditionem, trinam emancipationem, ſolemnes circumductiones, injurioſa rhapiſmata, quorum nullus rationabilis inveniebatur exitus, ideoque Anaſtaſius eas ſolemnitates ſuſtulit, atque ex reſcripto Principis, magiſtratui inſinuato, emancipationes fieri poſſe permiſit, *l.5.h.t.*

Poſtea Juſtinianus ne quidem reſcripto opus eſſe 3
decrevit *d.l.ult.* omnique exploſa priſtina fictione, ſufficere ait ſi coram Judice competente, pater emancipans & filius emancipandus conſenſum ſuum exprimant, quia non cogitur pater, aut avus invitus filios ſuos, vel filias, vel nepotes vel neptes è manu ſua, ſive poteſtate dimittere: ne in cujusquam injuriam beneficium Principis tribuatur, *l.4.h.t.* Non dubito quin requiratur ſcriptura, ut in cæteris quæ apud acta fiunt, etſi non tam ſcriptura hîc, uti in donationibus, quam veritas conſideretur, *l.2.h.t.* cum plus valeat quod agitur, quam quod ſimulatè concipitur. *ſup.tit.plus quod agit.*

Interdum cogitur pater emancipare filium, veluti 4
ſi malè contra pietatem filium afficiat, *l.ult.ff.à parente quis manumiſſ.* aut filiam proſtituat. *l.12. ſup. De Epiſc. aud.* ſi filius impubes arrogatus ſit, & poſt pubertatem probet ſibi non expedire arrogationem, ſeque in ea circumſcriptum eſſe, *l.32. & ſeq.ff. De adopt.* ſi pater agnoverit legatum ſub hac lege ſibi relictum, ſi filium emancipet, *l.92.ff. De cond. & demonſtr.* ſi pater pecuniam acceperit, ut filiũ emanciparet, *l.1.§.3.ff.d.t.ſi parente quis* De hiſce caſibus vide Accurſ. *Inſt.quib.mod.jus patr.pot.ſol.*

Effectus emancipationis eſt præcipuus, quod ſui 5
juris

Digitized by Google

juris efficiatur filius emancipatus, cùm liberatur patria poteſtate, adeò ut poſtea invitus redigi nequeat in patris poteſtatem, *l.ult.ff.de his qui ſunt ſui vel.al.* Solet filio pater quaſi pro vitæ alimentis peculium donare, vel res alias in eum transferre jure patrimonij, ipſe verò pater retinet pro ſemiſſe uſumfructum, in rebus filij adventitiis, non item caſtrenſibus vel quaſi, idque pro præmio & remuneratione emancipationis, *l. ult. h. t. & l.6. ſup. De bonis quæ lib.* Nam pretio non poteſt æſtimari emancipatio, & beneficus eſt pater qui filium emancipat, uti dominus qui ſervum manumittit. Nec eſt neceſſe poſt Conſtitutionem hanc Juſtiniani, patri legitima jura tutelarum, & hæreditatum ſibi reſervare, ut ſit filio qui inteſtatus deceſſerit, & ſine liberis heres legitimus, & impuberi filio emancipato tutor legitimus, *d.leg.ult.*

6 Moribus hodiernis, hoc ipſo quo pater paſſus eſt filium in propriam ſuam utilitatem negotiari tanquam patremfamil. cenſetur eum emancipaſſe: Item ſi conſenſerit in matrimonium filij; Adeoque prodeſt iſta emancipatio filio, ut poſſit ſibi acquirere, & familiæ ſuæ providere, patriſque teſtamentum nullum dicere, ſi ſit præteritus; imò ipſemet teſtamentum de rebus ſuis condere, & hæreditatem patris non aditam ad ſuos tranſmittere, & in judicio agere quæ facere non poſſet ſi ſub poteſtate patris manſiſſet, qua tamen non liberat matrimonium, jure Romano *l.12.ſup. De collat. l.7. ſup. De nupt. l.1.ff. De lib.exhib.* ſunt alij emancipationis effectus, quos practici recenſent.

TITULUS L.

De Ingratis liberis.

Propter ingratitudinem emancipatus revocatur in poteſtatem patris.

Emancipatio non tribuit liberis eam poteſtatem, ut poſſint impunè parentem offendere. Hinc traditur hoc Titulo quod ſi filius, vel filia cæterique liberi parentes, vel atroci injuria, vel acerbitate convicij affecerint, juſtè revocentur in priſtinam poteſtatem, *l.un.h.t.* quamvis libertus ingratus etiam ob levem offenſam revocetur à patrono in ſervitutem, *l.2.ſup. De libert. & eor.lib.* Hæc revocatio fit vel actione ingrati, vel officio judicis, vel per accuſationem ingratitudinis.

TITULUS LI.

De poſtliminio reverſis & redemptis ab hoſtibus.

1. *Continuatio, & quid ſit poſtliminium.*
2. *Fictio poſtliminij, & L. Cornelia, quid operetur in ſucceſſione capti, & in alijs.*
3. *Interdum ille ſuccedit, quem alius præcedit, ſi hic, qui prior, decedat, pendente ſtatu captivi.*
4. *Poſtliminium quia re.,ituat.*
5. *An filius reverſus ſuccedat patri & quatenus amiſſa recuperet.*
6. *Cur non recuperet ea, quæ conſiſtunt in facto, ſed quæ in jure.*
7. *Si conceptus ſit filius, patre exiſtente apud hoſtes, & ibi mortuo, ſuccedet matri.*
8. *Quomodo ſuccedat filius reverſus patri & matri.*
9. *Matrimonium non reſtituitur poſtliminio, ſed redintegratur conſenſu.*
10. *Poſtliminij jure quæ perſonæ non gaudeant.*
11. *An eo jure gaudeat conceptus & natus apud hoſtes patre ibi mortuo?*
12. *Quibus in rebus eſt, aut non eſt poſtliminium.*
13. *Redimit quis ſe ſua pecunia, vel aliena.*
14. *Redimens alium, quibus cauſis non repetat pretium.*
15. *Redimens retinet redemptum jure pignoris, non ut ſervum.*
16. *Redemptus pretio nedum ſoluto, hæreditatem adiit & jure poſtliminij utitur.*
17. *Cogitur redemptor pretium accipere, & dimittere redemptum.*

Sicuti per ingratitudinem reſtituitur patria poteſtas officio judicis, ita etiam ipſo jure, per poſtliminium, unde naſcitur occaſio agendi de eo quatenus redemptis & reverſis ab hoſtibus prodeſt. 1 Eſt autem poſtliminium jus amiſſæ rei recuperandæ, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos & liberos populos, regeſque legibus ac moribus conſtitutum. Nam quod bello amiſimus aut etiam citra bellum, hoc ſi rurſus ſuſcipiamus, dicimus poſtliminio recipere. Idque naturali æquitate introductum eſt, ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediiſſet priſtinum jus ſuum reciperet. Ita Paulus J. C. *in l. 19. ff. de capt. & poſtl.* * Fingebat itaque hoc jus, captum 2 ab hoſtibus reverſum, quaſi nunquam captum ſemper in civitate manſiſſe: Quemadmodum & Lex Cornelia fingebat patrem mortuum in poteſtate hoſtium, eum primo captivitatis momento deceſſiſſe, & proinde ex eo tempore liberos ipſius ſui juris factos eſſe, *l. 10. 11. 12. 18. & 22. ff. h. t.* Igitur in poſtliminio conſideratur primo præſens ſtatus captivitatis, quo ſervorum qualitati ſimilis quis eſt, ut per ſe nihil poſſe dicatur. Deinde ſuſpenſio jurium, quæ fit dum expectatur poſtliminium, ut quæ in peculio ſervorum capta ſunt, & filiorum in ſuſpenſo ſunt, ut ſi redierit ejus ſint: ſi apud hoſtes deceſſerit lege Cornelia, ad hæredes ejus pertineant, *l.1.h.t. & d.l.22.* Interim bonis capti, datur à magiſtratu curator cum ſatisdatione,

l.3.h.t.

Digitized by Google

l.3.h.t. Quo fit nullam eſſe hæreditatem viventis, *l.1.ff. De hæred.vel act.vend.*

3 Expectanda itaque eſt mors naturalis,ne ſequatur abſurdum, quod qui ſemel fuit hæres, revertente captivo,& jus ſuum recuperante,deſinat eſſe hæres. Quamobrem priuſquam quis certus ſit de morte naturali capti,non poterit ſuper ejus hæreditate transigere, aut eam adire, vel ab inteſtato, vel ex teſtamento, *l.4.h.t.* cum fieri poſſit ut qui proximior eſt in gradu ſuccedendi,interim decedat: dum de vita, vel morte capti dubitatur, & ſuccedat remotior, ut in ſpecie, *d.l.4*, cum adhuc incertum eſſet,utrum mater ab hoſtibus capta, an interfecta eſſet, & filius ejus hæreditatem adiiſſet,ac deceſſiſſet; poſtea verò innotuerit matrem è vita exceſſiſſe,ſororis filiis licentia datur agnoſcendæ per bonorum poſſeſſionē ſucceſſionis,nec officit aditio à filio facta,quia non valuit. In ſucceſſione enim inteſtati, dum quæritur quis ad ſucceſſionem vocetur, ſpectatur tempus quo certum eſt defunctum inteſtatum obiiſſe, *§.cum autem 8. Inſtit. De hæred.quæ ab inteſt.* Quapropter cum eo tempore, ſororis filij priorem gradū obtineant, jure ſucceſſionis compendium ad eos pertinet, *d.l.4.* At quo jure? ex Lege Cornelia, quæ patitur hanc ſucceſſionem proximioribus deferri, *l.18.ff.de vulg.* Nam citra hanc legem,captiva quæ in hoſtium poteſtate, & ſic ſerva deceſſit, ſucceſſorem habere non poteſt, *l.3 in fin. ff. De Verbor. Sign.*

4 Effectus poſtliminij eſt, quod qui à captivitate rediit,recipit priſtinum ſuum ſtatū,ſive ſit ingenuus paterfamil. vel filiusfamil. *l.5.& 12.h.t.& l.12.§.1. ff.eod.* Item recuperat priſtina jura,& quæ illi medio tempore captivitatis contingere potuerunt;ut apud hoſtes filius ſuſceptus,ſi poſtliminio redierit,filij jura habet,ita reverſo filiofamil.jure poſtliminij, pater filium ſuum recuperat & filius ſuum, *l.9.h.t.* quia patria poteſtas,non tam ſublata, quam ſuſpenſa videtur; ſic & dominica redintegratur,reverſo ſervo, qui dominum vel ejus ſequitur ſucceſſorem, *l.10.h.t.*

5 Porrò ſi pater & filius fuerint ab hoſte capti, & patre in captivitate mortuo, poſtea filius fuerit ad ſuos reverſus, Lex Cornelia hunc filium patris ſui hæredem facit,eique res hæreditarias reſtitui jubet, ſi modo in poteſtate patris fuerit, tempore quo capiebatur,& niſi filius reverſus aliqua temporis præſcriptione ſubmoveatur *d.l.9.* quæ poſt filij reditum ab hoſtibus currere incipit. Recuperat quoque reverſus jure poſtliminij ea, quæ in agris, vel mancipiis, vel aliis rebus ante tenuit, etſi à fiſco poſſideantur,nec timere debet alicujus contradictionis moram,cum hoc ſolum requirendum ſit,utrum forſitan aliquis cum barbaris voluntate fuerit, an coactus, *l.pen.h.t.* Planè ſi iſtæ res militum noſtrorum virtute recuperentur, non ut præda illis acquiritur, ſed illico priſtinis dominis reſtituuntur, receptæ enim res ſunt, non captæ, & militem civium rerumque eorum defenſorem eſſe decet, non dominum, *l.12.h.t.* Dixi poſtliminio reverſum,recuperare omnia jura quæ per captivitatem amiſit, dum tamen ea integra inveniat,nam ſi jus interim ſit alteri quæſitum præſcriptione, tunc oportet eum in integrum reſtitutionem petere,qua obtenta poterit rem vindicare actione reſciſſoria,quæ olim dabatur intra annum utilem *l.18.h.t.* hodie intra quadriennium continuum, *l.ult.C.De temp.in int. reſtit.*

Cæterum quamvis reverſus omnia jura recuperet, & quod ille fingatur retro in civitate ſemper 6
fuiſſe, *l.16.ff.h.tit.* ea tamen quæ facti cauſam continent (ut poſſeſſio) non recipit, neque enim poteſt videri poſſediſſe, qui ab alio poſſidetur, *l.23.§.1.ff. de acq. poſſ.* Cur autem ea quæ ſunt juris, ut dominium, civitas, poteſtas, familia, recuperentur, non etiam ea quæ ſunt facti, ratio eſt,quod in poſtliminio ſit quædam fictio, quæ tantum locum habet in iis, quæ ſunt juris, non verò in iis quæ ſunt facti, ut in poſſeſſione. Joach. Hopperus *de juris arte l.2.c.11.*

Non tamen ſicut jura patriæ poteſtatis reſtituun- 7
tur poſtliminio, ita uxores maritis redeuntibus reſtituuntur: nam tantum conſenſu uxorum redintegrabantur matrimonia, *l.8.& 14.ff.h.t.* Hæc tamen jure noviſſimo captivitate non diſſolvuntur, niſi per quinquennium ignoretur, an perſona captiva ſit in vivis. *Novell.22.c.7 dictum ſup.De Repudiis n.2.*

Nihil autem intereſt quomodo quis ab hoſtibus 8
redeat,ſive eorum dimiſſione, ſive vi, aut fallacia, ſive virtute noſtrorū militum, *l.12.h.t.* ita tamen ſi apud ſuos ſit manſurus,* nam ſi eo animo venerit, 9
ut ad hoſtes revertatur,ceſſat poſtliminium, *l.26.ff. h.t.*& ideò in Attilio Regulo,quem Carthaginenſes Romam miſerunt,reſponſum eſt non eſſe poſtliminio reverſum, quia non habuerat animum Romæ remanendi *l.5.§.3 ff.h.t.* Planè qui armis victus ſe hoſtibus dedit, poſtliminio non gaudet, nec quem nos dedimus hoſtibus ſi reverſus eſt,& ſi ad nos redierit ab hoſtibus non receptus, *l.4.& 17.ff.h.t.* transfugæ etiam nullum poſtliminium eſt. Nam qui malo conſilio & proditoris animo patriam reliquit,hoſtium numero habetur, ſi modo ſui juris ſit: ſi verò ſervus transfugerit, non ejus cauſa, ſed domino poſtliminij jus erit, ut ſervum recipiat, *l.19. §.4.5.ff.h.t.* Item ſi captivus, de quo in pace cautum fuiſſet, ut rediret, ſua voluntate deinde apud hoſtes manſit, non ei poſtea poſtliminium eſt, *l.10.ff.eod.*

Dubitari poſſet de conceptis & natis apud ho- 10
ſtes, ex eo quod nunquam in civitate fuerint, ac proinde reverſi dici nequeant: attamen non eſt iis jus poſtliminij denegandum, qui in civitate concepti fuerunt, etſi apud hoſtes nati, quia pro natis habentur tempore conceptionis, *l.7.ff.de ſtatu homin.* Quod & dicendum de iis qui concepti apud hoſtes, cum patre redierunt, quod quidem benignè datum

Digitized by Google

datum patriæ poteſtati, quæ quia cum redempto reverſoque patre eſt integra, etiam ab ea dependentia, illi integra eſſe debent, *l.1.h.t.* Non eſt idem juris in matre ſola redeunte, nam ex ea concepta proles in captivitate, ex marito ibidem mortuo, etſi judicanda ſit ingenua ſecundùm matris conditionem, *l.16.h.t.* non tamen eſt concepta legitimè, atque ideò patri non reverſo non erit hæres, *l.25.ff.h.t.* matri tamen ſuccedit ex S.C. Orphiciano, *l.14.h.t.* non item ex fictione legis Corneliæ, quæ quidem legitimos apud hoſtes defuncto conſtituit hæredes, ad eum tamen qui illic conceptus eſt non pertinet, cum eo tempore quo pater captus eſt, diem ſuum obiiſſe exiſtimetur, *d.l.1.*

12 Sunt etiam res, quæ jure poſtliminij non poſſunt repeti. Nam Marcellus ait, navibus quidem longis & onerarij, propter belli uſum, poſtliminium eſſe, non piſcatoriis, aut actuariis voluptatis cauſa paratis: equos freni impatientes ad hoſtes ſe proripientes poſtliminio repeti, non item arma, quippe quæ ſalvo pudore non amittuntur, non veſtes, *l.2.& 3. ff.h.t.* quodque in bello captum eſt; & ceſſit in prædam, poſtliminio non redit. Imò ſi in bello captus, pace facta demum refugit, deinde renovato bello capitur, poſtliminio redit ad eum à quo priore bello captus erat: ſi modo non convenerit in pace, ut captivi redderentur, *l.28.ff.h.t.*

13 Secunda hujus Tituli pars eſt *de Redemptis ab hoſtibus.* Nam pactione ſolutoque lytro redemptus ab hoſtibus ſervitute liberatur, & priſtinæ ingenuitati reſtituitur, *l.5.h.t.* Verumtamen obſervandum eſt redemptam illico quidem reſtitui ſi ſua pecunia il-
14 le ſe redemerit. * At ſi aliena redimatur, tunc demum ſtatum ſuum recipit, cum pretium conventum ſolverit, vel ei aliquo alio judicio illud remiſſum fuerit, *l.17.h.t.* vel ſi alio modo, qui pretium dedit jure id amittere debeat, ut ſi redemptam proſtituat, *l.7.h.t.* Item ſi tacitè renuntiet pretio, veluti ſi redemptam in uxorem accipiat, *l.13.h.t.*

15 Etenim qui redemptionis pretium ſolvit, jure pignoris redemptum retinet, *l.2.h.t.* niſi hoc jus ſeu pignoris vinculum ei remiſſum fuiſſe redemptus probaverit, *l.11.h.t.* qui tamen à nemine detineri poterit, præterquam ab eo, cui redemptionis pretium debet. Sed non propterea quod redemptus ſit, & pretium debeat, fit redemptoris ſervus, cum liber fuerit antequam in hoſtium poteſtatem veniret. Non enim debet beneficium in calamitatem converti, cum redemptio facultatem redeundi præbeat, non autem jus poſtliminij mutet, *l.20.in fin.ff. h.t.* Nihilominus tamen æquitas ſuadet pretium reſtitui iis qui emerint à barbaris, vel pro pretio, laboris obſequio, vel opere quinquennij vicem referre beneficij ab illis, qui habituri ſint incolumem, ſi in ea nati ſint, libertatem; ne fortè aliquando damni conſideratio in tali neceſſitate poſitis negari faciat emptionem, *l.ult.h.t.* Ex qua & illud obſervandum, ſi quicquam in uſum veſtium, vel alimoniæ impenſum eſt, ex humanitate id præſtitum videri, nec victualis ſumptus repetitionem dari ei, qui impendit in tam piam cauſam.

Interim is qui liber conſtitutus, captus ab hoſti- 16
bus commercio redimitur, etiam antequam pretium redemptori fuerit exſolutum, utetur juribus poſtliminij, proinde favore ingenuitatis ſucceſſionem ſibi delatam vindicare, hæreditatemque adire poterit, ut ex ea pretium redemptionis pro ſe datum exſolvat, *l.15.h.t.* Quin & filiorum ſtatum tuebitur, quos poſtquam mater redempta eſt, ex ea procreavit, cum eos qui poſt redemptionem naſcuntur, ne pignoris quidem vinculo ob pretium, quod pro iis datum non eſt, teneri, nullis auctoribus viſum eſt, *l.8.h.t.* Nam remiſſo pignoris vinculo, ut redemptus non fit ſervus, aut libertus redemptoris, ſed ingenuitati quam amiſerat reſtituitur (ut dictum ſupra) ita nec ejus filij, obſequium ideò redemptori ejuſve liberis debent, *l.11.h.t.*

Quia ſi redemptus, vel alius pro eo pretium offe- 17
rat, cogitur id vel invitus, recipere redemptor, & redemptum remittere, nec debet ejus ſtatus ſecuritatem inquietare. Hoc enim & communis utilitas & poſtliminij jus exigit, *l.6.h.t.* de quo non plura referam, cum inter Chriſtianos, ex antiqua & laudabili conſuetudine, capti non fiant capientium ſervi, ſed tantum teneantur ad pretium redemptori, eoque ſoluto liberi abeant.

TITULUS LII.

De Infantibus, expoſitis liberis, & ſervis. De his qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt.

1. *Patria poteſtate indignus pater qui filios exponit, qua pœna puniatur.*
2. *Quomodo pœnam evitat, expoſitus manet liber, & ſibi acquirit.*
3. *Patre invito expoſitum licet repetere repenſis alimentis.*
4. *Cur ſi fur expoſitum ſuſceperit, alimenta non repetat, quæ tamen reputat prædo.*
5. *Infantes expoſiti quorum parentes iis alendis non ſufficiunt, à quibus ſint alendi?*

PAtriam poteſtatem de qua paulò ante, amittit 1
pater, qui propriam ſobolem exponit, aut eam paſſus eſt exponi alienæ miſericordiæ, quam ipſe non habet, ut meritò indignus ſit prole, cujus vitam & mores contempſit, & animadverſioni, quæ extra ordinem conſtituta eſt, ſubjiciatur, *l.2.h.t.* Neque enim, ut diximus, liberum eſt parenti

filium

Digitized by Google

filium negare, *l.9.ſup. De patr.poteſt.* Senatuſconſulto denuntiata pœna de partu agnoſcendo, *l.1. §.4. ff. De agnoſc.liber.*

2 Pœnam tamen evitabit pater, qui egeſtate & fame compulſus, alienæ miſericordiæ filium expoſuit, cum tueri ipſe ſe non poſſit, quo caſu pignoratio & venditio licita eſt, *l.2. ſup. De patr. qui filios ſuos diſt.* Verum ut venditio, ita nec expoſitio filij ejus ingenuitati officit, nam liber & ingenuus manet, & ſibi acquirit, & acquiſita quomodo valuerit, ad alium tranſmittit, nec educatori competit ullum jus patronatus, *l.ult.h.t.*

3 Quinimò jus ſuum ſalvum retinet pater & dominus, ſi eo invito vel ignorante filius aut ſervus ab extraneo fuerit expoſitus, quem & jure vindicat, modo educatori reſtituat alimenta, & ſumptus in artificium diſcendi juſte factos, *l.1.h.t.* Quemadmodum in *l. 16. ſup. De nupt.* pater qui urgente neceſſitate filiam expoſuit, nec vult conſentire, ut educatoris filio nubat, cogitur reſtituere pretium alimentorum in expoſitam factorum. Nam licet alimenta pietatis intuitu facta non repetantur, hoc tamen caſu, ea repeti facit ingratitudo patris adverſus educatorem, qui & filiam aluit, & hoc amplius affinitate patrem cohoneſtare voluit.

4 Cæterùm ſi quis invito patre, infantem expoſitum furti animo ſuſceperit, impenſas quas in eo alendo fecit, non repetit, *l.1.h.t.* quamvis neceſſariæ ſint, quod ſine iis infans non creviſſet. Rationem ejus eſſe puto, quod non permittatur furi impenſas deducere neceſſarias, niſi quæ ſint in rerum natura, & poſſint abradi. In præſenti autem caſu abradi nequeunt, atque hoc ita in odium furum inductum, quod & multa alia ſpecialia circa condictionem furtivam induci fecit, uti & quod res furtiva æſtimatur, attento tempore quo plurimi valuit, *l. 8. §.1. ff. De cond.furt.* etſi facto furis pluris valeat, qui addit aliquid inſeparabile, *l. 13. ff. d.t.* Videatur Joan. Garſia de expenſis *c. 2. n.* 8. & Franc. Sarmientus *l. 1. ſelect. interp. c.* 10. qui diverſum obtinere dicunt, in malæfidei poſſeſſore, ſi quidem hic neceſſarias impenſas reputare poteſt. *per l. 38. ff. De pet.hered.* & rectè, quia abeſt in eo injurioſa illa, & violenta rei contrectatio, quæ in fure reperitur, & licet in utroque reperiatur mala fides, hæc tamen potentior, exceditque magis in fure, quam in reliquis poſſeſſoribus, idque patet ex *l. 13. §. ſi quis ſciens* 8. *ff. De pet. hæred.* præter citatos videatur Fachin *l.1.contr.c.54.*

5 Hodie in bene conſtitutis civitatibus, ſolent eſſe hoſpitalia, ad alendos infantes expoſitos, & pauperes. Hoſpitalibus non extantibus, onus hoc alendi incumbit communitati ubi infans eſt expoſitus, quia cenſetur pauper deſertus, & ideò alendus ab univerſis incolis iſtius loci ubi reperitur. Niſi dominus loci, vel Eccleſia ad quam ſpectant decimæ teneatur pauperes alere, Ant. Theſaur. *deciſ.* 118. Eſcobar. *De Ratiociniis, c.25. n.45.*

TITULUS LIII.

Quæ ſit longa conſuetudo.

1. *Quid ſit Conſuetudo, & quid ad eam requiratur.*
2. *An opus ſit ſcientia Principis?*
3. *Quando conſuetudo abrogatur, reprobatur, vel prohibetur.*
4. *Et an reprobata poſſit ex nova cauſa introduci.*
5. *Conſuetudo an ſit probanda, & quomodo probetur?*
6. *An ſit de ſubſtantia conſuetudinis ne ſcribatur.*
7. *Conſuetudo obligat incolas ejus loci, ubi recepta. Quid ſi ibi deficiat.*
8. *Locus qui unitur civitati, hujus conſuetudinem ſequitur.*
9. *Conſuetudo legem interpretatur, & reſtringit.*
10. *Quæritur an & eam abroget?*
11. *Quomodo intelligendum quod non vincat legem, aut rationem.*
12. *An Princeps nova lege poſſit receptam conſuetudinem revocare. Solet a Principe conſuetudinem confirmato peti.*
13. *Lex poſterior revocat conſuetudinem legi contrariam, & ſi id non exprimatur in clauſula revocationis.*
14. *An lex generalis ſubſequens tollat ſpecialem loci conſuetudinem, cui eſt contraria?*
15. *Conſuetudo poſterior uti & lex priorem tollit, non facile tamen ab ea receditur.*

JUs patriæ poteſtatis conſuetudine receptum dicit Ulpian. *in l.8. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni jur.* 1
Et conſuetudinem definit eſſe jus, quod ſine ullo ſcripto populus approbavit, *l.32. ff. De legib.* Igitur cauſa efficiens hujus juris, eſt tacitus populi conſenſus, colligiturque is ex moribus utentium, qui conſiſtunt in temporis diuturnitate ac frequentia actuum, *l. 1. h. t.* non utique judicialium, quamvis hi certiſſimi ſint, ſed extrajudicialium, cum tales plerumque ſatis notorij eſſe poſſint. Quanto autem temporis ſpatio conſuetudo introducatur pro negotiorum varietate definiri debet, cum conſuetudo ſit facti; quæ autem facti ſunt, ea arbitrio Judicis relinquuntur, Menoch. *2. arb. caſ.81.* & Gail. *lib.2.obſ.31.*

Scientiam Principis ſunt qui deſiderant, quia in 2
illum omnis poteſtas condendi juris tranſlata. Ego tamen exiſtimo ſufficere, ne Princeps contradicat, utque tacitè patiatur conſuetudinem introduci; cum ejus omnis vis ex voluntate populi pendeat, ſine qua ne quidem in ſtatu libero leges vim ſuam exercebant, nec edicta radices agebant, *d. l.32. verſ.*

verſ. Nam cum ipſa leges. Facit in hanc rem textus, *in c.* 1. *de conſt. in* 6. ubi non improbatur ſpecialis loci conſuetudo,ex eo quod Pontifex eam ignoret, dummodo illa ſit rationabilis & legitimè præſcripta: quæ duæ conditiones requiruntur *in cap. fin.* ℵ. *de conſuet.* Ut ex eo ſatis intelligatur ignorantiam Principis non obſtare, quo minus conſuetudo teneat,ut ſine fundamento ſpecialis ejus ſcientia, aut expreſſus conſenſus deſideretur. Abb. ad *d. c. fin. n.* 13. Maximè cum Principi liberum ſit conſuetudinem receptam abrogare & reprobare.

3 Hinc videndum quando conſuetudo abrogetur, reprobetur, aut prohibeatur. Abrogatur dum ea quæ exiſtit revocatur per legem ſupervenientem, vel expreſſe,vel per clauſulam generalem (non obſtante quacunque conſuetudine) quæ frequenter adjicitur, & abrogat tantum conſuetudinem obſtantem,non etiam prohibet futuram: odioſa enim eſt iſta abrogatio, ut non debeat extendi ultra verba. Quo fit ut contra legem conſuetudo poſtea introducta teneat,ſi ratio eam commendet.Reprobatur autem quando judicatur irrationabilis. Prohibetur verò dum impeditur, ne inducatur, quo non obſtante induci poterit,cum juſta ſubeſt ratio. Planè inducta conſuetudo ſi abrogetur, denuo validè induci poterit, uti & lex abrogata denuo rogari ſi ita reipublicæ videatur.

4 *Hinc abrogata,vel prohibita conſuetudo, videtur tantum pro iſto tempore impediri magiſque ejus effectus ſuſpendi, quam in perpetuum tolli, quandoquidem ſucceſſu temporis ex nova cauſa introducta conſuetudo poſſit ſuſtineri,ut *in l.* 3. §. 5. *de ſepulc. viol.* prohibetur quis in civitate ſepeliri,cujus tamen contrarium hodie conſuetudine ſervatur.Cæterū conſuetudo quę ex cauſa perpetua fuit abrogata ſeu abolita, denuo introduci nequit; alias ſecus,quia per novam cauſam ſupervenientem, poſſet tolli iniquitas, quæ ei videbatur adeſſe eo tempore,quo lex eam ut iniquam reprobabat, Covarruvias *lib.* 3. *var. reſol. cap.* 13. *num.* 4.

5 Sed dubitari poſſet,an iſta conſuetudo ſit probanda? Et ſane cum in facto conſiſtat,probanda eſt ab eo qui eam allegat, ex regula communi, qua allegauti incumbit probandi onus,idque per teſtes,qui deponant de uſu & frequentia actuum; atque duo ſufficient, cum pluralis elocutio duorum numero contenta ſit, *l.* 12. *ff. De teſtib.* Quamquam in curiis harum provinciarum,& aliorum locorum conſuetudo probari debeat per teſtes ad minus decem, & per turbam ut pragmatici loquuntur,non examinatis ſingulis,ſed omnibus ſimul,uno eorum referente & aſſerente eam conſuetudinem eſſe diu receptam. Quæ tamen ſi publica auctoritate in ſcripturam redacta foret, non alia indigeret probatione, cum ſcriptura iſta perfectam ponat probationem,idemque eſt ſi notoria fuerit. Videatur Gail. *ſup. d. loco n.* 17 Doctoris unius aſſertio, non quidem ſufficienter probat conſuetudinem, cum ea quæ facti ſunt, etiam prudentiſſimos fallant, *l.* 2. *ff. de jur. & f. act. ign.* Attamen præſumptionem gignet, in caſu quo nulli contradicunt. Idem operabitur curiæ teſtimonium, imo & ad probationem valebit, uti & notarii inſtrumentum,ex quo apparet de uniformi conſuetudinis obſervantia. Cravetta *conſ.* 134. Maſcardus *de probat. lib.* 1. *concl.* 426.

Cùm coſuetudo ſit jus non ſcriptum, quod uſus 6 approbavit; Quæritur an ſi in ſcripturam redigatur,maneat conſuetudo? Quod affirmandum, cum ſubſtantia conſuetudinis non in ſcriptura, ſed tacita populi approbatione inductioneve conſiſtat,ita ut ſi quandoque ſcribatur,id fiat ad memoriam, facilioremque probationem. Unde feudales conſuetudines licet ſint ſcriptæ,jus ſcriptum non ponunt. Bartolus *in l.* 32. *n.* 8. *ff. de legib.* Redacta verò in ſcriptis conſuetudo, à Principe cui ſoli conceſſum eſt leges condere, poſſet videri deſinere eſſe conſuetudo & fieri jus ſcriptum, modò ea fuerit mens mandantis in ſcripturam redigi, nam alias retinebit vim conſuetudinis.Hinc patria poteſtas, ſubſtitutio pupillaris, interdictio bonorum prodigo, ex moribus populi Romani primum ortum habuerunt, quæ poſtea publica auctoritate in legem tranſierunt. Quamvis etiam dici poſſet iſto caſu manere nihilominus conſuetudinem inſpecta origine, propterea quod non repugnet eſſe quid inductum tacito populi conſenſu, & lege ſimul probatum,uti patet *ex c.* 3. ℵ. *qui matr. accu. & c.* 2. *de prab. in* 6. ubi pontifex conſuetudinem approbat & vult nihilominus eam inviolabiliter obſervari, atque ita unum & idem firmatur duobus vinculis, quæ tendunt ad eundem finem, ut ſuperveniens compatiatur prius, *arg. §. ex contrario Inſtit. De legatis & l.* 5. *ad l. Falc.* quatenus tamen conſuetudo ante erat perfecta, nam ſi per legem ejus introducatur obſervantia,pertinebit potius ad jus ſcriptum.

Vis conſuetudinis non eſt minor quam legis, *l.* 3. 7 *h.t.* cum ſit altera juris ſpecies, omneſque loci ubi viget incolas obligat, ad ſui obſervantiam, proinde eo in loco,aut oppido ubi conſuetudo probata receptaque eſt,nihil fieri debet quo minus obſervetur ab omnibus, etiam advenis, quatenus ibi litem movent, aut contrahunt, *l.* 1. *h.t.* Quod ſi in aliquo loco deficiat conſuetudo, tum jus quo urbs Roma utitur,ſervari oportet, *l.* 32. *ff. De legib.* Ita hodie urbis regiæ conſuetudinem ſequimur,ea deficiente in oppidis vicinis, ac ita intelligendus §. *fin. Inſtit. De ſatiſdat.* Nam alias regiæ civitatis conſuetudo non obligat reliqua oppida, quia reſpectu illorum non gerit ſe ut ſuperior,quando illa ſuam legem & conſuetudinem habent. Bartol. *ad l.* 2. *h.t.q.* 36. ubi tradit, quatenus civitas poteſt vicina loca, quæ ſunt de ejus diſtrictu, obligare.

Quid juris quando locus aliquis unitur civitati, 8 aut

Digitized by Google

aut provinciæ, debetne ejus conſuetudinem ſequi? Et reſolvit *d. loco* Bartolus tranſlationem à Principe factam, efficere ut ſequatur conſuetudinem loci cui unitur, eo quod tranſlatio videatur perfecte facta, utpote ab eo qui ſummam habet poteſtatem, ut quod juris eſt in principali, idem & in acceſſorio eſſe debeat; Diverſum eſt ſi tranſlatio non ſit facta per Principem.

9 Non ſolum conſuetudo (ut dictum) vim habet legis, ſed & multo magis legem interpretatur, cumque legis verba ambigua ſunt, inſpicimus quomodo retro fuerint intellecta, atque in foro ſemper accepta, *l. 37. & ſeqq. ff. De legib.* Quia quamvis ea non ſit lex ſcripta, nihil tamen vetat legis ſcriptæ interpretationem eſſe non ſcriptam.

10 Contingit autem interpretando, ut conſuetudo legem reſtringat, aut ei deroget, quam & abrogare poteſt: nam ut lex poſterior abrogat priorem, ita & conſuetudo ſuperveniens legem jam ſtantem: habet enim legis vigorem, *d. l. 3. §. 2.* ſive eandem vim & virtutem, quam habet lex, puta *imperare, vetare, permittere, punire, l. 7. ff. De legib.* Non obſtat quod dicit Iſidorus *c. 5. diſt. 1.* tunc demum conſuetudinem eſſe pro lege, ubi lex deficit, quaſi quando lex eſt ſuper aliqua materia, conſuetudo induci ſuper eadem nequeat. Nam loquitur de conſuetudine, quæ præviæ legi conſonat, qualis non ſtatuit jus novum. At verò quando conſuetudo manifeſta ratione ſubnixa, legi eſt contraria, facit omnino eam deficere, quia non verſatur circa idem, ſed circa oppoſitum. Bart. *in d. l. 32. lect. 2. n. 6.* aliter Iſidorum intelligit, verba ejus accipiendo de conſuetudine per legem reprobata, quæ legem non vincit, quod certe faceret, majoremque vim haberet quam lex ſi non eſſet reprobata. Non obſtat *l. 3. §. 5. ff. de ſepul. viol.* ubi non valet ſtatutum contra legem latam, atque receptam, quia ibi agitur de ſtatutis, quæ fiunt ab inferioribus, quos oportet ſuperioris legi parere, nihilque contra eam ſtatuere. Aliud eſt in conſuetudine, quæ licet ſit contraria ſuæ legi, videtur tamen ei deferre legiſlator, permittendo tacitè ut inducatur, ſic ut minus peccetur, quam in ſtatuto, quod expreſſam continet legis abrogationem, non ſine contumacia, quam non habet tacita conſuetudinis inductio. Henr. Zoeſius *ff. de legib. n. 36.*

11 Denique objicitur *l. 2. h. tit.* ubi etſi conſuetudo non ſit vilis auctoritatis, non tamen uſque adeò ſui valitura momento ut legem vincat, aut rationem: quem locum aliqui accipiunt de conſuetudine quæ nondum penitus inolevit, nondum conſenſu omnium recepta & legitimè introducta eſt. Cujacius *in parat. h. t.* & ita interpretari videtur *d. l. 2.* Canoniſtæ *in c. fin. X. De conſuetud.* Alij ſentiunt conſuetudinem non vincere legem directe; ſed patientia & diſſimulatione legiſlatoris obſervantiam haud exigentis, longo tempore. Duarenus *l. 1. diſp. c. 32.* Cui accedit Gregorius Lopez *lib. Animad. c. 5.* dum aſſerit conſuetudinem non vincere legem, in vigore nempe & vi, neque legem conſuetudinem: Quod etiam probo, non vincere quidem legem, ſed bene legem abrogare, quod non negat *d. l. 2.* diverſa enim ſunt vincere & abrogare. Nam abrogatio efficere poteſt longa conſuetudine legi contraria, ut lex in uſu eſſe deſinat, non tamen eam vincere poteſt, id eſt, non ita poteſt legiſlatoris poteſtatem conſuetudo infringere, quin poſſit lege nova certiori & æquiori ratione ſtabilita, vitioſam conſuetudinem tollere & emendare, aut legem conſuetudine obliteratam in uſum revocare. Contius *in d. l. 2.* 12

Ex qua reſolutione infero, juris eſſe manifeſti, & rationi congruum legiſlatorem poſſe conſuetudinem revocare, cum ea vires non habeat, niſi ex tacita Principis voluntate, atque ut in ejuſdem poteſtate fuit non conſentire, ita & poſtquam tacite conſenſit, poteſt ex cauſa diſſentire. Deinde ſi poteſt legem expreſſa voluntate ſtabilitam & probatam revocare, quidni & conſuetudinem tacita approbatione introductam. Sed obſtat quod dicitur *lib. 2. Feudor. tit. 1. in pr. Legum Romanarum non eſt vilis auctoritas, ſed non adeò vim ſuam extendunt, ut uſum vincant, aut mores.* Cujacius hunc textum accipit de conſuetudine firmata contradictorio judicio: ſed minus recte, cum talem conſuetudinem revocari per legem ſupervenientem nihil implicet, quoniam lex tali conſuetudine potentior eſt: cum (uti diximus) manifeſta Principis voluntate & ratione ſubnixa ſit, quæ potior eſt tacita. Imò & ſi conſuetudo per Principem approbata fuerit, nihilominus abrogationi eſt obnoxia, uti & lex ab eo lata. Igitur recte, textum feudalem acceperis de legibus generalibus, quæ licet aliter diſpoſuerint in materia communi, non habent tamen locum in feudali, in qua propriæ ſuæ ſunt conſuetudines eæque ſervandæ. Sic licet jure communi parentes ſuccedant liberis, filiæ una cum filiis, frater fratri, non tamen in iſta materia feudali, de qua diverſæ ſunt locorum conſuetudines. Quotidianum eſt dum Princeps inauguratur, magiſtratus civitatum ſuas conſuetudines & ſtatuta Principi offerre, ut ſi quid durius, aut lenius conſtitutum ſit, ille emendet, & in perpetuum confirmet. 13

Porrò quod dictum eſt de revocatione conſuetudinis, per legem poſteriorem procedit, ſive lex iſta contineat clauſulam, qua aboletur conſuetudo, ſive non contineat, dummodo ſit talis, quæ non patiatur conſuetudinem, ex voluntate legiſlatoris. Hinc univerſalis lex ſubſequens id operatur, ut revocetur etiam univerſalis conſuetudo, quod patet *ex c. 1. de conſuet. in 6.* ubi dum præſupponit Pontifex ſe ignorare particulares conſuetudines, indicat ſe ſcire univerſales, eaſque contraria lege tollere, ubi nihil

Digitized by Google

nihil faciat quod conſuetudo ſit immemorialis, quia videtur talis non habere majorem vim, quam habet lex lata, quæ ut tollitur contraria lege, ita & conſuetudo.

14 Denique obſervandum hic eſt, conſuetudinem priorem ſpecialem alicujus loci, non tolli aliqua generali lege poſteriore, in quam ſententiam propendet Bartol. ad *d.l.de quibus 32.ff.de legib.* Movetur auctoritate *d. c.1.* ubi univerſalis lex non tollit ſpecialem loci conſuetudinem ſubjuncta ratione, quod ſcilicet legiſlator non cenſeatur ſcire facta particularia, ad quæ ſpectant particulares locorum conſuetudines, ita ut non videatur eas revocare velle, niſi earum facta mentione, nec ſufficiat ſubjecta clauſula (non obſtante contraria conſuetudine.) Atque hæc ratio æquitate Canonica ſubnixa, etiam obtinet jure civili, nil obſtante quod habetur *in l. 3. §. 5. ff. ſepul. viol. Principalia reſcripta generalia eſſe, & in omni loco debere valere*; quia iſte textus non loquitur de conſuetudine, ſed de ſtatuto municipali, à quo receſſum per generale Principis reſcriptum. Deinde eſto, idem obtineat in conſuetudine, dicendum erit ibi agi, vel de ea quam ſcit Princeps obtinere: vel potius ea quam expreſſe voluit tollere, uti patet ex dicto textu.

15 * Quod dictum de lege abrogante conſuetudinem; idem dicendum de conſuetudine ſuperveniente, quæ & priorem tollit, legi enim comparatur, ſi antiquitus probata & tenaciter ſervata ſit, *l. 3. h.t.* Concurrantque in ea reliqua requiſita quæ initio ſunt expoſita. Non tamen facile recedendum à conſuetudine præcedente, ſed ratio quæ illam ſuaſit cuſtodienda eſt. Quapropter, ne quid contra probatam & longam conſuetudinem fiat, ad ſolicitudinem ſuam revocabit Præſes provinciæ, *l. 1. h.t.*

TITULUS LIV.

De Donationibus.

1. *Continuatio Tit. & quid ſit donatio?*
2. *Donare quæ perſonæ poſſunt, & quæ non: Quid de furioſo, prodigo, ſene, muto, ſurdo, pubere, extraneo. Quid hodie in minore donare volente receptum.*
3. *Perſonæ inter ſe conjunctæ invicem ſibi donant, niſi ſint conjuges, pater donat filio emancipato, ſponſus ſponſæ, donatarius donatori.*
4. *Filiusf. cur donare non poſſit, & quando, & de quibus rebus poſſit.*
5. *Maritus recte donat uxori. Quin & de conſuetudine ſtante conjugio poteſt maritus dives uxori nobili donare, & ſenex juveni.*
6. *At uxor non recte donat, niſi donet paraphernalia & & alia intuitu pietatis.*
7. *Per ſe, per alios, per epiſtolam, inter abſentes donatio facta valet, niſi quis invitus, vel ignorans donaverit.*
8. *Quando quis præſumatur donare. An debeantur res quarum donationem ſe feciſſe teſtator ſcripſit.*
9. *Donari quibus perſonis poſſit, vel non, cur pater filiof. non poſſit donare.*
10. *An emancipato etiam infanti poſſit; quid ſi quod dedit revocaverit?*
11. *Donatio meretrici facta, an valeat? & quid ſi à milite fiat?*
12. *Dux belli militibus donare, & prædam inter eos dividere ſolet.*
13. *Res donari non poteſt cujus dominium non transfertur.*
14. *Neque res aliena, poteſt tamen uſucapi.*
15. *Cur hæreditas viventis donari non poſſit à ſucceſſore, valeat tamen donatio reciproca, ut alterius prius ſine liberis defuncti bona, ad ſuperſtitem pertineant.*
16. *Donari poſſunt res mobiles, immobiles, jura & actiones, quæ ubi ceſſa tranſeunt ad hæredem.*
17. *Non donantur bona ſubditorum, neque alienantur bona coronæ à Principe, qui tenetur alienata revocare.*
18. *Donatio partis bonorum valet. Quæritur an & omnium bonorum præſentium & futurorum valeat?*
19. *Omnium bonorum donatione non tollitur teſtandi facultas, nec pactum inducitur contra bonos mores.*
20. *Quando hæc donatio non comprehendat bona futura neque nomina.*
21. *Ex conventione legem accipit, quam implere tenetur donatarius actione ex ſtipulatu.*
22. *Qui licet ſit omnium bonorum, non tenetur æs alienum ſolvere.*
23. *Perficitur donatio conſenſu dantis & accipientis, & accedente rei donatæ acceptatione, vivo donante.*
24. *Quid ſi fiat abſenti? ſine acceptatione donatio facta non valet, nec jus accipiendi tranſmittitur ad hæredes donatarij.*
25. *Olim neceſſaria erat ſtipulatio & traditio rei donatæ ſive vera ſive ficta.*
26. *Solemnia verba, quæ olim adhibebantur, ſublata & donatio ſolo pacto perficitur, etiam ante traditionem.*
27. *Quid tradere teneatur donator, reſolvitur per diſtinctionem à rebus donatis ſumptam.*
28. *Donationis inſinuatio, & quæ ejus forma.*
29. *Requiritur ut donatio non excedat legitimam ſummam, quæ olim fuerit, & quæ ho ie.*
30. *Coram quo Judice, & quo tempore fieri debeat inſinuatio, & quare inventa.*
31. *Donatio quæ inſinuata non eſt, vitiatur quoad exceſſum tantum.*
32. *Non vitiantur plures donationes diverſis temporibus eidem factæ, ſi ſingulæ non excedant 500. aureos.*

Digitized by Google

33. *Donatio inſinuatione non indiget, quæ fit à Principe, aut mortis cauſa.*

34. *Item remuneratoria donatio, aut quæ fit propter nuptias, & quæ à duce militibus, vel ei cujus domus conſumpta eſt.*

35. *Non inſinuatur donatio ob redemptionem captivorum.*

36. *Quid moribus circa onus inſinuationis receptum, & coram quo judice facienda inſinuatio.*

37. *Donator renuntiare inſinuationi non poteſt.*

1 POſterior hujus libri tractatus eſt de *Donationibus*, occaſione ejus quod dictum de ſtipulatione, ſine qua olim donatio non perficiebatur, itemq; ratione ejus quod paulo ante dictum eſt, filios emancipatos in patriam poteſtatem redigi, propter ingratitudinem, nam ſimiliter donatio revocatur, ſi donatarius fuerit ingratus adverſus donatorem.

2 Eſt autem donatio liberalitas nullo jure cogente facta, *l. 1. & 29. ff. h. t.* In neceſſitatibus enim nemo eſt, aut præſumitur liberalis. Unde donatio remuneratoria, ſub hac definitione non continetur cum beneficij potius ſit compenſatio, quam donatio, ideòque ob ingratitudinem revocari non poteſt. Itemque ab ea excluditur, dos & donatio propter nuptias, cum ad utramque quis cogatur, *l. 18. ff. De adim. leg.* Dicta eſt donatio à dono, cum quis ea mente dat ſimul & tradit, ut res ſtatim accipientis fiat, nec unquam ullo facto velit ad ſe reverti, *d. l. 1.*

Donat quilibet paterfamilias, cui libera eſt rerum ſuarum adminiſtratio: Nam ſuæ quidem quiſque rei moderator eſt & arbiter, *l. 12. h. t. & l. 21. ſup. mand.* Excluditur furioſus, prodigus cui bonis interdictum, & infans cum ſenſus deſit, qui ad donationem requiritur, eam tamen facere non prohibentur mutus & ſurdus, quia donatio conſenſu fit, niſi à natura quis mutus & ſurdus ſimul eſſet, nec intelligeret quid ageret, *l. 33. §. 2. ibi Gloſſ. ff. h. t.* Id ipſum in ſene conſidera, ut is qui mente conſtat donare poſſit, qui autem delirare & deſipere incipit, non poſſit, *l. 16. h. t.* Pubes cum perſonam habet liberam, ut contractum inire poteſt, & ex eo obligari, ſine curatoris auctoritate quem habet, *l. 101. ff. De verb. obl.* quidni & donando obligabitur, quamvis rerum immobilium alienatio illi non ſit conceſſa ſine curatore auctore, *l. 3. ſup. de in integr. reſtit.* Extraneus in extraneum etiam ignotum donationem conferre poteſt, & ſi ſine ſcripto donatum quid fuerit, adhibitis aliis idoneis documentis, hoc quod geſtum eſt comprobatur, *l. 29. h. t.* Quoniam verò puberum ætas adhuc nimis imbecillis, & aliorum fraudibus obnoxia eſt, ideò cavit Rex noſter edicto ſuo anni 1540. ut cujuſcumque generis donationes, à minoribus factæ, curatoribus ſuis, eorumve liberis, patrinis & amicis, irritæ ſint.

At verò jure noſtro interveniente actorum teſtificatione, inter neceſſarias conjunctaſque perſonas, donationes factæ valent, *l. 27. h. t.* Hinc ſtatim perfecta eſt donatio, quam pater in filium emancipatum confert, nam in eum qui in poteſtate adhuc remanet, magis eſt ut ſit deſtinatio paternæ voluntatis, quam perfecta donatio, *l. 11. h. t.* Niſi favore matrimonij facta fuerit, ut Ant. Faber aliique obſervant, ut facilius ad nuptias contrahendas invitentur extranei, qui cum filio filiavefamil. contracturi non eſſent, *l. 1. cum ibi not ff. ſol. matr.* Cæterùm conjuges licet invicem donare prohibeantur, ne mutuo amore ſe ſpolient, donationibus non temperantes, neve concordia conjugalis pretio conciliari videatur, *l. 1. & 2. ff. de donat. int. vir & uxor.* tamen id quod ſponſus ſponſæ ſuæ ante nuptias donat jure conſiſtit, etiamſi eodem die nuptiæ fuerint conſecutæ, *l. 27. ff. d. t.* Item quod pater vel mater filiæ ſponſo, vel ſocrus genero nulla repetendi lege donavit, adeò tenet, ut nuptiis divortio ſolutis, non repetatur, *l. 12. ſup. De donat. ante nupt.* Sed ſi ſponſus rem parentis ſui, ſine ejus conſenſu donaverit ſponſæ ſuæ, ad eam quod non habuit, transferre non potuit, *l. 14. h. t.* Poteſt vitricus privigno donare, *l. 7. h. t.* Item donatarius ea quæ accepit à donatore, ei dono reddere, vel invicem quid aliud donare, nec donationis antecedentis inſtrumentum actis ſequentibus obeſſe poteſt, *l. 23. h. tit.* 3

Cæterùm filiusfamil. donare non poteſt, neque ſi liberam peculij adminiſtrationem habeat, non enim ad hoc ei conceditur libera peculij adminiſtratio, ut perdat, perderet autem donans, *l. 7. in pr. ff. h. t.* niſi adſit licentia patris, qua tamen non indiget, in dignitate conſtitutus, aut agens in peregrinatione, aut in ſtudiis, præſumitur enim pater permittere ut donet, maximè ſi juſta ratione motus filius donet, quam ponit pia cauſa in pauperes & præceptores, *d. l. 7. §. 1. & ſeqq.* quibus honorarium ſolent tutores nomine pupilli conſtituere pro ejus facultate, & dignitate, & ſolemnia munera parentibus cognatiſque mittere, *l. 12. §. 3. ff. De admin. tut.* Alias ſane ſi non ſuffragetur voluntas patris ſaltem præſumpta, non poterit filius quidquam donare, & ſi donaverit id cogitur reſtituere tanquam abuſus rebus alienis, ut docet Navar. *in manua. c. 17. n. 156.* At ſi habeat caſtrenſe peculium vel quaſi, vel pleno jure adventitium, de eo donare poterit, ut & ſervos caſtrenſes manumittere, cùm ſit dominus & diſpoſitionem habeat liberam, *d. l. 7. §. in fin.* 4

Quin maritus donare poſſit dubium non eſt, non 5 tantum res ſuas, ſed etiam fructus dotis, cum ſint ejus, ſic ut de iis liberè diſponat, non etiam de ipſa dote, propter prohibitionem legis Juliæ.

Receptum quoque moribus, virum ditiorem ignobilem ducentem uxorem nobilem pauperem, poſſe

poſſe donare etiam pendente matrimonio, ei uxori, & eſſe non tam donationem ſimplicem, quam remuneratoriam, in compenſationem nobilitatis, prout in compenſationem ſenectutis validam donationem à ſene juveni uxori factam, cenſent citati à Gail. *lib. 2. obſ. 40. num. 9.*

6 At verò de jure uxor conſtante matrimonio, dotem ſuam penes maritum conſtitutam, donare non poteſt, *l. 21. h. t.* quia ipſa tantum naturale dominium habet, civile verò eſt penes maritum, *l. pen. ſup. De jure dot.* Imò non tantum dotis, ſed nec aliarum rerum, quarum adminiſtratio eſt penes maritum, uxor rectè donat. Quomodo rectè donabit res paraphernales, quia earum proprietas & adminiſtratio ad eam ſpectat, modo non obſtet conſuetudo, impediens libertatem alienandi ſine conſenſu mariti. Etenim mulier in manum viri conveniens tutelæ ejus ſupponitur, & alienæ poteſtatis conditione afficitur. Interdum tamen affectus facit, ut uxor ſubveniat egentibus parentibus, fratribus & filiis prioris matrimonij, etiam ex bonis, quorum adminiſtratio eſt penes maritum, ſi conſenſus ejus habere nequeat, qui hac in parte non videtur attendendus, quia quoad parentes & liberos, id dictat naturalis ratio, quoad fratres ſubeſt æquitas.

Subinde & per ipſum donatorem, & per alium
7 qui vice ejus voluntatem declaret ſubſcribatque, donatio fieri, conſummarique poteſt, *l. 20. h. t.* per nuncium, & per epiſtolam, cujus chartulæ brevitas donationi nihil quicquam nocet. *l. 13. h. t.* Et proinde inter abſentes donationes validas eſſe non ambigitur, maximè ſi ex voluntate donantis, donatarius rei donatæ poſſeſſionem paciſcatur, *l. 6. h. t.* nemo tamen ignorans, vel invitus donare dicitur, voluntas enim donantis requiritur, quem etſi donationi conſenſiſſe in inſtrumento contineatur, adhuc tamen de veritate inquiritur & illi præfertur, ſi ignorantia, aut error probetur, *l. 10. h. t.*

8 Hinc infertur, quod in dubio nemo præſumatur donare, unde non propterea quod quis functiones, exactiones, vel tributa nomine alicujus ſolverit, res ei acquiritur, aut donata præſumitur, *l. 4. h. t.* probari enim debet donatio, quod facta ſcilicet fuerit conſentiente domino rei, aut ſaltem facto aliquo, quod conſenſum declaret, veluti ſi conſenſerit dominus, ut res ſua in alterius cenſum deferatur, *l. 7. h. tit.* nam hoc modo ea res pro tradita habetur. Idemque erit ſi mater rem ſuam deferat in cenſum tanquam rem filij ſui, animo donandi, quem utique animum, qui hoc facit ſemper habere intelligitur, niſi manifeſtè probet id alio animo, quam donandi feciſſe, *l. 8. h. t.* Interim præſumptio eſt pro filio, & transfert onus probandi in matrem. At verò ſi quis in ſuo teſtamento dixerit, ſe confirmare donationem inter vivos per epiſtolam factam, alicui ex conjunctis, ſi de ea non appareat, ex his teſtamenti verbis non præſumitur donationis confirmatio, ſed fideicommiſſum inducitur, ejuſque dabitur perſecutio, *l. 5. h. t.* quia relinquendi ſtudio hujuſmodi verba fuerunt adſcripta & diſpoſitiva inducendi fideicommiſſum, in quo etiam voluntas magis ſpectatur, *l. 16. ſup. De fideicommiſſ.*

Præterea conſiderantur perſonæ in donatione, 9
quibus datur, cum non omnes capaces ſint etſi tales preſumantur: Inter incapaces ſunt conjuges, quos diximus invicem ſibi donari non poſſe ex Conſtitutione Antonini *ſup. De donat. inter vir. & uxor.* Item ſibi nemo donare poteſt, cum debeat eſſe diſtinctio inter dantem & accipientem, quodq; ſemel meum eſt, amplius meum fieri non poteſt. Proinde cum pater & filius pro eadem habeantur perſona, durante patria poteſtate non valet donatio, quam pater filio in ſacris conſtituto facit, niſi eam mors confirmet. *l. 25. ſup. de donat. inter vir. & uxor.* aut emancipatio.

Etenim in emancipatum filium poſſe fieri dona- 10
tiones non ambigitur, *l. 26. h. t.* nec intereſt emancipatuſne fuerit filius cui donatur, quando fit donatio, an ſuus, dummodò ſi facta ſit ſuo, antequam eum emancipaverit in donatione perſeveret, *l. 17. h. t.* ſicuti enim morte donatio confirmatur, ita & emancipatione, quę pro morte eſt, quoad ſolutionem patriæ poteſtatis, ut liquet ex formula Galli, *ff. delib. & poſt. §. Gallus.* Dico ſi pater perſeveret in donatione, quia ſi eam poſt emancipationem, filius contra voluntatem patris retinuerit, ejus dominium penes patrem manſit, ſiquidem nec tempore quo voluit, propter vinculum poteſtatis ſibi quicquam quærere filius potuit, nec poſt patre invito, *d. l. 17. in fin.* At eo conſentiente in emancipatū collata donatio, ſtatim valet & perfecta eſt, etiamſi infans ſit filius, nam huic rectè donatur, puta ſervo idoneo pro illo acceptante, & acquirente, *d. l. 26. h. t.* tanquam inſtrumento, ut in *l. 2. & 6 ff. rem pupilli ſalvam.*

Porrò donationes affectionis cauſa factæ, neque 11
honeſtæ, neque inhoneſtæ ſunt prohibitæ: honeſtæ erga bene merentes, amicos, vel neceſſarios: inhoneſtæ in meretrices, *l. 5. ff. h. t.* quibus tamen donationes factæ cedunt, nec condicuntur à donante, cum jus civile donationem meretricibus nuſquam fieri prohibeat. Illæ enim turpiter faciunt quod ſint meretrices, non ideò tamen turpiter accipiunt, cum tales ſint, *l. 4. §. 3. ff. de cond. ob turp. cauſ.* At verò ſi donationes in meretrices conferantur, ut copiam ſui corporis faciant, vel ut luxurioſè vivant, Chriſtianum eſſe non arbitror, has probare donationes, veluti ab omni virtute & juſtitia alienas. Quamobrem Conſtitutione Antonini permiſſum eſt militibus, donationes, quas ſuis concubinis fecerunt, revocare, *l. 2. ſup. de donat. inter vir. & ux.* ſubjuncta ratione, ne à focariis ſuis per fictas adulationes rebus ſuis ſpolientur; loquitur Imp. de donationibus gratuito

Digitized by Google

factis, nam ſi quas milites fecerunt meretricibus ſuis in pretium uſus corporis, non jure repetent, quia cedunt in remunerationem, uti & datum in compenſationem obſequiorum exhibitorum.

12 Occaſione militum infero, licere Magiſtro militum munificentiam exercere in ſuos milites, tam ex ſua ſubſtantia, quam ex ſpoliis hoſtium, ſive illi in ipſa bellorum occupatione, ſive in quibuſcunque locis, degant, *l. pen.* §. 1 *h. t.* Nonnunquam Dux belli etiam res immobiles bello captas divendere, & ex eis partem militibus aſſignare ſolebat, donatis ante alios iis, quorum virtus in bello maxime eniteret, habita quoque ratione dignitatis cujuſque & ordinis, *l.* 11. *ff. de evict.* Cujac. *lib.* 19. *obſ. c.* 7.

13 Res quæ donari poſſunt, illæ erunt quæ in hominum commercio ſunt, quare donari non poteſt, quod fieri non poteſt accipientis, ut res quæ deſinit eſſe in rerum natura, item res ſacra, religioſa, publicis uſibus deſtinata, liber homo, adeo ut nec à prælatis Eccleſiaſticis, res Eccleſiæ in præjudicium ejus donari poſſint, *tit. de reb. Eccl. non alien.* & *c.* 2. ⁑ *h. t.*

14 Neq; res aliena poteſt cum effectu donari, ſiquidem evinci poſſit, atq; ita dominium non quæritur ei cui donata, *l.* 14. *h. t.* Quare ſi pater rem filij donaverit, eam filius recte vindicabit, niſi patri hæres extiterit, *l.* 24. *h. t.* nam ſi patri ſucceſſerit & rem ab eo donatam vindicare velit, doli mali exceptione ſubmovebitur, *arg. l.* 14. *ſup. de rei vind.* Cæterùm ad uſucapiendi facultatem titulus donationis rei alienæ prodeſt, de quo, *l.* 2. & 3. *ff. pro donato.* Sed id non facit ſola donatio, ſed continuata poſſeſſio, per eum cui facta eſt donatio, cum bona fide, quæ adjici facit dominium, ex negligentia domini.

15 Hinc ſequitur quod non valeat donatio hæreditatis viventis, qui ſe ſucceſſurum viventi ſperat, *l.* 29. §. *ult. h. t.* Quia pactum futuræ ſucceſſionis viventis improbatur, *l. fin. ſup. de pact.* cum quia viventis nulla eſt hæreditas, tum quia indignus eſt hæreditate, qui vivente domino ad eam adſpirat. At mores hodierni pactum hoc probant, quo aliqui inter ſe paciſcuntur, vel vir & uxor, ut ſi contingat alterum illorum præmori, aut ſine liberis decedere, ſuperſtes omnia bona habeat. Nec obſtare dicunt Interpretes *text. in l.* 19. *ſup. de pact.* ubi pactum inter privatos de ſucceſſione reciproca improbatur, quia loquitur de promiſſione ſimplici, hic autem agitur de promiſſione mutuæ ſucceſſionis ex cauſa donationis inter vivos, proinde etſi illo caſu pactio non valeat, hoc tamen ſuſtinebitur, non tanquam pactum, ſed ut obligatio, ſi alter ſine liberis præmoriatur, quæ retrotrahitur eveniente conditione, ad tempus conventionis, & pro pura habetur Gail. 2. *obſ.* 126. & *ſeq.* Mynſing. *cent.* 2. *obſ.* 33.

16 Quænam igitur res donari poſſunt? omnes non prohibitæ, ſive mobiles, vel ſe moventes, ut mancipia, *l.* 1. *h. t.* vel immobiles, itemque res incorporales, veluti ſi alicui remittas actionem, quam contra ipſum habes, *l.* 18. *h. t.* vel cedas eam, quam contra alium habes. *l.* 2. *eod.* quo caſu is cui actio ceſſa eſt, donationis titulo fit procurator in rem ſuam, eamque actionem ad hæredes ſuos tranſmittit, quamvis moriatur antequam eam moverit, aut litem fuerit conteſtatus cum debitore *l.* 33. *h. t.* Placuit etiam ſpem futuræ actionis, plena intercedente donatoris voluntate, poſſe transferri, *l.* 3. *h. t.* quin & in emancipatum conferri nominum delegationes, *l.* 11. *in fin. h. t.*

Porro non conſideratur cujus res fuerit, aut ex cujus familia provenerit, dummodo donator ejuſce rei dominium acquiſiverit, quod quidem jure transfert in donatarium, *l.* 19. *h. tit.* Hinc Princeps cum non habeat dominium in bonis ſuorum ſubditorum, non poterit ea donare aut uſurpare, niſi exigat cauſa publica, quæ privatorum utilitatibus eſt anteponenda. Plane bona coronæ donare, aut de iis diſponere tanquam de alienis, illi non licebit, inconſulto populo, aut illis qui populum repræſentant. Adeo ut ſi quid Princeps alienaverit jure poſſit & debeat id revocare, non obſtante regula quæ non patitur quemquam ſuo facto contravenire, nam obtinet quando quis proprio nomine & commodo factum ſuum vult retractare, non etiam quando nomine tertij, cujus res temerè alienavit, jure alienationem impediente & irritante, ubi nihil faciet juramentum, ſi quidem involvat detrimentum animæ jurantis, cui incumbit bona provinciæ adminiſtrare, non etiam diſſipare. *cap. intell. ibi Canoniſtæ* ⁑. *de jurejur.* quos refert late Vaſquez *contr. illuſtr. c.* 4. & *ſeq.* & Pinellus *l.* 1. *p.* 3. *num.* 73. *Cod. de bonis mater.* Eò pertinet *Extravag.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* Ubi Pontifex jubet res Eccleſiæ alienatas per Prælatos revocare. 17

Valere donationem partis bonorum certi juris 18 eſt, *l.* 11 *in princ. h. t.* etiam bonis nondum diviſis, *l.* 12. *h. t.* Sed dubitatur, An donatio omnium bonorum ſubſiſtat? Negant plerique quoad bona futura, quia præcluditur via donanti habendi hæredem, qui non niſi aliquo lucro non præſumitur velle defuncti adire hæreditatem, §. 1. *Inſt. ad l. Falcid.* Accedit quod hęreditas non pactis, ſed teſtamento deferri debeat, *l.* 5. *ſupra de pact. convent.* in quo plus cautionis & ſolemnitatis adhibetur, eſtque ultima de bonis diſpoſitio libera, & revocabilis uſque ad extremum vitæ exitum, cum contractus ſtatim inducat obligationem immutabilem. Denique quia hujuſmodi pacto inducitur votum legibus improbatum, captandæ mortis viventis, *l. fin. ſup. de pact.* inſtarque prodigi videtur, qui profuſa liberalitate, omnia bona præſentia & futura ſibi adimit, & vitę ſubſidiis ſe exuit, ut proinde exemplo prodigi rata non erit ejus alienatio, *l.* 1. *ff. de curat. furioſ. l.* 6. *ff. de verb. oblig.* Sed contrà verior eſt affirmantium opinio, ſubſiſtere donationem

Digitized by Google

nationem omnium bonorum, niſi inſinuatione careat, vel ob ſupervenientiam liberorum revocetur, vel eorum alicujus legitimam portionem minuat, nam eatenus donatio immodica revocatur. Idque Juſtiniani Conſtitutione ſignificatur, dum ait valere donationem univerſitatis bonorum, ſalva tamen liberis donatoris legitima portione, *l.* 35. §. 4. ibi *vel etiam totius & §. ſeq.* ibi *totam ſubſtantiam tradere h. t.* Nec quiſquam objecerit futurorum bonorum nihil iſta conſtitutione comprehenſum eſſe, tametſi univerſitatis mentionem faciat. Conſtat enim ſub univerſali conceſſione, diſpoſitioneve bonorum, non præſentia duntaxat, ſed & futura omnia contineri, ut videre eſt in oppignoratione bonorum, quæ etiam poſt obventura continet, *l. fin. ſupra quæ res pignori.* ut multo magis id debeat obtinere in contractu liberali, qualis eſt donatio, & legatum, quo modo grege legato, & quæ poſtea accedunt, ad legatarium pertinere conſtat, *l.* 21. *ff. de leg.* 1. Facit quod eadem militet ratio, quoad bona futura, cum & eorum diſpoſitio, non ſit minus libera quam præſentium, quomodo & ea recte venduntur & pignori ſubjiciuntur, ut dictum per *d. l. fin.*

19 Non recte objicitur, quod donatio omnium bonorum conſtringat & auferat liberam teſtandi facultatem, quia hoc non directò agit donator, licet per conſequentiam omnia donando, deſinat habere circa quæ teſtetur. Verum ſi poteſt quis particulatim quotidie erogando bona ſua, efficere ut ei morituro nihil ſit reliqui de quo diſponat, nihil obſtare videtur quo minus una largitione hoc efficiatur. Præterea nihil hic contra legem fit, nam nullo pacto donator poteſtatem teſtandi, habendique hæredem ſibi adimit, ſiquidem non intendat, iſta donatione transferre rerum dominium, ſed ſolummodo ſe obligare ad id transferendum, ut ante traditionem res adhuc maneat in ejus bonis, *l.* 20. *ſup. de pact.* Ita ut poſſit ea de re tanquam propria teſtamento diſponere, & hæredem habere, qui cogetur rem, aut res univerſas tradere donatario, cum ſuccedat in jus defuncti, ejuſque perſonam repræſentet, atque acquirat jus honorificum patronatus, & ſi quod aliud lucroſum iſti univerſitati bonorum annexum fuerat. Ut non obſtet quod dicebatur pacto hæreditatem dari non poſſe, quia verum eſt, ubi pactum illud vice teſtamenti interpoſitum eſt, non enim ſi animo donandi: ut non moveat pactum hoc ideo improbari quod inducat votum captandæ mortis, cum id non præſumatur ex quo conſentit is de cujus bonis agitur; qui ſanè in hanc donationem omnium ſuorum bonorum conſentiendo, videri non debet prodigus, ut ſupra allegabatur, cum talis nō ſit, niſi cui interdicta eſt bonorum adminiſtratio, quam hic liberam habet; nec ita adigi debet ad ſolutionem, ut poſtea egeat alimentis, & ſi urgeri contigerit, proderit illi reſcriptum Divi Pij, & beneficium ut in quantum facere poſſit conveniatur, *l.* 33. *ff. h. t.*

20 Ut autem omnium bonorum donatio teneat, videndum quid in conventione actum ſit, quia ſi ſimpliciter mentio facta ſit donationis, ea non comprehendit bona futura ſed præſentia. *l.* 7. *ff. de auro & arg. leg.* cum ſtricti juris contractibus donatio annumeretur, *l.* 22. *ff. h. t.* qui non extenduntur ultra ea de quibus actum. Et quod de bonis futuris, idem ſentiendum de juribus, ut niſi expreſſa ſit eorum donatio, non cenſeatur comprehenſa ſub generali bonorum donatione, *l.* 86. *ff. de leg.* 2. Videatur de iſta bonorum omnium donatione Covar. Fachin. Coraſ. *l.* 6. *miſc. cap.* 17. Vaudus *lib.* 1. *var. quæſt. c.* 31. Ant. Gamma *deciſ.* 386. Clarus §. *donatio quæſt.* 19. Tulden. *in ſuo C. ad h. t.*

21 Dico inſpiciendum eſſe, quid initio placuerit, quia ex conventione donationes ut reliquæ pactiones legem accipiunt. Interdum quis donat ſimpliciter bene merito, conſiderando cauſam præteritam, ut quia ejus negotia geſſit, aut quia ſibi antea donarit, atque eo caſu donatarius non tenetur donatori niſi naturaliter antidota, *l.* 25. §. 11. *ff. de petit. hæred.* Interdum conſiderat donator cauſam futuram, & quidem piam, veluti cum ea lege donat, ut ei alimenta donatarius præbeat, *l.* 1. *tit. ſeq.* vel ut captivi redimantur, aut domus incendio, vel ruina corruptæ inſtaurentur, *l. pen. in pr. & §.* 2. *h. t.* Atque id donari dicitur ob cauſam, quæ omnino à donatario impleri debet, & ſi implere recuſet, in arbitrio donantis eſt, utrum actione ex ſtipulatu, ſi ſtipulatio interceſſit, vel præſcriptis verbis, ſi ſtipulationem omiſit, donatarium urgeat, ut id de quo convenit adimpleat, *l.* 9. *h. t.*

22 Plane ſi cui ea lege donatum ſit, ut creditoribus donantis ſatisfaciat, his ſatisfacere cogitur, *l.* 22. *h. tit.* Servanda enim lex donationis, *l.* 9. *eod.* licet alias donatarius creditoribus donantis ſolvere non teneatur, *l.* 15. *h. t.* quæ ait onus æris alieni ad totius juris ſucceſſorem pertinere, non vero ad donatarium. Quid ſi omnium bonorum donatarius ſit? verius eſt nec eum teneri diſſolvere æs alienum donatoris, nec directò ob id actione perſonali conveniri poſſe, quamvis adverſus ipſum ſuperſit actio revocatoria Pauliana, *l.* 17. §. 1. *ff. quæ in fraud. credit.* Videatur Joan. Gall. *q.* 39. & Papon. *lib.* 11. *t.* 2. *arreſt.* 1. & 2. ubi dicit de praxi intentari poſſe actionem perſonalem adverſus donatarium univerſalem, ſuperſtite debitore, ſi notoriè ſolvendo non ſit, aut etiam eo mortuo ſi hæredem non habeat. Idem affirmat Guido Pap. *deciſ.* 105. & 460.

23 Perficitur donatio ſimul atque donator ſuam voluntatem ſcriptis, aut ſine ſcriptis, etiam nuda conventione manifeſtavit, & acceſſerit donatarij acceptatio. Nam invito, inſcio, aut nolenti non poteſt libera-

Digitized by Google

liberalitas acquiri, *l.* 19. §. 2. *ff. h. t.* Et licet donatio abſenti fieri poſſit, *l.* 6. *h. t.* non tamen prorſus ignoranti & non acceptanti. Quo fit ut facta acceptatio poſt mortem donantis nihil juris tribuat donatario, eo quod voluntas dantis & accipientis non ſit unita ante obitum donantis, poſt autem uniri nequeat, in præjudicium hæredis, cui jus acquiſitum ad rem donatam, niſi tamen donans alicui mandaverit ut daret certæ perſonæ, tunc enim gratia perfecta eſt, ex parte donantis, ut morte ejus non revocetur, *l.* 10. *ff. h. tit. c.* 9. *de off. jud. de leg. in* 6.* Hinc patet ante
24 acceptationem donatarij nullam oriri obligationem, vel civilem, vel naturalem, cum donatio præſupponat conſenſum ſe obligandi, qui non eſt perfectus acceptatione nondum facta, *l.* 38. *ff. de acquir. poſſ.* ut ante eam liceat donanti mutare voluntatem, niſi juramentum intervenerit, de quo Joan. Gutierrez *de juram. confirm. p.* 1. *c.* 8. Aut mandatum donatarij abſentis, ejuſque nomine ſtipulatus Notarius, donationem acceptaverit, quo facto, non poterit donator donationem infirmare, ne quidem rem alteri tradendo. Jul. Clarus §. *donatio q.* 13. cui aſſentior, ſi abſentem notario id mandaſſe conſtet. Petr. Rat. *ad conſuet. Pictonum art.* 273. Alias adeo imperfecta eſt donatio priuſquam acceptata ſit, ut ſi donatarius decedat, ante acceptationem, ea ad ejus hæredes non tranſmittatur, ſed fiat caduca, cum ſolum ſit donatio oblatione inchoata, non unita duorum conſenſu, quæ proinde nihil juris tribuit, aut competit hæredibus quoad liberalitatem ſuo auctori deſtinatam, non acquiſitam. Deckherus *lib.* 1. *diſſert.* 4. *n.* 33. Joan. à Sande *deciſ. Friſia lib.* 5. *t.* 1.

Præterea olim ut donatio inter vivos perficere-
25 tur, agique ex ea poſſet, neceſſaria erat rei traditio, vel ſtipulatio, quia ex nudo pacto non dabatur actio, *l.* 7. *ff. de pactis.* At vero ſtipulatione interpoſita, ad traditionem potuiſſe donatorem compelli, docet Juſtinianus in *l.* 35. §. 5. *h. t.* Et quin traditio conſummatam poſuerit donationem non eſt dubium, non tantum ſi vera fuiſſet, verum etſi ficta, traditis nimirum inſtrumentis rei donatæ, ut in *l.* 1. *h. t.* Videtur enim per ea res ipſa tradita, uti legatum empti prædij, facit legatum ipſum eſſe prædium, *in l. pen.* §. 2. *ff. de legat.* 3. & traditio clavium horrei, facit cenſeri traditas merces in eo exiſtentes, *inſt. de rer. diviſ.* §. *interdum.* Operatur & traditionem rei donatæ conductio, per donatorem à donatario, *l.* 77. *ff. de rei vind.* Item retentio uſusfructus rei donatæ, per donantem, *l.* 28. *h. t.* deſumpta *ex l. ult. C. Theod. eod.* & hoc confirmatur à Juſtiniano in *d. l.* 35. §. 5. *verſ. Sin vero.* Ea ratione, quod donator uſumfructum retinendo, aut conducendo à donatore, videatur brevi manu rem eidem tradidiſſe, & mox ab eo recepiſſe utendam fruendam. Et hæc ficta traditio rei donatæ moribus hodiernis probatur, quibus etiam res donata habetur pro tradita, ſi donator conſtituerit ſe ſimpliciter vel precario rem donatam poſſidere à donatario, quoniam ſibi poſſidere deſinit, & donatario poſſidet, ſive alieno nomine.

Itemque in donationibus inter vivos intervenie- 26
bat imaginaria venditio, & mancipatio, quæ fiebat certis & ſolemnibus verbis, libripende & quinque teſtibus præſentibus, *Ulp. lib. Reg. tit. de dominijs.* Sed quoniam ſolemnitas illa per æs & libram in uſu eſſe deſierat, placet Juſtiniano ut ſuperflua ſint verba ſolemnia rem mancipio addicentis, ex cauſa donationis, *l. ult. h. t.* Eidem quoque placuit donationem pure factam, etiam ſolo pacto vel nuda voluntatis manifeſtatione utilem eſſe, & perfici antequam donator rem tradiderit, atque ad eam tradendam donatorem ejuſque hæredes cogi poſſe, ad exemplum venditoris, *d. l.* 35. §. *ult.* cujus meminit, *Inſt. h. t.* §. 3. & *in Novel.* 162. *c.* 1. Adeo ut offerendo intereſſe donator non liberetur, ſiquidem intereſſe ſit aliud à re promiſſa, aliud autem pro alio non obtrudatur invito creditori, ut patet ex dictis *ſup. de act. empt.*

Quid autem tradere cogatur donator, reſolvit 27
Imp. *in d. l.* 35. per diſtinctionem à rebus donatis ſumptam. Nam ſi certum pondus auri, vel argenti donavit, certumque pondus expreſſit, non expreſſa qualitate, præfatum pondus argenti dare debet, vel in maſſa, vel vaſis ejuſdem ponderis & pretij, non deterioribus maſſæ æſtimatione; aut ſi argentum non habet, minuſve habet, quam donavit, communem maſſæ æſtimationem dare cogitur in pecunia numerata. Si vero certum reditum ex poſſeſſionibus donavit, ut puta tres modios frumenti annuos, nec deſignavit ex quibus agris, de ſuo patrimonio fundos tradere debet, ex quibus ille reditus annuus colligi poſſit, & hic ſervanda eſt mediocritas, ne meliores fundos dare cogatur, nec pejores etiam offerre debeat. Similique modo ſi quis certum numerum ſervorum donavit, quos non nominavit, nec deſignavit, tot mediocres ex ſuis ſervis tradere tenetur: non cogitur in ambiguo optimos dare, nec peſſimos dare debet. Sin autem donator neque argentum, neque ſervos, vel tot non habebat, quod donavit, pro ſingulis æſtimationem, id eſt, quindecim aureos præſtabit. Item in reditu æſtimando computatur quantum confici poſſit, per quindecim annos ex mediocri prædio urbano vel ruſtico, *d. l.* 35. §. 1. 2. 3. & *ſeq.*

Deinde illud ſciendum, ut etiam cum traditione 28
donatio efficax ſit, requiri non raro inſinuationem ejus (quæ eſt publicatio donationis apud acta, vel ejus quod agitur, coram judice in ſcripturam redactio.) Pro cujus forma leges jubent in ſcripturam redigi donationem, eamque complecti nomen donantis, & jus quod in re donata habet, & nomen donatarij. Sed non refert in quo materiæ genere ſcribatur, aut utrum à donatore, vel alio quem ſors mini-

Digitized by Google

miniſtravit ſubſcribantur, *l.* 25. *h.t.* nec oportet vicinos, vel alios teſtes adhibere, ſecundum Zenonis conſtitutionem, quæ deinde mutationem accepit, ut dicam infra *n.* 32. Nam ſuperfluum exiſtimat privatum teſtimonium, cum publica monumenta ſufficiant, *l.* 31. *in pr. h.t.* Imo nec monumenta requiri certi juris eſt, quandoquidem donatio fiat intra legitimam ſummam. At vero amplioris ſummæ, tunc inſinuatione indiget referendaque in acta publica, *d. l.* 35. §. 3. *verſ. in h. tit.*

29 Hæc autem ſumma olim erat 200. ſolidorum, id eſt, aureorum, quorum ſex, unciam, ſeptuaginta duo libram complectebantur apud Romanos, *l.* 5. *C. de ſuſcep. præpoſ. & arcar. l.* 10. Poſtea excrevit ſumma ad 300. aureos *l.* 31. *in pr. h.t.* Deinde Juſtin. eam produxit ad 500. quos licet donare, abſque inſinuatione & monumentis publicis, *l. pen.* §. *ult. h.t.* Quod ſi non in auro pecuniáve, ſed in aliis rebus donatio conſiſtat, quantitas earum æſtimari debet ut appareat, an donatio præſcriptam ſummam 500. aureorũ excedat, *d. l.* 34. §. 1. ibi Sichardus, Gail. *lib.* 2. *obſ.* 39.

30 Porro iſta donationis ſumma in urbe facta, inſinuanda apud magiſtrum cenſus, in aliis locis apud moderatorem provinciæ, vel duum viros, vel defenſorem civitatis, *l.* 30. *h.t.* apud quos ſi inſinuetur donatio in urbe facta, tam inſinuantes, quam tabellio, qui teſtimonium præbuit, vicenis libris auri & alia graviſſima indignatione plectuntur, *l.* 32. *h.t.* Nam licet donatio non ſit controverſiæ juriſdictionis, nec opus habeat cognitione, convenit tamen donationem in urbe factam expediri & actis annotari coram judice competente, qualis in urbe erat magiſter cenſus. Et quo tempore ea annotatio, ſeu donationis inſinuatio fieri debet? Et obtinuit fieri debere, dum fit donatio; quod ſi enim ea ex intervallo inſinuari poſſet, fruſtra leges tam ſollicite præſcriberent. donationẽ oportere fieri apud acta, actiſque intervenientibus *in d. l.* 25. *& l.* 27. *h.t.* Ideo autem adinventa fuit inſinuatio, ut nimis effuſæ donationes quibus hominem ad egeſtatem facile perduci poſſent, coërceantur. Intereſt enim reipublicæ ne quis re ſua abutatur, & ne facile quid occultæ ſtruatur fraudis, inductis falſo donationibus in fraudem forte creditorum, *l.* 27. *h.t.* Quæ vero apud Judicem fiunt, citra fraudem fieri præſumuntur. Quare ad evitandam fraudem, quæ etiam inter domeſticos poteſt accidere, voluit Conſtantinus donationes factas inter neceſſarias conjunctaſque perſonas coram Judice loci inſinuari, & actis alligari, *d. l.* 27. acta vero recte fieri etiam rerum donatarum, quæ alio loco poſitæ ſunt, *d. l.* 27. *&* 30.

31 Quid igitur ſi donatio ſit majoris ſummæ, nec inſinuetur, eritne tota inutilis, an pro parte tantum? & verius eſt pro ea parte tantum quæ excedit eſſe inutilem, pro quingentis valere, *l.* 35. §. 3. *& l. pen.* §. *ult. h.t.* ſicut olim pro 300. aureis valebat, *d. l.* 34. *in princ. &* §. 1. Idque ideo ne utile per inutile vitietur, *c.* 37. *de reg. jur. in* 6. quamvis contrarium velit Salicetus *in l. donationes* 25. *C. de donat. inter vir. & uxor.* Sed non obſtat iſta *l. donationes*, in qua Juſtinianus, ad interpretationem ſuæ legis inſinuationem requirentis, ſolum ſtatuit donationes inter patrem & filium, & inter virum & uxorem, excedentes aureos quingentos inſinuatione indigere, & ſubſiſtere uſque ad concurrentem quantitatem. Fachinæus *lib.* 3. *Contr. c.* 12

Sed illud obſervatione dignum eſt, ſummam hanc 32 quingentorum aureorum, unius tantum actus donationis eſſe debere, antequam egeat inſinuatione. Nam nihil prodeſt ad infirmandam donationem non inſinuatam, dicere plures donationes ab eodem eidem factas diverſis temporibus, quæ ſi cumulentur majorem redderent ſummam *d. l.* 34. §. 3. Nam ſi ſingulæ non excedant ſtatutam ſummam, vel æſtimationem, non egent inſinuatione, dummodo plures donationes unica ſtipulatione non fuerint factæ, unica enim tunc erit donatio.

Sunt tamen quædam donationum genera, quæ 33 citra inſinuationem, pleniſſimam habent firmitatem, etiamſi 500. aureos excedant; ut donatio in Principem & quæ à Principe in privatos confertur, *d. l.* 34. §. 1. eſt enim Princeps legibus ſolutus. Vult tamen noviſſima Conſtitutio Juſtiniani *in Novel.* 52. *c.* 2. unde ſumpta *Auth. idem h. t.* donationem hujuſmodi à Principe in privatos collatam probari, publico inſtrumento ſubſcriptioneque donatoris & teſtium, qui non requirebantur lege Zenonis, quæ eſt *l.* 31. *h.t.* Item donatio cauſa mortis non indiget inſinuatione, ut approbetur, cum ſit inſtar legati, & pœnitentia revocari poſſit, & legatum non inſinuatur, *l. ult. infr. de donat. cauſa mort.* per quam derogatur, *l.* 25. *h.t.* quæ comprehendit mortis cauſa donationem.

Ut nec donatio facta remunerationis cauſa, vel 34 ob cauſam, actis publicis non indiget, quia permutatio potius eſt beneficij, quam mera liberalitas, *Novel.* 119. Unde nec illa quæ fit propter nuptias, eſt ſimplex & mera donatio, ſed propter dotem, & quaſi ejus remunerationis cauſa, ideoque hoc jure non inſinuatur ſi ipſa ſponſa in quam confertur ſit minor 25. annis, & patris auxilio deſtituta, contra ſi major eſſet, *d. l.* 34. §. 1. *& l.* 17. *ſup. de donat. ante nupt.* Quamvis noviſſime indiſtincte mulieri ſui juris, certanti de lucro nuptiali non noceat omiſſa inſinuatio, imò ea opus non eſt ex parte mulieris, ſed ſolum ex parte viri, quatenus hic pro rata donationis propter nuptias lucrum captat ex dote. *Novel.* 127. *c.* 2. ubi ratio ponitur in favore mulierum, ut principalibus forte earum deperditis inſtrumentis, ſalva iis ſit probatio. Præterea inſinuatione non indiget donatio, facta militibus à magiſtro militum, ob res præclare in bello geſtas, *l.* 36.

Digitized by Google

§. 1. *h. t.* Item donatio quæ ſpecialiter fit ex cauſa redemptionis captivorum, non deſiderat inſinuationem, *l. illud ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* Ea quoque non eget donatio cujuſcumque quantitatis, facta ei cujus domus incendio, vel ruina corrupta eſt, ita tamen ne pecunia data in aliam rem, quam in refectionem fuerit inſumpta, ejuſque ratio conſtet jurejurando domini domus, qui pecuniam accepit, *d. l. 36. §. 1.*

35 Valet etiam hoc jure abſque inſinuatione donatio, quæ fit ob redemptionem captivorum. Nam non patitur pietas, ut iſtiuſmodi cauſæ ponatur impedimentum, ſi modo qui pecuniam accepit ſacramentum præſtet, quod revera omnem quantitatem, ſine dolo malo, vel aliqua diminutione in cauſam iſtam piam redemptionis inſumet, *d. l. 36. in prin.* quæ Juſtiniani Conſtitutio, uti & *l. 34. verſ. Exceptis.* non eſt extendenda ad omnem piam cauſam, ſed potius reſtringenda ſecundùm aliam ejuſdem Imperatoris Conſtitutionem in *l. 19. ſup. de Sacroſ. Eccl.* quæ habet etiam piæ cauſæ factam donationem ſubjacere neceſſitati inſinuationis, niſi ſpecialiter fuerit excepta, cujuſmodi eſt facta in redemptionem captivorum & refectionem domus, ruina, aut incendio corruptæ, ut ad aliam piam cauſam, hoc jure non recte fiat extenſio. Aliud videtur dicendum jure canonico, quod ſequimur quoties de cauſa Eccleſiaſtica, uti & pia agitur, *c. relatum* 11. Panorm. *n. 4.* ꝟ. *de teſt.* Videatur Tiraq. *de privileg. piæ cauſæ.* & Gomez. *tom. 1. var. c. 4. n. 10.*

36 Cæterùm jure Gallico omnes donationes, indiſtinctè cujuſcumque quantitatis & cauſæ ſint, à die quo fiunt, intra quatuor menſes inſinuari debent apud acta judicum ordinariorum, alioquin cenſentur inutiles & ſine effectu. Petr. Tholoſ. *in ſyntag. jur. l. 28. c. 13. n. 17.* At in Belgio ſpectamus quantitatem olim à jure præſcriptam 300. aureorum, & ſi eam res donata excedat, opus eſt ut coram notario fiat, vel in ſcriptis propria manu ſignatis, aut coram aliis publicis perſonis, quemadmodum & in aliis contractibus id obſervari jubet Edictum *anni* 11. *art. 9.* In Hiſpania extat quoque Conſtitutio Caroli V. quam filius ejus Philippus II. Rex noſter perpetuò obſervari voluit, ut donationes oneri inſinuationis ſubjaceant, quæ excedunt ſummam 500. aureorum, atque inſinuationem fieri debere coram Judice ſupremo loci, ubi res donatæ ſitæ ſunt, vel degunt donantes. Guido Papæ *deciſ.* 325. Joan. Gutierrez *de juramento p. 1. c. 7.* & Molina *de Juſt. & Jure diſp. 278. per tot.* Merenda *l. 1. contr. c. 14. & ſeq.*

37 Neque enim donator poterit renuntiare inſinuationi; cum illa non tam in ejus favorem quam in odium fallentium, qui aucupantur bona aliena illicitis artibus, introducta ſit, *l. 27. h. t.* nemo enim poteſt iis renuntiare, quæ juris publici ratione nituntur, & facere quo minus leges locum habeant ut in teſtamentis, ita & in contractibus, juxta *l. 55. ff. de leg. 1.* Unde etiam non ſufficit in donatione inſertum fuiſſe eam inſinuatam; ſed oportet de inſinuatione fidem facere, quia quod eſt de ſolemnitate, oportet probare interveniſſe.

TITULUS LV.

De donationibus, quæ ſub modo, vel ſub conditione, vel ex certo tempore conficiuntur.

1. *Continuatio, & quid ſi modus non impleatur.*
2. *Conditio adjecta donationi quid operetur, perfecta non adjicitur.*
3. *Conditio præciſe implenda, & in quo differat à modo.*
4. *Quid ſi modus non impleatur à donatario, & in quo à modo differat.*
5. *Tempus additur donationi certum vel incertum, ut cum ceſſet, res donata reſtituatur donatori, vel alteri tertio.*
6. *An actio ei competens cui donator poſt mortem ejus cui donavit rem reſtitui voluit ſitne in rem, an in perſonam?*
7. *An donator poſſit revocare pactum donationis in favorem tertij appoſitum?*
8. *Quid ſi notarius nomine iſtius tertij ſtipuletur & acceptet donationem, an fiet irrevocabilis?*
9. *Limitatur opinio. 1. de conſuetudine. 2. ſi donatarius cui ſub modo donatum, deceſſerit, firma manet donatio in favorem tertij.*
10. *Item ſi à donatario res ſit tertio tradita & accepta. 4. Si moriatur ipſe donator ante tempus reſtitutionis.*
11. *Si donationis modum juramento firmaverit.*
12. *Si uni donaverit cum onere relinquendi bona in familia, non revocat reſpectu ſequentium.*
13. *An poſſit revocari donatum ſub iſto pacto & modo in gratiam Eccleſiæ?*

EXplicationi donationis ſimpliciter & pure fa- 1
ctæ, ſubjicitur tractatio donationis, quæ fit ſub modo, conditione, vel ex certo tempore. Nam donatio dum celebratur ad inſtar aliorum contractuum admittit has adjectiones, & pactiones.

Modus eſt cauſa futura, propter quam donatur; 2
cujus varia exempla ſuperiore Titul. retuli; hic unus modus conſideratur, quoniam habet aliquid ſpeciale, cum ea lege donatur, ut donatarius donatori alimenta præbeat, quæ ſi præſtare recuſet, propter ingratum ejus animum, revocatur & reſcinditur quod donatum & translatum eſt in donatarium, *l. 1. h. t.* idque favore alimentorum ſpecialiter receptum, qua verò actione donatum repetat donator infra dicetur.

Conditio

3 *Conditio* eſt adjectio, quæ facit, ut tum demum donatio effectum habeat, cum aliquid ſecutum fuerit, nam conditionis natura eſt differre actus obligationem donec impleatur, interim tamen quo impleta non eſt conditio, non poterit donator mutare & revocare conceptam donationem, non tam propter jus ad rem quæſitum parti, quam propter ſpem quam donans non impedit, & quam tranſmittit ad hæredem donatarius. Poteſt tamen donator donationi ſuæ quamcumque conditionem legibus probatam adjicere, ad effectum ſuſpendendi obligationem: ſed donationi jam perfectæ, & conſummatæ conditionem apponere nequit in præjudicium donatarij, *l.4.h.tit.* ne quidem eo tacente, etenim per donationem ſimpliciter factam, quæſitum jus eſt donatario, quod ei invito diminui non poteſt per conditionis adjectionem.

4 Hinc ſervanda eſt diſtinctio inter conditionem & modum, quod conditio adjecta non per æquivalens, ſed præciſe ſit implenda, & donec impleatur non habet effectum donatio, facta tamen ſub conditione emancipationis, valet ſi filius morte patris fiat ſui juris, ad ſimilitudinem legati ita relicti, *l.ult. h.t.* Cæterùm ſub modo facta donatio ſtatim valet, quamvis modus impletus non ſit, nec impleatur, non enim donatum, propter non impletum modū repetitur, niſi initio talis lex donationi dicta ſit, & impoſitus modus aliquis, & receptus à donatario, donatori conductio competit ob rem dati re non ſecuta, quia donatarius non impleverit modum, vel coactus renuit ſatisfacere conventioni, *l.2.& 6.ſup. de condict. ob cauſ.dati.* vel etiam donatori competit actio præſcriptis verbis, quanti ſua intereſt, modum impoſitum donationi impleri, *l.9.& 22.ſup.de donat.* ubi ex pacto in continenti donationi appoſito naſcitur actio præſcriptis verbis.

5 *Tempus* quoque addi poteſt donationi, aut certum, veluti ut poſt annum res donata reſtituatur donatori, aut incertum, veluti ut poſt mortem donatarij proprietas rei redeat ad donatorem, *l.2.h.t.* (quia dies mortis incerta eſt, *l.1.§.2.ff. de condit.& demonſtr.*) vel ut alteri tertio res reſtituatur, *l.3.hoc tit.* Nam quamvis jure veteri *juxta §. alteri Inſt. de inut. ſtip.ul.* ſi tertius in quem liberalitas conferebatur non eſſet ſtipulatus placiti fide non impleta, ei qui liberalitatis auctor fuit, vel hæredibus ejus, condictitiæ actionis perſecutio competeret, neutiquam autem tertio, benigna tamen interpretatione placuit iſti tertio utilem actionem juxta donatoris voluntatem concedere, *d.l.3.* quia ei res eſt donata ex tempore.

6 Sed dubitatur, utrum iſta actio ſit in rem, an tantum in perſonam? cujus rei effectus hic eſt, utrum etiam à tertio ſingulari poſſeſſore rem petere poſſit, ſi in eum illam tranſtulit contra pacti fidem donatarius, an vero hoc caſu tantum à priore donatario pretium & ſi quid præterea ejus intereſt perſequi debeat? Decius *Conſ.239.* & alij quos refert Fachinæus *lib.8. contr. c.88.* prius affirmant, & moventur *d.l.3.h.t.* quæ ei in quem talis liberalitatis compendium eſt collatum dat utilem actionem, quam ipſi interpretantur realem. Itemque *l.1.h.t.* in qua donatori competit utilis rei vindicatio pro recuperando dominio, ſi is cui donatum eſt, legi donationis non obtemperavit, atque hanc eandem actionem huic tertio cui donator rem reſtitui voluit, competere dicunt, *arg.d.l.3.* Sed verius eſt poſterius perſonalem tantum actionem iſti tertio competere, quia ex pacto ſolo non eſt effectus dominus, repugnat enim juris definitio, ut dominium tranſeat abſque traditione, *l.20.ſup.De pact.* Igitur cum non intervenerit traditio, non poteſt in rem actio ei non competere, cui rem donator reſtitui voluit, quia dominium non habet quod in rem actio requirit, *§. omnium Inſt.de act.* Non movet *d.l.3.* quia non realis, ſed utilis actionis mentionem facit, neque de reali poteſt accipi niſi in caſibus jure expreſſis, in quibus ſine traditione tranſit utile dominium, uti in caſu Eccleſiæ, aut pij loci. Deinde quod in ea lege agatur de actione perſonali, patet ex verbis *condictitiæ actionis perſecutionem,* condictionem autem eſſe in perſonam nemini dubium eſt: Non obſtat etiam *d.l.1.* quia loquitur in caſu ſpeciali, ut cum res aliquæ ea lege donantur, ut alimenta donatarius donanti, vel eo mortuo alteri præſtet, quare illis non præſtitis, poſſunt utili rei vindicatione res donatæ repeti à quocumque poſſeſſore, quod cum ita favore alimentorum conſtitutum ſit, non eſt temere extendendum ad caſus ſimiles. Ita Cujacius *in comm. C. h. t.* & Did. Covarruv. *l.1.var.c.14.n.3.* & Gomez. *ad l.40.Tauri n.25.*

Major eſt controverſia, utrum donator qui eo 7
pacto & modo rem donavit alicui, ut poſt certum tempus alteri tertio reſtituat, poſſit hoc pactum medio tempore revocare? Plerique ſuſtinent, non licere donatori revocare pactum, etiam ſi acceptatum ab eo non ſit, in cujus favorem eſt appoſitum. Idque probant per *d. l. 3. h. t.* quæ dat ſtatim utilem actionem tertio, in quem liberalitatis compendium eſt collatum, ut cum illi ſit jus quæſitum (hoc enim negari poſſe non videtur ſi actio ſit) non erit licitum donatori revocare pactum & modum, quia hoc facto auferret alteri invito jus quæſitum, quod jura non admittunt. Deinde eandem ſententiam probant *ex l. 1. ff. qui ſine manumiſſ.* ubi Paulus ait, ſi ſervus venundatus ſit ea lege, ut poſt certum tempus manumitteretur, etſi venditor mutaverit voluntatem, nihilominus libertatem competere, quia quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet, nec revocari pactum adjectum donationi, in utilitatem alterius eo invito.

Digitized by Google

Gomez. *d. loco n.* 30. Rod. Suarez *ad l. quoniam in priorib. decl. legis Regni, octavo quæritur.* Fachinæus *lib.* 8. *contr. cap.* 88. Verum contraria ſententia plures habet aſſertores, integrum eſſe donatori re integra, pactum adjectum donationi in favorem tertij revocare, eo etiam invito. Eam probant *ex l.* 3. *ff. de ſervis export. ex l.* 1. *& ult. C. ſi mancip. ita fuerit alien. & ex l.* 3. *ff. qui ſine manumiſſ.* ubi habetur vendito, aut donato mancipio, ea lege ut intra certum tempus manumitteretur, integrum eſſe domino ante illud tempus pœnitere, & revocare pactum in favorem mancipij appoſitum, igitur idem erit in quocumque donationis pacto in favorem cujuſcumque alterius tertij appoſito, antequam ab illo acceptetur. Nam antè non tam facta donatio, quam donationis deſtinatio reſpectu donatoris eſſe videtur. Facit quod hujuſmodi donatio ſub modo concepta, magis ſpectet ad contractum innominatum, do, ut facias, in quo ut pœnitentiæ locus eſt, ita & hic quoad ipſum pactum, vel modum, *leg.* 5. §. 1. *de condict. cauſ. data cauſ. non ſec.* Hanc ſententiam uti veriorem amplectitur Bartolus *in l. qui Romæ* 127. §. *Flavius ff. de verb. oblig.* quem ſequitur Covarruv. 1. *var. reſol. c.* 14. *n.* 7. & Mantica *de Tacitis convent. l.* 13. *c.* 18. *n.* 8. ubi plures Doctores refert, & Julius Clarus §. *donatio, q.* 13. *verſ. penult.* dicit ab ea non eſſe recedendum in judicando, & omnes fundant ſe in *l.* 3 §. 3. *& l.* 5. §. 1. *ff. de cond. cauſ. data.* ubi qui dedit ut manumittatur ſervus intra certum tempus, poteſt pœnitere, quod eſt magnum argumentum pro præſenti caſu quo donatio facta fuit, cum hoc modo, ut alteri detur poſt mortem, vel poſt certum tempus. Ut non obſtet *dict. l.* 3. *h. t.* quæ videtur dare actionem utilem tertio, nam tunc demum dat, quando tempus eſt tranſactum, ex quo ſolum tempore competit tertio jus & actio utilis adverſus donatarium, ſi is rem non reſtituat, quam ea lege accepit. Itemque non adverſatur *d. l.* 1. quia loquitur de mutata voluntate, non ante tempus adjectum, ſed poſtquam ſervus conſecutus fuerat libertatem, quo caſu jus quæſitum tertio revocari amplius nequit. Juxta ea quæ dicta ſunt pro priore opinione, quæ ſane procedet ſi hic tertius acceptaverit, quia acceptando jus ſibi firmat, per donationem hujuſmodi inchoatam in primo donatario, completam per acceptationem ejus cujus gratiam concernit. Firmat enim acceptatio donationem ante validam. Præter citatos videatur Molina *de Hiſpan. primog. l.* 4. *c.* 2. *n.* 74.

8 Quæritur quid juris ſit, ſi Notarius nomine tertij iſtius ſtipuletur, & acceptet donationem? Eam fieri irrevocabilem plerique exiſtimant, propter jus quæſitũ tertio per ſtipulationem notarij, per quem tanquam per ſervum publicum, volunt alteri quæri poſſe, *l.* 1. §. 15 *ff. de magiſtr. conven.* Imò ſunt qui volunt ſtipulationem ab ipſo donatore nomine tertij, in quem contulit liberalitatem, interpoſitam cum donatario, firmare jus tertij. Covarruv. *ſup. d. loco n.* 13. §. 2. Theſaurus *deciſ.* 70. & plures citati à Molina *d. loco num.* 76. Quorum opinio nullo juris textu fulcitur. Sed contra extat generalis juris definitio, alteri per alterum ſtipulando non quæri, *in* §. *Alteri Inſt. De Inutil. ſtipul.* ut comprehendat etiam notarium, cum ſit liber, non ſervus per quem quæri, poſſit, quamvis alibi ſervus reipublicæ nominetur, *l.* 1. §. 7. *ff. de quæſt.* Confirmatur prædicta definitio, alia juris regula, in qua dicitur, nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando alteri quæri poſſe, *l.* 37. §. *ult. ff. De reg. jur.* Sic ut rectè ſenſerit Molina per notarij ſtipulationem, aut acceptationem nomine tertij, non ideò magis fieri irrevocabilem iſtam donationem. * Late Paul. Chriſtin. *vol.* 4. *in* 9 *fine C. deciſ.* 209. ubi ſubjungit quod etiamſi ita ſit de jure ſcripto, conſuetudo tamen videatur paſſim admittere ejuſmodi notarij ſtipulationem, quam & leges Regni Hiſpaniæ probant, ſecundùm Covarruv. *d. loco.* Sed ut ita ſit, per iſtiuſmodi notarij ſtipulationem, nil juris huic tertio abſenti acquiri exiſtimo, ante ratihabitionem, ne quidem de conſuetudine, Fachinæus *l.* 8. *contr. c.* 19.

Limitatur ut prior opinio procedat, ſi prior donatarius cui ſub iſto modo donatum eſt, mortuus ſit, quia tunc ex vi pacti appoſiti res donata, tertio ſive ſubſtituto debetur, cui jam tanquam impleta conditione, perfecte eſt jus quæſitum. * Quod ma- 10
gis dicendum ſi per iſtum priorem donatarium res ſit poſteriori tradita, qui non poteſt dici non acceptaſſe donationem in ſui compendium factam. Idemque obtinet ſi dies adjecta venerit, nam & per eam videtur firmari jus ſubſtituti Verum recte hoc limitatur, ſi poſt mortem prioris, aut ceſſam diem, ſubſtituto uti dictum res ſit tradita, aut ab ipſo donatio acceptata. Nam aliàs videtur revocabilis, eo quod tempus nihil juris det, aut immutet jus donatoris. Covarruv. *d. loco* §. *quamobrem.*

Itemque militat iſta opinio ſi moriatur ipſe donator, antequam adveniret tempus reſtitutionis, *l.* 1. *ibi* Gloſſ. *in verb. Si jam deceſſerit. C. ſi mancip. ita fuer. alien. & l.* 3. *ff de ſerv. expert. & l.* 3. *ff. qui ſine manumiſſ.* Qui textus omnes dicunt hæredis voluntatem non eſſe exquirendam, aut explorandam, eo quod poteſtas & jus quod in donatore erat ad revocandum gravamen, non tranſeat in ipſius hæredem, ſed donatio gravaminis continuò firmetur. Covarr. *d. loco n.* 17. Jul. Clar. *d. loco q.* 13. *verſ. ult.* qui tradunt id ita communiter obſervari, licet hæres eadem cum defuncto ſit perſona.

Præterea ſi donator juramento confirmaverit 11
donationis modum, non erit illi licitum ab ea recedere, etiamſi acceptata non ſit, ab illo cujus compendium concernit. Eſt enim juramentum ſervandum, quatenus ſine detrimento animæ ſervari poteſt.

Digitized by Google

teſt, uti hoc in caſu. Quo facit etiam quod promiſſio interna ſi juramentum acceſſerit ſervanda ſit, propter obligationem Deo quæſitam. Videatur de hoc caſu & aliis jam propoſitis, Lud. Molina *de Juſt. & Jure diſp. 265. per totum & ſeqq.*

12 Denique prior opinio procedet, ſi donatio iſta uni facta, concernat favorem familiæ, in qua vult rem donatam manere donator, iſta enim nullo pacto, reſpectu ſequentium revocari poterit, ſatis enim eſt ut cenſeatur donatio perpetua quod primus eam acceptaverit, ut ulteriore acceptatione opus non ſit, *l.69.§.3.ff.de leg.2.* ubi gravamen primo impoſitum, facit omnibus eſſe actionem, ut tradit Molina de *Hiſp. primog. l.4. c.2.n.75.* quia abſurdum eſſet ad efficiendum fideicommiſſum irrevocabile, requiri acceptationem infantium & naſciturorum, ſic ut cum horum reſpectu revocari nequeat, conſtat idipſum dicendum eſſe in illis qui eos præcedunt, ne bona familiæ relicta deveniant ad remotiores, excluſis proximioribus. Videatur Anton. Gomez in *l.40. Tauri n.34.* Item Molina *d. loco* qui aſſerunt, ita hodie deciſum legibus Regni Hiſpaniæ, præſertim *l.44. Tauri.* ubi ſola traditio facta primo vocato ad majoratus ſucceſſionem, efficit ipſum majoratum irrevocabilem ſimpliciter tam reſpectu ipſius, quam ſequentium. Amplius addunt, non requiri expreſſam acceptationem donatarij, ſed ſufficere ejus præſentiam interveniſſe, eamque inducere tacitam acceptationem. Præter citatos videatur Covarruvias *3. part. rub. de teſtam. n.19. Verum ſi donatarius.* & Vaſquez *lib.2. contr. illuſtr. cap.61. num.12.* unde inferunt donationem quæ hodie fieri poteſt pacto nudo, ſeu legitimo, *ex l. ſi quis argentum C. de donat.* poſſe fieri præſenti & tacenti, atque ita tacitum pactum ad hujuſmodi donationis firmitatem ſufficere.

13 Ex quibus inferunt plerique donationem iſto pacto & modo conceptam, ut poſt certum tempus Eccleſiæ, aut piæ cauſæ reſtituatur, non poſſe revocari, quia ſtatim etiam ante acceptationem rata eſt donatio Eccleſiæ facta, atque in eam tranſit jus irrevocabile, *l.23. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ubi Imperator pro quovis modo relictis, vel donatis piæ cauſæ concedere videtur rei vindicationem, etiam ante traditionem. Adferunt in hujus ſententiæ confirmationem *Text. in l.9.§.1.ff. de jure dotium*, ubi ſi alicui res ſit tradita, ut nuptiis ſecutis, dotis efficiatur, & ante nuptias donator deceſſerit, ex benignitate placuit, ut poſtea ſecutis nuptiis, dotis eſſe incipiat, etiam invito hærede, cui imponitur neceſſitas conſentiendi ei quod in tam piam cauſam defunctus fecit, ut idem hic videatur dicendum favore Eccleſiæ. Sed adverſantur varij textus, qui dant locũ pœnitentiæ etiam cum quid relinquitur piæ cauſæ, ſub tali pacto & modo, *l.3. ff. de ſerv. export. l.5. §.1. ff. de condict. cauſ. data.* ubi ſi quis ſervum ſuum alicui dederit, eo pacto ut intra certum tempus manumittatur, poteſt adhuc pœnitere qui tradidit, licet libertatis cauſa maxime pia ſit. Non obſtat *d.l.23.* quia loquitur in caſu quo donatum relictumve eſt piæ cauſæ, cui ſtatim jus & actio competit; non item in caſu quo modus, aut pactum adjectum eſt donatario, ut poſtea det piæ cauſæ, aut Eccleſiæ, eſt enim hoc inſtar mandati & revocari poteſt, re adhuc integra. Item non obſtat *d.l.9.§.1.* quia ibi tradita res eſt illi, cujus commodum concernit, ut poſt mortem defuncti non debeat poſſe revocari ab hærede cauſa ſecuta, maxime cum res ſit data favore dotis, in qua non eſt pœnitentiæ locus, *l.8. in fin. ff. de condict. cauſ. dat.* ſufficitque conditionem evenire poſt mortem donantis. Coſtal. *ad d.l.9.*

TITULUS LVI.

De Revocandis donationibus.

1. *Donatio ſemel perfecta non revocatur donatorio pœnitentia, quamvis in fraudem tertij donaverit, vel mulier abſente marito, aut interveniente Principis reſcripto.*
2. *Sunt tamen caſus quibus revocatur. I. Si inofficioſa ſit donatio, ob quam querela datur iis quibus competit legitima.*
3. *Quatenus revocetur per querelam iſta donatio.*
4. *Cur revocetur donatio ob ingratitudinem.*
5. *Quæ & quot ſint ingratitudinis cauſæ: probandæ à donatore, non ab ejus hærede qui non revocat defuncti non conqueſti donationes.*
6. *Quatenus mater ad ſecundas nuptias tranſiens revocet donationes filiis factas, & hæres cogat donatarium implere pacta.*
7. *An ex aliis cauſis poſſit revocari donatio quam ex V. numeratis.*
8. *Non revocatur donatio ſi donatarius non alat inopem donatorem, cui tamen ſubvenitur ex æquitate.*
9. *An revocetur donatio ob inimicitias capitales.*
10. *Non valet pactum ne revocetur donatio ob ingratitudinem; Quid ſi juramento ſit firmata?*
11. *An donatio remuneratoria ſit revocationi obnoxia.*
12. *An dos marito data revocetur propter ingratitudinem uxoris?*
13. *An revocentur omnia alienata? & an res pignori obligata impediat revocationem?*
14. *An fructus percepti revocentur?*
15. *Revocatur donatio ſi liberi naſcantur. Ante nati non revocant donationem niſi quatenus eſt inofficioſa, neque liberi naturales.*
16. *An legitimati per ſcriptum, vel ſubſequens matrimonium donationem revocent & quid de adoptivis?*
17. *Non intereſt donator uxorem habuerit tempore donationis, an poſtea eam duxerit.*

Digitized by Google

18. *Revocatur donatio ſi donator magnam partem bonorum tranſtulerit, quæ ſit dicenda magna pars?*
19. *Habenda ratio quantitatis quæ fuit tempore donationis factæ, quid ſi diminutio bonorum ſuperveniat?*
20. *An obnoxia ſit revocationi donatio alteri quam liberto facta?*
21. *Eccleſiæ facta donatio revocatur liberis poſtea ſuſceptis.*
22. *Donatio mortis cauſa an ſupervenientibus liberis revocetur?*
23. *E quid de donatione remunerandi cauſa facta?*
24. *Quid ſi donatum ſit pro dote, aut pactum de ea lucranda?*
25. *Si quis non habens liberos renuntiaverit hæreditati, an illis natis renuntiatio revocetur.*
26. *Quid de renuntiatione juris primogenituræ, & juris necdum quæſiti.*
27. *Donatione à donatore revocata, quid donatarius reſtituere debeat?*
28. *An fructus ex rebus donatis percepti debeant reſtitui.*
29. *An ipſo jure donatio revertatur?*
30. *An liberis natis præmortuis ante donatorem reconvaleſcat donatio?*
31. *An mors patris qui poſt natos liberos, permiſit donatarium uti, frui re donatâ, faciat confirmari donationem.*

1 DIctum eſt donationem ob cauſam, ſeu ſub certo modo factam, donatario fidem non implente revocari, per condictionem ob cauſam, & interdum per actionem reſciſſoriam. Hic verò generaliter ſanxit Juſtinianus perfectam donationem inter vivos firmam illibatamque manere, *l. ult. in pr. h.t.* nec revocari ex ſola pœnitentia, *l. 3. h.t.* neque eo prætextu quod dicat donator in fraudem creditorum ſe donaſſe, *l. 4. eod.* non enim audiendus eſt qui allegat propriam turpitudinem. Quo fit ut mater non audiatur, revocare volens donationem in extraneum collatam, prætextu mariti, & liberorum abſentiæ, cum hujus firmitas ipſorum præſentia non indigeat, *l. 6. h.t.* Neque avia citra cauſam, donationem nepti factam revocare poteſt, quamvis inſtrumentum donationis amiſiſſe, aut igne exuſſiſſe conſtiterit, *l. 2. h.t.* nam jus ſemel quæſitum donatario, non debet ei ſine causâ auferri: ne quidem principali auctoritate, niſi ſubſit utilitas publica, quæ potior eſt privata. Et hinc eſt quod donationes ritè factæ, auctoritate reſcripti Principis non reſcindantur, *l. 5. h.t.*

2 Sunt tamen caſus quibus donationes perfectæ & conſummatæ reſcinduntur, vel pro parte, vel etiam in totum. Pro parte tantùm revocantur donationes inofficioſæ, quales dicuntur, quæ tantæ ſunt quantitatis, ut non ſit ſalva legitima filiis & aliis quibus per leges debetur, *l. 2. & 3. ſup. de inoff. donat.* Quibus proinde datur hoc nomine querela, & filiis quidem contra donationem à patre factam, *l. 1. 2. 7. Cod. d. t.* parentibus contra donationem factam à liberis, *l. 4. d. t.* fratribus quoque querelam competere videtur ad ſimilitudinem querelæ inofficioſi teſtamenti (ſi alio remedio eis querentibus conſuli non poſſit) eo ſaltem caſu, quo inofficioſa donatio facta eſt perſonæ turpi, Gloſſ. *in l. 4. & fin. C. d. t. De inoff. don.*

3 Cæterùm hæc querela totam donationem non revocat, ſed id tantum quod immodicè donatum eſt, id eſt, detrahit de donatione quod conquerenti debetur jure legitimæ, cujuſcumque ſint conditionis, illi, quibus donatio facta, ſive ſint ſui, ſive extranei. Ratio, cur data donatio non revocetur, eſt, quia non in totam peccatum eſt, ſed tantùm quoad legitimam partem, atque eatenus revocatur, ne pœna ſit major delicto, *l. 1. 2. 7. C. d. t.* & hoc quidem ſi fuerit inofficioſa donatio re tantum, quia ſi fuerit inofficioſa re & conſilio, ſervanda erit diſtinctio, de quâ dixi ſuprà *ad d. t. De inoff. donat.*

4 In totum revocantur donationes, duabus ex cauſis. I. eſt, ſi ingrati exiſtant homines, in quos beneficium collatum eſt. Idque ne cuiquam ſit licentia, & alienas res capere & frugalitatem irridere donatoris; & ipſum iterum donatorem ſuaſque res perdere, & malis ab ingrato donationis acceptatore affici, *l. ult. h. tit.* Quod obſervatur non tantùm in liberis, ſed multò magis in libertis, ut ſi quid eorum nomine, pecunia patronorum & beneficio comparatum ſit, revocetur ob ingrati animi vitium. Nam qui obſequiis ſuis liberalitatem patronorum provocaverunt, non ſunt digni, quò eam retineant, cùm cœperint obſequia negligere, cùm magis in eos collata liberalitas ad obſequium eos inclinare deberet, quam ad inſolentiam erigere, *l. 1. h. t.*

5 Cauſæ verò ingratitudinis numerantur quinque, videlicet ſi donatarius donatori injuriam atrocem, vel manus impias inferat, ſi jacturam bonis ipſius ingerat, ſi inſidias vitæ ejus locet, ſi pactum quod inter donandum intervenit, implere nolit, *d. l. ult. in princ.* Atque hæ cauſæ dilucidis argumentis, in judicio cognitionaliter (id eſt, partibus præſentibus & auditis) liquidò probari debent, *l. pen. & ult. verſ. Et his h. t.* & quidem ab ipſo donatore, qui ſi ſiluerit, & non fuerit conqueſtus, poſt ejus mortem non licet hæredibus, vel ſucceſſoribus revocatoriâ actione propter ingratitudinem agere, *d. l. 1. §. 1.* quia hæc actio perſonalis eſt, & magis vindictæ & ultionis perſecutionem habet, quàm pecuniæ, remiſſaque videtur diſſimulatione injuria, cùm vivens non fuerit conqueſtus de jam factâ, *§. fin. Inſtit. De injur.* Ex qua ratione fit, quod uti actio ingrati non competit hæredi, ita nec in hæredem donatarij detur, quod verum eſt etiam cùm parentes liberis donarunt, ut pater filio, vel filiæ emancipatis, vel avus nepoti, vel nepti, proavus pronepoti, vel pronepti, *l. pen. h. t.* Cujacius *in comm. C. ad h. t.* * Idem dicendum de ma- 6

tre

tre quæ filiis donavit, adverſus quos habet actionem perſonalem, quâ ſolâ injuriam vindicet, niſi portentoſæ vilitatis, abjectæque pudicitiæ ſit, aut tranſiverit ad ſecundas nuptias, cui nihil privilegij tributum, nec poteſt donationem in filios primi matrimonij collatam, hoc jure revocare, propter ingratitudinem, *l. 7. h. t.* Quod hodie temperamentum accepit ex jure noviſſimo, ut liceat revocare in tribus tantùm caſibus, ſi matris vitæ filius inſidietur, ſi manus impias in eam intulerit, ſi totius ſubſtantiæ molitus ſit jacturam, *Auth. quod mater. h. t.* quæ deſumpta eſt ex *Novell. 22. cap. 35.* Planè & hæredi permiſſum videtur, cogere donatarium ejuſve hæredem, ut modum ſive pactum adjectum impleat, nam ea res nihil ſpectat ad vindictam, quæ pœnam continet, ſed tantùm tendit ut ſervetur modus adjectus, quem ſervari intereſt donatoris uti & hæredis. Molina *de Juſtitia & Jure quaſt. 281. num. 4.*

7 An præter quinque ingratitudinis cauſas jam dictas, poſſit ex aliis revocari donatio, quæritur? Et quod poſſit tenet communis Doctorum ſententia, cum Gloſſ. *in dict. l. ult. verbo Voluerit.* dummodò graviores aut æquè graves cum illis ſint. Gomez. *tom. 2. Var. c. 4. n. 14.* Molina *de Hiſpan. prim. c. 9. n. 32.* Jul. Clarus *§. donatio q. 21. n. 2.* Sed contraria ſententia verior eſt, non poſſe ex alia cauſa donationem infringi, tum quia *d. l. ult.* ubi enumeravit quinque illas cauſas, ſubjungit, *ex his tantummodò cauſis,* ſi fuerint in judicium approbatæ, donationes everti, ſic ut omnes alias cauſas excludat: tum etiam quia dicta lex pœnam continet, quæ non debet extendi, ex paritate, aut majoritate rationis, ad alia, quam ad illa de quibus expreſſe diſponit.

8 Quæ ratio facit, ut inter iſtas quinque cauſas non comprehendatur illa, ſi donatarius alimenta denegavit inopi donatori, ut hic fruſtrà donationem revocet, ſiquidem illi ſubveniatur, ante donationis traditionem, ne ultrà quàm facere poteſt, excutiatur, *l. 30. ff. De re jud.* poſt eam autem factam, nullibi inveniatur conceſſa revocatio donationis, quamvis tantæ ſit quantitatis, ut donatoris facultates exhauriat, neque imponitur neceſſitas illum jam exhauſtum, & ad inopiam redactum alendi. Facit in hanc rem quod dicitur *lib. 2. Feud. Tit. 26. §. licet.* capto patrono, ſi vaſallus eum liberare poſſit pecuniam dando, & non faciat, non propterea amittere beneficium, & rectè, quia culpa tantùm eſt in omittendo & negligendo dominium, non in committendo, adverſus eum factum aliquod injurioſum, quod exigunt & includunt cauſæ *in d. l. ult.* numeratæ. Nec facit, quod ibi cauſa ultima conſiſtat in omiſſione, nam hoc tantùm ratione pacti & modi, qui donationi eſt appoſitus; ita Donellus *libr. 14. comment. c. 27. verſ. ſed an non pluribus.* ubi addit certas eſſe perſonas, videlicet parentes, liberos, libertos, quibus neceſſitas imponitur alendi alios, *l. 5. §. 1. & l. 6. ff. De agnoſc. lib.* Tenentur enim parentes alere liberos, & vice mutua liberi parentes. Itemque liberti patronum, ob libertatis beneficium ab eo acceptum; At nullibi mentio ſit donatarij, quaſi hic obſtringatur donatorem egentem alere. Poſtulat tamen æquitas, ut officio judicis donatarius donatori egenti cogatur præſtare alimenta, ad quantitatem fructuum, qui ex rebus donatis percipiuntur, maximè ſi donator omnia bona ſua, aut majorem partem donavit, nec ſpem habet obventionis novæ, aut ſucceſſionis aliunde. Nam qui tam profuſam liberalitatem exercuit, habetur parentis loco, & veluti hæredem inſtituit donatarium, qui proindè non poteſt non ingratus cenſeri, ſi inopem donatorem alere recuſet. Salicet. Cynus & alij *ad d. l. ult.*

9 Igitur tantùm ex dictis quinque cauſis atrocioris ingratitudinis, revocari donatio poteſt, unde propter inimicitias, etiam capitales (modò tamen donatarium non efficiant ingratum ex cauſis, *d. l. ult.*) non revocabitur donatio perfecta, atque ex ſe irrevocabilis. Secus ſi ejus ordinis ſit, ut adinſtar legati vel fideicommiſſi ſit revocabilis, talis enim donatio cum legato revocabili æquiparatur, per inimicitias graviſſimas inter donatorem & donatarium ortas, revocanda erit, imò ipſo jure revocata cenſetur, etiam abſque alia voluntatis declaratione, quemadmodum & legatum, *l. 3. §. fin. de adim. leg.* Atque in hujuſmodi revocabili donatione, exiſtimo tranſire jus ad hæredem donatoris illam revocandi, quando conſtat, probarique poteſt donatorem non remiſiſſe ingratitudinem, quodque præparaverit ſe ad revocationem, ſed fuerit morte præventus Molina *de primog. l. 1. c. 9. n. 35.*

10 Porrò ſi donator pactus ſit expreſſe, quod etiamſi donatarius ſit ingratus, non revocabit donationem, poterit nihilominùs eam revocare, quia tale pactum & renuntiatio, juris revocandi donationes, non valent, eo quod inducant donatarium ad delinquendum; quo pertinet *l. 27. §. 3. & 4. ff. de pact.* ubi pacta quæ turpem cauſam continent, & contra bonos mores ſunt, non ſunt obſervanda. Gomez. *tom. 2. c. 4. n. 14. ubi plures refert.* & Gutierrez *de juram. confirm. part. 1. cap. 10. num. 5. & 6.* ubi addit ſi donatio ſit ſolùm juramento confirmata, neque expreſſum ſit, eam ex ingratitudine non revocare poſſe, procul dubio revocari. Quoniam habet eam tacitam conditionem, niſi donatarius ſit ingratus: & juramenti appoſitio non excludit conditiones, quas promiſſio, aut actus, ſuper quem cadit, habet ex ſe, aut ex juris diſpoſitione. Atverò ſi donans expreſſerit ſe propter ingratitudinē non revocaturum donationem, idque juramento confirmet, tunc ſanè non licebit eam revocare, ex ratione quod donator non peccet, eſto donationem.

tionem non revocet ſuperveniente ingratitudine, ſicut nec qui promiſit uſuras peccat eas ſolvendo, licet peccet is qui uſuras accipit, *c. 6. ꝟ. de jurejur.* igitur juramentum quod abſque peccato poteſt ſervari, eſt ſervandum *juxta c. 25. §. fin. ꝟ. de tit.* ubi vir qui uxori ſuæ promiſit, cum juramento illam non accuſaturum de adulterio, tenetur juramentum ſervare, cùm id abſque peccato poſſit, non accuſando de eo crimine uxorem, & hoc in quantum ejus utilitatem privatam concernit, non item publicam, cui pacto ſuo quantumvis jurato derogare non poteſt. Cæterum cum ob ingratitudinis vitium, ſe indignum reddiderit donatarius, cui juramentum ſervetur, verius eſt quod poſſit in pœnam, peti relaxatio juramenti, eaque impetrata agi ad revocationem donationis, quicquid contrarium Gutierrez dicto loco ſentiat.

11 Porrò quod attinet ad donationem ob cauſam, itemque remuneratoriam, ſunt qui exiſtimant non revocari propter ingratitudinem, cùm non tam mera ſit donatio, quam merces quædam præſtiti officij, & velut genus quoddam permutationis, *l. 27. & 34. §. 1. ff. de donat.* Gomez *ad l. 29. Tauri n. 23. verſ. 2.* Sed Pinellus *l. 1. p. 3. n. 62. C. de bonis matern.* vult non aliàs procedere, quam in iis remunerationibus, quæ factæ ſunt in vim compenſationis, & mercedis, ob quam competebat jus aliquod agendi, ut liberalitatem excludat, non etiam ſi non excludat, veluti ſi alicui donatum ſit ob quædam ſervitia, quæ non tenebitur compenſare; manet enim talis donatio in terminis veræ liberalitatis, ut non ſit ratio cur ob ingratitudinem donatarij non poſſit revocari, talis enim eſt donatio facta miniſtris propter ſervitia præſtita, ultra debitum ſtipendium, quæ licet deceat dominum ea remunerari, ad id tamen non tenebatur.

12 Hac etiam ratione, non revocatur dos marito data propter ingratitudinem uxoris, *l. 24. ſup. de jure dot. & l. ult. C. de dot. promiſſ.* ubi vera manet liberalitas & non revocatur, licet mulier ingrata circa donatorem, fuiſſe oſtendatur; Imò non tam videtur liberalitas, quam ſolutio debiti, aut donatio ob cauſam, quam præſtare cogitur pater filiæ nubenti, *l. 19. ff. de ritu nupt.* ut revocationi locus eſſe nequeat, ſed filiæ ingratitudo, alio modo ſit punienda. Quod ſi verò extraneus liberalitatem hanc exercuerit, dotemque aſſignaverit, videtur quod poſſit eam revocare, propter ingratitudinem ejus cui dedit, cum nullo jure cogente dederit & hoc quidem ſoluto matrimonio, ne fiat injuria marito & liberis. Ego tamen puto indiſtinctè non poſſe donantem dotem repetere, quia licet ad eam non tenebatur, ex eo tamen quod donavit ex cauſa onerosâ, quæ doti eſt conjuncta, non videtur merè liberalis fuiſſe. Idem dicendum de donatione propter nuptias facta viro, quæ etiam ſortitur naturam contractus oneroſi, de quo loquitur *d. l. ult. de dot. promiſſ.* deque his plenius Molina *de Juſt. & Jure tom. 2. de contract. diſp. 281.*

Nunc videndum quid in hanc ingrati actionem veniat, id eſt, quid donatarium donatori reſtituere oportet? Et reſolvunt Imperatores non alia revocari, quam quæ donatarius tenet eo tempore quo controverſia à donatore movetur: nam quæ ante vendidit, donavit, permutavit, in dotem dedit, minimè revocantur, ſed firma manent, *l. 7. h. t.* ea ratione, ne ei ad quem res legitimè pervenit, noceat factum alienum, niſi tamen in fraudem donatoris alienatio contigerit: cujus & conſcius is fuerit in quem facta eſt alienatio. Quod ſi autem res ſit pignori, aut hypothecæ ſuppoſita, revocatio non impedietur cùm quoad jus quod penes debitorem remanſit, non poſſit dici res alienata, & quidquid penes donatarium reperitur ex ingratitudine revocetur, reperitur autem dominium, *l. 67. ff. V. S.* quod ideò rectè revocabitur, ſalvo jure pignoris ipſi creditori, quod luere erit donatoris, ne tertio in jure ſibi quæſito ex revocatione fiat præjudicium, cùm res tranſire ſoleat cum ſua cauſa, *l. 18. §. 2. ff. de pign. act. l. 23. §. 2. ff. de ſervit. præd. ruſt.* ut jus tertij ſit illæſum. 13

Poſtremò quæri poſſet, an fructus percepti revocentur? Et ſanè cùm revocatio iſta non fiat ipſo jure, ſed poſt cognitionem judicialem, ut inſinuat. *l. ult. §. ex his h. t.* quæ ſupponit ſententiam, rectè ſequitur non alios fructus venire in reſtitutionem, quam qui extabant tempore donationis, cùm una cenſeantur donati, modò tamen extent non alienati, aut ex alienatis factus ſit locupletior donatarius, quia videntur extare. Sunt etiam reſtituendi poſt litem conteſtatam percepti, nam & culpa & dolus exindè præſtantur, *l. 4. §. ff. finium regund.* Medio tempore perceptos, non eſſe obnoxios reſtitutioni veriùs eſt: tum quia non cenſentur donati, nec eos perceperit donatarius, ut donatos, ſed ut proprios ex re ſua collectos, *l. 9. §. 1. ff. de donationib.* tum quia res revertitur, non ut erat tempore donationis, ſed ut nunc eſt, ita ut trahatur retrò hæc revocatio. Facit quoque quod iſti fructus ſint percepti arbitrio & ex voluntate donatoris, uſque ad intentatam litem, ut antea pleno jure ipſi donatario ceſſiſſe cenſeantur. 14

Altera revocandæ donationis cauſa eſt, ſi liberi poſtmodum naſcantur donatori, *l. 8. h. tit.* quia non præſumitur quod is voluerit alienas ſucceſſiones propriis anteponere, *l. 102. ff. de condit. & demonſt. l. 30. ſup. de fideicommiſſ.* ut rectè dicatur in eſſe donationi conditio quædam tacita, ſi liberi naſcantur. Quod procedit, etiamſi unus tantum naſcatur, quoniam appellatione liberorum unus quoque comprehenditur, & ſine liberis deceſſiſſe non dicitur 15

Digitized by Google

tur qui vivum reliquit, *l.* 148. *ff. de verb. ſign.* preſertim cum dicta conjectura & ratio legis, tam obtineat in uno, quam in multis filiis, ſi qui naſcantur. Dico ſi naſcantur, quia ſi tempore donationis liberos jam habebat donator, vel de iis cogitabat, ceſſat conditio & præſumptio voluntatis, quod liberos extraneo donatario prælatos voluerit. Atque ita liberi exiſtentes interim dum donator vivit, in totum donationem non revocant, neque etiam eo mortuo, niſi quatenus ipſis fuit inofficioſa, ut dictum ſuprà.

Planè neque filij naturales, & multo minus ſpurij, cauſant hanc revocationem, cùm in eos non ſit talis affectus, qui tantùm cenſetur eſſe erga eos quos lex probat, cùm unuſquiſque præſumatur ea cogitare & velle quæ ſecundùm leges ſunt, & licet ex naturali quodam affectu poſſit eſſe eadem paritas & dilectio erga naturales, atque eſt erga legitimos, tamen quia lex eorum ita rationem non habet, pater quoque exiſtimatur de iis non ita fuiſſe ſollicitus; Idque tamen poſſet limitari quoad partem, ad quam ab inteſtato vocantur, ut quoad illam tanquam liberi habeantur, & faciant pro illa donotionem revocari. Cæterùm reſpectu matris donatricis, videtur quod poſſint ejus naturales poſt donationem nati, eam revocare & quidem totam, ea ratione quod tales liberi matri ſuccedant, & contra teſtamentum ejus querelam moveant in caſu, *l. pen. ſup. ad S.C. Orphit.* habeaturque pro matre etiam ea, quæ vulgò concepit.

16 Porrò legitimati per reſcriptum, non faciunt donationem revocari, nec diſtinguo ſint nati ante, vel poſt donationem factam, cùm *d.l.* 8. de liberis loquatur, quales cenſentur juſtè ac legitimè nati, non etiam naturales, quamvis legitimati, nam etſi legitimatio faciat eos conſequi aliqua jura, non tamen ut donationem legitimè factam revocent, ſaltem quatenus non lædit partem quam lex eis aſſignat. Accedit quod legitimatio non poſſit fieri in præjudicium eorum, quibus eſt jus quæſitum, *cap. quamvis. De reſcript. in 6.* eſt autem jam jus quæſitum donatario, cujus proinde donationem reſcindi non oportet auctoritate reſcripti, cum reſcripta quæ alicui jus ſuum auferunt, non valeant, niſi cauſa publica aliud exigat, quæ prævalet privatæ, *l. 2. ſup. de precib. Imp. off.* Excipitur hìc legitimatio per ſubſequens matrimonium, quæ majores habet vires, & facit legitimatos habere omnia jura legitimè natorum ab initio, atque ita quaſi adnaſci, quantum attinet ad hanc donationem, quod procedit etiamſi in articulo mortis matrimonium ineatur, cum non eo minus legitimentur naturales, *cap. tanta §. qui filij, legit.* Adoptivi verò licet olim habuerint jura legitimorum liberorum; & nunc habeant arrogati, minimè tamen per eos infringitur, aut revocatur donatio, ab adoptante facta, ex ratione quod aliàs eſſet illi parata via quandocumque vellet donationem revocare, quod admitti non debere inſinuat *l.* 17. §. 1. *ff. De adopt.* eoque pertinet *l. 76. ff. De condit. & demonſtr.* quæ dicit fideicommiſſum à filiis ita relictum ſi quis ex his ſine liberis diem ſuum obierit, adoptionis commento non excludi; Videatur de his Tiraq. *ad l. ſi unquam 8. verb. ſuſceperit liber.*

Cæterùm nihil intereſt, utrum donans liberos ſuſ- 17
ceperit ex uxore, quam tempore donationis habebat, an ex alia, quam poſteà duxit: Itemque an donationis tempore uxorem habuerit nec ne, cum *d.l. ſi unquam* 8. non diſtinguat, ſed tantum deſideret quod donator liberos non habuerit, nec de iis cogitaverit, tempore donationis, poſteà eidem ſupervenerint.

Verùm hoc prætereà deſiderat *d.l.* 8. ut donator 18
bona omnia, vel magnam eorum partem fuerit largitus, quam non præſumitur donaturus ſi liberos habuiſſet, aut de iis cogitaſſet. Magnam partem hic accipiunt de ea quæ excedit dimidiam, ut videre eſt apud Tiraquel. *ad. d.l. 8. verb. omnia vel partem.* Alij tutiùs partem iſtam judicis arbitrio definiendam committunt, ex quantitate bonorum, & qualitate perſonarum donantis & donatarij, earumque conjunctione. * Habebit itaque Judex rationem quantita- 19
tis, quæ fuit tempore donationis factæ, quam non præſumitur donator facturus, ſi de liberis cogitaſſet; atque cum ex tunc extiterit cauſa revocationis, eam non impediet ſuperveniens augmentum bonorum, nam primus rei ſtatus inſpicitur, qui ex poſt facto non mutatur, *arg. l. 6. ff. qui & à quib. manumiſſ.* Contra tamen ſi poſt factam donationem, quę non erat obnoxia huic legi, bona diminuantur, non propterea Judex jus quæſitum donatario invertet, legitimeque factam donationem revocabit, cum adventitius caſus non debeat illi obeſſe, *d.l.* 6. Nec movet quod hæc cauſa faciat locum donationi inofficioſæ quia in ea inſpicitur tempus mortis; hac autem in materia tempus donationis.

Sunt qui exiſtimant, hunc revocandi modum non 20
habere locum in donatore quovis, ſed patrono tantum, qui donavit ſuo liberto, ut dicitur *in d.l.* 8. cujus deciſio nova eſt, & continet jus ſingulare, ut minimè protendi debeat ad conſequentias. *l.* 14. & 16. *ff. De leg.* Eſt enim id proprium in liberto, ob inæſtimabile libertatis beneficium, quod à potrono accepit, ut non ſit cur conqueratur ſi donatio ſibi à patrono non habente liberos facta, revocetur liberis poſteà natis, quæ ratio non habet locum in extraneis. De quibus ſi legem ſuam intellectam voluiſſet Imper. id utique expreſſiſſet. Donellus *ad d.l.* 8. Ant Faber *l. 7. conject. c. 14. & ſeq.* Conan. *l. 3. comm. c. 10. n.* 3. Contraria tamen ſententia communis & verior eſt, quam multis rationibus defendit Tiraquellus *ad d.l.* 8. eaque præcipuè nititur, quod *d.l.* 8. deciſio fundetur potiſſimum in veroſimili conjectura pietatis donantis bona ſua, cum non haberet liberos

liberos, quæ donaturus non fuiſſet ſi de liberis aut uxore ducenda cogitaſſet. *l.* 102. *ff. de condit. & demonſtr.* Sic ut iſti donationi, quam cœlebs, aut orbus fecit, tacita hæc inſit conditio ſi liberi non naſcantur, quæ cum non tantum locum habeat in patrono donante, verum & aliis, idem jus in iis ſtatuatur neceſſe eſt. Eſt generale quod ubi non poteſt reddi diverſitatis ratio, ſed eadem apparet, idem jus ponatur *arg. l.* 3. §. 1. *ff. de injuſto rupto.* Huc pertinet textus *in l.* 5. *ſup. de inoff. donat.* In quo revocatio conceditur, nulla facta mentione donationis factæ per patronum liberto. Nec movet quod *d. l.* 8. contineat caſum donationis à patrono factæ libertis, nam ibi ſpecies facti quidem proponitur, fortè quia frequens erat hujuſmodi donationes fieri libertis, non etiam quod in eo ſe fundet deciſio, cujus tota ratio ponitur in ſuſceptis poſtea liberis, atque ita in conjectura pietatis erga liberos potius quam donatarium. Cujac. *l.* 20. *obſ. c.* 5. *& in comm. C. h. t.* Fachin. *lib.* 3. *con. c.* 85.

21 Quid igitur ſi ab eo qui liberos non habet, Eccleſiæ facta ſit donatio? Non videtur revocanda, illis poſteà ſuſceptis, quoniam videtur animæ donator conſuluiſſe, cujus ſalus filiis præferenda eſt. Saltem non revocabitur in totum donatio, ſed ad legitimam uſque filiorum, qui poſtea naſcuntur, quia Eccleſia habetur loco filij, & proinde non plus erit revocanda quam ſi filio facta eſſet. Covar. *var. reſ. c.* 19. *n.* 5. Gomez *tom.* 2. *var. reſ. c.* 4. Alij contra dicunt Eccleſiam non eſſe loco filiorum, per *Auth. niſi rogati C. ad Trebel.* niſi in caſibus à jure expreſſis, inter quos non eſt iſte, & idcircò in totum revocari cenſent donationem natis poſtea liberis, ex mente donantis, & ratione *text. in can. fin.* 17. *q. ult.* ubi ſubjungit D. Auguſtinus, quod jure poli, non poſſit Eccleſia hujuſmodi donationem detinere, propter defectum voluntatis donantis, fundatæ in defectu liberorum, quorum ſanè potior cauſa quam Eccleſiæ, niſi huic donatum ſit cauſa reſtitutionis in liberationem animæ, ut ait Everard. *conſ.* 167. *n.* 10. Donel. *ad d. l.* 8. *n.* 12. & Fach. *d. loc. c.* 86.

22 Ad hæc ſi quis quærat, An huic leg. 8. locus ſit in donatione mortis cauſa? dicam non eſſe cauſam quærendi, cum indiſtinctè per pœnitentiam poſſit revocari, etiam non ſuſceptis liberis. Quod ſi non fuerit revocata, videbitur pater illam confirmare tempore mortis, quo liberos habet, quibus nihil proderit deciſio *d. l.* 8. niſi donationem inofficioſam doceant.

Quid ſi pater donavit ob cauſam, & cauſa ſecuta
23 eſt, aut donavit remunerandi cauſa? Et neutra videtur obnoxia *d. l.* 8. cum potius ſit mercedis præſtatio, quam donatio, *l.* 1. *& l.* 27. *ff. de don.* & nihil per hujuſmodi donationem abſit patri, qui eam fecit cauſa compenſationis, ſive remunerandi merita, quæ omnem excludunt liberalitatem. Quod ſi verò merita talia non ſint ut liberalitatem excludant, videtur locus fore *d. l.* 8. Cujac. *lib.* 20. *obſ. c.* 5. Fach. *d. lib.* 3. *c.* 89.

Hinc quod donatum eſt ob cauſam dotis, non 24
exiſtimo ſubeſſe diſpoſitioni *d. l.* 8. cum id fiat ad alliciendum maritum, cui propter onera quæ ſuſtinet matrimonij, fieret injuria, quippe qui non alias fuiſſet cum tali perſona nuptias contracturus, niſi prævia iſta donatione. Idem ſentio natis liberis, pactum de lucranda dote non irritari, nam licet lucrum videatur ineſſe, ſubeſt tamen cauſa oneris matrimonij, atque ita cum non tam ſit liberalitas, quam cauſa oneroſa, ceſſabit *d. l.* 8. deciſio.

Quod attinet ad renuntiationem paternæ hære- 25
ditatis factam à non habente liberos, illa poſſet videri facta, ob defectum liberorum, atque ita iis natis revocata, cum contineat meram donationem ſub conditione reſolutiva, niſi fiat in contractu dotali à filia, quod illa præſumatur cogitaſſe de liberis, qui ſunt finis principalis nuptiarum, quem maximè intendunt nuptias contrahentes, & ideò videtur ceſſare revocatio.* Porrò renuntiationem juris pri- 26
mogenituræ, per ſeniorem filium in gratiam ſecundi, rectè quis dixerit ſubeſſe deciſioni *d. l.* 8. quod illa contineat ceſſionem juris quæſiti, atque ita meram donationem factam ob defectum liberorum. Certum namque eſt, quod primogenitus ſi de liberis cogitaſſe, non conceſſiſſet jus ſuum, ſed maluiſſet ex conjectura pietatis præponere ſuos liberos generationi fratris, ut rectè tradit Molina *lib.* 2. *de primog. c.* 3. *n.* 41. *& ſeq.* ubi reſolvit quod non tantum in jure quæſito, ſed etiam in acquirendo ſemper præſumatur quis præponere voluiſſe liberos ſuos extraneis, unde cum utroque caſu donans ponatur in damno, renunciando juri ſuo, & ei quod certò ſperat, videtur locum habere deciſio *d. l.* 8. quamvis non dubitem quin in jure acquiſito illius ratio magis verſetur.

Igitur revocatur donatio inter vivos, cui cauſam 27
dedit defectus liberorum, iis poſteà natis, & quidem in totum revocatur, cum *d. l.* 8 dicat *quidquid largitus fuerat*, quod verbum *quidquid* eſt univerſale, indicans nihil remanere penes donatarium, niſi quod caſu perierit, aut bona fide conſumptum fuerit, hoc enim revocationi obnoxium eſſe non patitur juris ratio; cum donatarius hac in re ſit debitor ſpeciei, ſeu rei donatæ, ex regula autem generali creditori pereat ſpecies debita, *dictum ſup. de periculo & com. rei vend.* Facit in hanc partem *arg. l. quia ergo* 16. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* ubi quod ex re donata uxori perit, non repetitur, ſed id tantùm quod ſupereſt, ita ut dictio iſta univerſalis *quidquid*, & *totum* patiatur limitationem ſi nimirum quid ſuperſit.

Quæritur, An fructus interea percepti revocen- 28
tur? Veriùs eſt non revocari, ex ratione, quod id tantùm revertatur quod donatum eſt, & ex dominio donantis exivit, fructus autem medio tempore percepti

cepti

Digitized by Google

cepti, nunquam fuerunt in dominio donantis, ut dici nequeant reverti. Quo facit argumentum donationis inter conjuges, qua fructus ſaltem induſtriales medio tempore percepti, fiunt irrevocabiliter donatarij, *l.* 45. *ff. de uſur.* quia non minuunt ſubſtantiam uxoris, in cujus dominio nunquam fuerunt. Nec obſtat quod rem avocatam à poſſeſſore, ſequantur fructus, ſecundum ea, quæ traduntur Tit. *De rei vind.* nam hoc accipiendum eſt de collectis, non ex re propria, ſed aliena.

29 Unde dubium movetur, num reſolvatur hic donatio ipſo jure, & ad donatorem legis 8. beneficio tranſeat? Sunt qui condictionem ob cauſam tantùm concedunt, ideòque negant reſolvi ipſo jure, alij verò dant realem actionem, ſecundum quos ipſo jure reſolvi dicenda videtur. Tota difficultas eſt in verbo *revertatur*, quod illi futuri temporis eſſe volunt, quale non ponit ſententiam latam, ſed ferendam, hi præſentis temporis imperativi eſſe dicunt, ideòque ponere ſententiam latam, facit quod verbum iſtud *revertatur*, ſignificet juris miniſterium; ideòque ut dictum, denotet aliquid fieri hoc ipſo, citra operam hominis. Eſtque hæc poſterior opinio Gloſſæ *in d. l.* 8. quam Bartol. Jaſon. Donell. & alij ſequuntur. Pro qua facit ſignificatio verbi *revertatur*, quod ſcilicet indicat rem ejus eſſe, ad quem revertitur ſine facto hominis, *l.* 6. *in pr. ff. de rer. diviſ.* Itemque ratio ſumpta ex vi conditionis reſolutivæ, quæ hoc ipſo quo ceſſat cauſa donandi per natos poſtea liberos, facit reſolvi donationem, & ſine cauſa eſſe penes donatarium, cujus reſpectu, dicta Gloſſa dat donatori natis liberis actionem in rem, qua donationem factam vindicet, & condictionem, qua poſſeſſionem conſequatur. Faciunt denique ſequentia *d. l.* 8. verba: *in ejuſdem donatoris arbitrio, ac conditione manſurum*, quæ videntur hoc ipſo velle dominium ſine traditione reverti. Alij quibus donationem per actum hominis revocari placet, ea ratione nituntur, quod in pœnis benignior interpretatio ſit facienda, nec incurratur privatio juris, niſi jure ſit expreſſa. Verùm iſta ratio locum habet in pœnis, at hoc in caſu non eſt pœna, cùm revocatio fiat ex capite cauſæ deficientis, & quidem ex cauſa favorabili, ne liberi priventur paterna ſucceſſione, ut probabilior videatur illorum opinio qui ipſo jure donationem reverti volunt. Quâ opinione retenta ſequitur fructus, ab ipſo nativitatis tempore deberi donatori, ſi quidem ex re ejus ſint percepti, quamvis donatarius inſcius nativitatis liberorum, bona fide, ex re donata fructus perceptos ſuos faciat & conſumat, non etiam poſt notitiam nativitatis, quæ ponit eum in mala fide; Et hæc ita niſi fructus donaverit, aut renuntiaverit eorum revocationi donator, uti poteſt, expreſſe, ſive tacitè repetendo rem ſine fructibus, quo caſu eos juſto titulo tanquam donator retenturus eſt donatarius.

Dictum eſt, liberis poſteà ſuſceptis donationem 30
ex hac lege revocari. Quid ſi qui nati erant iidem, deinde vivo donatore deceſſerint, an convaleſcet donatio? Plerique putant convaleſcere, tum ob alias cauſas tum ob hanc maxime, quod cauſa hujus revocationis ceſſare videatur ſublatis poſteà tiberis, ſic autem jus eſt, ut ceſſante cauſa beneficij, ceſſet & beneficium. Sed verius eſt, donationem ſemel extinctam, non ampliùs liberis defunctis reconvaleſcere, ac res donatas redire, manereque omnes perpetuò apud donatorem ex beneficio *d. l.* 8. quod enim ſemel alicui quæſitum eſt, id domino invito ad alium non tranſit, ſic actio ſemel quæſita, dein extincta eventu non revocatur, neque confirmatur donatio quovis caſu. Proinde expreſſa confirmatione opus eſt, præcipuè ſi res necdum ſit tradita, quia nihil eſt ſuper quo fundetur donatio, non ſuper pacto donantis, quod revocatum eſt, non ſuper re, quæ manſit penes donantem. Quod ſi res tradita fuerit, nullo contrario judicio donatoris apparente, rectè dicetur tacitè confirmata donatio: nam cùm donator patitur uti frui donatarium rebus donatis, uti ante nativitatem, videtur confirmare donationem, neque enim poteſt alia conjectura capi, ſecundum *l. poſthumus* 12. *ff. de injuſto rupto.* in qua parte poſt poſthumum, mortuo non mutante teſtamentum, datur ſecundum illud bonorum poſſeſſio. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 4. *n.* 12. Donell. *ad d. l.* 8. *num.* 9. & 10. Diſtinguunt alij an liberi continuò mortui ſint, an poſt tempus, quaſi hoc tantum caſu revocetur donatio, nec convaleſcat; ſecus verò illo, quod natus non videatur, qui illicò mortuus eſt. Verùm iſta diſtinctio non procedit, cum etiam momento tantùm ſuperſtites, faciant rumpi teſtamentum, *l.* 3. *ſup. de poſth. præt.* quod ſatis ſit quod liberi nati faciant defeciſſe cauſam donandi, quæ nova ponenda eſt, vel expreſſa, vel tacita, ſaltem quæ impediat revocationem. Videatur Fachinæus *lib.* 3. *contr. cap.* 90. ubi *c.* 84. & *ſeqq.* plures quæſtiones *ad d. l.* 8. ſpectantes, reſolvit. Ego hac concludo.

An mors patris, qui poſt natos liberos permiſit 31
ut donatarius uteretur & frueretur rebus donatis, reddat donationem irrevocabilem? Et videtur obeſſe liberis, quo minus poſt mortem patris donationem revocent, quæ non aliter revocatur, quam ſi donator eam revocatam voluerit, igitur cum pater voluntatem mutare potuerit, & non fecerit, ſed potius eam confirmaverit, permittendo penes donarium manere res donatas, iiſque pacifice frui, non licebit liberis in ſolidum revocare donationem, quamvis patri hæredes extiterint, ſed quatenus eſt inofficioſa, *juxta l.* 5. & 7. *ſup. de inoff. donat.* Facit in eam rem *text. in l. ult. h. t.* qui denegat facultatem hæredibus donatoris revocandi donationem. Item quod dicitur ſtandum eſſe priori voluntati,

Digitized by Google

niſi ea mutata legitimè probetur, *l. 3. ff. De probat.* Atque iſta opinio fuit Baldi & aliorum, quæ ut procedat liberis defunctis, non tamen iis ſuperviventibus, neque enim poteſt facilè ſumi præſumptio in parte contra liberos, quod voluerit donationem manere ratam, cum præſumptio pro liberis militet, quod videlicet pater malit iis conſultum, præ donatario, ut proindè jus iſtud revocandi totam donationem tranſeat ad liberos, tanquam hæredes, qui jure hæreditario utentur, ſuo namque jure tantum donationem ad modum legitimæ revocarent, ſi illa læſa foret, ut obſervat Emundus Merillus *lib. 2. obſ. c. 34.* Præterea *d. l. ult.* & aliæ, quæ denegant hæredibus licentiam revocandi donationem, loquuntur de revocatione donationis ex cauſa ingratitudinis, quæ quia odioſa, non tranſit ad hæredes donatoris, non autem agunt de revocatione ob ſupervenientiam liberorum, quæ favorabilis eſt, & nititur præſumpta patris voluntate. Cujacius *ad d. l. 8. h. t.*

TITULUS LVII.

De mortis cauſa donationibus.

1. *Quæ eſt donatio cauſa mortis.*
2. *Quid ſi mors ſit cauſa dilationis, non diſpoſitionis.*
3. *Et quot ſint illius ſpecies.*
4. *Annumeratur contractibus quoad modum & formam: at ultimis voluntatibus comparatur quoad effectum.*
5. *Ad hanc donationem non eſt neceſſaria inſinuatio, ſed præſentia quinque teſtium; Quid ſi horum defectum ſuppleat inſinuatio?*
6. *Quando tranſeat dominium rei donatæ in donatorem, & quid ſi illam occupet invito hærede?*
7. *Qua actione donans repetat in caſum periculi, ſi evaſit?*
8. *Et qua actione rem perſequitur donatarius?*
9. *Quid ſi ea lege donatum ſit duobus, ut altero mortuo ejus portio ſuperſtiti reſtituatur?*
10. *Quot modis revocetur donatio mortis cauſa? Non per alium quàm per donatorem revocatur.*
11. *Revocatur ſi prior deceſſerit is cui donatum eſt, & propter injurias.*
12. *Revocatur per alienationem rei donatæ.*
13. *Quando per reconvaleſcentiam donantis revocetur.*
14. *Quid ſi in donatione adjectum ſit ne revocari poſſit?*
15. *Donare cauſa mortis poteſt vir & uxor.*
16. *An etiam uſurarius?*
17. *Filiusfamilias mortis cauſa donare poteſt de conſenſu patris.*
18. *An etiam ſine eo donare poſſit filiusfamil. bona adventitia in quibus uſumfructum habet, quæritur?*
19. *Quid de minore habente curatorem, aut cæco, an donare mortis cauſa poſſint?*

1 SEquitur de Donatione mortis cauſa, qua quis propter mortis ſuæ ſuſpicionem quidpiam alicui ritè donat, unde neque eſt abſoluta donatio, neque meram liberalitatem habet, cum qui ſic donat ſupervivere malit, & ſe habere, quam eum cui donat, magiſque eum, cui donat, quam hæredem ſuum, *l. 1. ff. h. t.* Hæc igitur donatio ita fit, ut non niſi morte donatoris confirmetur, *l. 32. ff. eod.* Suſpicio verò vel cogitatio mortis, eſt cauſa hujuſmodi donationis, quæ etiam ſanum recteque valentem movere poteſt, ut donet hoc modo; quæ proinde cauſa ſemper exprimenda, nec alias erit donatio cauſa mortis, licet ab ægroto facta proponatur, Covarr. *p. 3. n. 36.* ij. *De teſtam.* * Hinc magis eſt ut ſit 2 donatio inter vivos, quàm mortis cauſa, quando executio obligationis in eventum mortis differtur, atque dilationis ſaltem gratia in verbis executivis, mortis mentio facta eſt, ut ſi dicat donator, dono tibi talem rem, vel pecuniam poſt mortem meam ſolvendam; ſecus ſi in verbis diſpoſitivis deſignantibus ſubſtantiam actus & diſpoſitionis, mentio mortis fiat, ut ſi dicat donator, ſe talem rem dare poſt mortem ſuam, vel cum morietur, eſt hæc donatio mortis cauſa, & poteſt revocari expreſſè, vel tacitè, Ant. Gomez *tom. 2. var. cap. 4. num. 19. in fin.* Fachinæus *lib. 5. contr. cap. 22.*

3 Sunt autem tres ſpecies hujus donationis, una cum quis ſanus, & in bona valetudine poſitus, nulloque præſentis periculi metu territus, ſola cogitatione mortalitatis donat. Altera, cum quis metu mortis, aut præſentis periculi, vel etiam futuri, ita donat, ut ſtatim res fiat accipientis. Quo caſu ſtatim quidem perfecta eſt donatio, ſed ſub conditione reſolvitur, ſi videlicet donator præſens periculum evadat. Tertia, cùm quis periculo motus non ſic donat, ut ſtatim faciat rem accipientis, ſed tunc demum cum mors fuerit inſecuta; quo caſu ſub conditione pendet donatio, *l. 2. & 35. §. 4. ff. h. t.*

4 Iſta donationis ſpecies quoad modum & formam contractibus annumeratur præcipuè ſi inter præſentes fiat, cum duorum conſenſu conſtet, legatis verò comparatur, quoad effectum, vim & efficaciam, *l. 37. ff. h. t.* præſertim ſi teſtibus quinque præſentibus facta fuerit abſenti, quo caſu ſimilis intelligitur ultimæ voluntati, *l. ult. h. t.* ejuſque effectum ſortitur, ſive in ſcriptis fiat, ſive ſine ſcriptura, neque indiget actis publicis (ut mox dicam) minuitur tamen per legem falcidiam, non quidem ex verbis legis, ſed ex conſtitutione Severi, *l. 2. h. tit.* quæ etiam ab inteſtato in donationibus cauſa mortis, admittit falcidiæ deductionem. Cujacius *lib. 10. obſ. cap. 6.* Jul. Clarus *§. donatio quæſt. 5. num. 1.*

5 Porrò quamvis *in d. ult.* quinque teſtium præſentia

Digitized by Google

ſentia requiratur, cum ſit donatio mortis cauſa, ſubſiſtet illa tamen, atque efficax erit, quamvis excedat ſummam 500. ſolidorum, nec fuerit inſinuata, cùm ſit inſtar legati, quod non inſinuatur. Sed quid ſi iſti donationi teſtes adhibiti non ſint, an horum defectum ſuppleat inſinuatio? Id Gyphanius putat *d. l. ult.* cui aſſentior, argumento teſtamenti, quod actis inſinuatum valere conſtat, etiam ſine teſtibus, aut alia ſolemnitate, *l. 19. C. De teſtament.* igitur multò magis valebit donatio, quæ non tantis adſtringitur juris ſolemnibus prout teſtamentum. Nec movet regula, quod in omni ultima voluntate, cui annumeratur hæc donatio, quinque teſtes adhiberi debeant, *d. l. ult. & l. ult. C. de codicil.* nam exceptio hic datur, ut quinque teſtes neceſſarij quidem ſint ad ultimam voluntatem, donationemque mortis cauſa; niſi publicis monumentis inſinuata fuerit.

6 Cum itaque legatis connumeretur donatio mortis cauſa: plenum conſequitur effectum donatarius, morte donatoris inſecuta, quin & ipſo jure citra traditionem dominium rei donatæ nanciſcetur, *l. 1. §. 2. ff. De publiciana in rem actione.* Si quoq; poſt mortem donatoris rem ſibi donatam, ſine hæredis voluntate, donatarius occupaverit, quam non acceperat vivo donatore, datur hæredi interdictum quod legatorum, ut recipiat rem donatam & ſibi falcidiam per retentionem ſervet. *l. 1. C. quod leg. tor.* ſed ſi vivus donator rem donatam mortis cauſa donatario tradiderit, non poteſt ab eo per hęredem avocari poſſeſſio, interdicto quod legatorum; quam à defuncto nactus eſt jure. Proinde cum non poſſit per retentionem hoc caſu, neceſſe eſt ut per vindicationem hæres ſibi falcidiam ſervet. Cujacius *l. 10. obſ. c. 28.* * Quod ſi verò mortis cauſa ſic donata res
7 ſit, ut continuò donatario acquiratur, eaque ubi convaluerit donator, ei reddatur, quia rei dominium ad donatarium tranſivit, non videtur quod dari poſſit donatori actio in rem directa, ſed utilis; itemque condictio, qua rem repetat, quaſi re non ſecuta, *l. 29. & 35. §. 3. ff. h. t.*

8 Quâ autem actione rem mortis cauſa donatam, perſequi donatarius poſſit, videamus? Et certum eſt vivo donatore nullam competere, quandoquidem ſola donantis pœnitentia revocari poſſit donatio, ut poſt dicetur, eo autem mortuo rei vindicationem, aut publicianam in rem actionem, ſi donator rem & ſpeciem propriam donaverit, vel ſi donaverit certá pecuniæ quantitatem, utilem ex teſtamento perſonalem actionem competere exiſtimo, ſi donatio in teſtamento vel codicillis facta ſit, ſi verò facta fuerit extra teſtamentum vel codicillos, præmiſſa ſtipulatione, competit actio ex ſtipulatu, ea verò non præmiſſa, condictio ex *l. Si quis argentum C. De donat.* Covarruv. *3. p. rubr. De teſtam. num. 25.*

Quid ergò ſi donatione facta duobus contineatur,
9 tur, ut altero defuncto, ejus portio ad ſuperſtitem pertineret, quænam huic actio contra hæredes dabitur? Et placuit dari actionem fideicommiſſi, cujus vim habet iſta donatio mortis cauſa, *l. 1. h. t.* nam ſi inter vivos facta fuiſſet donatio, non potuiſſet alteri ab altero fideicommiſſum, relinqui. Cujac. *d. l. 10. c. 6.*

Hinc conſtat per fideicommiſſum revocari dona- 10
tionem cauſa mortis; Itemq; cenſeri revocatam, ſi id quod donatū eſt, poſteà donator ſuo teſtamento alij relinquat, *d. l. 1.* liberum enim eſt ei qui taliter donavit, pœnitere, & factá donationem revocare, cum hęc ſpeciem habeat ultimę voluntatis, quę ambulatoria eſt ad extremum vitæ ſpiritum, & dat locum pœnitentiæ. Dico id ei licere qui donavit, non etiá alteri, adeò ut ne quidem ſorori donatoris rectè factam donationem revocare liceat, etiam ſi res donata majorū fuerit, *d. l. 3. h. t.* quę conferenda cum *l. 19. ſup. De donat.* ubi nec donatio inter vivos collata in extraneum, ab agnatis donatoris reſcinditur.

Similiter ſi is cui donatur ante donantem moria- 11
tur, irrita eſt mortis cauſa donatio, adeò ut nulla hæredi donatarij, quippe cui tantum benè voluerit donator, competat actio ad rem donatam. *Inſt. h. t. in pr. & l. 42. & fin. ff. h. t.* Præterea nec ea quæ relinquuntur in ultima voluntate debentur, ſi pręmoriatur is, cui bona relicta ſunt, *l. 10. ff. de adimend. leg.* Planè uti legata aut fideicommiſſa non debentur, interpoſitis inimicitiis, ita nec donata mortis cauſa, & ſiquidem capitales vel graviſſimæ inimicitiæ interceſſerint, revocatur quod donatum eſt, *l. 3. in fin. ff. De adim. legat.* quod nemo cenſeatur ei, à quo affectus eſt injuria gravi, benefacere velle, *l. 9. ff. De his quæ ut indign. aut.* * Revocatur quoq; donatio mor- 12
tis cauſa, uti & legatum per voluntariam rei donatæ alienationem, *l. 18. ff. de adim. legat.* Quod procedit etiamſi donatio invalida & inutilis ſit, *l. 24. in fin. ff. eod. tit. De adim. leg.* Quin & ſi fuerit res redempta à donatore, nihilomagis convaleſcet donatio, per alienationem ſemel adempta, *l. 15. ff. eod. De adim. legat.* Sola enim redemptio ex ſe non ponit novam voluntatem, ſi aliud non appareat. Nec refert quoad hanc renovationem quod poſſeſſio rei donatæ tradita non fuerit, ut probat *d. l. 24. in fin.* & Covarruvias *3. p. rubr. De teſt. n. 28.*

Deinde irrita fit donatio ſi donator convalue- 13
rit, aut aliud vitæ periculum evaſerit, *§. 1. Inſtit. De donat.* illo namque ceſſante, ceſſat voluntas & animus donandi, *l. 29. ff. h. t.* Nemo enim ægrotus aliter donare intelligitur, quam ſi ex morbo iſto morietur, ex quo ſi convaluerit, donatum nollet, inquit Cornæus *conſ. 78. lib. 3.* Quod ſi tamen facta ſit ſimpliciter donatio ſub mentione mortis, non poterit dici revocata per convaleſcentiam, ut etiam poſtea mors contingens faciat rem donatam cedere donatario, quia reconvaleſcentia donatoris non facit ceſſare cauſam donationis, quæ fuit mors non

Digitized by Google

in præſenti, ſed quandocumque obventura. Vid. Gomez *tom. 2. var. c.4. n.19.*

14 Quid ſi in donatione adjectum ſit, ne revocari poſſit? lex ſequenda eſt; atque illa efficiet, ut hæc donatio transformetur in donationem inter vivos, & illius habeat effectum, *l.27.ff.h.t.* ubi dicitur mors eſſe magis cauſa donandi, quam donatio mortis cauſa, ſive quod mors magis eſſe videatur cauſa impulſiva, quam finalis, ideòque perinde haberi debeat quoad effectum, atque alia quævis inter vivos donatio, ut ſit irrevocabilis, ſi nimirum facta fuerit præſenti, vel acceptata: ſecus ſentiendum de illa donatione, quæ ſit abſenti, coram quinque teſtibus præcipuè in teſtamento, aut codicillis, cum ſortiatur naturam legatorum *juxta l.fin. h.t.* ut non poſſit ex dicta clauſula tranſire in donationem inter vivos, ut nec legata tranſeunt in actum irrevocabilem, ex pacto adjecto, cum nemo poſſit eam ſibi legem dicere, qua à priore voluntate recedere non liceat. Fachinæus *l.5. contr. c.23.* Gomez *d.loco n.22.* Attamen ſi donator velit donationem perpetuò valere, eamque juramento firmaverit, facit jurisjurandi auctoritas, ut inter vivos potiùs, quam mortis cauſa donatum videatur, quando fieri eo caſu nequit, ut citra perjurium donatio revocetur. Gutierrez *de juramento confir. p. 1. c.12. n.7.* & Ant. Faber *h.t. in C. definit.* 1.

15 Res quæ veniunt in hanc donationem, & perſonæ illæ ſunt, quæ & alias donationes facere & capere poſſunt. Et ultra licet inter virum & uxorem aliæ non ſubſiſtant donationes, mortis tamen cauſa donationis capaces ſunt, *l.43.ff.h.t.* multoque magis ſibi invicem mortis cauſa donare poſſe tradit Mynſing. *cent. 2. obſ. 33. n.* 4. ac ita judicatum refert. Quod ſi autem lege municipali mulier ſine conſenſu mariti contrahere prohibeatur, non poterit extraneo mortis cauſa donare, quod hæc donatio ſit contractui ſimilis, quoad ordinationem & initium; Id latè probat Ant. Faber *decad.49. err* 10. Diſſentit Fachinæus *l.5. contr. c. 60.*

16 Cæterùm uſurarium manifeſtum donare mortis cauſa non poſſe exiſtimo, niſi uſuras quas inique extorſit reſtituat, aut de illis reſtituendis caveat. Licet contrarium defendat Covarr. *3. p. rubr. de teſtament. n.13.* aſſeratque valere donationem ab uſurario factam, modo non fiat donatio omnium bonorũ, vel majoris partis aut in ipſo teſtamento, quia eſſet in fraudem canonis *c. quamquam §.fin. De uſur. in 6.*

17 Præterea cui permiſſum eſt teſtari, permittitur quoque mortis cauſa donare, quanquam de facto teſtamentum non fecerit, cum facere tamen poſſit, *l.15. & 25. ff eod.* Excipitur filiusf. qui cum non rectè teſtamentum condat, donare tamen mortis cauſa poteſt, permittente patre, ut dictum *ſup. qui teſtam. facere, n.8. & ſeq.* quia contractus magis eſt, & privati juris, cui proinde privato conſenſu præjudicari poteſt. Aliter ſentit *d. loco n.* 10. Covar. referens hunc conſenſum ad ſolemnitatem actus ex juris diſpoſitione, addit quoque non poſſe filiumfamil. cauſa mortis ipſi patri donare, quod auctoritas cuiquam patrocinari nequeat, in cauſa propria, *l.1. ff. De auct. tutel.*

Hinc quæritur, utrum filiusfamilias bona adventitia, in quibus uſumfructum quoque habet, mortis cauſa valide donare poſſit, citra conſenſum patris? quod videtur, quoniam dominus eſt & arbiter iſtorum bonorum, nec de iiſdem diſponere, aut ſtatuere, aliqua lege prohibetur, quin imo expreſſe facultas ei data eſt, quo velit modo, bona iſta adminiſtrandi, *Novell.* 117. *c.1. §. 1.* ſiquidem perfectæ ætatis jam ſit, quidni & de illis diſponendi per donationem mortis cauſa, permiſſum erit, citra patris conſenſum, qui in his tantum caſibus deſideratur, in quibus uſusfructus apud parentem conſtitutus eſt, *l.ult. verſ. Filiisſ. C. qui teſtam. fac.* Nam diverſa ratio eſt teſtamenti, & donationis mortis cauſa. Eſt quidem mortis cauſa donatio, ſi effectum conſideres, ultima voluntas, *l.ult. h.tit.* ſed ſi formam, magis contractus. Per contractum poteſt filiusfam. alienare rem quampiam; per teſtamentum non item; quia per illud familia alienatur, quam quia filij nullam habent, ut *ſup. qui teſtam. fac.* monui, idcircò lex eos teſtamenti factione prohibuit: per contractum verò non familia, ſed fere res aliqua ſingularis alienatur, poterit igitur filius contrahendo alienare, & mortis cauſa donare conſentiente patre; Imò & citra ejus conſenſum donare bona, quorum plenam habet proprietatem, cum nullum tunc patri præjudicium fiat, *l. 7. §. fin. ff. De donat.* Covarr. *rubr. De teſtam. 3. p. n.* 8. 18

Minor vero qui caret curatore, aut veniam ætatis impetravit, ut rectè teſtatur & alienat, ita quoque donare rem mobilem mortis cauſa poteſt; ſed qui curatorem habet, etiamſi teſtamentum rectè faciat, non tamen rectè donat, ut habet communis ſententia, propterea quod donatio iſta ſequatur naturam contractuum, quos non init minor, ſaltem alienando, ſine curatore quem habet. Contrarium aliis verius videtur, quia licet minor non contrahat, aut donet inter vivos alienando, ne ſe ſpoliet, hanc tamen donationem faciendo, non ſe ſpoliat, cum non habeat effectum ante ejus mortem. Videatur Franciſcus Caldas ad *l. ſi curatorem, verb. hunc contractum n. 21. C. De in integr. reſtit.* Gutierrez *De juram. confirm. p. 1. c. 13.* Qui communi ſententiæ uti veriori adhærent, & probant, per regulam, quæ habet prohibitum contrahere, prohiberi mortis cauſa donare, *l.7. ff. de donat.* ibi *etiam mortis cauſa donare prohibetur.* Idem affirmat Vaſquez *2. lib. qq. forenſ. c.60.* & Molina de *Hiſpan. primog. lib. 2. cap.9. n.9.* ubi addit minorem ex contractu primogenitum inſtituere non poſſe 19

poſſe abſque curatoris ſui auctoritate, quoniam majoratus quoad ordinationem, naturam contractus ſequitur, contrahere autem alienando citra curatoris aſſenſum, minori non licet. *l. 3. ſup. de in integr. reſt.* igitur nec donare mortis cauſa, cum hæc quoad formam & ordinationem contractui magis, quam ultimæ voluntati accedat, atque in ſe alienationis ſpeciem contineat, *d. l. 7. ibi DD.*

Obſervandum itaque quod initio dixi, donationem hanc annumerari contractibus quoad modum ex formam, ultimæ voluntatis & legati; quoad vim & effectum, ideòque is qui non poteſt teſtari ob defectum & incapacitatem, ut ſurdus, mutus, cæcus & uſurarius, etiam mortis cauſa donare non poterit. De cæco tamen hæreo; nam hic quamvis abſque ſolemnitate, *l. hac conſultiſſima*, nequeat teſtamentum condere, non tamen prohibetur mortis cauſa donare. Graſſus *§. donatio mortis cauſa q. 7.*

Denique in multis donatio mortis cauſa legatis comparatur, ita ut quod in legatis juris eſt, idem & in mortis cauſa donationibus obtineat, *l. ultim. h. t. l. 37. ff. eod.* Unde qui legare, & quibus legari poteſt, iiſdem & mortis cauſa relinquere licet: attenditur enim capacitas tempore mortis donantis & legantis, non donationis, *l. 22. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. De legat. 3.*

TITULUS LVIII.

De infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & de decimariis ſublatis.

1. *Continuatio, & quod cœlibi, orbo, aut conjugi non licet indiſtincte donare.*
2. *Hodie dicta perſona & legata & donata acquirunt.*

1 HIc quoque Tit. ad mortis cauſa donationes pertinet: cum enim lex Papia cœlibem ex teſtamento extranei, quidquam capere, niſi intra dies centum à morte teſtatoris matrimonium contraheret, orbum ultra ſemiſſem, conjugem ex teſtamento conjugis, ultra decimam capere prohiberet, adeò ut quod ſupradictæ perſonæ caperent, fiſco applicaretur. Ulp. *tit. 15. & 17. §. ult. 12. in pr. & tit. 23. §. 2.* Senatuſconſulto effectum eſt, ut idem obſervaretur in donatione mortis cauſa ſi forte cœlibi, aut orbo, aut conjugi, mortis cauſa donatum eſſet, *l. 35. ff. de donat. mortis cauſa*, propterea quod hujuſmodi legatis donatio recte comparetur, *§. hæ mortis in verbo ferè Inſt. De donat.*

Sed hodie cœlibatus & orbitatis pœnis ſublatis 2
dictæ perſonæ, & legata & mortis cauſa donata, ſine impedimento capere poſſunt, *l. 1. h. t.* Itemque decimariis legibus ſublatis, permiſſum eſt conjugi ex teſtamento conjugis, etiam liberis non extantibus, ſolidum capere, *l. 2. h. t.* ubi addit virum & uxorem inter ſe capere ſolidum ſi relinquatur, *niſi id lex aliqua minuat, ut l. 6. ſup. De ſecund. nupt.* quæ hodie obſervatur, ut mulier quæ ſecundo marito nupſit, cum haberet liberos ex primo, non plus ferat ex bonis ſecundi vel non plus ſecundus maritus ex ejus ferat bonis, quam cui liberorum primi matrimonij minimum relinqueretur, ex bonis aliunde quæſitis. Cujac. *in comm. h. t.*

TITULUS LIX.

De jure liberorum.

1. *Hodie jus liberorum omnibus eſt conceſſum.*
2. *Itemque matri jus legitimæ ſucceſſionis in bonis liberorum, etiamſi nec alios pepererit.*

QUod ſup. Tit. dictum eſt, conjugem non po- 1
tuiſſe ex teſtamento conjugis ſolidum capere, ſed tantum decimam, non erat perpetuum, ſed excipiebantur aliquot caſus, inter quos ponitur, ſi conjux à Principe jus liberorum impetraſſet. Verum Impp. Honorius & Theodoſius generaliter omnibus conjugibus conceſſerunt jus liberorum, etiam non petentibus, utque inter ſe ſolidi eſſent capaces, *l. 1. h. t.*

Præterea Juſtinianus illam injuriam, quæ con- 2
tra matrem defuncti, vel defunctæ, præteritis fiebat temporibus, pro juſtitiæ ratione amputavit, concedens legitimam hæreditatem matri, quamvis ingenua tres liberos non pepererit, vel libertina quatuor, utque filij vel filiæ hæres ſit ab inteſtato, *l. 2. h. t.* cujus conſtitutionis ſententia refertur in Inſtitut. *Tit. de S. C. Tertylliano*, de quo & nos plenius egimus *ſup. lib. 6. tit. 56.*

FINIS LIBRI OCTAVI.

Digitized by Google

ANTONI PEREZI J.C.

IN LIBRUM NONUM

CODICIS JUSTINIANEI

PRÆLECTIONES.

TITULUS PRIMUS

Qui accuſare non poſſunt.

1. *Continuatio & ratio cur interſit reip. delicta puniri.*
2. *Cur mulier non poteſt accuſare, & quando illi liceat, quid ſi cum ea magis idoneus concurrat.*
3. *Pupilli ſi eorum interſit accuſant, non aliter. Quid de minoribus 25. annis?*
4. *Item filiofamil. an accuſare poſſit ſine conſenſu patris.*
5. *Milites cur accuſare prohibeantur, & quinam milites? Item Clerici prohibentur.*
6. *Item infames infamia juris & facti.*
7. *Et qui duos reos delatos habet. Itemque inimici.*
8. *Domeſtici ut ſervi, alumni, fratres, liberi, & liberti prohibentur.*
9. *Non item pater filium ejus vitæ inſidiantem, neque patronus, neque incendium paſſus prohibetur accuſare?*
10. *Quando accuſatus poſſit ſuum accuſatorem accuſare?*
11. *Neceſſitas ſubſcriptionis mulieri remiſſa, non tutori, qui tamen à pœna eximitur pupilli nomine accuſando.*
12. *Cautio præſtanda ab accuſatore, qui ſi accuſationem deſerat, qua pœna puniatur.*
13. *Quid minores hac in re obſervent?*

1 Cicero in Oratione pro Cæcina omnia judicia, inquit, aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſa, comparata ſunt, quæ fuit ratio cur civilium judiciorum tractatione peracta, diſcuſſionem rerum criminalium nunc aggrediatur Juſtinianus, præcipue cum interſit plurimum reipublicæ maleficia puniri, non quidem ob præteritum delictum quod corrigi nequit, ſed ne iterum committat qui deliquit; tum ne facilitate veniæ alij peccent. At ſicuti idem Cicero lib. 1. ad Herennium docet, in publicis quæſtionibus olim lege cautum fuiſſe, ut ante ſi reo commodum eſſet, judicium fieret de accuſatore, utrum illi liceret accuſare nec ne, ita id inprimis quæritur à Cæſaribus & Juris-Conſultis, quæ exceptiones accuſatori objici poſſunt.

Et quidem mulieres propter ſexus verecundiam, 2
& infirmitatem, ab accuſandi officio arcentur, uti & ab omnibus muneribus publicis. Diverſum erit ſi ſuam ſuorumque perſequantur injuriam, *l. 5. §. 12. h. t.* præſumit enim tunc lex mulieres non temere ad accuſandum, ſed conſultò veniſſe, & ideò non facile deſerturas accuſationem: quam tamen priuſquam inſtituant, probare debent ſe eſſe de ſanguine, uti mater quæ filij necem perſequitur, cum negetur eſſe mater, prius probare debet ſe eſſe talem, *l. 9. h. t.* Inter eos qui de ſanguine & familia eadem ſunt, connumerantur conſobrini, quorum necem mulier judicio perſequi non prohibetur, *l. 4. h. t.* Præterea ob ſalutem & utilitatem publicam in cauſa læſæ majeſtatis, & fraudatæ annonæ accuſatrices admittuntur, *l. 13. ff. de accuſ. & l. 8. ff. ad l. Jul. Maj.* niſi tamen idonei alij ſuppetant, hi enim etiam matrem præcedent. Unde rectè Alexan. Imp. reſcripſit, ad accuſationem falſi in filios commiſſi matrem non admitti, ſi quidem illi tutores habeant, qui rem exequi poſſint; quia tutores magis cenſentur idonei, & Jus in perſonam pupilli habent, *d. l. 5. h. t.* Quamobrem Judex aditus inprimis examinabit, an tale ſit crimen, cujus accuſationem mulier ſubire non prohibeatur, *l. 12. h. t.*

Propter ætatis imbecillitatem prohibentur accu- 3
ſare pupilli, *l. 8. ff. de accuſation.* niſi ad eos negotium pertineat, & tunc ex conſilio tutorum, vel cum illis agunt, ut ſi patris avique mortem ulciſcantur, *leg. 2. §. 1. ff. d. t.* Cùm igitur impuberes removeantur, non videntur puberes repellendi ab accuſando, præſertim cum lex tantum eos repellat ab adulterij accuſatione, niſi de ſuo matrimonio violato querantur, *l. 15. §. 6. ff. de adult.* Attamen quia minores nondum robuſtæ ætatis ſunt, videri poſſet iis hodie neceſſaria curatoris auctoritas, ne ex ſua imperitia, & juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod ſi fuiſſet prolatum, vel non expreſſum, prodeſſe illis poſſet, *l. 4. Cod. De auctor. præſt.*

Item

Digitized by Google

Item neceſſarius videtur conſenſus patris, ut filiusfamil. poſſit alij periculum capitis creare, aut ſe ad talionis pœnam etiam capitalem obligare. At verò quin publico judicio, adulterium in uxorem ſine voluntate patris arguere poſſit, dubium non eſt, cum vindictam proprij doloris perſequatur, *l.6. §.2. & l. 37. ff. ad L. Jul. de adult.* Moribus hodiernis indiſtinctè filiumfamil. ſine conſenſu patris accuſare poſſe, teſtantur Jul. Clarus *in §. fin. quæſt.* 14. *num.* 5. & Farinac. *lib.* 1. *q.* 12. *n.* 10.

5 Milites quoque accuſare prohibentur, niſi ſuam ſuorumque injuriam proſequantur, *l.*8. *&* 10. *h.t.* idque ne ab armis avocentur, quibus vacare debent, non item privatorum accuſationibus, ſed hoc intelligendum de veris militibus, qui ſtipendium merent, & ſacramentum præſtiterunt, nam his ſolis competunt militiæ privilegia, & in his ſolis conſiſtit prohibitionis ratio, quæ tamen aliquatenus relaxatur in militibus noſtri temporis, *Faber hic & Jul. Clar. § fin. q.*14.*n.*4. At verò Clerici, ſacræ militiæ milites, ne quidem propriam injuriam perſequi accuſatione poſſunt, ſi ex crimine ſanguinis pœna immineat, niſi civiliter agant, vel non ſanguinis pœnam ſe perſequi proteſtentur. Mynſing. *cent.* 2. *obſ.*51.

6 Inter prohibitos accuſare ſunt infames; propter ſuſpicionem calumniæ, *l.*15.*h.t.* præterquam ſi crimen ad ſuam ſuorumque injuriam pertinens exequantur, *l.*10. *h. t.* Igitur qui turpem exercent quæſtum, artem ludicram, publico judicio damnati, cum integri non ſint meritò removentur, *l.* 4. *ff. de accuſ.* Quin & illi quorum opinio læſa imminuta eſt, apud honeſtos & graves viros, licet ob delictum condemnati non ſint, nam intereſt ut accuſatio publici judicij majori ſinceritate procedat. Quare Judex ſatius fecerit, ſi rejecerit hujuſmodi infamia notatos, *arg. l.*13. *ff. De teſtib.*

7 Similiter propter eandem turpis lucri captandi ſuſpicionem, repelluntur ab accuſatione, qui duos reos diverſorum criminum delatos habent. Hi enim cum duplicem jam accuſationem inſtitutam habeant, ulterius accuſare alium prohibentur, *l.*16.*h.t.* niſi ſuam vel ſuorum proſequantur injuriam, *l.*8.*ff. de accuſat.* Quemadmodum & propter calumniæ ſuſpicionem ab accuſatione arcentur inimici, & qui ad accuſandum, vel non accuſandum, pecuniam acceperunt, quive falſum teſtimonium ſubornati dixerunt, *l.*4. *in fin. & l.*9. *ff. d.t.* ſatius enim eſt ab initio præcavere, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere. * Porrò ut inimicitia, ita & arcta
8 amicitia & familiaritas repellit domeſticos uti ſervos, alumnos, *l.*17.*h.t.* qui ſi dominum, vel educatorem, vel eum cujus familiaritati, vel dominio inhæſerunt accuſare audeant, ante exhibitionem teſtium, & examen judiciale, ultore gladio feriuntur, *l. pen. h. t.* vocem enim funeſtam potius amputari, quam audiri oportet. Majeſtatis autem crimen tantum excipitur. Frater quoq; fratrem accuſare prohibetur, adeò ut ſi magnum & capitale crimen contra fratrem inſtituat, non ſolum audiendus non ſit, ſed etiam exilij pœna plectendus, *l.*3.*h.t.* At ſi leve crimen objiciat, auditur, *l.*18. *h.t.* nec ſi civilem actionem velit inſtituere repellitur *d. l.* 17. ſicut nec ſervus dominum, ita nec filius patrem, libertus patronum, vaſallus ſeniorem, vel eum à quo feudum accepit, accuſare poteſt, *l.ult. h.t.* ubi Imp. vult libertum eodem quo ſervus ſupplicio teneri, & luere pœnas ante exordium prohibitæ delationis. Excipitur (ut modo dixi) crimen læſæ Majeſtatis, nam reipublicæ ſalus præſtat ſaluti patronorũ; imò & parentum, *d.l pen.* Non prohibentur tamẽ liberi & liberti, rerum ſuarum defendendarũ gratia, de facto parentum & patronorum queri. *l.*11.*§.*1.*ff.d.t. De accuſat.*

Non eadem ſervantur in parente erga filium, qui 9
non prohibetur contumaciam & inſidias filij coram præſide proponere, ſi pietas & ratio naturalis non revocat intentionem, *l.*14.*h.t.* præſidis tamen erit mitigare pœnam, ne videatur pater proprium ſanguinem judicio obtuliſſe, & quaſi carnificem egiſſe. *l.*13.*§.ult. ff. de re mil.* Patronus quoque non impeditur libertorum contumaciam deferre, *l.* 9. *§.* 3. *de off. proconſ.* Capitis tamen eum accuſans excluditur à poſſeſſione bonorum ejus contra tabulas. *l.*10.*ff. de jure patr.* Planè & ei qui incendium paſſus eſt, permittitur eum accuſare, cujus opera & dolo malo incendium factum eſt, quin crimen hoc & L.Cornelia de ſicariis exequi poteſt, *l.*11.*h.t.* in qua verus dolus punitur, non culpa, quamvis lata. *l.*7.*ff. ad L. Corn. de ſicariis.*

Cæterum accuſatus accuſatorem ſuum pendente 10
accuſatione reaccuſare de pari, vel minore crimine prohibetur, priuſquam ſe crimine quo premitur, exuerit, niſi ſuam injuriam proſequatur, *l.*19. *h. tit.* Conſtitutionibus enim obſervatur ut non relatione criminis, ſed innocentiæ oſtenſione reus purgetur, *l.*5.*ff. de publ. jud.* Dico in pari, vel minori crimine, nam ſi accuſatus gravius crimen ante litis conteſtationem accuſatori objiciat, non ſolum auditur, verũ etiam propter delicti gravitatem præfertur, quamvis alter prius inſcriptionem fecerit de minori crimine, *l.* 1. *h. t.* Quod autem Imperatores denegaverint accuſato licentiam criminandi, *d. l.*1. *§.*9. hoc verum eſt quando accuſatus crimen per viam accuſationis objicit, ſecus ſi per exceptionem. Qui enim excipiendo crimen retorquet, accuſare non dicitur, nec ut calumniator punitur, ſi in probatione deficiat, quia non id agit ut crimen inferat, ſed ut retorquendo crimen in alium, ſe defendat. *Latius tit. ſeq. n.* 2.

Rejicitur quoque is, qui ea quæ accuſationem 11
præcedere debent, non implevit. Oportet enim eum qui accuſaturus eſt, ad judicem venire, & ab eo petere,

petere,ut ſibi accuſare liceat, & hac facultate impetrata nomen rei deferre, oblato libello,cui ſubſcribere ſe debet,ut niſi crimen peregerit & probaverit,pœnæ talionis ſubjiciatur,*l.3.h.t.* Ex hoc autem conſtat mulierem immunem eſſe ab hac inſcriptionis neceſſitate, *l.12.h.t.* Tutores tamen vel curatores ſi falſas arguere velint cautiones contra pupillum exhibitas, non prohiberi proprio nomine in falſi crimen ſubſcribere, cum non poſſint alieno, ideò Cujacius dicit tutores & curatores pupilli nomine ſubſcribere, quia alieno nomine non poſſunt. Verum quamvis illi tutorio nomine ad hanc inſcriptionem teneantur,tamen à calumniæ nota & periculo pœnæ eximuntur, propter officij neceſſitatem,niſi evidens tutorum curatorumve calumnia judici comperta ſit, *l.2.h.t.* nempe eos abuſos fuiſſe pupilli nomine, ut ſuis ſimultatibus indulgerent, & calumniarentur innocentem, non ut res pupilli bona fide adminiſtrarent. Cujac. *in comm.h.t.*

12 Præterea qui accuſare vult, dato fidejuſſore cavere debet,ſe crimen peracturum,nec deſtituturum. Et ſi poſt hanc ſatiſdationem præſtitam judicio non adſit, edictis vocatur, ut veniat ad cauſam agendam, *d.l.3.* Quod ſi venire differat, intra tempus, à judice definitum, deſtitiſſe videbitur ab accuſatione,eamque tacite deſeruiſſe, *l.7.h.t.*neque inſtaurare amplius accuſationem omiſſam poterit, aut ſemel deſertam repetere,ſuper eodem crimine,*l.6.h.t.* puniturque pœna extraordinaria Judicis arbitrio irroganda, ultrà ſumptus litis quos accuſato deſiſtens reſtituere cogitur, *d.l.3.h.t.* idque propter nimiam temeritatem, & quia re indiſcuſſa feſtinavit accuſare, ob quod calumniatus præſumitur, ſi poſtea deſiſtat, niſi ex neceſſitate officij,*l.2.h.t.* vel juſto errore,vel iracundiæ calore id feciſſe probetur, atque abolitionem à Principe obtinuerit,*l.13.§.1. ff. ad Turpill.*

13 Hodie apud nos, inſcriptionis & cautionis uſus eſſe deſijt, & accuſare tantum officiatio publico permittitur. Et licet jus noſtrum accuſatis patrocinium concedat, *l.6.C. de defenſor. civit.* illud tamen mores non admittunt, niſi reus antè ore ſuo reſponderit.

TITULUS II.

De accuſationibus & inſcriptionibus.

1. *Quid accuſatio, inquiſitio, denuntiatio, exceptio poſtulatio.*
2. *Quæ inter denuntiat. except. & accuſat. differentia?*
3. *Quid inſcriptio contineat, & cur per conſuetudinem ſit abrogata?*
4. *Non opus eſt deſignatione diei & horæ, neque concluſione.*
5. *Quis judex competens in criminibus.*
6. *Et qualiter puniatur qui ſpem ſententiæ vendidit.*
7. *Præſentia rei eſt neceſſaria in cauſa criminali, non in civili.*
8. *Procurator cur in criminali judicio non interveniat?*
9. *An poſſit cauſas abſentiæ proponere?*
10. *Dominus ſervum judicio defendere poteſt, non tamen damnatur.*
11. *Pater quoque filium, & prælatus monachum rectè defendunt.*
12. *Quomodo contumacia accuſatoris puniatur.*
13. *Eo abſente ſine contumacia, etſi reus abſolvatur accuſatio durat.*
14. *Semel abſolutus non poteſt ejuſdem criminis accuſari. Excipiuntur caſus.*
15. *Item ex eodem facto ſi plura redundent crimina, poterit reus à diverſis de ijs accuſari.*
16. *Quid ſi delicta tendant ad eundem finem, quatenus puniatur reus & quid ſi ex intervallo ea commiſerit, aut mandaverit committi.*
17. *Pœna occultantis termines. Nullâ plectitur qui doloris impatientia ſibi mortem conſcivit.*
18. *Quomodo & quanto tempore præſcribatur accuſationi.*
19. *In quibus delictis non eſt locus præſumptioni, & cur in alijs admittatur.*
20. *Præſumptio hæc currit à die commiſſi delicti. Praxis qua impediatur.*
21. *Quando inſtituenda ſit inquiſitio per judicem?*
22. *Et an hic poſſit ſine accuſatore inquirere.*
23. *Judicis officium in hoc judicio.*
24. *Quare confeſſum de crimine ſuper aliena conſcientia interrogare non debeat?*
25. *Excipiuntur graviora crimina.*

LEgiſlatores ſollicite perpendentes quomodo perveniri poſſet ad detegenda delinquentium crimina,quinque introduxerunt formulas eo pertinentes, videlicet Accuſationem, Inquiſitionem, Denuntiationem,Exceptionem, Poſtulationem ſuſpecti. Eſt autem *Accuſatio* criminis & ejus qui crimen admiſit ad Judicem delatio, vindictæ & pœnæ cauſa. *Inquiſitio* fit ex officio Judicis, vel proprio motu, vel monitus fama, aut denuntiatione alicujus hominis. *Denuntiatio* fit,cum quis defert reum criminis apud judicem, ſine inſcriptione legitima. *Exceptio* cùm quis objectum crimen retorquet in alium,magis ſui defendendi, quàm vindicandi cauſa;nam exceptio de ſui natura non tendit ad vindictam. *Poſtulatio* quoque potius civilem actionem & modeſtam querimoniam continet,quam criminalem accuſationem. 1

Inter haſce accuſationis ſpecies magna eſt differentia, nam cum per denuntiationē crimen objicitur, is qui denuntiat non tenetur vinculum inſcriptionis 2

Digitized by Google

tionis arripere; *l. 7. h. t.* quia correctionem potius & emendationem perſequitur, quàm vindictam, eademque ratione ſolum nominat teſtes criminis conſcios, quin & ipſe teſtis eſſe poteſt, *c. 4. X de teſtib.* juratque vera eſſe quæ de crimine novit, eaque non calumniæ cauſa denuntiare, *c. 15. & 16. X. h. t.* At verò cum per exceptionem crimen opponitur, id fit duplici ratione. I. infertur criminis quæſtio, ut quis ab accuſatione repellatur: aut fides teſti alicui abrogetur, tanquam criminis infamia laboranti: eo caſu inſcriptione omnino opus non eſt, cum is qui crimen objicit, magis juris, aut exiſtimationis ſuæ tuendæ gratia id faciat, quàm quo alium in periculum vocet. Ea etiam ratio eſt quod criminis quæſtio non agatur principaliter, ſed tota diſceptatio in eo fit, ut ejus cui crimen objectum eſt, teſtimonium vel accuſatio reprobetur, non etiam ut ei pœna legitima irrogetur, quod nec fit etiam cùm eo modo de crimine quæritur, *l. 21. ff. de his qui not. infam. c. 2. §. fin. X de ord. cogn.* II. Crimen per exceptionem objicitur, ut aliquis ab officio quod adeptus eſt excludatur, tunc quia non tam jus ſuum tuetur, qui criminis quæſtionem facit, quàm alienum oppugnat, quamquam inſcribere neceſſe non habeat, tamen ex judicantis arbitrio ad pœnam extraordinarium adſtringitur, *d. c. 16.*

At verò accuſator, ne temere in alieni capitis
3 diſcrimen irruat, ſolemnis inſcriptionis vinculo alligatur: neque enim aliter ad accuſandum admittitur, niſi prius nomen ſuum, in bello profiteatur, ſeſeque obſtringat ad ſimilitudinem ſupplicij reo intentati, ſi fuerit deprehenſus eum falſo arguiſſe, adeòque ſi accuſatus in vincula conjicitur, ipſe quoque accuſator carceri ſe mancipare debet, donec judicium finiatur, *l. pen. & ult. h. t.* Præterea in libello quem accuſator offert, magnitudinē criminis, locum, tempuſq; deſignabit, ut alterutrā partem digna legum terrere poſſit auctoritas, *d. l. pen.* ſic querelam contumeliæ deponens exprimere certo & liquido convicia debet; quin & ſe ſubſcribere cum hujuſmodi querelam criminaliter defert, *l. 8. h. t.* quæ monet deponendas eſſe querelas non apud ſtationarios, ſed præſidialem poteſtatem. Nam ſtationarij, aliique officiales, inveſtigationem & denuntiationem tantum habent, non etiam cognitionem, aut ſtatuendi facultatem. Verum quia hujuſmodi juris ratio, ac inſcribendi ſeſeque in carcerem tradendi ſolemnitas nimis erat acerba, eaque de cauſa multi etiam ſceleratiſſimum quemque accuſare vererentur, cenſentes ſatius eſſe propriæ ſaluti conſulere, quam cum periculo vitæ, alterius vitam accuſando auferre, ideò hodiernis moribus in totum fere antiquata eſt, & pleræque accuſationes obeuntur ab iis, quos Procuratores, Fiſcales, aut Prætores vulgò vocant. At quamvis mores noſtri abrogaverint pœnam talionis, non relinquunt tamen impunitam calumniam, nam poteſt judex pro arbitrio ſecundùm qualitatem admiſſi, improbum accuſatorem punire, *l. 6. ff. t. ad Turpill. & l. 5. ff. De pœnis.* & quandoque etiam pœna mortis. Exempla & auctores refert Petr. Caballus *reſol. crimin. cent. 2. caſu 166.* & ante eum Boſſius *Tit. de falſ. n. 171. verſ. quod volui commemorare.*

Dixi in libello accuſationis oportere deſignare 4
locum, & tempus commiſſi criminis & perſonam quæ crimen commiſit, & cum qua admiſſum dicitur, maxime cum adulterium commiſſum aſſeritur, ut colligere eſt ex *l. 3 ff. h. t.* ubi traditur forma libelli; diem & horam commiſſi criminis accuſator neceſſario complecti libello non tenetur, niſi forte reus ad ſui defenſionem id poſtulet, ad probandum negativam indirecte, quod ſcilicet tunc temporis alio loco quam allegato fuerit, ut videre eſt apud Ciceronem pro Roſcio Amerino. Jul. Clarus *§. fin. q. 12. n. 13.* Neque opus eſt addere concluſionem in libello criminali, quia probato crimine pœna ſecundùm leges venit à judice imponenda, *l. 1. Verſ. num. ut Papinianus ff. ad Turpill.* Gomez. *tom. 3. var. c. 11. n. 1. 2. 3.*

Sed à quo Judice? Sane eſt competens in gravio- 5
ribus criminibus, qui in loco ubi delinquitur judicat. *Auth. qua in provincia C. ubi de criminib. agi oport.* Et ita quoque fieri expedit propter exemplum, ut ibi pœna emendet, quod delictum offendit, & alij à ſimili deterreantur. Et quamvis ratione domicilij jus ſit judici inquirendi de maleficiis incolarum alibi delinquentium, vel eorum qui ibi bona habent, & jus condemnandi, *l. 1. & 2. C. d. t.* nihilominus tamen remitti ſolent puniendi à Judice loci, in quo delictum commiſſum eſt. Extra hos caſus Judex qui cognoſcit de crimine extra territorium ſuum admiſſo, ſententiam perperam dicit, & nullam; cum ſententiam à non ſuo judice dictam jus improbet, *l. 1. C. ſi à non comp. jud.*

Multoque magis illius improbat temeritatem, 6
qui cum judex non ſit, liberationem reo, aut condemnationem accuſatori pollicetur, *l. 10. h. t.* talis enim ſummam facit injuriam Judici, cujus ſententiam venditat, ideòque graviſſime coërcendum eſſe Ulp. ait, *l. 15. §. 30. ff. de injuriis.* Sicut enim qui hujuſmodi promiſſionis commercium petit, atque acceptat, punitur ſive litem amittit, quia diffidentia juſtæ ſententiæ in pecuniæ corruptelam ſpem negotij videtur reponere, *l. 1. ſup. de pœna jud. qui male jud.* ita qui ſpem ſententiæ promittit, arbitrariè puniendus eſt, *d. l. 10.*

Igitur coram competente Judice criminale judi- 7
cium inſtitui agitariq; debet, accuſatore & reo præſente; cum nemo recte morti adjudicetur, quin prius ore proprio crimen faſſus fuerit, & interrogatus à judice, proprio ore reſponderit, *l. 16. infr. De pœnis.* Quod procedit ut etiam potens & illuſtris

Digitized by Google

vir de crimine publico accuſatus, judicio ſe ſiſtere, & perſonaliter reſpondere debeat; licet in pecuniariis cauſis per procuratorem litem ſuſtineat, *l. 15. h. tit.* Iſtæ enim cauſæ potius res, quam perſonas reſpiciunt, & ſolicitudine aliorum, quam dominorum expediri poſſunt, ut non egeant præſentia eorum, quæ in criminibus pertractandis neceſſaria eſt, potiſſimum quando cauſa capitis vertitur & periculum ſubeſt.

8 Huc pertinet quod à Papiniano reſponſum eſt, ad crimen publici judicij perſequendum fruſtra procuratorem intervenire, multoque magis ad defendendum, *in l. 13. ff. De publ. jud.* cui Ulpianus conſentit, cum ait crimen capitale per procuratorem intentari, vel defendi non licere, niſi tantum infamia, aut pœna relegatione minor immineat, *l. 1. An per alium cauſæ appell.* Fachinæus *lib. 1. contr. cap. 25.* Et hoc non tantum in accuſatore, ſed in accuſato abſente locum obtinet, illius hæc eſt ratio, quod accuſator debeat ſe ſubſcribere ad pœnam talionis, ſi calumniari reperiatur, *l. ult. h. t.* hujus verò ratio, quod accuſatus ſi convincatur, legitima quoque pœna afficiatur, quæ abſenti infligi non poſſet, nec eſt ratio ut procuratori infligatur, qui mandato alterius reum detulit. Ob quod meritò in hujuſmodi judiciis procurator ad defendendum non admittitur, ne ipſa reddantur judicia eluſoria, aut maleficia maneant impunita, quod hic contingeret, cum contra abſentes non facile executioni mandetur ſententia, neque enim damnati comparerent. Facit & aſſignata ratio, quod cauſa publici judicij, ideò rei præſentiam depoſcat, *d. l. 15. h. t.* ut ex ejus voce, vultu, conſtantia, trepidatione, Judex eruat veritatem, ut meritò dixerit J. C. multo magis ad defendendum non admitti procuratorem, in capitalibus cauſis neque etiam in illis delictis, in quibus infligenda venit pœna corporalis, aut relegationis ex mente interpretum, Menochius *de arbitr. lib. 1. q. 79. num. 4.* Fachinæus *d. loco cap. 24. & 26.* Gail. *De pace publ. lib. 1. cap. 10.*

9 Cæterum quamvis non admittatur in criminalibus procurator ad peragendum ipſum judicium, poteſt tamen intervenire ad proponendas excuſationes abſentium, ut ſi juſtæ ſint, judicium differatur, *dict. l. 13. & l. 71. ff. De procur.* Quod videtur procedere poſt litem conteſtatam, quia non poteſt de jure ferri ſententia niſi lite conteſtata, atque hoc ita eſſe accipiendum patet ex verbis *l. 10. ff. De publ. judic. ibi cognitione ſuſcepta.* Itaque ante litem conteſtatam ſi reus indefenſus & abſens condemnetur, ſententia ipſo jure nulla eſt, tantum enim bona ejus & nomen inter reos delatos annotari debent, *l. 6. h. t.* quæ annotatio promulgatur edicto, ut perveniat in notitiam abſentis, qui delatus eſt, qui ſi contumax perſtiterit, poterit cogi pœnis pecuniariis, & iis quæ exiſtimationem lædunt, *l. 1. §. 1. & 2. ff. De re quir. reis.* Poſt litem verò conteſtatam ſi abſens reus ter citatus, per triduum non compareat, damnatur, *d. l. 10.* Quo tamen caſu videtur quod non tam abſentia ejus excuſari poſſet, ſed & ipſa innocentia defendi per procuratorem in crimine capitali per *l. 3. h. tit.* quæ habet, *Reos capitalium criminum abſentes etiam per procuratorem defendi poſſe,* quam legem etſi gloſſa tantum accipiat de juſtæ abſentiæ excuſatione, videtur tamen & accipienda de defenſione ipſius innocentiæ, per *l. 32. §. 2. ff. De procurat.* nam cum pro damnato qui ad ſupplicium ducitur, & invito appellare alteri liceat, quidni etiam audietur paratus excuſare abſentis innocentiam, in cauſa capitali, ex qua abſens damnari poſſet. Videatur Joan. Parladorius *lib. 1. rer. quot. cap. 10.*

Quod ſi autem cuidam crimini obnoxius ſervus 10
poſtulatur, dominus vel ejus procurator, eum defendere poteſt, *l. 2. h. t.* Eſt enim ſervus incapax formularum juris civilis, quæ in judiciis exiguntur, & intereſt domini ſervum ſuum defendi non tam quia reus eſt, quam quia res eſt ſui patrimonij, quod tueri cujuſque intereſt. Quo fit, ut ſoleat ſervus accuſari, aut quæſtioni ſubjici, priuſquam accuſator ſe vinculo ſubſcriptionis obſtrinxerit, *l. 13. h. t.* Verum ita ſervum ſuum accuſatum domino defendere permiſſum eſt, ut pro eo poſſit competentes allegationes offerre, innocentiam ejus purgare, ſatisdationem judicio ſiſti implere, non etiam debet pro eo condemnationem ſuſtinere, ſed ipſe ſervus probato crimine, pœnæ & coërcitioni ſubjacet, *d. l. 2. h. t.* nec enim eſt in publicis criminibus locus noxæ deditioni, ut in privatis delictis, *l. 17. §. noxas ff. De ædilit. edicto* in quibus niſi noxæ dedat ſervum dominus, ſuffert condemnationem.

Quod dictum eſt de domino, idem obtinet in 11
patre, prælato, marito, qui filium, monachum, uxorem rectè defendunt, cum eorum interſit, purgari innocentiam illorum, quos communi voto ſuperſtites cupiunt, *d. l. 2. & l. 11. ff. De publ. jud.* propter affectionem, & operas quas eis præſtant. Atque iſta defenſio, quam pater ut propriam ſuſcipit, proderit abſenti filio, non etiam nocebit, *l. 9. §. 4. ff. De interrogat.*

Ex prædictis itaque conſtat, qua pœna coërcea- 12
tur ei abſentis contumacia, quo modo autem contumacia, & ceſſatio accuſanti puniatur nunc tractemus. Et certum eſt dignum eſſe pœna eum, qui ad judicium provocavit, & cœptum deſerit per contumaciam. Unde cum in arbitrio actoris ſit accuſationem ſuam inſtituere, ſi ante litem conteſtatam copiam ſui non fecerit, admonitus, reo præſenti conceditur abſolutio, litiſque & itineris ſumptus abſens reddere tenetur, & præterea extra ordinem æſtimatione judicis punitur, *l. 3. ſup. Tit. 1.*

Quod

Digitized by Google

13 Quod ſi verò abſente accuſatore, & non per contumaciam adeſſe judicio ceſſante, reus abſolutus fuerit; abſolutio iſta tantum eum liberat ab obſervatione judicij, nec impedit quo minus de eodem crimine denuo inquietari, & convictus damnari poſſit, *l.4.h.t.* ubi criminatione etiam nunc perſeverante, quæ contumacia, vel ceſſatione accuſatoris non interveniente auferri non potuit, cauſa intentati criminis apud eundem, vel ſucceſſorem ejus more judiciorum tractabitur.

14 Obſervandum tamen quod qui ſemel legitime abſolutus eſt ſuper uno crimine, non poteſt ab alio ſuper eodem denuo accuſari: non ideò quod obſtet exceptio rei judicatæ, cum res inter alios acta aliis non præjudicet, ſed quod indignum ſit ſuper eodem crimine ſæpius queri *l.7. §.2.ff.h.t.* alioquin nunquam conſtaret fides & ratio ſuæ innocentiæ: niſi doceat accuſator colluſiſſe priorem accuſatorem quia tunc accuſatio admittenda erit, *l.11. h.t.* Itemque ſi quis in hac ſecunda accuſatione propriam vel ſuorum injuriam proſequatur, *d. §. 2.* Covarruvias *lib.2. var. cap.10.*

15 Porrò quamvis accuſatus pendente judicio, aut eo abſolutus, non poſſit ab alio ſuper eodem crimine deferri, ſi tamen ex eodem facto plura crimina naſcantur, & reus de uno ſolum crimine in accuſationem fuerit deductus, de altero non prohibetur ab alio deferri, *l.9. h. tit.* quia ſingula crimina vindicari publice intereſt. Sic ſi quis alienam uxorem vi compreſſit, poteſt de vi & adulterio accuſari, probatoque crimine utriuſque pœna plecti, *l. 2. ff. De priv.delict.* & ſi de uno crimine fuerit abſolutus, puta homicidij, non prohibetur accuſari latrocinij, ut in caſu *l. 11. h. t.* quæ latrocinium vocat crimen paſtorum, propterea quod illi plerumque ſolebant latrocinia exercere. Itaque Judex ſuper utroque crimine audientiam accommodabit, non tamen ei licebit ſeparatim de uno crimine ſententiam proferre, priuſquam alterum crimen examinaverit, *d. l. 9. in fine.* Sed ne in diverſa reus diſtringatur, primum de uno crimine, poſtea de altero reſpondere cogitur, *leg.2.§.ult.ff. De cuſt. reor.*

16 Imò ne pluribus pœnis afficiatur, ſi crimina eodem tempore commiſſa, ad eundem finem tendant, conſultum erit ea involvi cum ultimo, quod graviorem exigit pœnam, veluti ſi pœna impoſita ſit deferenti arma, alia aggredienti aliquem, itemque alia vulneranti, ſatis erit ſi pœnam ſubeat reus pro vulnere, idque colligitur ex Gloſſ. *in d. l. 9. h. t. verbo plurima.* quam ſequitur Jul. Clarus *§. fin. quæſt.* 84. ubi diverſum judicat in criminibus diverſi generis ex intervallo commiſſis, & rectè, quia cum plures ictus pluraque vulnera quis infert alicui, majori animadverſione dignus eſt, videatur Covarruv. *dict. loco*, & Fachinæus *l. 9. contr. cap.46.* Nec ideò minus tenetur, qui dicit ſe ex mandato alterius crimen commiſiſſe, puta vulneraſſe, aut injuriam atrocem alicui feciſſe, cum uterque tam qui mandavit, quam qui mandatum improbum executus eſt ſeparatim accuſari & puniri poſſit *l.5. h.t.* Modum autem pœnæ ex conditione perſonarum, gravitate criminis, mente id facientis, aut mandantis committi, judex ſtatuere debet. * Planè ſi quis terminos, ſeu lapides 17 finales effoderit, extraordinaria animadverſione coërceri debet, *l.1.h.t.* hoc eſt, non certa uniformi à lege conſtituta, ſed ea quam judex pro perſonarum conditione & facti qualitate arbitrabitur idoneam *juxta l. 1. & fin. ff. De term. mot.* Nullam verò accuſationem inſtitui patietur, multo minus animadverſionem ſtatuet in eum, qui alicujus morbi, vel doloris impatientia ſe præcipitem dedit, vel mortem alio modo ſibi conſcivit, *l. 11. h.t.* ſecus ſi conſcientia criminis & metu pœnæ ſibi manus intulerit, ut dicetur *infra Titul. De bonis eorum qui mortem ſibi conſciverunt.*

Effectus propoſitæ accuſationis eſt, quod non 18 currat aliqua præſcriptio, *l.2.§.1.& ſeq. ibi Gloſſ & in l.6.h.t.* Dico propoſitæ, nam proponendæ, uti & pleriſque criminibus poſt annos 20. præſcribitur *l.12. infr. ad l. Corn. de falſ.* quod accipe de criminibus tranſeuntibus & momentaneis, quæ ſemel perpetrantur: nam quæ ſunt ſucceſſiva & permanentia, uti matrimonium contra canones initum, hæreſis, apoſtaſia, & ſimilia in quibus quis perſiſtit, cum ponat continuatum delictum, non poteſt eſſe locus præſcriptioni, quæ demum inchoatur à tempore ceſſantis delicti. Dixi pleriſque non quod ſint crimina, quorum accuſatio perpetuo duret, ſed quod ſint, quibus minori ſpatio præſcribitur, de quibus ſuis locis.

Præterea quod lapſu temporis tollatur, aboleaturque delictum, non inde ſequitur quod tempus faciet 19 deſinere eſſe delictum, cum illud oneret animam delinquentis, quo diutius eam detinet delicto obligatam. Sed quod qui tanto tempore à crimine abſtinuit, videatur potius impulſu, & naturæ infirmitate ignorantiave, quæ delictum minuunt, peccaſſe, quàm dolo & peccandi conſuetudine. Ex ſequentibus enim, in iis præſertim quæ ad mores attinent, præcedentia mirum in modum declarantur, atque hæc eſt ratio cur uti actioni civili, ita & criminis accuſationi præſcribatur; tollaturque decurſu temporis, quia odioſa.

Notandum tamen hanc præſcriptionem currere 20 non à tempore ſcientiæ accuſatoris, ſed à die commiſſi delicti, atque id etiam in delictis occultis obtinere tradunt Doctores relati à Farinacio *in praxi crim. lib.1. q.10. n.12.* Porrò ad impediendam hanc præſcriptionem expedit ab Advocato fiſcali proponi libellum accuſationis vel inquiſitionis, licet ulterius non procedatur. Gommez *ad l.76. Tauri num.5.*

Digitized by Google

num. 5. Jul. Clar. §. *fin. q.* 51. Barboſa ad *l.* 3. *C. de præſcript.* 30. *annor. num.* 214. Tib. Decianus *tract. crim. lib.* 3. *c.* 37. Charondas *lib.* 10. *reſp.* 76.

Habent prædicta locum, non tantum in accuſa-
21 tione criminali proponenda à parte, verum & in officio Judicis inquirentis, & accuſantis, quoniam judicis officium ſuccedit loco accuſationis & præſcribitur eodem tempore. *DD. citati & alij ad l.* 12. Quod procedit etiam in fiſci quæſtionibus, exceptis cauſis in quibus minora tempora ſervari ſpecialiter conſtitutum eſt, *l.* 13. *ff. Diverſ. tempor. præſcript.*

Sed quoniam judicis inquirentis de crimine,
22 mentionem fecimus, videamus quomodo iſta inquiſitio inſtituenda ſit, & certum eſt accuſatione ceſſante, quod officio incumbat, inquirere in eos qui rempubl. ſuis maleficiis turbant, & ſollicitè agere, ut malis hominibus provincia careat, & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere, *l.* 13. *De off. præſ.* At cum dicitur judicem debere inquirere maleficos, intellige non per ſe, ſed per ſuos nuntiatores & irenarchas, quorum munus eſt facinoroſos deferre & apprehendere, & in judicio accuſare, *l.* 6. *ff. de cuſt. & exh. reor.* Quod ſi enim nulla prævia cauſa, fama aut ex officialium denuntiatione, judex ipſe ex aliqua ſuggeſtione procedat, & in ſubditi vitam & crimen inquirat, graviter ſane peccat; quia deminuit nominati famam, & exiſtimationem, quam onerare jura vetant. *c.* 24. *ẍ. h. t.* Poteſt quidem alius id facere, & ſi calumnioſe verſatus fuerit; punitur *d. l.* 6. At judici id impune licere non debet, & meritò à reo per exceptionem repelletur: ſi tamen eam opponere reus omiſerit, & præſens non reclamaverit, criminis inquiſitio ſubſiſtet, nec audietur volens impugnare proceſſum, ex eo quod non fuerit de infamia primitus inquiſitum, *c.* 2. *eod. in* 6. multò minus petens reſtitutionem, ratione præpoſteræ inquiſitionis, cum crimen de quo jam patet non ſit dimittendum impunitum, quamvis poſſit videri moderanda pœna, quam judex accuſato non niſi ex præſcripto legis infligere poteſt. *c.* 21. *ẍ. h. t.*

23 Eſt autem caute; & hac in re judici providendum, ne exiſtimet ſtatim ex qualibet inſinuatione ſibi facta, reum eſſe, qui accerſitur in diſcrimen capitis, ne ſubjecta innocentia feriatur. Quare diligenter advertet quantum famæ tribuat, quantum teſtibus fidei habeat, quantum denique officialium ſuorum notoriis, id eſt, relationibus, tribuere poſſit & debeat; an non ex falſis literis & elogiis reus delatus ſit, *l.* 7. *h. t.* nam ex illis, uti & ex emendicatis ſuffragiis decretorum, non eſt quiſquam ſine accuſatore temere condemnandus. * Igitur judex per-
24 penſo judicio rei veritatem inquirat, *l.* 14. *h. t.* ne facile relationibus etiam à publicis perſonis deſtinatis credat, neque eum qui de proprio crimine confeſſus eſt, interroget de alterius conſcientia, vel crimine, quia nulla ei fides, aut ſpes veniæ propter flagitium adjuncti, ne forte hoc agat, ut aut inimici ſupplicio, in ipſa ſupremorum ſuorum forte ſatietur, aut eripi ſe poſſe ſperet, ſtudio & privilegio nominati, *l. ult. in fin. h. t.*

Hinc eſt quod ſocij & participes criminis, ſuper 25
ſocio deponentes non audiantur, *l.* 11. *ſup. de teſtib.* niſi agatur de atroci crimine, veluti falſæ monetæ, *l.* 1. *infra de falſa mon.* latrocinij, *l.* 6. *ff. de cuſt. reor.* maleficij, *l. ult. infr. de malef. & math.* ſacrilegij, conſpirationis. Decius *conſ.* 344. *n.* 3. & in illis caſibus, in quibus ex qualitate perſonarum & rerum apparet, crimen tale eſſe quod ſine ſocio committi non potuerit. Quo pertinet diſtinctio Bartoli in *l. repeti* §. 1. *ff. de quæſt.* in iis delictis quæ perſonas concernunt, & tendunt ad commodum privatum, poſſe incarceratum interrogari in tortura, ſecus in iis quæ concernunt odium alterius, ut in homicidiis. Videatur Salicet. *ad d. l. ult.* & Ludovicus Peguera *in ſuis qq. crimin. q.* 5. *per tot.*

TITULUS III.

De exhibendis & tranſmittendis reis.

1. *Nemo exhibendus ſine juſſu judicis; Quid hodie hac in re obſervetur.*
2. *Reus comprehenſus remittendus eſt ad judicem loci ubi deliquit.*
3. *Quid ſi clericus; miles, aut ſcholaris ſit reus?*
4. *Quid ſi apprehendi ſe non patiatur?*
5. *An poſſit judex qui non habet juriſdictionem in reum, eum apprehendere & tranſmittere ad judicem ſuum?*
6. *Quid ſi judex domicilij prævenerit requirentem in cauſæ cognitione?*
7. *Reus tranſmittendus ſub cuſtodia ponitur, non in carcere priuſquam convincatur, niſi id exigat criminis qualitas.*
8. *Habet ex longinquo accitus* 30. *dies ad diſponendas res ſuas, exhibitus adhibito advocato ſe defendit.*

CUm de crimine diffamatus eſt reus, nulli fas
eſſe poteſt, abſque auctoritate Judicis, apprehenſione eum conſtringere vel exhibere, hoc eſt, ſic captum Judici ſiſtere: prudentis enim Judicis examini tantùm relictum eſt, ut is inquirat, an apprehenſione digna ſit diffamatio, *l. ult. h. t.* Atque hinc moribus noſtris officiales in vim generalis mandati, & ratione muneris non poſſunt procedere ad apprehenſionem perſonalem, priuſquam indiciis & informatione præparatoria, facinus exploraverint, & à Judice decretum apprehenſionis obtinuerint, quod decretum mittitur domum (ſine alia citatione verbali) ut capiatur reus, ne admonitus 1

Digitized by Google

tus fugam arripiat, ſi ſibi conſcius eſt de crimine. Salic. *ad h. tit.* Niſi in flagranti delicto deprehendatur. Gail. *l.1. obſ. 54. n.3.* quo caſu nullo hujuſmodi elogio præhabito, à quolibet capi & detineri poteſt, ſed ſub pœna privati carceris, intra viginti horas Judici exhiberi debet *in l. 25. ff. De adult.* Sunt qui volunt in flagranti crimine inventum clericum poſſe apprehendi à laico, citra pœnam excommunicationis, ut eum ſuo judici tradat. *Jul.Clar. §. fin. q. 28. n. 6.*

2 Quod ad tranſmiſſionem rei attinet, obſervandum eſt, eam faciendam eſſe ad locum delicti, quoties à Judice illius loci fuerit petita, alias non cogitur Judex remittere, niſi id juſſerit ſuperior. Atque iſta remiſſio ideò peti ſolet, quia facilior eſt criminis probatio in loco in quo reus deliquit, & quia publice intereſt ibi delicta puniri ubi commiſſa ſunt, ut quod exemplo nocitum, pœna emendetur, *l.7. & 11. ff. De cuſt. reor. videatur tit. ſup. ubi de crim. agi oportet.*

3 Interdum ultrò remittitur reus ad proprium forum, ſi clericus, aut miles ſit, cum ille non poſſit ab alio quam Eccleſiaſtico Judice judicari, *c.4. X. De judicijs*, hic quoque non niſi magiſtro militum, *l. 1. h.t.* adeò ut miles conventus coram loci ordinario, etiam tacente magiſtro militum poſtulare poſſet remitti ad ſuum judicem. Caſtrenſ. *ad l. pen. ſup. De juriſdict.* quemadmodum ſtudioſus matriculæ adſcriptus, comprehenſus deſiderare poteſt, ut remittatur ad ſuum judicem, *Auth. Habita ibi DD. ſup. ne filius pro patre.* Sed hoc hoſticæ exceptionis, remittendique privilegium, non paſſim, nec in omnibus cauſis militibus indulgetur, ſed ita demum ſi crimen eſt militare, aut in exercitu commiſſum, nam ſi gravius quid miles admiſerit, in provincia in qua repertus eſt, ibi eum plecti pœna deberi, ubi facinus admiſſum eſt, Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, *l.3. ff. De re milit.*

4 Quid ſi apprehendi ſe non patiatur reus? Et ſiquidem armis ita reſiſtat, ut difficulter vivus comprehendi poſſit, poterit impune à ſatellitibus occidi, non quidem jubente lege, ſed connivente; *l. 4. ſup. De his ad Eccleſ. confeſſ.* id enim ad ſui defenſionem faciunt imminente ſcilicet periculo vitæ ipſorum, quod ut evitent fugere ipſi non tenentur, quia id eſſet metu deſerere officium: ſi verò ſine armis reus ſe defendat & fugam quærat, non licet eum interficere, multo minus ſi ſe non defendat, nec fugiat, ſed jam in terram ceciderit; quo caſu ſi in apprehenſione excedant ſatellites, extra ordinem puniuntur, ut cenſet *Grammat. deciſ. 41.* & Menochius *de arb. caſu 578.* Jul. Clar. *lib.5. ſent. § ult. q. 29.*

5 Porro uti apprehenſio rei fieri debet, de mandato proprij judicis, ita etiam tranſmiſſio non videtur quod ab alio fieri poſſit, quam à judice qui ratione domicilij, aut originis alteriuſve cauſæ habet juriſdictionem in ipſum delinquentem, ita Felinus *ad cap. ult. de foro compet. n.9.* Contra tamen Panormitanus *ad d.c. ult. n.16.* exiſtimat remiſſionem iſtam poſſe fieri, etiam ab eo judice cui reus non ſubeſt ratione domicilij, vel originis, & rectè; quia dum reum comprehenſum tranſmittit puniendum ad judicem ſuum, non tam videtur uſurpare alienam juriſdictionem, quam potius ſuo judici miniſterium exhibere. Quod poterit probari *per Novell. 134. §. ſi verò quis.* ubi Judex loci in quo perſona delinquens degit, ad petitionem judicis loci in quo delictum, tenetur comprehendere reum, & tranſmittere ſub gravi mulcta; videtur enim judicis petitio, dare juriſdictionem alteri Judici, Covarruv. *præſc. quæſt. c. 11. n.6.* Clarus *d. § fin. q. 38. n. 12.* ubi addit ſolum hoc attendi, an ille qui petit ſibi reum remitti, habeat juriſdictionem procedendi contra eum.

6 Cæterùm iſta remiſſio non eſt neceſſariò exequenda, nec facienda etiam petente judice loci, ubi crimen commiſſum eſt, quoties judex domicilij, vel originis ipſum delinquentem ejus criminis cauſa, jam condemnaverit, nam in delictis eſt locus præventioni, ut aſſerit Felinus *d.loco*, cum & ipſe Judex domicilij poſſit punire ſubditum reverſum, qui extra territorium deliquerit, ne obtenta impunitate in majora prolabatur vitia, neve aliorum convicium bene inſtitutos animos corrumpat ſuo malo exemplo, latè Covarruv. *d.n.6.* qui dicit hoc procedere ſive per accuſationem, ſive per inquiſitionem cognoſcat Judex domicilij de crimine ſui ſubditi, extra territorium commiſſo.

7 At interim quod de reo tranſmittendo agitur; debet is ſub cuſtodia conſtitui, *l.1. h.t.* non tamen in carcere vinculis conſtringi, priuſquam convictus, aut confeſſus ſit, *l. 2. h.t. in pr.* Etenim de cuſtodia reorum Proconſul æſtimare ſolet, utrum in carcerem recipienda ſit perſona, an militi tradenda; vel fidejuſſoribus committenda, vel etiam ſibi, hoc autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter ampliſſimas facultates, vel pro innocentia perſonæ, vel pro dignitate ejus qui accuſatur, facere ſolet, *l. 1. ff. De cuſtod. reor.* Hinc uſitatum eſt ne ad reorum apprehenſionem procedatur, niſi præcedentibus indiciis & prævia de delicto quæſtione (quam informationem præparatoriam vocant) Judex decreverit reum in carcerem conjiciendum eſſe, cujus etiam non ſolet tranſmiſſionem petere, maxime ex longinquo, priuſquam accuſator libellum obtulerit, ſeque in pœnam talionis inſcripſerit, *l.2. §.1. h.t.*

8 Reo autem tranſmittendo è longinquo à Judice loci, in quo reperitur, concedi debet ſpatium non minus 30. dierum ad diſponendas res ſuas, comparandoſque ſibi ſumptus itineris & litis, denegata poteſtate nundinandi, id eſt, lucrum captandi componendique cum reo, ei qui ad producendum

Digitized by Google

cendum & exhibendum miſſus eſt, *d. l. 2. §. 2.* Ad judicem ubi venerit reus, adhibita advocatione, jus ſuum debebit explorare, ac tamdiu pari cum accuſatore fortuna retineri (ſub cuſtodia uti dictum, quoniam in judiciis ſervanda eſt æqualitas) donec Judicis cognitio diſcrimen inter eos invenerit, ut is potior habeatur, qui meliorem cauſam habet *d. l. 2. in fin.*

TITULUS IV.

De Cuſtodia reorum.

1. *Continuatio, & quis Judex jubeat in carcerem mitti?*
2. *Incarceratus non conjicitur in vincula, niſi crimen id exigat, ita ut cruciatum non ſentiat.*
3. *Reus ſtatim audiendus eſt apud acta; carcer non eſt perpetuus jure civili, ſecus canonico.*
4. *Non eſt differenda cauſa criminalis cognitio, ſed intra præſcripta hic tempora terminanda.*
5. *Pœna judicis qui patitur reos male tractari, & negligit de ijs inquirere.*
6. *Mulieres ſeparato à viris clauſtro contineri debent. Hodie de jure non incarcerantur.*
7. *Debitor incarceratus, quando relaxetur. An de conſuetudine mulieres, ob debitum capi, & incarcerari debeant.*
8. *Viri de crimine accuſati, fidejuſſoribus committuntur, quatenus hi teneantur, ſi rei non ſiſtantur.*
9. *Mortuus in carcere præſumitur culpa cuſtodis periiſſe.*
10. *Quando cuſtos excuſetur: Quæ ejus pœna ſi reus aufugerit.*
11. *An pœna extendi poſſit ad mortem ob dolum cuſtodis, ſi illam non merebatur qui fugit?*
12. *Hodie cuſtodis pœna judicis arbitrio committitur, quam evitat probando ſuam diligentiam.*
13. *Qua pœna puniantur fugientes è carcere, & effractores, & conſpirantes, & milites profugientes.*
14. *Effringens carcerem, & ex eo fugiens, an mulctetur ea pœna quam meretur crimen, pro quo detinebatur?*
15. *An liceat effracto carcere effugere?*
16. *An impune incluſo liceat fugere?*
17. *Ex quo carcere? & an permiſſum ſit ſubminiſtrare media ad fugam?*
18. *Ad eam cooperari non debent miniſtri juſtitiæ.*

1 CUm dictum ſit de exhibendis, tranſmittendiſque reis, conſequenter dicendum de eorum cuſtodia, qua vel exhibiti, vel exhibendi cuſtodiuntur, *l. 1. h. t. & l. 1. t. prox.* Cuſtodia hic pro carcere publico accipitur, in quem nemo conjicitur abſque prævia cauſæ cognitione, & juſſione magnorum magiſtratuum, aut locorum defenſorum, *l. ult. h. t. in pr.* nam illis utpote habentibus imperium, conceſſa eſt facultas in carcerem mittendi, Jul. Clar. *§. fin. q. 46.* non item his quibus ſimplex Juriſdictio competit, ut ſunt conſules mercatorum, rectores collegiorum, judices delegati. Magiſtratus tamen æſtimabit, utrum reus carceri ſit committendus, an militi, an fidejuſſoribus, an ſtratoribus officij qui miniſterio in provincijs funguntur, & hoc pro criminis quod objicitur qualitate, & accuſati conditione.

Interea verò dum delati rei ſub cuſtodia retinentur, ſine pœna ſunt, quia vinculis & catenis non ligantur, niſi cauſa maleficij & criminis gravitas id exigat, atque hoc caſu laxioris catenæ & compedis adjectione vincti manent, ſub fida cuſtodia, ita ut cruciatum non ſentiant, nec ſedis infimæ tenebras patiantur incluſi, ſed uſurpata luce vegetentur, adſerventurque, revertente nocte in veſtibulo carceris, & ſole oriente illico publicæ luci reſtituantur, ne pœnis carceris perimantur, quod innocentibus id eſſet miſerum, & nocentibus non ſatis ſeverum, *l. 1. h. t.* 2

Etenim carcer non puniendis hominibus, ſed cautioni, & ſecuritati tantum eſt comparatus. Ob quod voluit Conſtantinus Imperator in *dict. l. 1.* in cauſis criminalibus ſtatim quæſtionem fieri ut noxius puniatur, innocens abſolvatur. Itemque reum è carcere eductum apud acta quamprimum audiri, ne carceris longinquitas pœnam augeat, utque judici immodice ſævienti fræni quædam temperies adhibita videatur. *l. 2. h. t.* Unde jure civili perpetui carceris pœna induci nequit, *l. 8. §. 9. ff. De pœnis.* licet Canones perpetui carceris pœnam indicere malint, quam vita privare, *cap. 3. De pœnis in 6.* 3

Cum itaque carceris cuſtodia vix poſſit eſſe ſine miſeria, horrore, & ſqualore, quo ibi incluſus affligitur, maturanda erat judici cognitio atque ſententia, quam proinde proferet de ſervo intra dies viginti, de libero homine pro ſeditione detento, ſtatim, niſi crimen tale ſit quod prolixiorem dilationem requirat, tunc enim ultra præſcriptum tempus judicium protrahitur, *l. ult. h. t.* ita tamen ut intra biennium omnino terminetur, *l. ult. infra ut intra certum temp. crim. quæſt.* alioquin judex negligentior & officium ejus, decem libras fiſco inferre cogitur, *d. l. ult. §. pen.* hujus conſtitutionis pars extat *ſup. titulo de Epiſc. audient. l. 22.* quæ permittit ut Epiſcopi moneant judices, quo celerius exequantur quæ legibus cauta ſunt de cuſtodia reorum. * Quæ omnia eo collimant, ut aut convictos reos velox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret, *l. 5. h. t.* Atque hoc judicis ſollicitudini incumbit, qui ſi ſævitiam cuſtodis non compeſcuerit, infamia notabitur, & extra ordinem punietur, *l. 1. §. 1. h. t.* Quin & commentarienſis, ſi ſingulis menſibus numerum 4

5

Digitized by Google

numerum perſonarum & varietatem delictorum, clauſorum ordines & ætatem Judici denuntiare prætermiſerit, viginti libras auri ærario Principis jubetur inferre. Judex verò hoc inquirere negligens, decem auri libris mulctatur, ſervata fortuna, id eſt, bonis non confiſcatis, *d.l.5.h.t.* Sed hoc uſus non ſervat, ut plura alia, non aliqua lege obſtante, ſed negligentia.

6 Quoniam autem unum carceris conclave, permixtos ſecum criminoſos includit, ſancivit Conſtantinus, ut etiamſi pœnæ qualitas permixtione jungenda eſt, mulieres tamen in loco ſeparato à carcere virorum cuſtodiantur, ne pudicitia earum deprehendatur contumeliis affici, *l.3. h.t.* Amplius Juſtinianus hoc mulierum pudori tribuit, ut non velit eas pro cauſa privata, aut crimine publico in carcerem mitti, aut includi, ſed ſi pro debito privato aut fiſcali pulſentur, per viros ſuos, aut quoslibet alios legitime reſpondeant. Quod ſi ipſæ noluerint reſpondere, & malint litem ſuam perſequi, legitime in bonis earum fiet executio. Si verò gravius crimen admiſerint, in monaſterium detruduntur datis fidejuſſoribus, vel præſtita juratoria cautione de judicij obſervatione, *Auth. hodie h.tit.* Verum de conſuetudine mulieres carcere concluduntur, ſeparatim tamen à viris, *Grammat.deciſ.33.n.12.*

7 Quin & pro debito aliquem incarcerari poſſe receptum videmus, maxime ſi ſe carceribus obligaverit, poſſet tamen præſtita idonea cautione liberari, ſi ita judici videatur. Magon. *deciſ.42.* Niſi jam reus per ſententiam fuerit condemnatus, eaque tranſiverit in rem judicatam, quia tunc non relaxabitur, licet idoneè caverit, aut cavere paratus ſit, ſeu ſi relaxari cupit, ſolvere cogitur. Caccialupus *de ſuſpect.debitorib.quæſt.princ.14.n.4.* Mulierem quoque ob civile debitum, carcere concludi vult fori uſus, diſtinctione adhibita, inter mulierem conjugatam & ſolutam. Mulierem, quæ marito juncta eſt, pro debitis in carcerem conjici non poſſe, ſæpius judicatum refert Annæus Robert. *lib.2. rer. jud. cap. 6.* propter honorem matrimonij, quo ſtante, habet maritus in uxoris corpus jus ac dominium, atque is nexus omni alia obligatione potentior eſt, ita ut non poſſit ob æs alienum præcedens, aut ſubſequens uxoris corpus in præjudicium mariti, carceris cuſtodiæ ſubjici. At illa quæ vidua eſt, aut maritum non habet, nihil vetat quin ejus corpus obligari, & ad debiti exſolutionem ſub carceris cuſtodia adſtringi queat; à qua tamen moleſtia liberari poterit ſolvendo, cautionem præſtando, aut bonis cedendo. Menochius *lib. 1. arb. jud. q.88.*

8 Interdum prædicta cautio & in viris criminum reis obtinet, ut nimirum fidejuſſoribus committantur, *l.1. ff. h.t.* Quo caſu ſi reus non ſiſtatur, pœna pecuniaria venit plectendus fidejuſſor, cujus dolo ſi factum ſit quo minus exhibeatur, etiam extra ordinem damnandus erit, *l.4. ff. eod.* ut autem ad pœnam corporalem fidejuſſor ſe obliget nomine rei, receptum non eſt, quoniam dominus membrorum ſuorum nemo videtur, ut ait Ulpian. *in l. 13. ff. ad l. Aquil.*

Cæterum id ſcire oportet, captum ab ipſa hora 9 traditionis, fortunis & periculo commentarienſis commiſſum eſſe, adeò ut ſi incarceratus reperiatur mortuus, nec aliter conſtet de interemptione, mors hæc commentarienſi imputetur, niſi ſe legitime expurget, puta per incendium, ruinam, incurſum amicorum, quo oſtendatur abeſſe culpam commentarienſis. Petr. Peckius *de Jure ſiſt. c. 42. n.4.*

Præterea ſi is qui captus eſt, per negligentiam, 10 aut ebrietatem commentarienſis, vel ſui adjutoris, effractis carceribus effugerit, obnoxius fit iiſdem pœnis & ſuppliciis, quibus captus affectus fuiſſet, *l. 4. h.t.* Iiſdem quoque pœnis afficitur adjutor, ſeu cuſtos carceris cujus arguitur negligentia, abſente ex cauſa neceſſaria commentarienſi, *d.l.4.in fin.* quin & pro debito civili rectè à creditoribus convenitur, cogiturque pretium præſtare, & ſimul intereſſe, quia ſua negligentia eis damni cauſam præbuit. Menoch. *2. arbitr. c. 302.* Exquiri tamen oportet; utrum nimia negligentia cuſtodis, an caſu, reus cuſtodiam evaſerit, nam ſi nimia culpa deprehendatur, graviore pœna cuſtos afficitur, ſi verò culpa ſit levior, pro modo ejus punitur; ſin fortuito & per vim, reus fugerit, cuſtodi venia datur, ut ſi ruptis compedibus, cuſtodi vim intulerit, aut ſub terra reus evaſerit foſſis actiſque cuniculis. Peckius *d. loco c. 41. n.7.*

Et contra verò ſi commentarienſis fraudulenter 11 verſatus ſit, connivendo ut reus ex altiore loco ſe dimitteret, aut ipſe eum dimiſit, capite punitur, vel in extremum gradum militiæ datur, *l. 12. & l. fin. ff. h. tit.* ubi capitis pœna non ſemper de morte naturali eſt intelligenda, ſed de civili quoque: uti de deportatione, *l. 103. ff. De Verb. Sign.* Nam capitale crimen dicitur non tantum quod vitam adimit, ſed & quod civitatis jure privat, *l. 2. ff. de publ. Jud.* Cum igitur Impp. voluerunt commentarienſem hujuſmodi pœna conſumi, cui obnoxius docebitur fuiſſe is, qui fugit, *d. l. 4.* ſequitur quod ſi hic non merebatur pœnam mortis, nec etiam debeat eam luere commentarienſis, licet fraudulenter fuerit verſatus in dimittenda cuſtodia, veluti ſi dolo, aut pretio illectus reum dimiſerit; cum pœnæ ſint potius interpretatione mitigandæ; & pœna capitis in mitiorem partem accipi poſſit, de pœna deportationis, ut tradit Farin. *in prax. crim. lib. 1. p. 3. q. 19. n. 13.* niſi circumſtantiæ aliud velint. Covarruv. in *4. decret. p. 2. c. 7. §. 7.*

Hodie mores noſtri totam rem iſtam, & quam 12 pœnam mereatur commentarienſis ob culpam, aut dolum,

dolum, relinquunt arbitrio judicantis, cujus erit ex variis circumſtantiis colligere, utrum liberius quam debuit habuerit reum, ſi multis facile & ſine delectu acceſſum dederit, & quamvis in dubio non præſumatur culpa, ſed diligentia, ex eo tamen quod ſit obligatus cuſtos ratione officij, tenetur probare quod evaſio cuſtodiæ contigerit ſine ſua culpa, niſi præſumptio diligentiæ ipſius cuſtodis eum relevet, Farinacius *de loco quæſt.* 31. Quod ſi captivus erat de proximo dimittendus, non videtur ad ullam pœnam teneri cuſtos, propter fugam, quod illa nul. reipubl. præjudicium dederit: alios caſus quibus extra culpam eſt cuſtos, refert Menoch. 2. *arbitr. caſu* 302.

13 Non etiam immunes ſunt à pœna fugientes è carcere, ſive ex cauſa civili, ſive criminali ſint incluſi, quia non cauſa, ſed violatio loci publici conſideratur, adeò ut quamvis innocentes inveniantur ex eo crimine, propter quod impacti ſunt in carcerem, tamen puniendi ſint, *l. pen. ff. h. t.* Sed juris ratio diſtinctionem admittit, an effracto carcere evaſerint incluſi, an ſine ulla effractione, cuſtodis forte negligentia, aut ſua aliqua induſtria, hoc caſu quia minus eſt delictum, levior eſt pœna, ſecundum facti qualitatem, quæ eſt in arbitrio judicantis, priore autem caſu, qui eruperunt ſive effractis foribus, ſive conſpiratione, propter vim illatam publico loco, capite puniuntur, *l.* 1. *ff. De effractor.* at capitis pœnâ ibi intelligitur mors civilis, non item naturalis, qua durum foret eum plecti qui metu exitus incerti judicij carcerem effregit: Licet in milite diverſum obtineat; hic enim, etſi militiæ deſertor non ſit, ſi tamen carcere effracto fugit, capite punitur, *l.* 13. *§. pen. ff. de re milit.* ſeveriores namque fuerunt legiſlatores in milites, quos non niſi aſpero animadverſionis genere, & pœnarum gravitate, in officio contineri poſſe exiſtimabant. Indiſtincte tamen puto eos relevandos eſſe, qui conſpirationem detexerunt *d. l. pen.* quia cum detecta fuerit, ad exitum perducta fuiſſe non videtur. Quin & illum arbitraria pœna puniendum cenſet Menochius *l.* 2. *arbitr. caſ.* 301. *n.* 13. qui animo redeundi è carcere exivit, & ſponte ſua deinde revertitur, ubi plures caſus refert, quibus fuga carcerati mitius punitur.

14 Addit præterea captivum qui effracto carcere evaſit, coërcendum eſſe ea pœna, quam meretur crimen, propterea quod impactus eſt in carcerem, quia fuga operatur confeſſionem criminis. Idem tenet Clarus *§. fin. q.* 21. *n.* 15. Sed minus recte. Nam licet effractio ipſa mereatur pœnam, non inducit tamen plenam delicti probationem, multò minus fuga ponit ſufficientem confeſſionem, cum illa ſæpe contingat ex eo quod reus non poſſit ferre carceris ſqualorem, non verò ideo quod male ſit ſibi conſcius, atque ita cum alia poſſit dari ratio fugæ, non eſt ea ſumenda quæ contrarium facit, ſaltem ad inducendam pœnam ordinariam, quæ non imponitur niſi ſtantibus luce meridiana clarioribus probationibus, non item ex ſuſpicionibus, ut habet *l.* 5. *ff. De pœnis,* & reſcriptum Impp. in *l.* 14. *ſup. De accuſ.* quo monentur Judices ut rei veritatem inquirant. Quoniam eſſet citra rationem eum de cujus innocentia conſtat, haberi nocentem propter fugam, quia alia ficta confeſſio plus operaretur quam veritas Gom. *tom.* 3. *Var. reſ. cap.* 9. *n.* 11. & Lud. Peguera *q.* 1. *criminali.* Ut non obſtet *d. l.* 1. *ff. De effractoribus,* quæ vult capite puniri eos qui effracto carcere evadunt, nam hoc non fit ratione confeſſi criminis, ſed effractionis, quæ continet violentiam.

Eoque pertinet quod etſi fugam licitam faciat affectus ſingulis innatus conſervandi vitam (ut mox dicam latius) fugam tamen cum effractione, & violentia, impunitam publici juris ratio non relinquit. Covarruv. *l.* 1. *var. c.* 2. *n.* 11. atque eo pertinet *l. pen. ff. h. t.* quæ ponit vim in effractione violenta, ob quam etiam innocens dicitur puniendus, tanquam violator loci publici, ut ſecus ſit, ſi ex alio loco in cuſtodiam aſſignato eruperit, cum hic locus non pertineat ad publicam ſecuritatem, prout carcer, quem qui perfringit, fere idem ſcelus admittit, ac ſi muros civitatis violaret, *l. ult. ff. De rer. diviſ.* Etenim ut muri ab oſtium incurſu nos defendunt, ita & carcer, dum facinoroſos homines coërcet. Contrarium defendit Fachinæus. *l.* 9. *cont. c.* 67. 15

Igitur ſi abſit violentia, poterit reus fugere è carcere, quem apertum invenit, aut evaſit arte aliqua, aut ſtratagemate, fallendo cuſtodes, maxime ſi injuſtam condemnationem metuat, nec refert quod ex ipſius fuga, cuſtodi damnum immineat, nam hoc contingit per accidens, quod proinde non debet fugienti imputari, ſed culpæ potius cuſtodis oſcitanter carcerem cuſtodientis: primariò namque fugiens intendit ſanguinem ſuum redimere, quod certe ei qualitercumque facere licet, *l.* 1. *ff. De bonis eor. qui mort.* ſibique conſulere non tantùm ante ſententiam, ſed & poſt eam, qua damnatus eſt ad mortem, aut membri mutilationem, cum cuique ſit jus ad vitæ ſuæ conſervationem, quod nulla humana poteſtas ei auferre poteſt. Adeò ut etiam ſub ictu gladij poſitus, ſi detur occaſio evadendi, fugere poſſit reus, & locum ſacrum intrans ab eo extrahi non debeat, cum hic caſus non ſit inter exceptos; *de. quib. ſup. de his qui ad Eccleſ. confug.* 16

Cæterùm cum diximus fugam eſſe licitam, intellige ex carcere perpetuo, quia gravior ejus pœna, omnino diminuens naturalem libertatem, ſecus ex carcere temporali, cujus detenſio non videtur gravis. Præterea eo caſu quo licita eſt fuga, licitum erit quoque illius modum ſuggerere, uti & præbere inſtrumenta quibus effringatur carcer, vincula incidantur, quamvis ea res non ſit impunita, 17

ſi

ſi deprehendantur ſubminiſtrantes inſtrumenta, aut fugæ cooperantes: facit tamen affectus mitigari pœnam in uxore, quæ ſua induſtria, maritum è carcere liberavit, dando ei veſtes muliebres & ſumendo ſibi veſtes mariti, aut alia arte utendo. Gomez *lib.3. var. reſ. cap. 9. in fine.*

18 * Ut autem quis carcerem effringat, in gratiam rei non eſt licitum, quia ſoli reo id juris eſt, propter incommodum quod ſentit, & deinde nihil eſſet firmum Judicibus ad cuſtodiam reorum. Ita autem licitum ſuadere fugam, aut quid ſubminiſtrare cooperando ad eam, niſi ſtatui, aut officio in republica, iſta cooperatio repugnet, quomodo juſtitiæ miniſtri, contra juſtitiam reipublicæ debitam facient, ſuadendo fugam, aut ad eam cooperando, cum illorum munus ſit, arcte cuſtodire reum, & curare ne fugiat. Gutierez *lib.2.canon. qq. cap.24. num.15.*

TITULUS V.

De privatis carceribus.

1. *Pœna privatum carcerem habentis, & judicis hoc crimen punire negligentis.*
2. *Parentibus, dominis & ſuperioribus monaſteriorum, licet filios, ſervos & monachos ſuos coërcere & concludere.*
3. *Idem permiſſum marito in adulterum.*
4. *Ab hoſtibus captum quamdiu liceat retinere.*
5. *An capi poſſit debitor a creditore? aut vi pacti ſe obligare ad carceres?*

1 SUperior titulus eſt de publico, hic de privato carcere, quem nulli domi ſuæ, aut alibi citra Principis auctoritatem habere licet, quo vere criminoſos contra eorum voluntatem includat, alioquin in crimen læſæ Majeſtatis incidit, ob quod ultimo ſupplicio afficitur, & bona ejus fiſco applicantur. Idem crimen incurrit Judex qui cognito hujuſmodi ſcelere, læſam non vindicavit Majeſtatem, *l.1.h.t.* At Juſtiniani mitior conſtitutio jubet ne privatæ cuſtodiæ fiant, & ut is qui fecerit & aliquem incluſerit, tot diebus ipſe patiatur pœnam publici carceris, quot alium retinuit in privato, & cauſa cadat quam habuit adverſus incluſum, *l.2.h.t.*

2 Ab iſta regula excipiuntur parentes, qui contumaces ac infames filios vinculis coërcere, ac intra familiam eos emendare, & continere poſſunt; Itemque domini audaces ſervos vincire & cædere, uti & ad tempus in villam relegare, *l.35. §.3. in fin. ff. De hered.inſt.* dummodo meminerint animadverſuros Judices, ſi diſciplinæ modum exceſſerint. Ad parentum dominorumque rationem rediguntur carceres monaſtici, diſciplinæ ſervandæ, & levibus exceſſibus puniendis, permiſſi. Nam graviorum ſcelerum vindicta cenſuræ & juriſdictioni Ordinariorum reſervatur. * Permiſſum quoque lege Julia 3
marito adulterum cum uxore deprehenſum concludere domi ſuæ, aut ubi deprehendit, horis viginti diurnis nocturniſque continuis, retinere, teſtandæ & probandæ ejus rei cauſa, *l.25.ff. ad l. Jul. De adult.* Planè licet cuivis latronem, maleficum, furem nocturnum, & depopulatorem agrorum apprehendere, & detinere, ut Judici eos ſtatim offerat, *l.21. infr. De his qui latr. l.ult. infr. De maleſ. l. 4. & 5.ad l.Aquil.* Sic moribus licet certo tempore retinere pecus alienum deprehenſum, ſi quid in agro depaſtum eſt, rei teſtandæ cauſa.

Denique captum ab hoſtibus licet retinere, quouſque lytrum ſolverit; poteſt & is qui eum redemit, 4
pro pretio & expenſis recuperandis detinere, Hypol. de Marſ. *ſing. 135.* Quod ſi captus ab hoſtibus dimiſſus fuerit ſub pacto redeundi ad locum in quo detinebatur, eo obſtringitur, exemplo Attilij Reguli, de quo apud Ciceronem *lib. 3. off.* quia *non debuit conditiones pactioneſque bellicas, & hoſtiles perturbare perjurio.* adeò enim hujuſmodi publicas pactiones ſervare convenit, ut liceat pro earum ſecuritate obſides accipere & detinere, docet ut Covarruvias *lib.2. Var. cap.1. in prin.* ubi addit id non procedere in privatis, ne humana libertas impediatur.

Itaque creditori minime licebit vi pacti cum ſuo debitore initi, ipſum vel alium ejus nomine pro 5
debito civili detinere, repugnat enim id juri communi, quod certum in diſcuſſione bonorum debitoris ordinem præſcribit *in l. 15. §. 2. ff. De re jud.* neque permittit executionem inchoari ab ipſa debitoris apprehenſione, detentioneve niſi ſuſpectæ ſit fidei. Videatur Coſtalius *ad l.14. ff. ſol. matr.* ubi caſus recenſet, quibus indiſtincte perſona capitur & detinetur in publico, non etiam privato carcere. Item Mynſingerus *cent. 6. obſ. 51.* teſtatur validam receptamque eſſe iſtam pactionem, ut ſi debitor intra præſcriptum terminum non ſolvat, in carcere publico detineatur, licet non ſit ſuſpectus de fuga: ſi enim, inquit, id fieri poteſt per legem, ut non ſolvens detineatur, quidni & per pactum, ſi ſolvere differat intra terminum? Humanius tamen ut prius debitor excutiatur, & ſi deprehenſus fuerit tantum habere in bonis, ut creditori exinde ſatisfieri poſſit, à carceris cuſtodia liberetur. Nam carcer ſemper moleſtus eſt, & licet infamiam juris non irroget, *l.1. ſup. ex quib. cauſ. infam. irrog.* non tamen eſt ſine quadam facti infamia, quæ apud bonos & graves cives notam aliquam inurit. Multa in hanc rem ſcripſit Joan. Bapt. Caccialup. in ſuo tract. de debitore fugitivo.

Digitized by Google

TITULUS VI.

Si reus vel accuſator mortuus fuerit.

1. *Cur accuſatio nec hæredibus, nec contra hæredes detur?*
2. *Morte rei extinguitur crimen, & per hoc judicium aboletur.*
3. *Quid ſi deceſſerit pendente appellatione?*
4. *Quid ſi accuſator mortuus fuerit?*
5. *Varij caſus quibus morte crimen non aboletur.*
6. *Uno delinquente mortuo, contra alios eſt accuſatio.*
7. *Quando cadaver puniatur: & ubi furca ſuſpenſum, an poſſit dari medicis ad anatomiam.*

1 Publicorum criminum accuſationes nec hæredibus, nec contra hæredes dantur, non quidem in hæredes, quia cum pœnæ tenere debeant ſuos auctores, *l. 22. infr. De pœnis.* iniquum foret aut damnari hæredem qui non peccavit, aut ſententiam inanem in eum proferre, quæ non niſi ſumma iniquitate executioni mandari poſſet in innocentem Hæredibus quoque non dantur, quia cum hæc accuſatio nullo modo pertineat ad rem familiarem, ſed ad meram vindictam, facile eam intercidere patiuntur leges.

2 Mortuo igitur reo, etiam militiæ deſertore, ante ſententiam crimen cum pœna extinguitur, ac per hoc accuſationis neceſſitas evaneſcit, *l. 1. §. 3. h. t.* Idque procedit ſive reus publico, ſive privato judicio accuſatus per ſe crimen commiſerit, ſive aliis id mandaverit, pendente accuſatione, nam bona ejus ſucceſſoribus cedunt, præterquam ſi ſibi mortem conſciverit, *l. 5. h. t.*

3 Planè ſi reus condemnatus appellavit, & pendente appellatione deceſſit, extinguitur quidem judicium, niſi ſpecialiter per ſententiam à qua appellatum fuit, bona accuſati, vel pars ejus bonorum confiſcata ſint: quia tunc rei perſona ſubducta, & capitis cauſa perempta, nihilominus appellationis ratio examinabitur, utrum valeat necne particularis bonorum publicatio, *l. ult. h. t.*

4 Mortuo quoque accuſatore criminis accuſatio extinguitur, *d. l. ult. §. 1.* quamvis per alium denuo poſſit reus accuſari, idque intra dies triginta, utiles, ſi quæſtio adulterij moveatur, *l. 3. in fin. ff. De accuſ. l. pen. ff. De publ. jud.*

5 Verum ab iſta regula, qua dicimus morte rei crimen extingui, ac per hoc judicium cœptum aboleri, primo excipitur crimen læſæ Majeſtatis divinę & humanæ, *l. 4. §. 4. ſup. De hæret. & l. ult. infr. ad l. Jul. maj.* Item crimen repetundarum, *l. 20. ff. De accuſ.* Hæc enim crimina etiam ante litem conteſtatam & condemnationem defuncto reo, contra ejus hæredes exercentur. Idem eſt in eo qui pendente appellatione metu pœnæ mortem ſibi conſcivit, *l. 5. h. t.* & generaliter in omnibus gravioribus delictis, ex quibus ipſo jure pœna imponitur, propter effectum privationis, quæ ex legis proviſione inducitur. Unde paſſim hic Interpretes ſcribunt, quod ubicumque jus diſponit ipſo jure, vel facto aliquem bonorum confiſcatione, vel quacumque alia pœna puniri, ſufficere pronuntiari illum in crimen incidiſſe, abſque publicationis, vel confiſcationis mentione, quia ſubintrat juris diſpoſitio quæ pœnam imponit, *cap. cum ſecundum, De hæred. in 6. l. fin. infr. ad l. Jul. maj.* Quamvis enim Judex nihil de pœna ſubjecerit, tamen legis poteſtas adverſus condemnatum exercetur, *l. 1. ff. ad Turpill.*

6 Denique ceſſat prædicta regula, quando duo ejuſdem criminis rei ſunt accuſati, nam mors unius non abolet accuſationem ſuperſtitis, *l. 2. h. t.* cum diſtincta hæc ſit & ſeparata, & ſinguli rei teneantur in ſolidum. Imò quamvis falſi machinatoris mors extinxerit accuſationem, poterit tamen accuſatio de integro inſtitui, ſi quis inſtrumento iſto falſo uti velit, cum talis intelligat ſe periculo criminis eſſe ſubjectum, *l. 4. h. t.*

7 Cæterùm quamvis jus noſtrum inhumanum judicaverit in cadavera ſævire, quaſi mors crimina ſuſtuliſſe videatur: Itemque petentibus permiſerit corpora damnatorum ſepelire, præterquam in atrocibus criminibus, *Tit. ff. De cadav. punit.* Conſuetudo tamen induxit, ut etiam in aliis quibuſcumque inſepulta manerent corpora, ut tam triſti exemplo alij deterreantur. Unde paſſim famoſi fures & latrones tanquam hoſtes generis humani, ſepultura privantur, & quamvis poſt mortem, convicti furca ſuſpenduntur. Eſt & illa probanda conſuetudo, quæ Judici dat arbitriũ permittendi Medicis cadavera ad uſum artis anatomicæ; & licet affici videantur contumelia, prævalet tamen utilitas publica. Eoque pertinet *l. 31. ff. De injur.* ubi habetur Judicem non facere injuriam, cum id quod facit reſpicit utilitatem publicam, quamvis in privati alicujus contumeliam tendat. Gomez *tom. 3. Variar. cap. 14. in fine.*

TITULUS VII.

Si quis Imperatori maledixerit.

1. *Ratio ordinis Tituli.*
2. *Quando Princeps pœnam remittat reo ob maledicta.*
3. *Interdum pœnam ſtatuit pro qualitate perſonæ, & maledicti gravitate.*
4. *Glorioſum in Principe injurias contemnere & pati.*

5. *Maledi-*

Digitized by Google

5. *Maledictum in Pontificem crimini Majeſtatis imputatur.*
6. *Qui in Deum & in ſanctos blaſphemus fuerit, quæ pœna utroque jure:*
7. *Et moribus puniatur?*

1 NUnc ad ſingulas ſpecies, ſive genera publicorum judiciorum Juſtinianus deſcendit, atque initium ſumit à crimine læſæ Majeſtatis longe graviſſimo, cum adverſus rempublicam committatur, vel adverſus Principem à quo reipublicæ & omnium, ſingulorumque civium ſalus pendet. Hoc crimen, dicto, vel facto committitur. De dictis eſt hic titulus, de factis dicitur Titulo ſequenti.

2 Et quidem ſi quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbis dictis, petulantibuſque maledictis Majeſtatem offenderit, cum humani Principes nullam eo nomine pœnam, aut durum aliquid ſuſtinere voluerunt, *l. ult. h. t.* ea ratione, quia is, aut ex quadam levitate peccavit, & ſic contemnendus, aut inſania, & miſeratione dignus eſt, aut injuria, & remittendum eſt crimen, id eſt, condonandum, non etiam, ut quidam volunt, remittendum ad Principem, ut ipſe de eo ſtatuat, cum bonus Princeps, nequeat injuria affici, ut ex Græcis interpretatur Cujacius. Quibus verbis manifeſtum fit, non debere Principem punire eos, qui ipſi maledicunt, nec omnes, nam *ſi omnes convitiatores ſupplicio afficeret, quibus imperaret non haberet.* Seneca *lib. 1. De clem.*

3 Attamen ſi exempli neceſſitas pœnam requirat, recte Princeps eam ſtatuet, quo pertinent verba finalia *d. l. un.* quæ volunt penſare debere Principem ex perſonis hominum utrum dicta permitti aut exquiri debeant: ne lubricum linguæ facile trahatur in periculum, neve Judices abutantur veneratione Principis, nimis ſeveriter dicta factaque Principis concernentia puniendo, *l. 6. §. 3. ff. ad* 4 *l. Jul. Maj.* * Maxime cum verum ſit illud Senecæ, magnanimi eſſe in ſumma potentia injurias pati, nec quicquam glorioſius Principe impune læſo, qui longe ſit execrabilior in propriis, quam in alienis injuriis. Quo nomine ſuum Trajanum extollit Plinius in panegyrico dum ait, *Majeſtatis crimen ſingulare eſſe, & pene unicum crimen eorum, qui crimine carerent, ideoque ejus metum à Trajano eſſe ſublatum contento magnitudine, qua nulli magis caruerant, quam qui ſibi Majeſtatem vindicarunt.*

5 Jure Canonico quaſi reus Majeſtatis eſt, qui honorem ſummi Pontificatus, improbo petulantique maledicto minuit, arbitrio tamen Judicis punitur pro atrocitate verborum, perſonæ & loci qualitate. *cap. 1. X. De maledicis.*

6 At verò illi qui in Deum, ac ejus ſanctos convicium aliquod evomunt, uti & blaſphemi, Deo probroſe tribuentes, quod ei non convenit, aut detrahentes quod eidem convenit, graviſſime coërcentur, mulcta pecuniaria, jejunio & publica pœnitentia, quam ſi ſolvere & peragere renuerint, Eccleſiæ interdicitur ingreſſus, & mortuis Eccleſiaſtica denegatur ſepultura, *c. 2. d. t.* At Juſtinianus *Novell.* 77. ultimum ſupplicium blaſphemis imponi jubet, & merito, quia ut ipſe ait, propter blaſphemiam Deus, peſtem, fulmen, terræ motus, & ſimiles plagas hominibus immittere ſolet. * Mores, 7 & Conſtitutiones Principum noſtrorum, & Regum Franciæ, pro blaſphemiæ qualitate, enormis delicti reos modò palo affixos catamidiari jubent, modò linguam quæ verba execrabilia protulit perforari, modò labia quæ iſtis verbis viam non obſtruxerunt, ferro præſcindi decernunt. Mitior in Belgio pœna à Carolo V. Imperatore anno 1518. decreta, eaque pecuniaria, vel carcer aliquot dierum cum jejunio. Niſi graviores fuerint blaſphemiæ, abnegantium Deum, aut Virginem beatiſſimam, quia tunc durior, atque unius menſis carcer erit; quo & illi coërcentur qui improba juramenta, aut perjuria committunt. Covarruv. ad *cap. quamvis part* 1. *§. 7. num.* 11. *& ſeqq.* Valenſis ad *d. tit. De maledicis.* Zypæus *in Analyſi Juris Pontif. ad tit. De maledicis.*

TITULUS VIII.

Ad L. Jul. Majeſtatis.

1. *Lex hac Julia à quo lata, & quæ fuerit ejus pœna.*
2. *Crimen Majeſtatis, quod & cui ſimile?*
3. *Committitur adverſus Principem, ejuſve Conſiliarios, quorum creatio neceſſaria.*
4. *Quomodo id accipiendum, in conſiliarios crimen committi.*
5. *Caſus traduntur quibus pœna hujus legis ceſſat.*
6. *Perduelles qui dicantur? Inter eos non reputatur urbem dedens, quam defendere non potuit.*
7. *Exploratores, uti & proditores hoc judicio tenentur.*
8. *Item & qui jura Principis reſervata ſibi adſcribunt. Quid ſi non ſint ſubditi?*
9. *Singularia in hoc crimine, quod ſolemnitates remittantur; reus & accuſator torqueantur.*
10. *Omnes admittantur ad accuſandum, nec eximantur quæſtioni.*
11. *Miniſtri & conſcij hujus criminis tenentur.*
12. *Quatenus conatus & cogitatio puniatur, & in quibus criminibus, & quid moribus receptum?*
13. *Quæ ſit hujus criminis pœna.*
14. *An bona ipſo jure confiſcentur, & quæ bona?*
15. *Donationes facta poſt contractum crimen non tenent, ſecus ſi ante, niſi ſit donatio mortis cauſa.*
16 *Donatio propter nuptias, uti & dos, ſalva manet innocenti uxori.*

Digitized by Google

17. *Quibus pœnis afficiantur filij reorum, & cur cum filiabus mitius agatur?*
18. *Rationes diſcutiuntur, cur filij puniantur, & arceantur ab hereditate paterna.*
19. *Olim ſtatuæ reorum criminis læſæ Majeſtatis delebantur, hodie inſignia eorum & ædes diruuntur, nec lugentur damnati.*
20. *Pœna damnationis memoriæ, & confiſcationis ad perduellionis crimen pertinet, non ad alia l. Jul. capita.*
21. *Pœna liberorum an extendatur ad filios emancipatos & naturales?*
22. *Itemque natos ex matre perduelli.*
23. *An nepotes perduellis puniantur, & quid in cauſa hæreſeos paternæ?*
24. *An filij ante reatum patris nati, afficiantur iiſdem pœnis quibus poſt reatum nati?*
25. *An hereditas filij delata, ſit fiſco applicanda?*
26. *Mores noſtri mitius agunt cum filiis rebellium?*

1 HÆc lex lata dicitur à Julio Cæſare Dictatore, quæ tamen tralatitia eſt ex lege Cornelia Majeſtatis, quam ante ipſum Cornelius Sylla (uti Cicero indicat in oratione in Piſonem) dictator tulerat. Poſtea Julius Cæſar eam innovavit, & pœnam interdictionis aquæ & ignis impoſuit, quæ pœna poſtea antiquata, & in mortis pœnam commutata eſt, ut infra dicetur. Vigebat enim adhuc tempore Cæſaris lex Portia, item Sempronia, quæ civibus capitali noxia damnatis, exilium permittebant.

2 Crimen læſæ Majeſtatis proximum eſt ſacrilegio, id eſt, proximè ad gravitatem ſacrilegij accedens, non tamen tam grave, Dei enim violatio major quam Principis: eſtq; parricidio ſimile, & ideò ſæpe hoc crimen appellatur patricidium. Florus de conjuratione Catilinæ, Fulvia viliſſimum ſcortum, ſed patricidij innocens. Majeſtatis autem crimen illud eſt, quod adverſus populum Romanum, vel ejus ſecuritatem committitur; *l. 1. ff. h. t.*

3 Hodie tranſlato imperio in Principem, hujus criminis reum cenſeo, qui de facto aliquid molitur in perſonam ejus qui ſummum habet imperium, ſive is ſit Imperator, ſive Rex, Dux, aut alterius nominis Princeps, aut in alios quidem, ſed in contumeliam, perniciemve Principis, *l. 5. in princ. h. t.* Ubi qui cauſam dedit neci illuſtrium virorum, qui conſiſtorio Principis interſunt, dicitur reus læſæ Majeſtatis, quod tales ſint quaſi pars corporis Principis. Princeps enim cum extenſo longis limitibus territorio, ubivis uno tempore eſſe non poſſit, nec per ſe judicia, bellum ſimul & omnia gerere, probe viris doctis utitur, ut inſtrumentis ad id comparatis, ſublevat, ſe populumque oneribus regni ferendis, hoc ipſo par, atque æqualis, ſi non major.

4 Quamobrem attentatum in hoſce prudentiſſimos viros, qui in communionem curarum veniunt, cum ipſo Principe, à quo & poteſtatem imperiumve habent, in ipſum Principem, aut rempublicam attentatum habetur, *d. l. 1.* Jul. Clarus §. *læſæ Majeſtatis n. 3.* Diſſentit tamen Fachinæus *lib. 9. Contr. c. 32.* quod hoc crimen juxta ſuum objectum tantum in eos committatur, qui Majeſtatem habent, qua carent viri illuſtres & Principis Conſiliarij. Dicendum itaque non ſtatim qui Conſiliarium Principis offendit, crimen committere Majeſtatis, ſed cùm quid in eum, odio Principis committitur, eoque fine, ut reipublicæ tranquilitas turbetur. Non etiam ſi occaſione litis privatæ quid fiat. Quamvis enim *d. l. 5.* non diſtinguat, ratio tamen & gravitas pœnæ, ac ipſa verborum proprietas, hoc ſuggerit diſcrimen.

Quin & illud moderamen admittit, ut non con- 5
tinuò ſi quid etiam contra ipſum Principem imprudenter dictum factumve fuerit, huic judicio locus ſit; niſi in eo damnum reipublicæ vertatur. Quid enim ſi calore iracundiæ, aut ex petulantia, quis Principi maledixerit, aut ejus nomen perjurio violaverit, cum tamen ſe ſervo ſuo ſemper iratum fore juraſſet, *l. 2. h. t.* non eſt ratio, ut pœnam aliquam ſuſtineat, quia ſatis Deum ultorem habet *l. ſupra de jurejur.* & ut ait apud Tacitum Tiberius, pro eo qui accuſabatur de perjurio, violaſſe nomen Auguſti, Deorum injuriæ Diis curæ. Plane etiam eo caſu pœna hujus criminis ceſſat, cum Judex per imprudentiam contra Conſtitutiones judicavit, *l. 1. h. t.* quo caſu diximus ſupra, ſententiam ipſo jure non valere, *Tit. quando provoc. non eſt neceſſ. num. 3.* Non tamen hoc impune Judici licet, quia litem ſuam facit. De quo *ſup. tit. de pœna Jud. qui male jud.*

Videndum igitur quo animo, quove modo hoc 6
crimen committatur, & quinam proprie illud committant. Et certum eſt committi à ſubditis, qui pactiones proditioneſve ineunt cum hoſtibus, adverſus rempublicam ſeu Principem; & hi perduelles dicuntur, uti & illi qui hoſtili animo armati incedunt, & procurant necem Principis, qui curant injuſſu Principis obſides interimi, qui exercitum colligunt, qui ſeditionem in republica concitant, eam hoſtibus produnt, arcem & cives tradunt, *l. 1. 2. & 3. ff. h. t.* Quid ſi urbem arcemve defendere non potuerint? tunc ſane non eſt quod culpentur illam dedentes, cum impoſſibilium nulla ſit obligatio, & neceſſitas legem non habeat, cujus tanta vis eſt, ut illi reſiſti nequeat, unde & culpa carere is dicitur, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt, *l. 50. ff. de reg. jur.*

Videntur & exploratores qui ſecreta Principis, 7
aut reipublicæ nuntiaverunt hoſtibus, uti proditores hoc judicio teneri, *l. 6. §. 4. ff. de re mil.* quod non tantum committendo contrahitur, verum & omittendo, veluti non prodendo hoſtium machinationes. * Cæterum qui jura Principi ſoli 8
reſer-

reſervata ſibi adſcribunt, vectigalia nova abſque ejus auctoritate imponendo, ſtatuas ejus violando, monetam adulterinam cudendo radendove, carceres privatos habendo, publicos effringendo, rei potius Majeſtatis ſimpliciter læſæ cenſentur, ſi modo fuerint ſubditi, quia qui ſubditus non eſt Principi contra quem deliquit, non poteſt argui criminis læſæ Majeſtatis. *Clem. 2. §. rurſus de ſent. & rejudic.* ubi Pontifex perperam ſententiam perduellionis adverſus non ſubditum latam declarat, non tamen immunem eſſe ab alia pœna, cujuſcumq; ſit ſtatus vel conditionis. Poteſt id tamẽ limitari in non ſubdito, qui dum in alterius Principis territorio verſatur, ibi aliquid hoſtile contra illum machinatur, nam talis quamvis peregrinus ſit, exiſtens tamen in iſto territorio, ibique delinquens ejus forum ſortitur & ſecundum leges loci punitur.

9 In hoc crimine læſæ Majeſtatis multa ſunt ſingularia. I. Circa formam judicij exercendi, & maximè ubi directò contra Principem aliquid dicitur commiſſum, quod poſſit accuſatio ſeu inquiſitio fieri, atque procedit ſummarie & de plano ſine ſtrepitu judicij, prout illi qui judicio præeſt videbitur expedire. Quod tamen non eò pertinet ut probationes neceſſariæ omitti, aut defenſiones legitimæ rejici poſſint, ſed ut quam minime differatur perduellionis judicium, & rei convicti punitio prout reipublicæ expedit, acceleretur. Gudelinus *de jure noviſſ. lib. 5. c. 16.*

10 II. Quod non ſolum accuſatus, ſed etiam accuſator tormentis ſubjiciatur, & ille cujus conſilio ſeu inſtinctu ad accuſationem acceſſit, ſi manifeſtis indiciis crimen non detegatur, *l. 3. h. t.* merito enim punitur temeritas accuſatoris, qui crimen intentavit, quod probare non poteſt.

III. Cùm reipubl. ſalus poſtulet hoc crimen detegi & puniri. Ideo famoſi, & milites, & mulieres, minores & majores admittuntur ad accuſandum. Itemque omnes quæſtioni ſubjiciuntur, quia in cauſa majeſtatis omnibus æqua eſt conditio, ut non habeatur ratio dignitatis, generis aut militiæ, *l. 4. h. t.* cujus tamen haberi ſolet in aliis criminibus & cauſis. Quo fit ut etiamſi nobiles & decuriones & filij eorum, qui munera decurionatus depoſuerunt, omnino ſint exortes omnium earũ pœnarum, quas fidiculæ ſeu tormenta conſtituunt, *l. 16. & ſeq. C. de quæſt.* In hoc tamen crimine quod ad imminutam majeſtatem pertinet ad evitandam quæſtionem & pœnam legis, nemini prodeſt privilegium: Adeo ut clericus hujus criminis reus coram ſuo judice conveniri, & degradari debeat. Anchor. *in c. quamvis de pœnis in 6.* nec non ſervus torqueri in caput domini. *l. ult. §. 1. hoc tit.*

11 IV. Obſervandum eſt, non ſolum ſceleris auctores, ſed & ſatellites, miniſtros, conſcios ac filios eorum hoc judicio teneri: Niſi quis in exordio initæ factionis ſtudio veræ laudis accenſus initam prodiderit factionem, *l. 5. §. 6. h. t.* Proinde filius non excuſabitur à pœna hujus legis, ſi impia patris ſui conſilia celaverit, quoniam patriæ ſalus, ſaluti patris anteponenda eſt, ut eleganter docet Cicero 3. *offic.* Nihilque magis eſt neceſſarium quam conjurationem in Principem, aut patriæ proditionem à quovis detegi, dummodo ea probari poſſit. Nam ſi conſcius criminis, id probare nequeat, rectius ſibi & ſaluti ſuæ conſulet reticendo, monendoque ipſum Principem, aut magiſtratum cui periculum imminet ut ab illo ſibi caveant. Decius & Cagnolus *ad l. culpa caret 50. ff. de reg. jur.* Mynſingerus *cent. 5. obſer. 40. & ſeq.*

V. Singulare & hic eſt, quod ſufficiat nuda volun- 12
tas, ſeu conatus, quamvis effectum non habuerit, *d. l. 5. in princ.* ſic tamen ut voluntas aliquatenus in actum exteriorem exierit, verbi gratia, ſi Principem interfecturus, emerit venenum, etiamſi non porrexerit, aut ſi conſilium de nece Principis per epiſtolam, vel nuntium cum aliquo iniverit; Ut non obſtet quod cogitationis pœnam nemo ſubeat, *l. 18. ff. de pœnis.* quia cogitatio conatui adjuncta, pro facto impleto habetur, & punitur. Non urget, quod conatus non ſoleat puniri, nam hoc ita ſingulari jure receptum eſt in majeſtatis crimine, propter ejus atrocitatem. Itemq; in aliis gravioribus criminibus, uti in adulterio, & inceſtu, nam qui alienas nuptias ſollicitavit, qui virginem rapuit, aut Deo dicatam attentavit, & nuptias ejus affectavit, propter voluntatem pernicioſæ libidinis gravi pœna plectitur, *l. 1. ff. de extraord. crim. l. 5. & l. 54. ſup. de Epiſc. & cler.* ſimiliter qui officium in provincia gerit, ſi mulieris, ex ea provincia invitæ nuptias tentaverit, *l. 1. ſup. ſi quacumque præd. pot.* Et fur quoque vel effractor, qui cum telo hominis occidendi cauſa ambulavit; licet effectu potiri non potuerit, legibus coërcetur: nam in maleficiis non tam facinus ipſum, quam voluntas committentis ſpectatur, *l. 14. ff. ad l. Corn. de Sicar.* Nec enim ei proderit dicere, inquit Quintil. *Non feci, nunquam mens exitu æſtimanda eſt, ſatis eſt probare animum parricidæ. decl. 281. & decl. 274. Inſidiatus civi, etiamſi non effecerit ſcelus, pœnas tamen legibus ſolvit.* Apud nos etiam ſolus conatus in hoc crimine punitur, ut affirmat Chriſtinæus *ad h. t.* etſi in Gallia deſuetum ſcribat Bugnonius, *leg. abrog. l. 1. ſ. t. 57.* quamvis in aliis criminibus id recipiatur. Videatur Annæus *Rob. 1. rer. jud. c. 6.*

Pœna autem hujus criminis eſt animæ amiſſio, ut 13
in Inſtitutionibus loquitur Juſtinianus *ſub. tit. de publicis Judiciis,* id eſt, mors, ſeu ut gladio reus feriatur, *l. 5. in pr. h. t.* ſi non diſcerptionem membrorum, vel aliud genus ultimi ſupplicij acerbioris, qualitas maleficij exigat. Quod autem dicat Imp. animam amitti id hunc non habet ſenſum quaſi anima quę immortalis eſt, extinguatur, ſed quod à corpore ſeparetur,

Digitized by Google

tur. Amplius in hoc crimine, memoria illius qui reus eſt, damnatur, nempe omnibus ejus bonis fiſco vindicatis, nulloque ſucceſſore relicto, qui ipſius mortui perſonam repreſentet, *l.6.& l.ult.h.t.& l.ult.*
14 *ff.eod.* * Quæ leges & hoc dictant ex quo is tale crimẽ contraxit, perduellionemque commiſit, exinde quodammodo ſua mente punitum eſſe, ipſoque jure bona amittere, tum feudalia, tum allodialia, & quæ juriſdictionis ſunt, ita ut non ſit opus alia ſententia, quam declaratoria pœnæ ademptionis bonorum, *c.1.in fin. de homic. in 6.& c.19. de hæret. in 6.* Atque hujuſmodi pœnæ executio, obtinet in bonis rei, quæ ſunt in territorio Principis, cujus Majeſtas læſa, quia bona alibi ſita non poſſunt dici publicata, cum lex non ſe extendat ultra territorium legiſlatoris, *c. 2. de conſtit. in 6.* nec poſſunt dici à domino territorij in quo ſita ſunt, vindicari, quia contra eum non eſt admiſſum crimen.

15 Ex prædictis infero, ex eo tempore quo de ineunda factione ac ſocietate criminis quis cogitavit, alienationes bonorum ab ipſo factas, venditiones, dotes, vel manumiſſiones ſervorum, vel emancipationes liberorum non ſubſiſtere, nec ſolutiones utiles eſſe ſi quæ ei fiant, *l.5.§.4.l.6.§.1. & l.ult. h.t. & l.15.l.31. §. final. ff. de donat.* Secus ſe res habet in aliis criminibus, in quibus non ſecuta condemnatione ante mortem rei, donationes ab eo factæ ratæ manent, quia poteſt bona ſua adminiſtrare, eique debitor recte bona fide ſolvere, *l.46. §.6. ff. de jure fiſci, l.15. ff. de donat.* Dico ex eo tempore quo crimen contraxit, aut id patrare cogitavit, donationes nullius momenti eſſe, ut ante crimen ſi inter vivos factæ ſint, ratæ habeantur, ſi autem mortis cauſa, ſecus dicendum, *per l.7. ff. de mort. cauſa donat.* ubi donatio mortis cauſa facta, etiam ſine ſuſpicione pœnæ, id eſt, ante crimen contractum revocatur, & hoc ideò quia inſtar legati non eſt perfecta ante mortem, ut recte in irritum vocetur donatore damnato. Niſi tamen is teſtandi facultatem à Principe impetrarit, quia tunc & mortis cauſa donare poterit.

16 Planè ea quæ ab innoxio adhuc marito ante nuptias donationis titulo, mulier accepit, quaſi in præmium pudicitiæ, & ſi quæ pater ante tempus criminis, ac reatus in filios emancipatos contulerit, rata eſſe expreſſo jure conſtitutum eſt *in l.9. §.1. infr. de bonis proſcript. & l.24. ſup. de don. inter vir. & uxor.* Quin etiam damnato marito ob hoc crimen, uxori ſalva manet ſua dos, quam corporaliter ſe tradidiſſe probaverit. Item uſusfructus donationis propter nuptias quoad vivit, quæ poſtea fiſco cedit. *l.5. §.5. h.t.* Non enim innocenti uxori debet obeſſe mariti delictum, *l.2. ſup. Ne uxor pro marito,* neq; ex eo conditio uxoris in bonis ſuis fieri deterior, *l.1. infr. ad l. Jul. de vi publ.*

17 Patris quoque macula, vel delictum innocenti filio non nocet, quo minus ipſe filius avi majorumque dignitate & commodis fruatur, *l.3. ff. de inter. & releg. l.9. ff. de ſenat.* Singulare eſt in crimine læſæ Majeſtatis, quod filij ſentiant pœnam parentis, ſiquidem infames & pauperes omnino fiant, honorum omnium, hæreditatumque perpetuò incapaces: imò illis vita imperatoria lenitate conceditur, *d.l.5.* quamquam non videatur quod ullo jure potuerat innocentibus vita adimi. Certum tamen eſt, & probati auctores fidem faciunt, multa extare veſtigia, & exempla antiquitatis, quibus conſtat eam necis pœnam apud veteres tum macedones, tum Romanos viguiſſe, eoſque una cum parentibus inſontes liberos vita privaſſe. *Mutianus*, inquit Tacitus, *Vitellij filium interfici juſſit, manſuram diſcordiam obtendens, ni ſemina belli reſtrinxiſſet.* Nam filij paterni regni vindices, Seneca & Curtius. Iterum Tacitus *lib. 5. annal. Placitum poſt hæc ut in reliquos Sejani liberos adverteretur.* Et apud Ammian. Marcell. *intercepti imperiali motu interire omnes ad unum eorumque ſoboles, ne ad parentum exempla ſucreſceret, pari ſorte deleta eſt,* & Cicero loquens de liberis Lepidi *in Epiſt. ad Brutum*, dicit magna ratione fuiſſe conſtitutum, ut pœna criminis læſæ Majeſtatis quæ irrogatur parentibus, etiam ad eorum liberos tranſiret: *Nec verò me fugit*, inquit, *quam ſit acerbum parentum ſcelera, filiorum pœnis lui: Sed hoc præclare legibus comparatum eſt, ut charitas liberorum amiciores parentes reipub. redderet, ſcientes ſcelus ſuum redundaturum in caput liberorum.* Ad quam ſeveritatem antiquitatis reſpicientes Impp. Arcadius & Honorius clementiæ ſignificationem faciunt, concedendo *in d.l.5.* filiis damnatorum ex læſæ Majeſtatis crimine, vitam, ex lenitate imperatoria: ita tamen ut iis perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium. Filiabus verò quotquot ſunt, concedunt falcidiam, id eſt, portionem legitimam in bonis maternis, qua ſe alant, *d.l.5. §.3.* quod pro infirmitate ſexus minus auſuras confidant. At in filiis metuunt, ne ſceleris paterni fiant hæredes, ſive ut Tacitus ait, *patris ferociam & ſpiritum retineant, aut ad ejus exemplum ſubcreſcant.*

Ut non moveat quod dicitur *in l.26. ff. de pœnis,* 18
Crimen paternum nullam maculam filio infligere debere: Nam unuſquiſq; ex ſuo admiſſo, ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Cui reſpondet illud quod habet Senec. *l. 2. de ira c. 34. Nihil iniquius eſſe quam aliquem hæredem paterni odij fieri.* Nam hæc quidem vera ſunt in criminibus vulgaribus, at in atrocibus non recipiuntur omnino. Quia neque in his pœnæ morte extinguuntur, ſed & mortuo reo repetuntur, damnata ejus memoria, *d.l. 5. 6.7. & ult. h.t.* quapropter videndum eſt ne quid ſuperſit, quod parentis memoriam refricet, qui peccavit. Cum igitur in filiis parentum reluceat imago, & illorum memoria conſervetur, non poteſt ea extingui facilius,

Digitized by Google

lius,atque ex hominum mentibus triſtiſſimi ſceleris abeſſe recordatio,quam ſi nihil ex bonis delinquentium apud filios remaneat. Quod ſane in parentum magis,quam filiorum odium ſancitum videtur,juxta §. *licet Inſt.quib. ex cauſ.manum.* ſi ſucceſſores non abeant, ſicve bona eorum publicentur.

19 Hinc olim auctore Tacito dicto loco, qui damnati erant gravioris criminis, puta Majeſtatis perduellionis, non ipſi ſolum afflicti & perditi,ſed nomen & memoria eorum. Deterrere omnes à culpa ſimili volebant, non pœnæ modo, ſed ignominiæ metu. Itaque hæc duo fere uſurpata, ut nomen familiæ è faſtis deleretur,& effigies tolleretur. Exempla vide apud Lipſium, *in d.loco Taciti.* De effigie & ſtatuis tollendis eſt locus apud Modeſtinum in *l.24. ff. de pœnis.* Moribus noſtris inſignia gentilitia delentur & deſtruuntur. Interdum etiam ædes diruuntur, *juxta c.felicis de pœnis in 6.* ibi. *Fiant habitationes ejus deſerta,& ut non ſit qui eas inhabitet, dentur cuncta ipſius ædificia in ruinam, & ut perpetua notam infamiæ perpetua ruina teſtetur, nullo tempore reparentur.* Receptum quoque ne juſta exequiarum perduellibus fiant, *l.35. ff. de religioſ.* neve à ſuis lugeantur damnati, *l.11. ff. de his qui not. inf.* honeſtati enim publicæ convenit lugeri probos viros & de republica bene meritos, non etiam hoſtes ejus & perduellionis damnatos: Prohibitum tamen uxori intra legitimum tempus nubere, *d.l.11.§.1.* & hoc propter turbationem ſanguinis, quæ ex ſecundis nuptiis contingeret.

20 Sed hoc quod diximus de memoria rei damnanda, & bonis poſt mortem fiſco applicandis,liberiſque affligendis, tantum ad eum pertinet, qui perduellionis eſt damnatus, hoc eſt, qui hoſtili animo adverſus principem ſuum animatus fuerit. Itaque ſi non contra Principem, ſed ejus conſiliarios quid tentaverit, quamvis læſæ majeſtatis crimen committat,& pœnæ L.Juliæ ſubjiciatur,ſi tamen in reatu decedat,integri ſtatus decedit, extinguitur enim accuſatio mortalitate, *l.ult. ff. & l.pen.h.t.* Fuerunt namque multa iſtius legis capita, & quædam minime ad perniti oſum perduellionis crimen pertinentia,ut annotavit Eginarius Baro *Tit.de publ.jud.*

21 Præterea quod ad pœnas filiorum attinet, plerique exiſtimat eas tantum locum habere in filiis in poteſtate conſtitutis, non autem in emancipatis, quia hi per emancipationem nomen filij amittunt, & de familia eſſe deſinunt, *l.6.ff.de Senator.* Gigas *in tract.de crim.læſæ Majeſt.tit.de pœnis quas filij q.6.* Tiberius Decianus *tract. crim. lib.7. c.41.n.4.* Sed contra eſt diſpoſitio *d.l.5.* quæ indiſtincte filios omnes comprehendit, ejuſque ratio æque in emancipatis, ac in ſuis militat,fundata in affectu,quo liberi ducti ſequi ſolent paterna facta.Ut recte quis dixerit eandem rationem non minus obtinere in naturalibus, quam legitimis,ut & idem jus ponendum ſit in illis, ne alias plus mereatur favoris,luxuria quam caſtitas. Covarr.*lib.2.Var.cap.8.num.3.*

Quid dicendum de natis ex matre perduelli? eos 22 pœna *d.l.5.* affici verius eſt, quod particula *quiſquis* in iſta lege utrumque ſexum complectatur, atque ad utrumque porrigatur pronuntiatio ſermonis ſexu maſculino,*l.195.ff.de verb.ſignific.* Nam quamvis ea ſit infirmitas ſexus, ut vix fœmina tale facinus implere poſſit, ſi tamen id contingat, eandem quam maſculus pœnam ſuſtinere debet. Et ità ſtatuit Jul.Clarus §. *læſa Majeſtatis n.13.* * At vero ne- 23 potes neutiquam *d. l. 5.* pœnis ſubjacere humanius & æquius videtur, licet Covar. *d. loco n.2.* contra ſentiat. Facit pro illis quod *d.l.5.* tantum meminerit filiorum, quorum appellatione ex propria & vera ſignificatione, nepotes non comprehenduntur,*§.ult.Inſt.de teſtam.*niſi quando ſubeſt favor, qui hic non eſt,ſed magnum potius odium. Non urget quod *l.fin.infr.de bonis proſc.* triginta fere poſt annos lata, dicat majeſtatis pœnam ad ſuos, etiam poſteros tranſmitti: quia intelligenda lex iſta de privatione bonorum. Gomez.*tom.3.var.cap.11.n.15.*Non etiam recte allegatur *text. in cap.2.§.hæretici. De hæret. in 6.* qui ad ſecundam uſque generationem ex cauſa paternæ hæreſeos liberos declarat incapaces ſucceſſionis, ut etiam comprehendat nepotes ex filio. Nam iſte textus loquitur de hæreſi, quæ gravior eſt crimine læſæ majeſtatis humanæ,cum gravius ſit æternam,quam temporalem offendere Majeſtatem, ut habet *Auth. Gazaros ſup. de hæret.* & ut gravius crimen non eſſet, tamen quia ille textus continet expreſſam pœnam, non poteſt ejus deciſio extendi,*d.c.2.*cum regula ſit,quod in cauſis pœnalibus non admittatur extenſio, ſed reſtrictio, *l.155.§.2.ff.de reg.jur.& l.42.ff.de pœn.*

Hinc quæritur, an filij nati ante reatum patris, 24 prædictas pœnas ſentiant? Qui id negant, fundant ſe in *l. 2. ſup. de libert. & eor. liber.* ubi ingratitudo liberti ob quam revocatus eſt in ſervitutem, nocet quidem ejus liberis poſt naſcituris, non etiam illis quos tunc eſſe ortos conſtiterit,cum parens adhuc libertate potiretur. Quo videtur pertinere illud Divi Auguſtini decretum, non imputari filiis peccata parentum, quæ poſt eorum nativitatem committuntur, *Can. non imputantur.1.q.4.* & quod dicunt Impp. *peccata ſuos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.l.22.C.de pœnis.* Igitur ſi non reperiatur filios ante delictum paternum natos deliquiſſe & participes fuiſſe criminis non eſt ratio cur pœnam ſuſtineant infamiæ & privationis bonorum;maxime cum deciſio *d.l.5.* ſit pœnalis,nec extendenda.Affirmantium tamen ſententia, rationi juris conformior eſt, videlicet filios ante crimen natos pœnis *d. l. 5.* teneri, cum æque illi, ac poſtea nati præſumantur imitatores patris, ille namque timor imitationis eſt potiſſima ratio

Digitized by Google

d.l.5. cujus etiam verba ſi rectè ponderentur, nulla in illis reperietur diſtinctio inter filios ante crimen à patre contractum natos, & filios poſtea natos, uti nec eſt in *l.10.in fin.C.de bonis proſcript.* Ubi indiſtinctè pœnam ad ſuos poſteros tranſmittunt parentes. Quod ſingulare eſt in crimine læſæ majeſtatis; cujus cum nulla fiat mentio *in d.l.22. C. de pœnis*, rectè dici poſſet eam ad crimen majeſtatis non pertinere, Duar. *lib.2.diſp.cap.24.* Non etiam obſtat *d. l.2.* quia intelligi debet de gravi ſervitutis pœna, quæ inſtar capitalis eſt, quam patre in ſervitutem revocato liberis irrogare nimis eſſet acerbum. Non urget quod peccata parentum non imputantur filiis, ut habet canon citatus, quia ut bene monet Covar. *2.var.reſol.c.8.* Non loquitur de pœna inhabilitatis ad beneficia; per ipſos enim canones iſta inhabilitas infligitur, ut patet ex *tit. de hæred.* Sed de pœna excommunicationis, dum negat liberos ſentire pœnam ſpiritualem ratione peccati, poſtea à patre commiſſi, qualis pœna non eſt inhabilitas ad officia eccleſiaſtica, quæ potius temporalis eſt, uti eſt privatio ſucceſſionum, infamia & inopia. Farinacius *in praxi crim.p.5.q.115.n.9.* Gomez. *3.var.c.2. n.16.* Menoch. *5.præſumpt.præſ.33.*

25 Poſtremo quæritur utrum hæreditates, quæ filiis rebellium deferuntur, fiſco ſint applicandæ, an vero hæredibus proximioribus ab inteſtato venientibus? Fiſco eſſe applicandas cenſuerunt Cynus, Albericus, Salicetus & alij, quos refert Fachinæus *lib. 9. c. 36.* quorum ratio nixa videtur auctoritate *d. l. 5. §. uxores.* ubi fiſcus aufert ab his filiis, ea bona, quæ erant habituri à matre. Sed contrariæ ſententiæ uti veriori plures adhærent, quia nulla lex eſt quæ hæreditates filiis delatas, fiſco applicet, cur ergo nos ita fiſco favere debemus, ut aliis etiam legitimis hæredibus injuriam faciamus? quo pertinet *l.10. ff. de jure fiſci.* Etenim iſti filij non ſunt indigni, ſed incapaces hæreditatum, igitur fiſcus nihil auferre poteſt, cum indigni non ſint, at uti incapaces, ad proximiores bona deferuntur, ut in caſu *l. 1. ſup. de ſecund.nupt.* Nec reſiſtit *d.l.5.§.uxores*, qui loquitur de bonis quæ mariti rebellis fuerunt, ut meritò excluſis illius filiis, ad fiſcum pertineant, cum jure receptum ſit cuncta bona reorum criminis læſæ majeſtatis, ſeu perduellionis fiſco applicari, nulla filiorum habita ratione, *Auth.bona damnatorum C. de bonis proſc.*

26 Dico de jure ita eſſe definitum, nam mores gentium hac in re variant, quinimò in Belgio & Gallia mitius agi cum filiis rebellium videmus, ſervatur enim illis portio legitima in bonis parentum, aut ſaltem præſtantur eis alimenta, atque aliis conſanguineis & extraneis ſuccedunt, ſive filij ſint, ſive filiæ, neque efficiuntur infames, aut incapaces dignitatum, ut ex multorum decretis obſervat Chriſtinæus ad *h.t.Cod.num.19.*

TITULUS IX.

Ad L. Juliam de Adulteriis, & ſtupro.

1. *Continuatio, & definitio adulterij, & à quo committatur.*
2. *Committitur cum ſponſa de præſenti.*
3. *An etiam cum ſponſa alterius de futuro?*
4. *Propter violatam ſponſam agit ſponſus de ſtupro, non de adulterio.*
5. *Quæ perſona hodie accuſare poſſint de adulterio?*
6. *Maritus in accuſatione præfertur patri concurrenti, niſi ille infamis ſit.*
7. *Quo jure illi accuſent, intra quod tempus, an illud currat occupatis?*
8. *Quid ſit juris mariti, aut patris accuſare, quid ſi calumnientur.*
9. *Cur uxor non poteſt maritum accuſare, poteſt tamen agere ad ſeparationem thori, & ad lucra?*
10. *Maritus uxorem retinere, & accuſare non poteſt, hodie poteſt.*
11. *Calumnioſæ exceptiones rejiciuntur, & tantum legitimæ objiciuntur accuſanti marito; tres hic referuntur.*
12. *Quid ſi marito objicitur quæſtio lenocinij, ab eo qui accuſatur de adulterio, & de cujus ſtatu dubitatur?*
13. *Quis dicatur leno ejuſque pœna?*
14. *Quis ordo ſervandus in accuſatione, ubi concurrit mas & fœmina; nuptam lex tuetur, nec ei nocet ſententia contra adulterum?*
15. *Si vidua manſerit mulier, ab ea inchoabitur accuſatio, quæ non ceſſat ſi poſtea mœcho nupſerit.*
16. *Mulier ante conteſtationem litis abſens, non revocatur nec accuſatur, ſecus poſt.*
17. *Accuſata deſiderabit præſentiam accuſatoris initio litis fruſtra ſub tempus ferendæ ſententiæ.*
18. *Servi mulieris & patris torquentur, & ſuſpenditur libertas eis data ad dies ſexaginta.*
19. *Poſt mortem uxoris permittitur accuſatio, intra duos menſes niſi impeditus fuerit maritus, per moram hæredis.*
20. *Permiſſum patri ſoli occidere filiam in adulterio inventam cum adultero, cum avo, aut filioſam.*
21. *Quando & quomodo marito permiſſum vindicare hoc crimen?*
22. *Jure Novell. marito permittitur occidere adulterum ſuſpectum, qui poſt trinam denuntiationem ab uxoris ſua conſuetudine non abſtinet.*
23. *Quid hac in re mores obſervent, & quod in conſcientiæ foro maritus peccet occidendo uxorem adulteram.*
24. *Quæ fuerit pœna adulterij, & quæ nunc ſit de jure & moribus gentium?*
25. *Punitur paciſcens de adulterio, pretio accepto.*

26. Vindi-

Digitized by Google

26. *Vindicatur hoc crimen in juſta & in injuſta uxore, non in meretrice, vel ancilla.*
27. *De contubernio, & pecunia data ad redimendam noxam, vel captandam impunitatem.*
28. *De adulterio accuſatis, non prodeſt abſolutio à Judice temere facta.*
29. *Quomodo ſubſiſtat matrimonium inter eos qui ſe adulterio macularunt?*
30. *Quæ pœna puniatur qui duas uxores ſimul habet?*
31. *Ignorantia uxoris excuſat, poteſt dotem repetere, niſi malit virum habere in maritum mortua uxore prima.*
32. *Conſcia criminis punitur, & illa quæ accuſatur adulterij, cum conſanguineo illi poſtea nubit.*
33. *Ex præſumptionibus aliquis adulterij condemnatur.*
34. *Dotem amittit adultera, quam lucratur maritus non etiam alia bona.*
35. *An vidua propter ſtuprum amittat dotem?*
36. *An rectè à mariti hæredibus accuſetur, etiam adulterij antea commiſſi.*
37. *An delictum hoc filiæ, noceat patri ejus quoad dotem.*
38. *An amittat mulier dotem, propter adulterium commiſſum in matrimonio putativo?*
39. *An propter oſculum dos amittatur?*
40. *Mulier quando impudicam vitam agit, ut legato privetur*
41. *Cauſæ excuſantes à pœnis adulterij.* I. *Si utrimque peccatum ſit.*
42. II. *Si de conſenſu mariti uxor peccaverit.*
43. III. *Si vi oppreſſa fuerit, vel ignoranter, aut putaverit maritum mortuum.*
44. IV. *Si adulterij damnatam retineat, & reconciliatio interveniat quando illa præſumatur & prohibeatur maritus debitum reddere.*
45. *Puniebatur ut leno, qui damnatam non demitteret, ſuſpectam tamen retinere poterat.*
46. *Ceſſat adulterij accuſatio, & pœna poſt quinquennium, qualiter id computetur. Iſta quinquennij exceptio accuſatori & judici obſtat.*
47. *Item ceſſat abolitione interveniente; aut morte mariti, aut ſi maritus uxorem occiderit.*
48. *Stuprum quid ſit? cum quo, & quando committatur ſine vi, & per vim, quæ ſit utriuſque pœna?*
49. *Quæ pœna illius qui nondum viripotentem corrumpit.*
50. *Quæ pœna ſtupri per vim illati? & quid ſi ſtuprum attentatum fuerit. Quomodo iſta violentia probetur.*
51. *Jure Canonico & ex uſu hodierno ſeducta ad quid teneatur, & quid ſi vidua fuerit ſtuprata.*
52. *Quid ſi quis puellam corruperit, ſub promiſſione conjugij, ad quid teneatur.*
53. *Quid ſi mulier quæ honoris reſtitutionem poſtulat, decedat, an adhuc teneatur reus ad dotem?*
54. *Maſculorum conſtupratio capitalis.*
55. *Mores eam ulciſcuntur pœna ignis, niſi ætas excuſet. Quid ſi quis bruto ſe miſcuerit?*

POſt læſæ Majeſtatis crimen ſubjungitur de ad- 1
ulterio, non propter criminis gravitatem, cum eo gravius ſit homicidium, ſed propter ejus fœditatem; fœda enim illorum immunditiës, qui ſe ei famulos exhibent, & corpus, & genus ſuum contaminant, fidemque matrimonij violant. Nam adulterium eſt alieni thori, ſeu conjugij violatio; inde dictum quia alter ad alterum ſe confert, adulter miſcendo ſe uxori alienæ, adultera jungendo ſe alterius uxoris viro. Igitur ut conjugium violetur, oportet ut illud verum ſit, quia quod non eſt, non poteſt dici violari.

Jure civili tantum committitur adulterium à conjugata cum conjugato, vel ſoluto, non etiam à conjugato cum ſoluta, quomodo adulter vocatur alienæ matrisfamil. corruptor. *l. 225. ff. de verb. ſign.* Ratio erat in ſeminis ſanguiniſque confuſione, & prolis incertitudine, quamobrem major in uxore deſiderabatur caſtitas, & vir uxoris adulterium coërcebat, illa vero ne quidem de violato ſuo matrimonio queri poterat, *l. 1. h. t.* admittebatur tamen & olim uxor retorquens crimen in maritum, quia periniquum videtur, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet, *l. 13. §. 5. ff. h. t.* Eodem ſenſu D. Hieronymus *in Epitaph. Fabiolæ. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & ſervitus eadem pari conditione cenſetur.* Unde jure canonico non minus vir, quam uxor, hac fœditate & impura libidine ſe inquinat, ac violando mutuo datam fidem hoc crimen incurrit, *c. nemo 32. q. 4.* turpius tamen eſt in uxore propter prolis confuſionem: atque gravius crimen in viro uxorem habente, quam in ſoluto cum uxore alterius.

Committitur adulterium cum ſponſa aliena de 2
præſenti ducta, quia talis vera eſt uxor, ut jus canonicum paſſim obſervat, *c. tertio loco de præſumpt. c. 2. c. fin. de ſponſ. duor. c. qui deſponſatam 27. q. 2.* Conſenſus enim verbis de præſenti expreſſus efficit verum matrimonium, etiamſi copula non intervenerit, quæ ſola nuptias non facit, ut proinde cum hujuſmodi ſponſa commixtio habita, ponat alieni thori violationem.

Quid dicendum de ſponſa alterius de futuro? Et 3
quibuſdam placuit etiam cum ea adulterium committi, nituntur reſcripto Divi Severi & Antonini *in d. l. 13. §. 3.* dum coitum alterius cum ſponſa vindicandum dicit, ea ratione, *quia nec matrimonium qualecumque nec ſpem matrimonij violare permittitur.* Igitur tam ſponſa, quam qui eam violavit, adulterij crimine obſtringitur. Facit, quod in §. præcedenti dicat J. C. in ea quoque

uxore quæ vulgaris eſt maritum adulterium vindicare, & in continenti ſubjicit, *hoc idem in ſponſa vindicari*, & ſic loquitur de adulterio; quod vult vindicari in ſponſa de futuro, nam ſi eſſet de præſenti, non diceretur ſpes matrimonij, ſed verum matrimonium, *l. 30. ff. de reg. jur.* Præterea ſuffragari videtur *l. 7. h. t.* ubi jure mariti vindicari poteſt coitus, cum ſponſa perpetratus, ergo adulterium cum ſponſa committitur. Hanc opinionem multis argumentis tuetur Franciſcus Sarmiento *lib. 1. ſelect. interpr. c. 5.* ubi plures auctores refert. Verius tamen non committi cum ſponſa alterius adulterium, idque ex ejus definitione probatur, quæ eſt violatio alieni thori: igitur qui accedit ad ſponſam de futuro, minime violat alienum thorum, cum hic ante matrimonium non concedatur ſponſis de futuro. Facit quod dicit Papinianus proprie adulterium in nuptam committi, *in l. 6. §. 1. ff. h. t.* atque ſponſa nondum eſt nupta, nec dici poteſt materfamilias, ergo acceſſus ad eam non eſt adulterinus, nec etiam dicitur adulter, niſi qui corrupit alienam matremfamilias. Quod attinet *ad d. l. 13. §. 3.* non convincitur inde quod alij volunt, ſiquidem J. C. ibi dicat *hoc idem vindicandum eſſe*, videlicet corruptionem ſponſæ, non tamen tanquam adulterium: dicit enim *non permitti violari ſpem matrimonij*, ut cum necdum ſit matrimonium, ita necdum ſit materia adulterij, & licet vindicandum ſit, non tamen aliter quam ſtuprum. Idque colligitur ex verbis §. 8. ejuſdem legis, *Si minor 12. annis in domum deducta adulterium commiſerit, mox apud eum ætatem exceſſerit, cœperitque eſſe uxor, non poterit jure viri accuſari ex eo adulterio, quod ante ætatem nupta commiſit, ſed vel quaſi ſponſa poterit accuſari ex reſcripto Divi Severi, quod ſupra relatum eſt.* De cujus proinde explicatione non eſt amplius laborandum, cum expreſſe conſtituatur differentia inter corruptorem ſponſæ & uxoris. Ubi notandum verbum adulterij generalius ſumi, ut & ſtuprum com-
4 prehendat. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* * Quod ſi autem puella antequam deſponſaretur violata fuerit, poterit ipſa aſſiſtentibus curatoribus ſuam injuriam proſequi, quomodo *in l. 7. h. t. propter violatam virginem adultum, qui poſtea maritus eſſe cœpit, accuſator juſtus non eſt, & ideo jure mariti crimen exercere non poteſt, niſi puella violata, ſponſa ejus fuerit*, ac tum quidem non agit jure mariti, & tanquam de adulterio, cum maritus non fuerit tempore criminis, ſed potius jure ſponſi tanquam de ſtupro, in ſui injuriam commiſſo, propter antecedentia ſponſalia, & ſpem matrimonij, juxta *l. 15. §. 24. ff. de injuriis.* Hanc opinionem fulcit *text. in l. 11. §. 7. ff. h. t.* qui dicit *novam rem inſtituere accuſatorem qui adulterij crimen deſiderat objicere, propter hoc tantum quod priori ſibi deſponſata puella à patre, alij in matrimonium fuerit tradita.* Videatur Covarruv. *de ſponſ. p. 1. c. 1.* & Sanchez *de matr. l. 1. diſp. 2.*

Porro quod ad hujus criminis delationem attinet, certum eſt eam omnibus in commune patuiſſe, quamvis certo ordine. Etenim præferebatur 5
aliis maritus, ac poſt eum pater adulteræ, tum alij propinqui ad accuſandum admittebantur, *l. 30. h. t.* Itemque extranei, quia ex Lege Julia hoc crimen inter publica judicia relatum fuit, quorum accuſatio omnibus patebat: quamvis poſtea placuerit Impp. accuſationem hujus criminis reſtringere ad quinque proximas perſonas, quas præſertim dolor ex hoc admiſſo movere debet, nempe maritum, patrem, fratrem, patruum & avunculum. Idque ne temere per alios falſis calumniis matrimonia turbentur. * Intellige maritum poſſe accu- 6
ſare adulteram, etiamſi ſoluto matrimonio maritus eſſe deſierit, *l. 14. h. t.* præferaturque patri concurrenti, nam & propenſiore ira & majore dolore executurum eum accuſationem credendum eſt, in tantum ut etſi pater prævenerit, & libellos inſcriptionum depoſuerit, marito non negligente, nec retardante, ſed accuſationem parante, & probationibus inſtruente, ut facilius judicantibus de adulterio probetur, idem erit dicendum. Niſi tamen pater maritum infamem aut arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quam ex animo accuſare, *l. 2. §. 7. & l. 3. ff. h. t.*

Admittuntur itaque prædictæ perſonæ ad accu- 7
ſandum, ſed maritus jure quidem mariti, pater jure patris, & hoc intra ſexaginta dies utiles, computandos à ſoluto matrimonio, alij vero jure extranei, eoque etiam jure permittitur marito agere, cum præterierint dies iſti utiles, *l. 6. h. t.* Qui tamen non currunt marito reipublicæ cauſa occupato, nam finita occupatione integra eſt facultas accuſandi jure mariti. *l. 21. h. t.* cui conſonat quod dicitur in *l. 15. h. t.* tempus hoc non currere, adverſus eum, qui militaribus muneribus occupatus erat.

Jure autem mariti vel patris accuſare, hoc eſt hu- 8
juſmodi, ut accuſator ſe ſubſcribere non cogatur, abolere poſſit accuſationem pro ſuo abitrio, & quamvis nudis ſuſpicionibus egerit de calumnia, non teneatur, quod datum videtur juſto ejus dolori, niſi evidenter calumniatus ſit. Quo pertinet *l. 14. §. ult. & l. 30. ff. h. t.* ubi qui mala fide & animo calumniandi proſiliit ad accuſandum, pœnam non evitat, licet jure mariti, aut patris, neque enim evidentem & apertam calumniam ea res excuſat, quæ non debet eſſe impunita, *l. 2. in fin. C. de his qui accuſ. non poſſ.* & hoc modo explicanda *l. 16. h. t.* ut videlicet loquatur de eo qui manifeſte calumniæ arguitur.

Cæterum quamvis lege Julia denegata ſit uxori 9
accuſatio de matrimonio ſuo violato, *l. 1. h. t.* propterea quod uxor ſit in poteſtate viri, & vir ſit caput uxoris,

Digitized by Google

uxoris, & genialis thori dominus, quem corrigere non eſt mulieris, poteſt tamen illa agere ad thori ſeparationem, dotis ſuæ reſtitutionem, & lucrum donationis propter nuptias, quod innocenti adjicitur. Covar. *de matrim. p. 2. c. 7. §. 6. n. 9.* Unde fit, quod uxor ſine noxa omittat actionem, non etiam vir, qui niſi uxorem adulteram accuſet, ſaltem civiliter, & ad thori ſeparationem agat, videbitur ejus lenocinium exercere; quod ſi tamen uxor emendationem promittat, poterit eam maritus ſi occulta fuerit adultera, retinere, uti & recipere poſt peractam pœnitentiam, *c. 3. ẍ h. t.* Idque jure civili noviſſimo congruit, quo maritus uxorem damnatam poteſt recipere *Auth. Sed hodie h. t.*

10 At olim ne quidem deprehenſam in adulterio uxorem maritus retinere, & ſimul eam accuſare poterat, videbatur enim eo ipſo lenocinij crimen contrahere, cum debuerit uxori iraſci, quæ matrimonium ipſius violaverat, *l. 11. h. t. & l. 26. & 29. ff. eod.* Juſtinianus noviſſime hoc emendavit, concedens viro conſtante matrimonio conjugem adulterij accuſare. *Auth. Sed novo h. t.* aut ſi malit poteſt vir abſque nota lenocinij, uxorem quam in adulterio deprehendit, retinere. Si vero illatam adulterij accuſationem maritus non probaverit, illam pœnam ſuſtinebit, quam paſſura fuiſſet uxor accuſatione probata.

11 Quia verò marito accuſare uxorem volenti multæ objiciebantur præſcriptiones & exceptiones calumnioſæ, quibus aut dos repeti fingebatur, aliudve debitum flagitabatur, *l. 33. h. t.* Ideo Imperator in quæſtione adulterij omnes alias præſcriptiones ceſſare jubet, præter quinquennij elapſi poſt adulterium, *l. 5. h. t.* lenocinij; quod marito objicitur, & contracti ſecundi matrimonij per adulteram ſoluto priore matrimonio, & ante denuntiationem, & hoc ne ultionem pudoris præſtigia verſuti juris excludant, *l. 28. h. t.* Quod ſi tamen aliæ occurrant exceptiones legitimæ, illæ objici potuerunt, quia generalis iſta Conſtitutio de non admittendis aliis exceptionibus, intelligenda eſt de calumnioſis & frivolis, non de legitimis. Bal. Salic. & alij *ad d. l. 28.*

12 Atque dum marito objicitur quæſtio lenocinij, recte is eam evitabit, allegando accuſatum de adulterio ſervilis eſſe conditionis, ideoque de lenocinio objicere & accuſare non poſſe: Interea Judex aditus de ſtatu prius cognoſcet, & ſi invenerit liberum eſſe hominem eum audiet in objecto lenocinio, ſin vero ſervum deprehenderit, remotis lenocinij impedimentis, in principali accuſatione procedet, aſſumpta cognitione adulterij, quamvis etiam poſſit ob lenocinium, pœnam decernere, quam in adulterij crimen legum ſanctio ſtatuit, *l. 26. h. t.*

13 Pœna autem eadem eſt quæ adulterij, vel ſtupri, *l. 2. §. 2. ff. h. t.* & noviſſime Juſtinianus ultimum decernit ſupplicium in eum qui invitam mulierem proſtituit, *Novell. 14.* tenetur quoque lenocinij quiſquis adulterium & ſtuprum ſuaſit indeve quæſtum fecit, aut ejus committendi cauſa domum opemve præbuit, vel cum corrigere & iraſci uxori deberet, quæ matrimonium ejus violavit, eam retinet, diſſimulatque cum ea, *l. 14. & 19. ff. h. t.*

At vero ut ad inſtitutam accuſationem redeam, in ea omnino ſervandus erit ordo, nam reos adulterij, marem ſimul & fœminam eodem tempore, & ex eadem cauſa fieri lex Julia vetat; itaque ordine peragi utroſque licet, *l. 8. h. t.* quamvis à diverſis accuſatoribus ſinguli eodem tempore accuſari poſſint, niſi aliud obſtet, *l. 17. §. 6. ff. h. t.* Prius igitur ab adultero debet accuſator incipere, cujus abſolutio mulieri proderit, ut accuſari nequeat, *l. 1. ff. eod.* videlicet ſi priuſquam ſibi denuntiaretur ne nuberet, ſecundo viro nupta eſt, lex enim nuptam tuetur, quamdiu nupta eſt, *l. 14. h. t.* adeo ut ſi per colluſionem adulter abſolutus ſit, præſtet mulieri nuptæ adverſus omnes ſecuritatem, *l. 19. in fin ff. h. t.* Et ſi condemnatus fuerit, neque reſtitutus, non propterea mulier cum qua dicitur adulterium commiſiſſe, pœnam aliquam ſuſtinebit, niſi prius fuerit convicta, *l. 21. h. t.* Interim illa cauſam ſuam agere poterit, & eam legis auxilio obtinere. Quid enim ſi adulter inimicitiis oppreſſus eſt, vel falſis argumentis, teſtibuſque ſubornatis apud judicem gravatus, qui aut nolit, aut non potuit provocare? mulier vero judicem religioſum ſortita, pudicitiam ſuam defendat, & probet ſe calumnioſe accuſatam. 14

Plane ſi mulier nupta eſſe deſierit, atque in viduitate perſeveret, quæ adulterium commiſiſſe dicitur, in accuſatoris arbitrio eſt, à quo velit incipere, utrum ab adultero, an ab adultera, *l. 15. §. 8. ff. h. t.* Idem dicendū ſi denuntiatio criminis nuptias præceſſerit, *d. l. 14. & l. 16. ff. h. t.* ubi qui uxori repudium miſit, poteſt ei denuntiare ne nubat. Quia verò plerumque uxores à viris cauſa adulterij repudiatæ mœchis ſuis, aut alijs nubebant, impediendæ, accuſationis gratia: Ideo reſcriptum eſt, quod commiſſum ante adulterium, cum eo, qui ſe poſtea nuptiis ſociavit, velamento matrimonij non extinguatur, *l. 27. h. t.* proinde ſecuto etiam matrimonio mulier propter antecedens adulterium accuſari poterit, nec habebit eo caſu beneficium ordinis. 15

Quid ſi mulier abſens ſit? Sane ſi ante inchoatum judicium abeſſe cœperit, nec de hoc crimine accuſari, nec edictis revocari poteſt, imo nec tranſmitti in provinciam, in qua maritus degit, *l. 15. h. t.* lege enim Julia cautum eſt, ne inter reos referatur is, qui ſine detrectatione abeſt, *l. 15. §. 1. ff. eod.* rectè adjicitur *ſine detrectatione*, quia ſi quis, evitandi criminis occaſione, abeſſe cœperit, etiam ex cauſa publica nihil illi commentum hoc proficiet. At vero ſi mulier poſteaquam crimen contra eum inchoatum 16

choatum eſt, provinciam exceſſerit, etiam abſentem requiri & inter reos recipi poſſe, explorati juris eſt, *l.13.h.t.* Et ſi evocata legitimis edictis, ſe non ſiſtat, contra abſentem procedi poteſt, vel à judice poſtulari, ut remittatur ad locum in quo deliquit, *Auth.ſi vero h.t.* Sed cum certum ſit prius inter reos recipi, quam lis conteſtetur, quomodo dicitur poſt inchoatum judicium reos recipi? Intelligo accuſationem fuiſſe abolitam, generali abolitione, & intra ſtatutum tempus, videlicet dierum 30. repeti, *l.7.10.§.2.& l.12 ff.ad S.C.Turpill.* Ita Pacius, aliter Cujacius *d.l.13.*interpretatur, *lib.20 obſ.c.21.*

17 Ubi verò mulier adulterij accuſata comparuit, deſiderare poteſt accuſatoris præſentiam, & hoc quidem initio litis opportune deſiderabit. Nam ſi jam prolatis adulterij probationibus, viro recedente ſuas opponat allegationes, non audietur, *l.19.h.t.* lex enim in initio litis præſentem eſſe vult accuſatorem, poſtea verò inſtructo judicio ac pœne confecto illius abſentia, ſententiæ pronuntiationem neque impedit, neque vitiat. Eſt autem hoc judicium inſtituendum, in ea provincia, in qua id ipſum factum eſt adulterium, *l.14.h.t.* quia ut contrahendo, ita delinquendo aliquis forum ſortitur.

18 Porro hoc habet ſingulare iſta accuſatio, quod ſervi & ancillæ mulieris, & patris ejus juſti, ſeu legitimi, torquentur in caput domini, aut dominæ, *l.3.h.t.* & hoc marito accuſante, non tantum jure mariti, verum & jure extranei, cujus ratio eſt, quod hoc crimen vix probari alias poſſit, quam per domeſticos & familiares: quomodo illi ſervi, poſteriore Conſtitutione, tantum torquendi ſunt, qui pro eo tempore in miniſterio & domi fuerunt, quo adulterium dicitur commiſſum, *l.32.h.t.* ſiquidem aliis probationibus veritas erui non poſſit, *l.8.§.ſervis 9.ſup.de repudiis.*

19 Ne igitur quæſtioni ſubducerentur ſervi, libertas ſi quæ eis interim data erat, ſuſpendebatur ad dies 60. computandos à ſoluto matrimonio, ſive id ſolutum eſſet per repudium ex lege Julia, *d.l.3.* ſive per mortem uxoris ex conſtitutione *in l.ult.h.t.* Itaque per dies iſtos utiles poterat de ſervis quæſtio haberi, ſi maritus adulterium ex interrogatione ſervorum vellet probare, quod ei expediebat, propter dotis quæſtionem, utrum lucro ejus cederet, an hæredibus mulieris reſtituenda foret, quanquam morte uxoris extinguatur crimen, ſupereſt tamen quæſtio civilis de dotis reſtitutione: tranſacto verò memorato tempore licentiam habent hæredes mulieris libertatem ſervis imponendi, niſi maritus impeditus fuerit exercere cauſam adulterij, intra tempus legitimum, per culpam hæredum qui diſtulerunt, vel judicio adeſſe noluerunt, *d.l.ult.* Cæterum quia ſingulare eſt & contra juris regulas, ut de ſervis quæſtio contra dominos habeatur, *l.1 infra de quaſt.* ideo oportet dominos cavere de pretio ſervorum, ſi defuncti fuerint in quæſtione, vel facti deteriores, ſecuta abolitione, *l.3.h.t.in fine.*

Eſt & illud ſingulare in hoc crimine, quod per 20
miſſum ſit patri adulterum cum filia ſua, quam in poteſtate habet deprehenſum interficere, modo ſimul filiam occidat, & tempore ipſius turpitudinis, domi ſuæ, vel in domo ſui generi peccantes reperiat. Igitur nemo ex patribus id impune faciet, ſed nec filiusfamil. pater, quia non habet filiam in poteſtate, qui non eſt ſuæ poteſtatis, *l.20.& 21.ff.h.t.* Soli itaque patri naturali, vel adoptivo permittitur occidere filiam in adulterio inventam, non viduam, aut virginem ſtupro maculatam: tradit enim lex Julia patri ferrum in filiam nuptam quam in poteſtate habet, & non in viduam, aut virginem, aut in emancipatam, *l.21.§.1.ff.d.t.* Ideo autem patri, non marito (cujus tamen præcipua contumelia verſatur) mulierem & omnem adulterum lex permiſit occidere, quia plerumque paterni nominis pietas conſilium pro liberis capit, verum mariti calor & impetus facile decernentis refrænandus fuit, *d.l.22.in fin.*

Quandoque tamen marito permittit lex adulte- 21
rum uxoris ſuæ interimere, idque non ſolum per ſe, ſed etiam per filios, juſſu ejus præcedente, *l.4.h.t.* Quod licet patri, licet etiam filio, imperante patre, & viribus lapſo: quod demonſtrat Seneca 1. *de clement.* 4. & *l.2.contr.*4. Verum non quemlibet adulterum marito occidere licet ut patri, ne perturbatus dolore inconſulto ad cædem rapiatur: ſed vilem dumtaxat, aut infamem, eumque domi ſuæ in turpitudine deprehenſum, nuſquam alibi, *l.24.ff.h.tit.* Quod ſi quempiam alium honeſtiorem occiderit maritus, aut uxorem ſuam in actu deprehenſam, facinus impunitum non eſt, quamvis ultimum ſupplicium ei remittatur ob juſtum dolorem, quem difficillimum eſt temperare, *l.38.§.8.ff.h.t.* & ita nox, dolor juſtus, motuſque repentinus factum mariti relevant, *d.l.4.* Sed debet ſtatim uxorem dimittere, & profiteri in triduo proximo apud judicem competentem, ſe talem adulterum occidiſſe domi ſuæ. Cujacius *in comm.C.h.t.*

Poſtremo Juſtinianus jus iſtud mariti auxit, con- 22
cedens ei poteſtatem occidendi adulterum, etiam non deprehenſum in ipſa turpitudine, ſed quem ſuſpectum habet, ſi ter teſtato ipſi denuntiaverit ne cum uxore ſua verſaretur, & is repertus ſit ſpreviſſe denuntiationes, in loco ad ſuſpicionem hujus turpitudinis apto, videlicet in domo ſua, vel uxoris, vel adulteri, vel in popinis, aut in ſuperbanis. Quod ſi alio in loco, in quo ejuſmodi ſuſpicio minime eſſe poſſit, cum uxore verſantem illum maritus reperit, convocatis tribus teſtibus, tradet eum judici qui nulla alia ratione quæſita, habet puniendi licentiam. Sin autem invenerit colloquentem cum uxore,

Digitized by Google

uxore, in ſacro oratorio, poſt tres; ut dictum eſt, denuntiationes, licebit marito utraſque perſonas defenſori eccleſiæ tradere, aliiſque clericis, ut ad eorum periculum ſerventur, donec judex cognoſcat, *Auth. Si quis h. t. deſumpta ex Novell.* 117. *c. ult.*

23 Pontificio autem jure, quod & mores Belgici & Germaniæ ſequuntur, non ita grave ſcelus ducitur adulterium pati, ac uxorem occidere, *Can. ſi quod verius* 33. *q.* 2. ſicque in foro conſcientiæ non licet marito occidere adulterum, aut uxorem adulteram. *Can. inter hæc, &c. ſi quod* 33. *q.* 2. Quia ſoli judici & Principi, qui habet gladij poteſtatem, licet occidere. At ſcio diſplicuiſſe hanc ſententiam Julio Claro *l. 5. ſent. §. homicidium n.* 50. *& ſeq.* qui ait hanc juris civilis permiſſionem non eſſe contra conſcientiam. Ego tamen veram puto, & peccatum eſſe mortale occidere etiam adulteram, propter detrimentum animæ, quod infertur occidendo eam in tali ſtatu, quod longe præponderat injuriæ patris aut mariti: maxime cum iſta injuria poſſit aliter ab illis vindicari, nec ſit ſinguiis concedendum, quod per magiſtratus ſolet expediri, *l.* 176. *ff. de reg. jur.* Et idcirco judiciorum vigor in medio poſitus, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem, *l.* 14. *ſup. de Judæis,* nec licet inauditum & indemnatum quantumvis ſceleſtiſſimum, privato necare. Quocirca lex civilis non tam hujuſmodi cædem videtur approbare, quam pœnam graviorem remittere, propter juſtum dolorem, qui non facile ſupprimitur. Apud Hiſpanos lex extat permittens marito uxorem & adulterum, repertos in flagranti crimine occidere. Gomez ad *l.* 80. *Tauri n.* 51. *& ſeqq.* quam legem non eſſe à religione, & juſtitia alienam dicit Didacus Covarruvias *de matr. p.* 2. *c.* 7. *n.* 9. *& ſeqq.*

24 His præmiſſis dicamus de pœna adulterij, in qua ſæpe variatum. Nam jure veteri ante Auguſtum nulla erat certa & legitima, ſed impudicarum mulierum coërcitionem maritus, cognati, propinqui, ac neceſſarij ſtatuebant. Cornel. Tacit. *lib. 4. annal.* & ibi Lipſius. Poſtea Auguſtus lata lege Julia adulteros non pœna mortis, ſed relegatione tantum punire conſtituit: qua pœna & ipſe uſus eſt, cum ſeveritatem legis in filiam nepteinque exerceret, quæ ſe adulterio maculaverant, ut auctor eſt Suetonius *in Auguſto c.* 15. Idque etiam liquido conſtat ex Marciani J. C. reſponſo *in l.* 5. *ff. de quæſt.* tum ex eo quod lex Julia damnatas adulterij uxores duci & teſtimonium dicere vetat, *l.* 13. *ff. de his qui ut indign. aufer. l.* 20. *§. mulier ff. qui teſt. fac. poſſ.* At milites, quos ab omni libidine puros ſervari caſtrorum diſciplina poſtulat, deportari juſſit, *l.* 25. *ff. h. t.* Alij Impp. legis Juliæ pœnam circa eos aliquando exceſſerunt, exempla refert Cujacius *lib. 6. obſ. c.* 11. *& lib.* 20. *c.* 18. Sed Conſtantinus indiſtincte pœnam induxit capitalem cum *in l.* 30. *h. t. in fine.* ſubjungit ſacrilegos nuptiarum gladio, id eſt, capitis amputatione puniri oportere.

Eoque pertinet *l.* 18. *ſup. de tranſact.* ubi poſtquam 25 Imperator dixit tranſigere licere de crimine capitali, excipit adulterium, quod male exciperet, niſi capitalibus criminibus numeraretur: atque ejus regulæ exceptionem probat Alexander Imp. *in l.* 10. *h. t.* rationem cur paciſci non liceat de crimine adulterij, *ſup. tit. de tranſact.* aſſignavi, quod ſi nihilominus maritus, vel quivis alius pecuniam accepit, ne deprehenſum in adulterio ſtuprove proderet; lenocinium contrahit & in legem Juliam incidit, *d. l.* 10. cujus legis pœnam capitalem fuiſſe idem Imp. declarat *in l.* 9. *h. t.* Qui, inquit, adulterij damnatam, quæ quocumque modo evaſit pœnam capitalem ſciens duxerit in uxorem, eadem lege ex cauſa lenocinij punietur. Scio aliquos velle verba hujus legis, uti *& l.* 18. eſſe interpolata, at licet hoc ipſis concedam, nihilominus jam iſta interpolatio ab Impp. approbata eſt, nec poteſt videri falſa, cum & ipſum diſerte exprimatur *in d. l.* 30. deſumpta *ex l.* 4. *C. Theod. h. t.* Non recte quis objecerit, quod in Inſtitutionibus Juſtinianus dicat, legem Juliam de adulteriis temeratores alienarum nuptiarum gladio punire, *§. Item lex Julia Inſt. de publ. Jud.* nam hoc ſic accipi debet, non quaſi lex Julia hanc pœnam conſtituerit, ſed quod in judicium ex ea lege deſcendens, hæc pœna venerit, tempore editarum Inſtitutionum, utpote jam introducta Conſtitutionibus Imperatorum. Cæterùm hæc pœna, licet in Germania recepta eſſe videatur, ob Caroli V. Ordinationem *art.* 120. In Belgio tamen vix ea obſervatur, ſed pecuniaria mulcta à judicibus irrogari, aut ſi vilis ſit perſona, ad ignominiam, publice exponi ſolet. Similiter Juſtinianus noviſſima ſua Conſtitutione, propter ſexus infirmitatem, pœnam adulterij in fœminis temperavit, eas enim verberibus cæſas in monaſterium detrudi præcepit, conceſſa poteſtate maritis, uxores ſuas intra biennium repetendi, quo tranſacto, ut viris præmortuis, illæ monaſticum habitum ſuſcipere, & illic quamdiu vivunt permanere coguntur; duabus partibus ſubſtantiæ liberis applicandis, tertia monaſterio, *Auth. ſed hodie h. t.* At in viris pœnam capitis approbavit: Quæ non debet videri ob hoc crimen inique conſtituta, cum lex divina ſeu Moſaica eandem pœnam per lapidationem inferendam, præſcripſerit *Levit. c.* 20. varie & apud alias gentes hoc crimen vindicatum, ut videre eſt apud Petrum Tholoſanum *Syntag. jur. l.* 36. *c.* 6. Poſt ultimam hujus Tituli Conſtitutionem inſeritur pars alterius deſumpta *ex Eccl. c.* 37. 67. *& 6. Harm.* 2. & à Gothofredo reſtituta, qua adulteris verberatis, & tonſis nares abſcinduntur. Idem in *Novell.* 32. conſtituit Leo Imperator.

Vindi-

26 Vindicatur autem hoc crimen non tantum in uxore, quæ hactenus honeſte vixit, verum & in ea quæ ante vulgaris fuit, *l.13.§.2.h.t.* cum ſufficiat ſit uxor; juſta ſit, an injuſta, non videtur referre, nam & injuſta uxor, juris nexibus detinetur, & à judiciaria adulterij ſeveritate non eſt immunis, *d.l.13.§.1.* cui non adverſatur *§.6.* ejuſdem legis, ubi in filiafamil. cujus conjunctioni pater poſtea conſenſit, dicitur adulterium commiſſum non vindicari jure mariti, cum tamen illa ſit uxor injuſta, uti patet *ex l.1. in fin.ff.de exh.lib.* & ex Paulo *2.ſent.c.19.* Dicendum enim eſt *dict. §.1.* loqui de tali uxore injuſta, quæ non eſt ducta ſolemniter, utpote non accepta aqua & igni. Cujacius *l.6.obſ.c.16.* At vero in *d. §. 6.* agi de tali uxore injuſta, quæ ducta eſt adverſus præcepta legum: prohibent enim legiſlatores aliquam accipi in uxorem, invito, aut inſcio patre, cujus proinde admiſſum nolunt vindicari hac lege, ne videantur approbare conjunctionem. Similiter non ſinunt vindicari pœna adulterij, ſtuprum cum ea commiſſum, quæ paſſim venalem formam exhibuit, ac meretricio more ſe vulgò proſtituit, *l. 22. h. t.* licet enim lex Julia promiſcue adulterij & ſtupri vocabula accipiat, pœna tamen adulterij hic ceſſat, cum & adulterij crimen cum meretrice ſoluta ceſſet: ſecus cum conjugata per *d.l.13. §.2.* nec enim impudica vita uxoris injuriam maritali thoro factam lenit, ſed magis exaſperat. Quo fit ut immunis non ſit à pœna, qui dominam cauponæ ſtupravit, ſiquidem illa juris nexibus detineatur & matrisfamilias nomen retineat. Aliud dicendum ſi miniſtra ſit & ancilla, quæ potantibus miniſterium præbet, & intemperantiæ vina propinat, nam propter vitæ vilitatem, immunis eſt, uti & is qui eam compreſſit, à judiciaria ſeveritate, *l.29.h.t.* & ſi de libidine commiſſa cum ancilla damnatus ſit, non afficitur pœna ſtupri, nec infamia juris, ſed tantum infamia facti aſpergitur, *l.25.h.t.* Etenim cum ancilla matrimonium non eſt, ſed contubernium, quod proinde ſi violetur, adulterij vindicatio & accuſatio locum non habet. *l.23 in princ.h.t.*

27 Hinc ſi mulier alicujus quaſi in contubernio hæſerit adulterij rea ab eo, qui non eſt maritus, fieri non poteſt, *l.24.h.t.* Quod ſi à marito qui fuit, moveatur adulterij quæſtio, quaſi durante matrimonio, uxor illud violaſſet, & repudiata adultero nupſiſſet. Interea is qui eam in uxorem licito jure duxit, ſi ob intentatæ accuſationis metum, pecuniam dederit, ad redimendam litis vexationem, inquiſita fide veri, ſi quidem innocens reperiatur, id quod dedit, recipiet. Sin vero conſtiterit corrupti matrimonij velut mercedem ad captandam impunitatem, ſolutam fuiſſe pecuniam, uterque punietur, & qui dedit, & qui accepit, ut inſtitutam deſereret, adverſus S.C. Turpilliani cenſuram, *d.l.23.§.1.h.t.* ubi rectè Cujacius ſic legit *cum etiam qui adverſus*, ut ſenſus ſit, non ſolum reum adulterum puniri, ſed etiam accuſatorem, qui ab eo corruptus pecuniam accepit.

Extat alia noviſſima Juſtiniani Conſtitutio, qua 28 tanquam adulter coërcetur qui accuſatus de adulterio, pœnam gratia judicis, vel aliqua alia ratione evaſit, maxime ſi poſtea inveniatur cum muliere de qua accuſatus, turpiter converſatus, aut nuptias cum ea contraxiſſe; & ſi hoc fiat vivente marito, vel poſt ejus mortem hujuſmodi nuptiæ ſunt inutiles, & tali facto arguitur adulterium præceſſiſſe, *Novell. 134. c. 12.* * At ſacri Canones ratas habent 29 nuptias quas mortuo marito mulier contraxit cum quo (viro vivente) adulterij conſuetudinem habuit, ſi non inſidias ſtruxerit vitæ prioris mariti, vel eodem vivente fidem dederit matrimonij contrahendi, cum is è vivis abierit, *c.1.3.4.6. ✠ de eo qui duxit in uxor. quam polluit per adult.* Idem ibi cavetur de marito, qui uxore ſua vivente, adulterio ſe maculavit, & aliam de facto uxorem duxit, cum nemo duas uxores ſimul habere poſſit, *c. 8. ✠ de divort.* ignominia notatur & ſtupri pœna punitur, licet ſecundum matrimonium ſit inutile, quoniam in delictis conſummationem facti, non juris inſpicimus, *l.18.h.t.*

Hodie paſſim bona ſponſalia ſeu matrimonia 30 contrahentes, ſecundum ſtatuta, & conſuetudines locorum puniuntur. Sed Ordinationes Imperij in utrovis ſexu in hoc delicti genere pœnam gladij dederunt, *Ord.imp.c.121.* In qua re tamen diſtinguendum puto inter ſolutam, & conjugatam ſecundam uxorem, ut illo caſu pœna ſtupri, hoc vero pœna adulterij, ſeu gladij locum habeat.

Cæterum quamquam vir qui binas nuptias con- 31 trahit puniatur, mulier tamen ejus rei ignara & inſcia pœnam timere non debet, poteſtq; dotem ſuam repetere, reſque omnes exigere, quas matrimonij diſſimulatione vir intercepit, aut ſe daturum illi, ut ſponſæ promiſit, *d.l.18.in fin.* Quod ſi tamen malit uxor eſſe, in arbitrio illius eſt, mortua priore uxore, virum hunc matrimoniũ repetere, atque adeo eum cogere, ut in id conſentiat, *c.1.& 7. ✠ d.t.de eo qui duxit in matr.&c.* Nec enim ſecundæ mulieri ignorantia ſua, quæ bona fide egit, nocere debet, neq; viro patrocinari fraudandi animus. Hinc etiam non nocet mulieri criminis & fraudis inſciæ quod inceſtu ſe maculaverit junxeritque ſe conſanguineo ſuo per matrimonium, nam illius jus manet integrum, marito vero pœna indicitur, quo ſcelus & reatum diluat, *Tit. ✠ de eo qui cogn.conſang.uxor.ſua.*

Dico ſi inſcia mulier fuerit, quia ſi conſcia proxi- 32 mitatis, in inceſtas nuptias conſenſerit, dos ejus fiſco applicatur, & aliis pœnis punitur, de quibus dixi *ſup. de inceſtis nupt. per Auth. inceſtas.* Huc pertinet quod ſi mulier de adulterio accuſata, id ſe commiſiſſe neget, vel eo ſolo quod is cum quo adulte-

Digitized by Google

adulterium dicitur commiſſum, nimis ſit ei propinquus gradu conſanguinitatis, quamvis inter eos nihil obſcœni criminis ſuſpicari fœdus naturale permittat, *l. 19. ſup. de Epiſc. & Cler.* tamen ſi poſtea in nuptias conſortiumque uterque convenerit, facinus hoc ſeveriſſimè vindicatur, & veluti convictum, confeſſumque punitur, *l. 34. h. t.*

33 Atque ita ex præſenti delicto, præſumitur adulterium à muliere tum commiſſum, cum accuſaretur, quod aliàs non potuiſſe committi credebatur. Quo fit ut ex præſumptione urgentiſſima, poſſit aliquis adulterij condemnari, ut indicat *d. l. 34.* & illa ratio quod hoc crimen occultè committatur, fitque res difficillimæ probationis, ut ad ejus probationem ſufficere debeant conjecturæ, & præſumptiones à lege receptæ; quod & probat aperte *c. 12. X. de præſumpt.* Hodie nemo ex indiciis ad mortem condemnatur, ut habet Carolina conſtitutio criminalis *art. 22.* ſed queſtioni ſubjicitur ſi indicia ſunt evidentia.

34 Præter dictas pœnas, mulier adulterij damnata amittit ſuam dotem, eaque cedit marito, & vice verſa maritus adulterij reus, perdit donationem propter nuptias, mulieri una cum dote aſſignandam, reſervata liberis ex iſto, vel alio marito extantibus proprietate, quæ alias integra cederet innocenti, *Nov. 117. c. 8.* niſi in caſu *Auth. ſed hodie h. t.* de qua dictum, & congruit aliquo modo legibus anterioribus, *l. 8. §. ult. & l. ult. ſup. de repudiis.* quæ cum loquantur ſolum de amiſſione dotis, non debent extendi ad paraphernalia bona, quæ mulier habet præter dotem, ſive penes illam ſit iſtorum bonorum adminiſtratio, ſive penes maritum: nam iſta res non facit ejuſmodi bona eſſe dotalia. Eo pertinet *d. c. 8.* ubi Juſtinianus præter dotem adſcribit viro tertiam partem ſuſtantiæ mulieris, ſi liberos non habeat, quod fruſtra ſtatueret, ſi ante & cætera bona ceſſiſſent marito.

35 Quod ſi vidua diſſolutam vitam agat, plerique ſentiunt eam dotem amittere, ob injuriam quam marito etiam defuncto, & propinquis illius infert. Sed verior eſt negantium opinio, quia per mortem mariti liberata mulier eſt vinculis matrimonij, ſic ut non poſſit dici adulterium committere, aut eatenus in maritum peccare. Confirmatur per *text. in Novell. 39. in fine*, ubi propter ſtuprum commiſſum intra annum luctus, mulier privatur antenuptiali donatione, & lucro, quod erat habitura ex bonis viri; igitur aliud dicendum de dote, quæ eſt proprium mulieris patrimonium. Late Gutierrez *Canon. qq. l. 2. c. 12.* & Zevallos *qq. comm. contra communes q.*
36 708. * Qui tamen omnes affirmant viduam, quæ in corpus ſuum peccavit, dignam eſſe aliqua coërcitione, & poſſe ad illam agere hæredes mariti, ac injuriam ſibi & defuncto illatam vindicare. Quo pertinet *l. 1. §. 4. ff. de injuriis*, ubi ſi fortè cadaveri defuncti injuria fiat, qui hæredes bonorumve poſſeſſores extiterunt, injuriarum actionem intendere poſſunt. Facit quod dicitur *in l. pen. h. t.* ut ſi divortio facto maritus ſuperſtes ſit, & uxor ſtupri procacitate viduitatem commaculet, rectè à marito ſtupri rea poſtuletur. Quod in hæredibus ſimiliter probandum exiſtimo. Amplius dico poſſe hæredes mariti, viduam adulterij ante commiſſi ream facere & accuſare ſi maritus vivus quæſtionem moverit, & præparaverit, ſecus eo mortuo; quia cum maritus ſcivit adulterium & tacuit, illud cenſetur remittere. Quid ergo ſi ignoraverit adulterium uxoris? Et certe cum illud ſpectet ad injuriam, actio autem injuriarium magis reſpiciat vindictam, quam rem privatam, ad hæredes non tranſibit, ad quos etiam non pertinet actio de moribus uxoris, *l. un. ſup. de rei uxor. act.* nec coërcitio, nec accuſatio de adulterio commiſſo in vita mariti. Latè Petr. Barboſa *part. 1. l. 2. ff. ſol. matr. n. 119.* Gomez *ad l. 80. Tauri n. 86.*

Porrò mulier quæ hoc crimine ſe involvit, ſi habeat patrem ratione ejus quod deliquit, pater non privabitur dote. 37 Neque enim patitur æquitas ut delictum filiæ patri noceat. Non obſtat *l. 24. ſupr. De jure dot.* ubi culpa filiæ, nocet patri, qui non eſt ſtipulatus dotem ſibi reddi; quia videtur correcta *per Novell. 22. c. 19.* ubi ſtatuitur non poſſe filios diſtrahere matrimonia, in parentum ſuorum læſionem, qui dotes, aut donationes ante nuptias obtulerunt. Læderet autem filia adultera patrem ſi dos ab eo profecta, ad illum non rediret. Aliud dicendum de adventitia dote *juxta Novell. 117. cap. 13.* quæ uxoris eſt propria, ceditque marito propter adulterium, niſi extraneus à quo dotem accepit illam ſibi reddi fuerit ſtipulatus. Salicetus *& alij ad d. l. 24.*

Et hæc ita procedunt in vero matrimonio, nam 38 ſi illud fuerit putativum, & pro tali habitum, cum vere nullum ſit, propter juſtum impedimentum, non amittet mulier dotem, quæ corpus ſuum maculavit hoc crimine, quod propriè non eſt adulterium, ſed ſtuprum, non enim dici poteſt adulterium ubi non eſt verè matrimonium. Facit *lex 13. §. 4. ff. h. tit.* ubi uxor taliter ducta non poteſt accuſari per maritum de adulterio jure mariti, ſed jure extranei; igitur dotem non lucrabitur, cum id lucrum marito tantum accuſanti adulterium deferatur, *cap. 4. X. De donationibus inter virum & uxor.* & nullam illi competere actionem pro dote, impediente quocumque modo juris auctoritate matrimonium, conſtat *ex leg. 1. ſupr. De condiction. ob. cauſam*, ut nihil faciat quod communi opinione creditum fuerit verum matrimonium, ſiquidem adveniente veritate, cedat præſumptio. Contra ſentit Covarruv. *p. 2. de ſpon. c. 7. §. 6. in pr.* Diſtinguit Barboſa *d. loco n. 94* Gomez verò *ad l. 80. Tauri n. 49.* dicit legem Hiſpaniæ decernere dotis commiſſionem, etſi matrimonium probetur fuiſſe invalidum; quæ lex poſſet ubique

Digitized by Google

que recipi, uti juſta, in caſu quo maritus ignarus impedimenti, egit ad ſeparationem thori & amiſſionem dotis propter adulterium, & pro ſe obtinuerit ſententiam, quæ ubi tranſivit in rem judicatam, fruſtra allegatur matrimonij nullitas, juxta *l. 36. ff. familia erciſc.* ubi diviſio cum hærede falſo facta non retractatur, propter adjudicationem ſubſecutam. Magna enim vis ſententiæ, quæ etiam injuſta non reſcinditur, *ſup. Tit. ſentent. reſc. non poſſ.* multoque minus ea quæ tranſivit in rem judicatam.

39 Igitur ubi non tantum putatur, ſed vere commiſſum eſt adulterium, dos amittitur. At quid ſi oſculum intervenerit? Et licet libidinis ſit principium & indicium, reddatque uxorem ſuſpectam de pudicitia, non ideo tamen dote privatur; quia ut illa privetur, requirit lex conſummatum actum, ex quo graviori injuria afficitur maritus. Huc facit quod Juſtinianus *in Novell.* 117. *c.* 8. hanc cauſam non exprimat, & quamvis alio loco expreſſum ſit, feudatarium beneficio privari, ſi per laſciviam auſus fuerit oſculari uxorem domini ſui, *cap.* 1. §. 1. *tit. quib. mod. feud. amittit.* tamen iſte locus, uti & alij ex libris feudorum non ſunt magnæ auctoritatis, & ut illam illis concedamus, non tamen locus adverſabitur, quippe qui oſculi non meminit, ſed impudicorum quorundam actuum, qui feudi amiſſionem facilius operantur. Accedit quod vaſalli injuria erga dominum ſuum gravior ſit, hac in materia, propter juramentum fidelitatis, quo ei obſtrictus eſt, ut non poſſit ſimilis deciſio extendi ad alios caſus, in quibus non eſt eadem ratio.

40 Cæterum non eſt dubium, quin impudicam vitam agat illa fœmina, quæ amplexibus, oſculiſque virorum utitur, inhoneſtos tactus ſponte patitur, & contra mariti voluntatem in conviviis verſatur, vel foris pernoctat, vel ludis intereſt, vel lavat ſe eodem loco cum viris. Imo talis vix evitare adulterij ſuſpicionem poteſt, eaque ratione ſubinferam, legatum amittere ſibi relictum ſub conditione, ſi pudice ac honeſte vixerit. Videantur auctores citati à Sanchez *de matrim. l.* 7. *diſp.* 91. *n.* 38.

41 Verum hæc omnia quæ de pœnis adulterij recenſui, obtinent, niſi ſint cauſæ ob quas hujus criminis rei excuſentur.

I. Eſt quando utrinque peccatum eſt, recte enim mulier maritum agentem ad dotem, ex hac cauſa repellit, per adulterij objectionem, ex ratione, quod paria delicta mutua compenſatione tollantur, *l.* 39. *ff. ſoluto matrim l.* 10. *ff. de compenſ.* & periniquum ſit. ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet, *l.* 13. §. 5. *ff. h. t.* Quod procedit, quoad pœnam civilem partes concernentẽ, nam in criminali non obtinet compenſatio, cum non agatur cauſa partium, ſed reipublicæ. Item ſi tempore primæ actionis ſit occaſio repellendi maritum, per objectionem adulterij, nam ſi poſt addictam marito dotem, ipſe ſe adulterio maculet, non videtur revivifcere actio ad dotẽm ſemel amiſſam, cum ſemel extincta in perpetuum non reviviſcat, ex ſolo caſu ſuperveniente, *l.* 98. §. 8. *ff. de ſolutionib.* Judicis tamen eſt eo caſu, conciliare partes ad evitandum fornicationis periculum. Late Sanchez *de matr. lib.* 10. *diſp.* 9.

II. Cauſa eſt, ſi de conſenſu mariti, uxor hoc crimen admiſerit, vel eo non prohibente cum alio commercium habuerit, utique non cadet ſua dote, *l.* 26. *h. t.* Nam maritus adulterium uxoris diſſimulans & celans, particeps eſt ejuſdem turpitudinis: ut non recte ex ſuo dolo, commodum reportet, & mores improbet, quos aut ipſe ante corrupit, aut poſtea probavit, *l.* 47. *ff. ſol. matr.* 42

III. Si mulier per violentiam fuerit oppreſſa, quia non poteſt de adulterio accuſari, *l.* 20. *h. tit.* licet ipſa ſine præfinitione temporis ſtupratorem perſequi poſſit, & adeo inviolatæ exiſtimationis eſt, ut mortuo viro poſſit alij ſe matrimonio jungere. Plane mulieris culpæ nihil poteſt imputari, quæ maritum abſentem mortuum exiſtimans alij nupſit, quia non eſt dignum vindicta, quod decepta mulier egit, *l.* 11. §. *pen. h. t.* utque id faceret, permota fuit teſtimonio virorum fide dignorum. Neque etiam adultera eſt, quæ ignoranter viro nubit alieno, *c. Si virgo* 34. *q.* 1. Nec ſi alius ſpecie conjugis in lectum maritalem irrepſerit, aliave in eodem thoro pro uxore clam inſcioque marito ſe ſubjecerit, *c. in lectum ead. q.* Exempla vide apud Petr. Gregor. *lib.* 36. *Syntagm. Juris uni. c.* 6. *n.* 17. 43

IV. Cauſa, ſi maritus in adulterio deprehenſam, vel adulterij damnatam non dimittat, ſed in matrimonio retineat & conjugale debitum exſolvat: Videtur enim is injuriam condonaſſe. Adeo ut ſi poſtea uxor in idem crimen relabatur, prius illud amplius in judicium deduci nequeat, ſed poſterioris adulterij nomine tantum agendum ſit. Covar. *de Matrim. p.* 2. *c.* 7. §. 6. *num.* 11. Hinc maritus agens adulterij nomine ab uxore commiſſi ad ſeparationem thori, non admittetur ſi fateatur, ſe poſt admiſſum crimen uxori cohabitaſſe. Cum nec abſque peccato poſſit concubitum talis uxoris petere, ſi probabile eſt quod inde audacior, pertinaciorque in flagitiis fiet, quamvis ex adverſo uxor à viro publice adultero, libere petere poſſit, quia non perinde huic cura & correctio morum viri incumbit, *c.* 3. & 4. 32. *q.* 1. Sanchez *de matrim. lib.* 10. *diſp.* 13. 44

Olim pœna legis Juliæ tenebatur maritus qui damnatam adulterij duceret, *l.* 9. *h. t.* aut deprehenſam in adulterio uxorem, in matrimonio retineret, *l.* 2. *h. t.* ſed ut ſupra dixi, Juſtinianus permiſit damnatam, poſtquam legitimas pœnas ſubivit, in matrimonium revocare, *Novell.* 134. *c.* 10. Imo & ante Juſtinianum poterat maritus ſine metu legis Juliæ 45

reve-

revocare uxorem in matrimonium, cum nihil amplius quam libellos accuſationis obtuliſſet, & poſtea comperiſſe ſe affirmaret, quod vana indigatione ad accuſandum fuiſſet excitatus, *l.17.h.t.* Plane & extra crimen erat, qui ſuſpectam de adulterio uxorem retineret, vel deprehendere non curabat: ignoſcendum enim videbatur indulgentiæ, nimio candore præoptantis decipi, quàm diffidere, *l. 2. §. 2. & l. 29. ff. eod.*

46 V. Cauſa, ſi tempus accuſationi præſcriptum lapſum ſit, quod eſt quinquennium continuum durante matrimonio & computatur à die commiſſi criminis, *l.5.h.t.l.29. §.7. & l.31. ff. eod.* ſoluto matrimonio, eſt ſex menſium ſpatium, ex die divortij computandum, niſi quinquennium præterierit, *d. §.7.* Licet tamen hanc quinquennij ſupputationem excedere, ſi prævaricatio, aut aliud impedimentum accuſationem eluſerit *d.l.31.* aut crimen inceſtus conjunctum ſit adulterio, *l.39.§.5 ff.h.t.* His exceptis, præſcriptionem à legibus datam reo, auferri non oportet. Adeo ut licet reus exceptionem quinquennalis præſcriptionis non oppoſuerit, Judex tamen eam ſupplere, reumque ab inſtituta accuſatione abſolvere debeat, eaque præſcriptio non modo obſtet accuſatori adulterij, ſed etiam ipſi judici, quo minus is contra adulterum ex officio procedere poſſit. Jacob. Thomingus *deciſ.39. num.7.& ſeq. Boerius deciſ.26. num.12.*

47 VI. Si abolitio intervenerit, aut etiam ſine abolitione maritus deſtiterit ab accuſando, *l. 16. h. tit.* Videtur enim remiſiſſe injuriam, aut potius ideo non amplius auditur, quia in legem quam prodidit, peccavit, *l.2. §. 1. ff. h. tit.* unde & notatur, ſicuti & is, qui damnatam retinuit, ac dimiſſam reduxit. VII. Si maritus ante motam adulterij quæſtionem moriatur, actio enim hæc cum ſit de moribus uxoris, ad hæredem non tranſit, uti dictum *ſupra num.36.* Non obſtat *l.11.§.8.ff.h.tit.* ubi defuncto marito adulterij rea mulier poſtulatur, nam hoc non jure mariti, ſed jure extranei. VIII. Si maritus in adulterio deprehenſam occiderit, neque enim tunc dotem lucrabitur, qui lucro indignum ſe reddidit, propria auctoritate jus ſibi dicens, *l.10. §. 1. ff. ſoluto matr.*

48 Altera Tit. pars eſt *de ſtupro*, quod etiam per legem Juliam coërcetur, ſi modo in virginem, aut viduam honeſte pudiceque viventem exerceatur, nam eam quæ inhoneſte agit, non tuetur lex Julia *l.22. h.t.* nec vindicat ſtuprum illius, quæ vulgo ſe proſtituit, indignam enim beneficio legis eam facit vitæ vilitas, *l. 29. h. t.* quamvis adulterium cum ea admiſſum non maneat impunitum, *l. 13. §. 2. h. t.* Quare quod dicitur ob eam quæ ſtupro cognita eſt, ſi ſe vulgò proſtituit, pœnam adulterij ceſſare, *in d.l.22.* accipiendum de pœna ſtupri, quia lex Julia promiſcue adulterij & ſtupri vocabula accipit, *l.101. ff. de verb. ſignif.* Committitur ſtuprum aliud ſine vi, volente & parum reluctante virgine vel vidua, cujus pœna hoc jure eſt publicatio dimidiæ partis bonorum in honeſtioribus: vel corporis coërcitio, cum relegatione in humilioribus, *§. Item lex Julia Inſt. de publ. judiciis.* Hæc pœna, voluntario ſtupro hodie non imponitur. Aliud per vim committitur, quando virgo opprimitur, quo caſu illa inviolatam retinet exiſtimationem, *l.20. h. tit.* Ipſe autem ſtuprator ob vim illatam, pœna legis Juliæ de vi publica coërcetur, *l. 3. §. 4. ff. ad leg. Jul. de vi publ.* quæ eſt deportatio, non item pœna capitalis, niſi ſtupri violenti flagitio acceſſerit raptus, quo ſenſu accipienda *l.1. ff. de extraord. crim.* Fachinæus *lib.9. contr. cap.101.*

Cæterum qui nondum viripotentem virginem corrumpit, humilior in metallium damnatur, honeſtior in inſulam amiſſa parte bonorum relegatur, *l.38.§.3.ff. de pœnis.* At hodie conſuetudine pœna mortis videtur impoſita, niſi circumſtantiæ eam minui faciant, ut ſi conſummatum non fuerit, ſed tantum attentatum ſtuprum. Faber *ad d. §. item lex.* Peguera *in ſuis qq. crim. cap. 7.* Menoch. *de arbitr. caſ. 294.* 49

Hinc ſi quis per vim effregiſſet oſtiũ domus vel cubiculi, aut nudaſſet mulierem, eam vero non cognoviſſet carnaliter, pœnæ mortis locus non foret, ſed extraordinariæ, cum revera violentum ſtuprum dicendum non ſit. Violentia porro ſtupri probatur teſtibus, qui mulierem per vim compreſſam cognitamque viderunt, vel eandem magno clamore opem aliorum implorantem audiverunt. Quod ſi nemine præſente, vel audiente, per vim ſe cognitam dicit, non quidem fides ipſius dicto habetur, nec talis violentia præſumitur; ſi tamen honeſta & bonæ exiſtimationis fuerit virgo, aut vidua, juramento ejus creditur, ſi ex aliis circumſtantiis de oppreſſione appareat, eaque in ſylvis, aliove occulto loco contigerit. Judo. Damhouder. *in praxi crimin. cap. 95. num. 9.* Zypæus *in Not. juris Belg. ad l. Jul. de adult.* 50

Jure canonico is qui virginem ſeduxit & corrumpit, cogitur eam ducere in uxorem, aut dotare, ex ſententia Judicis, *c. 1. & 2. x h. t.* cui parere tenetur reus ſub corporali pœna. Quod jus generali conſuetudine eſt receptum, condemnaturque reus ſtupratam virginem, ſi non velit ducere, eam dotare ſecundum virginis qualitatem, quæ ad eam redigi ſolet, quam pater veriſimiliter puellæ filiæ ſuæ in dotem dediſſet. Weſemb. *ff. h. t. verſ. quod ad eam quantitatem.* Faber. *in ſuo C. lib. 9. t. 7. def. 5. n. 4.* Inſuper tenetur ſtuprator prolem alere, quam ſe ex eo concepiſſe mulier juraverit tempore partus, quia tunc ratione inſtantis periculi, non immemor ſuæ ſalutis præſumitur dicere veritatem, niſi tamen illa jam ante ab alio fuerit cognita, 51

Digitized by Google

aut poſtea plures admiſerit, deque eo conſtet, & probet ipſe. Nam præſumptio eſt pro muliere, ſecundum quam virginitas, utpote qualitas naturalis adfuiſſe præſumitur, & delictum abfuiſſe. Videatur Faber *lib.* 4. *C. tit.* 14. *def.* 18. & Gomez *ad l.* 80. *Tauri n.* 14. Jul. Clar. *§. ſtuprum. n.* 4. docent viduæ corruptorem hodie non teneri ad dotis conſtitutionem, cum non cenſeatur deflorata. Contrarium affirmat Farinacius *in pract. crim. p.* 4. *tit.* 16. *q.* 147. *n.* 10. *& ſeqq.*

32 At verò ſi quis ſub promiſſione matrimonij impetraverit à virgine corporis uſum, tenetur eam ducere, etiam ante ſententiam, cum iſta promiſſio ſit facta per modum contractus; qui cum ex parte corruptoris quoque impleatur; ne dolus ſuus ei proſit, non liberabitur offerendo nummariam damni æſtimationem, cum non teneatur corrupta juri quæſito ad matrimonium cedere, aliud pro alio accipiendo in ſolutionem. Niſi tamen conditionis imparitatem ſciverit virgo, aut fraudem non obſcure ex aliis conjecturis advertere potuerit, quia ſufficiet tunc damnum pecuniaria largitione penſari. Videatur Gutierrez *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 37. Navarrus *in Manuali cap.* 16.

33 Porrò ſi pendente lite mulier deceſſerit, videtur quod cum inſtantia ſit perempta, morte ipſius mulieris non teneatur ſtuprator honorem amiſſum reſarcire præſtatione dotis, cum dotis nomen non ſit ſine matrimonio, *l.* 3. *ff. De jure dot.* Puto tamen verius illum teneri, quamvis mors intervenerit pendente lite, nam eo ipſo quod mulier de ſtupro quæritur, videtur ſe conformare legis diſpoſitioni, quæ eſt ut vir ducat, vel dotem præſtet, *d. cap.* 1. *&* 2. *x. De adul.* quam tranſmittit ad ſuos hæredes: nam licet dos non ſit abſque matrimonio, hic tamen dotis conſtitutio pœnæ nomine applicatur, & ſic in libello ſtupratæ ſemper adjicitur, ut nomine intereſſe in tantum reus condemnetur. Ant. Gomez *ad l.* 80. *Tauri n.* 8.

34 Peſſimum & fœdiſſimum ſtupri genus, eſt præpoſtera & abhorrens à natura maſculorum libido, cum videlicet vir nubit in fœminam, ſive ut fœmina ſe ſupponit viris porrectura. Quid cupiatur? ubi ſexus perdit locum, ubi ſcelus eſt quod non proficit ſcire, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quæritur nec videtur, jubent Imp Conſtantinus & Conſtans inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut eo plectantur qui ſunt, vel qui futuri ſunt, rei tanti ſceleris, *l.* 31. *h. t.* De quo extant Juſtiniani quoque poſteriores ſanctiones, quæ tum admonitionem continent, ut ab horrenda illa turpitudine abſtineatur, tum pœnam ei indictam ultimi ſupplicij confirmant. *Novell.* 77. *& Novell.* 141.

35 Mores hodierni hoc genus ſtupri ulciſcuntur, igne, uti Valentinian. & Theodoſ. & Arcadius conſtituerant *in l. omnes Cod. Theodoſ. h. tit.* niſi fortè ætas patientem excuſet à tali pœna. Quod ſi cum bruto animali quis commiſiſſe convincatur, moris eſt ipſum animal in expiationem majoremque deteſtationem hujus ſceleris ſimul occidi, quemadmodum lege Moſaica fuit præſcriptum, *Levit.* 2. *c. mulier* 15. *q.* 1. Jud. Damhoud. *in praxi crim. c.* 96. Jul. Clar. *§. Sodomia.* Ant. Gomez *ad l.* 80. *Tauri n.* 32. Caballus *reſol. crim. caſu* 16. Aloyſ. Riccius *deciſ. curia Neap.* 148. De crimine inceſtus ejuſque pœnis *ſupra dixi lib.* 5. *tit.* 5.

TITULUS X.

Si quis eam cujus tutor fuerit corruperit.

1. *Quæ ſit pœna tutoris ſtuprantis pupillam.*
2. *Et cuſtodis cognoſcentis mulierem incarceratam.*

1 SI tutor pupillam quondam ſuam violata caſtitate ſtupraverit, etiamſi illius conſenſu factum ſit, gravius punitur quam alius ſtuprator, patiturque à judice ſeculari exilij ſeu deportationis pœnam, cum omnium bonorum proſcriptione, quamvis & eam pœnam deberet ſuſtinere, quam raptori leges imponi volunt, *l. un. h. t.* quia cum loco patris ſit, ejuſque fidei & curæ commiſſa puella, eam nihilominus auſus eſt violare, quam ne quidem in uxorem ducere, aut filio ſuo deſpondere potuit, *l.* 64. *§.* 1. *ff. De ritu nupt. & l.* 7. *ff. ad l. Jul. de adult.* niſi ſub moderamine, de quo *ſup. lib.* 5. *tit.* 6.

2 Priorem exilij pœnam, extendit Gutierrez *tract. de Tutelis p.* 2. *c.* 12. *num.* 10. ad commentarienſem qui mulierem cuſtodiæ ſuæ creditam vitiavit, quamvis conſentientem, nam ſub illius poteſtate facile fuit extorquere conſenſum, aut ſub ſpe relaxationis in ſtuprum conſentire. At Faber *in §. item lex Julia Inſt. de publ. jud.* tam ob violatam mulierem, quam locum publicum, pœnam ad mortem augeri refert, de conſuetudine Regni Franciæ, quam fortè intelligit ubi pudicæ mulieri vis illata probatur. Farinacius *in praxi crim. de carcer. lib.* 1. *tit.* 4. *q.* 31. *num.* 114. *& ſeqq.*

TITULUS XI.

De mulieribus quæ ſe propriis ſervis junxerunt.

1. *Aliter liberi, aliter ſervi adjectique homines puniuntur.*
2. *Servi adulterantes cum domina concremantur, illa capite punitur.*
3. *Quid de filiis inde natis?*

4. *Quæ*

Digitized by Google

4. *Quæ hodie pœna afficiantur famuli dominam corrumpentes.*

1 REipublicæ utilitas, ac humanæ ſocietatis conſervatio, ordinem quendam politicum requirit, ordo verò diſtinctionem quandam inter perſonas facit, imo & jus diverſum eſt tam in præmiis, quam in pœnis, præſertim quod nobiliores, ſublimioreſve perſonæ, non tam leviter ducantur ad delinquendum, quam humiliores & infimæ plebis homines: & hoc inſinuat J. C. dum dicit quod aliter puniantur ex iiſdem facinoribus ſervi, quam liberi, & aliter qui in dominum, dominamve, auſus eſt quid admittere, quam in extraneum, *l. 16. §. 3. ff. De pœnis*, cujus exemplum exhibet hic Tit.

2 Nam licet viliores homines ſtuprum admittentes, fuſtibus, flagellis, exilio tantum mulctentur, ſervus tamen ſi vitium dominæ ſuæ, etiam volenti, intulerit, flammis exuritur: Domina verò quæ tam vili ſe conjunxit, capitali ſupplicio afficitur, *l. un. h. tit.* Antea etiam cum bonis libertatem amittebat,
3 *§. fin. Inſtit. de ſucceſſ. ſubl. quæ fiebant per bonor.* * Filij verò ex ea conjunctione nati, fiunt infames, & incapaces maternæ ſucceſſionis, manent tamen liberi, utpote ex muliere libera nati. Succeſſio autem hujus mulieris ab inteſtato filiis legitimis defertur, vel ſi non ſint, proximis cognatis, ſecundùm juris ordinem, *d. l. un.*

4 Hodie de jure novellarum quamvis adultera capite non puniatur, ſed in monaſterium conjiciatur, *Auth. ſed hodie ſup. de adult.* extant tamen varia Pariſienſis, Burdegalenſis & Tholoſani Senatus Decreta, quæ mulierem graviori pœnâ damnant & famulum qui dominam ejuſve filiam corruperat, in furcam tollunt. Idque propter facinoris & perfidiæ vilitatem. Tholoſanus *in Syntagm. libr. 36. cap. 6. n. 20.* Papon. *in Arreſt. tit. de adult.*

TITULUS XII.

Ad L. Jul. De vi publica & privata.

1. *Quid ſit vis, quæ publica, quæ privata?*
2. *Qui ſervos armatos habet, quam pœnam ſuſtineat.*
3. *Quando vis concurrit cum raptu aut alio crimine, de utroque rectè intentatur accuſatio.*
4. *Armorum uſus publicus, varia exempla vis publicæ armis commiſſa.*
5. *Quando ſine armis committitur, & quod res uxoris pro debito mariti vendi non poſſint.*
6. *Pœna vis publicæ, eſt deportatio, interdum augetur propter cædem, etſi non occiderit qui vim fecit.*
7. *Qui ſibi jus dicit, & alium de poſſeſſione, quam ſuam eſſe dicit, vi dejicit, qualiter puniatur.*
8. *Quid ſi per ſervum fecerit, & quod ſeverius ſervi, quam honeſtiores puniantur.*
9. *Quibus caſibus vis privata committatur, & an creditori liceat occupare debitoris res?*
10. *Committitur ſi verberatus quis ſit, & ſpoliatus ſine convocatione.*
11. *Cum L. Jul. de vi privata, concurrit publica, utraque tamen non licet quem accuſare, interdum neutra.*
12. *Pœna vis privatæ eſt amiſſio tertiæ partis bonorum, cum infamia. Quæritur an uſusfructuarius damnatus tertiam partem ſui uſusfructuar. amittat.*
13. *Fiſco cui tertia hæc pars acquiritur, ad onera tenetur pro rata.*
14. *Hæc pœna hodie eſt arbitraria. Si dubium ſit de utra vi Judex ſenſerit, privata: itemque mitior lex ſequenda erit.*

VIs eſt neceſſitas impoſita, contraria voluntati, 1 majoriſque rei impetus, qui repelli non poteſt, *l. 3. quod metus cauſa.* Et eſt aut *publica* aut *privata.* *Publica*, quæ cum armis & violentia committitur, vel à perſona publica, vel in perſonam publicam, vel quæ violat jus publicum. *Privata*, quæ ſine armis patratur, à privata perſona, in privatam, ſine juris publici violatione.

Unde vis publica atrocior eſt, per quam ſecuritas 2 publica turbatur. Exempla hujus vis publicæ plura referuntur. Nam qui Bucelarios, vel Iſauros, vel ſervos armatos in prædiis ſuis habent, centum auri libris mulctantur & ſeveriſſime puniuntur. Præſides quoque qui in eos animadvertere neglêxerint, vitæ ac ſalutis periculum ſubeunt, *l. ult. h. t.* Extat quoque *l. pen. ſup. De feriis*, in qua monentur præſides, ne differant, etiam diebus feſtis, inquirere in ſcelera iſtorum latronum, & maxime Iſaurorum, qui continuis latrociniis vias publicas infeſtant.

Planè qui cum telis & armis rapiendi cauſa am- 3 bulat, uti & qui rem raptam ſcienter receptat, tenetur lege Julia, *l. 9. h. t.* niſi agatur de raptu virginis, in quo gravior eſt pœna rapientis, quam receptantis, *l. un. Tit. ſeq.* agit itaque pater de incluſione filij ſi eum habeat in poteſtate, itemque de raptu, ſi filia rapta ſit, *l. 3. h. tit.* neque enim violentia præcedens purgatur, per delictum inſecutum; Quemadmodum ſi idem eundem hominem vulneraverit, & poſtea ex intervallo occiderit, tenebitur de vulnerato & occiſo, quia diverſa committit delicta.

Verum ut hujuſmodi delictis, & violentiis leges 4 occurrerent, hominibus privatis interdixere armorum uſum, inſcio Principe, ut docet *l. uni. C. ut armorum uſus lib. 11.* quo pertinet & Novella Conſtitutio Juſtiniani *de armis* 85. præcipiens arma fabricata, ſtatim in publico armamentario ad belli uſum

Digitized by Google

reponi, & cuſtodiri. Igitur cum armorum uſus publicus ſit, eo ipſo quod privatus domi ſuæ arma habeat, aut in publico geſtet, tenetur de vi publica, præter uſum venationis, vel itineris, *l. 1. ff. h. t.* licet nullam vim fecerit; Multo magis lege Julia tenetur, qui convocatis hominibus vim fecit, & in incendio cum armis rapiendi cauſa fuit, vel prohibendi dominum res ſuas ſervare, qui poſſeſſorem domo, agrove ſuo dejicit, *l. 3. ff. & l. 7. h. tit.* qui alium, cum quo de fundi poſſeſſione contendit, occidit, *l. 6. h. tit.* Denique qui ædes alienas, aut villas telo expilat, effringit, naves expugnat, aut ex naufragio lucrum ſibi quærit. Itemque publicas perſonas pulſat, reos vinctos detinet, quominus ad judicium veniant, & quovis modo reipublicæ nocet, eamque armis turbat, hac lege coërcetur, *l. 5. 7. 8. & 11. ff. eod.*

5 Interdum de vi publica tenetur, qui ſine armis vim fecit, ſatis enim eſt, quod reipublicæ in aliquo nocuerit, uti revera nocet is, qui turbæ ſeditionisve faciendæ conſilium init, qui ſtuprum alicui per vim intulit, aut puerum dolo malo includit, *l. 3. ff. & l. 3. h. tit.* Item ſi perſona publica vim faciat, veluti Judex, ſi ob debitum viri, vel ob munus publicum viro impoſitum (quod ſuſcipere recuſat) res uxoris in cauſam judicati vel pignoris capi præcipiat, de vi publica tenetur, *l. 1. h. t.* quia res viri, non uxoris pignori capere oportebat. Menochius *lib. 2. arbitr. caſu 394. num. ult.*

6 Vis publicæ pœna eſt deportatio, quæ ſucceſſit in locum aquæ & ignis interdictionis, *l. 10. ff. h. t.* exacerbatur nonnunquam hæc pœna; adeò ut ad ultimum ſupplicium extendatur, propter cædem ſecutam, ſic in ſpecie *l. 6. h. t.* cum quis armatis hominibus poſſeſſionem alicujus attentaret, ſi in conflictu illo ſive à parte invadentis, ſive à parte reſiſtentis aliquis interemptus ſit, in eum ultimum ſupplicium exercetur, qui vim facere tentavit, & cædis iſtius cauſam præbuit; licet ipſe non occiderit, nec poteſt à ſententia contra ſe lata appellare, *d. l. 6.*

7 Etenim vis aliquando aliis criminibus conjungitur, aliquando per ſe crimen facit, puta in eo qui ſe dominum fundi, aut alterius rei eſſe contendit, quam violenter invaſit. Quod cum ſciat legibus eſſe prohibitum, & prætermiſerit remedia juris, violentiæ cauſa prius examinata, eaque probata, in eo punitur, quod teneatur ſtatim reſtituere poſſeſſionem expulſo poſſeſſori, ac deinde agitato negotio principali de proprietate, ſi convictus fuerit, publicatis bonis omnibus in inſulam deportetur, *l. 7. h. t.* ubi ex verbis *ante omnia*, deſumitur regula, quod ſpoliatus, ſit ante omnia reſtituendus, adeò quod neque ſententia ſuper petitorio, neque exceptio deficientis dominij, neque alia quævis allegatio impediat reſtitutionem ſpoliationis.

Quod ſi verò non ipſe dominus, ſed ejus mandato 8
ſervus violentiam admiſerit, hic quidem in metallum damnatur, at dominus ſi honeſtus ſit, infamis pronunciatur, nec loci ac originis propriæ dignitate utitur: viles etiam infameſque perſonæ, & hi quibis aut ſæpius violentiam perpetraſſe convincuntur, conſtituta contra violentos pœna tenentur, quæ eſt deportatio ob vim publicam, vel ultimum ſupplicium, *l. 8. h. t.* Quo fit ut ſervus, qui inſcio domino, violentiam feciſſe probatus fuerit, vel propria confeſſione, vel teſtibus, poſtremum ſupplicium ſuſtineat, *d. l. in princ.* at dominum excuſat ignorantia, quoties criminaliter agitur, nam civiliter rectè convenitur (etiamſi ignoraverit delictum ſervi) ad exhibitionem illius, utque damnum ſarciat, vel ſervum noxæ dedat. Poſtremo Judices qui crimen violentię apud ſe probatum punire diſtulerint, aut convictos dimiſerint, vel mollius quam par ſit puniverint, gravi infamia notantur, *d. l. 8. in fin.* Non tenentur tamen obſervare rigorem *d. l. 7.* propterea quod pleræque gentes illius remedio non utuntur, de quo videantur Covarruv. *lib. 3. var. c. 16. n. 7. verſ. ſecundus caſus.* Sarmient. *lib. 2. ſel. interpr. c. 13. n. 7.* Gutierrez *pract. qq. l. 1. q. 77.*

Secunda Tit. pars eſt de *Vi privata*, quæ commit- 9
titur, cum aliquis per injuriam convocatis hominibus, ex bonis alienis quid rapuit, aut aliquem dejecit ex agro ſuo, *l. 5. ff. ad l. Jul. De vi priv.* vel ſine Judicis auctoritate poſſeſſionem bonorum debitoris ſui, vi occupavit, *l. 5. h. tit.* At ſi creditor ex pacto, ob non ſolutam pecuniam in poſſeſſionem fundi ingrediatur, vim facere non videtur, niſi repugnante debitore aperta vi utatur: debet enim auctoritate Judicis adipiſci poſſeſſionem, *l. 3. ſup. De pignorib.* quam non poteſt licite accipere, niſi ex conventione, aut juſſu præſidis cujus proinde auctoritatem tutius erit adhibere, ad evitandas rixas & contentiones.

Tenetur quoque lege Julia de vi privata, non 10
ſolum qui convocatis hominibus vim fecit, quo quis verberaretur, pulſaretur, ſed & qui nullis vocatis, per ſervum alienum, res alterius rapuit, *l. 4. h. t.* quo caſu non contra ignorantem dominum, ſed contra eum qui ſuaſit, & facinus commiſit, accuſationem ex hac lege inſtituere oportet, cum qua concurrit actio vi bonorum raptorum, *l. 2. §. 1. ff. De vi bonor. rapt.* concurrit quoque lex Julia de vi publica, ſi coactis armatiſque hominibus, verberatus quis ſit, *l. 10. §. penult. ff. ad l. Jul. De vi publ.* Ex 11
quo notandum eadem admiſſa utraque lege Julia publica, & privata vindicari, quod novum non eſt, *l. 3. h. tit.* Verum non ideò quemquam accuſare utraque lege licet, *l. 14. ff. De accuſat.* electio enim accuſatoris eſt. Interdum ex certis cauſis reus accuſationem hanc depellit. Veluti ſi vim fecerit alicui, tuendæ ſalutis cauſa, aut armis fuerit

rit

rit uſus, ad uſum itineris, navigationis, commercij, &c.

12 Vis privatæ pœna eſt publicatio tertiæ partis bonorum, & infamia, *l. 1. & ult. ff. h. t.* quæ ex omni publico judicio damnatum comitatur, *l. 7. ff. De publ. Judic.* Sed quæritur, an uſusfructuarius hoc judicio damnatus tertiam partem ſui uſusfructus amittat? Et verius eſt ut dicamus, perceptione uſusfructus pro parte tertia eum mulctari, eamque partem non proprietario, ſed fiſco cedere, quam diu uſusfructuarius vivit, *arg. l. 27. §. jubet ff. ad l. Jul. De adult.* Ant. Gomez *tom. 2. var. c. 15. num.* 18. ubi in fine dicit, quod quamvis uſusfructus non poſſit alienari, ejus tamen commoditas & perceptio bene poteſt alienari, & per conſequens fiſco applicari, ad tempus vitæ uſufructuarij; ſicut poteſt in quemlibet extraneum tranſire per alienationem uſufructuarij, *l. 12. §. 2. ff. De uſufr.* videatur Fachius *lib. 9. contr. cap.* 50.

13 Cæterum tertia iſta bonorum pars, cum ſuo onere ad fiſcum tranſit, ita ut fiſcus pro rata portionis teneatur creditoribus damnati, *l. 1 h. t.* Quare ſi bona tutoris publicentur pro tertia parte, pro ea pupillus adverſus fiſcum experiri debet tutelæ judicio, pro rebus ad eum pertinentibus, aut eo quod illi à tutore debetur, *d. l. 2.* cujus deciſio generaliter eſt accipienda licet in ea tantum pupilli & tutelæ mentio fiat.

14 Hodie pœna utriuſque vis eſt arbitraria, quæ pro ratione circumſtantiarum, etiam uſque ad mortem extendi poteſt, ut tradit Gomez 3. *var. reſ. cap. 6. num.* 8. & Jul. Clar. *lib. 5. ſent. §. fin. num.* 11.

Caveat tamen judex ne excedat, aut quid durius conſtituat, quam vis commiſſa depoſcit: Quid ergo ſi de vi cognoſcens, hujus criminis reum aliquem eſſe decernat, & ex objectis criminibus non poſſit diſcerni de utra vi ſenſerit; potius eſt, ut de privata ſenſiſſe videatur, *l. 32. ff. De pœnis.* In dubio namque ſemper præſumitur Judex mitiorem legem ſecutus, & ſecundùm eam pronunciaſſe. Hinc etiam traditum eſt quamvis de vi publica teneatur qui armatus aliquem in loco publico aggreditur, etiam vulnere non ſecuto; non tamen idem ſtatuendum eſſe, ubi lex municipalis leviorem pœnam infligit vulneranti, quoniam lex iſta videtur ſeveritatem legis Juliæ de vi publica mitigaſſe, & certè abſurdum eſſet, eum qui ſolum aggreſſus armis eſſet aliquem, gravius puniri, quam qui armis læſiſſet. Diod. Tuld. *ad h. tit.*

TITULUS XIII.

De Raptu Virginum, vel Viduarum, nec non ſanctimonialium.

1. *Raptus quid ſit, in quibus fiat, quæ ejus pœna,*
2. *In ipſo crimine a omnibus occidi poteſt raptor.*
3. *An eum non excuſet, quod mulier raptui conſenſerit?*
4. *Voluntas mulieris quo modo probanda.*
5. *Mulieri raptæ, bona damnati acquiruntur niſi fuerit ancilla. Quid de moniali rapta?*
6. *Indigna eſt bonis raptoris ſi ei nubat, bona acquiruntur parentibus, ſi nuptijs non conſentiant.*
7. *Hodie permiſſum eſt matrimonium raptæ cum raptore, ſed non ideò hic pœnas legis evitat.*
8. *Gravius punitur qui nuptam rapuit. An & qui ſponſam ſuam?*
9. *An puniatur qui rapuit & non vitiavit.*
10. *Nec abducta ſit extra locum, cognita tamen ſit per vim, an habeat locum pœna hujus legis?*
11. *Raptus num fiat cum meretrice, & qua pœna puniatur, & quid ſi meretrix eſſe deſierit?*
12. *Quid ſi mulier rapiat virum?*

INter capita legis Juliæ extat ſanctio *De raptu*, de 1
quo proinde dicendum. Raptum vocamus quoties honeſta mulier, aut virgo, aut ſanctimonialis improbe vel vi abducitur, vel vi corrumpitur, & violatur. Quod crimen cum grave ſit, meritò acrius puniri meretur, quam vis ſimplex, quia in raptu, cum vi, eſt flagitium ſtupri conjunctum. Itaque hujus criminis reus, cum omnibus opem & auxilium ferentibus, comitantibus & ſociis, capitis ſupplicio, & bonorum omnium proſcriptione damnatur, non ſolum ſi ipſum crimen perpetrarit, verum etiam ſi facere attentarit, *l. un. h. t.* atque hæc pœna moribus etiam obſervatur, ſive virgo aut vidua rapta ſit, ſive nupta, *l. 54. ſup. De Epiſc. & Cler.* ſed ſi ſervus ſit, raptor, vel miniſter hujus criminis, lex noſtra jubet eum concremari, prout jam ante conſtitutum fuerat à Conſtantino, *in l. 1. C. Theod. de raptu.*

Vindicta parentibus & conſanguineis, & tuto- 2
ribus curatoribuſve, uſque adeò conceſſa eſt, ut liceat ipſiſmet raptorem in flagrante crimine deprehenſum interficere.

Nec excuſabitur reus, ſi ea quæ rapta eſt, pro- 3
pria voluntate, & non vi raptam dicat, nam cum vis iſta non ſolum ipſam ejuſque parentes, ſed & rempublicam læſerit, talem excuſationem lex non admittit; quinimò præſumit quod virgo non conſenſiſſet, niſi odioſis artibus circumventa & blanditiis educta fuiſſet. vim enim habent perſuaſoria verba, *l. 1. §. 3. ff. De ſervo corrupto.* ut recte habeatur pro invita, quæ dolo malo retinetur, & abducitur, *l. 3. §. 5. ff. De hom. libero exhib.* Non urget, quod volenti & conſentienti non fiat injuria, *l. 1. §. 5. ff. De injurijs.* quia hoc ipſum velle mulieris, ab inſidijs nequiſſimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur; Quod ſi tamen mulier omninò ſimplici & ſpontanea voluntate aſſenſum ſuum præbuerit, tunc enim verum

Digitized by Google

verum raptum non committi, nec mortis pœnæ locum relinqui, probabiliter defendit Decianus *tract. crim lib. 8. cap. 7.* etiamſi parentibus vel cognatis invitis, & refragantibus illa abducta fuerit, Hypol. *in d. l. uni.* Carerius *in praxi crim verſ. hinc nacta occaſ.*

4 Quoniam verò lex non liberam, ſed captatam ſuaſionibus & fraudibus voluntatem præſumit, ideò de ea aliter, quam ex confeſſione raptæ conſtare debet. Hinc contra hanc confeſſionem admittuntur teſtes de credulitate ad probandum, quod mulier non ſpontè conſenſerit. Farinac. *tom. 4. q. 145. n. 147.* Joſeph. de Seſſe *in deciſ. Aragon. 94. n. 20.*

5 Dixi paulò antè damnati bona publicari, & acquiri mulieri, quæ rapta eſt, quod intellige ſi illa ſit ingenua, nam ſi rapta ſit ancilla, vel libertina, ejuſque raptor damnetur ultimo ſupplicio, patrimonij tamen ſui damno non afficitur, *d. l. un. §. 1.* Si verò rapta ſit virgo, vel vidua Deo dicata, quia etiam ad ipſius omnipotentis Dei irreverentiam hoc flagitium committitur, capite expiatur, atque bona raptoris adſcribuntur monaſterio in quo ſtuprata morabatur, *Novell. 123. c. pen.* & ſi illa conſenſerit in ſtuprum de proprio monaſterio extruditur, & in arctius detruditur, *cap. ſi quis rapuerit 27. q. 1.*

6 Verùm iſto bonorum lucro, ac præmio, Imperator indignam eſſe declarat mulierem, quæ ſuo raptori nupſerit, quoniam hoc jure interdictum eſt, habeturque pro nefario raptoris cum rapta conjugium. Amplius addit nec ex teſtamento raptoris quicquam ab ea capi poſſe, ſed bona à tempore raptus, transferri ad parentes raptæ, & his deficientibus ad fiſcum, *d. l. un. & Novell. 134. & Novell. 150.* Intellige ſi parentes hujuſmodi conjugio minimè conſenſerint, nam qui conſenſerunt, tanquam indigni bonis raptoris privantur, nec non & aliorum qui facinoris fuerunt participes, *d. Novell. 143. in fin.* Quin etiam ſi citra conſenſum in matrimonium, parentes ipſum raptus crimen accuſare diſtulerint, & dolorem remiſerint, deportatione plectuntur,
7 *d. l. uni. §. 2. in fin.* Fachinæus *l. 3 contr. cap. 46.* * Dico hoc jure, nam Pontificio quod in cauſa matrimonij ſequi ſolemus, conſiſtit matrimonium inter raptorem & raptam, ſi hæc libero in loco conſtituta, poſtmodùm in matrimonium conſenſerit, *cap. ult.* ✠ *. de raptor. Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 6. de reform. matr.* Interim tamen iſta matrimonij approbatio, & privatus conſenſus mulieris, non impedit quo minus vindicta ſumatur de crimine raptus, ejuſque pœnis ſubjiciatur: quia non punitur matrimonium, ſed modus quo illud quis aucupatus eſt illicitè. Etenim per matrimonium ſatisfactum eſt honori raptæ, non etiam reipublicæ læſæ, cui ſatisfaciendum per pœnam hac lege præſcriptam. Videatur Ant. Gomez *ad l. 80. Tauri n. 43.* Clarus *§. raptus n. 8.* Peguera *deciſ. 42. n. 5.* Atque hæc opinio dicti Concilij decreto videtur probari, cum poſt contractum matrimonium inter raptorem & raptam, decernat illum non evitare excommunicationis & infamiæ pœnam, quam comitatur incapacitas dignitatum.

Porrò hujus Conſtitutionis pœnis magis ſubji- 8
ciuntur hi, qui nuptas mulieres auſi ſunt rapere, quia duplici tenentur crimine, tam adulterij ſcilicet quam rapinæ, ut meritò augeri debeat pœna, & acerbius adulterij crimen ex hac adjectione puniri. Illis etiam connumeratur, qui ſponſam ſuam, per vim rapere auſus fuit, *l. un. §. quæ multo & §. quib. in pr.* Sed intellige ſponſam, quam vocant, de futuro propter ſpem datam quam violare leges non permittunt, ut multo minus permiſſum ſit ſponſo caſtitatem ſponſæ corrumpere, cùm in ejus corpus nullum habeat jus, quod demum accedit per legitimum conjugium: ſaltem jus, ſi quod habet eſt valde debile, ut non excuſet violentiam, ejuſque pœnam. Secus dicendum de ſponſa de præſenti, quæ jam cognita, uxor facta eſt, ut non poſſit quis dici vim intendere, cum utatur jure ſibi quæſito per matrimonium, cujus nomine habet manus injectionem, *l. 1. §. fin. ff. De lib. exhib.* ubi marito competit interdictum de uxore ſua deducenda ſi pater benè concordans matrimonium, fortè & liberis ſubnixum velit diſſolvere. Ant. Gomez *d. loco num. 38.* Joſeph de Seſſe *deciſſ. Arag. 25. & ſeq.* Hodie inſpecto jure Pontificio, & Concilij Trident. decreto, moderata videtur eſſe pœna rapientis ſponſam ſuam, propter tractatum præcedentem. Covarruv. *de ſponſ. cap. 1. num. 13. & 2. p. c. 7. §. 4. n. 11.* Niſi illa prius ab eo receſſerit fidemque mutaverit; Quinimò verius accipi poteſt decretum de raptu ſponſæ de præſenti, eo quod loquatur de concubitu poſt deſponſationem licito, *in cap. 6.* ✠ *. de raptorib.* licitus autem non eſt niſi poſt ſponſalia de præſenti.

Quid igitur ſi virgo rapta, non tamen vitiata 9
fuerit? plerique tenent raptorem qui matrimonij cauſa rapuit & conſultò à concubitu abſtinuit, non ſubjici pœnis dictæ legis, cum videatur requirere raptum libidinis cauſa, atque ita concubitum; addit enim raptorem ob eam cauſam pœna ultimi ſupplici damnandum eſſe, quod virginitas vel caſtitas per ipſum ablata amplius reſtitui non poſſit. Quæ ratio, cum in non cognita militare nequeat, ſed ceſſet, ceſſare quoque debet legis diſpoſitio: præſertim cum generalis conſuetudo (quæ legem interpretatur & ejus ſeveritatem moderatur) non puniat in hoc crimine conatum eventu deſtitutum. Quia quid officit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? inquit Ulpian. *l. 1. in fin. ff. quod quiſque juris in alter. ſtat.* Boer. *deciſ. 316.* Decius *conſ. 234. ult. num. 4.* Verùm contraria ſententia juris diſpoſitioni magis congruit, videlicet ſufficere mulierem raptam

eſſe

Digitized by Google

eſſe cauſa libidinis, licet eam non expleverit raptor fortè impeditus: Cùm *d. l. un.* tantùm ſe fundet in raptu, qui hic perfectus, licet ad ultimum ſceleris gradum non fuerit perductus. Facit quod ait *l. 5. in fin. ff. ad l. Jul. de vi publ.* eum qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam ultimo ſupplicio puniri. Item quod dicit *l. 54. ſup. de Epiſc. & Cler.* raptorem virginis, vel viduæ, vel ſanctimonialis, capitis ſupplicio eſſe plectendum, idque ſimpliciter, non ponendo vim in defloratione, ſed in abductione per vim patrata.

10 Porrò ſi quiſpiam virginem per vim ſtupravit, eam tamen non abduxit de loco ad locum, non videtur puniendus pœna capitis, quæ expreſſe imponitur *in d. l. un.* rapienti & transferenti puellam ad alium locum, animo in perpetuum eam ibi retinendi. Jul. Clar. *§. raptus in pr.* Farinacius *in praxi crim. q. 145. n. 69.* Aliis hæc opinio minus probatur ea ratione, quod non tam ponatur vis in eo quod abducta ſit virgo extra locum, quam quod per vim fuerit cognita. Verùm ſi iſta ratio vera eſſet, potius eſſet locus legi Juliæ de vi. Peguera *ſup. d. loco.* Charondas *lib. 13. Reſp. 90.*

11 Cæterùm animadvertendum eſt Conſtitutionem hanc procedere in raptu honeſtarum mulierum, unde ſequitur ſi meretrix, vel ſemel cognita rapiatur, ceſſare pœnam raptus, *gloſſ. hic & DD. citati*; lex enim earum nequitiam non patitur ulciſci, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt, & quæ paſſim venalem formam exhibent. *l. 20. ſup de adult.* Quo pertinet *l. 29. eod. tit.* quæ pudicitiæ rationem ab iis fœminis requiri dicit, quæ juris nexibus detinentur & matriſf. nomen obtinent, non etiam in iis, quas vitæ vilitas, dignas obſervatione legum non credidit, ut pœnæ ordinariæ non ſit locus iſto caſu; Quin verò extraordinariæ pœnæ locus ſit, non eſt dubitandum, ne maneat impunitum facinus & vis illata, etiam meretrici, quæ invita, cogenda non eſt ſe exponere alicujus libidini. Non adverſatur *l. 39. ff. de furtis.* ex qua Alciatus *reſp. 469.* & Clarus *§. fornicatio* evincere conantur, iſtud factum planè debere eſſe impunitum, adeoque ne extra ordinem quidem eſſe coërcendum; quoniam in ſpecie illius legis, tantum agitur de actione furti, quâ conveniri nequit qui libidinis cauſa januam meretricis effregit, etiamſi furtum inde ſecutum fuerit. Indubitati ſiquidem juris eſt, eum non teneri furti, qui nec furatus eſt, neque animum ſeu affectum furandi habuit, uti revera hic non habuit, qui fores meretricis effregit, ut ei imputari non debeat furtum, ſed vis illata; quæ in præſenti caſu arbitrio judicis venit punienda. Clarus *§. raptus n. 3.* Covarr. *3. var. reſ. c. 14. n. 2.* & poſt alios Caballus *reſ. crim. cent. 2. caſu. 179.* quorum opinio firmatur *l. 15. §. ſi quis virgines ff. de injuriis.* ubi qui appellavit, & blanda oratione attentavit pudicitiam virginis ancillari veſte indutæ, non tenetur injuriarum, ut multo minus peccare videatur qui meretricem rapuit, aut libidinis cauſa clauſam detinuit in privato loco; niſi tamen meretrix deſierit eſſe, relictaque mala & inhoneſta converſatione honeſtati ſeſe dederit, *l. 23. §. præſenti C. de nupt.* quia tunc talem rapiens capite plecteretur. Paul. de Caſtr. & Fulgoſius *ad l. raptores C. de Epiſc. & Cler.*

Denique omittendum non eſt Conſtitutionem Juſtiniani, punientem virum qui rapuit mulierem, extendi etiam ad mulierem rapientem libidinis cauſa juvenem eleganti forma conſpicuum, ut non videatur execuſanda à ſeveritatis pœna ſexus infirmitas, quæ verecundiam exceſſit tantum ſcelus patrando, *Gloſſ. & interpr. ad l. un. h. t.* ibi Angelus ſcribit, ſe vidiſſe Florentiæ comburi meretricem, quæ concubitus cauſa juvenem rapuerat. Et ſanè ſi mulieri opem ferenti raptori, pœna capitis irrogatur *d. l. un. §. pœnas.* utique multo magis virum rapienti. Ego tamen exiſtimo mulierem rapientem virum, ſeveritati hujus legis non ſubjici, ſed pro arbitrio judicis puniri, idque propter violentiam, quamvis rarò hæc à fœmina committatur, ut minùs gravis cenſeri debeat vis facta viro per fœminam, quàm fœminæ per virum. Etenim in fœmina major deſideratur pudicitia & caſtitas, quæ ſemel corrupta reſtitui non poteſt, inquit lex noſtra, cujus proinde deciſionis ſeveritas, extendi non debet ad caſus non expreſſos & qui minùs frequenter eveniunt *juxta d. l. 3. 4. & 5. ff. de legib.* Vid. Jul. Clar. *§. raptus* & Decianus *lib. 8. c. 7. n. 71.* 12

TITULUS XIV.

De emendatione ſervorum.

1. *Moderata caſtigatio ſervi, domino eſt permiſſa.*
2. *Non licet ei ſervum ſuum, ut nec alienum occidere, ſed vendere, vel accuſare, ob grave delictum.*
3. *Subditi ob nimiam dominorum ſævitiam poſſunt ſe ab illorum poteſtate eximere.*

CONſtitutiones quæ dederant ſervis poteſtatem, de dominorum ſævitia conquerendi, nihil de jure dominico detraxerunt, ſed illud humanitatis & juſtitiæ finibus continere voluerunt, ne aliquando ad nimiam crudelitatem erumperet. Quamvis ergò barbarorum more in ſervos, uti in pecudes ſævire domino non liceat; prohibitumque ſit ſervos gladio percutere, eis lethale vulnus infligere, laqueo ſuſpendere, unguibus latera perſecare, non tamen propterea eſt adempta domino poteſtas de ſervorum delictis cognoſcendi, ſtatuendique ſuo arbitratu. Quare ſi flagitium aliquod ſervus admiſerit, 1 poteſt

Digitized by Google

poteſt eum dominus flagellis, verberibuſque emendare, & in vincula conjicere & moderatè caſtigare, & ſi ex hac correctione ſervus fortè moriatur, non tenetur dominus, niſi modum exceſſerit, *l. un. h.t.* ubi reprobatur dierum diſtinctio, intra quos ſervus mortuus eſt.

2 Et confirmatur Divi Antonini Conſtitutio, quâ dominus qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, non minus puniri jubetur, quam ſi alienum ſervum occidiſſet, & ſi aliàs intollerabiliter dominus in ſervum ſævierit, cogitur eum bonis conditionibus, id eſt, juſto pretio vendere, & rectè: expedit enim reipubl. ne ſuâ re quis male utatur. Quamobrem ſi ſervus grave crimen admiſerit, debet eum dominus apud competentem Judicem hodie accuſare, *l. 5. ff. De accuſat. & l. 11. §. ultim. ff. ad l. Cornel. De ſicariis.*

3 Eo pertinet quod dominus aliquis, ſi inſolitas à ſuis ſubditis operas exigere, eoſque ultra conſuetum modum indiſtinctionibus, cenſibuſque onerare conetur, poſſunt illi ſuperioris officium implorare, ut is domini oppreſſionem reprimat, qui ſi monitus non deſiſtat, ſeque temperet à violenta iſta exactione, jure ſubditi à domini poteſtate ſe eximere poterunt, namque ut ille feudo privetur, juſtam cauſam eſſe dicit alibi Baldus, habet enim dominus juriſdictionem, poteſtatemque in ſubditos, non tamen ea abuti, ſed moderate uti debet. Mynſinger. *cent. 5, obſ. 8.* Boërius *deciſ. 394.*

TITULUS XV.

De emendatione propinquorum.

1. *Olim licuit ſævire in filios. hodiè permiſſa tantum eſt in eos modica coercitio.*
2. *Si atrox crimen admiſerint, Judex cognoſcit, & emendat peccatum.*
3. *Pater poteſt filium clericum inobedientem expellere è domo ſua, & rex clericos publicæ quietis perturbatores.*
4. *Uxor à marito corrigitur, qui ſi nimium ſæviat, licet ei divertere.*

1 GRæcis olim parentibus licuit caſtigare filios, dum id facerent intra modum, omnis verò animadverſio vacabat ſævitia, nec ad peccati gravitatem, ſed ad paternam charitatem referebatur. Sic Romani, quibus olim vitæ, neciſque poteſtas in liberos conceſſa erat, *l. 11. ff. de lib. & poſth.* exemplo Græcorum à quibus bonarum litterarum diſciplinas & leges acceperant, cœperunt mitiores eſſe, & ad hanc manſuetudinem morum, uſque ſunt reducti, ut non niſi moderata quædam coercitio permittatur patri in filium, vel nepotem, ſeniori propinquo in juniores cognatos. Ita ut iſta caſtigatio plus pietatis habeat, quam acerbitatis; ut quos domeſticæ laudis exempla, ad vitæ decora, non provocant, ſaltem correctionis medicina compellat, *l. un. h.t.*

Cæterùm ſi atrocitas facti jus domeſticæ diſciplinæ excedat, judicum notioni ſervari debet, & reus vel à patre, vel à propinquis accuſari poterit, *d. l. un. in fin. & l. 4. ſup. de patr. poteſt. l. 2. ff. ad l. Corn. de ſicar.* 2

Non diſtinguo, utrum filius ſit laicus, an clericus, nam etiam hic à patre corripi & accuſari poteſt, & expelli è domo ſi adeò protervus ſit. Cujus exemplo Princeps ſupremus, è principatu ſuo Clericum publicæ quietis perturbatorem, vimque inferentem ſuis vaſallis ejicere poterit; & ſi exire recuſarit, ipſum coget amiſſione originis, & bonorum temporalium proſcriptione. *DD. in fin. ff. de off. procur. Caſ.* omnes enim cum ſubditi ſint regi, ratione originis & domicilij, etiam ſacri antiſtites obtemperare tenentur mandatis regiis. Bobadilla *in Polit. lib. 2. c. 18. num. 61. & ſeq.* Salgado *de Regia protect. part. 1. cap. 2. num. 273. & ſeqq.* 3

Porrò ut jure patri in filium, ita moribus conceſſa eſt marito in uxorem, & præceptori in diſcipulum, modica correctio, quæ quia virtutis materiam ſuppeditat, & animi vitiis medetur, meritò impunita eſſe debet. At ſi ita percitus maritus in uxorem ſæviat, arbitrio judicis exceſſus coërcetur. Quin & liberum eſt uxori ob intolerabilem viri ſævitiam, divertere & ſeorſim habitare, *cap. litteras de reſtit. ſpol.* Bald *Conſ. 17. libr. 1.* Poterit quoque filius ſi tractetur contra pietatem paternam, cogere patrem ad ſui emancipationem. *l. ultim. ff. ſi a parente quis manum.* 4

TITULUS XVI.

Ad legem Corneliam de ſicariis.

1. *Continuatio Tit. & qui dicantur ſicarii, & quis L. Corneliæ auctor.*
2. *Hac lege punitur qui hominem cujuſcumque conditionis occiderit, ſive adultum, ſive infantem.*
3. *Fœtum abigenti quæ pœna imponitur. & quando cenſeatur animatus fœtus.*
4. *Quando pœna hujus legis obtineat, & qui illa teneantur.*
5. *An puniatur conatus: & quid hodie ſtatutum?*
6. *Quid ſi intervenerint injuria & inchoatum grave crimen.*
7. *Quæ olim & quæ nunc eſt pœna homicidij.*
8. *Capitis pœna obtinet, ſi dolo malo facta ſit cædes, culpa non ſufficit. Quando caſus fortuitus excuſet à pœna?*
9. *Qui ab hac pœna ſint immunes; Minor ætas non excuſat à pœna, ſed facit ut mitigetur.*
10. *Homicidium in ebrietate commiſſum an puniatur pœna ordinaria.*

11. *Non*

11. *Non facile concedenda remiſſio. Tutiſſimum eam petere à principe.*

12. *Homicidium præſumitur commiſſum dolo, quem proinde abſuiſſe probabit reus. Quomodo probetur negatio.*

13. *Quando præſumatur doloſus animus, & cur puniatur L. Corn. qui ſine dolo amatorium poculum dedit.*

14. *Unde colligatur voluntas occidendi, & an præſumatur in eo, qui intendit vulnerare tantum, non occidere.*

15. *Quando præſumatur homicidium dolo factum, vel non, ut quis abſolvatur à pœna legis, & quis ab irregularitate.*

16. *In dubio præſumitur contra vulnerantem.*

17. *An teneatur vulnerans lethaliter, ſi vulneratum alius ſuperveniens occidat?*

18. *Mandans occidere pari pœna, qua mandatarius, punitur. Quomodo proponenda accuſatio.*

19. *Varij caſus recenſentur, quibus mandanti non imputatur ſubſecuta cædes.*

20. *Mandans expreſſe ne interficiat, ſed tantum percutiat ſi mandatarius interfecerit, an uterque teneatur pœna ordinaria homicidij?*

21. *An mandans verberare, ſit irregularis ſi mors ſequatur?*

22. *Auxiliator h. l. tenetur, ſi auxilium fuit proximum, ſecus ſi remotum.*

23. *Item conſulens homicidium, niſi parato, conſuluerit, quia mitius punitur.*

24. *Cur qui conſilium retractavit non excuſetur à pœna, ut ille qui mandatum revocavit.*

25. *Quid de ratam habente cædem?*

26. *Quomodo homicidium à pluribus commiſſum puniendum ſit?*

27. *Homicidio patrato in rixa plurium, ſubitò orta, ſi de auctore non appareat, arbitraria pœna imponitur.*

2. *Si dubitetur de auctore rixæ, quæ præſumptio inſurgat adverſus magis contentioſum.*

29. *An qui lethale vulnus inflixit in rixa teneatur pœna ordinaria.*

30. *Præter hanc pœnam tenetur reus civiliter, quibus applicetur mulcta civilis.*

31. *Indignus judicatur interficiens hæreditate occiſi, hujus bona fiſco deferuntur Moribus noſtris ad cognatos quocumque gradu tranſeunt.*

32. *Hinc ſi frater fratrem interfecit, hæreditas occiſi non fiſco ſed proximo agnato defertur.*

33. *Similiter ſi maritus uxorem in adulterio occiderit, dote privatur, ejuſque actio legitimus acquiritur.*

34. *De homicidio involuntario, & quod corporis ſui defendendi cauſa, aggreſſorem interficiens nullam pœnam meretur.*

35. *Quod melius ſit prævenire, quam præveniri, & vim intendentem vi repellere.*

36. *Moderamen inculpatæ tutelæ in quibus conſiſtat.*

37. *Quid ſi moderamen inculpatæ tutelæ provocatus exceſſerit.*

38. *Defendere proximum, & ſocium in diſcrimine vitæ conſtitutum, an quis obligetur.*

39. *An defenſio amici ita ſuſcipi poſſit, ut ejus invaſorem occidere liceat?*

40. *An idem liceat ob defenſionem honoris & pudicitiæ?*

41. *An inſultatus fuga ſe tueri teneatur?*

42. *An impunè liceat interficere eum, qui alapam inferre intendit?*

43. *An pro defenſione rerum liceat invaſorem occidere? ibi de fure quatenus impunè occidatur?*

44. *An credatur confitenti ſe aliquem occidiſſe ad ſui defenſionem? & qua pœna puniendus.*

45. *Quid ſit homicidium caſuale, ejus exempla, & quatenus puniatur.*

46. *An occidens Titium quem putabat eſſe Cajum, hujus legis pœnæ ſit obnoxius?*

47. *Homicidium publica auctoritate commiſſum, & quod in bello contingit, licitum eſt, & extra omnem pœnam.*

1 QUoniam multa facinora ſub uno violentiæ nomine continentur, cùm aliis vim inferre certantibus, aliis cum indignatione reſiſtentibus, verbera, cædeſque crebrò deteguntur admiſſæ, *l. 6. ſup. ad L. Jul. De vi.* placuit poſt tractatum de violentia, agere de cædibus, quæ dolo malo à ſicariis committuntur.

Sicarij propriè ſunt, qui hominem ſica interimunt; Sica autem eſt parvus cultellus, ut ait Cicero pro Milone, doloni non abſimilis & incurvus. Atque hujus appellatione cujuſque generis telum accipimus, ut ſicarios vocemus qui cædem quocumque telo commiſerunt. Quintil. *lib.* 10. *cap.* 1. Tulit hanc legem Lucius Cornelius Sylla Dictator, ut patet *ex l. 2. §. 32. ff. de orig. jur.* & conſtituit, quod qui hominem data opera occidiſſet, aut occidendi cauſa cum telo ambulaſſet, aut ſi privatus aliquis teſtimonium dolo malo dixiſſet, quo quis publico judicio damnaretur, aut ſi magiſtratus pecunia corruptus, innocentem ad mortem damnaſſet, publica lege fieret reus, *l. 1. ff. h. t.*

2 Eadem lege punitur, qui hominem cujuſcumque conditionis interemit; ſive maſculum, ſive fœminam, ſive liberum, ſive ſervum etiam proprium, ſive adultum, ſive adhuc infantem, *l. pen. h. t.* Quamvis de infante dubitari poterat, cùm perfectus homo nondum ſit; concepta autem ſit Lex Cornelia de eo qui hominem occideret, atque inde crimini nomen Cujac. *lib. 6. obſ. c.* 21.

3 Sed non eſt ratio dubitandi, quoniam ſi is qui formatum fœtum, vel conceptum in utero per abor-

tum delet, pœna hujus criminis tenetur, multo magis qui infantem recenter natum interimit, *d. l. pen. & l. 38. §. 5. & l. 39. ff. De pœnis.* Dico formatum, quia qui informatum fœtum abegit, aut abortioni cauſam dedit, exilij vel relegationis pœna afficitur, *l. 8. ff. h. t.* non enim ei licuit ſpem hominis impedire. Ex qua diſtinctione infertur, quod ſi mulier propriis viſceribus vim, venenumve intulerit, quo abortus fieret, partus vivus utero clauſus, in legem Pompejam de parricidiis incidit, quia filium occidit, *d. l. 1. ff. ad l. Pomp. de parricid.* Si inanimatus non utique, quia quod animam nondum habet, non poteſt mori, vel occidi, & non eſt homo ante animæ infuſionem, cum homo ex corpore & anima componatur, *l. 9. §. 1. ff. ad l. Falc.* Et ideò Juris-Conſulti leviorem pœnam abacti partus poſuerunt, *l. 4. ff. De extraord. cognit.* Damhauderus *in pract. crim. c. 74. n. 14.* Fachinæus *lib. 9. cont. c. 100.* Infundi animam maſculo die quadrageſimo à conceptione, fœminæ verò à die octogeſimo tradit Gloſſ. *in pr. Diſt. 5.* quam ſequitur Covarruv. *clem. 1. p. 1. §. 3. num. 1.* Hippocratis verò ſententia eſt marem 30. fœminam 40. die, formari & articulari, Aliter noſtri Medici ſentiunt. Videatur Carranza *De format. fœtus.*

4 Ejuſdem legis Corneliæ de ſicariis pœna plectitur, non tantum is qui armis hominem occidit, verum & qui ſine armis, uti veneno, incantationibus, ſuſurris magicis, aliiſque artibus odioſis: neque enim de modo quæritur, ſed de effectu per dolum procurato, qui eo turpior, quo modus occultior & minus evitari poteſt. Tenentur itaque hac lege qui venena vendunt, parant, qui cum telo ambulant hominis occidendi cauſa, ſicuti hi qui hominem dolo malo occidunt, *l. 7. h. t.*

5 Nam in delictis effectus non ſolum ſpectatur, ſed & conatus, qui aliquatenus exierit in actum aliquem exteriorem, *l. 14. ff. h. t.* ſed ab hac regula moribus hodiernis receſſum eſt, qui conatum occidendi tanquam homicidium non puniunt, niſi cædes ipſa evenerit, quia minus offenſa videtur reſpublica, quamdiu mors ſecuta non eſt, Bald. & Cynus *ad d. l. 7.* Ceſſat proinde *d. l. 7.* in qua dicitur capitale eſſe, cum telo ambulare, animo hominis occidendi. Item *l. pen. h. t.* ubi punitur aggreſſor infantis, nullo ſecuto effectu. Zypæus in *Not. jur. ad L. Corn. de ſicar.*

6 Verum tamen prudentiæ Judicis erit examinare actus ipſos, ad quos fuerit conatus deductus, ut ex his, & ſimul delicti qualitate, aut leviorem pœnam inferat, ſecundum quod qualitas & eventus facti poſtulabat. Etenim in graviſſimis delictis, ex quibus ſequitur magna calamitas aut grave admodum exitium, legis ſeveritatem noſtri Judices rectè exercent & meliorum ſcelus ordinaria pœna puniunt, ac ſi fuiſſet perfectum, veluti ſi quis adverſus principem, aut rempubl. fuerit aliquid machinatus, per actus exteriores, *l. 1. & 2. ff. ad l. Jul. Maj.* aut inſidias paraverit, conjurationeve facta & accepta pecunia, hominis occidendi cauſa, cum telo in publico ambulaverit, proceſſeritque ad actum exteriorem illato vulnere, licet non fuerit mors ſecuta. Eſt enim hæc immanitas proxima latrocinio, ideò gravi pœnarum acerbitate coërcetur, *l. 7. h. t.* ac multò graviori, ſi arctiori neceſſitudinis vinculo conjuncta perſona uti mulier marito paraſſe inſidias inveniatur, vel maritus eodem modo inſectetur uxorem, *juxta l. ult. h. t.* Nefas enim viſum eſt hominem homini inſidiari, cum inter nos cognationem quandam natura conſtituerit, *l. 3. ff. De juſt. & jure.* Covarr. *d. loco p. 2. in pr. & n. 10.*

Pœna hujus legis olim fuit deportatio, cum bonorum publicatione, hodie ut plurimum ſolent capite puniri rei, niſi honeſtiore loco poſiti fuerint, ut pœnam legis ſuſtineant, humiliores enim ſolebant vel beſtiis ſubjici, altiores verò deportari in inſulam *l. 3. §. pen. ff. h. t.* Juſtinianus autem *in Inſt. tit. de publ. judic.* indiſtinctè habet, ultore ferro legem Corneliâ perſequi homicidas, & ante eum alij Cæſares, capitali ſupplicio hoc crimen vindicarunt, *l. 8. h. tit.* quod intelligendum eſt, non quaſi ab initio mortis pœna fuerit iſtius legis, ſed quod pœnæ poſtea additæ, quaſi ex L. Cornel. deſcendiſſent, uſurparentur. 7

Eſtque hæc capitis pœna delicto maximè conſentanea. Unde Imp. reſcribunt: Homicida, quod fecit ſemper expectet, *l. 3. ſup. de Epiſc. aud.* ut autem dicta pœna locum habeat, neceſſe eſt voluntatem nocendi intercedere, *l. 1. h. t.* ſeu dolo malo homicidium factum eſſe. Nam ſi non dolo malo, ſed laſcivia, aut culpa etiam latâ, id acciderit, mitior pœna imponitur. Quare ſi quis ex alto ſe præcipitaverit, & ſuper alium venerit, eumque occiderit, aut putator ex arbore cùm ramum dejiceret, non proclamaverit, & prætereuntem occiderit, hujus legis pœna non coërcetur, ſed mitiore, *l. 7. ff. h. t.* Interdum nullam ſuſtinet, ſi probet reus animum occidendi abfuiſſe, *d. l. 1.* atque caſu fortuito, non voluntate, homicidium accidiſſe, ut ſi calcis ictu aliquem percuſſerit & occiderit, *l. 5. h. t.* eo ictu afflicta Poppea mortem obiit Tacitus *lib. 16. annal.* Sic quæ fortuita iracundia & improviſo caſu accidunt, fato potius quam noxæ imputantur. Simili modo cùm lapidem quis jacit in canem, vel arborem, & attingit hominem, excuſatur. Namq; erat in animo canem percutere, vel fructum decutere, ſed ictum ſubiit fortè quis & in ipſum tranſeundo incidit, contra voluntatem projicientis, & intentionem ſine qua homicidium non committitur. 8

Et hinc eſt quod infans, vel furioſus ſi hominem occiderint, lege Cornelia non teneantur, cum alterum innocentia conſilij tueatur, alterum fati infœlicitas excuſet, *l. 12. ff. h. t.* Quod ſi fortè ſint capaces 9

Digitized by Google

doli mali, penes judicis arbitrium erit ſtatuere, & pœnam decernere mitiorem, *l.37.§.1.ff.de minor.* proindè ſi minor 25. annis aliquem occiderit dolo malo,hac lege punitur, neque enim impunitas tanti criminis propter ætatem conceditur,& ideò Diocl. & Max. hic reſcripſerunt, quodſi quis minorem reũ legis Corneliç fecerit,innocentia,non vero prętextu minoris ætatis crimen purgari debeat, *l.6. h.t.*

10 Porrò ebrietas non ſecus ac furor voluntatem aufert,& ſenſum minuit,& ideò per vinum,aut laſciviam lapſis pœna capitalis remittitur, *l.6.§.7.ff. de re milit.*non etiam extraordinaria,quia culpæ ſunt obnoxij ebrij, utporè dantes operam rei illicitæ. Intellige ebrietatem magnam,nam levis à dolo, atque adeò à pœna ordinaria homicidij non excuſaret, quoniam illa non privat hominem uſu mentis & rationis: uti nec eum excuſaret ebrietas magna qui ſciens ſe ad pugnam pronum, in ebrietate arma capere, occidere etiam conſuetum, ſibi ab ea non cavet, nam à tali, homicidium commiſſum,videtur aliquatenus voluntarium,quod multo magis dicendum de eo, qui hoc fine ſe inebriat, ut tantò liberius noceat, & occidat.

11 Quamobrem in hiſce provinciis extat Conſtitutio Caroli V.Imp.ne facilè concedatur remiſſio homicidij commiſſi ex cauſa ebrietatis, ut ſic vitium iſtud hic ſat frequens malorumque inde provenientium occaſio vitaretur. Undè evenit ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirum multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt, *l.16. in fin.ff. de pœnis.* Gudelinus *de jure noviſſimo l.5. cap.17.*ubi addit quod cum rarum ſit,ut homicidium culpa vacet, tutiſſimum eſſe, veniam ſeu remiſſionem commiſſæ cædis, à Principe, ſenatuve ejus ex circumſtantiis,quæ moveant, impetrari; idque firmatur *l.5.h.t.* ubi annotatione, id eſt, indulgentia manu Principis ſubſcripta homicidium caſu factum remittitur.

12 Quoniam ergò homicidium magis cenſetur, commiſſum dolo malo, & voluntate directâ,quam caſu fortuito,aut culpâ, hinc eſt quod Imp. homicidam gravet onere probandi, quod animum occidendi non habuerit, *l.1.in pr.h.t.* cum enim conſtet hominem occidiſſe, purgare debet ſuam innocentiam,& probare dolum malum abfuiſſe.Dices ergo negantis eſt probare, cum tamen negativa difficulter probetur? Ita quidem ſimplex negatio, veluti non occidi probari vix poteſt. At negatio,quæ ipſa continet affirmationem, puta non occidi animo occidendi, ſed caſu,probari poteſt, eſtq; neceſſaria ejus rei probatio, ad evitandam pœnam legis Corneliæ,poteritque ea explicari per facti circumſtantias,quæ ex ipſa violentia, ex cauſa, loco vulneris, & genere armorum petuntur. Nam quid ſi probet ſe gladium non ſtrinxiſſe,eoque percuſſiſſe, ſed alio inſtrumento ſubitò obiato,uti clave,calce,cucumâ, lapide, pugno, baculo, fuſte, loriſve ſe uſum fuiſſe? certè non poteſt videri habuiſſe animum occidendi, ſi forte mors inde ſecuta fuerit, ac proinde lenienda erit pœna; ſecus ſi gladio, vel enſe, aliove inſtrumento ad cædem apto verberaverit, quia indubitatè talis animo occidendi cædem admiſiſſe intelligitur, *l.1.§.3.ff.h.t.* ubi Martian. de homicidio in rixa loquitur, ideò fortè ut oſtenderet evidentius percutienti animum occidendi non adfuiſſe. Interim tamen ſi ex aliis circumſtantiis, quantumvis nullâ interveniente rixâ, colligi queat, ſine occidendi animo percuſſionem factam eſſe, J. C. non obſcurè innuit idem omninò ſtatuendum, pœnamque percuſſori leniendam eſſe. Interdum augetur pœna, etiamſi abſque dolo malo,& occidendi animo homicidium commiſſum fuerit.

Quid enim ſi quiſpiam ſine dolo, poculum ama- 13
torium alicui propinavit,ex quo periit? certè quia mali exempli res eſt,& periculi plena,cùm ſcire potuit propinans ex venenatis herbis frequenter mortem ſequi ſolere, quamvis non fecerit necandi animo, tamen legis Corneliæ pœna afficitur, *l.38.§.5. ff.de pœnis,*qui caſus eſt ſingularis,& contra juris regulam, quæ vult ceſſare pœnam iſtam, ubi animus occidendi defuit. Nec adverſatur, quod illi qui non malo animo,ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat,deceſſerit, relegationis tantùm pœna irrogetur,*l.3.§. 2.ff.h.t.* quia hic poculũ quidem dedit non noxium, ſed ex ſaluberrimis herbis confectum,quodque dari ſolet mulieri conceptionis adjuvandæ cauſa, quæ tamen ſi præter ſolitum extincta fuerit, punitur propter exemplum,ſed mitius. Videatur Covarruv. *ad d.clem. 1. ſi furioſus p. 2. in princ. n.2.*

Ex quibus fit manifeſtum quod dicit Imperator 14
Antoninus in *l.1.h.t.* crimen contrahi ſi & voluntas nocendi intercedat; intellige voluntatem, quæ directè fertur in actum homicidij,quando quis habet animum occidendi, in quo conſiſtit perfecta hujus criminis malitia; Item quoties voluntas occidentis tendit in actum, ex quo per ſe & immediatè mors ſequitur, non per accidens: quia tunc voluntas iſta agentis malum, fertur in id quod fit, & in omne illud quod per ſe, non per accidens ſequitur ex illo. Exemplum ſit de eo, qui pravo animo intendit, aliquem vulnerare, non occidere, nec tamen potuit manum ita temperare,quin graviter percuſſerit, ex eaque percuſſione, mors fuerit ſecuta,profectò hic erit voluntarius homicida, atque ut talis, obnoxius huic noſtræ legi, quia voluntas percutientis tendit in omne id quod immediatè, non per accidens ex ea percuſſione fuit ſecutum. Idque multis probat Covar. *d.loco in prin.* pro quo facit *text. in l.6. ſup. ad l.Jul.de vi.& c. ult. de homic.in 6.* ubi crimina aggravantur ex eventibus, qui poſteà ſuccedunt, etiam præter opinionem, ſi modo illi eventus per ſe & neceſ-

Digitized by Google

neceſſariò ſequuntur,ex priori opere.Sic ſi intendebat quis actum, ex quo moraliter mors ſequi ſolet, morte ſecuta, licet eam non intenderit, homicidij reus erit nihilque facit intentio, quæ facto contraria, non venit attendenda.

15 Planè æque cenſendus eſt homicida is,qui voluit enſe percutere aliquem quacumque ex parte, & de facto vulnus inflixit tali in loco, ubi imminet mortis periculum; ſecùs ſi alio inſtrumento percuſſerit, ex ſe minùs apto, aut etiam apto, ſed leviter vulneravit & in tali corporis parte, quæ mortis periculo minùs eſt obnoxia, quia licet mors ſequatur, eam tamen directè nec in ſe, nec in cauſa intendit.Non eſt hic tamen immunis ab irregularitate,cum ea incurratur etiam ſola culpa,quæ cauſam morti dedit, *c. 19. x. de homicid.* Niſi potiùs mors probetur ſecuta,ex ipſius læſi,aut chirurgi incuria,quia tunc non poteſt videri cauſata,niſi remotè ex actu vulnerantis, remota autem cauſa non eſt ſufficiens ad incurrendam ſive introducendam irregularitatem, aut dandum locum huic legi. Covar. *d. loco p.2.n.5,*

16 Verùm in dubio potiùs ſumenda eſt contra vulnerantem præſumptio, quam & augere facit celeritas inſecutæ mortis; niſi illam aliter contigiſſe probet,doceatque non ex vulnere à ſe illato,ſed incuria ipſius læſi,aut chirurgi,læſum occubuiſſe,quæ res tota examini prudentis Judicis committitur, conſultis quoque medicis, *l. 6. Col. de re mil. lib. 12.* quorum judicium in rebus ad ipſos pertinentibus Juriſconſulti ſequuntur, ut ex *l. 12. ff. de ſtatu hom.* videre eſt.

17 Quid ſi quis Titio mortiferum vulnus inflixerit, eundem alius ſeperveniens occiderit? Dico utrumque teneri lege Cornelia, & qui deliberato animo occidit & qui priùs vulnus inflixit,cùm ſufficientem mortis cauſam præbuerit. Ita in ſimili facti ſpecie reſpondit Julianus lege Aquilia teneri eum, qui ſervum ita vulneraverat,ut ex eo vulnere certum eſſet illum vita exceſſurum. Etſi alius ex intervallo occiderit, *l.51. in princ. ff. ad l. Aquil.* ſtatuendum itaque eſt utrumque lege Corneliâ teneri,quia uterque dolo malo fecit, quem punit dicta lex. Si modò prior vulnus tale inflixit ex quo certò mors fuiſſet ſecutura, quia ſi id erat incertum, non videtur vulnerans ſubjiciendus pœnæ hujus legis, quòd incertum ſit an occiderit, ut tantùm ille ſubjiciatur qui verè occidit,*arg. l.11.§.3.& l.15.§.1.ff.ad l. Aquil.* ubi ſi alius mortiferè vulneraverit, alius poſtea exanimaverit, prior quidem tenetur de vulnerato, quia incertum an ex illius ictu periiſſet, poſterior verò qui ſupervenit de occiſo, quia occidit.

18 Quoniam verò nihil intereſt per ſe quis occidat, an mortis cauſam dolo malo præbeat,ideo qui juſſit aliquem occidi hac lege tenetur, *l.15.ff.h.t. & l.11. §.3.ff.de injur.* Eſt enim juris regula, quod quis per alium facit, per ſeipſum facere cenſeatur, & is damnum det, qui jubet dare, *l.169.ff. de reg. jur. & cap 72. eod. in 6.* quod vel maximè hic obtinet, cùm non tam ſuaſor, quàm actor delicti reputari poſſit mandator: Nec enim homicidium perpetraſſet mandatarius, niſi interveniſſet mandatum & conſiliū mandantis, ut meritò cum mandatario eidem ſupplicij generi ſubjacere debeat.Non obſtat,quod rei turpis nullum ſit mandatum, nam hoc quidem rectè ratione obligationis & actionis inter contrahentes, non verò quoad accuſationem pariendam ei, in cujus præjudicium mandatum eſt. Neque conſideratur an mandatarius mandatum acceptavit, quia cæde ſubſecuta, uterque ſit reus, & tenetur ex delicto propter mandatum, non tamen principaliter ex mandato. Hinc monet Antonius Gomez *tom. 3. var. reſol. cap. 3. num. 39.* quod in accuſatione poni debeat locus & tempus præciſe commiſſi delicti,non verò locus & tempus mandati, quodque mandatum debeat puniri in loco admiſſi delicti, non verò in loco ubi mandatum eſt, illudque ex tunc nocere incipiat, cùm ſequuta executio eſt, juxta *l.52. §.19.ff. de furt.*

Sunt tamen varij caſus,quibus non tenetur man- 19
dans pœna ordinaria. Quid enim ſi mandatum revocaverit, & expreſſe prohibuerit id exequi? Certè cum revocatio & pœnitentia faciat ceſſare voluntatem, à qua mandatum habet vim movendi, tanquam à cauſa, eâ ceſſante ceſſare debet effectus. Id extendit Gomez *d. loco n. 40.* ad tacitam revocationem mandatario ſufficienter notam, ut quia ſciebat mandantem in amicitia rediiſſe cum inimico, ac proinde revocatum mandatum factâ reconciliatione, ſic ut cædes ſubſecuta, mandatarij malitiæ potiùs attribuenda videatur, quam mandato. Placa *Epitome delict. c. 15. num. 7.* Quid prætera ſi mandavit aliquem occidi per Titium, & ab alio citra ejus mandatum occidatur? pœnam hujus legis non ſuſtinet mandator, quia voluntas non habuit exitum, non tamen eſt immunis à pœna arbitraria, propter turpe mandatum, quod jam in actum exierat. Menochius *2. arb. caſ. 352. n.11.* Planè non ſubjicietur ordinariæ L. Corneliæ pœnæ mandans, ſi mandatarius fateatur, quod etiam abſque mandato fuiſſet homicidium perpetraturus. Menochius *ibi num. 13.* Neque etiam eo caſu, quo mandatarius occiditur, quia non incurritur hujus legis pœna, niſi ob dolum qui hic ceſſat: non enim intendebat mandator mortem mandatarij, ſed alterius, atque ita Judicis arbitrio plectitur, eo quod non vacet culpa mandando rem periculoſam, etiamſi præmonuerit ut ſibi caveret mandatarius, cùm iſta monitio non removeat periculum, cujus effectus eſt ſubſecutus.

At quid ſi quis mandavit alicui expreſſe ne inter- 20
ficeret,ſed tantùm percuteret,& mandatarius interfecerit? Sanè quia hic mandati fines exceſſit,homi-

nem

Digitized by Google

nem occidendo, pœna hujus legis tenebitur, non item mandans, namque unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, *l.26.ff.de pœnis.* Non enim exitus, ſed principium perpetrandi delictum inſpicitur, principium autem ex animo & directâ voluntate æſtimatur, quæ non fuit in mandante aliâ, quàm ut percuteretur adverſarius, non occideretur, ex qua mandati limitatione etiam colligitur, quod ſolùm voluerit vulnus leue infligi, non lethale, aut in capite, ſed in alia corporis parte, mortis periculo minùs obnoxia, item non gladio ad necandum apto, ſed alio quopiam inſtrumento. Quod ſi verò dixeris, etiam mandantem pœna Legis Corneliæ de ſicariis teneri, propterea quod cogitare debuerat ex percuſſione percuſſum poſſe mori. Dicam ego longè æquiori & tutiori ratione, ipſum in culpa, non in dolo verſari, atque ita jure merito abſolvi, cùm tralatitium ſit in lege Cornelia de ſicariis dolum pro fundamento requiri, *l.7.h.tit. & l.7.ff.eod.* nam ne quidem lata culpa hic pro dolo accipitur, ſi urgeas, nihil intereſſe occidat quis, an mortis cauſam præbeat, *l.15.ff.h.tit.* Reſpondeo id verum eſſe & procedere, quando quis mortis cauſam præbuit directè, doloque malo, ſecus ſi culpa, vel indirectè, uti in præſenti ſpecie, & ut veriùs dicam mandans non tam præbuit cauſam, quàm occaſionem homicidij. Diverſa namque iſta ſunt, cauſa ſcilicet & occaſio. Cauſa non poteſt eſſe ſine effectu, ſed accaſionem quis poteſt præbere facto, licet factum vel eventus non ſequatur. Hanc ſententiam probat Carrer. *in pract.crim.tit.de homicid.§.circa num.83.* & Fachinæus *lib.1.contr.cap.56.* eamque multis limitationibus illuſtrat Doctiſſ. Covar. *ad d.clem.ſi furioſus p.2.§.1.num.2.* nititurque probare hunc mandatorem puniendum fore pœna arbitraria, non ordinaria homicidij, nam exceſſus mandatarij ipſi nocet, non etiam auget delictum mandantis, maximè ſi is limitatum dederit mandatum, quoad modum & inſtrumentum, ex quo facilè colligi poterit num voluntatem direxerit in homicidium. * Illud tamen indu-
21 biè imputatur mandanti quoad irregularitatem, tum quia mors fuit ſubſecuta, ipſo dante operam rei illicitæ, tum quia in culpa fuit illius homicidij, dum attendere debuit, ſequi poſſe ex ea juſſione, *cap.ult.de homicid.in 6.* Quia tamen ſubſecutum eſt præter ipſius intentionem, ac ſpem, excedenteque mandatario fines mandati, quod imputari ei non debet, videtur quod reſpectu ipſius tantum ſit homicidium caſuale, licet aliter ſentiat Covarr. *d.loco* Videatur Molina *de juſt. & jure tr.3.d.p.3. & 32.* Gomez *dicto loco.*

Porrò illud jam evidens eſt, eum qui quocumque
22 modo alteri in homicidio perpetrando auxilium, opemve tulerit, ultimo ſupplicio puniendum eſſe, *d.l.15.* Quod intellige de auxilio immediato & proximo; Nam qui remotum præſtitit cùm minùs deliquerit quam principalis, non eadem cum ipſo, ſed aliquanto mitiore pœna plectitur. * Quid ſi non
auxilium, ſed conſilium homicidæ præbuit? Et ſi hic 23
conſilio iſto permotus fuit ad crimen, quod aliàs non erat perpetraturus, tunc conſulens cum ipſo homicida morte mulctabitur, licet non fuerit præſens quando homicidium fuit patratum, quia ſatis eſt quod ad illud concurrerit, & damni cauſam dederit, *l.53.in fin.ff.de verbor.ſignif. l.1.§.3.ff.de ſervo corrup.* Facit quoque *l.11.§.6.ff.de injuriis,* ubi ait J.C. ſi perſuaſerim alicui aliàs nolenti, ut mihi ad injuriam faciendam obediret, poſſe injuriarum mecum agi. At verò ſi parato, quis homicidium conſuluerit, non idem dicendum, nam cùm non concurrat ad crimen, quod nihilominus committendum erat, non ita peccat conſulens, non eſt tamen omninò liber à pœna, quæ ei Judicis arbitrio erit infligenda; præſertim ſi animum homicidæ firmaverit, auxerit & inflammaverit, quia augendo voluntatẽ, auget & actum exteriorem à voluntate procedentem, non citra concurſum. Quo pertinet *cap.6.§.qui vero* ꝫ *.de homicid.* ubi qui inflammarunt animum regis, dicuntur puniendi, ſed non tam ſeverè. Idem dici poteſt de mandante, quod de conſulente, ut minùs puniatur ſi mandaverit parato cædem, ex eadem ratione, nam licet animus illi fuerit cauſandi cædem, non tamen præciſe ei cauſam dedit.

Manet interim diſcrimen inter mandantem & 24
conſulentem, eo in caſu, quo ille mandatum revocavit, hic verò retractavit conſilium, quod cùm mandatum concernat, gratiam mandantis, ab eoque habeat vim omnem movendi, ſequitur quod ejus voluntate ſublata, per revocationem, ceſſet mandati cauſa, ſic ut mandanti nihil ampliùs imputari queat: At verò ſi conſilium concernat eum, cui datum, ponatque inclinationem, quæ non tollitur per revocationem conſilij, cùm intellectus ſemel inſtructus non facilè mutetur, præcipuè in cauſa vindictæ. Sunt tamen qui volunt ſufficere conſulenti, ſi quod ſuadendo impreſſit, diſſuadendo impedire queat, moneatque eum de cujus periculo agitur. Bart. *ad l. non ſolum §.ſi mandato num.22.ff de injuriis.* Verùm ea admonitio non videtur excuſare conſulentem, cùm etiam diligens in vitando periculo, poſſit tamen inſidioſe intercipi, idque reſpectu conſilij dati, quod ideò & is luit qui dedit, niſi is cui conſilium datum, rationibus acquieſcens, cædem conſultam ex aliis cauſis exequatur, tunc enim ut ad eam ceſſet concurrere conſulens, ita non eſt ratio, quare ejus nomine aliquam pœnam ſuſtineat. Latè Molina & Covar. *d.loco p.2.§.1.n.*
5. & *§.2.n.1.2.* * Qui cenſent quoq; non eſſe 25
obnoxium pœnæ hujus legis eum, qui ratam habuit cædem ſuo nomine factam, quia ad eam non videtur concurriſſe, ſiquidem ratihabitio

illa

illa ſit poſterior, ut autem quis dici poſſit concurrere, debet actus ejus præcedere: nec urget quod ratihabitio æquipolleat mandato, *cap. ratihabitio de reg. jur. in 6.* quia id procedit quoad culpam, non quoad pœnam juris, cùm reſpiciat cædem commiſſam, ut objectum quidem, non tamen ut effectum.

26 Quomodò verò homicidium à pluribus commiſſum puniendum ſit, difficilis eſt diſputatio, quam ego tribus caſibus explanabo.

Primus eſt, quoties plures conſultò & communicato conſilio, eundem hominem fuerunt aggreſſi, & ignoratur quis vulnus lethale intulerit, tunc omnes etiam qui non percuſſerunt, homicidij pœnas luere debere exiſtimo. Quia non tam exitum, quàm animum L. Corneliæ conſiderat, *l.*1. *§.*3. *ff. h. t.* ut diximus. Etenim omnes illi dolo malo & animo occidendi cum telo ambularunt, *l.*7. *h.t.* atque mortis cauſam præbuerunt, ſiquidem aſſiſtentia ſua homicidam audaciorem, & è contra occiſum timidiorem reddiderunt.

27 Secundus, cùm citra deliberationem & occidendi animum plures concurrerunt, & in rixa ſubitò contingenti, vulnus fuit illatum, ex quo vulneratus deceſſit, nec apparet quis inflixerit, omnes extraordinaria pœna plectuntur; ordinaria verò ideò remittitur, ne contingat innocentem qui nullam habuit voluntatem occidendi puniri loco illius qui verè occidit: atque ita habet hic locum regula, quæ ſuadet ſatius eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare, *l.*5. *ff. de pœnis.* Cui ſuffragatur *l. ult. ff. h. t.* ubi ſi in rixâ percuſſus homo perierit, factum unius cujuſque contemplari oportet, ut ſciatur quiſnam mortiferum vulnus intulerit, & cui pœna ordinaria Legis Corneliæ irrogari debeat. Igitur cum in præſenti caſu ſciri nequeat, quiſnam in rixa iſta mortale vulnus inflixerit, neceſſario ſequitur; neminem ordinaria pœna affligendum eſſe. Nec contrariatur textus in *l.*11. *§.*2. *&* *l.*51. *§.*1. *ff. ad L. Aquil.* ubi omnes tenentur de occiſo: quia loquitur de L. Aquiliæ actione civiliter intentata, pro damno ob ſervum à pluribus pulſatum & occiſum dato, ubi ex præſumptione quilibet in ſolidum ad damnum emendandum condemnatur. Hic vero agimus de L. Cornelia, quæ non infligit pœnam mortis, niſi ei, qui ex propoſito & dolo

28 malo occiderit, *l.*7. *h.t. & l.* 7. *ff. eod.* * Attamen eo caſu quo non conſtat de auctore rixæ, præſumptio inſurgit adverſus eum, qui natura magis eſt contentioſus, & conſuevit alios provocare, & lædere, quem proinde ante omnes quæſtioni ſubjiciendum puto, ut eruatur veritas. Bart. *in l. fin. num.* 4. *&* 5. *ff. de quæſt.* Gail. *lib.*2. *obſ.*109. *num.*4.

29 Tertius caſus eſt, cum unus à pluribus in rixa ſubito orta, multis affectus vulneribus occiſus eſt, & conſtat quod unum ex tot vulneribus ſit lethale, & quis id intulerit. In hac ſpecie tenebitur de homicidio qui vulnus lethale inflixit, cæteri de perſecutione, ſe de vulneribus tantum, *d. l.* 11. *§.*2. ibi *& ſiquidem apparet, cujus ictu perierit*, licet enim D. Hadrianus reſcripſerit, eum qui in rixa aliquem percuſſit, non præſumi occidendi animum habuiſſe, proindeque pœnam ipſi leniendam eſſe, *l.*1. *§.*3. *ff. h.t.* Id tamen non procedit, quando ex inſtrumenti qualitate aliiſque circumſtantiis animus occidendi doceri, deprehendiq; poteſt, nam tunc indubitate ordinariæ pœnæ locus eſt, ut dictum ſupra. Illa namque conjectura quæ ex rixa emergit, quod quis non videatur habuiſſe animum occidendi, tollitur alia fortiori præſumptione, quæ ducitur ex qualitate inſtrumenti, quo iſte uſus eſt, ex quo colligitur habuiſſe animum occidendi. Hi caſus & plures alij referuntur à Molina, Covarr. Gomeſio dictis locis, & à Menochio *caſ.*362. Joſ. de Seſſe *deciſ. Arag.* 103. Jul. Claro *§. homicidium.* Peguera *q. crim.* 14.

Præter pœnam legis Corneliæ corporalem, ſuſti- 30
net & aliam civilem hujus criminis reus, hanc videlicet quod teneatur parti læſæ, ad damni reparationem, neque enim una actio per aliam conſumitur cum utraque tendat ad diverſum finem, videlicet, criminalis ad publicam vindictam, civilis ad privatæ læſionis reparationem, *l.*7. *§.*1. *ff. de condict. furt.* Non movet quod actiones ex delictis deſcendentes non tranſeant ad hæredem, nam hoc verum eſt ex parte rei, non etiam actoris, uti traditur *Inſt. de perpet. & temp. act.* Porro iſta civilis mulcta & læſionis reparatio competit liberis occiſi quamvis non ſint hæredes, quia eam capiunt jure ſanguinis ut tradit Gilletus in *tract. de tutela & cura c.* 28.

His addendum eſt, quod lex civilis reum indig- 31
num judicet hæreditate occiſi, ad quam vel ex teſtamento, vel ab inteſtato jus ei erat, *l.*7. *§. pen. ff. de bonis damnatorum.* Eoque facit quod indignus judicetur hæreditate, qui necem defuncti non vindicat, debitumque officium pietatis omittit, *l.* 1. *Cod. de his quibus ut indign.* ut multo magis is qui occidit indignus cenſeatur hæreditate, quæ defertur fiſco, *d. §. pen.* quamvis juſſu patris in cujus erat poteſtate occiderit, aut ipſe defunctus curam ſui neglexerit, non adhibendo medicum, aut adhibendo imperitum. Peregrinus *de jure fiſci l.* 2. *tit.*3. At Bartolus & aliquos refert *ad l. Lucius ff. de jure fiſci.* ſentiunt pares in gradu cum occiſore excludere fiſcum. In Gallia, & Belgio etiam remotiores in gradu fiſcum excludunt, ubi confiſcationi locus non eſt, excepto crimine læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ, Zypæus *in Notit. jur. Belg.*

Hinc cum quæſtio incidiſſet de fratricida, quem 32
lex capite punit, ac incapacem ſucceſſionis ipſo momento cenſet: Senatus Pariſienſis bona occiſi ad proximum agnatum deferri juſſit excluſo fiſco, teſte Annæo Roberto *lib.* 3. *rer. judic cap.*7. & recte, quia con-

Digitized by Google

conveniens non eſt, ut fratris, aut unius ex agnatis factum, cæteris qui ejuſdem ſunt familiæ noceat, *l.2.§.1.ff. ſi quis aliqu. teſtam.probib.* ac præſertim iis, quibus in defunctum major eſt affectus, & ſollicitudo ad vindicandum ejus necem. Sic in ſimili caſu,qui fratrem occidit, ut totum feudum haberet, feudo quidem privatur, ſed illud ad proximum agnatum devolvitur. *cap. 1. §. Similiter ibi Gloſſ. verbo fratrem,quib.mod.feud.amitt.*

33 Planè & maritus,qui uxorem etiam in adulterio deprehenſam occidit,caret donatione ſibi per uxorem facta,quæ morte ejus confirmari ſolet; privatur & lucro dotis,quod poſt mortem ejus ſperabat, nihil tamen inde fiſco vindicatur,ſed hæredibus legitimis actio dotis acquiritur. *l.10.§ fin. ff.ſolut.matrim.* At cur non marito,qui juſtum dolorem executus eſt,dotis emolumentum cedit? Quia æquum non eſt, vel honeſtum, ut ex tanto infamiæ ſuæ dolore quidquam lucri conſequatur.Deinde quia poſſet contingere maritum, tam projecti pudoris eſſe, ut vel lætus lenocinium exerceat, vel diſſimulatione ſua, adulterij admittendi occaſionem præbeat. Ita ut periculum foret,ne tandem ſpe improbi lucri illectus,uxoris occidendæ conſilium caperet,maxime ubi ex pacto antenuptiali, aut ex ſtatuti permiſſione,dotem ſperat lucrificare. Quod probabiliter contingere poſſe dicit Scævola in *l.14.§.1.ff. ad L. Jul. de adult.* Quod ſi tamen maritus non procuraverit uxoris infamiam, ſed in adulterio deprehenderit, licite eam ſi occiderit, ex permiſſione ſtatuti, aut ratione pacti, dotem lucrabitur, quamvis ſibi jus quodammodo dicere videatur. Etenim ſi cum maritus uxorem criminaliter accuſat, & de adulterio convictam condemnari facit, nihilominus dotem lucratur, quidni & eam lucrabitur,ubi licite & ex permiſſione ſtatuti uxorem interficit, quandoquidem tunc quaſi condemnatam per ſtatutum,ipſe maritus veluti juris publici executor, occidat? *arg.l.1.C.quando liceat unicuique ſine Jud.* Barboſa ad *d.l.10.§.fin.num.41.* Gomez ad *l.80.Tauri n.63.* Non tamen maritum omnino excuſo à peccato, ut illi volunt,quamvis juſto dolore impulſus,& bono zelo ob publicam vindictã, cædem hanc committat.

34 Hactenus de homicidio dolo malo admiſſo,ejuſque pœna, ſequitur de neceſſario, quod non dolo, ſed quodammodo coacto, hoc eſt, ob vitæ corporis,honoris,facultatumque defenſionem committitur. Cum autem defenſio iſthæc à jure naturali ſit introducta,& civili confirmata, ipſo meridie clarius eſt,eum,qui in dubio vitæ diſcrimine conſtitutus,proprij defendendi corporis cauſa aggreſſorem ſuum è medio ſuſtulerit,pœnam animadverſionemque ullam non mereri,*l.3.ff.de Juſt.& Jur.* Idipſum confirmat Gordianus Imp. *in l. 2.* & apertius *in l.3. h. t. ſi quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur, quia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur.* ſibi enim quiſque proximior eſt proinde ſi probet latrocinantem,vel quemcumque alium aggreſſorem occidiſſe, dubium non eſt quin à culpa immunis ſit, & à pœna. Cum etiam alias liceat cuilibet aggreſſorem nocturnum in agris, vel obſidentem vias, atque inſidiantem prætereuntibus impune occidere, etiamſi miles ſit *l. 4. h. t.* Hinc Harmenopol. *lib.6. cap.5.* dixit jus eſſe in agris occidere, at in urbibus non niſi telo utatur. Et recte, cum in agris major ſit remotis arbitris petulantia; in urbe ubi magiſtratus poteſtate præditi copia eſt, non videtur tam opportunus injuriæ inferendæ locus. In ſolitudine populares quiritare inane, & judicis auxilium implorare ſerum. Frequentia & civium conſpectus vis faciendæ occaſionem tollit,ſolitudo aufert.

Porro primum aggreſſoris inſultum expectare 35 quis non tenetur,ſed ſi viderit arma in ſe ſtringi,& inſultantis animum probe cognoverit, reſiſtere, ſibique proſpicere in tempore poteſt. Melius namq; eſt occurrere in tempore, quam injuria accepta, vindictam perquirere *d.l.4.in fin.* cui conſentit *l. 1. ſup.quando liceat unicuique ſine jud.* melius eſſe occurrere in tempore, quam poſt exitum, & vulneratam cauſam remedium quærere:& recte,quia ſi primus ictus eſſet expectandus,aut excipiendus eo vel trucidari, vel ita tractari poſſet inſultatus ut facultas defenſionis nulla læſo reliqua foret: cum tamen vim imminentem, vi repellere atque propulſare liceat, *l.1.§.27.ff.de vi & vi arm.* non videbitur ſe defendere, nec à ſe vim propulſare, qui eo uſque donec offendatur & vulneretur expectat. Non obſtat *l.52.§.1.ff.ad l.Aquil.* ubi Alfenus reſpondit culpam penes eum qui prior flagello percuſſit, recidere: nam ille auctor fuerat pugnæ qui percuſſit, at in noſtro caſu, non qui primo ferit adverſarium cauſam delicti præbet, ſed ipſe adverſarius, qui prius gladio evaginato truculenter alterum adoritur, eique vitam adimere conatur.

Eſt igitur defenſio impunita, dummodo ſerva- 36 tum ſit moderamen inculpatæ tutelæ, id eſt,defenſio fuerit moderata,qualis eſt,ſi invaſus non potuerit periculum alio modo evadere, aut invadentem repellere, niſi cum tali nocumento. Quamobrem judicis erit animadvertere, an ei qui occidit, periculoſa fuerit aggreſſio alterius, quia aliàs non eſſet excuſanda cædes, cauſa defenſionis; Item an defenſio potuerit fieri minori cum læſione aggreſſoris,nam ſi ſufficerit mutilare,aut vulnerare,occiſio erit immoderata,propter gravem culpam in repulſione commiſſam. Unde ſi quis fugientem invaſorem,etiam poſt vulnus grave acceptum ſequatur & occidat, excedet moderamen inculpatæ tutelæ; facit enim fuga invaſoris ceſſare periculum invaſi, qui non excuſabitur ex vulnere accepto, quia id non tollit animum vindictæ, neque ponit cauſam defen-

defenſionis, propter jam ceſſans periculum. Denique habebit judex temporis rationem, utrum in continenti, & antequam rixa dirimatur, & litigantes proceſſerint ad alios actus extraneos, defenſio facta ſit, nam ex intervallo adverſarium percutiens non defendere, ſed vindictam affectare videtur.

37 Quid ſi provocatus moderamen inculpatæ tutelæ exceſſerit? Non ordinariæ legis Corneliæ, ſed extraordinariæ pœnæ ſubjiciendus erit; Quia juſto dolore is movetur ad occidendum, qui provocatus eſt ab aggreſſore, ut non poſſit in illo præſumi dolus, licet exceſſerit modum, quem tenere eſt perdifficile, & cohibere iratum animum: proinde ignoſcendum eſt ei, qui voluit ſe ulciſci provocatus, *l.4. ſup. ad l. Jul. de Adult.* ubi mitiore pœna afficitur, qui deprehenſum in adulterio uxoris occidit. A dolo enim excuſat perturbatio juſti doloris. Fachinæus *lib.1. contr. c.32.* Menoch. *caſ.177. & ſeq.*

38 Cæterùm non ſolum nos ipſos, ſed etiam alios ſive ſanguine conjunctos, ſive prorſus extraneos rectè defendimus, atque ad id obligamur omni jure, divino namque præcipimur diligere proximum non minus quam noſmetipſos. *Matth. c.22. Marc.12.* Et *Proverb.24.* hæc verba leguntur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes.* Accedit exemplum Moyſis *Exodi. c.2.* qui virum Ægyptium indigne tractantem & percutientem quemdam de fratribus ſuis, interfecit. Canonico jure evidentiſſime comprobatur *can. non inferenda, cum ſeq. & c. ult. 23. q.3. & c.6. §. illi etiam de homicid.* ubi qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit, nec caret ſepulchro ſocietatis occultæ ſi qui manifeſto facinori deſinit obviare. Civili autem & Gentium jure, ad hanc proximi & amici defenſionem ſatis impellimur, tum propter ſalutem & incolumitatem totius corporis reipublicæ, quæ ſingulorum hominum ſeu membrorum ipſius læſione, & mutilatione labefactatur; tum propter cognationem, quam natura inter omnes homines conſtituit, *l.3. ff. de juſt. & jure.* Si juſtus es, inquit Seneca, non ſolum non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis. Injuſtitiæ duo ſunt genera: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis quibus infertur, ſi poſſint non propulſant injuriam *Cic. lib.1. off.* Ex quibus rationibus licet animadvertere quemlibet ad proximi ſui defenſionem (ſi modo illam ſine proprio periculo ſuſcipere queat) omni jure obligatum, & ſi defenſionem omiſerit, extraordinariæ pœnæ obnoxium eſſe, cum culpæ & criminis reus ſit, qui prohibere potuit, nec fecit.

39 Non tamen neceſſariarum & extranearum perſonarum propugnatio ita ſuſcipienda eſt, ut earum invaſores occidere liceat. Quia *l.2 & 3. h. tit.* & alia jura paſſim, quæ ob defenſionem homicidium fieri concedunt, non de aliorum, ſed propria loquuntur defenſione. Præterea is qui alium defendit, propriè non habet adverſarium, atque ita facile ſine aggreſſoris cæde efficere poterit, ne alter vel gravius vulneretur, vel occidatur. Excipio caſum pudicitiæ, ob quam non ſolùm propriam, ſed & ſuorum defendendam, quis inſultantem occidere poteſt, ut mox dicam. Quod ſi igitur in ejuſmodi proximi & amici defenſione, mediator aggreſſorem interficiat, omnino puniendus eſt, ſed extraordinaria pœna, quia non occidendi, ſed alterum defendendi animum habuit, niſi ſe mediatorem finxerit, quia tunc ordinaria afficietur, *d. l.1. §.3.*

An id quod dictum de defenſione vitæ, obtineat in defenſione honoris, quæritur? Et quibuſdam non videtur, propterea quod defenſio tantum moderata, non etiam vindicatio ſit permiſſa, & poſſit is, qui honore læſus eſt, illum competentibus actionibus recuperare, vel extrajudicialiter retorſione uti, ut non debeat ſibi ipſi jus dicere, vitamque alteri adimere, ob tutelam proprij honoris. Covar. *ad Clem. ſi furioſus p.3. §. uni. num.4.* Quæ opinio obtinet, ſi iſta ratione læſus honor ſalvus eſſe poſſit, alias ſi non poſſit, exiſtimo licitam eſſe defenſionem etiam cum cæde & damno ejus qui honorem violat, aut eum lædere tentat, modo id fiat in continenti, dum adhuc læſio honoris veluti pendet. Accedit ratio, quod honoris amittendi metus, non ſit minor viro bono quam vitæ, *l.8. §. quod ſi 2. ff. quod metus cauſa.* ita ut quod ad defendendam vitam eſt permiſſum, etiam ad defendendum honorem permitti debeat, ob juſtum dolorem quo offenſus commovetur. Ideoque hunc mitius puniendum eſſe judicat Gomez *tom.3. c.3. n.24.* ſi in defenſionem ſui honoris adverſarium occiderit, cum quod hic cauſam dederit, tum quod inconſultus offenſi calor, doli vitio careat. Cæterùm ſi quis virgini, vel honeſtæ matronæ, vel adoleſcenti ſtuprum inferre nitatur, vel ſimili modo conetur infamiam inferre, licebit eam etiam nece vindicare, *l.1. §.4. ff. h. t.* cum hæc injuria in totam familam redundet, & res ſit omni æſtimatione major, ac talis quæ non patitur moram, cum pudicitia ſemel amiſſa nunquam reſtitui queat. *l. un. ſup. de rap.* nec à judice violentia emendari. Unde apud Ciceronem pro Milone, adoleſcens qui Tribunum occiderat volentem vim inferre ſuæ pudicitiæ, rectè à Mario belli Duce abſolutus fuit. Molina *de juſt. & jure tract.3. diſp.17.* 40

Huc pertinet, quod non teneatur is qui fuſte invaditur fugere, ſi fuga illi ſit periculoſa, & ignominioſa, ſed poteſt ſiſtere gradum, animo defendendi & repellendi ignominiam, quam non cogitur pati cum perpetua nota ſuæ famæ. Accedit quod turpis ſit fuga & probroſa, præſertim honeſto & viro nobili, ac ſæpe periculoſa ne cadat, aut 41

in

Digitized by Google

in inſidias incidat. Ideoque fugere ne quidem clericus tenetur, qui ab inimico aggreſſus, quia hoc fieret cum magno periculo, eo quod fugienti à tergo vulnera infligi poſſunt. Covar. *d. loco ubi plures DD. refert.*

42 Atque hoc procedit ubi inimicus armis alterum invadit, quoniam ſi alapâ tantum intendat percutere, non licebit eum interficere, cum id jura non aliter permittant, quam quoties in dubio vitæ diſcrimine quis eſt conſtitutus, *l. 1. h. t.* & *l. 4. eod.* ibi *inferendæ cædis*, at in hoc caſu nullum eſt vitæ periculũ, & poſſit is cui alapa infertur, injuriarum actione, aut repercuſſione honorem ſuum conſervare. Nam quoties læſio durat, & alio non eſt via ſervandi honorem niſi repercutiendo, non videtur repercuſſio illicita, quatenus opus ad honoris defenſionem, ut d. loco tradit Navarrus, cum quo ſentio nequaquam fas eſſe ob quamcumque injuriam, vel corporis læſionem etiam minutiſſimam evitandam quempiam occidere, niſi fortaſſis ab ejuſmodi perſonalis injuriæ, corporaliſque læſionis etiam leviſſimæ origine, gravioris cujuſpiam damni, vel vitæ metus atque periculum alicui impendere videatur.

43 Quæritur an pro rerum defenſione, liceat impune invaſorem occidere? Et communiter obtinuit non licere, etiam eo caſu quo res omnes ſunt amittendæ, niſi vitæ corporiſve periculum ſimul intentetur, *c. 2. X de homicid.* Fortunius Garcia *ad l. 3. ff. de juſt. & jure*, Covar. *ſup. d. loco n. 6.* Huic ſententiæ adſtipulatur *l. 9. ff. h. t.* ubi Ulp. reſpondit furem nocturnum, ita demum impune occidi poſſe, ſi occiſor parcere illi ſine ſuo periculo non potuerit. Idem utroque jure conſtitutum, ut nocturnum furem quia non tam furandi, quam occidendi animo venire præſumitur, interficere liceat, non etiam diurnum, niſi ſe telo defendat, *c. 3. X h. t. & l. 4. ff. ad l. Aquil.* Atque *in l. 4. h. t.* permiſſum eum interficere, qui inferendæ cædis animo alterum invadit & ſpoliat. Sic ut niſi ſubſit vitæ periculum, non videatur æquum pro conſervandis rebus tranſitoriis, in proximum ita acriter exardeſcere, ut loquitur Pontifex *in c. 10. X h. t.* Verum pro contraria opinione facit, quod bona & res dicantur alter ſanguis & vita hominum, & propterea paria cenſeantur, inſidiari vitæ & inſidiari bonis, quibus vita ſuſtinetur, atque metus perditionis omnium bonorum, æquiparatur metui mortis. Quo fit, ut quod in vitæ defenſione, jure conceſſum eſt, permitti quoque debeat in defenſione bonorum, quorum amiſſio quemvis conſtituit in gravi neceſſitate. Et ſane ſi hæc tam ſit extrema, ut non ſuppetat alia ratio vitam conſervandi, & bona ablatà recuperandi, non dubito quin omni jure tunc liceat invaſorem, aut furem cum rebus fugientem occidere. Suffragatur huic ſententiæ quod alias daretur occaſio invaſoribus, aliiſque pravis hominibus alios bonis ſuis ſpoliandi, ſi id liceret impune, citra contradictionem, aut defenſionem domini. Igitur non eſt quod domino imputetur cauſa cædis, cum jus habuerit defendendi res ſuas, ſed ei potius imputari debet, qui per injuriam ablatas ne reſtitueret, querelam movit. Videatur Merenda *lib. 5. c. 20. contr.* Fach. *lib. 1. contr. c. 31.*

Quid ſi reus confiteatur ſe hominem occidiſſe, 44
ſed ad ſuam defenſionem? Et multis placuit, qualificatam iſtam confeſſionem reo prodeſſe, ne ordinaria capitis pœna plectatur, ſed arbitraria; propterea quod capitalis in neminem feratur, qui non ſit probationibus luce meridiana clarioribus convictus de homicidio, vel id confeſſus, *l. ult. ſup. de prob. l. 16. inf. de pœnis*, non autem plene aut ſufficienter probat confeſſio iſta qualificata. Contra tamen facit, quod confeſſio cædis oneret confitentem, quæ cum ſit contra illum, vera præſumitur, nemo enim creditur temere quidpiam contra ſe confiteri, atque ea eſt ſufficiens ſecundum jura, ut feratur ſententia, juxta ea quæ dicta ſunt *ſup. de confeſſ.* allegatio vero defenſionis ſit quidem pro reo, cum tendat in ejus purgationem, cui proinde non ſtatur, ſine probatione, aut aliis circumſtantiis, quæ ipſum excuſent. Quomodo Antoninus Imp. *in l. 1. h. t.* dicit ei incumbere onus probationis, qui allegat ſe occidendi animum non habuiſſe: & ideo cum homicidium ſit ex iis quæ prohibentur, cenſetur commiſſum dolo malo quem abſuiſſe, reus legitime probare debet. *l. 5. Infr. de injuriis.* Huc ſpectat quod habetur *in c. 1. de præſumpt. Sicut noxius eſt qui mittit lanceas & ſagittas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo & cum fuerit deprehenſus, dicit quod ludens fecerit*, talis non auditur, ſed ordinaria pœna plectendus, quia de delicto conſtat, per confeſſionem, quæ ſufficienter probat; attamen quia pura non eſt, ſed qualificata, & probatio redditur dubia & incerta, non erit imponenda pœna ordinaria reo, ſed alia mitior, maxime ſi ejus confeſſio, aliis probationibus & circumſtantiis evacuetur. Nam quid ſi reus qui occidit, fuerit vir probus, non rixarum amans, bonæ famæ, qui conſuevit honeſte vivere, alterum non lædere: occiſus vero contra fuerit rixoſus, nec vitæ admodum laudabilis, & alias fuerit minatus reo; certe hujuſmodi circumſtantiæ & ſimiles efficere debent, ut minuatur pœna, aut nulla inferatur. Fach. *lib. 1. contr. c. 27.* Farin. *in prax. crim. p. 3. q. 81. num. 110.* Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 26.* Sarmient. *lib. 1. interpr. c. 1. num. 11.*

Poſtremo videndum eſt de homicidio, quod præ- 45
ter intentionem committentis, vel cauſam dantis contingit. Homicidij hujus plura ſunt exempla, videlicet de ſagittario ex cujus manu telum fugit, de venatore qui pro fera hominem occidit, de medico qui imperite venam ſecuit, vel pharmacum dedit,

dedit, de putatore qui ramum in prætereuntem dejecit, de judice qui per imperitiam aliquem ultimo ſupplicio affecit. De omnibus his quæritur, an ſint homicidæ, & utrum huic legi ſint obnoxij? Et quidem, quamvis quod fortuito caſu contingit, fato potius, quam noxæ imputetur, *l.1.& 5.h.t.* hic tamen diſtinguendum eſt, ut plus vel minus videatur caſuale eſſe, prout plus vel minus, vel etiam nihil culpæ admixtum habet. Si enim culpa caſui fortuito cauſam dederit, vel opera rei illicitæ data fuerit, quæ culpæ adſcribitur, homicidium culpæ magis, quam caſui imputatur, & hoc jure punitur, non quidem pœna legitima, ſed extra ordinem, puta relegatione ad tempus, *l.4.§.1.ff.h.t.* Quod ſi opera dabatur rei licitæ, nec culpa ulla argui poteſt, jam hoc homicidium mere caſuale, cujus nulla pœna eſt. Caſus enim cum ne quidem à prudentiſſimis poſſit prævideri, nullam ponit noxam. Exempla ſunt *in c.9. 15.23.& paſſim.* ✠ *h.t.* quæ explicantur fuſe à Covarruv. *in clem. ſi furioſus p.2.§.4.* Olim apud Græcos, caſus fortuiti exilio voluntario luebantur, ut dicitur *in l.16.§.7.ff.de pœnis.*

46 Sed dubitatur an is, qui cum vellet occidere Titium inimicum ſuum, errore quodam in perſona commiſſo, exanimavit Cajum ut caſualis homicida extra ordinem puniendus ſit? quod videtur, quia non poteſt dici in dolo fuiſſe, cum non intendebat perſonam quam occidit, ſed in ea erravit. Facit quod voluntas & propoſitum diſtinguant maleficia, quomodo ſi cum ſervo meo pugnum ducere vellem, percuſſerim adſtantem, injuriarum non teneor, *l.4.ff.de injurÿs.* quia voluntas non fuit illi nocendi. Atque hanc ſententiam in judicando ſecutum fuiſſe Senatum Taurienſem docet Theſaurus *deciſ.* 243. & Menochius *arb.jud.quæſt.caſ.324.n.11.* Verum ex adverſo ordinariam mortis pœnam infligendam eſſe plerique tradiderunt, & recte, quia hic adfuit dolus & animus occidendi, quem punit lex Cornelia. At pro ea facit *l.18.§.3.ff.de injuriis*, ubi Paulus J. C. dicit; ſi injuria mihi fiat ab eo cui ſim ignotus, aut ſi quis putet me Lucium Titium eſſe, cum ſim Cajus Sejus, prævalet quod principale eſt, injuriam eum mihi facere velle. Nam certus ego ſum, licet ille putet me alium eſſe, quam ſum & ideo injuriarum actionem habeo: hæc autem non datur niſi dolus & animus injuriandi adfuerit, *l. 11. ff. de injuriis.* Igitur ſicut error in perſona commiſſus animum injuriandi non excludit, ita nec animum occidendi & proinde ut illo caſu actio injuriarum, ita & hic ordinaria legis Corneliæ pœna locum habebit; qua ut quis afficiatur, ſufficit habuerit animũ occidendi, ſi non in ſpecie, ſaltem in genere, ut tenet Baldus *in l. ſi quis non dicam rapere C. de Epiſc. & Cler. col.pen.n.9.* poſt Joan. Andream quem ipſe citat. Nec ad rem eſt, quod manus aberraverit, cum voluntas cædem alicujus intenderit, & ſecutus fuerit effectus. Itemque non excuſabit ignorantia perſonæ, quæ non excludit actum illicitum, neque affectum, vel effectum operis mali minuit; Quo fit ut qui corrupit ſervum, quem liberum eſſe putabat, ſervi corrupti teneatur, *l.5.§.1.ff.de ſervo corrupt.* Huc quoque pertinet *Text. in l.20. ſup. de furtis. & l.6. ſup. de l. Jul. de vi publ. l.11. in fin. ſup. unde vi.* Et Cicero ad Trebatium ſcribit, Telum jacere voluntatis eſt, ferire quem volueris fortunæ. Deinde ſi ordinaria legis Corneliæ pœna tenetur, qui cum telo ambulaverit, hominis occidendi cauſa, licet non occiderit, *l.7.h.t.* quanto magis hic qui ſimul etiam hominem occidit, quamvis non eum quem occidere volebat. Hanc ita ſtabilitam ſententiam non infringit *l.3.§. ult. & l.4.ff.de injur.* quia ibi abeſt animus injuriandi ab eo, qui liberum hominem pulſavit, quem ſervum ſuum exiſtimabat; ſiquidem caſtigationis tantum & diſciplinæ cauſa, ſervum ſuum cedere, & pulſare voluit, quod jure poteſtatis ei licet. *Tit. ſup. de emend. ſerv.* atque ita cum dederit operam rei licitæ, quod præter intentionem accidit, caſui potius debet imputari. Denique non impedit *l.45.§.4.ff.ad l. Aquil.* ubi ſi quis ſe defendendo ab aliquo tertium prætereuntem vel mediatores percuſſerit, tenetur lege Aquilia, ad id quod intereſt, quia in illa actione non requiritur dolus, ſed ſufficit ſola culpa. Hæc ſententia quæ jure verior, etiam uſu obtinuit, propterea quod conſummatum eſt crimen, licet in alterius perſona. Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 34.* Vaſquez *lib. 3. contr. c.96.* Fachin. *lib. 1. contr. c.37.* Clar. *§. homicidium n. 6.*

Porrò ut homicidium quod præter intentionem 47
occidentis evenit, immune eſt à pœna, ita & illud quod auctoritate publica eſt commiſſum, quia licitum, expedit enim reipublicæ provincias malis hominibus purgari. *l.13.ff.de off.praeſ.* & hoc ita in criminibus quæ merentur iſtam pœnam, eamque habent poſitam à legibus, ſive moribus. Neque enim Judicis eſt pœnas ſanguinis ſtatuere. Itemque homicidium illud licitum eſt, quod in bello contingit, ex parte eorum quibus juſta eſt cauſa, quoniam tale bellum tendit ad correctionem eorum, qui deliquerunt, & reparationem injuriæ ab iis illatæ, quæ res eſt juſta, & juſtum facit effectum inde ſubſecutum, *c. dominus 23. q. 2.* ab eo vero quem juſta cauſa non ſalvat, cædes commiſſa, non eſt extra noxam. Covar. *ad c. peccatum p.2.§.9.n.2.& §.10.* plura de juſto bello intra *lib.11. tit. 46.*

TITULUS XVII.

De his qui parentes, vel liberos occiderunt.

1. *L. Pompeia de parricidiis, & quæ ejus pœna.*
2. *Singularis culei cum feris pœna quando locum habeat.*

3. Quæ

Digitized by Google

3. *Quæ hodie obtineat, & cauſa inducta ſeveriſſima pœna.*
4. *An conatus hac pœna puniatur, qui ad ulteriorem actum proceſſit.*
5. *Conſcij & participes parricidij punientur.*
6. *Item pater, mater, & avus ſi occiderint ſobolem ſuam.*
7. *Frater qui ſciverat parari venenum, qua pœna puniatur, & Medicus.*
8. *An mater quæ partum inventum mortuum celaſſe, & occidiſſe dicitur, parricidij pœna puniatur? & quid ſi abortioni cauſam dederit?*
9. *An qui occidit eas perſonas, quæ parentum loco ſunt, teneatur pœna h.l.*
10. *Parricidæ excuſantur aliquando quoad pœnam, ob levem culpam, furorem & alios caſus hic relatos.*

1 POmpejus cognomento Magnus, Princeps ſuo tempore in republica, cum auctoritate, tum opibus conſpicuus, aliquot leges & ipſe tulit, ex quibus pleræque poſt ruinam & caſum ipſius interciderunt. Inter eas autem quæ remanſerunt eſt hæc quæ in parricidas lata eſt, qua cautum fuit, ut non ſolum qui patrem & matrem, filium aut nepotem, ſed etiam qui cognatos necaſſent, vel uxores parricidij tenerentur.

2 Pœna autem hujus legis duplex eſt, nam qui alias perſonas præter patrem aut matrem, avum aut aviam occidiſſent, pœna L. Corneliæ de ſicariis coërcebantur, *l. 1. & pen. ff. h.t.* Qui vero patrem vel matrem, avum vel aviam aliumve parentem ſuum necaſſent, more majorum ſpeciali pœna culei punirentur, *d.l.pen.* quam pœnam in uſum revocavit hic Conſtantinus, & eam probavit Juſt. *Inſt. de publ. jud.* adverſus eos qui parentes, aut filios interfecerunt, & uterque Imperator non gladium, aut ignem decernit, ſed jubet reum culeo (capaciſſimum quoddam vaſis genus id erat, ex corio bovis) cum cane, gallo gallinaceo, vipera & ſimia inſui, atque iſtis feris ſibi invicem natura infeſtis miſceri: & ſi regionis, qualitas tulerit, in vicinum mare vel in amnem projici, ut ita omni elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur, *l.un.h.t.* Amplius ſcripſit Modeſtinus, damnatum priuſquam culeo inſueretur, virgis ſanguineis verberari, ac ubi flumen, aut mare vicinum non erat vice prædictæ pœnæ, beſtiis laniandum objici ſolitum, *d.l.pen.* Covarruvias *in Clem. ſi furioſus p. 2. n. 12.*

3 Hodie hoc ſupplicij genus in uſu eſſe deſiit, & parricidæ pro cujuſque regionis conſuetudine, vel ſubmerguntur vel vivi defodiuntur, vel in partes quatuor diſſecantur, vel dolio incluſi in flumen dejiciuntur, aut dantur canibus lacerandi, ut ſe vidiſſe refert Julius Clarus §. *parricidium n. 5.* & Placa *de delictis c. 22.* Et ſane vix ſatis acre reperiri poteſt ſupplicium in eos, qui vita privarunt illum, à quo ipſi vitam acceperunt, cum feris ſint ferociores. *Sunt crimina*, inquit Quintilianus, *quæ ipſa magnitudine fidem non impetrant; parricidium aliquando legem non habuit. Quis enim ſe facile vinculis naturæ exſolvat? Itaque ad tantum nefas magno oportet ſcelere parricida veniat.* Pulchre in eandem rem Cicero pro Sex. Roſc. Amerino, ubi cum Solonis meminiſſet, qui legem non tulit, quod non ſperavit tantæ immanitatis quempiam fore, qui tam horrendum facinus perpetraturus eſſet, attamen, inquit, quia nihil tam ſanctum eſt, quod non aliquando violet audacia, excogitatum fuit in parricidas ſingulare ſupplicium, ut illi quos naturæ honeſtas in officio retinere non poſſet, pœnæ magnitudo à maleficio ſubmoveret.

4 Tanta namque eſt hujus facinoris immanitas, ut non tantum parricidæ prædicta pœna plectantur, ſed & qui facinus attentarunt, licet id non peregerint, verbi gratia, ſi patrem interfecturus emerit venenum, quamvis non porrexerit, tenetur pœna parricidij, *l. 1. ff. h. t.* Conſuetudo tamen nō punit ſolum conatum, niſi in actum aliquem exteriorem proceſſerit; poſſet id etiam tentari de jure, quoniam J. C. *in d. l.* 1. non tantum ſimplicem præparationem veneni conſiderat, ſed etiam ulteriorem conatum videtur exigere, per illa verba, *Qui emit venenum ut patri daret, quamvis non potuerit dare*, quæ verba apertè ſignificant, ex parte conantis nihil fuiſſe prætermiſſum, quod ad criminis perfectionem requiritur, ſed aliunde eventum rei impeditum fuiſſe.

5 Præterea parricidij conſcios, quamvis extraneos, eadem pœna afficiendos judicavit J. C. *in l. 6. ff. h. t.* cujus tamen moderationem propter animi perturbationem, qua homines ſæpe commoventur, adhibuit Divus Adrianus *in l. 5. ff. eod.* qui fertur, cum in venatione quidam filium ſuum necaſſet, qui novercam ſuam adulterabat, in inſulam eum deportaſſe: quod latroni magis quam patris jure eum interfeciſſet, exiſtimans patriam poteſtatem in pietate, non in atrocitate debere conſiſtere.

6 Non enim amplius licet patri ſupra modum in filium ſævire, multo minus occidere, *Tit. de emend. propinq.* Quo fit ut etiam pater, lege Pompeia comprehendatur ejuſque pœnæ ſupponatur, ut nominatim dicitur in principio *h. l. uni.* qui filios, aut ejus affectionis occiderit, id eſt, nepotes. Nam ſi qui caſus excepti ſint, à generali hac prohibitione, quibus patri liceat occidere, ut filiam in adulterio deprehenſam aut filium patriæ proditorem, id lex permittit nominatim. Proinde mater quæ filium filiamve occiderit, hujus legis pœna afficitur, & avus qui nepotem occiderit, *l. 1. ff. h. t.* etiam naturalem tantum, quia filiationis ſubſtantia ſolum hic conſideratur, non qualitas. Jul. Clarus §. *parricidium n. 1.*

7 Verùm cum J.C. dicit conſcios eadem pœna afficiendos, intelligit qui necem ſunt cooperati, nam qui tantum ſciverunt eam pręparari extra ordinem puniuntur. Hinc frater qui cognoverat tantum fratrem emiſſe venenum, ut patri porrigeret, nec indicaverat, relegatur, & medicus ſupplicio afficitur, *l. 2. ff. eod.* inſcium hunc fuiſſe parricidij æſtimandum eſt, alioquin etiam pari pœna cum conſciis, & præparantibus venena puniendus eſſet, *l. 6. & 7. ff. h. t.*

8 At quid de matre, quæ partum inventum mortuum celaſſe & occidiſſe dicitur? Eam parricidij ream judico, niſi probet editum mortuum, aut vivũ quidem, ſed non fuiſſe vitalem. Quo caſu mitiori pœna erit punienda, ubi prius per vim tormentorũ excuſſa fuerit veritas tanti facinoris, nam cum mater operam dederit rei illicitæ, cælando partum, quantumvis mortuum, contra ipſam urgent graviſſimæ præſumptiones: hæ tamen ſi ſolum augeantur ex confeſſione mulieris, non facile debet judex ultimo ſupplicio mulierem damnare, quia ſemper in dubio prçſumptio eſt partum mortuum natum eſſe, cum ſæpe leves mulieres abortũ facere procurent. Theſaurus *deciſ.* 12. *&* 13. ubi ſuſtinet matrem, quæ partum jam formatum & animatum in utero abigit, non eſſe plectendam pœnâ parricidij, ſed alia mitiori, puta exilij, de quo tamen dubito. Illud vero certum eſt, matrem quæ accepta pecunia partum ſibi medicamentis abegiſſe dicitur, capitis ſupplicio damnari, *l. 39. ff. de pœnis*; uti & eam, quæ abortionis poculum filiæ dedit, ut animatũ fœtum perimeret; ſi abortionis effectus fuerit ſecutus. Theſ. *d. loco num.* 12. Decius *conſ.* 35. Boërius *q.* 216. *n.* 4.

9 Cæterùm ſi quis ſocerum, vitricum, novercam, privignum, vel privignam, generum, vel nurum, alióſve ſimiles trucidaverit, aſperrima iſta parricidij pœna minime plectitur, ſed ordinaria L. Corneliæ, *per l. fin. §. 1. ff. h. t.* ubi ſolummodo patris & matris, avi & aviæ, non pariter ſoceri, ſocrus, vitrici mentio fit, reſpectu pœnæ parricidij. Deinde in L. hac noſtra unica, dicitur illam acerrimam culei pœnam ita demum eſſe imponendam, ſi quis ejus affectionis fata præparaverit, quæ nuncupatione parricidij continetur. Jam vero affectio iſta non tanta eſt, inter eos qui parentum loco ſunt, uti inter vere parentes, ut contineatur nuncupatione parricidij. Non officit huic veræ opinioni §. *Alia deinde Inſt. de publ. jud.* ubi legitur, eum qui affinitatis ejus, qui nuncupatione parentum continetur, fata præparaverit, ſeveriſſimam culei pœnam ſuſtinere debere. Nam iſte §. deſumptus eſt ex noſtra hac lege, quæ non *affinitatis*, ſed *affectionis* vocabulo utitur. Weſemb. & Hottomannus *ad d. §. alia.*

10 Excuſabit ab utraque parricidij pœna furor, qui aufert animum, ſine quo crimen non committitur, *l. pen. ff. h. t.* ubi ſufficere furore ipſo eum qui deliquit puniri, & diligentius cuſtodiendum reſcripſerunt Cæſares, aut vinculis coërcendum. Excuſabit quoque juſta cauſa, veluti ſi quis patrem perduellem, qui alias ab incepto dimoveri non poterat, occiderit, ſine ſcelere; cum enim potius præmio & honore afficiendum lex cenſet, *l. 35. ff. de religioſ.* cum patriæ ſalus, patris ſaluti, anteponenda ſit, ut docet Cicero 3. *Off.* Interdum à pœna excuſat, ſi pater jacto cultello in animal, filium prope adſtantem vulneraverit, & ex vulnere obierit, quia non fuit ulla cauſa aut propoſitum occidendi in patre. Quod enim fortuito evenit, venia & indulgentia Principis indiget, *l. pen. ff. de incend. ruina, naufr.* Anton. Faber *in ſuo C. ad h. t. defin.* 1. Denique incuria parentis excuſat à pœna parricidij, ſi filius ejus in lectulo inveniatur oppreſſus, quo caſu pœnitentia triennalis in jejunio imponitur, *c. fin. X de his qui lib. occid.* præſumitur namque id negligentia potius, quam malitia parentum contigiſſe, ob præſumptionem aliam affectionis paternæ, quæ nec malum inferri filiis, nec videre ſine commotione non patitur.

TITULUS XVIII.

De Maleficis & Mathematicis, & cæteris ſimilibus.

1. *Qui dicantur Malefici, quæ eorum opera?*
2. *Qua pœna puniantur.*
3. *An & capitalis infligatur illis qui cum dæmone pactum ineunt?*
4. *Magia ad ſalutem hominum an reprobanda ſit? Qui mathematici hic damnentur?*
5. *In hoc crimine omnes cujuſcumque ſtatus torquentur & à quovis capiuntur.*
6. *Qua pœna afficiantur mathematici, & qui eos conſulunt.*
7. *Qua ſit pœna de conſuetudine?*
8. *De ariolo conſulto, & conſulente, an injuriarum conveniri poſſint?*

MAlefici etſi generali appellatione dicantur omnes qui damnum inferunt, & crimen admittunt, hoc tamen loco malefici vocantur venefici, & incantatores, qui aut veneno aliquem necarunt, quod eſt pejus quam gladio occidere, ut ait Antoninus *l. 1. h. t.* aut carminibus, præſtigiis, & malis medicamentis, hominibus, frugibus, animalibus nocent, animas reſponſa daturas ſacrificiis evocant, elementa turbant, vitas inſontium labefactant, pudicos animos ad libidinem deflectunt, meſſem deſtruunt, ſegetem corrumpunt, *l. 4. h. t.* & manibus accitis audent ventilare, ut quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos, ut loquuntur Impp. *in l. 6. h. t.* * Dignum hoc hominum genus durіſſima & infami morte, ut recte Imperatores armari 1 2

armari velint jura gladio ultore, & exquiſitiſſimis pœnis maleficos affici, tanquam hoſtes publicos, *l.5.& 7.h.t.* Iidem *in l.6.* volunt eos diis manibus conſecrari. Sed quomodo? ſic nimirum, ut feralis peſtis, ſive interitus hujuſmodi homines naturæ peregrinos, abſumat, cujuſmodi feraliorum tempore pecudes, & in officiis feralibus cadavera mortuorum cum in ignem poſita ſunt, abſumuntur. Inde pœnam ignis, ſeu feralem peſtem maleficis decretam exiſtimat Jacob. Rævardus *lib. 5. varior c.3.* atque ita accipit verba *d.l.6.h.t.*

3 Porrò hanc capitis pœnam recte & illi ſuſtinent, qui cum dæmone pactum ineunt, eique Deo ſuo deſerto adhærent, juxta illud *Exodi 20. maleficos non patieris vivere.* Etſi non tam noceant interdum, quam proſint hominibus, avertendo ab eis mala, per characteres incognitos, ſigna crucis, reliquias ſanctorum, imagines cereas, ſchedulas, quibus ignota verba continentur, & ſacra etiam commiſcentur, quæ & ſimilia adhibere ſolent, ut ſigna, ex quibus effectus producuntur, non quidem naturales, quia talia ſigna naturaliter nihil operantur, nec ſupernaturales, quod vanitatem potius ſapiant, quam pietatem, ut à dæmone potius dicendi ſint procurati; quæ res ſpectat ad magiam & illicitam divinationem, quam mathematicam artem vocant Impp. *in l.2.h.t.* omnino improbatam & damnatam.

4 Non obſtat *text. in l.4. eod. tit.* quæ tantum eos puniri vult, qui arte iſta abutuntur; & contra ſalutem hominum, vel agriculturarum aliquid moliuntur, non item ſi proſint, veluti ſi ægrotantibus ſubveniant, grandines vel tempeſtates arceant, officiantque ne ſegetes corrumpantur. Nam iſtius legis diſpoſitio ſapit paganiſmum, eſtque graviſſime reprehenſa à Leone Imp. *in Novell. 65.* qua & hos puniri præcipit tanquam utentes re pernicioſa: niſi dicamus *d. l.4.* non tam approbare facta magica, quæ ſunt hominibus proficua, quam non punire, quod nec ſint contra Juſtitiam, nec publicam quietem turbent. Sed rectius jus Pontificium hujuſmodi divinationem, & magiam, quæ ſalutem & bonum procurare videtur omnino improbat. *Tit. de ſortileg.* quod nihil poſſit eſſe bonum, aut purum, quod ex pactione cum dæmone, aut ejus arte oritur; Et licet eſſet bonum per ſe, quia tamen ab eo prodit, polluitur. Quo fit ut hoc crimen etiam mixti fori eſſe intelligatur, ejuſque cognitio, & coercitio etiam ad Eccleſiaſticum judicem pertineat, de quo Jul. Clarus *lib.5. ſent. in §. hæreſis.*

5 *Mathematici* vero dicuntur, non illi qui ſiderum motus, & qui ex illis ſequuntur effectus inquirunt, coluntque geometricam artem reip. utilem, *l.2.h.t.* Sed qui ex nativitatibus, & ſola ſiderum obſervatione, atque vana manuum, vultuſque inſpectione, futura prædicere, & artibus quibuſdam & ſuſurris magicis ſcire ſe omnia, & facere poſſe profitentur. Cujus generis ſunt Chaldæi, Harioli, Augures, Vates, ſomniorum Interpretes, *l.3.5.7.h.t.* de quibus Tacitus: *Genus, inquit, hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra, & vetabitur ſemper & retinebitur.*

Hos itaque haruſpices, & mathematicos maleficæ ſuperſtitionis auctores, omnia corrumpentes, omnia inquirentes tanquam naturæ & reipublicæ hoſtes, ac peſtes ſemper rejecerunt, gravique ſupplicio affecerunt Romani, nam nec dignitati parcere voluerunt. Imo juſſerunt ut ſi accuſentur, nec aperte convincantur, tormentis & quæſtioni ſubjicerentur indiſtincte omnes, qui iſtis dediti eſſent ſuperſtitionibus. *l. 7. h. t.* Itemque permiſerunt cuilibet privato, quoſcumque maleficiorum labe pollutos capere & judici ſiſtere, *l. ult. h. t.* ubi propoſita eſt pœna ultimi ſupplicij in eos, qui maleficos ſubſtraxerint quæſtioni, eoſve occultarint, vel clam occiderint. 6

Præterea ut omnino ſileret iſta divinandi curioſitas, juſſit Conſtantinus Impp. haruſpices, Sacerdotes divinos, & eos qui eis miniſtrant, ab omnibus domibus excludi, aliter concremari, & eos qui conſilij cauſa advocaverint ſuaſionibus, vel præmiis, bonis exutos deportari, *l.3.h.t.* atque in ipſos haruſpices, mathematicos, & divinationis curioſos, gladij ſupplicium decerni, *l.5.h.t.* Quo ſupplicij genere æque digni ſunt, qui prohibitam hujuſmodi artem diſcunt, ac illi qui docent, *l.pen.h.t.* docentesve conſulunt ex quadam curioſitate, maximo cum damno reipublicæ. *d.l.5.* * Quod ubi ceſſat, & nemini nocitum eſt, hanc ultimi ſupplicij pœnam, hodie non amplius frequentari, ſed loco illius vel incarcerationem, cum relegatione haruſpicibus & divinationis curioſis irrogari ſolere, teſtatur Proſper. Farinacius *pract.crim.lib.1.t.3.q.20.n.89.* & Clar. *§. hæreſis n.ult.* Verum hanc pœnam pro tanto crimine nimis levem eſſe reor: niſi manifeſtum ſit aliquem ex nimia ſimplicitate, ſine dolo malo hujuſmodi divinationibus ſtudere. Conſulentes porro hariolos, haruſpices & incantatores, cum graviter peccent, ſevera animadverſione dignos eſſe certum eſt, prout etiam decretum hic in Belgio *ult. Aug.* anno 1608. *art.13.& ſeqq.* 7 8

Cæterum de hariolo conſulto, & de conſulente anne injuriarum conveniri poſſint, quæritur? De hariolo aperte reſpondit Cajus *in l.15.§.13.ff.de injuriis.* ibi ſi quis Aſtrologus, vel qui aliquam illicitam divinationem pollicetur, conſultus, aliquem furem eſſe reſpondit, qui talis non erat, injuriarum cum eo agi non poteſt, cur ita? quia nec dolo malo, nec animo injuriandi furem eſſe dixit, ſed artis & profeſſionis ſuæ cauſa id fecit, per quam illum furem eſſe collegerat. De conſulente, qui perſonam nominavit quam furtum feciſſe ſuſpicatur, non dubito 9

dubito quin conveniri poſſit injuriarum, ſiquidem non alio quam injuriandi animo nomen hariolo detulerit, & operam dederit rei illicitæ? De magicis & ſortilegiis videantur inſignes diſquiſitiones P. Martini del Rio, item Grillandi, & P. Gregor. Thol. *lib.3. 4. Syntagm. cap.11. & ſeqq.* & Ant. Fabri *definitiones in ſuo C. h. t.*

TITULUS XIX.

De ſepulchro violato.

1. *Continuatio, & quod violatores ſepulchrorum ſacrilegij & maleficij crimen incurrant.*
2. *Crimen ſepulchri violati contrahunt qui reliquias & oſſa contrectant, & ſepulchra deſtruunt, & ſaxa auferunt.*
3. *Duplex hujus criminis pœna, civilis, & criminalis. Civilis alia privata ad intereſſe, alia popularis in* 100. *aureos.*
4. *Criminalis pœna ſepulchri violati reo impoſita, & quæ judici, qui neglexit hoc crimen punire.*
5. *Quæ pœna imponatur deſtruenti ſepulchra, & ſervo juſſu Domini demolienti.*
6. *Quæ pœna hodie ſit ſtatuta, & qui ab ea ſint immunes.*
7. *Pœna impedientis ſepulturam, & moleſtantis moribundum.*
8. *Intra tempus quo juſta fiunt, prohibetur omnis exactio pecuniæ.*
9. *Quid moribus hac in re?*

1 SEpulchrorum, & ſepultorum violatio, ad crimen ſacrilegij, *l.5.h.t.* & maleficij, pertinere videtur, de quo ſuperiori titulo dictum: ſiquidem malefici & magicis artibus dediti, ſolent plerumque acciendis manibus adire ſepulchra, oſſa legere, mortuos polluere, contrectare, ſpoliare, *l. 4. in fin. h.t.* Quin oſſibus abuti in rem malam.

2 Hoc crimen contrahunt non tantum illi, qui corpora ſepulta, aut reliquias contrectant & extrahunt, ſed & qui dolo malo aliquid faciunt, cujus ſublatione ſpecies monumenti deformetur, ſicuti fit cum columnæ, ſtatuæ, epitaphia, ſaxa, fabricandi aut vendendi gratia, ex eo auferuntur, vel in contemptum abjiciuntur, *d.l.4.* licet enim venditio rei religioſæ non ſubſiſtat, quod extra commercium ſit, læſæ tamen religionis, id eſt, ſacrilegij crimen incurrit, qui rem jam religionis effectam contrectat, diſtrahendo, vel emendo, *l.1.h.t.* Quare is qui ſepulchra violat, geminum videtur facinus perpetrare, dum & ſepultos ſpoliat deſtruendo, & vivos polluit fabricando, *d.l.3.in pr.*

3 Ideo pœna violati ſepulchri varia, pro diverſitate facti & circumſtantiarum; Eſtque alia civilis, alia criminalis. Civilis ſolvenda iis quorum intereſſe judicabitur, ſcilicet ex injuria quæ facta eſt, & ex lucro ejus qui violavit, vel damno quod contigit, vel ex temeritate ejus qui fecit, *l.3.§.8.ff.h.t.* Si nemo ſit ad quem ſepulchrum pertineat, aut ſi ſit quidem, ſed agere nolit, permiſſum eſt cuivis è populo agere uſque ad centum aureos. Plures ſi ſint agere volentes, præfertur qui juſtiorem cauſam habet; ſi quis in ſepulchro dolo malo habitaverit, aut ædificium aliquod non ſepulchri cauſa ibi fecerit, in eum ducentorum aureorum actio datur, *d. leg.3.in princ.*

Criminalis autem pœna, & mulcta eſt capitalis, 4 quia multis modis hoc crimen committitur. Capitis pœna manet eos, qui armata manu cadavera ſpoliant, *d.l.3.§.7.* Quod ſi ſine armis ſepulchra violarunt, diſtinguendum eſt inter reos, qui corpora ipſa extraxerunt, vel oſſa eruerunt, vel tantum monumenta deſtruxerunt. Humiliores enim fortunæ homines ultimo ſupplicio afficiuntur, honeſtiores in inſulam deportantur, aut relegantur, aut in metallum damnantur, *l.ult.ff. h.t.* quia vis, & injuria corporibus hac illorum violatione infertur, cujus illationē injuſtam ſuis temporibus plane alienam eſſe Imp. Juſtinianus in initio *l. 6. h.t.* tradit, & hinc ab Imp. Juliano *in l.5.eod.* ſepulchrorum violatio ſacrilegio major dicitur, & violatoribus ſepulchrorum indiſtincte ſacrilegij, ſcil. capitis pœna infligitur. Et ſi quis Judex violatores ejuſmodi punire neglexerit, in viginti libras auri mulctatur, *l.3.h.t.*

Quod ſi quis non corpora, nec oſſa extraxerit, ſed 5 monumenta, domoſque defunctorum deſtruxerit, ut ex lapidibus domum ſibi ædificaret, decem pondo auri cogitur fiſco inferre, per quam pœnam, nihil derogatum eſt illi ſupplicio quod ſepulchrum violantibus eſt impoſitum, *l 4.h.t.* Porro ſi ſervus ſine domini ſcientia demoliatur ſepulchra, metallo addicitur, ſin vero domini auctoritate & juſſione urgeatur, relegatione plectitur, *l. · .h.t.* Inde colligitur levius puniri eum, qui ex mandato & juſſu deliquit, quam qui ſpontanea voluntate & propria temeritate. Præterea ſi quicquam ex ſepulchri materia detractum ad domum domini, villamque delatum reperitur, villa ſive domus, aut ædificium quodcumque erit, fiſci juribus vindicatur. *d. l.2.in fin.* Molina *de juſtit.commut.tract.4.diſp.38.n.14.*

Cęterum hodie cum cœmeteria ſint conſecrata, 6 qui crimen hujuſmodi admitteret, ſacrilegii reus eſſet; & ſi è ſepulchris cadavera eximere auderet, capite puniretur. A qua pœna immunes illi ſunt, quos publica auctoritas facit eruere cadavera è ſepulchris, veluti excommunicatorum, hæreticorum & ſimilium, qui ſunt indigni loco ſacro. *c.ſacro de ſepultur.* aut ideo quod ſuſpicio ſit ſepultos occiſos, ut poſſit cognoſci rei veritas, quia ceſſat dolus, uti & extra dolum eſt, qui monumentum corruptum lapſum, non contractis corporibus, refecit.

Deni-

7 Denique cum Imperatores animadverterent, quoſdam creditores tam eſſe inhumanos & violatoribus ſimiles, qui debitores ſuos defunctos ſepulturæ tradi impedirent, ut debitum ſuum facilius conſequerentur, primo Juſtinus Cæſar prohibuit, ne creditor ullus ſepulturam impediret, deprehenſum autem in hoc flagitio, jubet quinquaginta libras auri pendere, vel ſi ſolvendo non ſit, pœnis corporalibus ſubjici, *l. ult. h. t.* Juſtinianus poſtea ſtatuit, ut creditor, qui non veretur debitoris morientis ædes ingredi, & triſtem familiam gravare, pignus aliquod ſumere, funus impedire, ſigna rebus imponere, à debito cadat, & alterum tantum hæredibus defuncti inferat, publicata tertia bonorum parte, ipſoque infamia notato. *Auth. item qui. h. t.*
8 * Amplius deinde juſſit, ne intra novem dies quibus juſta ſolvuntur, ulla prorſus fiat moleſtia. adverſus quemlibet ex perſona defuncti, neve ulla cautionis, aut pecuniæ flagitetur exactio, & ſi contra fiat, nullius ſit momenti, quidquid factum erit, *Auth. ſed neque h. t.* Ratio ita conſtituendi, fuiſſe videtur, quod tot dierum ſpatio ſolemnia luctus durarent, tracta ex ritu paganorum, ac cum ita ſit, mirum non eſt, ſpatium iſtud moribus non eſſe receptum.
9 * Quin & in multis locis videmus impedimentum poni ſepeliendis defunctorum cadaveribus: contra tamen Caroli V. Imp. conſtitutionem, quæ non patitur cadavera defunctorum arreſtari, aut inſepulta manere ob debitum civile. Covar. *lib. 2. var. reſ. cap. 1. n. 11.* P. Peckius *de jure ſiſt. cap. 5. n. 23.*

TITULUS XX.

Ad legem Fabiam de plagiariis.

1. *Quis h. l. auctor, & qui plagium committere dicuntur.*
2. *Cur ſervus qui eſt in fuga, nec vendi, nec donari poſſit?*
3. *Quando poſſit vendi abſque pœna.*
4. *Quibus caſibus non committatur crimen plagij.*
5. *Committitur in libero homine, quamvis ejus ſtatus non mutetur. Quid ſi pater filium vendiderit?*
6. *Plagiariorum pœna quæ olim, & quæ ſit hodie?*
7. *Quæ ſint neceſſaria ad hoc ut plagij pœna quis afficiatur.*
8. *Quis Judex de hoc crimine cognoſcit.*
9. *Concurrunt cum plagio alia crimina & cum accuſatione plagij, alia remedia.*
10. *Quæ in concurſu harum actionum prius debeat terminari.*

1 HAnc legem tulit Fabius Labeo anno urbis conditæ, ut videtur 571. unde & Fabia, non etiam Favia dici debet: Cujus Cicero meminit in oratione pro Rabirio. Alciatus *lib. 10. parergon juris c. 47.* rejecta communi interpretatione antiquorum tanquam fabuloſa, oſtendit plagiarios à plagio, id eſt, ab obliquo dictos, quia obliquis artibus & dolis utuntur.

Itaque legis Fabiæ crimine tenetur, qui ſciens dolo malo liberum hominem ſubripit, invitum in ſervitutem redigit, donat, vendit, *l. 7. §. pen. h. t.* Item & qui emit ſcienter. Qui ſervum alienum celat, *l. 9. h. t.* aut fuga datum ſuſcipit, occultat, & proprium aſſerit, *l. 1. h. t.* quique ſervo alieno, & ſervæ perſuadet, ut à domino dominave fugiat, *l. pen. §. ult. ff. eod.*

Quin & dominus hac lege tenetur, qui ſervum 2
ſuum in fuga conſtitutum vendit, vel aliter alienat, *l. 6. in pr. h. t.* quod jus, S. C. introductum eſt, *l. 2. §. ult. ff. eod.* Cur ita? ut à fuga ſervi deterreantur, ſi nec recipi ſe poſſe à quoquam, vel celari impune intellexerint, nec acquiri alteri titulo ullo, vel auctoritate juſta, veluti emptionis, aut donationis; quam rationem aſſignat Cujacius *l. 17. obſer. c. 10.* eamque adjuvat *l. 12. C. de agricol. & cenſ. & l. 6. ſup. de ſervis fugit.* * Excipiuntur cohæredes & ſo- 3
cij, quibus in diviſione communium rerum, licitationem de fugitivo ſervo invicem facere permiſſum eſt. *d. l. 6. verſ. exceptis.* Ita quoque abſque pœna licet domino ſervum fugitivum vendere ut in id tempus venditio valeat, quo fugitivus ab emptore requiſitus fuerit & deprehenſus, id eſt, in fuga eſſe deſierit, *d. l. 6. in fin.* Nec enim tunc fugam vendidit. Amplius dicendum, ſi quis mandet alicui ſervum fugitivum perſequi & apprehendere, atque apprehenſum emptum habere, ceſſare pœnam hujus legis, *l. 2. ff. eod.*

In qua & illud etiam obſervatur, ut ita demum ea 4
quis teneatur, ſi ſciens dolo malo crimen hoc admiſerit, ut initio dixi, & probat *l. 3. & l. pen. h. t.* nam ignorantia & bona fides excuſant. Hinc comparantem ab eo qui abduxit plagio ſervum, ſi delicti ſocius non probetur, nullo crimine teneri convenit. *l. 10. h. t.* neque eum, qui ſervum ſuppreſſit ſeu celavit, ſi manifeſte probet ſe dominum eſſe, deque jure dominij & proprietatis legitime conſtiterit, *l. 6. h. t.* Imo ſi aſſerat ſe juſta ratione ductum exiſtimaſſe eum ſervum, vel, filium ſuum eſſe, non autem criminis vitandi cauſa ceſſat plagij accuſatio, *l. 14. h. t.* quam tamen ceſſare non facit, nec à pœna liberat ſola dominij allegatio, *l. 5. ff. eod.* Sed conſtare omnino debet de jure abducentis & accuſati, quo facto evaneſcit criminis intentio, cum plagium non ſit, niſi ſervi alieni, vel liberi hominis.

Attamen cum liber homo ſupprimitur, vel vin- 5
ctus habetur, *l. 5. h. t.* aut etiam venditur, non per hoc ejus ſtatus mutatur, liberæ enim perſonæ ſollicitatione crimen committitur, non conditioni præjudicatur, *l. 11. h. t.* Quid igitur ſi pater filium vendidit? Certe cum id ei permiſſum ſit propter nimiam pau-

pertatem, egeſtatemque victus cauſa, non eſt quod pœnam plagij aut aliam metuere debeat. *l. 2. ſup. de patri. qui filios ſuos diſtr.* Etenim hoc vendendi jus ex patria poteſtate emanat, quæ tanta olim fuit, ut impune filium occidere, adeoque multo magis pro arbitrio ſuo vendere potuerit, *l. 11. ff. de lib. & poſth. l. ult. ſup. de patr. pot.* Sed hæc libera vendendi poteſtas hodie abrogata eſt, & ſolùm permiſſa quando ſuprema egeſtas famiſque neceſſitas patrem ad filium ſuum diſtrahendum compellit, quo caſu, ſtatui ingenuitatis filij nullum præjudicium generatur, cum liber homo nullo prætio æſtimetur: ita ut quandocumque redimi poſſit reſtituto pretio, ut dictum *ſupra C. de patrib. qui filios.*

Pœna hujus criminis olim fuit pecuniaria, *l. ult.*
6 *ff. h. t.* Jure novo gravior eſſe cœpit, & pro modo admiſſi, plagiarij extra ordinem coërcentur & plerumque in metallum damnantur, *l. ult. h. t. in princ.* Atque duobus caſibus capite plectuntur in aliorum exemplum. Prior eſt, ſi plagiarij vendant ſervum, vel liberum ſuppreſſum emptori, qui eum aliò aſportet, *l. 7. h. t.* Alter caſus eſt, ſi viventium filiorum miſerandas parentibus inferant orbitates, eos ſupprimendo & diſtrahendo, *l. ult. h. t.* ubi Conſtantinus vult ſervos plagiarios beſtiis ſubjici, & ingenuos gladio conſummari. Quam pœnam ſtatuta locorum exercent in eos, qui conſueverunt hoc crimen committere. Julius Clarus *in pract. crim. §. fin. quæſt. 68. verſ. Plagiarius.*

Verùm ut iſta plagij pœna debeatur, inprimis in-
7 ſtituenda eſt accuſatio, quæ publici eſt judicij, *l. 13. h. t.* non tantum à matre de filij, & fratre de fratris plagio, *l. 5. h. t.* ſed & à quovis de populo. Quia vero ad pœnam capitalem irrogandam inſtituitur, non poteſt per procuratorem exerceri; at ſervi corrupti actio quæ ex plagio proponitur, à procuratore recte inſtituitur, quia ad rem familiarem pertinet, *l. 2. h. t.* Prætere inſcriptio in hoc crimine, & ſententia eſt neceſſaria, *l. 3. h. t.* quoniam pœna, non niſi per condemnationem irrogatur. Ex quo ſequitur, quod ſi accuſatus ante ſententiam moriatur, crimen extingui, & bona ad hæredem devolvi, niſi de bonis ſit diſpoſitum in fraudem fiſci. * De crimine autem
8 iſto cognoſcit præfectus urbi, uti & de aliis criminibus, *l. 1. ff. de off. præf. urb.* in provinciis præſes, quomodo non valet ſententia à procuratore Cæſaris lata, niſi vicem præſidis ſuſtineat, *l. 4. h. t.* quin tunc non tantum de pecuniariis & privatis cauſis, ſed de omnibus quæ in provincia incidunt, poteſt cognoſcere. Leoninus ad *d. l. 4.*

Concurrunt cum plagio interdum alia crimina,
9 quæ pœnam exaſperant, ut ſi alicujus filius raptus ſit, concluſus & verberatus, de vi publica quæſtio movetur, *l. 6. ff. ad. l. Jul. de vi publ.* & de violentia mancipij abrepti, *l. 1. in fin. h. t.* Item cum plagij accuſatione, alia juris remedia competunt, nam poteſt quis civiliter de ſollicitata ancilla plagioque facto conqueri, & cum hoc rei vindicationem inſtituere, *d. l. 1. h. t.* poteſt & ſervi corrupti actionem proponere adverſus eum, qui ſollicitatum ſervum deteriorem fecerit vel occultaverit, *l. 4. ſup. de furt.* In qua actione venit æſtimatio in duplum, & rerum etiam à ſervo ablatarum, quia omne damnum duplatur, *l. 9. in fin. & l. 10. ff. de ſervo corrupto.* Concurrit & cum plagio actio furti, furtum namque fit ſcienter vendendo ſervum alienum, aut eum fugitivum cum rebus furtivis ſuſcipiendo & occultando. Quare cum horum furti nomine actione quis teneatur, hæc domino Rector provinciæ cum ſolita pœna reſtitui efficiet, *l. 12. h. t.*

Verumtamen in concurſu iſtarum actionum, 10
electionem habet is qui damnum ſuſtinuit, quam velit inſtituere, an criminalem accuſationem de plagio, an furti, vel ſervi corrupti actionem, an vero rei vindicationem proponere, ſed uno judicio electo, in propoſita actione, ſecundum juris ordinem perſeverare debet, uſque ad finem, *l. uni. infr. quando civil. actio crim. præjud.* Idque voluit Antoninus imperator *in l. 1. h. t.* ubi cum quis prius queritur de plagio civiliter, inſtituta actione in rem, in ea debet conſiſtere, & hoc propter dominij & proprietatis quæſtionem, quæ prius terminari debet, antequam ad criminis accuſationem procedatur, quam tamen omiſſa vindicatione ab initio licuiſſet proponere, ſecundum regulam quæ electionem tribuit damnum paſſo. Sic & in *l. 8. h. t.* Judex diſcreto prius jure dominij, facile intelliget an audiendum ſit plagij crimen, nec ne. Nam proprietatis quæſtio accuſanti objecta (utpote præjudicialis) impedit ulteriorem cognitionem criminis quouſque illa deciſa fuerit, *dict. tit. de ordine Jud. & lib. 7. de ordine cognit.*

TITULUS XXI.

Ad Legem Viſelliam.

1. *Continuatio, & quid* h. l. *conſtitutum.*
2. *Qua pœna puniatur libertinus, qui ſe dicit ingenuum?*
3. *Excluditur ab honoribus, non item oneribus. An hæc lex non ſit correcta?*

Ut lex Fabia perſonas ingenuorum, ita & lex 1
Viſellia eorum dignitatem tuetur, ne eorum ordinem libertini polluant, gerentes ſe pro ingenuis, & uſurpantes honores ſolis ingenuis debitos. Volebant enim Romani non niſi per ingenuos homines rempublicam adminiſtrari, militiam geri, dignitates retineri. Hinc Lucius Viſellius Varro Conſul, cum Cornelio Cethego, imperante Tiberio (Caſſiod. & Contius *in faſtis conſulum*) hanc legem.

Digitized by Google

legem tulit, ne libertinæ conditionis homines, honores & dignitates aſſequerentur, niſi jus aureorum annulorum à Principe impetraſſent, tunc enim quoad vivunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis obtinent, & ſine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica *l. un. h. t. l. 2. C. de jur. aur. annul.*

2 Qui autem libertinus diceret ſe ingenuum, tam civiliter, quam ex hac lege criminaliter poterat accuſari, & puniri: Curiam autem ingrediens quaſi eſſet ingenuus, ex ea ejicitur, infamia notatur, & mulctatur pecunia. Eadem pœna poſſent hodie puniri illi, qui cum plebejæ ſint conditionis homines, ſe pro nobilibus gerunt, eorum inſignibus utuntur, & prærogativis frui cupiunt. * Cæterum
3 libertini, quamvis jus aureorum annulorum non obtinuerint, poſſunt munera perſonalia in patria patroni ſubire tanquam liberti, quia ab honoribus tantum, non etiam ab oneribus Reipublicæ excluduntur, *d. l. uni. d. t. in fin.* Verum cum omnibus libertis ipſo Jure Juſtinianus jus aureorum annulorum (quod ſpecialiter à Principe impetrare opus erat) conceſſerit, bene ſequitur legem hanc abrogaſſe, *Novell. 78. cap. 1.*

TITULUS XXII.

Ad L. Corneliam de falſis.

1. *Sylla hanc legem & alias in uſum revocavit.*
2. *Quid ſit falſum, quomodo committatur? Vendendo rem duobus, repetendo falſam dotem, dicendo falſum teſtimonium.*
3. *Qui inſtrumento falſo utitur, præſumitur falſi auctor, niſi auctorem declaret, & ſe non uſurum inſtrumento.*
4. *Qui ſcribit ſe quid promiſiſſe, vel recepiſſe præſens, cum fuerit abſens, falſum committit.*
5. *Item is, qui teſtamentum celavit, delevit, recitavit, poteſt falſi movere querelam, quamvis ex tali teſtamento legatum acceperit.*
6. *Niſi dubius de falſitate teſtamenti tranſegerit, repellitur ab accuſatione, & qui falſas tabulas dixit, nec obtinuit, amittit relictum.*
7. *Si Princeps remiſerit crimen falſi, de eo agi poteſt civiliter. & quomodo de utroque agatur.*
8. *De falſo civiliter & criminaliter agitur. Falſum dicens inſtrumentum debitor, conſignare debet contentum in eo debitum.*
9. *Quis falſi Judex competens, & quis de falſo queri poſſit.*
10. *Procurator falſi accuſationem non inſtituit criminaliter, nec filius adverſus matrem, ſed bene contra injuſtum poſſeſſorem.*
11. *Inter conjunctas perſonas ſilet falſi accuſatio, ſed procurator fiſci hodie eam proſequitur.*
12. *Falſi accuſatio permiſſa intra viginti annos. Quomodo inquiratur de veritate teſtamenti.*
13. *Quomodo falſum probetur & quæſtio habeatur etiam de veritatis cauſa.*
14. *Qualis probatio requiratur in criminali judicio ſuper crimine falſi & in civili.*
15. *Hodie de praxi agi non poteſt, de falſo niſi criminaliter & præcedente inſcriptione.*
16. *Cur hic Judex partitur probationes, eaſque exegit tam ex parte actoris, quam rei?*
17. *Judex nihil divulget, ſed animi ſui motum tegat, ad ſententiam uſque.*
18. *Quæ ſit pœna falſi? Interdum ad mortem extenditur in eo qui falſis inſtrumentis utitur, & qui falſum teſtimonium dixit in cauſa capitali.*
19. *Quid ſi clericus falſum dixerit, aut commiſerit circa litteras Apoſtolicas, aut alius imitando ſcripturam Principis ſui.*
20. *Quibus caſibus ceſſet pœna hujus legis?*
21. *Quæ ſit pœna ſuppoſiti partus, & quæ olim fuerit.*
22. *Hujus criminis accuſatio an ſit perpetua, & cui competat.*
23. *Cur matre ſubjecti partus accuſata, non differtur cauſæ cognitio, in tempus pubertatis filij.*
24. *Secus ſi controverſia ſtatus impuberi moveatur.*
25. *Quomodo probetur partus ſuppoſitio.*
26. *De hoc crimine cognoſcit rector provinciæ; Itemque Judex Eccleſiaſticus.*
27. *An confeſſio matris extrajudicialis filio noceat.*

DUrante bello civili, quod cum Mario geſſit Cornelius Sylla, judicia, ut teſtis eſt Cicero in Bruto, omiſſa ſunt, legeſque tacuerunt inter arma. Quamobrem Sylla recuperata republica, judicia, legeſque conſtituere aggreſſus, antiquas leges omnes, ex quibus tum judicia fiebant, revocavit, & quatuor præterea novas tulit, de parricidio, quam Pompejus poſteà emendavit, de ſicariis, & de falſo, quam exhibet hic titulus. 1

Eſt autem falſum veritatis immutatio, dolo malo facta, quia niſi dolus malus accedat, etiamſi quis errore verum non dicat, in pœnam falſi non cadit. *l. 20. h. t.* Unde ut hoc crimen committatur, tria exigunt Interpretes, immutationem veritatis, dolum, & ut alteri nocumentum ſeu damnum inde contingat. Porro ut verum tantùm unicum eſt, ita falſum multiplex, adeo quidem ut certis exemplis concludi non poſſit. Committitur aut *conſenſu*, ut cum quis duobus eandem rem diverſis contractibus in ſolidum vendidit, *l. 21. ff. h. t.* quia ſcilicet vendendo poſteriori, rem ſuam eſſe dixit, & mentitus eſt, cum jam priori eam vendidiſſet, & quoties tradidiſſet, *juxta l. ſup. ne rei vind.* Aut *diſſimulatione*, ſi creditor colludens cum debitore ſuo, alteri fundum quaſi pignoratum venundedit, cum eſſet ſibi ſolutum, vel repetierit falſam datam, nam emptori diei ſcripturâ decepto nihil officit, eique falſi 2

criminis accuſatio competit, *l. 15. h. t.* Aut. *verbis*, ut qui falſum teſtimonium in judicio ſciens de dolo malo, dixit dicive curavit, ſubornando corrumpendove pecunia teſtem, *l. 1. & paſſim ff. h. t. l. 14. ſup. de teſtib.* Cujus ſuſpicio partim ex aliis circumſtantiis, partim ex repugnantia eorum quæ dixit teſtis, deprehendi à Judice poteſt. *Novel. 90.* quam *ſupra de teſtibus expoſui.* Inſuper falſum committitur *ſcripto*, ut cum quis falſo reſcripto ſciens, non ab alio deceptus, utitur; nam ſi alieno utatur, audietur innocentiam ſuam purgans, ſi eum à quo accepit, declaret. *l. 4. h. t.*

3 Plane qui falſo inſtrumento utitur, indubie præſumitur falſi auctor, vel particeps criminis reus efficitur, niſi ſuam innocentiam probet, exhibendo eum, à quo inſtrumentum accepit, & declarando ſe ab ejus uſu abſtinere velle, *l. 8. h. tit.* nam alias ſolus uſus inſtrumenti criminis periculo adſtringet eum, qui ejus non fuit fabricator. Hæc autem declaratio & pœnitentia ad ſententiam uſque admittitur, ut docent relati à Menochio *arbitr. caſ. 315. n. 29.* ubi obſervat diſcrimen inter eum, qui uſus eſt falſo inſtrumento ab alio conſcripto, & ipſum actorem ſcripti, quod hic non poſſit evadere accuſationem, licet velit abſtinere ab uſu falſi inſtrumenti, quia ſcribendo conſummatum eſt delictum: at ille qui falſum inſtrumentum ab alio factum produxit, eoque uti cœpit, ſi pœniteat, à pœna falſi liberatur, non tamen à mulcta pecuniaria arbitrio Judicis imponenda, nec ab expenſis litis. Ant. Faber. *in C. h. t. defin. 10. & 12.*

4 Præterea contrahitur crimen falſi, ſi quis ſcribat veluti præſentem recepiſſe ſe res aliquas, aut quid aliud promiſiſſe, cum abſens eſſet, *l. 13. h. t.* licet enim ad interrogationem ex intervallo quis reſpondere poſſit, tamen cum inſtrumento apponatur locus & tempus præciſum, non poteſt notarius excuſari à falſo, ſi probetur tempore inſtrumenti abſens fuiſſe, quem præſentem confeſſum eſſe, aut promiſiſſe annotavit.

5 Item qui celavit, vel amovit teſtamentum, falſi crimen committit, *l. 14. h. t.* uti & qui illud dolo malo ſcripſit, ſignavit, delevit, recitavit, *l. 2. ff. h. t.* adeoque falſum habetur tale teſtamentum, vel codicillorum ſcriptura, ut nullo temporis intervallo firmari poſſit, *l. 17. h. t.* quia quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, *l. 29. ff. de reg. jur.* Imò quamvis ex tali teſtamento, quod quis falſum ignorabat, hæreditatem adierit, vel legatum acceperit, vel quoquo modo agnoverit, falſum id dicere non prohibetur, *l. 3. h. tit. & l. 3. ff. eod.* Quia præſumitur in ipſo ignorantia. * Niſi ab
6 adverſo ſcientia illius probetur, veluti quod dubitaverit, vel controverterit antea de falſitate tabularum, vel quod fuerit admonitus; cujuſmodi ſi quid intervenerit, non poterit audiri, multò minus ſi tranſegerit ſuper inſtrumento, de cujus fide antea dubitavit; repellitur enim tranſactione facta ab illius impugnatione, *l. 7. h. t.* Ita & is qui impugnavit teſtamentum, idque falſum eſſe dixit, nec obtinuit, ad defuncti judicium aſpirare non poteſt, *l. 6. h. t.* id eſt, id perdit quod ſibi judicio teſtatoris relictum eſt, videlicet ſi ad ſententiam uſque malevole perſeveraverit, nec ante deſtiterit ab accuſatione. Bald. & Salicet. *ad l. 6.*

Cæterùm is qui approbavit defuncti judicium, & 7
intendit ab inteſtato ſe hæredem eſſe, cogitur legata in codicillis relicta implere, niſi eos falſos eſſe arguat. Etenim quoties falſi crimen ſubeſt, quamvis generali indulgentia Principis illud remittatur, aboleaturque, tamen civiliter de falſo, ad evitandam legatorum præſtationem queri poteſt. *l. 9. h. t.*

Hinc obſervandum de crimine falſi duplici via 8
agi poſſe, & civiliter ab eo ſolo, vel procuratore ejus, cujus intereſt falſum non fieri, & criminaliter ad vindictam publicam à quolibet, *l. 16. h. t.* Electa tamen via civili, debet ſuperſederi criminali, ſed civili actione per ſententiam terminata, criminalis quæſtio inchoari poteſt, & convictus ſubjici legitimis pœnis. *l. pen. h. t.* At vero cum morandæ ſolutionis cauſa à debitore falſi crimen objicitur, nihilominus interim ſalva accuſatione criminis, debitorem ad ſolutionem compelli oportere placuit, *l. 2. h. t.* Quod ſi tempeſtive debitor hoc crimen objecerit, idque per modum exceptionis in judicio civili, quo conventus fuit, Judex etiam pedaneus (cui de lite pecuniaria cognitio eſt) de fide inſtrumenti prius inquiret, quàm ſententiam definitivam proferat, & debitorem ad ſolutionem compellat, *l. 11. h. t.* * Recte in civili judi- 9
cio, nam criminalis falſi accuſatio inſtituenda eſt coram competente Judice, qualis eſt Rector provinciæ, *l. 10. & 17. h. t.* Caveat tamen quis temere & per calumniam inſtituere accuſationem, ne ſi eam non peregerit, graviſſime puniatur. Eſt autem hujus criminis accuſatio viris tantum permiſſa, non mulieribus, niſi illæ ſuam vel ſuorum injuriam proſequantur, vel res ſuas repetant, quæ ab aliis detinentur; Si quas tamen res mulier donavit, cum amplius ad eam non pertineant illæ res, licet pertinuerint, fieri ſibi facultatem accuſandi, contra juris poſtulat formam, *l. 19. h. t.*

Præterea debet quis per ſe non per procuratores 10
accuſationem perſequi, quamvis diſceptatione privata, ſeu civiliter de fide inſtrumenti queri non prohibeatur, *l. 16. h. t.* Filio quoque adverſus matrem de falſo civiliter agere permiſſum eſt, non criminaliter, quemadmodum nec aliud capitale crimen movere contra matrem, *l. 5. h. t.* At verò contra extraneum, qui aſſerit ſe juſtum fundi poſſeſſorem, accuſationem inſtituere poterit, & allegare

gare

Digitized by Google

gare inſtrumentum emptionis, quo ille nititur, eſſe falſum, atque ex eo juſtam poſſeſſionem non acquiri, *l.* 18. *h. t.*

11 Inter illuſtres & conjunctas perſonas ob honorem familiæ, & ſanguinis conjunctionem criminaliter agere prohibitum eſt, *l.* 17. §. *pen. ſup. qui accuſare non poſſ.* Unde pœna corporalis converti ſolet in pecuniariam mulctam, ne videatur agnatus agnatum mortis ſupplicio & infamiæ expoſuiſſe. Quod ſi vero tam grave ſit falſi crimen ab iis commiſſum, ſatis erit id indicaſſe procuratori fiſci, cujus officio incumbit accuſationem inſtituere, & proſequi, nec conſtringitur ſubſcriptionis neceſſitate, Ant. Fab. *in C. ad h. t. defin.* 5. *&* 6.

12 Porro iſta accuſandi de falſo licentia per viginti annos durat, nec ultra extenditur, *l.* 12. *h. t.* quo tempore pleriſque aliis criminibus præſcribi dictum eſt, *ſupra de accuſat. num.* 19. Proſequuntur intra hoc tempus leges falſi accuſationem, ut etiam pro eruenda veritate in falſi teſtamenti cauſa, ſervos hæreditarios per tormenta interrogari poſſe voluerint. *l.* 10. *infra de quæſtionib.* Suaſit id teſtamentorum neceſſitas, & perſonæ ſervi ad corruptionem facile miniſterium. Interdum permittunt leges, ad inveſtigationem veritatis, etiam liberas perſonas tormentis ſubjici, ſi earum conditio patiatur, & Judex certis incidiis motus, juſſerit eas perſonas exhiberi, quæ ſunt per tormenta interrogandæ, *l.* 17. *h. t. l.* 8. §. 1. *infra de quæſt.*

13 Sequitur de criminis hujus probatione, in qua indaganda, Judex omnem induſtriam & diligentiam adhibebit per argumenta, teſtes, ſcripturarum collationes, & alia veſtigia veritatis, nec accuſatori tantum, ſed & proferenti inſtrumentum, onus probationum injunget: atque inter utramque perſonam medius exiſtens omnem eruendæ veritatis rationem quæret, *l.* 22. *h. t.* adhibita ſi res poſtulet, tortura, quam & in decurionem decernet, ſi inſtrumentum antea à ſe conſcriptum cum tabellio eſſet, arguatur falſum, *l.* 21. *h. t.* obſervat Leoninus *l.* 16. *h. t.* eum quoque qui ſuſpectum inſtrumentum à ſe prolatum, corruperit, ſubjici poſſe torturæ, ut cauſas declaret quare corruperit.

14 Dixi de hoc crimine conquerenti duplicem eſſe viam tributam, ſed electa via civili, tantiſper ſuperſedendum criminali, quoniam civile judicium utilitas privata, criminale, vigor publicæ diſciplinæ poſtulat. *l. pen. h. t.* igitur finito civili judicio, criminale inchoari poteſt, & convictus ſubjici pœnis legitimis.

15 Quamquã moribus paſſim eo jure utamur, ut civili de falſo agendi via præcluſa, eo nomine criminale judicium inſtituatur, ſolemniſque fiat inſcriptio, ſive inſtrumento falſo nitatur is, qui falſum commiſit, ſive alius quilibet. Quod jus ex Gallorum moribus ad nos traductum eſt, & quidem ſumma ratione, ne alioqui nullus litium modus futurus ſit, nullaq; ſatis certa veritatis probatio, ſi uni cuiq; liceat tam facile ſcripturæ publicæ fidem convellere. *l. pen. C. de probat.* Faber. *definit.* 1. *ad h. t.* Hinc etiam eſt quod in hoc criminali judicio, acerrima fieri debeat indagatio, ita ut non ſufficiant ad probandam falſitatem, conjecturæ vel ſuſpiciones, ſed deſiderentur probationes legitimæ certiſſimæque, *l. ult. d. t. de probat.* Cum alias in civili, levior examinatio admittatur, *d. l. pen.* circa quam ſufficient argumenta ad detrahendam ſuſpectæ ſcripturæ fidem. Jul. Clar. §. *falſum num.* 30.

Sed novum videtur quod Conſtantinus tam ex parte accuſatoris, quam rei, probationes exigat, *d. l.* 22. *in princ.* cum juxta juris regulam, actori illud onus incumbat, eoque non probante reus abſolvatur, *l.* 4. *ſup. de edendo l.* 23. *ſup. de probat.* verum etſi iſta regula communiter liberet reum neceſſitate probandi, etiam in crimine falſi, attamen in caſu *d. l.* 22. diverſum obtinet, cum inſtrumentum ab una parte prolatum, altera id falſi arguit, ex quibuſdam ſuſpicionibus, forte propter additionem, mutationem, raſuram; Nam tunc non tantum à proferente probationes exiguntur, ſed & ab adverſario inculpante diviſis inter utrumque probationibus. Atque hoc procedit ſive civiliter, ſive criminaliter agatur, occaſione exhibiti ab adverſa parte inſtrumenti, de cujus fide æque probationes exiguntur ab eo, qui ſcripturam obtulit, atque ab eo, qui falſum arguere paratus eſt, *l. ult. h. t.* 16

Interea Judex quæ audit, & ſentit, nulla interlocutione divulget, ſed animi ſui motum tegat, & imitetur eum qui tantum audiendi & referendi poteſtatem habet, & tum demum cum ſententiam definitivam profert, mentem ſuam aperiat, *d. l.* 22. *in princ.* nec patiatur litem protrahi ultra tempus à jure præſcriptum, *in l. ult. infra ut intra certum tempus crim. quæſt. term.* 17

Pœna autem hujus criminis, quam fuerit varia apud exteras nationes, tractant fuſius Interpretes. At ex hac lege fuit in ſervis ultimum ſupplicium, in liberis perſonis deportatio & bonorum publicatio, §. *Item lex Cornelia Inſt. de publ. jud. &* *l.* 1. §. *fin. ff. h. t.* ſic tamen ut pœna variata fuerit, ſicut variatur hodiernis moribus pro qualitate circumſtantiarum. Nam ad mortem uſque quandoque extenditur, tam in eo quo ſciens falſis inſtrumentis utitur, quam qui falſitatis machinator fuiſſe probatur, *l.* 8. *h. t.* Quin & eidem pœnæ ſubjicitur, qui falſum teſtimonium dixit in cauſa capitali, & in capitis ſupplicio, *l.* 22. *h. t.* Siquidem falſi teſtimonij ſecutus fuerit effectus, alias ceſſat capitalis pœna, adinſtar vulnerationis, quæ non ſecuta morte, non vindicatur pœna legis Corneliæ. Pœna vero amiſſionis bonorum non videtur eſſe in uſu, cum poſt Juſtiniani *Novell.* 134. 18

Digitized by Google

c. ult. bona damnatorum (exceptis caſibus à jure definitis) non applicentur fiſco, ſed ſerventur deſcendentibus, quorum cauſa in ſucceſſionibus prima eſt, vel aſcendentibus, & ex latere uſque ad tertium gradum, ſi ſuperſint, ut dicetur infra *ad Auth. bona de bonis proſcript.*

19 Porrò Clericus qui falſum teſtimonium dixit in cauſa capitali, à ſacro ordine rejicitur, & legitimis pœnis plectitur. *Novell. 123. c. 20.* Jure Canonico qui falſa diplomata ſummi Pontificis, aut Regis concinnaverit, aut ſciens prudenſque protulerit, ſi laicus ſit, arcetur à communione fidelium, Clericus deponitur & ſacro ordine exutus, judicis ſecularis poteſtati committitur puniendus, ſecundum legitimas ſanctiones, eaque pœna, quam merentur laici falſum committentes in litteris Principis, *c. 3. & 7. h.t. & c. 27. de verb. ſign.* Bern. Diaz. *in pr. canon. c. 117.* De Afflictis *deciſ. 21.* ubi gravius crimen tamen eſſe dicit fabricare litteras Apoſtolicas, quam falſis litteris uti, ut meritò fabricantes aut relegentur, aut capite puniantur, ſi ita exigat rei magnitudo *d.l. 22.* Paul. *lib. 5. Sent. tit. 25. §. ult.* & alio loco dicit ſeveriſſimè vindicari falſum, quod quis committit dum alienum chirographum vel manum imitatur. *l. 23. ff. h.t.* præſertim Principis, cujus ſcriptura aut littera qui utitur, poteſt eum apud ſubditos miris modis reddere inviſum, & ſibi aditum patefacere ad honores, ideoque puniendus pœna mortis. Notarius vero inſtrumentum falſum conficiens punitur pœna amputationis manus, & perpetuæ infamiæ. *cap. Imperialem §. ſcriba de prohib. feudi alien. lib. 2. Feud.* Eſtque hæc pœna merito uſu recepta, ut qua parte corporis quis peccavit, eadem etiam mulctetur. Mynſing. *cent. 6. obſ. 65.*

20 Verumtamen hanc & aliam falſi pœnam evadit is, qui inſtrumentum aliamve ſcripturam fecit, nec eam perfecit, quia talis ſive tabellio, ſive privatus, non tam falſum, quam nihil feciſſe videtur. Similiter ſi alio reſpectu, quam falſitatis inſtrumentum alias nullum confecit, pœnam non incurrit: Adeoque nec is qui ſcripturam veram falſificat, ſi ea falſitas nemini ſit damnoſa, puta ſi qua alia de cauſa ſcripturam, quæ falſa probatur, invalidam & inanem eſſe appareat, forte ob non ſervatas de jure aut conſuetudine ſolemnitates præſcriptas. De Afflictis. *d. deciſ. 21. n. 12.*

21 Supereſt ut dicamus de illa falſi ſpecie, quæ naturæ fit, per partus ſuppoſitionem, ex qua multa mala ſequuntur, nam ordinum dignitas familiarumque confunditur, ut meritò Antoninus Imperator *in l. 1. h. t.* pœnam decernat capitalem in mulierem convictam partus ſuppoſiti. Et ante eum Paulus *l. 2 Sent. tit. 24. §. fin.* ſcribit, obſtetricem quæ partum alienum attulit, ut ſupponi poſſit, ſummo ſupplicio affici. Coraſius, Menochius, Fornerius, & alij quos refert Carranza *l. 5. de partu ſuppoſ.* pœnam hanc accipiunt non de morte naturali, ſed civili, propterea quod *d. l. 1.* utramq; mortem deſignet per periculum capitis, ut ſuccedat regula, quæ vult pœnalia interpretatione mitigari. Non movet Pauli reſponſum *in d. §. fin.* nam forte ei cauſam præbuit obſtetricum iſtius temporis magna licentia, & uſitata calliditas in partuum ſuppoſitionibus, & quia pretio, vel præmio corruptæ peccabant, quod aggravat delictum, juxta ea quæ de Mileſia refert Cicero in oratione pro Cluentio, cujus meminit *l. 39. ff. de pœnis.* Item quia hoc iniquo medio, obſtetrices clariſſimis familiis cum maxima jactura proximorum ſucceſſorum, viles alienaſque ſoboles inſerere conabantur; exempla invenies apud Valer. Maxim. *lib. 9. cap. 16.* & Petr. Gregor. *de repub. l. 14. c. 1. n. 8.*

Cum ergo Reipublicæ interſit partus non ſubji- 22
ci, ut ordinum familiarumque dignitas ſit ſalva *l. 1. §. 13. de inſpic. ventre.* ideò plerique putant huic rei diſcutiendæ longiorem terminum à jure conceſſum, adeoque partus ſuppoſiti accuſationem perpetuam eſſe, *per l. 19. §. 1. ff. h. t.* quæ habet, nulla temporis præſcriptione depelli: ſed verius accuſationem concludi ſpatio viginti annorum juxta *l. 12. h. t.* Nam *d. §. 1.* ita intelligendus eſt, quod licet mulier adulterij non poſſit poſt quinquennium accuſari, vel poſt ſex menſes utiles, ſubjecti tamen partus accuſationi illæ præſcriptiones mulieri nihil proſunt. Cujac. *l. 4. obſ. c. 14.* Itaque crimini ſubjecti partus nulla præſcriptio ordinaria opponitur, neque ejus accuſatio excluditur, niſi vicennium prætererit. Sunt autem in hoc crimine multa ſingularia, inter quæ, quod quamvis generaliter accuſatio ceſſet poſt mortem delinquentis, *Tit. ſi reus vel accuſat. mort. fuer.* tamen adhuc durat, quamvis ea deceſſerit, quæ partum ſubdidiſſe contenditur, *d. l. 19. §. 1.* Item quod hæc accuſatio ſolis parentibus permittatur, aut iis, ad quos ea res pertinet, *l. 10. & l. 30. §. 1. ff. eod.*

Eſt & illud ſingulare, quod non expectata puber- 23
tate prolis, mater continuo rea poſtulari poteſt, quia cum cauſa ſubjecti partus ſit capitalis, non eſt veriſimile matrem cum capitis ſui periculo infideliter, aut negligenter cauſam defenſuram, *d. l. 1.* quam rationem & conſtitutionem Ulpian. his verbis expreſſit, *l. 1. §. ult. ff. de Carb. Edict.* Cum mater rea poſtulatur, utique integra fide & majore conſtantia cauſam defenſura, recenti tempore dubium non eſt cognitionem fieri oportere: recenti, id eſt, præſenti tempore, non dilata cognitione de crimine ſubjecti partus in tempus pubertatis.

Quamvis alias ſi pupilli ſtatus in dubium voce- 24
tur, quæſtio ejus differenda veniat, in tempus pubertatis, idque ne pupillo cujus res agitur, minus forte defenſio fiat præjudicium, qui metus cum hic abſit, matre cujus propria cauſa vertitur, & factum arguitur, ea poſtulata, procedet cognitio, & poſt even-

Digitized by Google

eventum cognitionis, ſi ſuppoſitum partum apparuerit, actiones puero denegandæ erunt. *l.* 1. *§. fin. ff. de Carb. edict.* Nil obſtante juris regula, quod res inter alios acta, aliis non præjudicet, nam patitur exceptionem, quando jus quo quis uti vult ex perſona alterius eſt omnino everſum, ſecundùm ea quæ ſupra diximus, *de re judic. ex l.* 63. Eſt autem omnino everſum in caſu præſenti, ſiquidem ex facto matris ſimulantis prolem natam eſſe ex defuncto tanquam marito, illud jus ortum erat, quo everſo, ut filius non eſt, ita nec poteſt illi competere relicta hæreditas.

25 Denique ſpeciale eſt in hoc crimine, quod probetur etiam per teſtes, qui ex depoſitionibus ſuis commodum ſperant, item per complices & ſocios criminis, cum ejus veritas vix per alios detegi poſſit. Præterea ubi de hoc crimine civiliter agitur, admittuntur promiſcuæ conjecturæ & præſumptiones, ſecus ſi criminaliter; nam tunc uti in cæteris exacta requiritur probatio, quantumvis ſit difficilis minuſque expedita. Unde ea rejicitur probatio quæ ex conjecturis non plenè concludentibus elicitur. Boſſius *in tit. de partu ſuppoſito.* Maſcard. *de prob. concl.* 1147. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 116. Qui omnes plurimum hac in re judicis diſquiſitioni & prudentiæ tribuunt, *juxta l.* 22. *h. t. in pr.*

26 At quis hic judex competens? Reſcribunt Impp. partus ſuppoſiti cognitionem ad rectorem provinciæ pertinere, qui juriſdictionem habet omnium cauſarum civilium & criminalium, quæ per Provinciam incidunt, *l.* 10. *h. t.* poſſet etiam hujus criminis cognitio hodie ad judicem Eccleſiaſticum devolvi ratione peccati, *cap.* 3. ẍ. *qui filij ſint legit.*

27 Quid ſi mater ad exonerationem ſuæ conſcientiæ fateatur alienum partum ſuppoſitum, aut non ex marito, ſed ex alio, filium conceptum? Habet quidem vim aliquam iſta matris profeſſio, etiam extrajudicialis, per quam animi recondita aperiuntur, *l.* 39. *§.* 1. *ff. De leg.* 3. Sed non tantùm ut probationem inducat, & filio dominato, & educato noceat: eliditur namque hujuſmodi materna aſſertio, contraria præſumptione, reſultante ex educatione, diutina habitatione, & quaſi poſſeſſione filiationis. Atque hanc opinionem uti veriorem, in utroque foro, tuentur Covarruv. *in cap. peccatum* 1. *p.* Gutierrez *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 38. Menoch. *lib.* 6. *praſ.* 53. quibus adhæreo, niſi matris aſſertioni accedant aliæ conjecturæ, præſumptiones, & indicia, nam tunc filius in conſcientia ei aſſentiri, & ab hæreditate patris ſui putativi abſtinere tenetur, *cap.* 13. *§. porro* ẍ. *De reſt. ſpol. cap. fin.* ẍ. *de praſcript.* Late Carranza *ſup. dicto loco.*

TITULUS XXIII.

De his qui ſibi adſcribunt teſtamento.

1. *Qui ſibi legatum adſcripſit crimine falſi tenetur.*
2. *Scriptum pro non ſcripto habetur, & quamvis teſtator id dictaverit, punitur qui ſcripſit ſibi, aut ei qui in eadem poteſtate eſt.*
3. *Excuſat à pœna ſi emancipato, adoptivo, militi adſcripſerit, item ſervo ſuo cum liber erit, &c.*
4. *Item ſi teſtator ſua manu ſignificavit, ſe dictaſſe relictum filio generaliter, extraneo ſpecialiter.*
5. *Filius emancipatus ſibi adſcribens patre dictante, de æquitate à pœna excuſatur, & relictum capit.*
6. *Pœna remittitur ſed relictum non capitur, ſi quis veniam à Principe impetraverit.*
7. *Quæ facilis eſt militi, minori, ſervo & cæteris profitentibus errorem, uti & marito. Quid ſi hic ſimul cum uxore diſpoſuerit?*
8. *Hæc obtinent in teſtamento ſcripto. An etiam in nuncupativo?*
9. *Quid Moribus noſtris obtineat?*

LEx Cornelia de falſis teſtamentorum occaſione lata eſt, unde & teſtamentaria vocatur à Cicerone *Verrinæ*; & Ulpiano *in l.* 6. *ff. de extraord. crimin.* nempe, quod maximè ſolet falſum in teſtamentis committi, dum ſcilicet ea ſupponuntur, celantur, vitiantur, delentur, reſignantur, vel dum alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi quaſi teſtatore volente abſcripſit. Quamvis enim dictantibus & ſcribentibus teſtamenta legari aliquid poſſit, *l.* 22. *ſup. de teſt,* ſibi tamen adſcribere quis legatum non debet, & ſi id fecerit, pœna legis Corneliæ de falſis coërcetur, quæ conſtituta eſt S. C. Liboniano, & edicto D. Claudij, *l.* 3. *h. t.* 1

Committatur in hanc pœnam incapacitas capiendi id quod ſcriptum, cum habeatur pro non ſcripto, cedatque id ſcripto, hæredi, vel ſubſtituto, *l.* 2. *§.* 1. *& l.* 4. *h. t.* Incidit & in hoc S. C. maritus qui in teſtamento uxoris, ſua manu legatum ſibi adſcripſit, *d. l.* 4. qualis propriè falſarius eſt, & ut talis pœna legis Corneliæ punitur, cum citra voluntatē teſtantis quid ſibi adſcripſerit: eadem tenetur quaſi falſarius qui teſtatore jubente aliquod emolumentum ſibi adſcripſit, *l.* 3 *h. t.* debuit enim alium poſcere ſcriptorem qui hoc adſcriberet non ipſe ſibi adſcribere. Cur autem non debuerit teſtamentarius parere teſtatori, id jubenti, ratio eſt, quod res ſit fraudi obnoxia, ideoque probibita. Quid ſi non ſibi quis, ſed ei qui in eadem poteſtate eſt, adſcripſit, non continetur verbis S. C. facit tamen emolumenti ratio, ut in ejus mentem committatur, rediga- 2

Digitized by Google

redigaturque ad legem Corneliam de falſis, interpretatione Juriſconſultorum, *l.* 10. *& l.* 15. *ff. ad l. Corn. de falſ.* Quod procedit etſi teſtamentum poſtea rumpatur, vel initio jure non ſit factum, modò voluntas ſit perfecta, nam ſi illa fuerit imperfecta, magis eſt, ut S.C. locus non ſit, *l.6. ff. h.t.*

3 Fundatur itaque S.C. in falſi ſuſpicione, quod qui legatum ſibi adſcripſerit, compendio ſuo proſpexerit. Unde excuſatio datur ab ejus pœna. I. Quando quis adſcribit extraneo uti filio emancipato, aut dato in adoptionem, *l.* 22. §. 2. *ff. ad l. Corn. de falſ.* Item filio ſuo militi, quem in poteſtate habet, quia ceſſat fundamentum, *l.* 11. *ff. d.t.* ubi nihil faciet, quod extraneus cui quid adſcriptum vivo teſtatore in poteſtatem teſtamentarij venerit, quia prius fuit ſine fraude. Item ſi ſervo ſuo libertatem fidei commiſſariam adſcripſerit, dicendum eſt extra ſententiam S.C. eam eſſe, quoniam placet, omne quod per hujuſmodi ſervum acquiſitum eſt, reſtitui oportere manumiſſo. Idem juris ſi dominus adſcripſerit ſervo legatum cum liber erit, & illi quem bona fide poſſidet, nam talis etſi quoad cogitationem animi nocens ſit, non tamen effectu, cum tali ſervo quæſitum extra operas, & rem poſſeſſoris non cedat poſſeſſori, *d. l.* 22. §. 3. 4. *&* 5. Ex eadem cauſa qui voluntate patris ſe exhæredat, vel legatum ſibi adimit, neque verbis Senatuſconſulti, neque ſententia continetur, *dict. l.* 22. §. *fin.* uti nec tenetur filius matri legatum adſcribens, cum juſſu teſtatoris id fecerit, *d.l.* 11. §. *ult.*

4 II. Excuſabit ſeipſum à falſo, ſi acceſſerit juſta recognitio, & approbatio ipſius teſtatoris manu ſubſcripta, quæ & faciet legatum capi, *l.* 2. *h.t.* Quin & generalis ſubſcriptio ſufficiet in filio, & ſervo proprio, ſi videlicet ſubſcribat teſtator, & dicat hoc teſtamentum *dictavi*, non expreſſo cui dictavit. In extraneo requiritur ſpecialis, ut ſi hæc, aut ſimilia verba adjiciantur, *Quod illi dictavi & recognovi. l.* 1. *ff. d.t.* Ratio diverſitatis eſt quod filium & ſervum in poteſtate, excuſet reverentia, & obediendi neceſſitas, non etiam extraneum.

5 III. Excuſabit à pœna, & hæreditatem totam retinebit filius emancipatus, qui eam ſibi, patre volente & dictante adſcripſit, ſcilicet cum eſſet ſolus filius, fruſtra namque tunc pro non ſcripto haberetur, quod nihil ominus per bonorum poſſeſſionem unde liberi ad eundem perveniret: quare perinde habetur, ac ſi pater filium hæredem ſcripſiſſet, functus dulci officio vitæ, *l.* 1. *h.t.* ubi Interpretes recte ſentiunt hunc filium jure hæreditatem retinere, quia nullus alius erat ſcriptus hæres, cui fieret injuria, nec alius qui poſſet patri ſuccedere ab inteſtato, præter ipſum ex aſſe ſcriptum.

6 IV. Dabit veniam indulgentia Principis, quæ facilis eſt iis, qui juſſu teſtatoris ſibi adſcripſerunt, quia durum eſſet eos hoc crimine teneri ac ſi falſum commiſiſſent, atque hæc indulgentia, facit quidem remitti pœnam, non tamen capi quod adſcriptum, *l.* 5. *h.t.* * Ubi militi propter præſumptionem juſtæ ignorantiæ, legis pœna remittitur, verum non etiam legatum permittitur. Idem de minore 7
25. annis ibidem dicitur, quia errore magis, quam malitia in hoc S. C. incidiſſe creditur. Idemque de ſervo libertatem ſibi adſcribente, quoniam (ut dixi) propter reverentiam, quam domino debet, non potuit, eo jubente, id recuſare, *l. ult. h.t.* Cæteris quoque veniam deprecantibus ob ignorantiam, & profitentibus à relicto diſcedere, ſolet Princeps legis Corneliæ pœnam remittere, *l.* 3. *h.t.* veluti marito, qui ſibi adſcripſit in teſtamento uxoris, *l.* 4. *h.t.* Quid ſi maritus teſtamentum ſimul cum uxore condidit? certe valebit, etiam manum viri factum, in quo ille uxorem ſuam inſtituit, non utique illud in quo ipſe ſe uxoris hæredem ſcripſit; cum diverſa ſit utriuſque diſpoſitio, & ſeparabilis, ſic ut utilis per inutilem non vitietur, ut probat Anton. Gamma *deciſ.* 232. *n.* 6.

Habent prædicta locum in teſtamento ſcriptis celebrato, & ſolemni, in quo ad evitandam fraudē, 8
ſubſcriptionum & ſigillorum ſolemnia obſervantur: dubitatur de nuncupativo? Et ſane ſi in ſcripturam (ut ſolet) redigitur per notarium, iſque ſibi in eo quid adſcribat, non erit immunis à pœna S. C. quod tunc teſtamentum probetur inſtrumento, ut eadem concurrente ſuſpicione falſi, habeat locum eadem pœna. Roman. *conſ.* 181. *num.* 12. Mantica *de conject. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 5. *&* 7. ubi tradit aliud eſſe ſi poſt auditos teſtes teſtamentum nuncupativum ſit redactum in ſcripturam, quia vis ejus conſiſtit in teſtibus, non in inſtrumento. Contrarium tenet Clarus §. *falſum* 27. propterea quod teſtes facile geſtorum obliviſcuntur, & pauci ſunt, qui velint contra ſcripturam deponere. Videatur Petr. Peckius *de teſtament. conjug. lib.* 3. *cap.* 12.

Poſtremo ad evitandam falſitatem, ejuſve ſuſpicionem, optimo conſilio, Principes noſtri edicto 9
ſuo *anno* 1611. *art.* 12. vetant, tabelliones, paſtores, ſeu eos coram quibus fiunt teſtamenta, ſibi aut eis qui ipſis intra quartum gradum cognationis conjuncti ſunt, aliquod legatū ex iis teſtamentis adſcribere, aut capere: gradum computandum ſentiunt ſecundum jus civile. Item non comprehendi edicto paſtorem, qui Eccleſię ſuę quid adſcripſit, cum non ſibi ſuiſq; adſcripſerit, ſed officio aut paſtoratui, cujus rei in jure magna eſt diſtinctio, nam & in eo deciſum eſt, conſulem filiumfamil. recte apud ſe ipſum adoptari, *l.* 3. *de adoption.* non enim conſideratur perſona ut talis, ſed ut habens dignitatem aut officium, quod ſuſtinere poteſt, uti & unus duorum vices, quod quidem eſt difficile, non tamen novum, aut impoſſibile. *DD. ad l.* 9. *ff. de pact.*

TITU-

TITULUS XXIV.

De falſa moneta.

1. *Ad Principem pertinet monetam fabricare, hoc jus privati prætextu reſcripti ſibi nequeunt arripere.*
2. *Qua pœna puniuntur qui falſam monetam fecerunt.*
3. *Domus in qua moneta percuſſa fiſco vindicatur. Excuſatur dominus domus ſi ignoravit in ea monetam cudi, & ſedulò inquiſivit.*
4. *Qui domum ſuam locavit falſariis qua pœna punitur?*
5. *Qui metu mortis non potuit crimen revelare excuſatur. Item vidua & pupilli excipiuntur.*
6. *An excuſetur à pœna mulier ſciens maritum falſa moneta cudendæ operam dare?*
7. *An quod quis deprehenſus ſit in loco occulto, & habere apud ſe inſtrumenta, ſit ſufficiens indicium ad torturam.*
8. *Torturæ ſubjiciuntur rei & conſcij hujus criminis. Conſciis venia datur, ingenuis accuſatoribus immunitas, ſervis libertas.*
9. *Venia à Principe conceditur, appellatio denegatur.*
10. *An ſemper reus puniatur pœna ignis; Quid ſi tantum monetam raſerit, aut eam ſub imagine Principis percuſſerit.*
11. *Qua pœna puniatur, qui bonam & juſtam monetam percuſſit*
12. *An ut falſarius puniatur is qui falſam monetam ſciens expendit, nec exhibet hominem à quo accepit.*
13. *Item, qui adulterinam monetam ſervat, aut bonam majoris æſtimat.*

1 PErtinet quoque ad crimen falſi ſi quis aurum, aut argentum vitiarit, raſerit, tinxerit, aut nummum adulterinum conflarit, cuderitve, vel ſi quis falſum ſignum, vultumque Principis impreſſerit. Pulchrè Theodoricus Rex, apud Caſſiodorum *lib. 7. var. monetæ debet integritas quæri, ubi & noſter vultus imprimitur. Quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccatur effigie, ſit mundum quod forma noſtra inſeritur, claritas regia nihil admittit infectum.* Ideò Aſconius Pædianus conſtiiutum fuiſſe ſcribit *ne quis privatus pecuniam faceret,* quod ea poteſtas ſit penes ſolum Principem, vel rempublicam liberam. Hodiè certæ ſunt civitates, & illis certæ perſonæ, quibus facultas cudendæ monetæ à ſupremo Principe conceditur, aliis inhibita, ut & ſub imperio Theodoſij, Valent. & Arcadij obſervatum, & puniti, qui hoc jus etiam reſcripto, vel annotatione Principis, ſibi arrogaſſent, *l. ult. h. t.*

2 Cum itaque hujus criminis rei maximum inferant reipublicæ detrimentum, & ſimul Principis lædant majeſtatem, graviſſima pœna plectuntur. Eſt enim ſignum & jus ſuperæ poteſtatis monetam cudere: ut proinde qui id uſurpaverant, ſi liberi erant ad beſtias dari, ſi ſervi ſummo ſupplicio affici debebant, *l. 8. 9. & 19. ff. ad l. Cornel. de falſis.* Poſtea Conſtaniinus Cæſar, eos qui nummos falſa fuſione formaverint, flammarum exuſtionibus voluit mancipari, atque eorum bona fiſco addici, *l. 2. h. t.*

3 Itemque domum, in qua adulteratio nummorum facta probatur, ſi ejus dominus in proximo fuerit conſtitutus, quia præſumitur non ignorare id quod actum, *l. 1. h. t.* Excuſabitur tamen ſi cum primùm ſcivit in domo ſua monetam cudi, id Judici detulerit, *d. l. 1.* ibi *niſi dominus ante ignorans, ut primum repererit ſcelus, prodiderit perpetratum.* Ex quo notandum non ſolum puniri eum, qui delictum cognovit, nec id manifeſtavit, ſed etiam eum, qui ignoravit, nec ſedulo inquiſivit, quæ in domo ejus agerentur, & fabricarentur.

4 Sed qua pœna punitur dominus, qui ſciens domum ſuam falſariis locavit? Et quamvis falſam pecuniam ipſe non cuderit, eadem tamen pœna ultimi ſupplicii, qua percuſſores, punitur, quoniam plus quam conſcius eſt, cum ſit etiam ſocius criminis, quippe qui delinquentibus auxilium, & miniſterium præbuit. Jul. Clar. *in pract. crimin. q. 87. n. 4.*

5 At quid ſi nimis mortis prohibitus fuerit à fabricantibus ne crimen revelaret? Excuſationem meretur, ſecus ſi poſtea id revelare potuerit, cum ceſſet cauſa juſti metus, de quo *in l. 8. ff. quod metus cauſ.* Cæterùm viduæ non conſciæ, & pupilli etiam conſcij ab hujus criminis pœna excuſantur, *hic in l. 1.* ubi Imperator ſpeciali dignos indulgentia credidit, etiamſi in proximo fuerint conſtituti, ne domo ſua vel poſſeſſione careant, quamvis tamen eorum tutores in provincia exiſtentes, non careant reprehenſione, adeo ut de bonis, ſi idonei fuerint, tantum fiſco inferatur, quantum à pupillo fuerat inferendum, niſi hic ob ætatem excuſetur, id eſt, quanti æſtimatus locus; in qua falſa moneta cuſa eſt, *d. l. 1. in fin.* ideò tenentur pœna hujus legis tutores, quia ignorare eos quid in re pupillari geritur non oportet.

6 Sed excuſabiturne mulier à pœna, quæ ſcit maritum falſæ monetæ cudendæ operam dare, nec id impedit, aut denuntiat? Quod videtur, cùm nemo teneatur obviare delicto, aut id indicare; Et multò minus mulier mariti vitam in diſcrimen adducere. Facit quod videatur culpa carere mulier quæ licet crimen ſciat, id prohibere non poteſt, cùm non habet imperium in maritum, *l. 50. ff. de reg. jur.* Quia tamen hoc crimen non tantum eſt falſi ſpecies, ſed etiam læſæ majeſtatis, *l. 2. h. t.* ideò mulier id non revelans, relegationis aut alia mitiore pœna punitur, prout judicatum refert Ant. Faber *hic in Cod.*

Digitized by Google

definit. 3. Eandem verò pœnam quam maritus ſuſtinebit, ſi ejus exemplo ipſa quoque idem crimen admiſerit.

7 Cæterùm quod quis habeat apud ſe inſtrumenta ad cudendam monetam apta, aut quod cum illis deprehenſus ſit in loco ſuſpecto & occulto, non inde ſatis liquido probatur reus, quia poteſt commercij cauſa, aut alio fine apud ſe habere hujuſmodi inſtrumenta. Quod ſi tamen vilis ſit, & malæ famæ perſona, non ſolita emere aut vendere talia inſtrumenta, nec indicet à quo illa habuit, indicium erit ſufficiens ad torturam. Exemplo illius, apud quem reperiuntur res furtivæ nec indicare vult, à quo eas habuit. Julius Clarus *in pract. crimin q.* 21. *in fine.*

8 Quoniam hoc crimen falſæ monetæ clandeſtinè exercetur, ideò de reis haberi quæſtio debet per tormenta, ut illi fateantur, & conſcios criminis ſimul prodant, *d. l.* 1. *in pr.* Interdum conſciis, ut criminis participes deferant, venia datur, & accuſatoribus ingenuis immunitas, id eſt, vacatio onerum patrimonialium & publicorum. Servis, qui detulerint hujus criminis reos, libertas datur, nam & de hoc crimine audiuntur, qui alias rejiciuntur, & pro præmio ſi reum convicerint ferunt libertatem, fiſco pretium eorum reddente dominis, ut *in l.* 2. *ſup. quib. ex cauſ. ſervi pro præm.* quæ eſt pars hujus *l.* 1. Item non prohibetur judex etiam inferior impunitatem polliceri reo, quo magis eum alliciat ad propalandam veritatem, veniam tamen dare ſolus Princeps poteſt, ad quem ideo reſcribendum, atque interim ſuſtinenda pronuntiatio eſt. Faber *d. loco defin. t.* 4. Namque ubi pronunciatum eſt, appellandi licentia privato denegatur, & miles qui reum de cuſtodia exire fecit, capite punitur, *d. l.* 1. *verſ. appellandi.*

9 At cur *in h. l.* 1. auctori criminis capitis pœna decernitur, qui tamen in lege ſeq. ejuſdē Cæſaris Conſtantini ad pœnam ignis condemnatur? Sunt qui hanc ignis pœnam tunc obtinere ſentiant, in tali reo, qui falſam monetam ſub forma & imagine Principis percuſſit: capitalem verò exerceri contra eum, qui raſerit vel tinxerit pecuniam ſupremi Principis, aut falſam fabricaverit ſub effigie inferioris Principis, cudendi monetam jus habentis, ita Clarus *in §. f lſum.* Decianus *tract. crim. lib.* 7. *c.* 23. *n.* 19. *& alij ab eo citati.* utramque legem conciliant, quorum conciliatio mihi non probatur, ſed hæc magis, quod Imp. *in l.* 1. generatim conſtituat capitis pœnam in eum, qui falſam monetam cuderit, hanc verò pœnam qualiſnam ſit, ſpeciatim declarat, *in l.* 2. dum definit eam eſſe pœnam ignis.

10 Sed quid ſi proba ſit moneta & juſti ponderis? mitius, & arbitrio Judicis fabricatorem puniri vult Conſtitutio criminalis Caroli V. Imp. At jus noſtrum hanc diſtinctionem non admittit; etſi enim materia ſit bona, attamen hic Principis auctoritatem ſibi arrogare vult, cùm faciat id quod ſoli Principi competit, ideòque & ipſius majeſtatem lædit, ut meritò eadem pœna puniri debeat, qua ille qui falſam omninò monetam fabricavit, *d. l.* 2. nam non minus falſa moneta eſt, cum nomine Principis, atque illa quæ ſine licentia Principis ex proba materia fabricata eſt, cum utraque fiat ab eo qui jus cudendi non habet. Videatur Covar. *de veter. num. coll. c.* 8. Qui tamen monetam falſam percuſſerit, ſi in totum formare noluerit, ſuffragio juſtæ pœnitentiæ abſolvitur, *l.* 19. *ff. ad l. Corn. de falſis.*

Inſuper notandum eſt, pœnam mortis incurrere 11 eum qui ſciens pecuniam falſam exponit, ut docet *d. loco Covar.* ſi tamen eum à quo accepit exhibeat, & doceat ſe non dolo malo & ſcienter talem pecuniam expendiſſe, abſolvendus erit, *l.* 4. *ſup. ad l. Corn. de falſ. l.* 5. *ſup de furtis & ſerv. cor.* Satis enim eſt quod hominem à quo pecuniam adulterinam acceperit, conatus fuerit exhibere, licet ille aufugerit. Faber *d. loco defin.* 5. qui id limitat, niſi hominem planè ignotum nominaret.

At verò is qui non expendit, ſed ſervat hujuſmodi 12 vitiatam monetam, licet ea res crimen non ponat, eſt tamen periculoſa, & facit ne ſit omnino liber à ſuſpicione adulterationis. Capitalem quoque pœnam ſtatuit Conſtantinus in flaturarios, qui ut ipſe loquitur, majorinam pecuniam non minus crimino ſe, quam crebrè, ſeparato argento ab ære purgabant, *l.* 5. *C. Theod. h. t.* Sanxit quoque majori vel minori pretio æſtimantem pecuniam ejuſdem ponderis, quam ſtatuerit Princeps, item eos qui menſuram circuli exterioris arroſerint, ut minuant quantitatem, quive figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſuppoſuerint, prædicta capitis pœna puniri, aut flammis tradi, aut alia mortifera affligi, *l.* 1. *C. Theod. ſi quis ſolidi circul. exterio. incid.* Non videtur tamen quod vivi comburendi ſint, poſtquam ex Concilij Tridentini auctoritate, pœnæ atrociores ſint ſublatæ, per quas fieret facilè ut reus ſupplicio præſertim ignis addicendus, in deſperationem adigeretur, ac ita non minus animæ, quam corporis jacturam faceret, quod impium eſſet ac inhumanum.

TITULUS XXV.

De mutatione nominis.

1. *Nominis, vel cognominis doloſa mutatio pœna falſi coercetur.*
2. *Nulla verò pœna afficitur ſi fraus abſit.*
3. *Poteſt teſtator, jubere, ut nomen ſuum deferatur ab heredibus, dummodo id honeſtam ſit.*

AD legis Corneliæ de falſis pœnam redigitur 1 etiam is, qui dolo malo ſeipſum adoptat, & novum

Digitized by Google

novum ſibi nomen imponit, vel conditionem ſuam mentitus eſt, ad imponendum aliis, ut ſi quis ſe nobilem, militem, ſtudioſum dicat & oſtendat falſo diplomate ut tutò commeare poſſit, *l.27. §. fin. ff. ad L. Corn. de falſ.* aut ſi mutet nomen ſuum in alterius fraudem, *l.13. ff. d. t.* veluti ſi cum alio contrahens, vocet ſe alio nomine aut cognomine quam revera vocetur, ne poſteà contraxiſſe dicatur. & ex inſtrumento obligatorio conventus excipere poſſit, ſe non eſſe eum, qui in inſtrumento dicitur promiſiſſe. Sic & tabellio ſignum ſemel aſſumptum, & conſuetum; citra falſi crimen mutare non poteſt.

2 At verò ſi fraus & dolus malus abſit, unicuique libero homini liberum eſt quodcumque nomen aſſumere, nec ex eo quod novum ſumpſerit, ulla actione tenetur, *l. uni. h. t.* Imò ſæpè intereſt ut quis alterius nomen aſſumat. Hinc arrogatus, nomen & familiam arrogatoris, ſervus manumiſſus patroni nomen, hæres inſtitutus nomen teſtatoris ſuſcipere ſolet. *Imò interdum debet, ſi inſtitutus ſit ſub conditione gerendi certi nominis, aut cognominis, aut ſumendi defuncti vel alterius inſignia, ut docet J. C. in *l. 63. §. 10. ff. ad Trebell. nihil enim mali eſt honeſti hominis nomen aſſumere.* Quod ſecùs eſt in famoſo & turpi nomine, in quo prætor hanc conditionem remittit, ut ſi nomen teſtatoris viſpellionis quis deferre jubeatur, quia dignitatis ratio habenda eſt, *l.7. ff. d. t. ad Trebell.* vide de mutatione nominis, quid judicaverit Senatus Pariſienſis apud Charondam *lib.9. reſp. 49.*

TITULUS XXVI.

Ad L. Juliam de ambitu.

1. *Initio nullæ leges de ambitu latæ, poſteà plures introductæ.*
2. *Deinde L. Julia de ambitu. Quæ ejus pœna.*
3. *Et qua puniatur is qui dignitatem, qua functus, denuo repetivit.*
4. *Ambitus lex quare dicatur ceſſare in curiâ Principis, non vero in municipiis.*
5. *Hæc lex non vetat honores petere, ſed pretio eos emere & invadere.*
6. *Honoris cauſa quomodo pollicitatio valeat.*
7. *Quid hodie cautum ſuper hoc crimine.*
8. *Illud circa beneficia Eccleſiaſtica maxime committitur, & ſimonia dicitur, quæ ejus pœna?*
9. *An ſapiat ſimoniam aliquid pro ingreſſu ad beneficium dare?*

1 POſt urbem conditam, longo tempore nullam de ambitu legem fuiſſe latam, multorum litteris proditum eſt, ſcilicet quia in dandis Magiſtratibus & conferendis honoribus priſci Romani non largitione & ambitu, ſed vera virtute nitebantur, propterque res egregiè geſtas, domi militiæque meritos cives prætura, ædilitate, conſulatu, ampliſſimiſque honoribus honeſtabant. Sed cùm poſteà hoc malum ambitus non ſolum enaſci, verùm etiam ſerpere videretur, inde ex corruptis moribus bonæ leges latæ ſunt, primò quidem per tribunos plebis inter quos L. Petilius circa annum conditæ urbis 397. legem tulit, qua vetuit forum, & conciliabula præoccupandorum ſuffragiorum gratia obire. Poſt multum deinde temporis cum L. Petilia ſeveriſſimè tamen obſervata, & Papiria quæ veſtem candidam ademerat, negligi cœpiſſet, aliæ leges de ambitu latæ ſunt à Lentulo, Calphurnio, Pompejo Magno; Item à Catone, & Cicerone, cujus & ipſe meminit in oratione pro Murena, aliiſque.

Rurſus poſt has leges lata eſt lex Julia de qua hic agitur, quam tulit Octavianus Auguſtus, & in honorem Julij Cæſaris Juliam appellavit & conſtituit quod qui ambitioſe ſuffragia aliquorum clancularis largitionibus emunt, vel ſubdolis præcibus impetrant, ut ipſis publica munera & dignitates conferantur, pœna centum aureorum cum infamia punirentur, *l.1. §.1. ff. h. t.* ut quo genere quis deliquit, eo plectatur, & qui illicito modo honorem appetivit, omni honore privetur. Nam ſi fortè potitus fuit dignitate, ea quoque exuitur, quippe cum famoſis & notatis portæ dignitatum non pateant, *l.2. infr. de dignitat. lib.12.* 2

Interdum pœna pro qualitate admiſſi augetur, & ad deportationem extenditur, præſertim in eos, qui ante redditas rationes officium numerarij, principatus, commentarienſis, quo perfuncti ſunt, repetiverunt, vel contra inſtituta, ad aliud munus, quod militiæ & beneficij loco eſt, irrepſerunt, nihil obſtante reſcripto principali, *l. uni. h. t.* 3

Porrò in urbe hanc legem ceſſare ſcribit Modeſtinus in *l.1. ff. h. t.* non quod ſit abrogata, ſed quod ejus utendæ occaſio ſit ſublata, tranſlatâ poteſtate creandi magiſtratus in Principem, qui in ſublimiore gradu conſtitutus non commovetur pretio aut precibus ad dandos honores, ſed iis præficere ſolet viros, quos virtus & innocentia commendat. In municipiis tamen ſententia *d. l. 1.* adhuc viget, quod in illis plebeiorum ſuffragiis honores & officia dentur ad populi favorem, & non rarò diſtribuantur ſpe lucri etiam inter imperitos. Imò quamvis periti & probi ſint, qui præficiantur, adhuc tamen videtur verſari quædam legis nota in illa plebecula, quæ accipit pecunias pro ſuffragio, quod gratis & ex fide dare tenetur, ut merito infamiæ pœnam ſuſtineat, quam etiam non evadunt qui ſuffragatores ſunt, etſi per tertiam manum in vota ſua trahunt, ſic enim juſtitiæ fraus fit, indignis beneficia conferendo. Covar. *ad cap. peccatum p.2. §.7. n.2.* 4

5 Quod autem hîc Accurſius ſcrupulum injicit, quaſi lex vetuerit ne honores peterentur, falſum id eſſe dignoſci poteſt, cùm legem ambitus eos tantùm tenuiſſe conſtet, qui per pecuniam, aut malis artibus, clam invadere magiſtratus, & ad populi Romani honores obrepere conati eſſent. Nam ut inquit Tacitus *l. 11. annal. Apud majores, virtutis id præmium fuerat, cunctiſque civium ſi bonis artibus fiderent, licitum palam petere magiſtratus, ac ne ætas quidem diſtinguebatur.* Quomodo junioribus conceſſum ad ſummos honores adſpirare, toga candida circumire populum, ſingulorum animos captare, virtute contendere, nam quod palam fit, caret ſuſpicione doli & criminis.

6 Quo fit ut qui publicè operam ſuam offert reipublicæ, & ob honorem in ea conſequendum, quid pollicetur, teneatur ex pollicitatione, quia licita *l. 1. ff. de pollic.* ſi modo conſtet quod juvandi animo rempublicam id faciat. Undè Cicero in oratione contra Saluſtium, duplicem ambitum facit, conceſſum alterum atque etiam laudatum, quem ipſe popularem vocat, alterum verò infamem, ac legum ſeveritate notatum. Plura de ambitu videre licet apud Tholoſ. *l. 36. Syntagm. cap. 29.*

7 Huic crimini ut obviam iret Hiſpaniarum Rex noſter, & Belgarum Princeps edicto anni 1627. ſancivit, ut quiſque ante officij proviſionem, juret nemini ſe quidpiam dediſſe, aut promiſiſſe, quo ad illud perveniret, perjuroſque eos reddit, qui reſtricto mentaliter verborum ſenſu (à quibuſdam neſcio tamen quâ ſufficienti ratione admiſſum) vim & effectum juramenti conantur eludere. Zypæus *in not. jur. Belg. lib. 4. tit. de ſuffrag.*

8 Illud poſtremò notandum, crimen ambitus, non ſolùm circa officia civilia, ſed vel maximè circa Eccleſiaſtica committi, dum beneficia & præbendæ, pretio aut precibus, pactionibuſve conferuntur, ordinationes clericorum fiunt, vel reſignationes beneficiorum in alicujus favorem. Deteſtantur ſacri canones hanc nundinationem, & ambitum, quem ſpeciali vocabulo ſimoniam appellant, *tit. decret. de ſimonia*, atque excommunicatione & privatione beneficiorum, aliiſque pœnis coërcent ſimoniacos. Quin & Juſtinianus eos abſque mora, removeri à ſacerdotio jubet, ac perpetua infamia notari, eaque & eum affici qui aliquid accepit pro ſuffragio communicando. *l. 31. ſup. de Epiſc. & Cler. Novell. 123. cap. 2. §. præ omnibus.*

9 Tenentur & eo crimine etiam hi qui ab his, qui religionem profitentur, aut in Eccleſiam aliquam allecti ſunt, quid extorquent pro introitu, vel ſportularum nomine. *cap. 8. 9. 19. 44. ꝟ. de ſimonia.* Ita etiam Juſtinianus ne quidem inſinuatum, id eſt pro introitu novi clerici, quicquam præberi permiſit, nolens ob ejuſmodi omiſſionem clericum ſuis annonis privari. *Novell. 56. & Novell. 123. cap. 16.* Noluit tamen derogari conſuetudini majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut ibi quippiam clericis pro ingreſſu daretur: Imo Enthroniaſticum moderatum ab eo qui ordinandus eſt Epiſcopus præſtari, ſanxit *in d. Novell.* At ſacri canones, & concilium Tridentinum, omninò vetant quicquam pro introitu cujuſcumque beneficij dari, quod ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem ullam habeat, verùm id ſolùm admittunt quod in uſus pios convertitur. *cap. 1. de ſimon. & ſeſſ. 24. can. 24.* Item xeniola, & alia ejuſmodi quæ modum non excedunt, nec magni momenti ſunt, ſi pacti & turpis lucri abſit ſuſpicio, perſonarum habitâ dantis & accipientis ratione, poteſt Eccleſiæ prælatus accipere. *c. 1. ꝟ. d. t.* Et ut multa ſunt quæ licet peti non poſſint, honeſtè tamen & offeruntur & ſuſcipiuntur, ita quæ invaluerunt conſuetudines, ut aliquid honoris gratia præſtetur, non facilè immutandæ ſunt. *l. 42. ꝟ. d. c. de ſimonia*, de quâ ſcripſerunt ex noſtris Covar. *ad c. peccatum p. 2. §. 2. & §. 8.* & Gutierrez *canon. qq. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. c. 33.*

TITULUS XXVII.

Ad L. Jul. Repetundarum.

1. *Judicis ſumma integritas, ſi ſe corrumpi patiatur, tenetur hac lege, & ſi aliquid extorqueat per ſe, aut ſuos.*
2. *Cuilibet permiſſa hujus criminis accuſatio, etiam adverſus heredem delinquentis intra annum.*
3. *Quæ ſit pœna hujus criminis?*
4. *Non licet Judici munus accipere, ut ferat ſententiam juſtam.*
5. *Nihil Judices ultra ſalaria accipere debent, quæ hodie ex publico pendunt.*
6. *Caſus quibus accipere quid licet Magiſtratibus & Judicibus.*

NUllum eſt vitium tetrius, inquit M. Cicero, quam avaritia, præſertim in Principibus rempublicam, ac judicia gubernantibus, habere enim quæſtui rempublicam non modo turpe eſt, ſed ſceleratum & nefarium, quâ ratione ſi eò dementiæ pervenerit Judex, ut alienum jurgium putet ſuam prædam, ut ait *l. 3. h. t.* ſeſeque corrumpi patiatur muneribus, quo magis aut minus quid ex officio ſuo faciat, aut ſi Præſes provinciæ vi aut dolo à ſubditis aliquid extorqueat, eripiat, ſive per ſe, *l. 1. h. t.* ſive per ſuos domeſticos & manipularios, id eſt, milites gregarios, *l. 1. h. t.* volunt id leges minimè eſſe impunitum, ſed repetundarum reos fieri. * Quin & crimen hoc publicum eſſe, & idcircò non ſolùm ei, qui concuſſionem paſſus eſt, *l. 4. & 5. h. t.* ſed etiam 1 2

etiam cuilibet liberam hujus criminis tribuunt accuſationem, *l. ult. h. t.* quæ tam durante, quàm finitâ adminiſtratione permittitur, *d. l.* 4. nec finitur morte rei, ſed tranſit in ejus hæredem, atque ab eo pœna exigitur, *l.2. h.t.* præter id quod defunctus contra legem acceperat, ſed movetur hæc actio intra annum à morte ejus qui arguebatur, *l.5. h.t.* nec immeritò adverſus hæredem exercetur, cùm principalis quæſtio ratione officij ſuper pecunia turpiter quæſita moveatur, quam iniquum eſſet cedere lucro hæredis, *l. ult. ff. ad l. Jul. peculat.* Eſt enim conſtitutum turpe lucrum hæredi extorqueri, & ſi quid aliud ſcelere quæſitum, licet crimina extinguantur, *l.5. ff. de calumn.* Quænam probatio ad hoc crimen ſufficiat, tradit Larrea *alleg.* 48.

Pœna hinc duplex, nummaria, & criminalis;
3 nummaria reſtitutio eſt in quadruplum, *l. 1. h. t.* ejus quod datum acceptumve eſt, atque id benignè parti læſæ poſſet applicari. Sed cùm reſtituendum id eſt ei, qui ſacræ domui penſiones debet, in penſiones debitas imputabitur, *l.5. h.t.* Criminalis pro admiſſi qualitate irrogatur, veluti exilium. Hinc Juſtinianus *Novell. Conſt.* 8. Judicem in adminiſtratione exiſtentem furti reum, vel munus accipientem, ut judicet, confiſcatione & exilio afficit, & in corpus verbera & ſupplicium jubet inferri, *Tit. ſup. de pœna jud. qui mal. jud.*

4 Nec intereſt, utrum munus acceperit, ut juſtam ſententiam ferat, cùm id facere ex officio teneatur. Nec enim juſtitiæ opus venale eſſe debet, nec illa cùm ſacra res ſit, æſtimationem recipit. Ac fere eſt ut dicam, non licere judici aliquid recipere poſt ſententiam latam, licet communiter id alij affirment. Menochius *de arbitr. c.* 344. *n.* 38. *&* 5. *præſumpt.* 8. *in fin.* Decianus *tract. crim. l.* 8. *c.* 40. *n.* 9. Nam poſſet aliquis, intuitu futuri ſperati commodi, ſententiam, pro divite ferre injuſte, à quo præſumptive commodum expectat, contra pauperem, qui nihil quod det, habet.

Quamobrem aliis multis legibus, quibus con-
5 ſentiunt mores hodierni, vetitum eſt judicibus & magiſtratibus annua præſtari aliqua, & penſiones ab alio, quam ex Principis ærario ſibi accipere, ne his quibus ſunt jus dicturi, adſtricti videantur. Quod Peſcenij exemplo apud Spartianum effectum puto, qui magiſtratibus ſalarium addidit, ne vel neceſſitas ad turpia cogeret, vel à provincialibus quippiam extorquentes, tandem dignitate exuerentur, *juxta l.* 12. *infr. de dignit.* & pœna exilij plecterentur, *l.* 16. *ſup. ſi certum pet.* Docet M. Cicero in Philippicis, & aliis in locis, brevi caſuram rempublicam, in qua pecunia data judicia petantur. Et ideò Imperator judices omnes jusjurandum depromere jubet, ſe in ſortiendis honoribus neque dediſſe quippiam, aut in futurum daturos ſive per ſe ſive per interpoſitam perſonam, in fraudem legis ſacramentique, exceptis ſolis ſalariis: nihil penitus tam in adminiſtratione poſitos, quam poſt depoſitum officium, pro aliquo præſtito beneficio, tempore adminiſtrationis, quam gratuito meruerunt, accepturos, *l. fin. h. t.*

Excipiuntur tamen ſobrini, atque propriore 6
gradu conjuncti, à quibus dona & munera accipere licebat, quia in his ceſſat illa ſuſpicio corrumpendi magiſtratus, *l. 1. ff. h.t.* nec definita eſt quantitas horum munerum, *l. 9. eod.* Ab aliis autem (ſi officio magiſtratus non egeant, nec coram eo litigent) licuit munera accipere, modò non excederent in anno aureos centum, *l.6. §. ult. ff. h.t.* Permiſſum quoque fuit judicibus xeniola acipere, quæ intra paucos dies uſu conſumuntur, quia valdè inhumanum eſſet à nemine accipere, omnia paſſim accipere avariſſimum, *l.6. §.3. ff. de off. proconſ.*

TITULUS XXVIII.

De crimine peculatus.

1. *Continuatio qui publica pecunia furtum faciant?*
2. *Qua pœna puniatur Judex, qui publicas pecunias ſubtraxit.*
3. *An qui pecuniam alterius civitatis, quam Romana, ſubtraxerit* h. l. *teneatur.*
4. *Quid ſit crimen reſiduorum, & ejus pœna.*

Superiore Tit. egimus de pecunia exacta à privatis, in hoc de pecunia capta ex ærario publi- 1
co. Nam peculatum definit Labeo pecuniæ publicæ furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit, *l. 9. §.2. ff. h.t.* Unde hac lege tenetur, qui fraudem aliquam ærario fecerit, ut ſi pecuniam forma publica ſignatam furatus ſit, in rem ſuam verterit, aut deſtinatam in uſum aliquem retinuerit, nec in eum pecuniam erogaverit, *l. 1. 2. 4. & 9. ff. h.t.*

Hoc modo Impp. reſcripſerunt Judicem, qui tem- 2
pore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerit, lege peculatus obnoxium eſſe & capitali animadverſione eum ſubjici, una cùm iis qui miniſterium ad hoc præbuerunt, quique ſubtractas ab his pecunias ſcientes ſuſceperunt, *l. uni. h. t.* Pœnam etenim capitalem hac Conſtitutione pro mortis naturalis pœna accipi, manifeſtè oſtendit Juſtinianus *Tit. de publ. judiciis*, cùm aliàs morte civili ſeu deportatione plectantur hujus criminis rei, *l. 3. ff. h.t.* Et licet interdum mitiore pœna, illi, qui in dignitate poſiti ſunt, quam plebei afficiantur, id tamen non obtinet, in iis criminibus, quæ cum violatione fidei, officio publico debitæ, ſunt conjuncta.

Quæritur, an is teneatur crimine peculatus, qui 3
alicujus civitatis, aut municipij pecunias ſubtraxerit? Et veriùs eſt, eum teneri furti, *l.* 81. *ff. de furt.* Cui non obſtat *l.4. §. fin. ff. h.t.* ubi tenetur crimine pecu-

 latus,

Digitized by Google

latus, qui interceperat pecuniam publicam civitatis, quia intelligendum de civitate ſeu republica Romana, quæ revera publicam habet pecuniam: reliquæ namque civitates, non gaudent propriè publico jure, ſed privatorum loco habentur, *l. 16. ff. de verb. ſignif.* Aliter Duarenus *lib. 2. diſp. cap. 16.* & Alciat. *lib. 1. diſpunct. c. 3.* putant Conſtitutionibus Principum cautum eſſe, ut teneatur peculatus, ſi de re civitatis quis aliquid ſurripiat.

4 Huic affine eſt judicium de reſiduis, quo tenetur is qui pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuit, neque in illum conſumpſit aut erogavit, & ille penes quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione aliave cauſa pecunia publica reſedit, ſi eam ad ærarium non eſt profeſſus, aut ſi profeſſus quidem, ultra annum tamen penes ſe retinuit, voluit enim & eam eſſe reſiduam lex Julia, *l. 2. l. 4. §. 3. & l. 9. §. fin. ff. h. t.* cujus pœna eſt, ut damnatus ampliùs tertia parte, quam debet fiſco inferat, id eſt, quod debet inferat, & inſuper tertiam partem debitæ quantitatis ſuperaddat, *d. l. 4.*

TITULUS XXIX.

De crimine ſacrilegij.

1. *Qui committant proprie ſacrilegium.*
2. *Qua pœna puniantur.*
3. *Qui impropriè ſacrilegi, & qua pœna utroque jure & moribus in eos ſtatuta.*
4. *Qui ex Conſtitutionibus* h. tit. *ſacrilegium committant.*
5. *Hoc crimen eſt mixti fori: Ideò de eo cognoſcit uterque judex Eccleſiaſticus & ſecularis.*
6. *Ab Eccleſiaſtico judice punitus, poteſt à ſeculari puniri, in quantum pœna ſecularis, pœnam fori Eccleſiaſtici ſuperat.*
7. *Quomodo in hoc crimine & aliis mixti fori procedendum.*
8. *Quid ſi ex accuſatis quidam ſint clerici, quidam laici.*

1 Sacrilegium propriè committit qui rem ſacram aufert, ac deprædatur è loco ſacro, quo nomine tenentur qui aurum, vel argentum, vel quid aliud ex templis auferunt, templave effringunt; atque ad hujuſmodi ſcelera vel conſenſum ſuum, vel operam accommodant, *l. 4. 6. 9. ff. ad l. Jul. pecul. & de ſacrileg.*

Pœna ſacrilegij ſicut apud Græcos olim ſeveriſſi-
2 ma fuit, ut præcipitati, vel combuſti, vel immerſi pœnas darent, ut teſtatur Alex. *lib. 3. c. 5. circa med.* Ita & jure Romano aut igne, aut gladio, aut beſtiarum devoratione, ad Judicis arbitrium damnantur, *l. 6. in pr. ff. d. t.* ſecundum diverſas perſonarum & rerum circumſtantitias, quas hodie etiam noſtri Judices in animadverſione ſtatuenda maximè ponderare debent.

Quiſquis verò ſacrilegium impropriè commit- 3
tit, hoc eſt, qui res Eccleſiaſticas ſacras extra templa, aut ſacrorum locorum ſepta furatur, is aut manus, aut pugni amputatione, aut perpetuo exilio ſecundum leges damnatur, *l. 4. §. 2. ff. d. t.* Conſuetudo pariter eos morti tradit, quemadmodum & hos, qui res non ſacras è loco ſacro furantur. Canones verò immoderata laxitate utentes, poſt trinam admonitionem tantum excommunicandos ſacrilegos cenſent, *can. quiſquis 17. q. 4.* Atque tales eſſe judicant, qui rem ſacram è loco ſacro, & privatam in loco ſacro depoſitam auferunt, uti & qui rem ſacram auferunt è loco non ſacro, propter injuriam tam loco, quam rei illatam. Cum tamen jus civile velit ſi res privata in æde ſacra depoſita, ſubrepta fuerit, furti actionem non ſacrilegij eſſe, *l. 5. ff. h. t.*

Porrò quod ad Conſtitutionem noſtri Tit. atti- 4
net, obſervandum eſt ſacrilegium etiam committi ab his, qui divinæ legis ſanctitatem, aut neſciendo confundunt, aut negligendo violant, *l. 1. h. t.* Illos vulgò vocamus hæreticos, hos verò Dei contemptores. Item illi ſacrilegi cenſentur, qui confugientem ad ſanctam Eccleſiam, inde propria auctoritate abſtrahunt, *l. 2. h. t.* Illi quoque ſacrilegij pœnam ſuſtinent, qui temeraria uſurpatione Principum ſtatuta violare tentant, *l. ult. C. de privil. eor. qui in ſacro palatio mil. lib. 12.* uti & qui in dubium revocant, an is dignus ſit, quem Princeps ad dignitatem aliquam elegit, *l. 3. h. t.* conſonat *l. 5. ſup. de diverſ. reſcript.* diſputare enim de principali voluntate & poteſtate non oportet. Quomodo non videntur vacare hoc crimine, qui intra eam provinciam ex qua ortum ducunt, adminiſtrationis officium aſſumunt, *l. ult. h. t.* cujus ratio in eo eſt, ut ſanctius æquiuſque jura reddantur, non corrupta, concivium aut conſanguineorum favore. Verùm id ipſum hodiè nullibi obſervatur, imò multorum locorum legibus externi ab officiis arcentur, quo pertinet, *l. 3. C. de diverſis officiis lib. 12.*

Quid autem obſervetur in cognitione hujus cri- 5
minis, & prius quis de eo cognoſcat, videamus. Cognoſcit de ſacrilegio, uti & de hæreſi, & blaſphemia, Judex tam Eccleſiaſticus, quam ſecularis, quoniam hæc crimina, quæ religionem ſtatumque Eccleſiæ lędunt, mixti fori eſſe dicuntur, eſtque utrique Judici permiſſa ultio, quamvis Julius Clarus in *pract. q. 37. n. 6.* dicat apud ſuos Mediolanenſes, & Gallos, judicem ſecularem tantùm de ſacrilegio cognoſcere. Apud nos etiam Eccleſiaſticus Judex eſt competens. * Ideoque locus eſt præventio- 6
ni. Quia tamen mitior eſſe ſolet pœna, quæ à judice Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſtico imponitur, cum is non habeat gladij poteſtatem. Quæri poſſet, an punitus ab eo, adhuc puniri queat, à judice ſeculari, ob ſacrilegium, aliudve crimen, quod in utroque foro punitur? Et crebrior opinio eſt, poſſe, in quantum pœna fori ſecularis, pœnam fori Eccleſiaſtici ſuperat. Ita poſt alios Jul. Clar. *in crim. q. 57. n. 11. & ſeqq.* Etenim cum diſtinctæ ſint juriſdictiones, jure poteſt ſecularis judex id quod juſtæ condemnationi deeſt, pro modo ſuæ jurisdictionis ſupplere. Non urget quod jam quis ſit punitus & abſolutus ab Eccleſiaſtico judice, cum non ſit ſufficienter punitus, ſiquidem hodiè ſacrilegij pœna vix minor, quam mortis eſſe ſoleat. Clar. *d. §. ſacrilegium n. 2. &* 3. Præterea Eccleſiaſtici judicis abſolutio, non parit exceptionem rei judicatæ in juriſdictione ſeculari. Quamvis alioqui regulare ſit ut qui fuit abſolutus, non poſſit de eodem crimine nec apud eundem judicem, nec apud ejus ſucceſſorem accuſari, *dixi ſup. de accuſat. n.* 14. Quomodo prius ſufficienter punitus à judice ſeculari, non poterit ab Eccleſiaſtico amplius moleſta-
7 ri, maximè ubi par eſt utriuſque fori pœna. * Aliàs cùm minor eſſe ſoleat pœna, & plerumque medicinalis, fori Eccleſiaſtici, rectè fecerit Judex Eccleſiaſticus qui prævenit, ſi partes ſuas interponat, litemque inſtituat, ad definitivam uſque, quam deinde ſecularis proferet ſecundum ſtatuta ſui fori, pro criminis commiſſi gravitate. Quod ſi tamen ex reis quidam laici, quidam clerici proponantur, ita res temperari ſolet, ut uterque Judex ſimul cognoſcat, nec quidquam alius abſente alio conſtituat, quod pertinet ad litis inſtructionem, quod fortè ideo receptum, ut citiùs certiuſque & minori ſumptu utraque lis expediatur. Cæterùm ubi jam inſtructa cauſa, ſententia ferenda eſt, ſeparatim uterque eam concipere & pronunciare tenetur, ita ut clericus à ſuo Judice, pœnis canonicis, laicus à ſeculari ſeveriore animadverſione afficiatur. Niſi & clericus tam grave ſcelus admiſerit, quod mortis ſupplicio vindicari oporteat, nam tunc peractâ accuſatione coram Eccleſiaſtico Judice, adjuncto Senatore aliquo, & Procuratore Regio, tradetur reus brachio ſeculari (ut loquuntur) præmiſſa degradatione, ut & vindictæ publicæ & Eccleſiaſtici ordinis dignitati, aptiſſimo temperamento conſulatur. Ant. Faber *in Cod. ad h. t. definit.* 1.

TITULUS XXX.

De ſeditioſis, & de hi qui plebem contra rempublicam audent colligere.

1. *Quid ſit ſeditio, quæ ejus pœna, & ad quos extendatur.*
2. *Gravius puniuntur auctores ſeditionis, cur multitudini parcitur.*
3. *Quando confœderationes ſint permiſſæ.*
4. *Qua pœna punitur miles, qui ob non ſolutum ſtipendium intendit ſeditionem & ducem ſuum vulneravit?*
5. *Levior ſeditio qualiter in milite puniatur.*
6. *Maximè vigilandum, ne fiant ſeditiones, & quomodo præcavenda.*

REctè dixit M. Cicero *lib. de finibus*, quod ſicut 1
in diſcordia domus, ita in ſeditione civitas beata eſſe non poſſit. Undè & urbem Romanam octo ferè menſibus inter populares procellas patrum & plebis certamina, dum ſeditionibus vacarent, ſine lege, ſine imperio, ſine honoribus fuiſſe conſtat. Meritò hoc titulo docet Juſtinianus homines ſeditioſos, qui vel clamoribus, vel conſpirationibus, vel congregationibus, vel exhortationibus ſeditioſis, contra naturalem cognationem, quam inter ſe habent cives, plebem adverſus Magiſtratum, ſeu rempublicam, & ejus quietem concitant, gravi ſupplicio eſſe percellendos. Quo fit ut Judici juxta perſonarum & facinoris qualitatem liceat, aut laqueo, aut gladio ultore, aut flammis, aut diſtractione membrorum, aut certè aliâ pœnâ ſeditioſos coërcere, & illis denegare ea, quæ per ſeditionem & tumultum impetrarunt, *l. 2. h. t.* Ac præſertim illis qui ſæpiùs ſeditioſe & turbulentè ſe geſſerunt, & aliquoties deprehenſi tractati clementius in eadem temeritate perſeverarunt, prædicta pœna imponitur, cùm graviùs delinquant, ut habet *l. 28. §. ſolent ff. de pœnis.* Eadem quoque pœna manet conſcios omnes criminis & occultatores, nec non eos, qui hoſtium rebus ſtuduiſſe ſunt deprehenſi, *l. 1. ff. ad l. Jul. Majeſt.* nam & illi crimen læſæ Majeſtatis contrahere videntur.

Quod ſi tota plebs in Magiſtratum exſurgat & 2
crudeliter ſæviat, quamvis omnes rei ſint Majeſtatis, ſolent tamen Pij Principes, ne innocentes cum nocentibus pereant, in ipſos auctores præcipuè pœnas armare *l. 38. §. 2. ff. de pœnis*, univerſam verò plebem mulcta graviſſima, exactionibus, privilegiorumque ademptione punire, *l. 1. h. t.* ubi malè Accurſius mulctam, pro pœna capitali accipit. Extant apud Ciceronem in oratione pro Cluentio, & apud Valerium Maximum de diſciplinâ militari, varia punitæ multitudinis exempla, per detractionem ſtipendij, per decimationem, dum ſortitione in quoſdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret, *juxta l. 1. ſup. Tit.* 37. Quo pertinet illud Livij *lib.* 38. Satis eſſe ſi auctores nefariæ ſeditionis ſanguine luant, quod admiſerunt; ut undè orta culpa eſt, ibi pœna conſiſtat. Etſi enim plures in culpa ſint, decet tamen paucorum eſſe pœnam,

ne

ne omnes velut uno ictu tollantur, & ut evitentur proſcriptiones civium, & diviſiones agrorum. Videatur Balthaſar Ayala *lib. 3. de jure Belli cap. 14. & quæ nos infr. lib. 12. tit. 36. n. 43.*

3 Et hoc procedit in ſeditione, & conſpiratione multitudinis detrectantis imperium, & obſequium Principis, vel ejus Magiſtratus; quod quia vergit in detrimentum reipublicæ, graviorem pœnam meretur: ut aliud dicendum ſit, ubi quis fortuitò, & præter opinionem ſuam, tumultum concivit, veluti dum injuſtæ vi, etiam Magiſtratus non ritè & ordine exequentis reſiſtens, alios concives ad arma concitavit. Angelus *in l. 2.* & Leonin. *ad h. t.* aut metuens adverſarij ſui oppreſſionem, cum aliis confœderationem inivit, ut violentiæ reſiſterent, cum jure permiſſum ſit reſiſtere, ne quis de poſſeſſione ſua dejiciatur, & ſi dejectus fuerit, ex continenti invaſorem dejicere, non ex intervallo, *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armatâ.* Idque & pacis publicæ Conſtitutione, pariter admiſſum docet Myſingerus *cent. 6. obſ. 2.*

4 Sed quâ pœnâ afficietur miles, qui intendens ſeditionem facere, Ducem ſuum vulneravit? Et quamvis ex vulnere mors ſecuta non ſit, eum capitali ſupplicio afficiendum ſentio, nam ſatis eſt quod ad actum proximum devenerit, & manus intulerit ſuo præpoſito, cujus dignitate crimen augetur. Tum quod prætextu retenti & non ſoluti ab eo ſtipendij, intenderit commilitones inſolentiores reddere, in prædictum ducem, ac ita concitare ſeditionem, quæ magnorum motuum principium cùm ſit, etiam unius creſcit audacia, & exemplo, quod facilè alios pertrahit, eo præſertim tempore, quo anguſtum eſt ærarium, ut proinde ſeveriſſime hoc ſcelus vindicetur. *d. l. 2. h. t. & l. 38. §. 2. ff. de pœnis.* Ant Faber *in Cod. ad l. Corn. de ſicarys, definit.* 10.

5 Quod ſi à milite levior facta ſit ſeditio, eaque intra vociferationem & querelam contineatur, punitur deteriore gradu militiæ, aut etiam miſſione, *l. 3. §. qui ſeditionem 19. ff. de re milit.*

6 Interdum itaque mitius aut ſeverius hoc crimen vindicatur; Ne id tamen committatur, diligenter invigilare debet tam in bello Dux, quam in pace Magiſtratus, cauſas & origines ſeditionum auferendo, & principiis obſtando, quæ invalida eſſe ſolent, ſed impetu creſcere, eoque valentius, quo velocius. Quibus enim tempus datur, tanquam mare cui non opponitur agger, & gliſcere permittuntur, omnemque in circuitu provinciam invadere, ſit ut ſeditio jam juſta poteſtate ſuperior ſit, nec vi aut pœna compeſci poſſit.

TITULUS XXXI.

Quando civilis actio criminali præjudicet, & an utraque ab eodem exerceri poſſit.

1. *Continuatio & diſtinctio judiciorum in civile & criminale.*
2. *Quomodo unum alterum non impediat.*
3. *Exemplis hujus Conſtitutionis probatur quomodo finito civili judicio, liceat experiri criminali.*
4. *Oſtenditur quando actio civilis & criminalis concurrere poſſit, & ſimul intentari?*
5. *Civili intentatâ criminalis quæſtio præfertur.*
6. *Quando civilis actio priùs terminetur, quam criminalis.*

Poſt varia criminalium judiciorum genera expoſita, tractat Imperator de eorum concurſu cum civilibus, ut ſciamus an alterum alteri præjudicium faciat, ſeu obſtet, quò minùs alterum quoque moveri poſſit. 1

Illud autem inprimis conſtat, ex omni delicto duplex judicium naſci, unum civile, alterum criminale. Civile, per quod non ad vindictam, ſed ad rem familiarem & privatam agitur, veluti cùm petit actor rem reſtitui, pœnamve pecuniariam ſibi ut parti læſæ applicari. Criminale, per quod agitur ad vindictam, & pœnam alicui imponendam. De utroque judicio regula eſt, quod idem contra eundem, ex uno eodemque facto, poteſt utroque judicio experiri, tam civili de re familiari, quam criminali de pœna, *l. un. h. t.* quoniam in illo privata utilitas, in hoc vigor publicæ diſciplinæ ſpectatur. Ut non obſtet quod res ſem. l judicata non poſſit ampliùs retractari, quia licet ſit idem factum, res tamen eſt diverſa, alia enim eſt petitio rei ſuæ, vel damni, alia perſecutio vindictæ. Igitur civili judicio finito, poteſt adhuc intentari criminale, ex eodem facto. 2

Quomodo is qui per vim de poſſeſſione dejectus eſt, ſi de ea recuperanda interdicto undè vi fuerit uſus, non prohibetur etiam lege Juliâ de vi, publico judicio accuſationem inſtituere. Et qui ob ſuppreſſum teſtamentum de tabulis exhibendis egit, nihilominùs ex lege Cornelia de falſis accuſandi habet facultatem. Rurſus ſi libertus dicat ſe ingenuum, faciatque ea quæ ingenuorum ſunt, tam de operis civiliter, quàm etiam L. Viſellia criminaliter poterit perurgeri. Planè qui ſervum alienum intercepit & vendidit furti tenetur civiliter, & de plagio criminaliter accuſari poteſt. Poteſt etiam quis de inſtrumento poſteaquam egit civiliter, deinde experiri criminaliter ex L. Cornelia de falſis, *d. l. un.* quia ut ibi dicitur, 3

unum

Digitized by Google

unum judicium alterum non conſumit. Videatur definitio 1. *ad h. t.* Anton. Fabri.

4 Cæterùm utrumque ſimul cumulari nequit, & uno electo ac intentato alterum differtur & ſuſpenditur, donec prius finiatur. Sunt tamen caſus, in quibus uno judicio intentato, alterum non excluditur, ſed concurrit utrumque ſimul, atque ideò fortè in inſcriptione hujus Titul. *quando civilis actio criminali præjudicet*, non abſolutè dicitur præjudicare, ſed per verbum *quando*, quaſi plures caſus dari poſſint, in quibus concurrat actio civilis & criminalis, utpotè ſi producantur ex eadem lege, quia tunc non eſt dubium quin poſſit utraque ſimul intentari, *l. 25. ff. ad L. Cornel. de falſ.* ubi eum qui coram judice litteras falſas exhibuit, tradit Ulpianus, ex ea actione in factum pœnali teneri, quamquam lege Cornelia reus ſit, ita ut ad intereſſe poſſit agi civiliter actione in factum, & pro crimine ad pœnam. Igitur quando ex crimine oritur duplex actio, poterit offenſus utramque proponere, ſcilicet illam quæ tendit ad vindictam publicam, & illam quæ concernit intereſſe privatum, atque utramque ſimul intentare in eodem libello, licet non æque principaliter. Jul. Clar. *in pract. crim. quæſt. 1. num. 2.* Boſſius *in praxi titul. de appellat. & in rubr. Cod. de judic.*

5 Quod ſi plures concurrant qui invicem experiri volunt, ordo judicij ſervabitur, & de graviori cauſa ſeu principali priùs diſceptabitur, *l. fin. ſup. De ordine judic.* ex qua plerique inferunt, motâ actione civili, etiam ex ſeparato negotio, criminis quæſtionem præferri, diſceptarique oportere, eo quod lex non diſtinguat & reipublicæ interſit crimina quàm citiſſimè compeſci. Cujacius *l. 20. obſ. 25. & ſeq.*

6 Quæ ſententia vera eſt cùm accuſatio anteceſſit, quia intereſt ne retardetur per actionem civilem, quam reus inſtituit; aut cum utraque actio concurrit & oritur ex eadem cauſa; uti dictum *per l. uni. hoc tit.* non item ex diverſa & ſeparata, prout hic proponitur, nam quid iniquius quàm ſi inſtitutam à creditore actionem obruere debitor conetur accuſatione, & objectione criminis, quod cum propoſita actione nihil habet commune: quare optimè ab Alexandro Imp. declaratum eſt, ut quoties Judex videt morandæ ſolutionis gratia à debitore crimen objici, ſuſpenſa cognitione criminis eum ad ſolutionem compellat, *l. 2. ſupr. De falſ.* Idem alios Cæſares approbaſſe indicant verba *l. pen. eod. tit. ut quæſtioni civili* (quæ videlicet ex alia re oritur) *per ſententiam terminata, criminis deinde fiat indagatio.*

TITULUS XXXII.

De crimine expilatæ hæreditatis.

1. *Expilatæ hæreditatis crimen extraordinarium, intenditur, deficiente furti actione.*
2. *Quibus & contra quos actio expilatæ hæreditatis detur.*
3. *Cur uxor furti & expilatæ hæreditatis pulſari non poſſit.*
4. *Traditio clavium inducit poſſeſſionem ejus rei, cujus claves traduntur. Cùm petitur res exhiberi, compenſationis ratio non habetur.*
5. *Liberi inter ſe & cohæredes hoc crimen non rectè intendunt.*
6. *Quis Judex competens, & quod pendente judicio legata ſint præſtanda.*
7. *Pœna hujus criminis.*
8. *Hodiè vix hoc crimen in uſu eſt: quo caſu etiamnum habeat locum.*

HActenus de publicis criminibus, quæ ex legibus publicorum judiciorum deſcendunt, ſequitur ut de privatis & extraordinariis agamus. Tale eſt crimen expilatæ hæreditatis, quod extra ordinem ſolet coërceri, *l. 1. ff. hoc tit.* Apparet tamen expilatæ hæreditatis crimen eo caſu intendi, quo caſu furti agi non poteſt, ſcilicet ante aditam hæreditatem, vel poſt aditam antequam hæres apprehenderit poſſeſſionem, nam in hunc caſum furti actionem non competere, palam eſt, cùm hæreditas jacens dominum non habeat, *l. 2. & ultim. ff. h. t.* * Ideò ſi quis alienam hæreditatem expilaverit, deficiente furti actione, convenietur ab hærede, qui poſteà adivit, actione expilatæ hæreditatis, *l. ultim.* atque hæc conventio, & victoria obtenta ſuper re communi, etiam cohæredi proderit. Poteſt etiam privignus adverſus vitricum hac actione experiri, *l. 2. hoc tit.* uti & adverſus novercam quondam ſuam expilantem hæreditatem avi, *l. 3. h. tit.* non etiam defuncti patris, quia tanquam uxor tenetur rerum amotarum. * Verùm quamvis expilatæ hæreditatis crimine, promiſcuus uſus, exemplo actionis furti, ream uxorem fieri non patiatur: tamen hæres ejuſque filius ſuper iis quæ de patris bonis poſſidet, adverſus eam in rem actione experiri non prohibetur, *l. 4. h. tit.* Ideò autem in hac ſpecie denegantur expilatæ hæreditatis & furti judicia, quoniam famoſa ſunt, & uxor ſocia rei humanæ atque divinæ domus ſuſcipitur, *dict. l. 4. in princ.* Quod attinet ad rei amotæ fructus, extantes vindicari poſſunt, conſumpti verò condicuntur condictione ſine cauſa vel ex injuſta cauſa, *dict. l. 4. in fin. & l. 3. ſupr. de condict. ex lege.*

Digitized by Google

4 Præterea hæc actio denegatur hæredi contra cohæredem cui communis arcæ claves traditæ fuerunt: facit enim voluntas hæredis ceſſare omnem contrectationis ſuſpicionem, & furti expilatæve hæreditatis actionem; ſed ad exhibendum contra eum agi poteſt, qua actione conventus, non poteſt exceptione compenſationis ſe tueri, quò minùs res exhibeat, etenim compenſationis ratio non habetur in judicio ad exhibendum, quod eſt præparatorium, ſed in judicio principali, quo de rerum proprietate cognoſcetur, *l.1.h.t.* ubi directa quæſtio dicitur quæ eſt principalis, & opponitur præparatoriæ.

5 Liberis autem defuncti inter ſe non erit hæc actio utilis, cùm in rebus communibus ſuo potiùs jure eos verſari ſit præſumendum, quam dolo malo agere, *l.51.ff.pro ſocio.* Quo facit *l.1.ff.h.t.* quæ habet hac accuſatione eos coërceri, qui alienam hæreditatem expilarunt, non eſt autem aliena liberis. Idem dicendum in cohæredibus, quorum indemnitati conſultum eſt familiæ erciſcundæ judicio, *l.3.ſuprà fam.erciſc.* ut crimen hoc fruſtrà intentetur, niſi tamen liquidò conſtiterit eos per fallaciam, aut dolum malum res amoviſſe, *d.l.51.* quoniam in dubio non ſumitur conjectura doli, aut conſilium fraudandi in hæredibus, ſociis, aliiſque qui re communi utuntur.

6 De hoc crimine, uti & de cæteris in urbe, cognoſcit præfectus urbis, in provincia præſes, *l.2.h.t.* Pendente autem cognitione non oportet emolumentum legatorum, legatariis iiſdemque libertis defuncti auferri, aut differri prætextu coërcitionis ob expilatam ab illis hæreditatem, *l.5.h.t.* quoniam
7 hoc crimen ſuam pœnam habet.* Quæ quidem eſt arbitraria, habet tamen hæres electionem utrùm velit extra ordinem hanc actionem intentare, an jure ordinario rem vindicare, *l.3.ff.h.t.* concurrit enim civilis cum criminali. Nil obſtante *l. ult. h. t.* quæ habet, loco deficientis actionis hoc crimen intendi conſueviſſe: nam accipienda de alia actione criminali furti ſcilicet, non etiam civili. *Gloſſ ibi* Ant. Faber. *in ſuo Cod. ad h.t. definit.2.*

8 Addit quoque *definit.* 1. hoc crimen vix in uſu eſſe, poſtquam generali conſuetudine inductum eſt, ut hæreditariarum rerum poſſeſſio ipſo jure, abſque ullo facto, qualis penes defunctum fuerat, in hæredem quemlibet transferatur: proindéque ſi quid ex hæreditate ſurripiatur, potiùs eſt ut ipſi hæredi furtum fieri videatur. Quia tamen ſæpè contingit quod hæres necdum agnoverit hæreditatem, deque ea agnoſcenda vel adeunda deliberat; atque ad eum effectum ſolet tempus impetrare, ſi autem interea hæreditati curatore dato, furtum fiat, hunc curatorem expilatæ hæreditatis, non furti agere oportebit, quia nimirum eo tempore, nondum per quemquam poſſeſſa ſunt bona hæreditaria, non magis quam ſi jacerent, nullumque haberent dominum; quamvis hæreditas tanquam domina, ſeu cauſam habens, à domino, ſuſtineat perſonam defuncti *l. fin. ff. h. t.*

TITULUS XXXIII.

De vi bonorum raptorum.

1. *Quid requiratur ut actio vi bonorum raptorum detur, & pro quibus rebus detur.*
2. *Hæc actio datur omnibus iis quorum intereſt, non tamen emptori ante traditionem.*
3. *Adverſus quos detur, & coram quo Judice intentetur.*
4. *Quid ſi errore ductus quis rem ſuam eſſe exiſtimans, rapuerit?*
5. *Pœna hujus criminis, & cur majori teneatur fur manifeſtus, quam raptor?*
6. *Differt à graſſatore, & hic à latrone in delicto & pœna.*

UT *actio vi bonorum raptorum* competat, duo con- 1
currant neceſſe eſt: *Vis & dolus malus*; neque hîc vis ſine dolo ſufficit. Dolo autem malo facere videtur, non tantùm is qui rapit, ſed & qui præcedente conſilio ad hoc ipſum homines armatos colligit, vel ab alio coactis utitur, ut damnum det, bonave rapiat, *l.2.§.3.& 8 ff.h.t.* Præterea hæc actio quæ cum pœna ſua retrahit ablata, potiùs ad bona mobilia, moventiaque quam ad fundos per injuriam occupatos pertinet, *l.1.h.t.* nam vis quæ adhibetur in immobilibus invaſio magis eſt.

Competit hæc actio non ſolùm domino, ſed & 2
omnibus quorum intereſt rem eſſe ſalvam, quatenùs tamen ex bonis eorum fuerit. Quare ſive locata fuerit res, ſive commodata, ſive pignorata, ſive depoſita, & depoſitarij periculo ea res ſit, ſive bona fide quis poſſideat, ſive uſumfructum in re habeat, vel quid aliud juris, ut interſit ejus non rapi, ſemper competit hæc actio, *d. l. 2. §. 18. & ſeq.* Quin & ei dabitur cui defunctus res donavit contra hæredem, qui donatori ſucceſſit, *l. 2. h. t.* Itemque debitori contra creditorem, qui rem ſibi obligatam rapuit, *l. 3. h.t.* Emptori ante traditionem ut non competit actio furti, ita nec hæc competit. Imò quod magis eſt & ipſe tenebitur furti, ſi ante ſolutum pretium rem venditori ſurripuit, *l.14.§.1.ff.De furtis.*

Datur adverſus eum qui rem rapuit, vel rapinæ 3
cauſam dedit dolo malo, etiam contra novercam & vitricum, qui tamen ſi rem raptam vendiderit, in arbitrio erit rapinam paſſi, utrùm hâc actione in quadruplum, malit experiri, an verò negotiorum geſtorum, approbando venditionem, pretiumque petendo, *l.ult.h.t.* Eſt & in arbitrio illius, agere adverſus dominum rapientis hac actione, aut ſi ſervus domino neſciente vi rapuiſſe dicatur, dominum con-

Digitized by Google

convenire noxali actione apud competentem Judicem, *l.4.h.t.* Competens eſt in provincia præſes, in urbe præfectus urbis, *d.l.ult.& l.1.ff.de off.præf.urb.*

4 Quod ſi errore ductus quis, rem quam ſuam eſſe exiſtimat, rapuerit, videbatur abſolvendus à pœna, non à rei præſtatione. Verùm ne hoc modo contingeret illud legibus, noluit Imperator Conſtitutione ſua id eſſe impunitum. Itaque ſanxit, ut dominus rem ſuam rapiens ab alio poſſeſſam, cadat dominio rei, ſin alienam rapuerit, tunc ultra reſtitutionem ejus, etiam æſtimationem ejuſdem rei vim paſſo præſtare teneatur, *l.7.Cod.unde vi.* Quod obtinet non tantum in raptore mobilium, verùm & in invaſore immobilium. Coërcenda enim eſt ejuſmodi temeritas convellens vincula publicæ quietis, & auctoritatem judiciorum, quæ ideò inſtituta ſunt, ne quiſquam ſibi ipſi jus dicat, aut permittere valeat ultionem, *l.14.ſup.de jud.& d.l.7.* plura dixi *ſuprà Tit.unde vi.*

5 Actio hæc tendit in quadruplum intra annum utilem, poſt annum in ſimplum, *l.2.3.4.& 5.h.t.* id eſt, ad rem tantum, quia eſt prætoria pœnalis, non ſolita excedere annum. In quadruplo autem iſto etiam res ipſa continetur, ita ut tantum in triplum ſit pœna, ut docet Juſtinianus *Inſt.h.t.in princ.* Itaque minor eſt hæc pœna, quam furti manifeſti, in quo quadruplum totum eſt pœna. Si quæras, cur fur manifeſtus pœnam majorem luat quam raptor, qui atrocius delinquit, extorquendo præſenti bona ſua, vique apertâ ea bona rapiendo, quam qui fraude. Reſpondendum, raptorem graviori pœnâ affici, eo quod pluribus actionibus teneatur. Nam imprimis etſi fur nec manifeſtus puniatur pœna dupli, raptor tamen ſemper, id eſt, etiam non deprehenſus cum furto, vel in actu furandi punitur pœna tripli. Imò & cùm raptor eſt fur manifeſtus, deprehenſus in ipſo delicto, manifeſti furti pœna plectitur. *l.80.§.3.ff.de furt.* Interdum quoque tenetur interdicto unde vi. Denique accuſatur de violentia ex L. Julia de vi publica, aut privatâ, cujus pœna eſt deportatio, aut publicatio tertiæ partis bonorum; cum aliàs fur ſolum extra ordinem coërceatur mulcta pecuniaria, *l.fin.de furtis tit.ad l.Jul.de vi.* Videatur Leoninus *ad h.t.n.3.* & Lyclama *6.Membran.Eclog.13.* Qua hodiè puniatur pœna raptor, exprimitur in Conſtitutione Carolinâ

6 *art.126.* * Differt à graſſatore, & hîc à latrone, quod latro, ſimul ſit homicida; graſſator ſive prædo, qui vias obſidet & ſpoliat abſque cæde. Unde latrones furca ſuſpenduntur: hodie paſſim afficiuntur rotæ ſupplicio, ut conſpectu deterreantur alij ab iiſdem facinoribus, & ſolatio ſit agnatis interemptorum, eodem loco pœna reddita in quo latrones cædem patrarunt, *l.28.§.pen.ff.de pœnis.* Graſſatores capite puniuntur ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerint, & ſæpiùs in itineribus id admiſerint, *d.l.28.§.10.* Aliàs conatus non punitur hîc ordinaria pœna, quin & illa mitigatur ſi parum ſit ablatum. Peguera *deciſ.40.*

TITULUS XXXIV.

De crimine ſtellionatus.

1. *Criminis hujus deſcriptio, objicitur alio crimine deficiente.*
2. *Quomodo hoc crimen contrahatur.*
3. *Et quæ ejus pœna.*
4. *Quando ceſſet.*
5. *An hoc crimen damnato infamiam irroget?*

Hoc crimen eſt ſpecies delicti extraordinarij, 1 quia ob impoſturam, dolum & machinationem propriè competit. Videturque ſic dictum eſſe à ſtellione varij coloris animali, nam varios homines doloſos, fraudulentos vocamus. Sed generalius accipitur pro omni crimine quod extra ordinem vindicatur. Nam ubicumque nomen & titulus criminis deficit, aut non occurrit, illic ad generalem accuſationem de crimine ſtellionatus confugimus, *l.3.ff.h.t.* Quo fit ut ſtellionatus accuſatio inter crimina publica non habeatur, *l.3.h.t.*

Intenditur autem contra eum qui ſciens rem 2 alienam obligavit, qui vendidit, vel permutavit, vel dedit in ſolutum rem alteri obligatam, vel donatam, ignorante eo qui accipiebat, *l.2.h.t.* vel rem alteri oppignoratam alij denuò obligavit, diſſimulata priore obligatione, *l.1.h.tit.* vel in necem creditoris aliam perſonam ſubjecit, quaſi in pignore anteriorem, *l.ultim.hoc tit.* Item hoc crimen committit qui merces venales ſuppreſſit, vel obligatas avertit, vel corrupit, vel æs pro auro ſubjecit, *l.3.ff.h.t.*

Pœna ſtellionatus nulla legitima eſt, cùm non ſit 3 legitimum crimen, ut rectè extra ordinem puniatur arbitrio Judicis, dummodo pœna non egrediatur opus metalli in plebeis, in his autem qui ſunt in aliquo honore poſiti, ad tempus relegatio, vel ab ordine motio eſt remittenda, *d.l.3.§.in fin.* perjurium ejus qui pignora ſua eſſe juravit exilio temporali punitur, nam & hic in ſtellionatum incidit, *l.fin.ff.h.t.*

Illud ſingulare eſt in hoc crimine, quod oblato 4 omnibus debito, & ſolutione facta, ante litem conteſtatam criminis inſtituendi cauſa perimatur, *l.1.h.t.* cum raptori & furi ad pœnam evitandam non proſit ante judicium, & litem conteſtatam, rem ablatam reſtituere, *l.pen.ff. De vi bonor.rapt.* Denique ceſſat ſtellionatus accuſatio, ſi dolus abſit, aut adverſarius de crimine & fraude participet, *d.l.1.& ult.h.t.*

Digitized by Google

5 Sed quomodo intelligendum, quod dicit Ulpianus damnatum de ſtellionatu infamem non eſſe, *l. 2. ff. h. t.* cum alio loco dixerit eundem infamem eſſe in *l. 13. §. fin. De his qui not. infam.* Cujacius rectè diſtinguit *libr. 10. obſ. cap. 26.* aut inquit ex cauſa famoſa, ſtellionatus crimen deſcendit, aut non famoſâ, ſive quod idem eſt ſi concurrat cum hoc crimine civilis actio famoſa, veluti de dolo, erit etiam crimen famoſum, & eo damnatus infamia notabitur: ſi non famoſa actio concurrat, qualis eſt pignoratitia, non erit crimen famoſum, nec damnatus fiet infamis, cùm talis non fiat niſi ſecuta ſententia, ex eo crimine quod judicij publici cauſam habuit, *l. 7. ff. de publ. jud.* probat & hanc conciliationem Duarenus *lib. 1. diſp. cap. 42.* & Beſoldus eam hoc exemplo confirmat, ſi quis, inquit, rem uni obligatam, alij ſciens pignori obligavit, tenetur contraria pignoratitia actione, quæ non eſt famoſa; contra ſi quis merces, quas mihi debebat ex ſtipulatu, corruperit dolo, & ſic tradiderit, tenetur civili actione de dolo, quæ eſt famoſa. Eritque hoc caſu judicium ſtellionatus famoſum. Plura refert *ad l. 3. pandect. in delibatis ſuis.*

TITULUS XXXV.

De injuriis.

1. *Continuatio, & quomodo injuria committatur, re, vel verbis.*
2. *Præſumitur dictum maledicendi animo, niſi reus probet contrarium.*
3. *Excuſatur furioſus, impubes, non item prodigus. Quid de ebrio, aut vehementer irato?*
4. *An teneatur injuriarum defendendi ſui cauſa quid objiciens?*
5. *An veritas convitij excuſet?*
6. *An fama excuſet eum, qui aliquem uſurarium vocat?*
7. *Præfatio honoris non tollit injuriam.*
8. *Provocatus an injuriam retorquere poſſit?*
9. *Actio injuriarum privata eſt, & per compenſationem tollitur.*
10. *Ubi quis injuriam retorſit, & vindicavit, poſtea injuriarum agere prohibetur.*
11. *Per quas perſonas pati quis dicitur injuriam: factam uxori vindicat maritus, non contra.*
12. *An hæc actio ad cæteros qui de eadem familia ſunt, pertineat?*
13. *Quomodo per ſervum domino fiat injuria.*
14. *Officium Judicis in æſtimatione facienda propter injuriam.*
15. *Quid ſi illata ſit ſacerdoti, & viro in dignitate.*
16. *Quæ ſit pœna injuriæ, quomodo poſſit agi civiliter & criminaliter.*
17. *An per procuratorem criminaliter agere liceat?*
18. *Tollitur injuriarum actio morte actoris, ut non tranſeat ad ejus hæredem, niſi actor deceſſerit pendente lite.*
19. *Item tollitur remiſſione, anni lapſu, an hic annus de utili accipiendus ſit?*
20. *Aboletur injuria diſſimulatione, ſatisfactione, revocatione.*
21. *Plena ſatisfactio, quomodo fiat hodie per amendam honorabilem.*
22. *Actio ad palinodiam an ſit civilis vel criminalis?*
23. *Non aboletur injuria, ſalutatione, reconciliatione, quavis confeſſione facta ſacerdoti.*
24. *Pœnitentia injuriantis non excuſat, niſi calore iracundiæ injuria dicta, & revocata fuerit.*
25. *Injuria ſemel remiſſa non repetitur, ſed ſupereſt actio civilis ad intereſſe & expenſas.*

Non modo legibus coërceri debet is, qui contra jus damnum alicui dat, & aliquid ex ejus patrimonio minuit, verùm etiam is, qui in contumeliam contemptumque alterius quicquam facit, quamvis nullum damnum ei inferat. Unde meritò actio injuriarum comparata eſt, qua hujuſmodi contumelia vindicetur. Nam injuriæ nomine contumelia continetur, & contingit re aut verbis. Hinc alia eſt injuria realis, quæ re ipſa fit, corpus alicujus pulſando, cædendo, percutiendo, attentando pudicitiam, ut nimirum ex pudico quis impudicus fiat. Alia verbalis, qua comprehenditur ea quæ fit ſcripto, ut cùm alicui convicium fit, *l. 5. h. t.* vocando honeſtum, & ingenuum hominem ſervum, *l. 9. h. t.* aut delatorem, cùm nuntiator non ſit, *l. 3. h. t.* aut homicidij convicium objiciendo, *d. l. 5.* aut pudicæ mulieris honorem lædendo, appellando eam ancillam, *l. pen. h. t.* dummodò non inconſultò, ſed injuriandi animo dictum ſit. 1

Etenim hic injuriandi animus ex ipſo dicto vel facto injurioſo, præſumitur. Ideoque injuriam proferenti incumbit probatio, animum maledicendi abfuiſſe, *dict. l. 5. h. tit.* onerat enim eum præſumptio juris, cùm talis quiſque præſumatur, qualis apparet, & præſumitur dolus quoties quid natura turpe, & legibus prohibitum profertur. Si verò vel ex circumſtantiis, vel alia contraria, non tamen ſufficienti probatione de animo infamandi probabiliter dubitetur, reo juramentum purgationis defertur, *l. 5. §. 8. ff. h. t.* Quod ſi verba indifferenter ſint prolata ſuique natura minùs injurioſa, actoris eſt probare animum injuriandi, aliàs abſolvetur reus, *l. 42. 96. 168. ff. de reg. jur.* quæ probatio fiet per conjecturas. *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.* 2

Cum igitur ex animo injuria æſtimetur, ſequitur quod furioſus, amens, impubes, dormiens, utpote incapaces doli, propter defectum animi, injuriam feciſſe 3

Digitized by Google

feciſſe dici nequeant, quæ conſiſtit in affectu facientis, *l.3.§.1.ff.h.t.* Quid de prodigo? Et quia doli capax eſſe, & nolle & velle habere perſpicitur, injuriarum teneri veriùs eſt, *l.111.ff.de reg.jur.* At ſummè ebriam teneri non puto, cùm mentis exilium patiatur, ut non tam ex propoſito, quam impetu delinquat, *l.11. §.2. ff. de pœnis*, niſi ſtudio, & data opera, potu ſe ingurgitaverit, ſciens ſe ebrium effutire in quoslibet injurias, quia talis doloſa procuratio non excuſat à pœna injuriæ. Juſtam nec affectatam iram, excuſationem mereri rationis eſt, cum ſolo tempore à furore diſtet. Quo pertinet quod dicit Paulus non priùs ratum eſſe quod calore iracundiæ fit, vel dicitur, quam ſi perſeverantia apparuerit judicium animi fuiſſe, *l.48.ff.de reg.jur.*

4 Attamen, ſi quis juris ſui conſervandi, & defendendi cauſa, perſeveraverit in objecto vitio, non tenetur injuriarum, cùm executio juris injuriam non habeat, & poſſit hic alius eſſe animus, quam injuriandi, non debet præſumi dolus, quomodo potuit quis in judicio objicere, quod teſtis productus ſit infamis, quod teſtimonij dicendi jus non habeat, quod ſit excommunicatus: habent enim hæc objecta alium finem quam nocendi, videlicet removendi adverſarium, & ejus dicta infirmandi. Cavendum tamen ne affectato juris calore citra probationem & conjecturam iſta vitia objiciantur, quia convenietur injuriarum, objiciens. Fach. *lib.9. contr. c.13.* Plane ſi quis (infamandi cauſa) ſervitutem alicui objecerit, & in hac aſſertione perſeveret, quia non poteſt injuriarum conveniri, antequam pro libertate pronuntiatum ſit, interim qui ſervus, aut ancilla dicitur, proteſtabitur de injuria, petetque ſubſcriptionem ejus qui objecit, ut demum finito judicio, injuriarum agere poſſit, *l. pen. h. t.* Joan. à Sande *lib.5.deciſ.tit.8.def.10.*

5 Quæritur, an veritas convitii excuſet ab injuriarum actione? Diſtinguo: Aut enim animo propoſitoque contumeliæ inferendæ quid objicitur; fortè ab eo qui inconſulto calore in rixam prolapſus eſt; aut crimen objicitur ſine convitio, vindicandæ reipublicæ, aut juris ſui conſervandi gratia. Priori caſu, propter cauſam contumeliæ datur injuriarum actio, quam veritas objecti non tollit, *l.5.h.t.* Etenim inhumanum eſt alienos defectus detegere, ſine aliqua utilitate publica. Poſteriori caſu, quippe ceſſante cauſa, propoſito faciendæ contumeliæ, ſeu injuriæ, hæc actio ceſſat, *l.18.ff. h.t.* quia non eſt ratio ut puniatur is, qui detegit proditionem, cædes & ſimilia, cum ſtudeat commodo publico, & hoc ita quatenus illud intendit qui nocentem infamavit, nam ſi per accidens commodum publicum ſequatur, primariò autem ille intendat privatam vindictam, aut contumeliam, non eum veritas convitij eximet à crimine injuriæ, nec ab ejus punitione, ut habet Conſtitutio Conſtantini *in l.3. C. de off. rect. provinc. & l.2. C. quando & quib. quarta pars lib.10.* Fachinæus *ſup.d.loco 10.* Covar. *lib.1. var. reſol. c.11. n.6.* Gail. *lib.2. obſ. 99.* Coraſ. *lib.6. miſc. c.24.*

Eò pertinet quod immunis non ſit ab hac pœna, 6 qui dixit alicui quod ſit uſurarius, aut illegitimus, quia lex omnem convitiandi libidinem punit, quæ eſt in eo qui crimen detegit, quod detegi parum prodeſt. Cravetta *conſ.145.* Idem conſuluit injuriarum teneri eum, qui objicit alicui crimen poſt reſtitutionem à Principe conceſſam. *conſ.168.* Excuſabit tamen fama publica, non ſolum à calumnia, ſed & à pœna, præſertim ſi is qui crimen objecit, aut alium uſurarium nominavit, à fide dignis ſe id habere alleget, tametſi probare non poſſit. Faber. *in ſuo Cod. ad h.t.defin.5.*

Cæterum non excuſatur à pœna, injuriam infe- 7 rens cum præfatione honoris, quæ contraria facto effectu caret, ſive, ut ait J. C. *in l.12. ff. de acq. hæred.* quod admiſſum contrariam voluntatem declaret. Et verba injurioſa ſatis animum injuriandi demonſtrant, *l.5.h.t.* & injuriam irrogant; quam honoris illa proteſtatio non ſalvat, quippe naturæ actus contraria. Unde conſequitur quod is, qui dicit, *mentiris, ſalvo honore,* injuriarum conveniri poſſit. Gail. *lib.2. obſ. c.101.* & Fachinæus *d. loco. c. 12.* Non ita ille qui modeſtè ſe purgando ab objectis dixerit, *non eſt verum quod ais,* vel *mentiris*, quia abeſt injuriandi animus, ac eum excuſat inconſultus redarguendi calor, vel ruſticitas, quæ etiam in majoribus ſolet excuſare, *l.7.§.4.ff. de juriſd.* quamquam ſi dixerit, *falso aſſeveras*, non videatur eſſe culpa, nec male locutus ſi verum dicat, maximè cùm talis locutio in jure uſurpetur *l. 2. ſupra de diverſ. reſcript.*

At verò dubium non eſt, quin provocato per in- 8 juriam, liceat eandem retorquere: dummodò id faciat in continenti, & modum ſervet, ad exemplum ejus quod ſuprà diximus de ſicariis, quod adverſus armatum liceat armis ſe defendere, *l.3. ff. de juſt. & jur.* Ut idem licere debeat circa verba gravia, quæ honorem lædunt, cùm ejus non minor ſit habenda ratio, quam vitæ. Alij tamen hanc paritatem non admittunt, quia non ut in repellenda vi, ſic in contumelia periculum eſt in mora, implorandi auxilium Judicis. Sed hæc res ita temperari poteſt, ut liceat non aliud crimen reponere, ſed ſibi objectum repellere, quoniam illud ad vindictam, hoc ad defenſionem ſpectat. Fachinæus *d. loco* & Gail. *cap. 100.* ubi dicit provocatum ad eundem modum reſpondentem, honoris ſui defendendi gratia, non habere animum injuriandi, ut meritò injuriarum conveniri non poſſit. *l.3.§.1.ff.h.t.* * Etenim delicta 9 mutuâ compenſatione tolluntur, & per illam actio injuriarum ceſſat: hæc enim non publici judicij, ſed privati continet querelam, *l.7.h.t.* ut facilè ceſ-

 ſet,

Digitized by Google

ſet,etiam cùm laceſſitus paulo acerbior,aut effuſior fuit in retorſione injuriæ, quia temperare non potuit juſtum dolorem; ſic ut tota culpa & dolus ſit penes illum,qui provocavit, & injuriis cauſam dedit *arg.l.52.§.1.ff. ad l. Aquil.* atque ita cùm dixerit quæ voluit, non mirum ſi quæ non vult audiat.

10 Quid ſi allegat ſe priùs injuriis laceſſitum & provocatum fuiſſe? Non ideò magis injuriarum agere poterit, ſufficere enim ei debet, quod ſtatim injuriam retorſerit, ſeque vindicaverit verbis, aut facto. Etenim cùm ſibi ipſi jus dixerit,in eo,quod poterat auctoritate juris implorare,non eſt quod legis aut magiſtratus opem ſentiat. Imò ſi injuriæ,quam irrogavit atrocitas id exigat, condemnari potiùs deberet in expenſas, in quas ſemper condemnandus eſt, quiſquis in lite improba perſeverat. *l.10.& 19. ff. de judic.*

11 Patitur quis injuriam per ſemetipſum, hoc eſt, cùm directò ipſi patrifamil. vel matrifamil. vel patrono fit injuria, *§.patitur Inſt.h.t.* Interdum & liberto fit, cui proinde contra patronum injuriarum actio datur, & multò magis contra ejus hæredem, *l.6.h.t.* quanquam patronum non adſtringat niſi atrox injuria veluti ſi ab eo libertus vulnus acceperit,vel graviter pulſatus fuerit, *l.7.§.2.ff.h.t.* Sed hæres patroni etiam ob injuriam levem conveniri poteſt, Accurſius *in d.l.6.& alij.* Per alias perſonas injuria fit,quando per conſequentiam, fit his, quos in poteſtate quis habet, veluti liberis,item uxori,ac nurui: nam hæ perſonæ injuria affectæ actionem patri,marito,ac ſocero acquirunt,quorum nimirum vel poteſtati,vel affectui ſubjectæ ſunt, *l.18.§.ult.ff. h.t.* Quo fit ut injuriarum actio duplici ex cauſa (id eſt,ob utramque injuriam) marito competat,ſi ejus uxori, & filiæ facta ſit injuria, ipſe enim quaſi propriam pati intelligitur, *l.2.h.tit.* propter individuam illam conjunctionem quæ ex matrimonij ſanctitate contrahitur. Quo fit ut ſi uxor per injuriam in adulterij ſuſpicionem vocetur, poſſit maritus in inſtanti, vel eo ipſo die, parem injuriam objicere, ut notat Faber *in ſuo Cod.ad h.t.definit.3.* Cæterùm viro injuria affecto,uxor injuriarum agere non poterit; defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus æquum eſt, *l.2.ff.eod.* niſi de captivitate,aut incarceratione, aliáve perſonali injuriâ agatur, quæ ad ipſam quoque pertineat uxorem, *l.4.& 5. ſup. de his qui accuſ.poſſ.*

12 Num autem cæteris de familia propinquis, injuriarum agere liceat, dubitatur? Idque ea ratione, quod lex patri & marito tantum agere permittat,& patri non ipſa legis Corneliæ actio, ſed prætoria ſolùm competat, *l.5.§.6.ff.h.t.* Quod ſi tamen tam atrox ſit convicium, ut in totam familiam redundet, non dubitarem aſſerere omnes conjunctos injuriarum agere poſſe, cùm omnium de familia interſit, injuriam ſuis factam proſequi, & objecti convicij ſuſpicionem in judicio purgari, ut obſervat Annæus Rob. *l.4.rer. judic.cap.12.*

Porrò ſervis ipſis nulla injuria fieri intelligitur, 13
cùm ſervus careat capite, & exiſtimatione,quæ per injuriam diminuitur, ſed ipſi domino, ſi nimirum injuria ſit atrox, vel apertè in contumeliam domini directa, *l.8.h.t.* cui & ſoli injuriarum actio competet, eaque etiam petet æſtimationem contumeliæ,& damni quod ſuſtinuit in corpore ſervi. Sed etſi non in contumeliam domini directa ſit injuria, tamen is qui illam fecit, punitur, quia ne quidem ſervis alienis licere injuriam facere reſcripſit Alexander *in l.1.h.t.* Unde qui ſervum alienum contra bonos mores verberat,vel ignorante domino,de eo quæſtionem habet,tenetur injuriarum, *l.15.& 43. ff.h.tit.* Quod ſi ſervo communi facta ſit injuria,omnibus dominis injuriarum actio competit, æſtimatione injuriæ facienda,non pro ea parte qua dominus quiſque eſt, ſed ex dominorum perſona & pro dignitate cujuſque, verbi gratiâ, gravius & pluris æſtimabitur injuria facta nobili,aut ſenatori,quam plebeio,licet ex æquis partibus ſint domini, *d.l.15. §.35.& ſeq.& l.16.ff.h.t.* ubi refellitur ſententia Pedii,qui portiones,quas in ſervo habent domini,ſpectandas eſſe putabat,quaſi ſervo eſſet facta injuria.

Itaque in æſtimatione injuriæ, conſiderabit im- 14
primis Judex qualis ſit injuria, atrox, an levis, quia illa contumelioſior eſt, & ex perſona, tempore,aut re judicari ſolet, *l.7.§.7.& 8.ff.h.t.* atque æſtimatio augeri,ob damnum acceptum, *l.8.eod.* Hinc ſi filio injuria jacta ſit, propter dignitatem quam filius ſuſtinet, major ipſi quam patri injuria facta intelligitur, proinde non eadem æſtimatio facienda, ſed augenda eſt, neque referenda ad tempus quo judicatur, ſed ad id quo injuria facta fuit, *l.21.ff.h.t.* * 15
Sacerdoti quoque dignitatis habitum & ornamenta præferenti,injuria illata quia contumelioſior eſt & gravior, ideò acrius vindicari, eoque nomine pœna augeri poteſt, *l.4.h.t.* Dico ſi habitum deferat, nam ſi laici habitum ſacerdos induat,& in caupona à combibone injuriam patiatur, non atrox, ſed ſimplex illi injuria infertur. Nec enim caupona, ſed templum hujuſcemodi perſonis religioſis commendatum eſſe debet.

Actio ex hoc crimine duplex eſt, alia *civilis*, alia 16
criminalis, utraque pœnalis vindictam perſequens, ut una alteram conſumat, *l.6.ff.h.t.* neque enim idem bis vindicatur. Civili actione concluditur ad certam pecuniæ ſummam,actori applicandam, *§.in ſumma Inſt.h.t.* debet enim injuriam paſſus æſtimare offenſam, ac certam quantitatem exprimere, adjiciendo quod tantam quantitatem ex ſuo patrimonio potiùs vellet perdere,quam injuriam ſuſtinere, atque hanc quantitatem ab actore expreſſam Judex (ut antè dixi) moderabitur pro modo injuriæ. Gomez *tom.3.var.c.6.n.7.* Sin autem criminaliter offen-

Digitized by Google

offenſus accuſet injuriantem,concludet ad pœnam corporalem,quæ eſt extraordinaria, arbitrio Judicis imponenda,*l.fin.ff.h.t.* Damnatum autem ſequitur infamia, ſive magna, ſive minor fuerit injuria, *§.pœna Inſt.h.t.*

17 Proponitur actio civilis etiam per procuratorem, uti aliæ civiles, non etiam criminalis, quam quiſque præſens intentat, exceptis tamen viris illuſtribus, & eorum uxoribus liberiſque, quibus eſt conceſſum per procuratorem agere,ſeque defendere,propter eorum dignitatem,ne facilè aſpergantur infamia,*l.ult.h.t.* quæ vitatur propoſita actione per procuratorem,in quem lata ſententia,non infamat ipſum reum principalem,qui non eſt condemnatus, *l.6.§.2.ff. de his qui not. infamia.* Verùm illud eſt hic ſingulare,quod cùm viri illuſtres per procuratorem litigant,condemnatio in eorum perſonam nominatim fiat, abſque nota infamiæ,quia ipſi judicio non interfuerunt, iiſque abſentibus ſententia feratur. Sin verò ipſi per ſe agant, ſubſcribere ſe debent in crimen,aliaque obſervare,quæ in hujuſmodi cauſis de more obſervantur,*d.l.ult.*

18 Actionem hanc cum quia famoſa, tum quia ad vindictam & pœnam tendit, contingit pluribus modis tolli. I. morte tam actoris, quam rei,adeò ut nec in hæredem detur, nec hæredi competat; cui non ſolet competere actio ex perſona defuncti,niſi familiarem rem reſpiciat, aut lis conteſtata fuerit per defunctum,per quam quaſi contrahitur, *l.13.ff. h.t. l.uni.ſup.ex delict.defunct.* Nam eo caſu litem poterit hæres proſequi, non tantum propter ſumptus litis, ſed etiam ob perſecutionem mulctæ, quæ in vicem ejus quod intereſt infligi ſolet, cum nec pœnæ perſecutio morte finiatur, ubi lis jam eſt conteſtata, *l.26.l.33.l.58.ff.de oblig.& act.* Niſi proponat reus,ſibi remiſſam fuiſſe à moriente injuriam.

19 II. Remiſſione, eaque vel expreſſa, puta pacto etiam nudo,ac nuda voluntate,tranſactione,& jurejurando: vel tacita,per ſilentium & lapſum anni, *l.5.h.t.* Eſt enim prætoria hæc actio, & ideò intra annum à quo injuria illata fuit,agendum eſt injuriarum.Eſt & actio ex lege Cornelia in tribus caſibus, quando quis ſe pulſatum, verberatum, domum ſuam vi introitam eſſe dicit, *l.5.ff.eod.* quæ quia civilis eſt, ideò eſt perpetua. Duarenus *ad h. t. cap. 2.* Contrà Azo putat dictis caſibus injuriarum actionem anni lapſu finiri, per *d.l.5*. quæ non diſtinguit. Atque hunc annum incipere ex die ſcientiæ docet Fachinæus *d. loco c. 8.* & Gail. *2.obſ.c.105.* ex ratione, quod in omnibus actionibus prætoriis temporalibus tempus intelligatur utile,quando non additur continuum eſſe. Sed verius hunc annum eſſe continuum eumque currere à die objecti criminis *per d.l.5.*

20 III. Diſſimulatione tollitur injuria, ſi quis priſtina familiaritate utatur, & ſtatim qui patitur ad animum ſuum non revocaverit, adeò ut non poſſit poſteà injuriam, ut maximè velit recolere. Denique legitima ſatisfactione, compenſatione, quâ ſemel ſopita, injuria non eſt facilè ſuſcitanda. Quo fit ut injuriarum conventus ſi ante ſententiam æſtimationem injuriæ ſolvat, infamiam evitet, neque enim per hoc confitetur, ſed evitare intendit judicium. Gail. *l.2.obſ.103.*

Plena ſatiſfactio fit per recantationem injuriæ, 21
quæ ſi fuerit verbalis, ſolet reus coram judice de plano profiteri ſe non injuriandi animo talia maledicta pronuntiaſſe,& conquerentem in ſua opinione eſſe bonæ famæ & opinionis. Quod ſi acerbior fuerit injuria, honeſtiori viro facta, recantatio injuriarum plerumque fit, cum face ardente, manu comprehenſa rei, nudis pedibus, & induſio corpori advoluto, venia proclamata injuriato, & illa moribus dicitur forma amendæ, ſeu emendationis honorabilis, quæ quia publica hanc injuriarum actionem tollit, *c. ſi illic. 23. q. 4.* Videtur hæc forma repetita ex jure antiquo, quo in levioribus injuriis ſatis erat dicere *nollem dictum, factum.* In gravioribus addebatur *juro te eſſe hac indignum injuria.* Plautus *in Amphytrione,* & Terentius *in Adelph. act. 2. ſcena. 1.*

Actio ad palinodiam an ſit civilis an criminalis, 22
quæritur, nec inutiliter, quia ſi ſit civilis & rei perſecutoria,tunc optimè cum actione injuriarum ad pœnam cumulari poterit: ſin autem criminalis ad vindictam, tunc non æque, ſed tolletur electione alterutrius juxta regulam, quod quoties concurrunt plures actiones ejuſdem rei nomine, una quis experiri debeat, *l. 43. §. 1. ff. de reg. jur.* Cæterùm hanc actionem ad palinodiam civilem eſſe, ex eo patet quod per eam non agatur ad vindictam, ſed ſolam revocationem ſibi petat actor. Accedit quod in actione admittatur procurator: & appellatio concedatur, quæ de conſuetudine in criminalibus non admittitur. Non movet quod per hujuſmodi revocationem, quam palam facit reus, infamiæ labe aſpergatur, & quaſi corpus affligatur, quia non ideò ſequitur actionem eſſe pœnalem, cùm actor non intendat pœnam, ſed perſequatur rem, & honorem, quem à detrectatore,integrè reſtitui petit.Concludo igitur eſſe rei perſecutoriam, nec rectè ſequi omnem actionem quæ infamat eſſe pœnalem,aliàs actio pro ſocio,depoſiti, mandati,tutelæ, eſſent pœnales,quod nemo admittit. Mynſing.189.Gail.*lib.1.obſ.65.*De actione ad palinodiam vide Parlador. *lib.1 rer.quot.c.16.*

Sunt qui volunt injuriam aboleri ſalutatione, & 23
communione convivij, quod non puto, ſi ad animum ante fuerit revocata, aut de facto lis deſuper inſtituta, nam iſta ſalutatio magis fit honeſtatis cauſa, in publico ad evitandum vulgi rumorem. Idem ſentio de reconciliatione,quam non ſequitur affabilis

Digitized by Google

affabilis converſatio, & fovet affectus; nam monet Clarus, cavendum eſſe magis ab amico reconciliato. Planè ſi infirmus confitendo ſacerdoti dixerit ſe injuriam illatam remittere, intelligitur tantùm remiſiſſe odium, non verò ſatisfactionem injuriæ.

24 Panormit. *in c.1. de maleſ.* * Quo fit ut privata pœnitentia injuriantis, neutiquam excuſet, nam licet illa in foro interiori culpam deleat, non tamen in exteriori actionem aufert, quam læſus rectè intentat, cum per pœnitentiam delictum non aboleatur. *arg. l.65. ff. de furtis.* Clarus §. *injuria.* Si tamen quis fateatur ſe iracundiæ calore, verba injurioſa protuliſſe, ſeque pœnitere dicat, ac declaret ſe benè de adverſarii fama ſentire, æquum eſt ut injuriarum judicio eximatur, ad litem uſque conteſtatam, aut ſaltem mitius puniatur, ſi actum ſit criminaliter, *lib.48. ff. de reg. jur.* Faber *in Cod. definit. 9. & 11.*

25 Denique illud prætermittendum non eſt, quod ubi ſemel remiſſa eſt injuria, quamvis non ſit ſatisfactum conditionibus, nunquam amplius poſſit repeti, ne quidem per reſtitutionem in integrum à minore petitam: quia intereſt hominis beneficio affici. Interim tamen ſi quid eo nomine interſit, agendum erit ad intereſſe, & expenſas, quas fortè fecit injuriarum paſſus in curatione vulneris, & ad omne lucrum & intereſſe, quod poterat habere, ſi injuria illata non fuiſſet, quoniam hæc petuntur actione legis Aquiliæ, quæ non pertinet ad contumeliam, quæ remiſſa eſt, ſed ad damnum culpa datum, *l.8. hoc tit. l.15. §.46. ff. eod. & l.5. §.1. ff. ad l. Aquil.* Gomez *d. loco, num. 9.*

TITULUS XXXVI.

De famoſis libellis.

1. *Injuria ſcripto facta cur gravior.*
2. *Qua pœna olim coercebantur facientes & habentes libellos famoſos.*
3. *Quâ hodiè puniendi, & qui libellos famoſos manifeſtant.*
4. *Quid ſi in illis verum crimen detexerint?*
5. *Moribus hodiernis qua pœna puniantur auctores libelli famoſi.*

1 GRavioris injuriæ ſpecies eſt, quæ ſcripto fit; quia diutius in conſpectu hominum perſeverat. Vocis enim facilè obliviſcimur, at littera ſcripta manet, & per manus multorum longè lateque vagatur, & tamdiu ſubſiſtit infamia, quamdiu memoria remanet. * 2 Quamobrem Senatuſconſulto, qui ad infamiam alicujus libellum, carmen, aut hiſtoriam ſcripſit, compoſuit, publicè legit, vel dolo malo fecit, quo quid eorum fieret, etiamſi nomine alterius, vel ſine nomine ediderit, injuriarum nomine tenetur, & ſi condemnatus ſit, qui id fecit inteſtabilis eſſe jubetur, id eſt, neque teſtis eſſe poteſt, neque teſtamentum condere, *l.5. §.9. ff. de injuriis, l.18. §.1. qui teſtam. fac. & l.21. ff. de teſtib.* Quin & quæſtione publica vindicatur hoc crimen, pœna impoſita extraordinaria. Paulus *lib.5. ſent. Tit.4.* etiam in eos, qui libellum deſcribunt, vel cantant, emi curant, ut famam alicujus lædant, *d.l.5. §.10.*

Poſtea ſeveriùs edictum Valentiniani & Valentis 3 ſecutum eſt, quo non tantum auctor qui libellum ſcripſit, verùm & is qui ſcribi curavit, evulgavit, inventum non ſuppreſſit, vel igne conſumpſit, ſed vim illius manifeſtavit, capitali ſententiæ ſubjicitur, quia cum auctorem non prodat, ipſe auctor præſumitur, *l. un. h. tit.* Pœna hujus legis locum habet, etiamſi quis ſponte ſe famoſi libelli auctorem declaraverit, non enim impudentia, & audacia, ſed innocentia excuſat à pœna. Hanc tamen jure pontificio mitiorem ſuſtinet auctor qui palam, & ultrò peccatum ſuum confitetur, *c.2. 5. q.1.* Qui verò inventum famoſum libellum in Eccleſia repoſuit anathematizatur, *c. ſi quis 5. q.1.*

Quid igitur ſi libellus complectatur verum crimen, 4 quod reipublicæ intereſt notum fieri, ut puniatur? Sanè non ideò excuſabitur à pœna, qui crimen hoc detexit, quia debuerat id facere legitimè, id eſt, in judicio comparere, ſe ipſum indicare, inſcribere, atque ore proprio edicere quæ per libellum famoſum proſequenda peſſimo exemplo putavit. Nam qui verum crimen objicit, idque manifeſtè probat, laudem maximam reportat, & præmium meretur, qui verò falſum allegat, tanquam calumniator punitur. At Fachin. *lib.9. contr. cap.11.* motus ſententia Pauli, à pœna eum liberat, qui ſcripto famoſo crimen detexit; quod reipublicæ interſit, & expediat nocentium peccata nota eſſe, *l.18. ff. de injur.* Verùm id licet expediat in atrocioribus delictis, quia tamen levioris criminis notitia ex libello famoſo, nullam utilitatem reipublicæ præſtat, cùm indè nequeat inquiſitio inſtitui, nec velit Imp. ex famoſis libellis lædi alicujus opinionem, etiamſi in manus hominum venerint: non excuſabitur à pœna capitis hujus libelli auctor, niſi crimen quod in eo detexit, legitimè probet (prout dixi) ac ita intelligenda Conſtitutio noſtra, in verbis *fides veri*, ſi nimirum crimen delatum probare poſſit, ſeque non convitii conſilio id dixiſſe, eoque pertinet quod leges paſſim per fidem veri, intelligant fidem intentionis & allegationis, *in l.1. C. quorum bon. l.5. C. de Codicill. l.3. C. de fidejuſſ.*

Quod ad mores attinet, ſingularis & publica 5 etiam hodiè eſt accuſatio libelli famoſi; ſed pœna non ubique capitalis, niſi cum in libello capitale aliquid objicitur perſonæ illuſtriori. Indiſtinctè tamen aſſerit Julius Clarus *l.5. §. fin. q.68. n.15.* de praxi mitiorem pœnam imponi auctori & repertori

Digitized by Google

tori famoſi belli, puta flagellationis, mulctæ pecuniariæ, & ad ſummum relegationis, aut condemnationis ad triremes, quam pœnam repertori quidem decretam dicit Peguera *deciſ.* 77. Si libellum quem corrumpere debebat, aliis publicavit. Quænam in Imperio ſit ſtatuta pœna, videre licet ex Ordinationibus Caroli V. *art.* 110. Hic in Belgio extant diverſa Principum noſtrorum edicta 1. *Maij ann.* 1566. *&* 19. *Febr. an.* 1593. quibus veteris juris pœnas exaſperantes, caverunt ſub pœna patibuli, & confiſcationis bonorum, ne quis libellos famoſos, contumelioſa ſcripta, paſquillos, adverſus religionem, ſalutem publicam, majeſtaten, aut jura regia ſpargat. Zypæus *in not. jur. Belg.*

TITULUS XXXVII.

De Abigeis.

1. *Abigei qui, & in quo diſtinguantur à furibus.*
2. *Abigeatus crimen non eſt publicum, ideo ſine inſcriptione intentatur.*
3. *Pœna hujus criminis quandoque gladius.*
4. *Interdum levius puniuntur abigei. At quid ſi à ſtabulo abigant pecus.*
5. *Quæ pœna ſecundum mores.*

1 ABigei, ab abigendo dicti, propriè ſunt, qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis, vel ſtabulis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur, abigendique ſtudium, quaſi artem exercent, equos de armentis, vel oves de gregibus abducentes. Cæterum ſi quis ovem errantem, vel equum in ſolitudine exiſtentem abducit, non arte abigendi, ſed retinendi, non eſt abigeus, ſed fur potius, *l.* 1. *ff. h.t.* Nam abigeus eſt, qui oves decem, porcos ſaltem quatuor, equum unum, vel bovem unum abigit; Quo fit ut omnis abigeus ſit fur, ſed non omnis fur ſit abigeus. Ex quantitate enim animalium, & ex ſtudio abigendi cognoſcitur, quis tanquam abactor ſit puniendus, an ſicut fur. Et ſi quis ſæpius unum, vel alterum pecus ſurripuit, magis eſt ut abigeus dicatur, *l.* 3. *§.* 2. *ff. h.t.*

2 Hoc crimen publici judicij non eſt, quia furtum magis eſt, ideò & ſine inſcriptione, & cum ea intentari poteſt, prout civiliter vel criminaliter furti agitur, *l. un. hoc. tit.* Etenim ſi ut fur, abactor conveniatur in duplum, vel quadruplum, non opus erit accuſatoris inſcriptione; ſi verò extra ordinem accuſetur, ea obſervatione opus erit, uti & in aliis cum publicis, tum extraordinariis judiciis, *l. ult. ff. de privat. delict.*

3 Abigei duriſſime puniuntur, nam interdum ad gladium damnantur, maxime illi qui ferro utuntur ut pecora abigant. *d. l.* 1. *ff. h.t.* Cujacius *lib.* 13. *obſ.* 10. iſta verba *ad gladium*, interpretatur *ad ludum gladiatorium*, quæ à pœna gladij differt, quoniam ad gladium damnati confeſtim conſumebantur, vel certè intra annum, qui verò ad ludum damnabantur, non utique conſumebantur, ſed poſt quinquennium pileari, & deinde poſt triennium rudem accipere atque ita liberari poterant. Ego puto illa verba accipi debere de pœna gladij ſeu decollationis, quæ duriſſima eſt. Ea tamen non ſemper nec in omni loco puniuntur abigei, ſed (ut Ulpianus *in d. l.* 1. ait) ubi frequentius eſt id genus maleficij, creſcente ſcil. audacia numeroque abigeorum: alioquin & in opus temporarium ſolent damnari. Niſi honeſtiori loco nati ſint qui aut relegantur, aut ordine moventur, *l.* 1. *in pr. & §. pen. ff. h.t.*

Lenius etiam coërcentur qui à ſtabulo abigunt domitum pecus, quam ſi à ſilva, vel paſcuis, *l.* 3. *§.* 1. *ff. hoc tit.* ubi *lenius* legendum, non *plenius*. ut ex Græcorum verſione reponit Cujacius *lib.* 6. *obſ.* 8. eaque ratione, quod durius ſtatuendum ſit in eos, quibus major patet furandi copia, qualis non eſt in ſtabulo. At contrà Alb. Gentilis 1. *lect.* 6. ſeveriùs putat coërcendos eſſe eos, qui à ſtabulo abigunt pecus, quod atrocius id ſit delictum, cui adjuncta eſt violenta irruptio, magiſque domino noxium, cui majori id cura & ſumptibus habitum. Receptatores verò abigeorum Adrianus in decennium extra Italiam relegari juſſit, *d. l.* 3. *§. ult.* 4

Mores noſtri laqueo & ſuſpendio puniunt hanc abactorum licentiam & audaciam, Peguera *deciſ.* 20. Chriſtinæus *ad h. t.* In Belgio eadem pœna in equorum fures ſtatui ſolet, aliorum verò pecorum abactores ſi ea retineant, pro quantitate furti gravius aut mitius corporaliter puniuntur: ſi ſolum pecora abegerint, parti læſæ damnum reſarcire, ac domino loci 140. ſolidos pendere coguntur. Zypæus *in not. jur. Belg. de Abigeis.* 5

TITULUS XXXVIII.

De Nili aggeribus non rumpendis.

1. *Pœna quæ impoſita frangentibus aggeres Nili.*
2. *Cur tam ſeverè puniantur.*
3. *Qua pœna hodie aggerum effractores puniantur.*
4. *Quanta in Belgio aggerum cura.*

CRimen extraordinarium eſt rumpere, & perforare chomata, id eſt, aggeres Nili, in Ægypto, quibus aqua Nilotica coërcetur intra duodecimum cubitum, id eſt, antequam incrementum iſtius fluminis exceſſerit cubitum duodecimum, *l. pen. ff. de extraord. crim.* ſi quis igitur interea fluenta & aggeres diſrumpat, vel rivulos ad ſuum fundum derivarit, & uſurpaverit ſibi aliquod ſpatium, eodem in loco, flammis conſumitur; conſcij & participes deportantur, ſive ſpe ſupplicandi, vel recipiendi dignitatem, 1

nitatem, vel civitatem, vel ſubſtantiam; *l. un. h. t.*
2 * Ratio eſt, quod ea res tendat in grave detrimentum provinciæ, & totius Imperij, ex eo quod cum Nilus ad altitudinem duodecim cubitorum non aſcenderit, certiſſimum ſit ſignum famis in Ægypto, & conſequenter in Imperio, quod quatuor fere anni menſes totum ſuſtentabatur, Ægyptiorum frumento. Unde *Urbis horreum* dicta eſt Ægyptus. Diod. *lib.* 18. *biblioth. c.* 35. Amaya *lib.* 3. *obſ. c.* 4. *n.* 27. ubi plures refert, & illud Taciti *lib.* 12. *annal. Nec nunc infœcunditate laboratur, ſed Africam potius & Ægyptum exercemus, navibus & caſibus vita populi Romani permiſſa eſt.* Non mirum ergo ſi creſcente damni injuria, creſceret & pœna, quæ antea erat extraordinaria, *d. l. pen. ff. de extraord. crim.* modo certa & ſpecialis aſſignata ab Impp. *in l. uni.* ibi *poſthac.*

3 Moribus hodiernis ſolent vivi defodi, ipſo in loco, aliave ultimi ſupplicij pœna plecti, qui ex mera malitia, & vindicandi libidine, aggeres coërcendo flumini objectos, rumpunt, & diſſolvunt, ut iis effractis vicinos agros, campoſque libera exundatio occupet & corrumpat, magno cum privatorum, tũ reipub. diſpendio, Leoninus & Paul. Chriſtinæus ad *h. t. n.* 7. & Damhauder *in praxi rer. crim. cap.* 10.
4 * Regibus noſtris ſumma ſemper fuit hic in Belgio aggerum cura, ideo variis edictis ſanxerunt, ne quis quidquam faciat quod aggeribus noceat, pecora in illos immittat, paſcat, ſentes, tribulos, gramen præſcindat, munimenta rumpat, lapides, ligna, ſepes auferat, frangat, ſub pœna amiſſionis navium, curruum, arbitraria, fuſtigationis, etiam capitis. Zypæus *in Not. jur. Belg. Tit. de aggerib. s.*

TITULUS XXXIX.

De his qui latrones, vel aliis criminibus reos occultaverint.

1. *Receptatores latronum pari cum latronibus pœna afficiuntur.*
2. *Qua pœna puniendi, latronibus refugium dantes?*
3. *Mitigatur pœna, cum quis conjunctos recipit.*
4. *Quid ſi hoſpes domi ſua recipiat facinoroſos?*
5. *Domini eorumque procuratores tenentur latitantes reos deferre Judici.*
6. *Ad capiendos delinquentes licet implorare auxilium ſuperioris Judicis.*
7. *Dominus poſſeſſionis dominio privatur, & procurator in exilium mittitur, qui reum non obtulit monitus.*
8. *Si reus exhibitus ſit innocens, punitur accuſans.*

1 ET hoc quoque extraordinarium crimen eſt, latrones & facinoroſos homines occultare, & celare, quod qui committunt receptatores vocantur, peſſimum hominum genus, ſine quibus nemo latere diu poſſet, quia vero non minus delinquunt, quam ipſi aggreſſores, ideo præcipitur ut pari cum iis ſupplicio puniantur, *l.* 1. *h. t. l.* 1. *ff. eod.* ſi ſciant ſcilicet crimen, quia tunc ejus ſunt participes, & pœna digni. Qui novit furem, inquit J.C. nec indicat, fur quidem non cenſetur, ſed qui celat, hoc ipſo furti tenetur, *l.* 48. §. 1. *ff. de furt.* Et ideo qui res furtivas ſcienter à fure cuſtodiendas ſuſcipiunt, furti pœnali actione, & de ſuſceptis tenentur, *l.* 14. *ſup. de furtis* * Nam hoc natura ſimile eſt 2
facere ſcelus, & id probare celando. Et ideo qui perſonas furum, & aliorum criminum reos celant, & occultant, ut puniantur intereſt reipublicæ, cum in pari ſint culpa, & graviter peccent pecunia accepta, vel ſubreptorum parte, latrones dimittendo, quos poſſent apprehendere, & competenti Judici offerre, *d. l.* 1. & quia non miſericordia humanitatis, ſed ſordes id perſuaſerunt, graviori ſupplicio, corporali ſcilicet, & diſpendio facultatum plectuntur, *l.* 1. *h. t.* ubi tamen Impp. haberi volunt rationem qualitatis perſonæ, nam in omni ſupplicio ſeverius humiliores, quam honeſtiores puniuntur, *l.* 28. §. *ult. ff. de pœnis.*

Illud tamen corporale ſupplicium mitigatur in 3
iis, qui propinquos, & affines occultarunt, non enim par eorum delictũ, quibus ut licet ſanguinem ſuum qualitercumque redimere, ita & ſuorum conſervare: niſi & ipſi criminis participes ſint, ac lucri inde quærendi cauſa, cum graſſatoribus cognatis ſocietatem coierint, *l.* 2. *ff. & l.* 1. *in pr. h. t.* Hinc notandum quomodo ſæpe juri prævaleat natura, nam ſi quid adverſus eam admiſſum eſt, etſi lege defenditur, non laudatur. Si ſit commiſſum adverſus leges, & tamen naturæ & pietati conveniat, non modo veniam, ſed & præmium meretur. Hic ſi non præmium detur, pœna ſaltem moderatur in iis qui ſibi ſanguine conjunctos recipiunt, & à ſupplicio vel carcere eximunt; Interdum & pœna remittitur, quo magis conjuncta eſt perſona, quæ ob ſcelus occultatur.

Excuſantur quoque extranei qui crimini obno- 4
xios hoſpitio recipiunt ignoranter, uti caupones, ſtabularij, quorum officium eſt hoſpites recipere; atque ad id cum cogi poſſint, non tenentur advenientium conditionem explorare. Cęterum ſi ſcienter facinoroſos recipiant hoſpitio, retineantque per dies aliquot & poſtea judici indicent, nihilominus hujus delicti rei fient; Non ob ſolam ſcientiam delicti, ſed ob reticentiam, & ſocietatem quam cum reis contraxerunt. Decianus *in praxi crim. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 73.

Porro non intereſt an domini locorum ſint, an 5
vero procuratores, qui domino abſente recipiunt, & occultant nocentes, nam utroque caſu pœna locum habet. Vult enim Martianus Imp. ut non ſolum domini poſſeſſionis, ſed iis abſentibus, eorum

pro-

Digitized by Google

procuratores receptos reos judici offerant, & ſi eos exhibere diſtulerint, aut non poſſint, tunc ad capiendos reos à Preſide provinciæ omnia civilia dirigantur auxilia, & ſi propter multitudinẽ non ſufficiant, eis militaria adjungantur à Tribuno militum, *l.2.h.t.*

6 * Ex quo docemur quod quoties agitur contra potentes, aut multitudinem reorum, cui inferior magiſtratus par eſſe non poteſt, recurrendum eſſe ad majorem poteſtatem & ipſum Principem, implorandumque militare auxilium, quod hodie vocamus querelam recurſus ad ſuperiorem.

7 Quod ſi autem domini, eorumque procuratores, & coloni, præſentes & ſcientes, reos criminum non obtulerint, vel moniti à judice eos exhibere diſtulerint, ſinantque in poſſeſſionibus ſuis latitare: dominus quidem ſuarum poſſeſſionum dominio privatur, procurator vero in exilium mittitur.

8 At vero ſi poſt exhibitionem eorum qui accuſantur, innocentes eos eſſe, & nihil criminis admiſiſſe patuerit, accuſatores pœnam, quæ in calumniatores decreta eſt, ſubire coguntur. Exemplo enim grave eſt, ſic latronem requirere, ut innocentibus periculum creetur, *l.2. in fin.h.t.*

TITULUS XL.

De Requirendis reis.

1. *Abſentes non damnantur, ſed requiruntur, citantur, & annotantur eorum res, quas comparentes recipiunt.*
2. *Quid ſi intra annum moriatur reus contumax?*
3. *Si intra annum non redierit, bona confiſcantur ſine nota infamia.*
4. *Qui latitat infamia notatur, inventus tranſmittitur, ſecus apud nos.*
5. *De conſuetudine omni tempore admittuntur hæredes ad purgandum innocentiam defuncti.*

1 UT publica judicia legitime peragantur, & condignis pœnis afficiantur rei; oportet eos eſſe præſentes & convictos, nam abſentes accuſari & damnari cauſa inaudita æquitatis ratio non patitur, *l.1.ff.h.t.* Etenim Divus Trajanus reſcripſit ſatius eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare, *l.5. ff. de pœnis.* Quare prius requirendi ſunt rei abſentes, in quem finem edictis evocantur, & annotantur inter reos, ut copiam ſui faciant: & hoc non ut pœna in eos ſtatuatur, ſed ut iis ſit poteſtas ſe purgandi ſi poſſint, *l.1.h.t.* qui ſi intra anni tempus comparentes ſe crimine purgent, res judicis arbitrio annotatas recipient, quæ interea integræ ſignatæque ſunt ſervandæ, *d.l.1* niſi quas alienari fuerit neceſſe, quæve mora feciſſet deteriores, quarum pretium etiam in depoſito manet, *l.fin.ff. h.t.*

2 Quod ſi reverſus quidem fuerit reus, ſed antequam ſe purgaverit, mortuus ſit intra annum, criminis cauſa expirat, & res ejus hæredibus reſtituuntur, *d.l.1.h.t.& l.1.§.fin.ff.eod.* quia extincta perſona delinquentis, extincta quoque eſt pœna, quæ conſtituitur in emendationem hominum, *l.20.ff. de pœnis*; & ſic paſſim in judiciis ſervari ſolet.

3 Si vero intra anni ſpatium non redierit, res ejus fiſco applicantur, nec recuperantur, etiamſi poſtea argumentis evidentibus, & probatione dilucida, innocentiam ſuam purgaverit. Evitat quidem pœnam, qui probat ſe non deliquiſſe, bona tamen non recuperat, ſed apud fiſcum manent, *l.2.h.t.* Addit Cujacius reum manere infamem, niſi à Principe reſtituatur: ſed magis eſt ut integra ſit ejus exiſtimatio, cum tantum dicat lex bona apud fiſcum manere. Quod procedit, quando non expectato anni ſpatio abſens propter contumaciam, de conſuetudine proſcribitur, & condemnatur, quia ſi condemnatus redeat, & velit ſe purgare, debet ipſe probare innocentiam ſuam, quia habet ſententiam ſuper delicto contra ſe, quæ jus facit, donec ipſe probaverit ſe non deliquiſſe. Videatur Jul. Clarus *lib.5.§.fin. q.44. num.6.* quomodo autem id probare debeat, docet. Lud. Carrerius *in ſua prax. crim. §. circa ſecundum.*

4 Hodie moribus Gallorum ſine præfinitione temporis poteſt reus probare, & purgare ſuam innocentiam: Quin & eo defuncto, admittuntur hæredes, propterea quod eorum intereſt famam defuncti non lædi, aut bona proſcribi, in locis ubi confiſcationi locus eſt, Charondas *lib.7. reſp.*181.

5 Porro qui diverſis edictis eſt evocatus, ut perſonaliter compareat, & nihilominus latitat, non tantum patrimonij patitur jacturam ſi cauſa ſit criminalis, ſed & infamiam incurrit: qua tamen non notatur in cauſa pecuniaria, *l.3. h.t.* Ut autem ob delictum commiſſum in reo pœna ſtatuatur in exemplum aliorum, ſolent judices loci delicti, petere ſibi reos tranſmitti à Judicibus loci in quo degunt, qua de re actum *ſupra Tit.3.* Sed apud nos non frequentatur iſta reorum tranſmiſſio, nam puniri hi poſſunt, tam in loco delicti, domicilij, quam ubi apprehenduntur, conformiter edicto Regis noſtri 28. *ann.* 1541. quod omnes officiales ad tranſmittendas invicem informationes obligat.

TITULUS XLI.

De Quæſtionibus.

1. *Continuatio, & quod non decernatur queſtio, niſi crimen ſit capitale, & de illo judici conſtet.*
2. *Tortura non decernitur ubi de crimine legitime conſtat, nec in eum qui convictus eſt.*

3. *De conſuetudine torturæ ſubjicitur de crimine convictus, illud negans.*
4. *Quæ præmittenda priuſquam deveniatur ad torturam, & quæ indicia ſint ſufficientia.*
5. *An unicum indicium ad torturam ſufficiat?*
6. *Illud probandum ad minus per duos teſtes habiles & conſtantes.*
7. *An unius teſtis de viſu depoſitio ſufficiat, ut reus torqueatur?*
8. *Quando immediate de delicto deponere dicatur, & valeat ejus depoſitio, vel non?*
9. *An fama ponat ſufficiens indicium ad torturam?*
10. *Item res reperta in loco perpetrati delicti, & quomodo talis præſumptio elidatur?*
11. *An fuga ſufficiens ponat indicium?*
12. *Quomodo hoc indicium purgari poſſit?*
13. *Quid de eo qui è carcere fugit?*
14. *An ſi reus convictus ſocium criminis nominavit, valeat hoc indicium?*
15. *Et quid ſi plures ſocij unum nominent? & in criminibus exceptis, quid hodie?*
16. *Quid ſi vulneratus ſub mortem cadis auctorem nominaverit, an hoc ſit indicium ſ[illegible]ienum?*
17. *Interdum aſſertio vulnerati reum à ſuſpicione criminis liberat.*
18. *Mandatarij dictum non probat contra mandantem.*
19. *Varia ſunt indicia quæ ſumenda ex perſonis, locis, rebus, & ex converſatione cum ſociis.*
20. *Locus ſuſpectus, inimicitiæ, minæ augent ſuſpicionem criminis: & indicium ponunt ad torturam.*
21. *Illam priuſquam decernat quæ ſunt judici conſideranda?*
22. *Pronunciabit reum torquendum; ſed prius copiam indiciorum communicabit reo.*
23. *Non ſemper illi credat, qui ultro crimen de ſe confitetur.*
24. *Qui confitetur coram incompetente judice, & extra judicium torqueri poteſt, ſi revocaverit confeſſionem ſeriò, & in ſpecie factam.*
25. *De confeſſione in tormentis facta ratificanda.*
26. *Quando & quoties adhibitæ quæſtiones repetendæ ex novis, & ſine novis indiciis.*
27. *Repetitio torturæ quando pendeat ex arbitrio judicis.*
28. *Quis modus in tormentis ſit ſervandus?*
29. *Si reus in tormentis conſtanter crimen negaverit, quæritur an ſit abſolvendus?*
30. *Quid praxis hac in re obſervet?*
31. *Si plures torquendi ſint, quis prius torqueri debeat?*
32. *Torqueri quæ perſonæ poſſint, an poſſint torqueri, minores, ſenes, mulieres gravidæ?*
33. *Qui propter dignitatem prohibentur torqueri, & quæ ſit pœna judicis eos torquentis.*
34. *Milites non torquentur, neque doctores vel advocati, ſecus moribus, quamvis non tam facile.*
35. *De ſervis propriis non habentur quæſtiones, in dominum, ejúſve liberos, aut tutores; exceptis quibuſdam caſibus.*
36. *Servi non temere & indiſcrete ſubjiciuntur quæſtioni, quibus libertas data?*
37. *Servus communis non torquetur in caput domini; ſecus ſervus publicus.*
38. *Servus alienatus, & qui aliter eſſe deſijt, non torquetur adverſus dominum qui fuit, ſecus ſi ipſe dominus damnatus ſit.*
39. *Ubi de facto ſervi quæritur, ipſe torqueri poteſt.*
40. *An torqueatur in pecuniariis cauſis contra dominum?*

Requiſitus reus ſi copiam ſui faciat, & objectum crimen neget, quod tamen ex certis, vel veriſimilibus argumentis colligi poteſt, commiſiſſe; ſolet judex ut veritas criminis eruatur, quæſtiones & tormenta decernere; ſed prius ſumma animicum pietate, tum perpenſo judicio examinabit, an crimen ſuper quo inſtituenda eſt quæſtio, atrox ſit, cui ſcilicet immineat pœna gravior relegatione; nam cum hæc levior ſit, quam tortura, abſurdum eſſet gravius decerni adverſus ambiguam innocentiam, quam decerneretur in crimen convictum: neceſſe igitur eſt, ut quæſtio decernatur, quod reus commiſerit crimen atrox, cui pœna capitalis eſt infligenda, *l.8. ff. h. tit.* Item non ante decerni debet, quam judici conſtiterit de crimine commiſſo, ut ſi dicatur quis interfectus, de cadavere interfecti conſtare debet, ne forte perire volens falſum crimen confiteatur. Clarus *§. fin. q. n.1. & q. 64. num. 3.* exemplum ejuſmodi refert Val. Maxim. *lib.8.c.4* ut recte tradat Menochius non eſſe probabilem confeſſionem rei dicentis ſe occidiſſe, & cadaver in mare projeciſſe, nec ei ſimpliciter eſſe credendum. *De arbitr. r. caſu 269.* 1

Deinde cum res hæc ſit periculoſa, Judex ad tormenta devenire non debet, niſi deſint aliæ probationes, nec alio modo veritas illuminari poſſit, *l. 12. h. t.* Nam ſi aliter de crimine conſtet, quæſtionibus nil opus eſt, cum habito fine, ceſſent media, & fruſtra requiritur certificatio rei jam certæ. Quo fit ut non opus ſit torqueatur is, qui convictus eſt de crimine ſaltem de jure, quod patet *ex l. 16. infra de pœnis* quæ alterutrum deſiderat, vel ut reus ſit crimen confeſſus, vel legitime convictus, alterum igitur ſufficiet ex natura alternativæ. Accedit quod quæſtio ſit tantum inventa in ſubſidium, defectu plenæ probationis, ut ubi eſt plena probatio, non opus ſit ſubſidio quæſtionis, ne hæc adhiberi videatur loco pœnæ, contra reſcriptum Divi Adriani, quod dicit, quæſtionis habendæ cauſa neminem eſſe damnandum, *l. 21. ff. h. t.* & & multis auctoritatibus conſtet non alias ad quæſtionem 2

Digitized by Google

ſtionem eſſe deveniendum, quam ſi veritas inveniri non poſſit, *l.8.9 ff. & d.l.12.h.t.* Atq; hanc ſententiam communem eſſe tradit Jul. Clarus *d. q.64. n.5.* nititur & iſta ratione, quia ſi poſt convictum legitime reum, Judex quæſtionem decerneret, videretur conſtituere probationes factas non eſſe ſuffi-
2 cientes, ſic ut reo perdurante in tormentis & conſtantiſſime crimen negante, abſolutionis ſententja videatur pronuncianda, quaſi enervatis per ejus conſtantiam probationibus, Gomez 3. *var. c.* 13.
3 *n.* 10. * Conſuetudo tamen pene ubique recepta, ſolet convictum de crimine negantem ſubjicere quæſtioni, ad pleniſſimam probationem, ut ipſe ſuo ore confiteatur crimen, & excludatur à remedio appellationis. Imbertus *lib.3. Inſt. for.c.*13. Farinac. *in praxi crim.lib.* 1.*q.*40. & Covar. *pract. qq.c.*23, *n.*5. iſtam conſuetudinem probant.

4 Præterea non oportet ad indagationem veritatis, à tormentis initium ſumere, ſed argumentis primum veri ſimilibus probabilibuſque uti, *l.8.§.1.h.t.* atque illis quaſi preſſus & convictus reus videatur; quia ſi argumenta & indicia deficiant, aut non ſint ſufficientia, tormenta non erunt facile adhibenda; quænam autem ſufficientia ſint multis docet Farin. in ſuo *tract. de ind. & tortur. q.* 37. cum quo & aliis ſentio ſufficere judicia probabilia, veriſimilia & talia quæ Judicem moveant, *l. 3. in pr. h.t.* quæque ſemiplenam probationem faciant, *arg. l.8. §.1.h.t.* aut ſaltem præſumptionem ſufficientem inducant, ut cum indicia diverſa talia ſunt, quorum unum aliud adjuvat, & proxime ad eandem fidem ten-
5 dit. * Quo fit ut plura indicia deſiderentur, quæ conſpirent, ac conjunctim delicti reum arguant, non unicum quantumvis evidens, niſi alia concurrant adminicula, idque probatur *d. §. 1.* & aliis juris locis, *l. 1.§.1. & 4. l.18. §.1. ff. h. t.* quæ de indiciis & argumentis in plurali numero loquuntur, ut ex uno indicio reus torqueri nequeat: maxime cum conſtet torturam eſſe rem fragilem & periculoſam, quæ veritatem interdum fallat.
6 * Atque ideo unumquodque indicium, propter quod quis quæſtioni ſubjici debet, probandum erit duobus teſtibus, *l. 12. ff. de teſtibus.* nam ut ait Pontifex in ore duorum aut trium conſiſtit omne verbum, & Imperator manifeſtè ſanxit, ut unius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ curiæ honore præfulgeat, *l.9. ſup. de teſtib.* Sic ut duo ad minus deponere debeant, & actum iſtum unde colligitur indicium afferere; quos & oportet eſſe habiles, ubi enim majus ſubeſt vitæ, & honoris periculum, ibi cautius advertendum eſt, ne minus idonei teſtes quales ſunt minores, mulieres, aut infames admittantur, etiam plures, quoniam ex pluribus imperfectis non reſultat aliquid validum & perfectum. Gomez 3. *var.cap.*13. *num.* 18. & Farinacius *d. loco quæſt.* 37. *num.* 28. & 33. ubi præter- quam quod teſtes requirat habiles, vult etiam eos eſſe conſtantes, id eſt, deponentes ſuper eodem actu, ut omnino neget audiendos eſſe ſingulares qui ſuper diverſis actibus deponant.

Cæterùm ſi unus teſtis ſummæ atque integræ 7
opinionis, de delicto ipſo, per viſum deponat, ſufficiens erit ejus depoſitio ut reus, tanquam ſuſpectus, torqueatur; quia talis teſtis eſt, omni exceptione major, facitque ſemiplenam probationem, quam ſufficere dixi ad torturam, & tenet Gomez *d. loco n.7.* Menoch. *lib.1. præſump. quæſt.89.* Clarus *§.fin.q.21.* Non tamen quoad condemnationem, quæ non decernitur ex unius teſtimonio, ac ita accipienda *d.l.9.* Nec obſtat *l. 10. ff. h.t.* nam in ea agitur de inſufficiente depoſitione, facta per eum qui erat productus è domo actoris, filius videlicet liberti ejus, quam proinde ſubſecutam quæſtionem, illicite habitam fuiſſe dicit J. C. atque ideo rectè provocatum. * Porro hic teſtis, qui de delicto 8
deponit, non ſatis eſt quod dicat ſe interfuiſſe, cum id committeretur, ſed etiam debet aſſerere ſe vidiſſe, & ſenſu proprio quod geſtum eſt percepiſſe, *l.20.§.9.ff. de teſtam.* Nam cum dixerit teſtimonium de delicto, quod tantum in oculos cadit, ſi rationem reddiderit de alio ſenſu, ejus teſtimonium nullius erit momenti; veluti ſi quis dixerit Titium necaſſe, falſam monetam cudiſſe, adulterium cum Seia commiſiſſe, aut furtum feciſſe, quia audiverit: Debuit enim dicere ſe vidiſſe, idque dilucidè, & conſtanter, deſignando perſonam, locum & tempus, quia ſi hæſitanter deponat, & in iſtis variet, ſuſpecta reddetur ejus depoſitio. Late Maſcardus *De probation. vol. 1. concl.* 59. & citati à Zangero *de quæſt. c.2. n.16. & ſeqq.*

Sed venio ad alia indicia remotiora, quæ non mi- 9
nus duorum teſtium teſtimonio firmantur: Inter quæ primò occurrit fama, quæ cum fallax ſit, originem ducens ex levi cauſa, & ſæpe ab errore, vel malevolentia, quæſtioni locum non faciet. Nec ſi à cognatis, & fide dignis perſonis originem traxerit, Jul. Clarus *in pract.q.21.* ubi addit contra eſſe, ſi cum fama concurrat aliquod adminiculum, aut aliud ſuffragetur indicium plenum; nam famæ indicium valde remotum eſt à delicto. Sunt tamen qui putant illud ſufficere, ſi modo fama vehemens ſit, & ortum habeat à perſonis fide dignis, & probetur teſtibus duobus integræ opinionis: ſitque delictum difficilis probationis, & perſona vilis, quæ ſubjicienda quæſtioni. Menoch. *de præſ. quæſt.89. num.34.* Zangerus *d. loco num.* 80. & ſeqq.

Cæterum non dubito quin ad torturam ſufficiens 10
ſit indicium, ſi res aliqua relicta ſit in loco delicti perpetrati, quæ demonſtretur eſſe accuſati, vel inquiſiti, puta vagina, gladius, calceus, &c. Ex inventione enim harum rerum præſumitur delictum eſſe commiſſum ab eo cujus res ſunt, ut in crimine furti voluit

Digitized by Google

quaſi eo in ſtatu ubi mors imminet, & ob oculos verſatur, non præſumatur mentiri, ſed memor potius eſſe propriæ ſalutis, *l. fin. ſup. ad l. Jul. repet.* Sed huic ſententiæ nec jus, nec conſuetudo ſuffragatur. Etenim ad inquiſitionem, non ad quæſtionem de reo habendam, hoc indicium judicat ſufficiens Ant. Faber *in ſuo Cod. h. t. definit. 26.* & recte, quoniam juris ratio non fert, ut quæſtioni ſubjiciatur reus ob unius teſtimonium, & maxime in propria cauſa, in qua nullus eſt teſtis idoneus. Non urget quod vicinus ſit morti, nam & in tali caſu, non haberi fidem dicto, expreſſum eſt *in l. 3. §. 1. ff. ad Sylanian.* cum quia vulneratus reputatur inimicus, tum quia teſtis non juratus, nullo modo probat nec facit indicium plenum. Quid igitur ſi acceſſerit vulnerati juramentum, ſitque vir integræ fidei & exiſtimationis, & delictum per alios difficulter poſſit probari? Concludit Hypolitus, quem citat Gomez *cap. 13. n. 16.* atteſtationem vulnerati defuncti facere indicium ad torturam: ſed id plane eſt contra regulam, quæ non vult ob difficultatem probationis ut credatur teſti etiam jurato, in propria cauſa; cum ne quidem confeſſio defuncti pro ſe in cauſa civili quid operetur. Menochius verò addit, quod ubi cum ipſa defuncti aſſertione, alia adminicula concurrunt ſimul juncta, indicium faciant ad torturam. *lib. 1. præſ. q. 89. n. 77. & ſeqq.* * Quam
17 vis ex adverſo proſit ad purgationem reo, qui & ſuſpicione & pœna criminis liberatur, ſi à vulnerato in extremis excuſetur, *l. 2. ff. ad Sylan.* ſunt enim leges ad liberandum proniores. Verum ſi reus probetur aliunde noxius, non ei proderit teſtimonium vulnerati, ejuſque remiſſio, hæc enim non procedit in præjudicium publicum; cum remiſſione privata non extinguantur crimina.

18 Prædictis conſequens eſt, non oriri indicium ſufficiens ex dicto mandatarij onerantis mandantem, quod ſcelus ſibi committere mandaſſet, allegat enim propriam turpitudinem, ita ut ei non credatur: niſi tamen ejus dictum aliis adminiculis fulciatur; quibus Judici videbitur ſatis corroborari. Alias enim facile foret, viri probi & innocentis ſalutem & famam in diſcrimen adducere, ex aſſertione cujuſlibet ſceleſti & vilis perſonæ. Quod quia impium & abſurdum, non diſtinguo an mandatarius fuerit executus mandatum, vel non. Clarus *§. fin. q. 21. n. 12.*

19 Sunt & alia indicia apud Hippolitum, Farinacium alioſque Interpretes late declarata, quæ prætermitto, tum ne longior ſim quam res poſtulat, tum quia nulla certa indiciorum regula adferri, aut præſcribi poteſt. Namque eorum moderatio, atque cognitio ex Judicis arbitrio propemodum dependet. *l. 3. §. 1. ff. de teſtib.* Qui proinde recte fecerit, indicia, argumenta, ſigna & præſumptiones, ex perſonis & locis ſuſpectis deſumere, item ex tempore & loco ubi delictum admiſſum, ut ſi tali hora & loco in quo mortuus inventus, viſus ſit is qui accuſatur; fugere ſtricto gladio. Itemque ex cauſa, quantitate, eventu, formare poterit motum animi ſui ad decernendam quæſtionem. Magnam autem æſtimandi facultatem præbebit, anteacta vita, ſtudium, item & converſatio, ſive conſuetudo eorum, quibus is cui adhibendæ erunt quæſtiones quotidie conjungitur. Nam talis quiſque præſumitur, quales ſunt ij quibuſcum in dies converſatur. Certe ut locus ubi delictum commiſſum ſuſpicionem auget, ita etiam interdum minuit.

Suſceptæ autem inimicitiæ & hinc ſecutæ acer- 20
bæ necis, atque mortis comminationes, vehementer commiſſum crimen vel arguunt, vel detegunt. Quamobrem prudentis Judicis erit animadvertere ad comminantis qualitatem, & conditionem, num talis ſoleat minas exequi, nam ex illis ſufficiens ſubſecuto delicto colligi poteſt indicium ad torturam, concurrente alio indicio propinquo, ut ſunt inimicitiæ.

Alioquin ſæpe homines iracundi proferre ſo- 21
lent per lubricum linguæ, gravia verba, ſine propoſito ea exequendi, *l. 7. §. 3 ff. ad l. Jul. maj.* Conſiderabit etiam quo animo prolatæ ſint injuriæ, unde illarum origo, itemque minarum rationem habebit, an ſint abſolutæ, an conditionatæ, an delictum fuerit ſecutum in continenti, an vero ex intervallo, an offenſo ſint plures alij inimici, quam ille qui offendit, an per illum, alij ſe vindicare impune tentaverint.

Poſtquam autem Judex indicia perpenderit, & 22
idonea eſſe exiſtimaverit, interloquendo pronunciabit talem reum torquendum eſſe, ut ſi forte credat reus ſe injuſte torturæ addictum eſſe appellare poſſit, *l. 2. ſup. quorum appell.* Idque propter gravamen, per quod irreparabile damnum in vita & fama illi infertur. Imo antequam judex proferat ſententiam condemnationis torturæ, ſolet ex uſu, ſuſpecto edere capita indiciorum, ut illis viſis, exceptiones aliquæ per illum opponantur, quæ præſumptiones & indicia quibus urgetur elidant, ſi probentur: & tunc ad probandum relevantia, ante torturæ mentionem admittatur, *arg. l. 3. §. 7. ff. de re mil.* Gomez *d. c. 13. num. 21.*

At ſi nihil quod relevet, deducatur, vel ſi nihil 23
probetur, remanentibus indubitatis indiciis ad executionem torturæ judex deveniet, ſi perſonæ conditio patiatur, *l. 8. §. 1. ff. h. t.* Fachin. *lib. 1. contr. c. 29.* Verumtamen illi, qui de ſuo delicto nullis tormentis excarnificatus fatetur, fidem non ſemper Judex adhibebit, ſed prius aliter de delicto, quod fatetur, inquiret. Quo pertinet quod dicit Ulpianus, ſi quis ultro de maleficio fateatur, non ſemper ei fides habenda eſt: nonnunquam enim aut metu tormentorũ, aut alia de cauſa in ſe confitetur. Et extat epiſtola Divorum fratrum, qua continetur liberandũ eum, qui

Digitized by Google

qui in ſe fuerat confeſſus, cujus poſt damnationem de innocentia conſtitiſſet, *l.* 1. §. 27. *ff. h. t.* Inde dicimus non audiri perire volentem, *l.* 6. *ff. de appellat.* & ſatius eſſe relinqui impunitum facinus nocentis, quam innocentem damnare, *l.* 5. *ff. de pœnis.*

24 Quod ſi autem de delicto quidem conſtet, non tamen de perſona delinquentis, nemo dubitat quin confeſſio rei nocere ipſi debeat, præſertim ſi libera & ſpontanea ſit, & omnibus accuſationis indiciis congruat. Clarus *in pract. q.* 55. *&* 65. adeo ut exiſtimet ad condemnationem ordinariam ſufficere. Porro ſi quis non ultro & ſponte, ſed accuſatus & diu perquiſitus de crimine, illud tandem confiteatur; inter pragmaticos conſtat hujuſmodi confeſſionem, etiam extra judicium, & coram incompetente judice factam ſufficere ad torturam, neque audiri reum allegantem eam per errorem factam, niſi de eo doceat. Eſt enim præſumptio juris, quod nemo contra ſe temere confiteatur. Ita ut minus recte ſentiant, qui putant ſufficere revocari confeſſionem, ad evitandam quæſtionem, cum ſic nunquam obeſſet confeſſio propria. Ideo enim ad quæſtiones & tormenta devenitur, quia revocavit accuſatus confeſſionem ſuam, quia ſi in ea permaneat, atque in judicio ratificet, non opus erit quæſtione, cum confeſſio ſeriò prolata, ſufficiat ad condemnationem. Gomez *d. c.* 13. *num.* 8. Clar. *q.* 21. *num.* 31. ſi modo quoque facta ſit in ſpecie, & confeſſus ſit reus ſe tali loco, tempore, talem hominem occidiſſe, aut furtum tale commiſiſſe, exploratumque ſit eum hominem occiſum, vel hoc non aliud eo loco & tempore ſubtractum fuiſſe. Menoch. *d. q.* 89. *n.* 20.

25 At vero quando per tormenta confeſſio extorta eſt, quia minus libera, non ſtatim illa probationem facit, niſi reus ratificet eandem à quæſtione jam remotus. Idque expreſſe apud acta, extra tormenta, eorumque conſpectum, Boërius *deciſ.* 163. *n.* 18. atque illa ratificatio non ſtatim poſt torturam fieri debet, aut exquiri, ſed poſt lapſum ſaltem unius diei, ne metus tormentorum adhuc recens, qui mentem interdum turbat, perſeveret. Clarus *q.* 64. ubi *n.* 40. addit non eſſe deducendum tortum ad illos carceres ubi ſunt alij incarcerati, ne ab iis perſuadeatur ſuam confeſſionem revocare.

26 Quod ſi in judicio omnia revocet, quæ faſſus eſt in quæſtione, repeti debent tormenta, tanquam ex novo confeſſionis judicio, ſicuti ex novis indiciis repeti poteſt tortura. Imo & ſine novis indiciis ſi propter circumſtantias ita arbitratus Judex fuerit, reum denuo ſubjicere poterit torturæ, *juxta legem* 16. *ff. h. t.* quæ ſimpliciter aſſerit, *repeti quæſtionem poſſe.* Cui non adverſatur, quod dicit Paulus *in l.* 18. §. 1. *ff. eod.* reum evidentioribus argumentis oppreſſum repeti in quæſtionem, quia poteſt intelligi de evidentioribus indiciis, quibus jam ab initio gravatus fuit reus, qui forte non ſufficienter tortus, iterum quæſtioni ſubjici poteſt. Idque probat Conſtitutio Caroli V. *art.* 58. *ordin. crim.* Si vero poſt repetitionem negaverit delictum, & ita in tortura ſuum animum corpuſque duraverit, non poterit ultra ternas vices torqueri, niſi nova indicia, eaque non levia, ex bonorum hominum denuntiatione collecta, exoriantur, ne in infinitum procedatur ad tormenta, ſed erit abſolvendus reus. Faber *hic in C. definit.* 5. *&* 21.

Cæterum quia hîc agitur de vita, & fama hominis, deſiderarem ego maturum Judicis judicium, & arbitrium, expenſis circumſtantiis & indiciis urgentibus criminum, ne temere torturæ repetitionem decernat: Hinc melius fecerit, ſi levi tortura primum tentet, num poſſit verum extorquere à reo, poſtquam ſi contemptu tormentorum videat pertinaciam, aut magis indicia colorari, non alienum erit à juſtitia durius iterum reum torquere, juxta præcedentia indicia, ſi urgeant valde: ſi etiam is qui torquendus iterum erit, ea ſit & valetudinis bonæ, & corporis firmitate, ut illum præter conſcientiam quicquam in tormentis acerbius dicturum non ſit veriſimile. Jul. Clar. *in praxi q.* 64. 27

Non tamen quæſtionis modum Judex excedet, ſed morem regionis conſuetum ſervabit, eamque adhibebit moderationem, ut is qui torquetur, vel innocentiæ, vel ſupplicio incolumis eſſe queat, *l.* 7. *ff. h. t.* Nam tormenta adhibenda ſunt, non quanta accuſator poſtulat, ſed ut moderatæ rationis temperamenta deſiderant. *l.* 10. §. 3. *ff. eod.* In interrogatione ipſa judex talem ſe præſtare debet, ut non ſuggerere interrogato, ſed ab eo potius veritatem requirere videatur, *l.* 1. §. 21. *ff. h. t.* Denique plurimum juvabit judicem in hac tormentorum quæſtione abſolvenda, quomodo antea vixerit reus, cujus æſtimationis in civitate ſua ſit, conſiderare, *l.* 10. §. 5. *ff. eod.* 28

Quod ſi nihil confeſſus fuerit is, de quo habita eſt quæſtio, eaque repetita conſtanter crimen negaverit, videtur ſuſpicionem & indicia quibus gravatus erat purgaſſe, & ideo ſentiunt Gomez, Clarus *d. q.* 21. *n.* 36. & alij reum abſolvendum eſſe. Idem ego ſentio abſolvendum eſſe, non ut illi abſolute, ſed ſolum ab inſtantia & obſervatione Judicij. Quia cum res ſit adhuc dubia, an nocens ſit & reus delicti, non poteſt ferri ſententia certa & definitiva. Non movet quod definat res jam eſſe dubia, ex quo indicia purgavit, quia de indiciis quibus gravatus & torturæ ſubjectus fuit ſolum ſe purgavit, non etiam quod innocentiam ſuam plane demonſtraverit, proindeque non poteſt tanquam innocens abſolute abſolvi, ſed manet publica vindicta, ſi convictus aliunde fuerit, novis adinventis indiciis, vel probationibus indubitatis. Joan. à Sande *lib.* 5. *deciſ. tit.* 9. *def.* 14. 29

Quinimo praxis Gallica & aliarum gentium id 30 obſervat,

Digitized by Google

obſervat, ſi reus quæſtioni ſubjectus perſeveret in ſua negatione, ut condemnetur, ac ſi tortus non fuiſſet; & pœnam ſubeat, quæ pro crimine probato debetur. Quoniam non eſt in poteſtate Judicis, veras probationes & urgentia indicia permittere enervari, per negationem in tortura, & ſic liberare reum per indirectum à condigna pœna in detrimentum reipublicæ. Papon tradit hanc opinionẽ probari in Senatu Pariſienſi *lib.24.arreſt.tit.9.art.*1. cujus rei iſta eſt utilitas, ut proclivior reddatur reus ad confitendum vere crimen, ſciens pervicaciam ſuam ſibi non profuturam. Faber *hic in C. definit. 9. & ſeq.*

31 Quo autem ordine ſit quæſtio de pluribus reis habenda, ad Judicis quoque cognitionem pertinet, atque ab illo quæſtionẽ incipiet à quo facilius verum poſſit elicere, *l.1.§.2.ff.h.t.* & ideo ſi permixtim viri & mulieres ejuſdem criminis rei arguantur à tortura mulieris eſt inchoandum, ſi omnes ſint maſculi, ab eo, qui graviore ſuſpicione laborat, & à timidiore & debiliore, quoniam ab illo facilius veritas exprimitur. Et ſi torquendus ſit pater & filius, à filio erit incipiendum in conſpectu patris, quia pro affectu in filium citius fatebitur pater, *arg. l.7. §. ult. ff. quod metus cauſa.* Et hæc intelligi par eſt, de perſonis quæ torqueri poſſunt.

32 Porro omnes jure torqueri poſſunt in caſibus, ubi tormenta recte cum ſufficientibus indiciis ſtatuuntur, & liberi & ſervi, viri & mulieres; neque enim ægre feret mulier ſi torqueatur, quæ venenis ſuis viſcera hominis extinxit, *l.3.§.1.h.t.* Excipiuntur autem alij propter imbecillem ætatem, ut minores 14. annis, *l.10.ff.h.t.* nec tantum jure, ſed etiam generali conſuetudine impuberes non torquentur, licet terreri poſſint, & habena, vel ferula cedi, *l.1.§.33.ff.ad Silanian.* & hoc in cauſa aliena, uti domini, *l.15.§.1. ff.h.t.* In propria cauſa quare minores non debeant ſubjici moderatæ quæſtioni, non eſt ratio, cum ſi crimen poſtulet, poſſint ſupplicio affici, ſi doli ſint capaces, nam alias ut ſenſus deeſt, ita & culpa abeſt, *Inſ.latius de pœn.* Alij propter decrepitam ætatem excuſantur, ut ſenes, qui tormenta tolerare non poſſunt: ignoſcitur inquit J.C. etiam iis, qui ætate defecti ſunt, *l.3.§.7.ff.ad Silanian.* Sic tamen ut leviter & tormento, quod à ſene tolerari poſſit, judici contra eum uti liceat, *arg.l.7.ff.h.t.* quia propter ſenectutem minuitur quidem pœna delicti, ſed non in totum tollitur. Faber *C. h. t. definit. 6.* Item propter partus periculum mulier prægnans non torquetur. Nam, ut ait Ulpianus, ſi pœna mulieris damnatæ differtur quoad pariat, debet & differri quæſtio quamdiu prægnans eſt, *l.3.ff.de pœnu.* Imo de conſuetudine etiam poſt partum editum, intra 40. dies torqueri non ſolet, quia adhuc eſt debilis. Clarus *§.fin.q.64.n.22.& 23.*

33 Alij propter dignitatem prohibentur torqueri, ut Illuſtres, Senatores, viri clariſſimi & perfectiſſimi, vel alia dignitate decorati, & eorum liberi, niſi perſona interjecta infamiæ maculam contraxerit, *l.11. h.t.* nam dignitas avi nepoti ex filio infami ſuſcepto non prodeſt. Decurionibus & filiis eorum idem privilegium datũ eſt, *d.l.11.in fin.* multoque magis iis, de quorum innocentia conſtat, aut principali ſunt honore muniti, quales erant decurionum Principes, qui etiam poſt depoſitum decurionatus munus, propter priſtinam dignitatem immunes ſunt à quæſtionibus. *l. pen. h.t.* & pœnis quas fidiculæ & tormenta conſtituunt, adeo ut capitale futurum ſit judici, ſi in contumeliam ordinis hujuſmodi principales perſonas tormentis ſubjecerit, niſi forte læſæ majeſtatis crimen intendatur, in quo vindicando, non facile vel ætati, vel dignitati parcitur, *l.16.h.t.* plura *infra de decurionib.n.58. & ſeq.*

Milites quoque & qui à militia non ignominioſe dimiſſi ſunt, & eorum liberi, neque tormentis, neq; plebeiorum pœnis ſubjiciuntur, *l.8.h.tit.* & conſequenter Doctores & Advocati; militant namque cauſarum patroni, & iiſdem privilegiis fruuntur, quibus milites, *l.14.ſup.de advocat.diverſ.Jud.* Sed hodie hæc privilegia nobilibus & militibus tributa ceſſant, quia reatus omnem prærogativam excludit, *l.1.ſup.ubi Senatores*; quamvis nõ tam facile nobiles & illuſtres perſonæ tormentis ſubjiciantur, niſi gravitas criminis id exigat, & ſemiplenæ probationes proferantur. Quaſi ſublato per criminis præſumptionem privilegio dignitatis. Faber *in Cod.definit.13.* Jul.Clar. *in pract q.64.n.18.* 34

De ſervis & liberis, plures ſunt hujus Tit. Conſtitutiones, & omnes docent quæſtionem de ſervis contra dominos haberi non oporteri, *l.1.h.t.* & inſolitum eſſe, & grave exemplo audiri ſervos etiam adverſus tutores, vel matrem dominorum ſuorum, niſi tutelæ agatur, *l.2.h.t.* aut de crimine læſæ majeſtatis, adulterij, fraudati cenſus, ſeu tributi fiſcalis, *d.l.1.* de parricidio, aut ſi moveatur controverſia ſuper ſtatu ingenuitatis, ſuppoſiti partus, *l.9.h.t.* aut proponatur falſum eſſe teſtamentum, ſi de hæreditate quæratur, quia iſtis caſibus ad illuminandam veritatem, ſervos hæreditarios etiam per tormenta interrogare permiſſum eſt, *l. 10. & 13. h. t.* ut revelentur res hæreditariæ, quæ occultantur à ſervis, vel de quibus ambigitur; an ſint hæreditariæ nec ne. Sed placet Juſtiniano, ut is qui ex hac cauſa ſervum hæreditarium poſtulat in quæſtionem, prius juret de calumnia, ſe bona fide hoc poſtulare, ad eruendam veritatem, *l. ult. h. t.* Alias tantum abeſt ut ſervus in cauſa domini, vel contra dominum interrogetur, *l. 6. h. t.* ut ne quidem domino volente, & ſervum offerente torqueri poſſit, *l.7.h.t.* cujus ratio eſt, quod cum tot ſint hoſtes, quot ſervi (veteri proverbio) non eſt viſum utile, imo periculoſum, ſalutem dominorum, ſervorum arbitrio committi. 35

Digitized by Google

36 Verùm quamvis prædictis caſibus ſervi ſubjiciantur quæſtioni, id tamen non eſt faciendum indiſcretè, *l.5.h.t.* Sed in ſubſidium, ſi aliis probationibus veritas illuminari non poſſit, *l.12.h.t.* id eſt, ex inopia probationum. Quo fit ut nec cum de vindicanda nece defuncti agitur, temere torqueantur ſervi, qui libertatem ſupremo teſtatoris judicio acceperunt, *d.l.5.* quia fieri poteſt quod tempore quo dominus dicitur occiſus, illi abfuerint, aut quod dominus ſervorum officium purgaverit, *l.1.§.26.& l.2.ff.ad S.C.Sylanian.* iniquum enim eſſet ad pœnam vocari, quos ipſe dominus abſolvit.

37 Cæterum quod dictum eſt de ſervo proprio, id obtinet & in communi ſervo, ne torqueatur adverſus dominum communem, *l.13.h.t.* licet aliud ſit in ſervo municipum, quem non implicat in caput ſingulorum civium torqueri, quia non eſt illorum ſervus, ſed reipublicæ, *l.1.§.7.ff.h.t.* Idemque in ſervo bona fide poſſeſſo procedit, quia & in hoc habet locum prædicta ratio. Dico bona fide, quia ſi injuſtus eſſet poſſeſſionis titulus, non eſſet cauſa impediendi quæſtionem, quod talis non poſſit dici ſervus proprius, vel pro eo habendus, *d.l.1.§.8. & 15.*

38 Ex quibus conſtat ſervum non ſolum pro domino, ſub cujus dominio eſt conſtitutus, ſed nec pro eo cujus antea fuit, interrogari ſeu torqueri poſſe, *l.14.h.t.* ratio ponitur in memoria priſtini domini, quo fit ut etiamſi per condemnationem ſervi, deſierit eſſe dominus, contra eum tamen non eſſe habendam de ſervo quæſtionem Papinianus reſpondit, nec ad rem pertinere, ſi miniſtrum ſe facinoris fuiſſe confiteatur, *l.17.§.ult.ff.h.t.* Ex adverſo tamen ſi ipſe dominus ob crimen damnatus ſit, hoc privilegium perdit; & qui ejus ſervus eſſe deſiit, in caput ejus torqueri poteſt, *d.l.1.§.12.* Et rectè: indignus enim eſt dominus, qui crimen atrox admiſit, ut ejus memoria à ſervo taliter alienato colatur, ut obſervat Cujacius *in recitat. Cod. ad h.t.*

39 Porro quin ſervus de facto ſuo, tam in criminali quam in pecuniaria cauſa, interrogari poſſit non ambigitur: Nec enim obeſſe ei debet qui per ſervum aliquid ſine cautione commodat, aut deponit,
40 *l.15.h.t.* Quo pertinet *l.8.ſup.de teſtib.* * Sed dubitatur an in pecuniaria cauſa, ſervus contra dominum torqueatur? Poſſet videri non magis eum torqueri poſſe, in pecuniaria, quam in criminali cauſa, per *l.1.h.t.* ubi nec ob inopiam probationum ſervi in iſtis cauſis contra dominum dicuntur interrogandi. Contrarium tamen reſponſum *in l.9.ff.h.t.* ſi aliter veritas inveniri non poſſit, in cauſa pecuniaria de ſervis habendam eſſe quæſtionem. Idem reſcriptum eſt *in l.12.h.t.* atque ideo Cujac. *lib.2. obſ. c.33. & lib.20. c.28.* ſic legendum judicat *in d.l.1.* in pecuniariis vero cauſis ſi urgeat magna inopia aliarum probationum ſervos adverſus dominos interrogari per tormenta poſſe: nam ubi hæc adhiberi non poſſunt, neque interrogationes proſunt. Pro affirmativa iſta lectione facit adverſativa, verò, cujus conditio eſt inferre caſum priori contrarium. Ratio iſtius deciſionis eſt, quia ſervus tali in caſu, interrogatur quidem contra dominum, non tamen in caput domini, ſiquidem de ejus capite non agatur, ſed tantum de cauſa pecuniaria, ut nihil triſte contineat in ea ſervum audiri contra dominum. Non obſtat *l.6.h.t.* quæ generaliter prohibet etiam in cauſis pecuniariis ſervos audiri contra dominos, quia reſtringenda ſecundum exceptiones & cauſas jam dictas.

Atque hæc de ſervis, nam liberi homines vocati ad teſtimonium in pecuniaria cauſa, etiamſi res ſit obſcura qua de agitur, nulliſque ſubnixa probationibus, torqueri non poſſunt. Cujac. *in comment. h.t.*

TITULUS XLII.

De Abolitionibus.

1. *Continuatio, & quod accuſator ut evitet pœnam, petere debeat abolitionem.*
2. *Abolitio quid? Duplex, criminis & accuſationis, privata, vel publica.*
3. *Privata à quo concedatur & quam ob cauſam?*
4. *An concedatur reo invito?*
5. *Quando etiam conſentiente utraque parte non concedatur abolitio? Et in quibus criminibus.*
6. *Singulorum criminum petenda eſt abolitio, & quare ab accuſatione non liceat deſiſtere abſque abolitione?*
7. *Effectus hujus abolitionis.*

QUemadmodum rei criminis legitimis afficiun- 1
tur pœnis, ſecundum dicta, ita etiam accuſatores ſi prævaricentur, vel tergiverſentur, id eſt, ſine abolitione deſiſtant, vel calumnientur. Adeo autem verum eſt accuſatores, qui accuſationem deſerunt puniri, ut is qui plura crimina intendit de omnibus, ſi pœnam vitare velit, abolitionem petere
debeat, *l.1.§.7.& l.9.ff.ad Turpil.* * Eſt autem aboli- 2
tio criminis, vel accuſationis abſolutio & remiſſio. Sic duobus modis aboleri, & eximi à reis nomen dicimus, atque duplicem abolitionem, nempe accuſationis, & criminis. Verùm in abolitione criminis quid amplius eſt, quam in abolitione accuſationis, ſiquidem illa, cum crimine accuſationem tollit & pœnam, at hæc ſolum ab accuſatione eximit, & temporali forſan vel perſonali, quæ poſt tempus ab alio repeti poteſt. Utraque abolitio, vel privata ſeu ſpecialis, vel publica ſeu generalis, vel à lege, vel à Principe, vel à Magiſtratu conceſſa. *De privata*, hoc Tit. *De publica*, ſequenti agitur.

Privata abolitio præſente utraque parte (id eſt, accuſa-

Digitized by Google

accuſatore & reo) cauſa cognita, non à Principe, ſed à judice competenti poſtulari debet, veluti ſi dicat accuſator ſe per errorem, vel temeritatem, vel calorem ad accuſandum ſine animo calumniandi proſiliiſſe, ſuas ſuorumve cognatorum defendens injurias, *l.2.h.t.* Sic pater, frater, avunculus, & alij quos verus dolor ad accuſationem impellit, de adulterio, poſſunt ſi velint, abolitione crimen compeſcere, *l.35.ſup.ad l.Jul.de Adult.*

4 Quod ſi autem reus eſt ſub cuſtodia officij, necdum tamen carceres, verbera, catenas, tormenta perpeſſus eſt, poteſt intra dies triginta accuſatori petenti, etiam invito reo, concedi abolitio, quia ejus conceſſio parum lædit cauſam rei, quæ integra eſt: at vero ſi integra non fuerit, ut quia aliquid injuriæ ob accuſationem reus paſſus eſt, non niſi eo conſentiente, abolitio dari permittitur, *l.3.h.t.* uti & cum ſatis diu ſtetit. *l.ult.ff.ad Turpil.*

5 Plerumque etiam neque ex accuſati & accuſantis conſenſu impetrari poteſt abolitio, veluti ſi teſtium productorum corpora ſint verberibus lacerata, aut tormentis vexata, uti nec in caſu quo agitur de violata majeſtate, patria oppugnata, vel prodita, de peculatu admiſſo, ſacramentis deſertis, abolitio conceditur, ob criminum iſtorum immanitatem, in quibus judex non minus accuſatorem ad docenda quæ detulit, quam reum ad purganda quæ negat, urgere debet, *d.l.3.in fin.* Denegatur & illi, qui ad accuſandum pecuniâ eſt inductus, vel à reo corruptus, ut ab accuſatione deſiſteret, *d.l.2.h.t.* uti & manifeſto calumniatori, *l.3.h.tit.* ne malitia & fraus ſit illi impunita.

6 Quod ſi plura crimina idem eidem intulit, ſingulorum debet abolitionem petere, alioquin prout quid admiſerit, ejus nomine pœnam patietur, *l.1.§.9.ff.d.t.* E contrario autem qui adverſus eundem varia crimina intendit, ſi abolitionem petit quorumdam, poſtea illud quod in abolitione non fuit expreſſum, movere & perſequi non impeditur, *l.1.h.tit.* Rectè quidem conſtitutum eſt à criminis accuſatione nõ licere deſiſtere abſq; abolitione, & judicantis deſuper cognitione, cum ne crimina manerent impunita, celebrata de pactione privatorum, tum ne quis temere ad accuſandum proſiliret.

7 Effectus hujus abolitionis eſt, quod idem crimen ab eodem in eundem inſtaurari nequeat, *l.4.in fin.ff.d.t.* niſi ex ſpeciali permiſſu Principis, *l.1.h.t.* Si tamen quis in crimine capitali, quaſi in pecuniaria re obtinuerit abolitionem, ad reſtaurandam cognitionem, non opus eſt auctoritate Principis, ſed Judex eam reſtaurabit, quaſi abolitione ex falſa cauſa impetrata, & niſi delator probaverit, quod propoſuit, non impune feret. *d.l.ult.ff.ad Turpil.*

TITULUS XLIII.

De generali abolitione.

1. *Abolitio generalis quid, & quibus de cauſis concedatur.*
2. *In quo diſtinguitur à privata, & quando abolita accuſatio repeti poſſit?*
3. *Indulgentia reis à Principe ob quas cauſas concedatur, & quis ejus effectus?*
4. *An tollat hodie infamiam?*
5. *Pœnam fiſco debitam remittit, non item intereſſe partis.*
6. *Ante gratiam Principis pacem ab hæredibus defuncti obtinere reum oportet.*
7. *Quid ſi plures hæredes defuncti cum uxore concurrant, aut diſſentiant?*
8. *Qui obtinet indulgentiam criminis, non fatetur crimẽ.*

Publica & generalis abolitio eſt quæ publicè competit, vel ipſo jure ratione feriarum, certo tempore indictarum, vel ex decreto Senatus, quo extra ordinem feriæ indictæ, ob publicam gratulationem, aut lætitiam, aut honorem divinæ domus, aut ob rem proſpere geſtam, victoriamve partam, *leg.8.& 12.ff.ad Turpil.* atque iſtis feriarum diebus, judicia criminum conquieſcunt, & rei ſeviorum criminum reſpirant, & vinculis ſolvuntur, *l.3.ſup.de Epiſcop. aud.* 1

Principaliter hæc abolitio datur reis, & conſequenter accuſatoribus, in quo diſtinguitur à privata, quæ datur accuſatoribus, uti & diſtinguitur in eo, quod detur nemine poſtulante, cum illa detur ad petitionem accuſatoris. Item quod privata faciat reum repeti non poſſe, hæc verò publica ſuſpendat potius accuſationem, quam genus certum remittat delicti, atque ideo finitis feriis, accuſatori permiſſum eſt repetere reum, dummodo intra tempus ſtatutũ id faciat, *leg.1.& 2.h.t.* id eſt, intra triginta dies utiles, *l.10.§.2.ff.d.t.* Impune tamen accuſator omittit repetere crimen, citra metum Turpilliani, *d.l.1.h.t.* eo quod non poſſit videri deſiſtere, qui exemptum reum non defert, *d.l.12.* Refertur tamen abolitio generalis hæc ad accuſationem, jam inſtitutam, non item ad eam quæ poſt abolitionem fit, *l.2.h.t.* 2

Huic abolitioni affinis eſt indulgentia Principis, cum reus commiſſi delicti gratiam petit, quam ſolus hodie Princeps facere poteſt, & crimen omnino abolere: vel propter ipſius rei ætatem, quia minor, aut ſenex, vel propter ejus nobilitatem & antecedentis vitæ integritatem, vel propter ejus inſignem rei militaris diſciplinam & cognitionem, qua urgente occaſione, poſſet reipub. eſſe utilis, eamque tueri. Obſervandum tamen hujus indulgentiæ, ſeu remiſſionis hunc eſſe effectum 3

 quod

Digitized by Google

quod accuſationem impediat, crimen extinguat, *l.2.h.t.* pœnam remittat, non autem infamiam tollat, *l.3.h.t.* niſi nominatim in reſcripto gratiæ Princeps reum, potentiæ, fortunæ famæque priſtinæ reſtituat. Joan. Imbertus, *Inſtit. forenſ. Galliæ lib.3. in*
4 *fin.* * Quæ omnia tamen reponit reſtitutio in integrum, quia reddit ſententiam paſſo priſtinum ſtatum, quem ante ſententiam condemnationis habebat. *l.1. C. de ſent. paſſ.* Hinc apud nos ex communi ſtylo ei qui litteras gratiæ impetravit, etiam famæ fit reſtitutio, ac tantum Principis indulgentia reſtitui ſolet, quantum ſententia adimi poteſt, *l.1.§.fin. Cod. de ſent. paſſ.* & culpa etiam litteris inſerta vetatur reo deinceps objici. Unde juris quidem omnino infamia aufertur, quamvis apud probos gravata maneat exiſtimatio. Bonorum quoque fit reſtitutio, niſi jam illa publicata aut alienata fuerint.

5 Prodeſt itaque hujuſmodi Principis indulgentia reo, quoad pœnam corporalem avertendam, non etiam quoad pœnam vel intereſſe, quod parti læſæ vel offenſæ ratione delicti debetur. Principis enim remiſſio non excludit jus partis. Unde cum non ſolum fiat injuria reipublicæ, ſed etiam parti offenſæ, utrique actio competit, criminalis fiſco ad vindictam, pro gravitate commiſſi delicti: intereſt enim reipublicæ delicta puniri; civilis in factum parti læſæ ad damna & intereſſe ſibi ſarcienda. Id namque privatorum favor, atque vigor publicæ diſciplinæ poſtulat.

6 Eò pertinet quod non ſoleant criminum abolitiones, neque gratiæ facile concedi, niſi præcedente reconciliatione cum parte læſa, factaque ſatisfactione: Adeo ut non ſufficiat hodie pacis pactum cum defuncto eſſe initum, niſi & ejus hæredes id approbaverint: nam hæredes ex ſtatuto, non jure hæreditario condonandi jus conſequuntur. Henr. Kinſchotius *tract. de remiſſ. homicid.* Idémque in Hiſpania obſervari docet Gomez *tom.3. var. reſ. c.3. n.56. & ſeq.*

7 Quod ſi concurrant uxor, & hæredes defuncti, uxorem tam in accuſatione, quam in remiſſione præferendam ſentiunt citati, & verum eſt, ſi ſola hæres mariti ſit, aliàs cum ea, mariti hæredes ſive gradu propiores, ſive extranei inſtituti concurrent, quibus præter intereſſe, etiam cedit pecunia piacularis, quæ ab interfectore ſolvi ſolet, quam in ſolutionem debitorum conferre non tenentur, ut probat Maranta *in ſpeculo p.4. diſt.9. n.138.* Porro ſi in pace ineunda diſſentiant cohæredes, & minor majorem partem audire pertinaciter noluerit, à ſupremo Principe ejuſve ſenatu ad rationabilem modum conſtringi, & ad pacem invitam etiam cogi poſſe humanius eſt. Hac autem pace & reconciliatione inita facilius, ut dixi, impetratur indulgentia Principis, qua obtenta liberatur omnino reus, non oneratur: Non prius tamen confirmantur litteræ gratiæ, quam apparuerit eas ſine ſubreptione eſſe obtentas, & auditus fuerit procurator fiſcalis, reo interim carcerem ſubeunte.

Quomodo autem reus interrogari debeat, videa- 8
tur Ant. Fab. *defin.1. & 3.* ubi addit obtenta legitime gratia à Principe, poſſe reum negare crimen ſi velit; & recte: cum omne crimen omnino extinguatur per indulgentiam Principis, atque in eo maxime differt indulgentia, ab abolitione, quæ judicij diſtantiam tantum perimit.

TITULUS XLIV.

Ut intra certum tempus criminalis quæſtio terminetur.

1. *Olim finiendis cauſis criminalibus anni ſpatium præfinitum, hodie biennium.*
2. *Quando id currere incipiat? & pœna accuſatoris deſiſtentis.*
3. *Judicis officium in cognitione cauſæ, & eam differendo quomodo puniatur?*
4. *Moribus hodiernis nullum certum tempus præſcriptum eſt finiendis cauſis.*

ABolitione non impetrata accuſatio & cauſa 1
criminalis inſtituta, intra anni ſpatium finienda erat, ut inſinuat *l.2.h.t.C.Theod. & l.7.ff. de munerib. & honor.* ſed Juſtinianus hunc annum prorogavit ad biennium, cum nulla unquam de morte hominis cunctatio longa ſit, *l.ult. h.t.* Ideoque Tribonianus hunc titulum & legem 1. & 2. & *l. ubi falſi 22. ſup. de falſis, & l.15.§.pen.ff. ad S.C. Turpil.* immutatis verbis traduxit ad ſententiam Juſtiniani.

Biennium hoc currere incipit poſt litem conte- 2
ſtatam contra præſentem, aut cum judicium movetur contra abſentem à tempore ex quo lis habetur pro conteſtata. Salyc. *hic in l.1.* & currit abſque intermiſſione, nec ullo modo extendi, aut prorogari poteſt, ita ut poſt biennium elapſum reus abſolvatur, & accuſator ſi intra hoc tempus accuſationem cœptam perſequi ſuperſederit, & multo magis ſi ultima die adeſſe neglexerit, mulctetur amiſſione quartæ partis bonorum, manente infamia: & ſi tam vilis ſit perſona cui damnum famæ non ſit injuria, pœnam exilij patitur, niſi forte intra ſtatuti temporis metas conſenſu partium abolitionem popoſcerit, *l.2.h.t.* Sic tenetur quaſi inciderit in S.C. Turpillianum, licet non vere, quippe qui ex ſola mora & negligentia punitur.

Judicis autem ea debet eſſe diligentia, ut ſi nulla 3
rationabilis à reo, vel accuſatore dilatio poſtuletur, urgeat talium cauſarum notionem, neceſſariis utrique parti (ſi petantur) dilationibus non negatis, & præcedentibus inſcriptionibus, atque hujuſ-

modi

Digitized by Google

modi cauſis celerem finem imponet, *d.l.2.* Adeo ut etiam Judex, qui litigatoribus admonentibus introductionem, vel examinationem diſtulerit, pœna vicenarum librarum auri mulctetur, *l.ult.h.t.*

4 Cæterùm hanc temporis præſcriptionem in exercendis judiciis, corruptum hoc ſeculum non ſervat: niſi quod nonnulli mores inſtantiæ interitum admittant, quem facile reſtaurant Judices, à quorum fere arbitrio, itemque litigantium eſt, quanto tempore cauſas prorogent, immemores plane jurisjurandi adverſus calumniam præſtiti, unde tandem ſumptuum & moleſtiæ pertæſi tenuiores juri ſuo plerumque cum lachrimis cedere coguntur, cujus gravaminis culpam etſi in Judices rejiciat, non immerito Juſtinianus, quibus invitis nemo poſſet diu cauſam prorogare, *l.13.ſup. de Judiciis*, plurimum tamen culpandi ſunt, ignavi procuratores, qui tam ſurſum, quam deorſum ita circumvolvunt & offuſcant lites, ut Judices plane ſtatum rei percipere non poſſint.

TITULUS XLV.

Ad S. C. Turpillianum.

1. *Prævaricatores qui, & unde dicti?*
2. *Qui tergiverſatores, & quinam incidant in hoc Senatusconſultum.*
3. *Mulier & qui pecunia corruptus, ſine abolitione deſiſtit, tenetur S. C. ſecus ſi mulier temere accuſet?*
4. *Quibus pœnis deſiſtens afficiatur.*

1 Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur, aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiverſantur. De Calumniatoribus tit. prox. dicemus *Prævaricatores* ſunt, qui cum reo accuſato colludunt, proprias probationes diſſimulantes, falſas rei excuſationes admittentes, *l.1.§.1.ff.h.t.* quamvis & ita impropriè vocentur advocati & procuratores qui clientum ſuorum jura adverſariis produnt, *l.212.ff.de Verb.Sign.* vocati vere ſunt prævaricatores à varicando, quod nihil aliud eſt quam in diverſam partem ire: varices, inquit Alciatus, noxiæ venulæ ſunt in cruribus, quæ propter atram bilem inſurgunt, quibus qui laborant recte ire nequeunt; ſic & hi cum ex parte veri accuſatoris, in partes defenſoris deflectunt, quod faciunt cum falſas exceptiones admittunt, & juſtitiam cauſæ ſuæ deſerunt, non recte ire dicuntur.

2 *Tergiverſatores* autem ſunt, qui ab accuſatione publica deſiſtunt, antequam reum peregerint. Diſtinguendum hic tamen ratione pœnæ. Nam illi qui poſtquam in crimen ſe ſubſcripſerunt, & fidejuſſores de exercenda lite dederunt, eo qui accuſatur in cuſtodia retento, non impetrata abolitione, accuſationem deſerunt, incidunt in pœnam Senatus Conſ. Turpilliani, *l.1.h.t.* non item illi, qui intra præſcriptum biennij tempus, pergere in lite neglexerunt, quia illi magis accuſationem differre, quam deſerere videntur: niſi animum implendæ accuſationis prorſus deſeruerint, *in l.ult.h.t.* Illis enim in judicio præſcriptio deſtitutæ rei poterit opponi, *l.4.h.t.*

Plane mulier ſuam ſuorumve injuriam proſe- 3
quens ſi ſine abolitione deſiſtat, in S C. incidit *l.5.h.t.* turpiter enim illa agit, & quicumque pactionem init cum adverſario, accepta pecunia, de deſerendo accuſationem in crimine non capitali, *l.2. ſup. de abolit.* Cum tamen alias mulier non ſit obnoxia S.C. ſive agat cauſam alienam, cum temere ſe immiſceat ſive ſuam ſuorumque injuriam proſequatur, quia non cogitur ſe in crimen ſubſcribere, nec tenetur de calumnia, neque ſi deſiſtat non petita abolitione punitur, *l.4.& 15.§.2.ff.h.t.*

Pœna S.C. Turpilliani prævaricatori ſtatuitur ar- 4
bitrio cognoſcentis, quam & infamia comitatur, *l.2.h.t.* tergiverſatori etiam cum infamia quinque librarum auri mulcta imponitur cogenda in fiſcum, *l.3.ff. de procurator.* quæ tamen poteſt augeri, *l.5.ff. de pœnis.* Item repellitur ab accuſatione is qui ſemel deſtitit, *l.3.& 4.h.t.* Quamquam hæc pœna procedere videatur in deſiſtente à mota publica accuſatione, non item privata cauſa, talis enim magis eſt ut extra ordinem pro qualitate admiſſi coërceatur. *l.3.ff.h.t.*

TITULUS XLVI.

De Calumniatoribus.

1. *Calumniatores qui.*
2. *Non utique tales ſunt qui non probant, quod intendunt.*
3. *Præſumpta calumnia non ſufficit ad condemnationem.*
4. *Caſus excuſantes à pœna calumniæ.*
5. *Quæ fuerit pœna calumniatoris olim, & quæ hodie.*
6. *In privatis cauſis pœna calumniatoris alia eſt, quam publicis criminibus.*
7. *Per calumniam accuſantibus non prodeſt indulgentia Principis.*
8. *Punienda eſt accuſatoris calumnia eo tempore, quo fertur abſolutoria ſententia, non poſtea.*
9. *Condemnandus quoque eſt in expenſas litis reo.*

Calumniatores generaliter appellantur omnes 1
hi, qui moras & fruſtrationes fraudulentas litium nectunt, qui in termino accuſationi proſequendæ ſtatuto, non adſunt, qui in quacumque cauſa litibus per fraudem alios vexant, quique de re minima litem criminalem exordiuntur, exemplo Athenienſium qui hujuſmodi homines ſycophantas vocabant, quales hodie plurimi advocati, qui orationis fuco peſſimas cauſas defendere, optimas

2 ingenij calumniâ ludificari ſolent. * Hoc loco propriè dicuntur qui dolo & fraude falſa crimina alteri in judicio intendunt, *l. pen. h. t.* non enim protinus calumniator eſt, qui non probat quod intendit, *l. 3. h. t.* nam inquiſitioni judicis committitur, ut videat qua mente ductus accuſator proceſſit ad accuſationem, & ſi quidem juſtum ejus errorem repererit, abſolvit eum, ſi vero in evidenti calumnia cum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. Quod pronuntiationis verbis manifeſtatur, nam ſi Judex ita pronuntiaverit, *Non probaſti*, pepercit ei: ſin autem pronuntiaverit, *Calumniatus es*, condemnavit eum. Et quamvis nihil de pœna ſubjecerit, tamen legis poteſtas adverſus eum exercebitur, *l. 1. §. 3. & 4. ff. ad S.C. Turpillian.*

3 Ex quo ſequitur quod præſumpta calumnia non ſufficiat ad condemnationem accuſatoris, ſed, ut dixi, conſtare debet de doloſo calumniandi animo. Igitur ſi accuſator veriſimilibus indiciis ad accuſandum proceſſerit, à columniæ pœna liberatur, etiam ſi deficiat in probatione, *d. l. 3.* ubi Leoninus *num. 3.*

4 Similiter abſque calumniæ metu, proſequitur mater filij ſui necem, quia non præſumitur temere procedere, *l. 2. h. t.* & filius, paternam necem vindicat. *l. 4. eod.* Item extraneus hæres ſuſpicionem, quam de morte ſua habuiſſe defunctus cavit, ſine metu calumniæ exequitur, etiam ſi crimen non probet, cum inter voluntariam accuſationem, & officij neceſſitatem hæredis multum interſit. *d. l. 1. in fin.* Qua ratione tutorem, curatorem, & fiſcum excuſat à præſumptione doli, officij neceſſitas, proximiores obſequij ratio, & vinculi pietatiſque neceſſitudo. DD. *ad d. l. 2.* & Jul. Clarus *§. fin. q. 62. n. 4. 5. 6.*

5 Verum ne alij non exempti facile ad accuſandum proſiliant, & calumniatorum audacia compeſcatur, variæ pœnæ cum olim L. Memmia (quam Marcellus Rhemmiam vocat, *l. 1. §. 2. ff. ad Turpill.*) tum hodie ex more regionum conſtitutæ ſunt calumniatoribus. De utraque iſta lege Cicero pro Roſcio Amerino, *Ita quæſtus te cupidum eſſe oportebat, ut horum exiſtimationem & legem Rhemmiam putares, aliquid valere oportere, non Memmiam, ſed Rhemmiam de calumniatoribus, quoniam ea pars orationis eſt de calumnia.* Hinc exiſtimo ex lege Rhemmia obſervatum fuiſſe, ut calumniatoris fronti inuratur littera K. qua veteres ſcribebant Calumniatoris nomen, eumque calumniatum eſſe indicabant, quodque colligitur ex *l. 13. ff. de teſtib.* ubi viro integræ, non inſcriptæ frontis dicitur habenda fides. Poſtea Conſtantinus prohibuit faciem, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata, maculari, *l. 17. infra de pœnis.* Fuit & olim pœna pecuniaria, ut colligere eſt ex *§. hæc autem Inſt. de pœna temere litig.* quæ in civilibus tantum obtinuit, una cum infamia. In publicis vero judiciis pœna calumniatoris eſt, ſimilitudo ſupplicij, *l. ult. h. t.* ſeu pœna talionis, ad quam accuſator ſe in crimen initio accuſationis inſcribit, *l. 7. h. t.* Verum & ſolemnis inſcriptio, & talio extra uſum ſunt, & arbitrio judicis plerumque fit condemnatio, ne propter talionis metum abſterreantur accuſatores, qui tamen ne impune ferant licentiam mentiendi, notantur infamia, *l. 3. h. t.* quam non effugiet is, qui alienam accuſationem perſecutus eſt ut ſuam cauſam. *l. 8. h. t.*

Quod intellige procedere quoties agitur de publicorum judiciorum quæſtionibus, nam in privatis 6 & extraordinariis criminibus, & cauſis liberalibus calumnioſi coërcentur extra ordinem officio judicis, pro qualitate admiſſi, ſine periculo infamiæ. *l. 5. h. t. & l. 3. ff. ad Turpil.* Major enim eſt culpa calumniatoris in gravioribus criminibus, ideoque graviori pœna afficiuntur, qui innocentes impetunt & ſubvertere conantur: monentque Impp. Valent. & Theodoſ. ſingulos univerſoſque debere cognoſcere, non licere in eo quod non poſſit oſtendi, judicum animos commoveri, *d. l. 8. in fin.* * Nam ut ſub- 7
jiciunt iidem Imperatores, fallaciter incuſantibus nullius juris color, veluti derivata excuſatione, proficit, non publica quidem abolitio, non privata, non ſpecialis indulgentia, nec beneficium quidem generale eos ſubducit à pœna calumniæ *l. pen. h. t.* Imo etiam ſi ſervum alienum per calumniam accuſaverint, & quæſtioni ſubjici fecerint, domino duplum ſolvere tenentur. *l. 6. h. tit.* quia non licuit in præjudicium domini illius ſervum reddere deteriorem. Paulus *5. Sent. tit. 16. §. 3.*

Solent autem judices, eo tempore quo de cauſa 8
principali præſente accuſatore cognoſcunt, & pro reo abſolutoriam ſententiam proferunt, calumniam accuſatoris punire, in eodem judicio abſque nova inſtantia, *l. 1. h. t.* atque ad id contendere quoque debet accuſatus, quia finito judicio calumniam in eo commiſſam, contra juris rationem puniri deſiderat, functus enim fuit judex officio ſuo pronuntiatione ſententiæ.

Etenim in ipſa pronuntiatione, poteſt Judex 9
condemnare accuſatorem, qui non obtinuit, in expenſas litis reo, *juxta l. 76. ff. de judiciis, & l. 13. §. 6. C. eod. tit.* ubi dicitur temerarium litigatorem condemnatione expenſarum mulctari, non tantum in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus. Covarr. *pract. qq. c. 27. n. 2.* Contra ſentit Fachinæus *lib. 1. contr. cap. 42.* ſed minus recte, cum æquitas velit, ut is damnum & ſumptus præſtet, qui eis cauſam dedit. Et abſurdum eſſet magis excuſari, qui temere alterius famam & vitam appetiviſſet, quam qui per errorem quaſi jus ſuum perſecutus eſſet.

TITU-

TITULUS XLVII.

De Pœnis.

1. *Cur inventa pœna. Capitalis non fuit primis temporibus in uſu,ſed aquæ & ignis interdictio.*
2. *De pœna capitali ad beſtias,ad furcas,ad crucem abrogata.*
3. *Quæ hodie in locum antiquarum pœnarum ſucceſſerint.*
4. *Damnatio in metallum, in opus metalli, in opus publicum perpetuum,deportatio,ſervitus pœnæ,ſed hodie nemo ſupplicio capitali damnatus ſit ſervus.*
5. *Deportationi ſimilis eſt hodie damnatio ad triremes. Quæ & à Romanis uſurpata.*
6. *Pœnæ quæ ad exiſtimationem, & famam pertinent. Relegatio quomodo differat à deportatione.*
7. *Exulum ante tempus in provinciam redeuntium pœna & cuſtodis reum dimittentis.*
8. *Procurator Cæſaris non habet jus relegandi; nec Præſes provinciæ deportandi.*
9. *Finito relegationis tempore dimittendi ſunt rei, ſi in carcere detineantur damnati.*
10. *Priſtino addici prohibitum, & carcere includi perpetuo niſi rei ſint ſervi & inedia necari.*
11. *Hodie pœnæ loco eſt carcer & ſimilis pœnæ in metallum, quæ & in liberos cadit,non tamen eorum frontes ſtigmate notantur.*
12. *Decuriones vel filij eorum nec in metallum damnari, neque beſtiis ſubjici queunt.*
13. *Neque filiæ decurionum. Mulieris damnatæ filius, ſi ante condemnationem conceptus ſit, ſequitur matris conditionem.*
14. *Nulla eſt diſtinctio perſonarum in crimine læſæ Majeſtatis, aut proditionis, juvando & inſtruendo hoſtes reipubl.*
15. *Crimen ab impubere doli capace quatenus puniendum.*
16. *Pœnæ à legibus nominatim delictis ſunt impoſitæ, neque pendent à mero Judicis arbitrio.*
17. *Unde non poteſt Judex pœnam augere vel minuere.*
18. *Hodie pœnæ quatenus ſunt arbitrariæ, remittuntur ex circumſtantiis cauſæ concurrentibus.*
19. *Prohibetur utriuſque manus abſciſſio. Quid ſi ſtatutum irroget manus amputationem an intelligendum ſit de ſiniſtra, vel arida? Quid ſi tantum habeat unam manum,commutanda erit pœna.*
20. *Forenſis delinquens punitur pœna ſtatuta in loco ubi convenitur.*
21. *An arbitrium Judicis poſſit extendi ad pœnam capitalem?*
22. *Quæ probatio ad pœnam exigatur,& an poſſit inferri ex præſumptione.*
23. *Praxis hac in re, & quando pœnitentia faciat remitti pœnam.*
24. *Judex non excedit modum ſuæ juriſdictionis, nec ſententia lata pœnam mutat, ſolus Princeps id poteſt.*
25. *Honeſtioribus & aliis ob cauſam artificij aut aliam pœna remittitur, etiam ab inferiore Judice ante ſententiam.*
26. *Acceleranda ſententia,nec differenda pœna,ſed ſtatim executioni mandanda.*
27. *Supplicium juſſu Principis dictum, debet ſuſpendi per dies triginta. Cavendum ab ira.*
28. *Pœna ſupplicij quibus caſibus commutetur, ſuſpendatur & aboleatur.*
29. *Quis ſit finis pœnarum.*
30. *Exponitur regula quod pœnæ tenere debeant ſuos auctores,& additur exceptio.*

QUamquam nullo ſeculo, inventus ſit qui inficias iret,delicta ne nimium ſerperent,oportere coërceri, ut quos virtutis amor non invitaret ad benefaciendum, eos ſaltem metus pœnarum abſterreret à delinquendo, verumtamen priſcis temporibus mortem ob delictum inferri non fuit receptum,tum quod nefas videbatur,quamvis malos, homines ſupplicio capitis afficere, tum quod, ut apud Salluſtium ait Cæſar,in luctu & miſeriis,mors ærumnarum requies,non cruciatus putabatur, tum denique quod civium libertatem, non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ut Livius gloriatur, ſed lenitate legum munitam eſſe voluerunt. Itaque maximam pœnam exiſtimabant interdictionem aquæ & ignis, cum enim iſtorum elementorum uſu, in hac vita nemo carere poſſit, perinde habebatur ac ſi eſſet is, qui eam ſententiam excepiſſet, morte mulctatus. De hac pœna meminit Tacitus *lib. 3. annal.* & Cicero *in epiſt. ad Brutum*, & Imperatores *in l. 1. de divortiis, & l. 24. C. de donat. inter vir. & uxor.* At creſcente hominum malitia, & cum intelligerent prudentes, maximam peccandi illecebram eſſe impunitatis ſpem, cumque introduceretur ſupplicium mortis, cœperunt ſic diſtingui pœnarum genera & gradus. 1

Primus gradus continet pœnas capitales, quibus nimirum homo necatur, atque in ipſis capitalibus aliqua differentia invenitur; nam una eſt gravior altera, graviſſima pœna eſt ad beſtias, ad furcas,ad crucem damnatio, *l. 28. ff. h. t.* Ad beſtias,ut cum illis rei depugnarent, aut inermes beſtiis objicerentur, aut palo affixi, iis devorandi darentur. Ad furcas, ut cum nudi hominis cervix furcæ inſerebatur, & ad mortem uſque flagellis cædebatur, quod quia durum, ſublatum fuit poſtea hoc ſupplicij genus, *l. 8. §. 3. ff. h. t.* uti & crucis ſupplicium,quod homine libero, quamvis nocente, videretur indignum. Unde non niſi ſervi cruce affigebantur. Paul. *lib. 5. Sent. tit. 21.* omiſſum deinde hoc ſupplicium juſſu Conſtantini Imp. ob reverentiam dominicæ paſſionis, de quo genere ſupplicij, 2

Covarr.

Digitized by Google

Covar. *l.4.var.reſ.c.5.* & Juſtus Lipſius *in ſuo libello,* 3 *de cruce.* * Succeſſerunt in locum iſtarum pœnarum aliæ, etiam hodie uſitatæ, vivi crematio, ſuſpendium, capitis amputatio, membrorum in rota confractio; ſed hac pœna, & ſimili, quæ nimio cruciatu reum in ſalutis æternæ periculum adducere poſſet, rarius uti expedit. At cum mortis tam varia extent genera, in dubio intelligitur, ut gladio in damnatum animadvertatur, *dict.l.8.* ubi inquit Ulpianus, animadverti gladio oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſte, vel quo alio modo. Niſi hoſtes ſint, item transfugæ, qui ea pœna afficiuntur, ut vivi exurantur.

4 Secundus gradus habet pœnas quaſi capitales, & ad mortem maximè accedentes, quales ſunt damnatio in metallum, vel in opus metalli, deportatio in inſulam, coërcitio in opus publicum, quam quidem pœnam operis publici, multi hodie probant. Inter eos autem qui in metallum, & eos qui in opus metalli damnabantur, differentia erat, quod in metallum damnati, gravioribus vinculis premebantur, qui in opus metalli, levioribus continerentur, *d.l.8.§.4.* Deportatio in locum indictionis aquæ & ignis ſucceſſit, ſic *deportata mulier l.5. de bonis damn. & l.2.§.1.ff. eod.* dicta quaſi portatio de eo jure, quod quis in civitate habuit, in exilium perpetuum, annotata illi provincia ubi manendum ſit: ſimilis illi qui in opus publicum perpetuumque damnatus eſt, quia uterque jura civitatis perdit, *l.1.h.t.* ſalva libertate, quam tamen damnatus in metallum amittit, & ſervus pœnæ efficitur, *l.36.ff.h.t.*

Sed Juſtinianus noviſſimè ſanxit ne quiſquam bene natus, id eſt ingenuus, ex hujuſmodi ſupplicio fieret ſervus, *Nov.22.c.8.* Licet enim ibi de pœna metalli tractet, utrum ea conjugium diſſolvat, hujus tamen occaſionis ſtatuit legem generalem, qua veteres leges corrigit, & definit quod non amplius ut olim ſupplicio libertas tollatur. Deinde in fine *d.c.8.* ad pœnam metalli applicat, eaque matrimonium non diſſolvi, cum nec libertatem tollat, declarat.

5 Porrò pœna qua hodie viles, abjectique homines condemnantur ad triremes, comparatur à Julio Claro aliiſque pœnæ damnationis in metallum, velut ſuccedaneæ; ſed neſcio an omnino rectè, cum is qui damnatus eſt ad triremes civilia jura retineat, præſertim ſi tantum ad tempus (ut fit plerumque) hæc condemnatio ſe extendat. Hanc verò damnationem ad triremes, Romanis cognitam fuiſſe ex Appiano, Valerio, *l.9.c.16.* colligere licet, ibi enim fit mentio cujuſdam qui ſe filium Octaviæ ſororis Auguſti dicebat, remo triremis publicæ affixus fuit. Suetonius refert in Auguſto *c.16.* Octavium viginti millia ſervorum manumiſſa ad remum dediſſe. Joſeph. *l.17. antiquit.*

Tertius gradus continet pœnas, quæ ad exiſtima- 6 tionem & famam pertinent, propter corporalem punitionem, vel damnum cum infamia, ut relegatio ad tempus, fuſtigatio, manus vel alterius membri abſciſſio, pœna ſtigmatis, & ſi quæ ſint ſimiles, de quibus multa ſcribit Clarus & Farinacius, & ante eos Alciatus. Sed obſervanda hîc differentia inter deportationem, & relegationem, quod illa ſit capitalis, hæc non capitalis, quod deportatus ipſo jure civitatem & bona amittat, relegatus civitatem, bona ſua & eorum adminiſtrationem retineat, niſi ſpecialiter in ſententia adempta fuerint, *l.8.h.t.* Deportatur quis in perpetuum & ad certum locum pœnæ cauſa, ex quo excedere non licet, atque omnia jura civilia perdit, eaque ſola retinet quæ ſunt juris gentium. At relegari in inſulam, quis & ad tempus & in perpetuum poteſt, ſed cum retentione bonorum ſuorum & jurium civitatis, & factionis teſtamenti activæ & paſſivæ, *l.7.§.2.& l.3.ff.de interd. & releg.* * Non poteſt tamen qui ad tempus relega- 7 tus eſt, ante finitum tempus excedere, *l.14.h.t.* ne pœna & judicia illudantur. Hinc ſi apparitoris, aut cuſtodis carceris prava admodum venaliſque perfidia factum ſit, ut reus ante præſcriptum tempus è carcere effugiat, volunt legiſlatores hujuſmodi apparitorem competenti ſupplicio ſubjacere, & etiam in abſentem inſurgi. *l.21.h.t.* Quod ſi vero ipſe relegatus ſua ſponte exceſſerit, vel in exilio ſe geſſerit turbulente & ſeditioſe, capite punitur, *l.ult. h.t.* ubi Juſtinianus addit, ſolos Magiſtratus Alexandriæ & Thebaidos mittere poſſe in Gypſum & in Oaſin Ægypti, & relegare poſſe in ea loca ad ſex menſes, vel in annum tantum, quia cum ſit regio inſalubris, & infecta culicibus & muſcis grandioribus, poſſet longior detentio relegatis mortem afferre. * Rectè præfecto Auguſtali, & ſuperioribus 8 Magiſtratibus, hæc res committitur, quia non omnium legitimarum pœnarum irrogatio, omnibus judicibus eſt permiſſa. Sic Procurator Cæſaris exilij pœnam non irrogat, niſi vice Præſidis fungatur, *l.2.h.t.* Et ipſe provinciæ præſes licet imperium & jus gladij habeat, non tamen habet jus deportandi, *l.6.ff. de interd. & releg.* ut non procedat argumentum, cui plus eſt conceſſum, eidem conceſſum videri quod eſt minus, quia id non procedit in pœnalibus, nec in iis, quæ à lege alicui ſpecialiter conceduntur.

Præcipit prædicta Juſtiniani Conſtitutio, ut fini- 9 to exilio temporario, exul è cuſtodia & vinculis ſtatim dimittatur, ſine damno & mora, nulla accepta pecunia, alioquin accipienti pœna quadrupli imponitur. Quod convenit cum *l.23.& 24.h.tit.* ex quibus obſervant Interpretes, damnatum in exilium temporale, ſi poſt ſententiam detineatur in carcere, tempus illud carceris computari pro tempore exilij: Et ſi pendente cuſtodia lapſum ſit tempus,

Digitized by Google

tempus, non poſſe in exilium mitti, ſed ſolvi à carcere liberum, ac ſi impleviſſet exilium : veluti & is, qui vere tempus præfixum exilij exſolvit, denuo in carcerem conjici ex priore delicto, vel loco antea interdicto arceri nequeat. Quod notabile eſt in favorem reorum, quos vocant bannitos : de quibus multa apud Clarum & Farinacium.

10 Solebant antiquitus qui in levioribus criminibus rei detegebantur, piſtoribus publicis aſſignari ; ſed Conſtantinus prohibuit, ne quis pro coërcitione delicti, vel piſtoribus, vel cuicumque alteri corpori (cum alterius ſit corporis) addicatur, *l.19.h.t.* Carcer quoque inter pœnas uſitatas fuit, cautum tamen mandatis Principum, ne ille ſit perpetuus, *l. 6. h. t.* quia non ad pœnam, ſed ad diligentiorem cuſtodiam eſt inventus, *l.8.§.9.ff.h.t.* ut dum in ſuſpenſo eſt animus judicantis, interim reus delatus ſub cuſtodia retineatur, ſine pœna tamen, in quam ſolum cadit ſervus; qui perpetuo vinctus, manet apud dominum, eique operam miniſteriumque præſtat, *l. 10.h.t.* Nam ſervus damnatus, ſi quavis ratione proprietas domino ſervata eſt, domino ſuo obſequi & operari debet, *l.13.h.t.* Illegitima quoque pœna eſt in ſpecu aliqua detineri, & inedia necari, ut Martianus indicat, cum ait non poſſe præſidem aliquem damnare, ne domo ſua procedat, ne utatur vitæ neceſſariis, *l.9.& 10.ff. de interdict. releg.* Cujac. *lib.14.*

11 *obſ. c. 34.* * Jure Canonico, quod mores ſequuntur, etiam liberi homines pœna perpetui carceris plectuntur, *c.quamvis de pœnis in 6.* Sed non niſi ob crimina capitalia. Eccleſia enim ſemper ſperat converſionem & pœnitentiam delinquentium, nec vult eorum mortem, ſed magis ut convertantur & vivant. Notant Innocentius & Panormitanus hanc pœnam carceris perpetui, pœnæ damnationis in metallum impoſitæ à jure civili æquari : quam tamen metalli pœnam ſuſtinent hoc jure tam liberi, quam ſervi, *l.11.h.t.* At vero ſi quis in metallum fuerit pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, prohibitum eſt ejus faciem ſtigmate deformari, *l. 17. h.t.* propterea quod hæc ad imaginem cœleſtis pulchritudinis ſit figurata. Sic hodie receptum, ut ſtigmata tergo, humeris, vel ſimili membro inurantur.

12 Sed quoniam dixi pœnam metalli tam liberis, quam ſervis irrogari. Excipiendi ſunt decuriones, *l.3. h.t.* Item decurionum parentes, veterani & eorum liberi uſque ad primum dumtaxat gradum, qui neque metalli, vel operis publici pœna afficiuntur, ſed in inſulam relegantur, *l.5. h.t.* beſtiis vero nequaquam ſubjiciuntur, *l.12. h.t.*

13 Mulier quoque quæ ſe decurionis filiam eſſe probavit, immunis eſt à pœna metalli, *l 9.h.t.* Alias neque fœminis parcitur, & ſiquidem in perpetuum fuerint damnatæ, quaſi ſervæ pœnæ conſtituuntur; ſi vero ad tempus damnentur, retinent civitatem, *l. 8. §. 8. ff. h. t.* Si tamen ante conceptus ſit puer, quam mater ejus in metallum condemnaretur, natus conditionem ſequitur, cujus mater fuit ante condemnationem, *l.4.h.t.* Et ex hac cauſa, qui in utero eſt prægnantis mulieris conſumendæ, damnatæ pœna differtur quoad pariat, *l.3.ff.h.t.* & liberam, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata fuit, liberum parere reſcripſit Adrianus Imperator, *l.18. ff. de ſtatu homin.* Non debet enim calamitas matris ei nocere, qui in utero eſt. *l.5.§.penult. ff.d.t.*

Ex prædictis apparet aliter puniri decuriones & 14
honeſtiores homines, aliter humiliores, niſi agatur de crimine læſæ Majeſtatis, in quo omnium adæquata eſt conditio, *l.16.ſup. de quæſt.* Huic crimini & proditioni proximum eſt, ferrum factum, atque infectum ad arma paranda idoneum, ad hoſtes transferre, *l.2.ſup.quæ res export.* quin & maxime perniciosum Romano Imperio, barbaros, quos indigere convenit, ut validiores reddantur inſtruere, eoſque docere artem ante incognitam conficiendi naves, quare merito in tales capitale ſupplicium decernitur *l.25.h.t.* Et huc pertinet quod Pontifex excommunicat, & à gradu officij dejicit eos, qui arma ad Turcas vehunt, aut aliter barbaros juvant, ut habet *text. cap. ita 6. ℣. de Judæis.*

Cæterum ſi delictum commiſſum fuerit, ab im- 15
pubere qui doli capax eſt, impunitas delicti propter ætatem ei non datur, ſi modo crimen quod intenditur, in eam ætatem cadere poſſit, *l. 7. h. t.* tantum enim minor ætas ad mitigandam pœnam ſuffragari poteſt, *l. 37. §. 1. ff. de minorib.* ut quia minor aliqua ratione deceptus, ignoravit rei veritatem, nec intellexit delictum à ſe commiſſum, ſecus ſi id intellexerit, & operta calliditate delinquat, quod ex qualitate delicti, perſonæ conditione & diſcretione aliiſque circumſtantiis Judex facilè colliget, ut ſtatuere poſſit mitiorem aut graviorem pœnam. De qua plura videantur apud Antonium Merendam *l. 5. contr. cap. 15. & ſeqq.* & quæ nos diximus ſup. *lib. 2. tit. 35. adverſ. delict. n. 3.*

Eſt valde hic notandum certas antiquitus pœnas 16
fuiſſe legibus publicorum judiciorum, pro ſingulis criminibus conſtitutas, quas infligi oportebat licet ſententiâ non fuiſſent expreſſæ, quoniam ſententia magis ad declarationem facinoris commiſſi, quam ad pœnam decernendam pertinebat, *l. 32. ff. h.t.* Item non potuiſſe Judicem efficere, quo minus damnatum pœna legitima ſequeretur infamia, *l.63.ff.de furtis,* & ideo non licebat appellare, niſi majorem vel minorem legitimâ, pœnam irrogaſſet, *l.24.ff.de verbor. ſignif.*

Conſtat præterea non potuiſſe Judicem minuere 17
pœnam etiam pecuniariam parti applicandam, cui jus eſt per legem datum, uti in furto, L. Aquilia, rapina, quod diminuere non eſt Judicis, nec ſi meram

Digitized by Google

vindictam concernat, nam remittendo vel diminuendo pœnam in damnum reipublicæ, injuſtitiam committeret. Intereſt enim reipublicæ, ne ad maleficia temere quiſquam proſiliat, *l.14. h.t.* Eſt itaque adeo adſtrictus legibus Judex, ut pœnam legitimam nec augere, nec minuere poſſit, *l.1. §.1. ff. ad Turpil.* & notetur infamia ſi mitiorem pœnam, quam leges ſtatuunt delictis imponat. *l. 8. ſup. ad l. Jul. de vi publ.* ubi pari pœna, quam leges crimini irrogant, punitur, *text. in l.3. in fin. Cod. ne ſanctum baptiſma iteretur.* Plane uti non poteſt Judex pœnam minuere, ita nec illam augere, cogitur enim ſecundum leges judicare, non de ipſis legibus, nec modum illis præſcriptum excedere, quia excedendo exigeret à reo, ultra quam debet, quod eſt iniquum.

18 At vero ubi vetus ordo judiciorum in uſu eſſe deſiit, legitimæ pœnæ nonnunquam neglectæ fuerunt, & aliæ extra ordinem inflictæ, unde tandem pœnæ legitimæ arbitrio Judicis infliguntur, quia omnia judicia aguntur extra ordinem, ac ita accipienda *l.13. ff. h.t.* vel poteſt dici, quod pœnæ non abſolute pendeant ex Judicis arbitrio, ut poſſit eas minuere, mitigare, vel augere, ſed demum urgente legitima cauſa. Sic ſi delictum habeat extraordinarias circumſtantias aggravantes, Judicis erit reum condigne punire, & è converſo eidem reo remittere pœnam, ſi ejus conditio, ætas, vel alia ratio id poſtulet: quod monet Marcianus cum ait, perſpiciendum eſt judicanti, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa depoſcit. Nec enim ſeveritatis aut clemētiæ gloria affectanda eſt, perpenſo judicio, prout quæque res poſtulat, ſtatuendum. In levioribus, proniores ad lenitatem Judices eſſe debent, in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento ſubſequi, *l.11. ff. h.t.* de hoc temperamento etiam agit Conſtantinus *in l.16. h.t.* Quare ſi levius crimen admiſerit reus, & aliquamdiu in ſqualore carceris fuerit, pœna lenienda erit, *l.23. h.t.* Sic ſi ex paſſione, aut metu, aut errore deliquerit, aut ob nimiam paupertatem, ex interpretatione legum pœna potius mollienda eſt, quam exaſperanda, *l.42. ff. h.t.* quin & pœna pecuniaria remittenda, *l.6. in fin. de off. præſ.*

19 Quid ſi reus tale crimen commiſerit, quod membri mutilationem exigat? Judex pœnam moderabitur, ut unam ſolam manum, vel unum pedem abſcindi jubeat: non utrumque, *Nov.134.* etiamſi ipſe reus utramque manum, aut utrumque pedem alteri amputaſſe convincatur. Hinc eſt quod fugitivo unus pes tantùm amputetur, *ſup. de ſervis fugit.* Falſario una manus, *Nov.17. & 42.* licet enim talionis pœna ab uſu receſſerit, manet tamen aliqua ſimilitudo ſupplicij in eo, ut quâ parte quis peccavit, ea plectatur. Addunt & hanc moderationem Interpretes ſi cui amputatio manus irrogetur, nec exprimatur in ſententia, utrum dextra, an ſiniſtra, utrum debilis, an arida, robuſta vel vegeta ſit amputanda: ſiniſtram potius quam dextram, & aridam ac debilem quam vegetam & robuſtam debere amputari, Clarus *§. fin. quæſt. 69. num. 4.* ex ratione, quod pœna ſit mitiganda, & accipienda ut minimè noceat. Ac ita in obſcuris quod minimum eſt ſequimur, *l.9. ff. de reg. jur.* Ut quamvis manus ſit arida, & ob id ſine uſu, nihilominus tamen retinet nomen manus, quæ etiam vix abſcindi poteſt, ſine aliquo dolore. Et ut dolor abſit, ipſa fœditas & deformitas eſt pro pœna. Sichard. *ad Auth. ſed novo jure num. 8. C. de ſervis fug.* Quod autem utramque manum non amittere dixi, qui alteri utramque manum amputavit, ratio in eo eſſe videtur, quod parum à mortuo abſit, qui tam mutilus eſt, ut membris ad uſum ſuſtentationemque vitæ neceſſariis careat. D Gudelinus *de jure noviſſ. lib. 5. c. 15.* Si verò unam tantum manum habeat condemnatus, durum eſſet ea privari, niſi qualitas criminis, & mens legiſlatoris hujuſmodi pœnæ executionem ſuadeant: alias commutanda videtur in mitiorem. Covar. *lib. 2. var. reſolut. cap. 9. num. 5.* Niſi conſuetudo loci certam pœnam ſtatuat, quam cogetur Judex indicere, ut habet Principis noſtri edictum anni 1611.

Hinc forenſis delinquens punitur pœna ſtatuti 20
iſtius territorij, ubi delictum commiſit & convenitur. Caſtrenſ. *ad l.1. in fin ff. de legib.* Idque ſive per accuſationem ſive per inquiſitionem procedatur. Nam ſtatuta dicuntur leges publicæ reſpectu illius populi, & commiſſo ibi delicto videtur reus ſubjicere ſe legibus pœnalibus iſtius populi.

Porrò conſuetudine aut ſtatuto loci deficiente, 21
non exiſtimo licere Judici pœnam extendere ad membri abſciſſionem, vel mortem. Quod ſi tamen tanta ſit criminis atrocitas, ut pœnam mortis exigat, non dubito quin poſſit Judex eam infligere, cùm publicè interſit, crimen condignè coerceri in aliorum exemplum, & pro delicti qualitate, quæ tanta eſſe poteſt ut mereatur pœnam capitalem. Quod patet ex *l.1. ſup. de iis qui latr. occult.* ubi corporali ſupplicio, æquè receptatores, atque ipſi latrones plectuntur pro Judicis æſtimatione. Menoch. *lib.1. arb. jur. q. 86.*

Cautè igitur hic Judex procedere debet, nec 22
priùs pœnam mortis decernere, quam legitimè ei de delicto conſtet, vel ex confeſſione rei, vel profeſſione teſtium, vel aliis legitimis probationibus reus convincatur, ut vix etiam ipſe ea quæ commiſerit negare ſufficiat, ut habet *l.16. h.t.* Nam ad pœnam capitalem præſumptiones aut indicia quantumlibet indubitata non ſufficiunt, ita ut reſcriptum ſit, ex ſuſpicione vehementi neminem damnari debere, & ſatius eſſe impunitum relinqui facinus nocentis, *l.5. ff. h. tit. 14. X. de præſumpt.* Panormitanus tamen, & Felinus ibi notant, ex vehementi præ-

Digitized by Google

præſumptione, quæ æquivaleat probationi, pœnam ordinariam inferri poſſe, maximè ob delicta occulta, quæ difficilis ſunt probationis, cujus ordinis eſt adulterium, & ſimilia crimina, quæ publicè intereſt ne maneant impunita, Franc. Sarmient. *l.* 1. *ſelect. cap.* 1. Ant. Faber *in Cod. ad h.t. definit.* 6.

23 Sed communis ferè ubique praxis recepit, reo ex præſumptione tantùm convicto, temperandam eſſe pœnam, quod licet nō videatur omninò innocens, non pateat tamen de ejus crimine per veram probationem. Interdum pœnitentia voluntaria, cauſa eſt mutandæ aut leniendæ pœnæ, ut in ſagis, quas facit pœnitentia ſpontanea, prius ſtrangulatas flammis adjudicari, cum alias vivę eſſent cremandę.

24 Denique ſic ab arbitrio judicum irrogationem pœnarum dependere cenſendum eſt, ut nequaquam poſſint hi excedere modum legis, vel juriſdictionis, vel interdicere extra territorium, vel pœnam mitigare, poſt latam ſententiam, etiamſi appareat condemnati innocentia: functus enim eſt officio ſuo, *l.* 15. *h.t.* Soli Principi permiſſum eſt, uti contra ſententiam dictam reſtituere, ita & urgente cauſa commutare, & remittere damnato pœnam, maximè ſi reus ſit inſignis artifex, vel excellentis roboris vir, qui poſſit uſui eſſe reipublicæ, *l.* 31. *ff. h.t.* ubi parcitur eis qui dignè ſe populo exhibere poſſunt. Itemque reo propter magna ipſius aut majorum ejus in rempublicam merita. Tiraquel. *de pœnis cauſ.* 49. *&* 50. Ideò laudat Agricolam Tacitus, quod non pœnâ ſemper, ſed ſæpius pœnitentiâ contentus eſſet.

25 At licet interdum ſupplicatione Principi factâ, pœna omninò non remittatur, ejus tamen qualitas mutatur, ſic ut honeſtiores & nobiliores homines ob homicidium gladio plectantur, non ad palum alligentur, neve furca ſuſpendantur ut plebei, idque conſuetudo obſervat, fundata *in l.* 16. *§.* 3. *ff. h.t.* Dixi poſt latam ſententiam, nam antequam illam proferat, etiamſi inferior Judex ſit, nec habeat poteſtatem diſpenſandi, poterit ob cauſam artificij, aut aliam temperare pœnam, aliud ſiquidem eſt diſpenſare ſuper crimine & ejus pœna, aliud rigorem legis pœnalis, ex cauſa minuere. Covar. *lib.* 2. *var. reſ. cap.* 9. *num.* 3. *&* 8.

26 Detecto & probato crimine, ſi nulla ſubeſt cauſa remittendi mitigandique pœnam, Judex in ſceleratos & noxios, juxta criminis qualitatem, proferet ſententiam capitalem, eamque quoties fieri poterit executioni mandare curabit, cùm ne detur facultas ſupplicandi, tum quia quando reis convictis, ſpatium temporis ante ſententiam datur, malignis artibus ſæpè contingit eludi pœnam, *l.* 18. *h.t.* Itaque pœna dicta, non debet prolixiore mora differri, quin per lictores mandetur executioni. Nec ideò ſuſpendenda quod damnati dicant ſe habere quippiam, de quo velint Principem monere, ad ejus ſtatum pertinens, *l.* 6. *ff. h.t.* Simul atque, inquit Labeo, victus quis eſt, ejus maleficij, cujus pœna eſt ſtatuta, ſtatim ea debetur, *l.* 144. *ff. de verb. ſign.* Sicque jure communi receptum eſt. Attamen ex cauſa non negamus executionem pœnæ interdum ſuſpendi, vel differri, aliquando commutari & aboleri. Suſpenditur in muliere prægnante, quoad uſque pepererit ut dictum eſt ſuprà Sæpè etiam ſervantur damnati, poſt condemnationem & differtur pœna, ut ex his in alios quæſtio habeatur, *l.* 29. *ff. h. t.*

Et interdum ſi Princeps præter conſuetudinem, 27 jubeat ſeveriùs in aliquos vindicari, ex conſtitutione Cæſarum ſuſpendi debet executio, *l.* 20. *h.t.* Hujus Conſtitutionis ſuaſor perhibetur Divus Ambroſius, qui reconcilians Theodoſium Cæſarem Eccleſiæ, pœnitentiam priùs eum agere coëgit, de Theſſalonicenſium præcipiti nece, atque hanc ſanctionem edere, de non ſtatim puniendis, quos ipſe juſſiſſet, niſi poſt dies triginta, quibus cuſtodiæ traderentur. *d.l.* 20. facile enim feſtinatione cæca improvida ſævitia pro ſeveritate recipitur, & ut dicit *can.* 68. *& ſeqq.* 11. *q.* 3. *quo locus miſericordiæ, vel (ſi res tuliſſet) pœnitentia non periret, nempe ira ſæpè etiam innocentes in crimen abducit.* Inde inferri poteſt quod ſi Princeps per iracundiam, aut inconſideratè aliquid acerbius decernat, aut injuſtum ſubditum non teneri tali decreto obtemperare, *cap.* 5. ✠. *de reſcrip.* præcipitque Imperator reſcripta injuſta ab omnibus refutari debere. *l.* 7. *ſup. de precib. Imp. off.*

Commutatur autem pœna per Judicem ad quem 28 appellatur, ſi ad pœnam ſubeundam damnati facti ſunt inutiles valetudine, aut ætatis infirmitate, *l.* 22. *ff. h.t.* item ſi quis à Principe mutationem ſententiæ impetraverit, vel reſtitutionem in integrum adverſus ſententiam ab eodem Principe, *l.* 2. *infrà de ſent. paſſ.* ſi quis tempus pœnæ ſubeundæ præfinitum in carcere impleverit, *l.* 23. *& ſeqq. h.t.* Aboletur pœna expreſſè, cùm Princeps nocentem atque criminis convictum propoſitâ impunitate dimittit; tacitè cùm quis diutino tempore honeſtè vixit, videtur per hoc purgaſſe crimen. Item ſi accedat lapſus temporis 20. annorum, quo pleraque crimina tolluntur, uti dictum *ſup. de falſis.* Non obſtat quod crimini ſit ipſo jure pœna impoſita, cùm non debeatur in conſcientia ante ſententiam, neque teneatur quis offerre ſe ad pœnam corporalem. Denique tollitur pœna per perfectam pœnitentiam, in foro conſcientiæ, venit enim Deus vocare peccatores, & eos ſalvos facere ſi pœniteant. At in foro contentioſo non ſatis eſt pœnitere, intereſt reipubl. delicta non eſſe impunita, ſive ea ſint publica ſive extraordinaria, ob leve tamen delictum pœnitenti pœna mitigabitur, ſi id commiſerit concitatus vel commotus à re, in quam deliquit. Jul. Clar. *§. fin. q.* 60. *n.* 21.

Finis pœnarum præcipuus eſt reip. bonum, quod om- 29

Digitized by Google

omnes leges intendunt, & procurant, dum non ſinunt crimina coaleſcere, ſed puniunt; non tantum levioribus, verùm etiam gravioribus pœnis, quarum metu, futurum eſt ne quis temerè ad delinquendum proſiliat, ſitq; tuta inter homines innocentia. Quomodo vanæ populi voces non ſunt audiendæ, quò minùs improbi condignis pœnis coërceantur, aut innocentes abſolvantur, *l. 12. §. 1. h. t.*

30 Igitur, cùm pœna nuſquam locum habeat niſi ubi noxia eſt, & peccata tenere debeant ſuos auctores, nec ulterius progrediantur, quam reperiatur delictum, conſequens eſt quod innocentes licet noxiorum hominum cognatione, affinitate, amicitiâ conjuncti ſint, pœnæ non ſubjiciantur. Neque enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt, *l. 22. h. t.* Undè crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt, *l. 26. ff. h. t.* aut eum excludere ab honore, vel ſucceſſione, *l. 3. §. 6. ff. de muner. & honor.* ne ob patris crimen, filij bona publicentur, etiam ea quæ jure ſubſtitutionis filio obveniunt, licet per medium patris, *l. 3. ff. de interdict. & releg.* Et hoc obtinet non ſolùm in criminibus, ſed etiam in contractibus, in quibus non prægravatur filius propter debita patris, *ſup. ne filius pro patre.* Hinc plerique putaverunt, *d. l. 22.* derogare ſeveritati, *l. 5. ſup. ad l. Jul. maj.* ſed minùs rectè. Ut dictum *ſup. Tit. 8.* crimen læſæ Majeſtatis non extingui morte, niſi ab hæredibus purgetur. Planè ſi quid ex alio delicto ad hæredes pervenerit, obnoxij manent, & quando cum defuncto lis fuit conteſtata, aut ſententia ſecuta, *l. un. ſup. de delict. defunct.* aliàs ſervanda eſt prædicta regula, quod unius delictum alteri non noceat, ſed quiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjiciatur, nec alieni criminis ſucceſſor exiſtat. *l. 26. ff. hoc tit.*

TITULUS XLVIII.

Ne ſine juſſu Principis certi Judicibus liceat confiſcare.

1. *Quid ſit confiſcatio, quomodo alia fiat per legem, alia præter legem.*
2. *Quibus magiſtratibus permiſſum ſit bona confiſcare.*

1 A Pœnis perſonalibus tranſit ad realem, id eſt, bonorum confiſcationem. Confiſcare nihil aliud eſt, quam bona alicujus damnati in ærarium publicum redigere, vel fiſco addicere. Confiſcatio verò vel fit per legem, hoc eſt, lege apertè diſponente, vel etiam tacitè, & in ſequelam pœnæ, utpotè mortis vel deportationis, *l. 8. ſup. tit. prox.* vel præter legem: priore caſu confiſcationem illam expreſſam, vel tacitam Præſes provinciæ & quicumque Judex de crimine illo cognoſcens, ipſius veluti legis miniſter ad opus Principis facere poteſt.* Poſteriore verò ſi agatur de confiſcandis bonis alicujus in caſibus à jure non expreſſis, tunc ne contra æquitatem pœnæ extendantur, ne non maturo ſatis conſilio bona alicujus auferantur, neve affectibus Judicum nimium concedatur, ſoli Principi & cui ille ſpecialiter id jubet, vel ejuſmodi Judici, qui ſummâ præditus eſt poteſtate tantùm confiſcare permiſſum eſt, *l. un. h. t.* ſummam verò poteſtatem habere intelligit hîc ſupremum ſenatum Principis, præfectoſque prætorio, qui formas generales dare poſſunt, & à quorum ſententiis non provocatur: credidit enim Princeps eos qui ob ſingularem induſtriam ad hujus officij dignitatem adhibentur, non aliter judicaturos & facturos eſſe pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quem ipſe foret judicaturus. Vide plura in hanc rem *ſup. lib. 1. tit. de off. præf. præt.* & Jul. Clarum *in pract. §. fin. quæſt. 78. n. 5.* 2

TITULUS XLIX.

De bonis proſcriptorum ſeu damnatorum.

1. *Pœna deportatorum.*
2. *In quo gravior eſt pœna deportationis relegatione, & in quo levior damnatione in metallum?*
3. *Iſtæ pœnæ hodie ceſſant, ſed frequentatur exilium, & pœna banni in imperio.*
4. *An in confiſcatione bonorum veniant etiam jura & actiones? Ex quibus bonis ſatisfaciendum ſit creditoribus.*
5. *Quid obſervandum in iſtorum bonorum confiſcatione de jure & moribus.*
6. *Res uxori donatæ à marito ante reatum, uti & dotales non publicantur.*
7. *An bona acquiſita inter conjuges ſtante matrimonio, damnato marito ſint uxori ſalva?*
8. *Quid ſi mulier ob delictum ſuum damnata ſit?*
9. *Quod pater ante reatum donavit liberis emancipatis, apud eos manet.*
10. *Nec in fiſcum cadunt res fideicommiſſo ſubjectæ, nec jus primogenituræ, aut alia jura.*
11. *Feudum & uſusfructus confiſcatis bonis damnati, non tranſeunt in fiſcum, ſed commoditates*
12. *An legitima filio debita publicetur ob delictum?*
13. *Cur peculium caſtrenſe tranſeat in patrem ſi filius deliquerit?*
14. *Item profectitium & adventitium peculium, & peculium ſervi ſervatur domino.*
15. *An legitima filio deportato, cedat fiſco? & cur hic inſtitui nequeat nomine deportati?*
16. *Patre damnato portio legitima ſervatur liberis, in poteſtate.*
17. *Non item emancipatis, niſi ea quæ acceperunt à patre cum ſuis conferant.*

18. Quæ

Digitized by Google

18. *Quomodo decurioni damnato filij & filiæ ſuccedant?*
19. *Bona damnatorum non publicantur, ſed relinquuntur hæredibus damnati. Jure noviſſimo in quo ſæpè variatum.*
20. *Excipitur crimen læſæ Majeſtatis divinæ, & humanæ.*
21. *Rationes, cur leges præter pœnam, introduxerint confiſcationes bonorum.*
22. *Hodiè ſecundum mores in quibus criminibus locum habeat confiſcatio.*
23. *Et quibus bona confiſcata cedant.*

1 HIc Tit. rectè ſubjicitur ſuperioribus, ex quo hi qui capitali ſententiâ damnantur, in conſequentiam pœnæ, bona quoque amittant: cujuſmodi ſunt proſcripti ſive deportati, qui ex numero civium perpetuo ejiciuntur in inſulam, ideòque nec teſtari, nec legare, nec legatum aut hæreditatem acquirere poſſunt, *l.* 1. §. 2. *ff. de leg.* 3. Hoc amplius, amittunt patriam poteſtatem & bona, non ſolùm quæ condemnationis tempore habuerunt, ſed etiam quæ poſteà quoquo modo acquiſiverunt, adeò ut hæredem habere non poſſint, ſed hæc bona poſt pœnam acquiſita publicantur, *l.* 2. *h. t.*

2 Quo fit ut gravior ſit deportationis, quam relegationis pœna, quandoquidem deportatus per privationem civitatis privetur & omnibus iis quæ juris civilis ſunt, relegatus verò omnia jura civium retineat, & bona quoque ſua, niſi ſententia ſpecialiter adempta fuerint, *l.* 8. *ſup. de pœnis*, *l.* 4. *ff. de interdict. & releg.* Hinc eſt quod integro ſtatu ejus manente, non prohibeatur publicatis bonis, poſteà alia bona acquirere, & ex teſtamento capere; ac de eo intelligenda, *l.* 22. §. 5. *ff. mandati*, ne adverſetur *l.* 2. *h. t.* quæ de deportato loquitur, cujus ut dixi, gravior eſt pœna. Verumtamen levior eſt deportationis pœna, damnatione in metallum, ſiquidem in metallum damnatus omnia prorſus amittat, & ſervus pœnæ efficiatur, *l.* 4. *h. tit.* quod aliter ſe habet in deportato, cui licet adimantur ea quæ juris civilis ſunt, relinquitur tamen libertas, cum omnibus iis quæ ſunt juris gentium, & ideò etiam poſt pœnam irrogatam, actus juris gentium celebrare, & ex illis acquirere poteſt, aliiſque ſibi quæſitas actiones cedere: nam licet illæ ſint juris civilis, proficiſcuntur tamen ex contractibus juris gentium. Coſtalius *ad d. l.* 22. §. *is cujus ff. mandati.*

3 Cæterùm hodie, ut dictum eſt *ſup. de pœnis*, nemo benè natus, id eſt, ingenuus ex hujuſmodi ſupplicio fit ſervus pœnæ, *Auth. ſed hodie C. de donat inter vir. & uxor.* neque eſt in uſu pœna illa deportationis, vel relegationis, ſed quædam ſimilis exilij, qua alicui certa provincia interdicitur. In Germania frequentatur pœna banni Imperialis, ob crimen violatæ pacis publicæ, quod qui committunt, banniti vocantur, ſuntque inſtar hoſtium. Videatur And. Gail. *de pace publ. & lib.* 2. *obſ. cap.* 86. *n.* 9.

Bonorum appellatione hic continentur, etiam jura, actiones & obligationes, ideòque fiſco acquiruntur: ſed & obligatationes quibus reus tenebatur, in fiſcum quoque veluti ſucceſſorem tranſeunt, & conveniri poteſt apud procuratorem Cæſaris à creditoribus damnati, *l.* 5. *h. t.* non tamen ultra vires bonorum acquiſitorum. Hodie ſecundum mores noſtros ſatisfieri debet damnati creditoribus, à fiſco illius loci in quo illi contraxerunt, nec poſſunt remitti ad fiſcum alterius territorij. Quod ſi tamen delinquentis bona ſita fuerint in diverſis territoriis, quilibet fiſcus tenebitur creditoribus ſui territorij, ſatisfacere, non item alterius. Etiamſi creditores habeant generalem hypothecam in bonis damnati, ut tradit Farinac. *in praxi q.* 25. *n.* 171. *& ſeqq.* 4

Etenim quamvis fiſcus jus quoddam & titulum univerſalem ſuſtineat, tamen à ſolidi præſtatione, ultra vires bonorum liberatur beneficio inventarij & deſcriptionis, quæ fieri ſolet, per officiarium ordinarium, *l.* 7. *h. t.* In qua deſcriptione facienda, ſi hic negligenter ſe geſſerit, arbitrio Judicis mulctabitur. Si dolum commiſerit, ita condemnabitur, ut aliud tantum quantum fuit ſubtractum ex propriis facultatibus, fiſco inferat. *d. l.* 7. *in fin.* Hodie factâ hujuſmodi bonorum deſcriptione, conſignantur ea Conſulibus & Syndicis locorum, & proceditur contra reum, qui ſi eſt contumax ſervatis ſervandis, proſcribitur & condemnatur definitivè, bonaque remanent apud fiſcum, niſi intra annum comparear, probetque ſuam innocentiam, ut latè explicat Jul. Clarus §. *fin. quæſt.* 44. 5

Ideò quoque bonorum fit deſcriptio, ut ſciatur an illorum aliqua portio ſit de confiſcatione detrahenda, & reſervanda certis perſonis. Nam res uxoris, quæ vel ſucceſſione qualibet, vel emptione, vel etiam largitione viri in eam ante reatum jure pervenerunt, damnato ac mortuo ex pœna marito illibatas eſſe præcipit Conſtantinus, quia donatio talis antè tempus criminis ac reatus collata, pudicitiæ præmio, ceſſit, *l.* 24. *ſupr. de donat. inter. vir. & uxor.* Et eſſet certè iniquum ob delictum mariti, uxorem puniri. Quò fit ut multo magis uxor res dotales & paraphernales, utpotè proprias ſibi vindicet, aut certè quoquomodo occupatas ſtatim recipiat. Si probet res dotales ſe corporaliter tradidiſſe, quia non ſufficiet dotalis inſtrumenti exhibitio, *l.* 9. *h. t.* propterea quod in hujuſmodi inſtrumentis multa ſæpè inaniter conſcribuntur. 6

Porrò ſi ſtatuto loci, aut pacto dotali cautum ſit inter conjuges, ut bona conſtante matrimonio acquiſita, ſint inter eos communia, confiſcatis bonis mariti, ſalva manet pars dimidia uxoris, etiamſi 7

bona ſint indiviſa, quia cum ipſa non deliquit, non debet in aliquo puniri, *d.l.24.* Gail.2. *obſ.c.86. n.14.* Non enim eſt criminum ſocietas inter conjuges, ideòque alter alterius criminis infortunio adſtringi non debet. *d.l.9.h.t.l.52.in fin. l.58. §. ult.ff. pro ſocio.* At quid ſi ex delicto mariti ſocietas aucta ſit? Eo caſu uxor tenebitur, cum æquum ſit ut qui participat lucrum, participet etiam damnum, *l.55.ff.d.t. pro ſocio,* Charond. *ad conſuet. Pariſ. art.173.* * Quid
8 ſi uxor deliquerit, & ex delicto ſuo damnata ſit? Et ſiquidem ex una iſtarum legum condemnatio ſecuta ſit, quæ dotem publicat, quamvis ſolutum non ſit matrimonium, interim fiſcus dotem capiet, ſalva actione marito contra fiſcum, ſi fortè poſt mortem uxoris ex pacto dotem lucrari debeat. Sin autem alia lege, capitis punita ſit mulier, quæ lex dotem non publicat, maritus ſi adhuc duret matrimonium, dotem retinebit, ſi ſolutum ſit, vel ejus lucro cedat, idque ex pacto, vel reddetur mulieri vel patri, *l.3.& 5.ff. de bonis damn.*

9 Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis, patrem contuliſſe claruerit, integrum apud eos manet, *d.l.9.§.1.* Quin & donationes filiis in poteſtate conſtitutis factæ, morte confirmantur, ſi pater in eadem voluntate perſeveraverit, *l.25.ſup. de donat. inter vir. & uxor.*

10 Item res fideicommiſſo ſubjectæ, jus primogenituræ, jus patronatus & reliqua omnia jura, quę non poſſunt tranſire in extraneum hæredem à fiſco occupari & retineri nequeunt, quia fiſcus habetur loco extranei ſucceſſoris, *l.9.ff. ad L. Jul.maj. l.4.ff.de jure patr.* quo pertinet quod qui non poteſt alienare contrahendo in præjudicium alterius; non poſſit quoque illi præjudicare delinquendo, *l.3.h.t.* Facit *& l.3.ff. de interd. & releg.* quæ vult bona damnati propria tantummodò publicari, non etiam ea quæ à genere, vel à majoribus provenerunt, ſed ea manere liberis incolumia. * Quare feuda ea lege data
11 damnato ne tranſeant ad extraneum hęredem, non publicantur, etiam confiſcatis bonis ejus. Nec etiam uſusfructus qui debetur damnato, pendente ejus vita, ei adimitur, nec morte ſecuta ad fiſcum pertinet, utpotè, quod morte uſufructuarij ad proprietatem redeat, nec jus utendi fruendi, cedi vendive, vel transferri facto uſufructuarij poteſt in alium, quam proprietatis dominum, cum perſonale jus ſit, *§.finitur. Inſt.de uſufr.* Etſi commoditas percipiendi fructus, & fructus ipſi diſtrahi, & acquiri poſſint, quia per hujuſmodi acquiſitionem in fiſcum, nullum jus reale conſtituitur, ſed ſolius uſufructuarij præjudicium verſatur, *l.48. §.1.ff. de jure fiſc.* Vide Molinam *de primog. l.4. cap.11.*

12 Quid igitur ſi filius ipſe delictum commiſerit, propter quod bona publicantur, an etiam publicetur legitima illi debita? Publicari ſtatutis locorum receptum dicit Caballus *in reſol.crim.caſ.250.* ac ita patrem teneri, probato filij delicto, legitimam ſolvere, æſtimandam ad tempus condemnationis, quaſi tunc cederet dies legitimæ. Idque ideò ut timore hujus pœnæ pater diligentiùs advertat in mores filij, ne delinquat. Surdus *deciſ. Mant. 314.* cum quo ſentio legitimam non publicari, ſi condemnato filio extent deſcendentes, quorum potior cauſa, ut infra dicetur. Quin etiam de jure veriùs legitimam non publicari, ne pater filij delicto gravetur, contra regulam, quæ diſponit ut delicta teneant ſuos auctores, nec ad alios progrediantur, *l.22.ſup.de pœnis.* Iniquum enim eſſet, ut pater qui in culpa non eſt, ſentiret pœnam, & ſe vivo cogeretur ſolvere legitimam, quæ non niſi poſt mortem filio debetur ac ſic quaſi in diem incertum, qui eſt loco conditionis.

Huc pertinet quod reſcribit Alexander Imper. ſi 13
filius cum eſſet in poteſtate, in inſulā deportari meruit, peculium ejus quod in caſtris acquiſivit, vel quod ei militaturo pater donavit, auferri patri non debere, *l.3.h.t.* quod peculium tamen eſt in bonis filij, ut multo minus adimatur legitima. Sed cur peculium hoc publicatis bonis filij, non tranſit in fiſcum, quia filius non eſt abſolutè dominus caſtrenſis peculij, ſed tantum habet illius liberam adminiſtrationem, & diſpoſitionē, manente dominio caſtrenſis peculij, non ſecus atque adventitij, vel profectitij, ſaltem in potentia penes patrem, quare ſi de eo non diſpoſuit filius, aut diſponere ob delictum non potuit, manet jus patri ſalvum, ex veteri titulo retenti dominij, eique ab inteſtato hoc peculium defertur in ſolatium, *Auth. defuncto ſup.ad Tertylianum,* Cujacius & Balduin. *in §.1.Inſt. per quas perſon.*

Idque potiori ratione obtinebit in peculio pro- 14
fectitio, quod pleno jure eſt patris, tam quoad proprietatem, quam quoad uſumfructum, & ideo confiſcatis bonis filij nullo modo continebuntur bona profectitia, nec adventitia circa quæ patri etiam aliquid juris eſt, ſed utraq; manebunt penes patrem, *d.l.3.* quemadmodum peculia ſervorum, capitis crimine damnatorum, remanent penes dominum, & ſi quid aliud ſervos dominus habuiſſe probaverit, recipit, pretiumque rerum ſi quæ ab illis diſtractæ ſunt, *l.1.h.t.* cogiturque ſervus dilata pœna rationem reddere adminiſtrationis, ſed meminiſſe dominum oportebit inſtare, ut id velocius fiat, ut pœnæ ſuæ reddi poſſit, *d.l.1. in fin.* Et hæc ita de jure obtinent; Statutis autem locorum receptum videmus, quod pater pœnam pecuniariam ad quantitatem legitimæ, perſolvere teneatur, propter delictum à filio commiſſum, ſi non fuerit emancipatus, quamvis ſanè durum ſit parentem luere delicta filiorum. Vide Covar. *2.var. reſ. c.1. num.7.*

An non ſaltem legitima, filio deportato, cedat 15
fiſco poſt mortem patris, quæritur? Et hoc quoque negandum ſentio, cum non ſit debita filio ante

Digitized by Google

ante mortem patris, & tum demum non alias de-
beatur, quam ſi in civitate inveniatur tempore
mortis paternæ, deportatus autem non eſt in civi-
tate; imo pro mortuo habetur nec illi cedunt ulla
jura. Quomodo nec partem facit cum aliis fratribus
in legitima portione, quam liberam illis relinquit,
l. 1. §. fin. ff. de bonor. poſſ. contr. tab. nec numerum li-
berorum auget. Interim nomine deportati filij nul-
lo jure inſtitui poteſt fiſcus, quia inſtitutio eſt res
mere perſonalis, quæ in fiſcum non tranſit, & cui
tantum cedunt ea quæ filio jam damnato, de facto
ſunt quæſita, non etiam ea, ad quæ illi jus remo-
tum eſt, aut poteſt competere.

At verò patre damnato ejuſque bonis publicatis,
16 ex illis, portio legitima liberis natis, vel poſthumis
vel nepotibus ſervatur, *l. 1. & 7. ff. h. t.* ex dicta ra-
tione, ne ex alieno admiſſo contingat eos luere pœ-
nam quos nulla culpa contingit. Statutis locorum
idem obſervari & nihil fiſco acquiri extantibus ne-
potibus tradit *ſup. d. loco.* Surdus, & ante eum Ca-
ſtrenſis *conſ. 212. vol. 2.* Hoc jure autem dimidia pars
bonorum fiſco infertur, dimidia prædictis liberis
conceditur, *l. ult. h. t.* niſi mater damnata ſit, in cu-
jus deportatæ bonis, filij nihil juris habent, *l. 6. h. t.*
aut pater damnatus ſit crimine perduellionis, cujus
pœna etiam in poſteros tranſit. Porrò quicumque
damnati bona tenet, ea debet in urbe intra duos
menſes, vel in provincia intra octo menſes fiſco
deferre, alioqui una cum bonis etiam quadruplum
fiſco inferet, *d. l. ult. §. 1. & 2. h. t.*

Dico liberis ſalvam manere portionem legiti-
17 mam, illis nimirum in poteſtate conſtitutis, nam
emancipatis non ſervantur bona damnatorum pa-
rentum, nec jus habent ad dictam dimidiam, niſi
conferant ea quæ ante reatum à patre acceperunt.
Similiter filia, vel neptis ex filio deportati, ſi par-
tem in ea dimidia velit habere, dotem ab eo accep-
tam conferre debet, *l. 8. h. t.*

Cæterùm decurionis damnati bona non publi-
18 cantur, ſed ſi liberos non habeat, curia ſuccedit, &
vel per ſe bona univerſa detinet, vel ſuo periculo
committit aliis, qui munera ſubeant. Sin autem fi-
lios tantum habeat decurio, hi ſoli in totum ei ſuc-
cedunt. Si filiam vel filias, ad eas dimidia pars bo-
norum, ad curiam altera dimidia devolvitur. Si
utriuſque ſexus ſobolem, maſculi ſemiſſem acci-
piunt, alter ſemis inter eos, & ſorores dividitur:
excipitur hic quoque niſi decurio crimine perduel-
lionis damnatus ſit, quia juſtè pœnam ad ſuos
etiam poſteros tranſmittit, *l. ult. hoc. tit.*

Verùm jure noviſſimo variatum eſt, nam princi-
19 pio admiſſa eſt publicatio bonorum, ſi liberos non
haberent ex inculpato matrimonio inceſtas nuptias
contrahentes, *Novell. 12. §. 1.* & deinde viſum eſt
damnatis reis, etiamſi liberos non haberent, bona
fiſco non eſſe adjudicanda, ſed prioribus relinquen-
da, quod res non ſint, quæ delinquant, ſed qui eas
poſſident, nec reciprocandum eſſe ordinem, nempe
eos, qui digni pœna ſunt, relinquere, illorum autem
auferre res & ita alios punire inſontes, quos lex for-
tè ad ſucceſſionem reorum vocabat, *Novell. 17. c. 12.*
Ad extremum alia Conſtitutione placuit, bona
damnatorum, quæ olim fiſco deferebantur, aſcen-
dentibus & deſcendentibus uſque ad tertium gra-
dum reſervari, *Novell. 134. c. ult.* ubi cum nullum
extet verbum de illis qui à latere veniunt, ſed tan-
tum agatur de deſcendentibus & aſcendentibus uſ-
que ad tertium gradum, non video quid moverit Ir-
nerium, ut extenderet *Auth. Bona damnatorum h. t.*
quæ deſumpta eſt *ex d. Novell.* 134. ad fratres & cæ-
teros collaterales, qui ſunt intra iſtum gradum.
* Præterea excipitur in *d. Novell.* crimen læſæ ma- 20
jeſtatis, ob quod nulla liberorum parentumve ha-
bitâ ratione, cuncta bona reipublicæ fiſcus aufert.
Idem ſanxit Fridericus Imp. de crimine hæreſeos,
In Auth. Gazaros ſup. de heret. & rectè: cum gravius
ſit æternam, quam temporalem lædere majeſta-
tem; Obſervata diſtinctione de qua *ſupra Titul de
hæreticis*, quod bona hæreticorum fiſco applicen-
tur, niſi liberos habeant orthodoxos: nam hi fiſ-
cum excludunt, *l. 4. §. 6. l. 10. & 12. ſup. de heret.*

Quod autem legiſlatores criminum coërcitioni 21
accedere voluerunt confiſcationes bonorum, id
factum eſt, non ſine magno publicæ utilitatis
exemplo: ut quos vitæ & exiſtimationis pericu-
lum in officio continere non poterat, amiſſionis
bonorum metus terreret. Nam ſunt aliqui adeò vi-
les abjectique animi, ut bonorum amiſſione magis,
quam ulla alia vel honoris vel vitæ jactura pertur-
bentur. Sunt pleriq; (inquit Quintilianus *decl. 276.*)
qui mortem potiorem, quam egeſtatem putent.
Huc ſpectat J. C. ſententia: Malè meritus publicè,
ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſit, etiam
egeſtate laborare debet, *l. 31. ff. depoſit.* atque hic
egeſtatis, bonorumque privationis timor, parentes
ut plurimum movere conſuevit, eoſque reipubl.
amiciores reddere. Parentes, inquit Paulus, pro af-
fectu magis in liberis terrentur, *l. 7. § fin. ff. quod me-
tus cauſa.* Durum namque illis videtur, ſi ex crimi-
nis ſui occaſione, filij à materna & ab avita, ac om-
nium proximorum ſucceſſione habeantur alieni,
l. 5. ſup. ad l. Jul. maj.

Sed hodie in multis provinciis, dicit Jul. Clarus 22
in praxi §. fin. q. 18. excepto crimine læſæ majeſta-
tis divinæ & humanæ, non eſſe locum confiſca-
tioni, quæ fiebat in conſequentiam ſupremi ſup-
plicij. Idem aſſerit Chriſtinæus *ad Auth. bona dam-
nat.* niſi ex diſpoſitione ſtatuti vel conſuetudinis
aliter cautum ſit, prout in Francia & Burgundia, ubi
viget axioma, *qui confiſcat corpus, confiſcat bona*, quæ
plerumque dominum altæ Juſtitiæ ſequuntur, qui
gladij poteſtatem in loco exercet, & ad quem plera-
que

Digitized by Google

que talia regalia pertinent, ex conceſſione regia. In Germania & Belgio, utroque iſto crimine excepto divinæ & humanæ majeſtatis, confiſcationi bonorum locus non eſt, ſed ea ad cognatos quocumque gradu tranſeunt, præterquam quod hic etiam ex aliis criminibus, mobilia & quæſita fiſco applicentur, immobilia & affectata familiæ annotentur, quamdiu vivit reus. Zypæus *in not. jur. Belg. ad h.t.*

23 Quia verò etiam in quibuſdam locis, bona immobilia confiſcationem incurrunt, receptum eſt eam ſolum porrigi ad ea bona, quæ tunc poſſidet condemnatus in territorio pronuntiantis: in quo ſi diverſi ſint domini jus confiſcandi habentes, iis bona iſta acquiruntur, pro ratione & menſura juriſdictionis: reliqua vero bona quæ in territorio inferiorum dominorum ſita non ſunt, fiſcus regius in rationes tranſmittet: prout etiam ipſe ſolus bona occupabit, ob crimen læſæ majeſtatis quod regiæ cognitionis appellant pragmatici, Bacq. *tract. de droicts de Juſtice c.15.* Ant. Faber *C. de ſent. paſſ. definit. 5.*

TITULUS L.

De bonis eorum qui mortem ſibi conſciverunt.

1. *Qui ſibi manus inferunt, jure puniuntur privatione bonorum.*
2. *Diſtinctio hac in re ſervanda, probandum crimen, & ad defenſionem admittuntur hæredes.*
3. *Conſuetudo hoc crimen non punit confiſcatione bonorum.*
4. *Non dicitur crimen hæreſeos committere qui mortem ſibi conſcivit.*
5. *Hodie furca ſuſpenditur, qui ſibi mortem intulit, aut in carcere reperitur mortuus.*
6. *Excuſatur quis ob furorem, & qui ſe occidere tentavit nec perfecit.*
7. *An teſtamentum tanquam à furioſo factum ſit irritum?*

1 NOn damnatorum tantum, verùm & eorum qui pro damnatis habentur, bona, fiſco vindicantur veluti eorum qui conſcientia delati admiſſique criminis metuque futuræ ſententiæ, manus ſibi intulerunt, *l.1.h.t.* Etenim cum iſta bonorum publicatio in crimine majeſtatis locum habeat, cur in tam fœdo deſperationis & impietatis crimine non idem ſtatui dicemus? ut aliquid poſt mortem timeant, qui nec mortem timent. *Nihil non in alium auſurus fuit, qui ſe potuit occidere,* ait Seneca *lib.8. contr.4.* Qui enim ſibi non pepercit, inquit Martianus, multo minus alij parcet. *l. fin. 6. ff. h.t.* Deus cùm homicidium fieri vetuit, non tantum alios, ſed multo magis ſeipſum occidere prohibuit. Nec enim qui ſe occidit, aut lædit, alium quam hominem occidit & lædit, utrumque omni jure vetitum: nemo enim eſt membrorum ſuorum, corporis, ac vitæ dominus; unde non niſi pro fide & reipublicæ ſalute ea perdere aut prodigere licet, *c. ſi non c. placuit. 23. q. 5. c. quicumque 23. q. 8.*

Verum hujus Tit. Explicatio ut procedat, 1. Requiritur, ut reus poſtulatus, ſit in crimine deprehenſus. 2. Quod tale crimen admiſerit, propter quod bona adimantur damnato. 3. Quod metu condemnationis & pœnæ, mortem ſibi conſciverit, *l.3. ff. h.t.* Nam ſi tædio vitæ, vel impatientia infortunij violentas manus ſibi intulerit, bona ad ſucceſſores pertinebunt, *l. 1. h. t.* à quibus proinde innocentia rei erit demonſtranda & probanda poſt accuſationem, vel deprehenſionem: niſi agatur de crimine læſæ majeſtatis; in quo ſecundum antiquas leges, ſemper bonorum publicationi locus eſt; atque mortuo accuſato, tranſit in hæredes accuſatio ad effectum hujus confiſcationis, *l.2. h.t.* licet ſecus ſit in aliis criminibus, in quibus reus defunctus ante ſententiam, perimit accuſationem, *vide ſup. t. 6.* Interim ſi parati ſunt hæredes cauſam ſuſcipere, & innocentem defunctum oſtendere, non priùs bona publicanda erunt, quam crimen fuerit ſufficienter probatum, *l.3. §. ult. ff. h.t.* 2

Mores noſtri non niſi duo crimina exprimunt, hæreſim, & crimen læſæ majeſtatis, propter quæ bona publicantur. Eſt quidem non minus atrox crimen ejus qui ſibi mortem conſcivit, & parricidium æque odioſum, utique & alia crimina quæ majeſtatem lædunt, conſuetudo tamen ea crimina non pariter puniri voluit. Odioſa enim eſt bonorum publicatio, quare pœnale ſtatutum quod confiſcationem ſtatuit, reſtringi oportet, ſuiſque limitibus ac terminis retineri & concludi. 3

At videtur quod qui ſibi mortem conſcivit, crimen hæreſeos committat, propter quod confiſcationi locus eſſet. Nam hæc nefaria cogitatio ex deſperatione procedit. Deſperatio impietatis & incredulitatis ſpeciem refert, nec eſt quod magis Deum offendat. Verùm licet ita ſit, quod hoc crimen, & alia omnia Dei numen offendant, non tamen quis irreligioſus eſt, aut qui ſibi mortem conſcivit, hæreticus cenſetur, ſed is qui pertinaciter dogma falſum aſſerit, & Eccleſiam turbat, hic verò non turbat, ſed ſibi ſoli nocet, ſibi ſoli eſt infeſtus & inimicus. Annæus Robert. *lib. 1. rer. judic. c. 12.* 4

Igitur conſuetudo hoc crimen aliis pœnis coërcet, memoriæ damnandæ cauſa, ut nimirum publicè cadaver ad ſupplicij locum trahatur, & furca ſuſpendatur niſi appareat quod ſe necaverit ob valetudinis adverſæ impatientiam, aut ebrietatem non affectatam, aut furorem: quia in furioſum non cadit crimen voluntariæ occiſionis ſui, & conſequenter nec pœna, *l.12. ff. ad l. Corn. de ſicarijs,* niſi tamen in eo 5

custo-

Digitized by Google

cuſtodiendo negligentia propinquorum oſtendatur, *l. 14. ff. de off. præſid.* * Unde etiam commiſeratione magis quam pœna dignus videtur, qui abſque cauſa, ſe occidere tentavit, nec perfecit: inſtar furioſi hic eſt, ſi non ſceleratæ conſcientiæ furia eum ad id commoverit, *l. 3. in pr. ff. h. t.* Quamobrem ſi Judici conſtet, de impatientia & dolore tam miſerandi rei, eum cuſtodiæ propinquorum, & inſtructioni piæ committet. D. Tuldenus *ad h. t.* At verò ea lenitate dignus non eſt, qui in carcere invenitur mortuus, de cujus crimine conſtabat, nam in exemplum & terrorem aliorum furca ſuſpenditur, aut ea ignominia afficitur quam merebatur vivus. Farinac, *in praxi lib. 1. q. 10. n. 78. & ſeq.* Jure Pontificio qui ſibi ipſi quolibet modo vitam ademit, ſepultura privatur, nec pro illo oblationes fiunt, *c. ſi quis c. placuit 23. q. 5.* ſecùs dicendum de eo qui caſu, aut ſine cauſa metuens periculum ſeſe præcipitavit.

7 Quæritur an illius teſtamentum fiat irritum? Id aliqui affirmant tanquam à non ſanæ mentis homine factum, *arg. l. pen. ff. de condit. inſtit.* ubi æque parum mentis compos habetur is qui ſcripſit aliquem hæredem ſub conditione, ſi reliquias ejus in mare abjiceret, quæ ſuſpicio niſi perſpicuis rationibus amoveatur, admittetur hæres ab inteſtato, ut multo magis idem dicendum videatur, de eo qui teſtamentum fecit paulò antequam ſibi inferret manus. Verius tamen ex hoc conamine non conjici amentiam, cum alia cauſa dari poſſit, ob quam quis ſibi manus violentas inferat, ut non debeat ex eo colligi inſania, aut furor, ut dicenti teſtamentum factum à non habente ſenſum, incumbat ejus probatio. Quomodo *in l. 6. §. 7. ff. de injuſto, rupto & irrito teſt.* confirmatur diſtinctio, ut illius qui mortem ſibi conſcivit, ac mori maluit, quam damnari ob conſcientiam criminis, teſtamentum ſit irritum: valeat autem ſi tædio vitæ, vel dolore, id in ſe admiſerit; valere quoque hujus teſtamentum inſinuat *l. 1. h. t. in fine.*

TITULUS LI.

De ſententiam paſſis, & reſtitutis.

1. *Soli Principi liberum eſt pœnas remittere, & gratiam facere, ex cauſis.*
2. *Nihil tamen in præjudicium partis, ſed fiſci ſui.*
3. *Strictè intelligenda gratia Principis, ſine damno tertij.*
4. *Hodie quatenus procedat gratia Principis, & quos audire & conſulere ſoleat.*
5. *Reſtitutus omnia bona recuperat, etiam alienata.*
6. *Reſtituenda bona, quæ ex cauſa deportationis ad alios devenere, non etiam fructus.*
7. *Reſtituenda hæreditas, bonorum poſſeſſio & alia jura, ſi in reſtitutione addatur verbum, per omnia.*
8. *Actiones quoque reſtituuntur, reſtitutis bonis ſpecialiter. Quando & quomodo id procedat.*
9. *Teſtamentum reſtituti convaleſcit, & redit patria poteſtas. Interim quæ geſſit filius rata manent.*
10. *An teſtamentum quod deportati filius fecit reſtituto patre, vires amittat?*
11. *Quid ſi filius mortuus fuerit ante reſtitutum patrem?*
12. *Simplex indulgentia à Principe facta pœnam tollit, ſed bona, ſtatum, poteſtatem non tribuit.*
13. *Neque ſervus pœna exemptus domino reſtituitur.*
14. *Item quid operetur generalis indulgentia?*
15. *Gratia conceſſa per viam Juſtitiæ, bona etiam alienata reſtituit, non etiam fructus.*
16. *Gratiæ omnes ſolent hodie interinari, ſeu approbari à Senatu.*
17. *Quinam ſe opponere poſſint interinationi gratiæ.*
18. *Quid in Belgio ac præſertim Brabantia ea in re obtineat?*
19. *In quibus caſibus, ſeu homicidiis gratiæ Principis ſit locus.*
20. *Intra quod tempus ea concedatur.*

Poſt expoſitas pœnas, quæ pro criminibus, 1 modò ad tempus, modò in perpetuum irrogantur. Hoc titulo agitur de reſtituendis iis, qui haſce pœnas paſſi ſunt, ex ſententia. Et quemadmodum ad Principem ſupremum ſpectat reſtitutio, ita & pœnarum irrogatarum remiſſio, *l. 7. & 10. h. tit.* illi namque ſoli conceſſum eſt ſententias judicum revocare, non verò ipſis judicibus, qui dictâ ſententiâ, functi ſunt officio ſuo, *l. 14. ff. de re jud.* Adeò ut nec ipſis Senatoribus Romanis liceret ſententias retractare. *Sed non ſenatui,* inquit Tacitus *lib. 3. libertas ad pœnitendum fuit.* Verùm hac poteſtate non utetur Princeps, niſi magna ex cauſa, ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi. Quia impunitatis ſpes, magna, teſte Cicerone, eſt peccandi illecebra. Hanc igitur in omnibus rebus ſervabit moderationem, ut omnia cum dignitate, cum reipublicæ ſalute, cũ juſta ſeveritatis & clementiæ laude agat. * Nihil faciat, quod 2 ſit in præjudicium alicujus privati, qui juſtè ſuum intereſſe proſequitur, aut damnum ex delicto illatum reſarciri poſtulat; poteſt enim Princeps jus fiſci ſui diminuere, aut remittere, non item jus partis, niſi magna & publica ratio ſuadeat, illa enim prævalet privatæ, atque eo caſu cogitur Princeps penſare damnum, ſi quod indè illatum ſit parti, ut multis docet And. Gail. 2. *obſ. c. 56.* Surdus *conſ. 203. num. 28. & ſeqq. l. 2.*

Quo fit ut indulgentia Principis, qua pœnæ re- 3 miſſionem facit, ſtrictè ſit accipienda, quaſi tantum remiſiſſe videatur pœnam corporalem, vel pecuniariam fiſco debitam, non etiam intereſſe,

quod poſſet quis petere, quia eriperet alicui jus ſuum, niſi uti dictum, cauſa ſuperior poſtulet. Quod ſi pars durior reconciliationem non admittat, aut gravius æquo intereſſe petat, poterit illi Princeps modum ponere. Hinc cavendum eſt, ne quando pecuniaria pœna venit perſonæ privatæ applicanda, remiſſio delicti procuretur cum tertij iſtius detrimento, nam hoc injuſtum foret, quomodo rectè D. Ambroſius *in cap. denique 14. quæſt. 5. Si non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quam gravari alterum*; ut in hujuſmodi caſibus non ſit agendum cum Judice, ſed potius cum parte læſa, ut pœnam remittat. Clarus §. *fin. quæſt.* 59. Theſaur. *deciſ.* 21. Itaque in detrimentum tertij non eſt facienda remiſſio, ne quidem Principi, cui pœnam publicam remittendi major eſt licentia, & diſpenſandi ex ſufficienti cauſa, ne temerè lædat rempublicam, nam etſi legibus ſit ſolutus, quoad vim coactivam, quoad directivam tamen legibus ſe alligatum profitetur, *in l. 4. ſup. de legib.* de qua multa apud Covarruv. *ad cap. alma mater p.* 1. §. 1. *n.* 5.

4 Eo pertinet quod hodiè Princeps non utatur abſoluta hac poteſtate, ſed priuſquam veniam criminis indulgeat, ſoleat ſenatum ſuum conſulere, atque ab eo ſcripto accipere ſuam opinionem, itemque audire procuratorem fiſci, cujus intereſt criminis vindictam proſequi, utque privato accuſatori ante omnia ſatisfaciat. Non quidem procuratoris hujus conſenſus adeò exquiritur, nam tametſi diſſentiat, conceſſa Principis indulgentia ſecuritatem reo tribuet, niſi pars doceat eam ſubreptitiè fuiſſe impetratam, quoniam (ut dixi) non ſolet, nec debet bonus Princeps gratiam concedere, cum partis, aut tertij alicujus detrimento Kinſchotius *de remiſſ. homic. cap.* 13.

Contingit principalis remiſſio, vel per reſtitu-
5 tionem in integrum, vel per gratiam ſive indulgentiam. Illa innocentem declarat, iſta quaſi facit. Priore caſu reſtitutus recuperat ſimul dignitatem, famam, bona omnia, *l. 1. h. t.* vel eorum pretium ſi à fiſco alienata ſunt, & ex bonis factus ſit locupletior. Eſt enim eadem ratio in pretio quæ eſt in bonis, cum illud ſit loco rei, *l. 18. ff. quod metus cauſa.* Id tamen non procedet in bonis quæ jam Princeps donavit, cum ex iis non ſit factus locupletior: niſi reſtitutio in ampliſſima forma emanaverit. Clar. §. *fin. q. 59. n. 6.* Fachinæus *lib. 9. contr. cap.* 18.

Sed an cogantur reſtituere illi, ad quos bona
6 mediatè ex cauſa deportationis devenere? Ita videtur, cùm ipſis non tam quid eripiatur, quam ceſſet cauſa acquirendi. Quomodo & filius qui ſui jurisfactus erat per deportationem patris, reincidit in reſtituti poteſtatem, cui dignitas ac bona reſtituta ſunt, *l. ult. §. 1. h. t.* fructus tamen ex iſtis bonis interim percepti non ſunt reſtitutioni obnoxij, cùm ſint percepti ex illis bonis quæ illo tempore erant percipientis, & nunquam fuerint in bonis reſtituti. Gail. *l. 2. de pace publ. cap. fin. num.* 28. Nam nec percepti fructus comitantur bona quæ hæretico reſipiſcenti reſtituuntur. *Auth. Idem eſt, de hæreticis.*

Operatur itaque reſtitutio redintegrationem 7
prioris ſtatus, & omnium jurium ac ſi ablata non fuiſſent; tantum, inquit Imperator, ad reſtitutionem indulgentia valet, quantum ad ademptionem valuit ſententia, *d. l. ult.* Hinc reſtitutus hæreditatem alteri delatam recuperat, & bonorum poſſeſſionem petens, ad eam admittitur, *l. 1. §. fin. ff. de bonor. poſſ. contra tab.* repulſo etiam nepote, qui ad hæreditatem aliàs reſtituto competentem erat admiſſus. Fachin. *lib. 1. contra. cap.* 39.

Idque ne ſine effectu ſit reſtitutio, quâ per omnia priſtinum ſtatum, damnatum recuperare exiſtimo, quoties clarè, aut ex conjecturis de mente Principis apparet, ut cùm in reſcripto, verbis *per omnia* jungitur verbum *reſtitutus*, vel cum Princeps dicit, *Ordini tuo, honoribus, & cæteris omnibus te reſtituo, ut in l. 1. h. t.* vel jura Titij reintegro, vel *in integrum reſtituo*, cenſetur omnia jura reddere quæ per ſententiam extincta fuere. Sfortia Oddo *de reſt. in integr. 1. art. 1. & q. 93. art. 1.* Merenda *lib. 6. contr. cap. 7.* remanet tamen quædam adhuc macula, quæ dilui & abſtergi non poteſt. Eſt enim gravata reſtituti exiſtimatio apud honeſtos, & graves viros, etſi infamia notatus non ſit.

Cum igitur bona reſtituantur, conſequens eſt 8
actiones quoque reſtitui. Quapropter ſi quis cum defuncto egerit proſcriptus, poſtea reſtitutus ſit cum bonis ſuis, litem ante proſcriptionem inchoatam, rectè poteſt perſequi & peragere, *l. 11. h. t.* Sed & creditoribus quoque adverſus eum actiones reſtituuntur, idque pro ea parte bonorum, quam recepit, *l. 3. h. tit.* Quod ſi fiſco debeat & ob pecuniam debitam à fiſco bona ejus occupentur, & ob id proſcribatur, manet cum ſuis fidejuſſoribus obligatus, quod ſecus eſſet in proſcriptione ex delicto, *dict. l. 3. in fin.* Ea enim efficit ne vel ipſe vel ejus fidejuſſores anterioribus creditoribus teneantur, adeo ut quamvis poſtea fiat locupletior & reſtituatur, à nemine tamen conveniri poſſit, *l. 4. h. tit.* quia poſt publicationem bonorum active & paſſive exuitur actionibus, quæ in fiſcum cum bonis tranſeunt, & proinde amplius non tenetur, nec ipſe actiones quas habuit movere poteſt, quia remanet in cauſa bonorum publicatorum, niſi ſpecialiter ſtatum priſtinum, cum bonis recuperaverit, *l. 5. h. t.* iis namque receptis, improbe conatur, & contra leges facit protegendo ſe ſceleris pœna,

contra

Digitized by Google

contra creditores quo minus jure debitum ſolvat, *l. 12. h. t.*

9 Porrò nulla dubitatio eſt, quin teſtamentum deportatione irritum, per hanc reſtitutionem convaleſcat, quandoquidem illa fit loco poſtliminij, quod facit teſtamentum capti, vires ſuas recipere perinde ac ſi captus non fuiſſet teſtator, *l. 12. ff. de capt. & poſtlim.* In cujus etiam poteſtatem filius reincidit, ita ut extinguatur tutela impuberum liberorum reſtituti, quia tutela non eſt niſi eorum qui ſunt ſui juris; Ita tamen ut geſta interim per filium, qui paterfamilias erat, & legitimæ ætatis, rata ſint, *l. ult. §. 1. & 2. h. t.* ſubjuncta ibi ratione, quod abſurdum ſit, eodem tempore, nec in patris, nec in ſua quempiam fuiſſe poteſtate. Dico legitimæ ætatis, quia minor 25. annis nihil rectè gerere poteſt, maximè ſi curatore deſtituatur.

10 Quæritur an patre reſtituto, filij teſtamentum corruat? Minimè, ſi quidem factum ſit ab eo qui ſui juris erat, & dicat Imperator generaliter omnia per filium geſta valere, *in d. l. ult.* Non obſtat, quod capto patre, teſtari nequeat filius in civitate exiſtens, *l. 2. §. 3. ff. unde legitimi*, quia incertus eſt de ſuo ſtatu, quamdiu pater ab hoſtibus reverti poteſt, incertus autem de ſuo ſtatu non rectè teſtatur, *l. 1. ff. qui teſtam. facere*, neque enim captivitas propter jus poſtliminij facit ſtatum filij certum: at vero deportatio patris abſolute facit filium eſſe ſui juris, nihil faciente ſpe reſtitutionis, quæ utpote remota non ſuſpendit filij ſtatutum. Ita Gloſſa & Irnerius, quem ſequitur Cujacius *in d. l. ult.* à quibus diſſentit Baſilica, & Joannes, teſtamentum hoc filij reſcindi, non cætera geſta, propterea quod in eum ſtatum devenerit, à quo inchoari nequit, ut quia nunc filius invenitur alieni juris, *dict. l. ultim. in princ.* factumque videatur teſtamentum ſuper rebus quæ ejus non ſunt pleno jure. Non obſtant verba generalia *dict. l. ultim.* omnia per filium majorem 25. annis interea geſta rata eſſe, nam accipienda de contractibus, ut indicat verbum *geſtum*, ſecundum *l. 20. ff. de verb. ſignif.* non de iis quæ plenam perfectionem, nondum conſecuta ſunt, ut teſtamentum, quod vires accipit ex morte diſponentis, *l. 4. ff. de adem. Legat.* ibi Salicetus.

11 Quod ſi vero filius mortuus fuerit ante reſtitutum patrem, teſtamentum ejus pleriſque videtur manere firmum, quaſi legitime conditum, quod non devenerit in caſum à quo inchoari non poſſit, *gl. in dict. l. ult. in pr.* habeatque locum ſupradicta ratio, quod abſurdum eſſet eodem tempore nec in patris, nec in ſua quempiam fuiſſe poteſtate: ita ut jus ſit quæſitum hæredibus inſtitutis per mortem teſtatoris. Puto tamen hujuſmodi bona poſſe auferri iſtis hæredibus, propter reſtitutionem patris, quia cauſa deportationis ob quam ad eos bona devenerunt, jam redacta eſt ad non cauſam. Eo pertinet *d. Auth. Idem eſt ſup. de hæret.* ubi liberi hæretici exhæredati ſi revertantur ad fidem non reſcindunt quidem teſtamentum parentum, quia legitime factum, orthodoxis tamen fratribus partem auferunt.

12 Atque hæc de effectu reſtitutionis, per quam ſententiam paſſus priſtinum ſtatum, & in conſequentiam bona, ordinem, famam, dignitatem recuperat, quam ſententiam condemnationis habebat *d. l. 1. h. t.* Cæterum ſimplex criminis indulgentia, indictam crimini pœnam tantummodo tollit, nec reſtituit bona damnato, *l. 2. h. t.* nec ei ſalvæ manent actiones prius competentes, *l. 5. h. t.* nec contra ipſum *l. 4. eod.* Nec filius impetrata indulgentia, recidit in poteſtatem patris, *l. 6. h. t.* ſicut nec pater revocatus ex generali indulgentia, recipit patriam poteſtatem, *l. 9. h. t.* niſi ut dictum ſupra, ſpecialiter gratia Principis intervenerit, *d. l. ult.* Nec movet quod indulgentia Principis latiorem interpretationem admittat, *l. 3. ff. de conſtit. princip.* quia id non procedit quando jus filij aut alicujus tertij imminuitur, prout hic, ſi ille rurſus patriæ poteſtati ſubjiceretur.

13 Eadem ratione ſervus damnatus, & pœnæ exemtus, ob hanc indulgentiam, non recidit in poteſtatem prioris domini, ſed fiſci ſervus manet, ita tamen ut non poſſit impune veterem dominum injuria afficere, & ſi quid rerum ad eum pertinentium detineat, cognoſcente procuratore fiſci reſtituere teneatur, *l. 8. h. t.*

14 In ſumma generalis iſta indulgentia, reditum in patriam deportatis tribuit, non etiam locum militiæ, non famam, neque integram atque illibatam exiſtimationem reſervat, *l. 7. h. t.* Interim is quem abſentem Præſes annotavit requirendum, ſi redierit, impetratâ indulgentiâ, extra omne periculum calumniæ eſſe dicitur, *l. 10. h. t.* Nam iſtius indulgentiæ hic ſaltem eſt effectus, quod plenam ſecuritatem tribuat & ſententiam præſidis contra delinquentem latam enervet, in eo quod per indulgentiam reſtituitur. Ideoque diligenter examinari debet reſcriptum remiſſionis, quod à Principe impetratum eſt, gratiæ ne ſit an juſtitiæ, quia cum hoc innocentia rei declaret, eidem omnia bona, atque alia quovis modo ablata reſtitui oportebit, una cum fructibus, cum cauſa ablationis ab initio non ſubfuerit. Quod ſecus ſe habet ſi generali Principis indulgentia quis reſtitutionem obtinuerit. Ut patet ex proxime dictis.

15 Quod ad mores noſtros attinet, conſentiunt & illi in eo, quod cum Princeps gratiam indulget, via juſtitiæ, propter rei innocentiam, eidem bona omnia etiam alienata reſtituantur, non tamen fructus per fiſcum collecti, & jam conſumpti, iis enim reſtitutum carere æquum exiſtimat Boſſius, ac ſolum recuperare fructus extantes, *tit. de remed. ex ſola clem. princip.* At vero cum pœnam criminis

remittit,

Digitized by Google

remittit, veniamque indefinite concedit Princeps, vel Dominus (ex conceſſione Principis) hanc gratiam non extendi ulterius, quam ad bona, per conceſſorem gratiæ publicata, tenet idem Auctor allegans Salicet. *in l.10. h.t.* & Anchor. *Conſ.160.* abſurdum enim eſſet, ut delinquens fructuum quæſtionem fiſco referret, qui utique bonæ fidei poſſeſſor eſt. Confirmatur hæc conſuetudo etiam jure per *Novell.115.c.3.§.ſi quis 14.* ubi filio hæretico reſipiſcenti, & ad Eccleſiæ gremium redeunti, bona publicata reſtituuntur, ſed ſine fructibus. Fachin. *lib.1. contr. cap.38.* Similiter hac indefinita reſtitutione non comprehendi bona per Principem, aut dominos inferiores poſt publicationem alienata & donata aliis tenet Menochius cum multis, quos refert *Conſ. 103. n.25. vol.1.* & probatur eorum opinio *ex l.ult.h.t.*

16 Cæterum quæcumque gratiæ concedantur, omnes ſolent à ſenatu interinari, ut loquuntur pragmatici, eſt autem interinatio, approbatio, quæ in cauſæ cognitione verſatur, quoad ſubreptionem vel obreptionem impetratæ gratiæ, longe diverſa ab ea quæ veram innocentiæ probationem requirit. Clar. *§.fin.quæſt.59.num.10.*

17 In Gallia comprobationi venialium litterarum ſe opponere ſolent ſucceſſores occiſi, ut quod ſua intereſt conſequantur. Non item Juridici, ſeu domini locorum, in quorum territorio vel homicidium factum eſt, vel in quo homicida habitabat, etſi jus confiſcationis ad eos, niſi gratia fieret, pertineret. Neque prætextu confiſcationis impedire poſſunt comprobationem; Princeps namque eam remittere cenſetur, & ita judicatum refert Papon. *tit.17. art.1. & 2.* Quod juri convenit, quo cavetur ne domini temporales, qui jus confiſcationis percipiendæ ex privilegio Principis habent; bona ante condemnationem factam à Judice, cujus notio eſt, accipiant *cap. cum ſecundum leges 19. de hæret. in 6.*

18 At in Belgio, ac præſertim in Ducatu Brabantiæ plenius jus competit dominis inferioribus & Baronibus, habentibus altam juſtitiam, qui cum etiam habeant gratiæ concedendæ facultatem, eorum potiſſimum intereſt, ne veritate celata à Principe impetretur, quod ipſi concedere potuerunt, & forte denegarunt ob enormitatem criminis in ſuo territorio commiſſi, quæ cauſa Senatui incognita, eique diverſa informatio data cum ſit, meritò ſe approbationi litterarum opponere poſſunt, ac etiam eorum officiales, ſi citati & auditi non fuerint. Nec in hoc auctoritati Principis derogatur, cum omnia ejus reſcripta intelligantur conceſſa, ſalvo jure tertij, *l.2.§.10. & 16. ff. ne quid in loco publico.* Itemque extet ſtatutum Caroli V. Imp. quod aperta veritate in hiſce cauſis procedi jubet, & conſanguineis occiſi permittit nedum ſubreptionem litterarum allegare, ſed & criminaliter contra impetrantes procedere, & in eo fiſci vicem ſupplere. Quod tamen in aliis regnis non admittitur, nec opponere ſe licet approbationi litterarum remiſſionis. Videatur Boſſius *d. titul. de remed. ex ſola clem. princip.* Ant. Faber *in Cod. h.t. defin.8.* Henr. Kinſchotius *tract. de remiſſ. homic.*

Cum igitur pendeat gratiæ conceſſio ex arbitrio 19 concedentis, conſtare ipſi omnino debet de crimine, eitam homicidij, ſive defenſionis gratia, ſive iracundia & deliberato animo commiſſi. Nam ſi ex inſidiis, in hoc ſtructis, committatur, nunquam veniâ dari ſolet à Principe, quamvis poſſit, penes quem eſt vitæ & necis poteſtas. Ob criminis tamen enormitatem non expedit hanc gratiam dari, ne facilitas veniæ aliis incentivum tribuat delinquendi: Quia impunitatis ſpes (ut ſupra dixi) eſt peccandi illecebra. Unde etiam indulgentia Principis à ſenatu rejicitur, potiſſimum ſi fiat reis, qui alias criminis alterius commiſſi veniam habuerint, ne crimina bis commiſſa maneant impunita, *l.3. in fin. ſup. de Epiſc. audient.*

Poſtremo non ſolet criminum venia dari intra an- 20 num, quod tam præceps gratiæ conceſſio multos offenderet, & ad delinquendum invitaret. Deinde quod admodum turpe eſſet, homicidam ſanguine etiamnum caleſcente ambulare, in conſpectu eorũ quos offendit. Videantur Boſſius & Kinſchotius, & alij citati. Veniam autem delicti ante pacem cum parte initam concedi non poſſe, dixi *tit.43.*

FINIS LIBRI NONI.

ANTO-

ANTONI PEREZI J.C.

IN LIBRUM DECIMUM

CODICIS JUSTINIANEI

PRÆLECTIONES.

TITULUS PRIMUS.

De Jure Fiſci.

1. *Continuatio, & diſtinctio bonorum in publica & privata.*
2. *Publica Principis ſunt, uti & res fiſcales, ex quibus ad rempublicam redit utilitas.*
3. *Ærarij, & Fiſci diſcrimen. Unde ærarium augeretur. Illud augere cum oppreſſione ſubditorum, non licet.*
4. *In Monarchia ærarij & fiſci res confundi cœperunt.*
5. *Fiſcus proprie eſt ſupremi Principis; civitates, Domini Vaſſallorum & Epiſcopi improprie fiſcum habent, neque faciunt confiſcationem.*
6. *Diverſis Magiſtratibus cura ærarij, & fiſci demandata, illi ſummatim recenſentur.*
7. *Diſtinctio bonorum principatus. Bona corona incorporata nequeunt alienari abſque aſſenſu ordinum.*
8. *Princeps legibus regni adeo ſubjectus eſt, ut non poſſit bona corona alienare.*
9. *De bonis, qua acquirit, & jure ſuperioritatis ei competunt, diſponere poteſt.*
10. *Bona qua appanagia dicuntur, quo pacto concedantur, & quibus?*
31. *Quinam hodie Principis bonis aſſervandis præſint.*
12. *Suſceptores à quo creabantur, & cujus periculo.*
13. *Illi ſibi miniſtros eligebant, qui in provincijs tributa reciperent, & de receptis rationes redderent.*
14. *Supputatio rationum quatenus valeat?*
15. *Quid ſi in ſupputatione error intervenerit & deſuper ſententia judicis approbata ſint rationes.*
16. *Rationes ſemel expuncta an ſint reiterandæ, & quid ſi dolo fuerint facta?*
17. *Quid cavere debeat adminiſtrator dum rationes reddit & quando contra eum juramentum in litem deferatur.*
18. *Qualiter puniatur qui fraudem fiſco facit, in rebus & pecuniis acquirendis & acquiſitis,*
19. *Qui pecunias necdum fiſco delatas ſubtrahit in duplum punitur.*
20. *An negotiator dupli pœna teneatur, qui pecuniam regiam litteris Cambij tranſmittendam ſuſcipit, nec facit.*
21. *Suſceptor ditatus præſumitur ex bonis fiſci, non item tutor ex bonis pupilli.*
22. *Si adminiſtrator ex pecunia publica prædia comparavit, an poſſit fiſcus ea capere, vel debeat jure agere ad pecuniam?*
23. *Privilegia fiſci, competunt & privato patrimonio Principis, in contractibus cum privatis initis.*
24. *Quid ſi fiſcus agat contra donatarium, hic probare debet rem ſibi fuiſſe prius donatam.*
25. *Qua actione hic fiſcus egerit, contra donatarium.*
26. *Alienatio in fraudem facta, poſt contractum capitale crimen revocatur, ſecuta condemnatione.*
27. *Mortuo reo ante condemnationem ejus bona fiſco non acquiruntur.*
28. *Quando ex crimine defuncti conveniatur ejus hæres.*
29. *Qui ex reditibus regalibus aliquid ſubtrahit, ſi moriatur ante accuſationem, contra ejus hæredes agitur.*
30. *Ob defraudatum vectigal à defuncto, convenitur ejus hæres.*
31. *Fiſcus bona ſcelere quæſita auferens non obligatur, niſi pro rata patrimonij.*
32. *Metœci ſeu tranſlati in aliam civitatem, compelluntur bona ſua vendere antequam migrent, alias fiſco applicantur.*
33. *Ni aliud Princeps decreverit, ut cum cives non eſſent, hæredes exiſtere nulla lege vetantur.*
34. *Bona alicujus ſi publicentur ſtatu integro manente non ex hoc prohibetur alia acquirere.*
35. *Reſiſti poteſt miniſtro & executori qui ad bona occupanda mittitur, ſine litteris: item nuntio citanti abſque mandato judicis.*
36. *Fiſcus lite pendente non poteſt privato cum quo litigat poſſeſſionem auferre, ſed bene illius facultates deſcribere,*

qui pecuniæ præeſſent, dein hæc cura ad Ædiles tranſlata, poſtea ad Præfectos & Prætores, tandem in perpetuum creatus Præfectus ærarij, cujus ſumma in urbe erat auctoritas, ut in Provinciis Procuratoris Cæſaris, quia uterque in cauſis ærarij & fiſci, partes judicis ſuſtinebat inter fiſcum & privatum, bona fiſco delata agnoſcebat, vel repudiabat, *l. 4. §. ſi bona ff. fideicommiſſ. libert.* Erat & Procurator privati patrimonij, ejuſque exemplo conſtitutus ab Hadriano Cæſare, fiſci patronus, qui cauſam ærarij tueretur & augeret, cui non abſimilis Procurator ſacri patrimonij, ab Anaſtaſio Comitis titulo inſignitus. Item Rationalis qui in Provinciis munus quoque procuratoris fiſci obibat, & minus ærarium curabat, majus autem Comes ſacrarum largitionum. In minori continebantur bona Principis propria, & obtenta priuſquam imperio potiretur. In majore aſſervabantur bona, quæ Imperatori ratione imperij competebant. Fecerunt quoque minora æraria in provinciis ſub cura Rationalis ſummarum, qui diſtinctus erat à Ratiocinatore qui rationes tantum diſcutiebat. *Novel.* 128. *c.* 7. Et à Rationali rei privatæ, qui redituum omnium rationes curabat, *l. 2. C. Th. h. tit.* Et parebant Rationali ſummæ rei, qui Procurator rerum Auguſti vocabatur. Suetonius *in Vitellio c. 2.* Apud nos Quæſtor generalis dicitur. Alius erat Curator Principis & Reipublicæ, qui rationes tantum ſubducebat & accipiebat, & Actores procuratoreſve rei privatę pecuniam aliis, & ſtipendia militibus numerabant. Omnes autem poſt tempora Conſtantini, ſubeſſe cœperunt Comitibus ſacri patrimonij, & largitionum. De quibus dixi *lib.* 1. Et fuſe de omnibus hiſce Præfectis rei nummariæ Jac. Gutherius *lib. 3. de off. Dom. Aug. c. 18. 32. 33. & aliis.*

7 Atque hæc de iis qui bona Principis vel reipublicæ curabant, & adminiſtrabant, ſed alia poteſtate & auctoritate, quam noſtri ſeculi Quæſtores, & Aſſeſſores ærarij Regij, nec id mirum cum alia ſit nunc ratio bonorum Principis, quæ & ipſa inter ſe ſunt plane diſtincta. Alia namque Princeps poſſidet, ut caput reipublicæ, quæ quia ejus principatui & coronæ unita ſunt, non poſſunt à Principe alienari, nec ejus ſolius juſſu, ubi publica cauſa urget, niſi accedat ordinum aſſenſus, & approbatio. Etenim iſtorum bonorũ ſolus uſusfructus penes Principem eſt, eique ſola permiſſa adminiſtratio, non ſubſtantiæ diminutio, aut alienatio. Habet ſe Princeps erga bona principatui incorporata, ſicut maritus erga dotem uxoris, quam non poteſt diminuere. Et quamvis legibus ſolutus Princeps eſſe dicatur, *l. 31. de legib.* non tamen eſt ſolutus legibus fundamentalibus ſui principatus, quæ quaſi ex jure gentium ſunt, & quibus cum inauguratur, jurisjurandi religione ſe obſtringit, *c. 33. ii. de jurejurando.* * Ut
8 non pro arbitrio, quod tyrannorum eſt, ſed lege ac ratione ligatus, Princeps dominetur. Ariſtot. 5. *Eth. c.* 6. Quare ſapienter Antiochus 3. miſſis ad ſingulas civitates litteris, dixit: *Mandatis meis non obtemperetis, ſi non ſint è republica, aut ſi quid contra leges ſtatutaque majorum ſcripſero.* Quo pertinet illud Theodoſij, nihil majeſtate regnantis dignius, quam legibus alligatum ſe Principem profiteri, & illis ſubmittere principatum, *l. 4. ſupr. de legib.* Unde errant qui adſtruunt voluntatem Principis pro lege eſſe, proindeque illi licere abſoluta ſua poteſtate alienare bona principatus, cum ea ex jam dictis, legibus coronæ, & principatui ſint conjuncta, & illius quędam membra facta, nec ab eo unquam poſſint ſeparari, aut in alium transferri. Fateor habere Principem abſolutam poteſtatem, ſed quam leges publicæ coërceant, ſecundum quas nihil de regni integritate diminuere poteſt. *Plura hac de re infr. tit.* 14.

Sunt & alia bona, quæ Princeps acquiri tanquam 9
privatus ante principatum, vel regnum obtentum, vel etiam poſt, idque ſucceſſionis jure, vel titulo legati, donationis, emptionis, vel ſimili, quæ bona divinæ domus, res privatæ, Dominicæ in legibus appellantur, quæque in commercio non ſunt, non quod abſolute illorum commercium non ſit, ſed quia diſtrahi non ſoleant, niſi juſſu Principis, *l. cum ſervus 39. §. conſtat. 7. & ſeq. ff. de leg. 1. l. 7. ſup. ubi cauſ. fiſcal. l. 3. ſupra de quadr. praeſc. l. fin. C. de fundis rei privat.* Denique alia bona ſunt quæ jure ſuperioritatis Principi competunt, ejuſque fiſco accedunt, ex indictionibus, vectigalibus, bonis damnatorum, vacantibus, caducis, & pœnis, *l. 1. ff. h. tit.* Quæ quidem bona proprie jura fiſcalia vocantur, de quibus diſponere poteſt Princeps tanquam propriis. Nam hæc bona privata cenſentur quamdiu non aggregantur ſacro ærario, ſeu coronæ unita ſunt, atque ita communibus commerciorum regulis ſubjacent, & alienari communi jure poſſunt, ac præſcribi ſpatio regularium præſcriptionum.

Quod diverſum eſſe dicimus in bonis ſacri patri- 10
monij, ſeu coronæ, quorum adminiſtratio eſt Regibus permiſſa, non item alienatio, niſi accedat ordinum conſenſus, & publica extremaque neceſſitas (quæ ut Cicero ait, ſuprema lex eſt) id poſtulet. Is namque ordo eſt rerum, ut privatæ ſemper publicis, tanquam excellentioribus cedant. Argentræus *ad conſuet. Britan. art. 266. c. 19.* Choppinus *de Domanio lib. 1. tit. 2. n. 17.* Charondas *lib. 7. reſp. 7.* Joan. Papo *in ſelect. concil. Franciæ lib. 5. tit. 10. art.* Qui omnes tenent bona Domanij ſeu coronæ, qualia cenſentur Ducatus, Comitatus, cedi aut alienari non poſſe, quæ vero ex illis in appanagium dantur, ex lege regni, ſecundo & tertio genitis ad eorum ſuſtentationem, proviſionemve, & filiabus Regis in dotem, conſolidationi eſſe obnoxia, ut ſi ſine liberis maſculis decedant, aut delinquant, bona

iſta

Digitized by Google

iſta ipſo jure ad coronam ſeu domanium redeant. Imo quod verius, penes domanium ſemper manent, ſolo uſufructu proviſionaliter conceſſo, alias contingeret regium patrimonium ſenſim diminui ac enervari.

11 Quinam autem ærario præeſſent, & bona fiſci adminiſtrarent, augerent, & aſſervarent ſupra recenſui. Hodie iſtorum præfectorum loco habemus ærarij regij Aſſeſſores, quos Hiſpani vocant *Conſejeros de Hazienda, y Contadores majores.* Illis in Gallia & Belgio præſunt *Chefs des Finances*, & ſupremus Theſaurarius, quorum munus eſt conſiderare qua ratione confici pecuniæ poſſint, quomodo tributa imponi & aliquando augeri, impenſas belli paciſque tempore curare; item ut reditus regij patrimonij & jura quæ ſupremæ poteſtati cedunt vel accedunt, ſolvantur. Ideo in eo viri eſſe debent magnæ fidei & auctoritatis, qui Juriſperiti & Politici ſint, & œconomiæ rationem accuratiſſime teneant. His ſubſunt Quæſtores, vulgò receptores & coactores publicæ pecuniæ: Item Camera rationum, in qua Magiſtris ratiociniorum, omnes alij quibus pecunia commiſſa eſt, reddere rationem tenentur.

12 Quænam autem fuerit forma ſuper creandis fiſci ſuſceptoribus, aliiſque officialibus, non declarat hic Imperator, ſed illam inſinuat *in l. 2. & 8. infra de ſuſcept.* Vult enim rei dominicæ ſuſceptores, omni ambitione ceſſante creari, ex diſpoſitione Comitis rerum privatarum, & periculo procuratorum, quorum induſtria & diligentia. Comes iſte gubernabat privatam Principis ſubſtantiam. Ideoque ſi ſolvendo ſuſceptores non erant, omne damnum redundabat in Procuratorem rei dominicæ, qui in creandis & aſſumendis ſuſceptoribus cautior eſſe debuerat *l. 9. h. t.* Ibidem jubet Imp. antiquam conſuetudinem obſervari in creando Irenarcha, & Optione, de utroque infra. Item in pabulis jumentorum, & annona, quæ optionibus, exactoribuſque militaris annonæ præſtabatur: Item ſuſceptoribus, aliiſque rei Dominicæ, & privatæ miniſtris, de quibus dicemus ſuis locis.

13 Cæterum ſuſceptores hi, miniſtros ſibi eligebant quos mittebant in Provincias, vocabanturque Tabularij, & coactores (quos nos commiſſos vocamus, de quibus *infr. tit. de ſuſceptoribus.*) Ut ibidem pecuniam colligerent, tributa reciperent, & de receptis rationes conficerent, & examinarent cum debitoribus fiſcalibus, quas deinde rationes in publicum ærarium inferebant.

14 Verumtamen illorum rationibus & computationibus, non prius tribuebatur auctoritas aliqua, quam procuratoris Cæſaris, ſeu rationalis ſententia fuiſſent comprobatæ, *l. 1. h. t.* Et recte, propter periculum quod imminebat procuratoribus rei privatæ uti & hodie Quæſtoribus regiis, ſi eorum miniſtri & ſupputatores in calculo errent, aut deſinant eſſe ſolvendo. Quamobrem ſi contingat in computatione error aliquis, is corrigendus erit, cum poſſit etiam poſt decennij, aut vicennij tempora revocari. *l. 8. ff. de adm. rer. ad civit. pert.*

Quid igitur hodie ſi ſententia judicis, approbatæ ſint rationes? Et quidem ſi coram judice delegato, fuerint redditæ, ejuſque decreto approbatæ, adhuc poterunt retractari uſque ad triginta annos, nec obſtabit res judicata, quoniam delegatus exceſſit fines mandati ſui, qui cum ſolum conſtitutus fuerit ad rationes liquidandas, voluit nihilominus approbare rationes, & erroneas forte confirmare, quod ei non licet, neque aliis calculatoribus, qui tantum habent facultatem calculandi ac diſpungendi rationes, illaſque coram judice producendi, non item pronuntiandi ſuper articulis rationem: id enim ſolum judici ordinario permiſſum eſt, utpote habenti juriſdictionem, cujus proinde confirmatio & ſententia, cum auctoritatem habeat rei judicatæ, non poterit retractari ob errorem aliquem, quia ſi ob quemvis errorem res judicata, vel tranſactio rite facta reſcinderetur, nullus eſſet litium finis. Giphanius & Gilkenius *ad l. un. C. de errore calc.* Amaya *ad l. 2 h. t. n.* 53. Ubi plures Doctores refert. 15

Obſervanda proinde erit diſtinctio, aut enim rationes legitime fuerunt diſpunctæ & ſententia judicis ordinarij approbatæ, & tales non debent iterum videri, nec examinari, quia reipublicæ intereſt ne rationes redditæ liteſve ſopitæ ſuſcitentur, & fiant immortales. Aut nondum fuerunt approbatæ & confirmatæ à judice, & tunc intra tempus decennij, aut vicennij revideri poterunt, ſi id à parte petatur, & error ab ea allegetur, juxta *d. l. 8. & l. 13. §. 1. ff. de diverſ. & temp. praſc.* Dico confirmatas rationes & approbatas, non retractari, niſi poſtea appareat, fraude & dolo quid in illis fuiſſe expunctum, aut omiſſum, quia ubi de eo conſtiterit iterum examini calculatorum ſubjici poterunt, quantumvis in priore calculatione fuerint adhibitæ renuntiationes, & pœnæ appoſitæ, adverſus eos qui contradixerint. Babadilla *l. 5. polit. cap. 4. num. 76.* Amaya *d. loco & ad l. fin. inf. de Apochis publ. num. 6.* Eſcobar. *tract. de ratiociniis c.* 41. Qui cum aliis in praxi ſe obſervaſſe referunt, oneratum fuiſſe adminiſtratorem reſpondere (non obſtante exceptione rei judicatæ) ſuper aliquibus partitis dolo & fraude omiſſis, in calculo, cum actor non urgeret exhibitionem rationum quæ jam erant approbatæ, ſed quas conſultò omiſerat adminiſtrator. 16

Cavere proinde debet quicumque aliena negotia adminiſtrat, ne mendacij & perjurij, in rationibus convincatur, quia ex eo ſolo abſque alia probatione præſumitur quod dolo fuerit verſatus in adminiſtratione, & adverſus eum deferri poterit juramentum 17

Digitized by Google

mentum in litem. Alexand. *Conſ.27.lib.7.* Itemque id locum habet ſi ſigillatim in libro rationum, ea quæ quovis die, & à quo receperit, & in quo expendit adminiſtrator annotavit, ſi cauſam ex qua ſolvit, vel recepit, omiſit, vel aliquam appoſuit ita intricatam, ex qua fraus & dolus præſumatur. Scobar. *d.loco c.10.* & Gutierrez *de juram.p.1.c.40.n.18.* Ubi dicunt quod ex ſolo Domini juramento, res & rerum qualitas, æſtimatio, fructus, & proventus probabuntur, ita ac ſi nullum librum rationum exhibuiſſet adminiſtrator.

18 Quod ſi autem in libro rationum res aliquas deſcribere neglexerit, vel eas ſurripuerit, quemadmodum hæres & tutor doli & fraudis convictus, duplum reſtituere compellitur, *l. fin. §. licentia C. de jure delib. ibi Salic.* At vero reipublicæ adminiſtrator graviore animadverſione punitur, ſi pecuniam publicam ſurripiat, *tit. ſup. de crimine pecul.* Si verò pecuniam Principi debitam remiſerit, aut jam in fiſcum tranſlatam ſumpſerit, remve aliam fiſcalem diſtraxerit in fraudem fiſci, quadrupli redhibitione conſtringitur, *l.8.h.t.* Et revocatur res quocumque modo alienata, *l.45.ff.h.t.*

19 Qui enim contractibus fiſco pernicioſis ſe implicat, ejuſque res pecuniaſve dolo malo dilapidat, non adminiſtrator, ſed interverſor eſt. Quod intelligendum de rebus fiſco jam delatis, quia qui res nondum delatas & acquiſitas ſubtrahit (puta à debitore fiſci) in duplum punitur, *l.7.h.t. ivi: Tantum aliud mulctæ nomine, quantum fuerit per fraudem ablatum.* Facit *l.46.§.2.ff.h.t. & l. 1. §. 9. ff. de falſis.* Ubi abſque alia probatione fraudis adminiſtrator qui in rationibus reddendis fiſcum decepit, dupli pœna coërcetur. Menochius *lib.2.arbitr caſ.586.* Et citati à Joanne Larrea, *allegat. fiſcal.38. n.6.* Ubi addit, hanc pœnam dupli (adjuncto ſimplo) eſſe tripli, ex ſtilo & lege regni Hiſpaniæ, de qua & aliis pœnis *infra tit.70.in fin.*

20 Quæritur an alia pœna puniatur negotiator, qui pactus eſt cum miniſtris Principis, de tranſmittenda pecunia in alias Provincias, datis litteris Cambij? Et exiſtimo eum perinde ac adminiſtratorem patrimonij regij fraudem committentem, hac pœna puniri, quia licet non ſit adminiſtrator, nec ſuſceptor, eſt tamen negotiator pecuniæ regiæ, & ratione ſuæ conventionis, cogitur rationes reddere, coram judice ratiociniorum, ubi ſi fraus probetur, aut aliquando detegatur, huic pœnæ obnoxius manet. Aliter enim occurri non poſſet fraudibus iſtorum negotiatorum quos non mirum etiam gravius puniri ex ſua conventione & perjurio. Amaya *ad l.1.i.f.de diſcuſſ.* Larrea *d. loc.* Ubi multis docet non eſſe neceſſe probari fraudem, modo conſtet de defectu rationis, & malæ verſationis in deſtinanda pecunia regia, ut quis pœnæ tripli ſubjiciatur, Bart. *ad d.l.1. de qua nos inf.t.30.n.6.*

Solet etiam ſæpe quæri, num is qui rem fiſcalem adminiſtravit, ex ea ditatus præſumatur? Quod pleriſque videtur, ſi cum ad adminiſtrationem acceſſit, inops erat, & minus induſtrius, & brevi tempore dives factus ſit: Nam ut ait Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio, *Unde alias quæſo divitias tam amplas acquiſiviſſe præſumetur, niſi de viſceribus reip. & fortunis ſubditorum?* Quæ præſumptio ut vera ſit durante adminiſtratione, ea tamen finita, & poſt rationes redditas non procedit. Accurſius & alij *ad l.7. h.t.* Peregrinus *de jure fiſci l.6. tit.3.n.6.* Non obſtat huic ſententiæ, quod œconomus & tutor, qui tempore ſuſceptæ adminiſtrationis, aut tutelæ, pauper erat, factus autem dives, non propterea ex bonis pupilli ditatus præſumatur, cum ut ait Imperator nec pauperibus induſtria, vel augmentum patrimonij, quod laboribus & multis caſibus quæritur, interdicendum ſit, *l.10. ſup. de arbitr. tut.* Quia loquitur Imp. de eo tutore qui induſtriam, aut patrimonium ex ſe aliquod habuit, aut honeſtis rationibus & modis illud poſtea auxit, de quo Ulpianus *in l. 4. §.1. ff. de muner. & hon.* Videatur Bobadilla *in ſua politica lib. 2. cap. 11. n. 5. & 6.* Ubi refert quod Antoninus Pius ſtatuit, ut in introitu officij cujuſlibet adminiſtrationis, ejus bona diſcriberentur, ut eo finito appareret quid quantumve toto adminiſtrationis tempore quæſiiſſet, quod ſi multum acquiſiviſſe deprehenſus fuiſſet, adverſus eum præſumeretur, ſi quando rationes publicæ in aliquo deficerent. Gutierrez *de tutelis lib.3.c.4.* Jul. Clarus *in praxi §. fin. q. 65. num. 30.* 21

Ubi autem conſtat ſuſceptorem ex adminiſtratione ditatum, prædia comparaſſe dubitatur an poſſit fiſcus iſta prædia pleno jure occupare? quod affirmandum videtur, exemplo pupilli, & militis, qui ætatis, & militiæ favore, rei emptæ ex ſua pecunia dominium nanciſcuntur, *l.7.ff.qui pot. in pign. & l.8.ſup.de rei vind.* Quamquam militi non directa, ſed utilis vindicatio competat, quæ ex æquitate procedit: quæ ſane æquitas idemque favor militare videtur pro fiſco, cujus cauſa æque ac militis, & minoris privilegiata eſt, ac tanto magis, quanto *oportet privatis utilitatibus publicas, & mortalibus æternas anteferre.* Ut inquit Plinius. At verius eſt fiſcum non poſſe prædia vindicare, multo minus de facto ea occupare, *l.7.h.t.* de qua plenius *infra n.32.* Debet enim fiſcus jure experiri, & exigere quod ſibi ex pecunia uſurpata debetur, aut vi tacitæ ſuæ hypothecæ agere ad legitimum intereſſe, quod ipſi fiſco utilius eſt, cum ſemper præſenti pecunia indigeat, propter onera publica quæ ſuſtinet, & neceſſitates quæ in dies occurrunt, maximè ſi providendum ſit exercitui de commeatu, annona, de ſtipendiis, quæ præſtari debent militibus in pecunia, non item in agris vel fundis. Alia namque eſt cauſa pupillorum, qui cum multis captionibus ſint expoſiti, conſul- 22

Digitized by Google

tum eis eſt, ut fundos habeant, qui non facile pereunt & diſſipantur, prout pecuniæ, & res aliæ mobiles. Quapropter ſi ex minorum militumve pecunia, alij ſuo nomine prædia compararint, ætatis & militiæ obtentu, licebit ea vindicare, *d.l.*8. Contra communem juris regulam, quæ habet rem aliena pecunia emptam, non domini pecuniæ, ſed emptoris fieri, *l.6.C.d.t.de rei vind.l.12.ſup.de jur.dot.* A qua regula non invenitur exemptus fiſcus, licet in aliis multis cauſis ejus privilegia legiſlatores ampliaverint. Late Scobar. *in tract. de ratiociniis c.*14. Lebret *de la ſouveraineté du Roy liv.3.c.*10.

23 Dictum eſt ſupra receptam eſſe diſtinctionem, inter bona ſeu jura fiſcalia, & privata Principis, quod hæc illius ſint propria, illa aliunde obveniant, eique competant jure ſuperioritatis, tamen quod attinet ad jura & privilegia ſpecialia, iiſdem gaudent bona privata, quibus potiuntur fiſcalia, *DD. ad l.9.h.t.& l. 6. §. 1. ff. eod.* Privilegia autem plura ſunt, inter quæ quod Princeps, & ejus fiſcus, ex cauſa contractuum cum privatis initorum, tacito pignore habeat bona eorum quibuſcum contraxit, obligata, *l. 2. ſup. in quib. cauſ. pign. tac.* Item eorum bona qui tributa debent. *l. 5. 6. §. 3. ff. h. t.* aut vectigalia conduxerunt, adeo ut ſi eorum unus fraudem commiſerit, ſitque inops vel abſens, poſſit alter in ſolidum conveniri. Bart. & de Platea, *ad l. 8. h. t.* Quodque denegetur ei appellatio, quem conſtiterit eſſe publicum debitorem. *l. 4. & 8. Cod. quorum appell. non recip.* Illud quoque fiſcus habet privilegium, quod præferatur omnibus creditoribus non habentibus hypothecam expreſſam. *l. 3. ſup. tit. 73. lib. 7.* ubi late hac de re dixi, & quomodo alienata & ſoluta à creditoribus repetat, niſi ſint alienata ante contractum cum ipſo fiſco initum. *l. 4. d. 73. de privil. fiſc.* quod plenius venit hic inquirendum.

24 Etenim ſi fiſcus alleget in fraudem ſuam donationem eſſe factam, onus probandi prioritatem temporis, incumbit donatario, hic enim probare debet rem ſibi prius fuiſſe donatam quam fiſco obligaretur. Quod ſecus eſt in privato, is enim agens hypothecaria contra donatariũ, probare debet rem prius fuiſſe obligatam quam donatam, quia fundans intentionem ſuam in tempore, debet illud tempus probare, *l. 13. ſup. de donat. ante nupt.* Pro fiſco facit textus in *l. 1. h. t.* ubi cum pater filiis emancipatis aliquorum prædiorum donationem feciſſet, non ſatis eſt quod illi dicant donationem obligatione fuiſſe priorem, quia præſumitur in fraudem fiſci facta, ſed probare debent donationem ſibi factam fuiſſe, antequam res patris fiſco fuiſſent obligatæ, idque per inſtrumentum ſolemniter confectum, in quo dies, & hora exprimatur. Nam prioritas ſcripturæ donat prioritatem temporis, Bald. *in l. creditor in princ. qui potior. in pign. & in d. l. 13.* & ibi Cynus. Itaque donec donatarij probent donationem præceſſiſſe contractum fiſci, fundata eſt ejus intentio in præſumptione juris, quæ vult prædia quæ aliquando fuerunt patris, ejus adhuc permanere niſi contrarium probetur.

Cæterum qua actione fiſcus convenerit donatarium, controvertitur? plerique hypothecaria egiſſe ſentiunt, propterea quod ex contractu habeat tacitam hypothecam in omnibus debitoris bonis, *l. 6. & 46. §. fiſcus ff. h. t.* Peguera *deciſ. crimin. q.* 48. Covar. *lib. 1. var. cap. 16.* At verius ibi fiſcum egiſſe ad reſciſſionem donationis in fraudem factæ, revocatoria actione, non item hypothecaria, quæ tantum eſt in rem perſecutoria, non verò reſcindit factum. Nam is qui egit hypothecaria, probare debet rem in dominio debitoris fuiſſe, quod hic facere non tenebatur fiſcus, utpote habens intentionem ſuam fundatam in prædicta præſumptione, & in confeſſione filiorum aſſerentium prædia fuiſſe in dominio patris donantis, in quo cum duraſſe præſumantur, uſque dum contraxit cum fiſco, recte hic egiſſe videtur Pauliana actione, qua revocantur alienata, reſciſſa traditione, quaſi in bonis debitoris manſiſſent, & ab eo nunquam fuiſſent alienata, *§. item ſi quis in fraudem inſt. de act. & tot. tit. ff. quæ in fraudem credit.* Cujacius *ad l. 1. h. t.* & quos refert Amaya *ad d. l. 1. num. 9.* 25

Porro in fraudem fiſci, non ſolum per donationem, ſed quocumque modo res fuerint alienatæ revocantur, *l. 45. in princ. ff. h. t.* cenſetur & tunc in fraudem facta alienatio, ubi poſt eam crimen aliquod capitale admiſſum eſt. Quare cum perpetrato crimine fiſcus in delinquentis bona jus cenſeatur habere, jure poterit revocare alienata, ubi de crimine præſertim ſecuta eſt condemnatio, quoniam ante condemnationem penes delinquentem dominium manet. *l. 13. ff. qui & a quibus. l. 15 ff. de donat. & l. 20. ff. de accuſat.* Videatur Joan. Faber *in §. item ſi quis in fraudem n. 5. Inſtit. de action.* & Peguera *q. 49. num.* 8. 26

Quomodo illius patrimonium, qui diverſis conſcientiam ſuam dicitur polluiſſe criminibus, nequaquam fiſci rationibus deberi, vel ab eo alienari volunt Impp. niſi poſt publicam accuſationem, reum conſtiterit fuiſſe convictum, ac in vita condemnatum. *l. 10. h. t.* nam ſi vivus damnatus non fuerit, morte extinguitur crimen, unde patet pœnam publicationis bonorum, non tranſire in hæredem, excepto crimine perduellionis. *l. fin. ff. ad l. Jul. majeſt.* Joan. de Platea *ad d. l. 10.* 27

Diverſum enim eſt in privatis delictis in quibus non eſt neceſſaria condemnatio delinquentis, ſed ſufficit lis ſit conteſtata, ut ad ejus hæredem transeat actio pœnalis. *l. unic. ſup. de delict. defunct.* At vero in publicis criminibus, non ſolum neceſſaria eſt litis conteſtatio, verum, ut dixi, præcedere debet. 28

Digitized by Google

debet condemnatio, alias ſi ante decedat reus, lis extinguitur, itemque pœna. *l. 3. & 6. ff. de publ. jud. l. 10. ff. de accuſat. l. 20. ff. de pœnis.*

29 Præterquam ſi quis publico munere functus fuerit, & illius adminiſtratione durante, quippiam uſurpaverit ex Principis reditibus & regalibus, nam etiamſi hic mortuus fuerit, propter criminis gravitatem conveniuntur hæredes, non ſolum propter intereſſe quod fiſcus patitur, ſed etiam pœnam ſuſtinent legis Juliæ repetundarum, vel de reſiduis, nec immeritò cum in utraque lege, quæſtio principalis ablatæ pecuniæ moveatur. *l. 2. ff. ad l. Jul. repetund. & l. 2. C. eod. & l. fin. ff. ad l. Jul. peculat.*

30 Similiter fraudati vectigalis crimen, ad hæredem ejus qui fraudem contraxit, commiſſi ratione tranſmittitur, nam quod commiſſum eſt, ſtatim deſinit ejus eſſe qui crimen contraxit, dominiumque rei vectigalis acquiritur, ea propter commiſſi perſecutio, ſicut adverſus quemlibet poſſeſſorem, ſic & adverſus hæredem competit. *l. 8. & 14. ff. de publician. vectig.*

31 Multoque magis hæredi auferuntur bona, quæ à defuncto ſcelere quæſita probantur. *l. 12. ff. ad l. Corn. de falſ.* Atque ea fiſcus occupat, ut non hæres, ſed quaſi bonorum poſſeſſor, conſequenter ultra vires hæreditarias creditoribus nō tenetur, nec amplius quam pro æſtimatione bonorum, ſive inventarium fecerit ſive non fecerit. Item & ad ea debita tantum tenetur, quæ à delinquente jam pridem fuerunt contracta, & quæ ante acceptum judicium acciderunt, Matth. de Afflict. *deciſ. 385.* Peregrin. *de jure fiſci l. 4. tit. 5.* Gomez *tom. 3. var. cap. 1. n. 8.* Amaya *ad l. 10. hoc tit.*

32 Interdum ob ſuſpicionem delicti, & metum proditionis, juſſu Principis quaſi pœnæ nomine, victi populi & armigeri homines, è ſua civitate in aliam transferebantur, quod quia durum ac triſte patriam deſerere, permiſſum iſtis metœcis ſeu tranſlatis, de bonis ſuis diſponere, & prædia vendere antequam alio migrarent, ita ut quæ ab eis diſtracta non eſ-
33 ſent in fiſcum redigerentur. * Niſi ſpecialiter in favorem migrantium Princeps decreviſſet, ut bona iſta poſſent retinere, & hæredes exiſtere ſuis parentibus in ea civitate relictis, ex qua migrarant. *l. 4. h. t.* quia licet in colonias tranſlati, cives non eſſent, nec capaces ſucceſſionis alienæ, adhuc tamen imaginem quandam retinebant civium, ut parentibus ſuccedere poſſent, maxime cum lex, metœcos à ſucceſſione tali non excluſerit. *d. l. 4. in fin.* & Latinos Junianos etſi non cives ex alieno teſtamento quid capere potuiſſe conſtet ex Ulp. *in fragm. tit. 11. 17. & 22.* ibi Cujacius.

34 Ex hac lege obſervandum, ſi bona alicujus publicentur, integro ſtatu manente, quod non ideo cenſeatur prohibitus ſuccedere, & hæreditatem adire, quæ illi jam competebat. At vero ſi bonorum publicationi adjungatur deportationis pœna, non ſolum quæ condemnationis tempore habuit deportatus, ſed & quæ poſtea quoquo modo acquiſivit, poſt ejus mortem, fiſco vindicantur, quia hæredem habere non poteſt, *l. 2. ſupra de bon. proſcript. l. 7. §. fin. ff. de bonis damn.* Cæterum ſi quis tantum ad certum locum relegetur, vel ſaltem bona ejus publicentur abſque deportatione, ea quæ poſtea acquiſivit, retinet, uti & omnia alia jura. *l. 4. ff. de interd. & releg.* quia cum ſtatus ejus maneat integer non videtur prohibitus de novo acquirere, ac ita intelligenda *l. 22. §. 5. ff. mandati.* Videatur Cujacius *lib. 6. obſerv. cap. 23.* & Fachin. *lib. 9. controv. cap. 51.*

Porro ubi bona fiſco dicuntur delata, vel quia 35
vacantia veniunt occupanda, non prius Cæſariani ſeu officiales fiſci, & executores ea apprehendere poterunt, quam litteræ Principis fuerint obtentæ & oſtenſæ ei cujus intereſt bona non capi. *l. 5. in princ. hoc tit.* Unde fit ut non credatur nuntio citanti, aut officiali, aſſerenti ſibi aliquid ſecrete commiſſum eſſe. *l. un. ſup. de mand. princ.* niſi oſtendat litteras ſuæ commiſſionis, maxime dum mittitur extra provinciam, ubi non eſt notus. *l. 2 inf. de coll. fund. fiſcc. lib. 11.* quo modo ignoto nuntio, & non deferenti conſuetum inſigne ſui officij, prohibitum eſt aliquem capere, vel ejus bona occupare, & ut magis huic violentiæ occurratur, ſancitum hic eſt, licere iis quorum intereſt objicere manus, & reſiſtere iſti miniſtro, qui abſque mandato judicis, vel ultra formam ſibi datam, bona occupat, vel deſcribit. *d. l. 5.* Platea *ad d. l. 2.*

Quod procedit etiam lite pendente, nam quam- 36
diu poſſeſſor ſe defendit, non poteſt fiſcus bona occupare, diſtrahere, vel deſcribere *l. 7. h. t.* intellige de deſcriptione occupatoria & violenta, non de ſimplici bonorum deſcriptione & annotatione, quæ lite pendente communiter à fiſco fieri ſolet, ad eum effectum ne res dilabantur & occultentur. *l. fin. infr. ff. de bon. vac.* In miniſtris autem procuratoris fiſci, quales hic vocantur Cæſariani id obſervatur, ut à fiſco conventi, bona eorum ſtatim, ſeu ab initio litis motæ deſcribantur, quod in aliis hominibus non eſt, niſi poſt probatam fraudem, aut crimen. At cur id ſpeciale in Cæſarianis, non item in aliis? Quia conſuetudo fraudum, quibus prædicti omnia temerare conſueverunt, præſumptionem malæ fidei poſſeſſionis inducit, *d. l. 7 in fine.*

Porro duobus caſibus hujus *l. 7.* diſpoſitio ceſ- 37
ſat, præſertim in Gallia. Unus eſt in materia feudali, cum fiſcus Regius agit contra vaſallum, ob ſervitia non præſtita, cæterave onera expreſſe injuncta tempore inveſtituræ, in poſſeſſione ſe conſtituit, in eaque manet quamdiu litigat, niſi de jure vaſalli ſtatim liqueat, quod non defuerit obſequiis ad quæ tenebatur. Alter caſus eſt, cum quæſtio

Digitized by Google

movetur de bonis incorporandis coronæ, ſeu domanio Regio, ad quod bona iſta redire oportet finito uſufructu, aut tempore quo in dotem data ſunt, ſi quis autem interea unionem impediat, & ſe opponat, fiſcus in poſſeſſione conſtitutus, rectè ſe defendit. Papon. *lib.5. tit.1. art.9.* Chopin. *de domanio lib.3. tit.10.* C. Lebret. *de la ſouveraineté lib.3. cap. 11.*

38 His exceptis non ſolet, nec debet fiſcus poſſeſſionem alicujus invadere, aut ab executione incipere, ſed cogitur in proſecutione juris ſui, formam hic præſcriptam, vel à Principe ſibi datam ſervare, *l.5. h. t.* ſine qua fiſci officiales, ne quidem bona caduca poſſunt occupare, aut violenter retinere, & ſi id fecerint, permiſſum eſt illis quorum intereſt bona non capi, reſiſtere, & impune vim ſibi illatam propulſare. Curabit proinde fiſcus, ne vis ulla committatur, aut inquietudo inferatur privatis, eos turbando in ſuis poſſeſſionibus *d.l.7. in princ.* res eorum capiendo aut diſtrahendo lite adhuc pendente, ſiquidem extet reſcriptum Divi Severi & Antonini, quo diſtractionem bonorum ſuſpendi juſſerunt, & generaliter prohibuerunt rem diſtrahi, quæ eſſet in controverſia, *l.22. ff. h. t.* ubi tamen res nexas pignori diſtrahere fiſcus poteſt, ſed ſi antè alij res obligatæ ſunt, jure pignoris non debet jus creditorum lædere. Plura infra *tit. 4.*

39 Hinc eſt quod iidem Impp. in venditionibus quæ à procuratore fiſci fiunt, ſummam fidem, ac diligentiam ab eo exigant, ut nimirum res jure pignoris obligatas juſto veroque pretio diſtrahi curet, illudque conſtitui non ex præterita emptione, ſed ex præſentis temporis æſtimatione, *l. 3. §. Div. ff. h.t.* ibi Cujac. *& in l.10. Cod. h.t.* nam pretium cujuslibet rei pro tempore eſt, atque ita fit ut prædium quod olim pluris fuit, hodie forte minoris æſtimetur, quapropter non quanti olim emptum, æſtimatumque fuerit, ſed quanti hodie ſit, ſpectatur, expenſa qualitate, & reditu præſentis temporis, juxta *l.16. Cod. de reſcind. vend.* ibi *rei qualitas & redituum quantitas æſtimetur, l.4. Cod. eod.*

40 Quod ſi autem minus juſto pretio quam res valet, ab officiali fiſci diſtracta ſit, fraude emptoris vel gratia (ut quia officialis vel decipitur, vel emptori gratificari cupit) Procurator Cæſaris probata fraude, & colluſione, hujuſmodi venditionem reſcindi curabit, & domino res ſuas vindicanti reſtitui jubebit, ubi fiſco ſatisfecerit, eique obtulerit quantitatem debitam, *l. 3. h.t.* Eoque pertinet *l. fin. ſup. ſi adverſ. fiſc.* ubi etiam quia per colluſionem ſeu fraudem fiſci, nimis exiguo pretio fundus fuerat venditus, & non adhibita haſtarum ſolemnitate, aditus rationalis, revocata venditione, fundum reſtitui jubet: quoniam fraus & dolus nemini debet patrocinari; nec congruit ut cum damno debitoris, emptor locupletetur, & ex ſua fraude conſequatur commodum: quod autem non emptor conveniatur, ſed fiſcus, in cauſa eſt, quod hic creditor ſit, ac mala fide & vili pretio rem vendiderit, ideoque prius excutiendus. Ubi autem fiſcus conveniatur, dicam infra *tit.4. in fin.*

At cur non egit debitor remedio *l.2. C. de reſcind. vend.*? Quia illud ſolum competit, ubi deceptio & læſio ultra dimidium juſti pretij intervenit, in caſu vero *d. l. 3.* dolus & fraus intervenit, quæ ex qualitate facti, non ex quantitate pretij æſtimatur, *l. 10. Cod. d. t. de reſcind. vend.* Multum namque refert an vendatur res minori pretio propter dolum, an verò quia ita contingit, ut docet *ad d.l. 2.* Pinell. Præterea non conſtat *ex d. l. 3.* minoris pretij quantitatem eſſe ultra dimidium, quod neceſſario requirit *d. l. 2.* Amaya *ad d.l.3. num.43.* 41

Ex his infertur non ſufficere quod quis alleget minoris pretij quantitatem, ſed etiam probare debet dolo, aut gratia factam fuiſſe venditionem, nam in dubio dolus non præſumitur, niſi clare de eo conſtet, *d. l. 3.* facit *& lex 1. ſup. ſi vendito pign. agat.* ibi *ſi probatum hoc fuerit emptorem mala fide emiſſe*, *& l. 18. §. 1. ff. de probat.* ubi qui dolo dicit quid factum, licet in exceptione, docere dolum admiſſum debet, quia non ſatis colligitur, ex eo quod res ſit vili pretio vendita, niſi tamen dolus ſit notorius, ut obſervat Petr. Barboſa *ad l. ſi mora n.60. ff. ſol. matrim. & ad l.1. Cod. de præſcript. 30. annor. n.27.* 42

Hinc eſt quod non facile prætextu læſionis, reſcindatur venditio, ſolemniter facta, cum ne ſubhaſtationis publicæ fides ſubvertatur, tum ut facilius fiſcus inveniat emptores. Peregrin. *de jure fiſci lib.6. cap. 4. num. 8.* Solemnis namque ſubhaſtatio juſto pretio rem venditam fuiſſe oſtendit, ac tantum rem valuiſſe, quantum vendi potuit. Baldus *conſ. 103.* Cum ergo juſtum pretium dicatur, quod quis licitando conſtituere potuit, & voluit, non poteſt videri deceptus, niſi apertam fraudem probet, ut dicitur *in d.l.3.* 43

Similiter ſi fiſci procurator agat ad reſciſſionem venditionis, tanquam creditor, ſervare debet juris ordinem, ac primò in jus vocare poſſeſſorem qui rem fiſcalem emit, aut alio jure poſſidet, cum de ejus intereſſe agatur. Peregrin. *d. loco n. 11.* Imo quamvis nullo jure poſſideat, removeri non debet à ſua poſſeſſione, priuſquam legitime fuerit convictus, quoniam ne quidem injuſta poſſeſſio ulli auferenda eſt, abſque cauſæ cognitione. *l. 7. ff. ad l. Jul. de vi priv.* Citatione facta, inſtituenda proponendaque erit actio, intra legitimum tempus, alias ſi fiſcus eam ſuo tempore non protulit, præſcriptione temporis excluditur, *l. 6. h. t.* quemadmodum privatus, utriusque namque fiſci & privati conditio, adæquata hic eſt; imo ſub bono Principe, fiſci cauſa mala eſſe ſolet. Non obſtat 44

quod

quod adverſus fiſcum locum non habeat uſucapio. *l. 1. & 2. C. commun. de uſucap. §. res fiſci Inſtit. de uſucap.* quia id procedit in rebus fiſci patrimonio quæſitis, non vero in actionibus acquirendis, aut quæ fiſco jam competunt, quæ cum non poſſunt dici eſſe res fiſcales, ideo ſi ſuo tempore prolatæ non fuerint, concremantur, ſeu inutiles pronuntiantur, ut exemplo boni Principis, (qui nec fiſco ſuo parcit) privati à calumnioſis litibus abſtineant. Argentræus *ad conſuetud. Britan. art. 266. num. 16.*

45 Actione autem propoſita apud procuratorem Cæſaris, *l. 5. ſup. ubi cauſa fiſci.* Lis fiſcalis,& pertinens ad publica munera non protrahitur, ſed intra ſex menſes poſt conteſtationem peragenda eſt, niſi rei neceſſitas exigat, perſonarum, aut inſtrumentorum cauſa, longius proferri litem, vel reus in mora fuerit, ut habet *l. ult. h. t.* quæ Græca eſt, & reſtituta à Cujacio *ex lib. Baſil.* At olim cauſa fiſcalis intra annum terminanda erat, ſive fiſcus litem pateretur, ſive eam inferret, *l. 4. C. Theod. de jure fiſci.* Non enim oportet lites eſſe immortales, & vitam litigantium excedere, ideoque tempore pereunt, *l. 13. ſup. de judiciis.* prout etiam actiones minuendarum litium cauſa ſtatuto tempore tolluntur.

46 Moribus autem noſtris actiones,& litium inſtantiæ adverſus ſupremum Principem non perimuntur. Item ea prærogativa gaudet Princeps, quod actiones eidem competentes non inſtaurentur, aut moveantur, ut olim Romæ apud præfectum ærario, vel procuratorem Cæſaris, ſed Regius Senatus de his cauſis cognoſcat, vel concilium ratiociniorum ſi de reſiduis,aut debitis fiſcalibus, & indictionibus non ſolutis quæſtio moveatur.

47 Præterea quovis loco cauſa agitetur, ſolet procurator generalis eam defendendam ſuſcipere ſuo nomine,& in eum ſententia fertur, qua prorogativa etiam olim uſi ſunt illuſtres, ut non per ſe, ſed per procuratorem,quamcumque litem exercerent. *l. 25. ſup. de procur.* rationem reddit. *Novella 71. c. 1. Ne cogantur ſi præſentes litigaverunt, aut ſedere cum judicibus dum judicant, aut ſtare rurſus tanquam litigantes, cum utraque cauſa videatur incauta, aut dignitatibus injuriam ſuſtinentibus, aut judiciali ſchemate indigne procedente.* Et recte: nam pronuntiatio ſententiæ & illius executio fieri non poteſt, adverſus Principem, ſine læſione honoris,& dignitatis. Denique in omni fiſcali cauſa, adeo intervenire debet Procurator regius, ut ſententia eo abſente lata, nullius ſit momenti aut roboris, nec decretum cui ſe non oppoſuit pro conſervatione debiti, aut juris Regij, *juxta l. ult. Cod. de advoc. fiſci, & l. 14. Cod. Theod. de appellat.*

TITULUS II.

De conveniendis fiſci debitoribus.

1. *Continuatio, & quo ordine à fiſco excutiantur debitores, eorumque fidejuſſores.*
2. *Proponitur verus ſenſus, explicatio* l. 1. *hujus tit. quomodo reus principalis & fidejuſſor indemnitatis prius conveniantur quam debitores debitoris.*
3. *Quando fiſcus debitorem ſui debitoris convenire prius poſſit.*
4. *Adminiſtratione diviſa, quis ſit conveniendi ordo.*
5. *Cura diviſa non dividit officium, ſed commune eſt periculum.*
6. *Debitor non liberatur ſolvens exactori publico, niſi tabularius ſubnotaverit, prius tamen exactor quam debitor convenitur.*
7. *Publica ſcriptura fidem facit, privata etiam probat, non poteſt fiſcus ex breviariis quemquam convenire.*
8. *Scriptura propria non facit fidem pro ſcribente etiam ſi fiſcus ſit; Quando ſemiplenam fidem faciat?*
9. *Debitor fiſcalis ſummatim exigitur, nec auditur ſi velit prius ſuum debitorem conveniri.*
10. *Dilatio qua detur debitori fiſcali?*
11. *An debitor fiſci poſſit cogi ad ſolvendum ante tempus?*

Expoſita prima eaque generali parte, de jure fiſci, ſequitur ſecunda, in qua aliquot cauſæ
explicantur, ex quibus res ad fiſcum devolvuntur.* 1
Prima cauſa eſt *contractus*, ſed hic ille conſideratur, qui procedit ex interceſſione, de qua obſervandum, quod ſi aliqui geſſerunt adminiſtrationem publicam ipſius fiſci, & pro iis alij indemnitatem promiſerunt fidejubendo, non ante conveniantur quam principales illi adminiſtratores debitoreſque fuerint excuſſi, *l. 1. h. t.* quem textum Interpretes varie contorquent, ut videre eſt apud Accurſ. Bartol. Plateam, Cujac. & reliquos.* Sed mihi doctiſſi- 2
mi Amayæ explicatio placet ſub *tit. de decurionibus ad l. 1. num. 12.* ubi ponit quendam cum fiſco contraxiſſe, ſeque obligaſſe penſionibus, quas ob conductionem prædiorum fiſcalium debebat, dediſſeque fidejuſſorem indemnitatis, deinde ſupponit textus hunc reum prædia quædam vendidiſſe, emptoreſque adhuc pretium debere eidem reo. Cum ergo fiſcus reum principalem non reperiſſet idoneum, debitores ſui debitoris reconveniebat, qui iſta prædia à reo mercati fuerant: at illi contendebant prius conveniendum eſſe fidejuſſorem, qui pro reo indemnitatem repromiſerat. Quare Gordianus Imp. de eo conſultus, reſpondit: *non injuſta ratione deſideratis, ut prius conveniantur qui reliqua contraxerunt*, id eſt, ipſe principalis reus, itemque fidejuſſor qui indemnitatem promiſit, cum

hic ſimul cum reo contraxiſſe, ſeque principalem conſtituiſſe videatur, ut non obſtet quod fidejuſſor in ſubſidium accipiatur, & eo caſu quo reus ſolvendo non eſt. Non item movet, quod hic reus habeat debitores, à quibus proinde debitum prius exigi oporteat, quam conveniatur is, qui de indemnitate repromittit, quoniam iſti debitores nunquam ſe fiſco obligarunt, aut principales conſtituerunt, in contractu fiſcali, & ideo non poſſunt conveniri reſpectu eorum quæ à principalibus debitoribus mercati ſunt, niſi quando conſtat iſtos principales non eſſe ſolvendo, & jam plane defeciſſe, *arg. l. 47. ff. de jure fiſci.*

3 Ex quo hic notanda regula, quod quando principales rei non ſunt idonei, poſſit fiſcus debitores ſui debitoris convenire, etiam ſuo debitore non condemnato, ſi debitores debitum agnoſcant expreſſe, vel tacite, *l. 2. & 3. ſup. Quando fiſc. vel privat.* Id tamen non aliter privato creditori eſt permiſſum, quam ſi debitor fuerit excuſſus & condemnatus; quo conſtet eum nihil habere in bonis præter nomina, *d. l. 2.* Notandum etiam quod ubi principalis debitor defecerit, & ex ratione fiſcali nomina facta liquidò probentur, aut à debitore nomina fuerint obligata, etiam non diſcuſſo principali, poſſit fiſcus hypothecaria actione adverſus debitorem debitoris experiri. *Specul. tit. de procur. §. ſequitur, verſ. quid ſi.* & Guido Papæ *deciſ. 432. n. 13.*

4 Alias ſervandus erit excuſſionis ordo: ſic ſi duobus commiſſa ſit adminiſtratio auctoritate publica, & eorum unus adminiſtrationem geſſit, alter non, is qui geſſit, ejuſque nominatores conveniuntur, ac prius excutiuntur quam ad collegam deveniatur, *l. 3. h. t.* quoniam non deliquit, qui non geſſit.

5 Pene idem reſcriptum ab Imp. Tito *in l. 11. ff. ad municip.* Magiſtratus officium individuum, ac periculum eſſe commune, quod ſic intelligi oportet, ut ita demum collegæ periculum adſcribatur, ſi neque ab ipſo qui geſſit, nec ab his qui pro eo intervenerunt, res ſervari poſſit, & ſolvendo non fuerit, honore depoſito: alioqui ſi perſona vel cautio ſit idonea, vel ſolvendo fuerit, quo tempore conveniri potuit, unuſquiſque in id quod adminiſtravit tenebitur. Habet itaque beneficium excuſſionis Magiſtratus, ut ne ſcilicet ante agatur in eum qui non geſſit rem de qua agitur, quam excuſſæ ſint facultates ejus qui geſſit, deinde fidejuſſoris ejus, poſt nominatoris Magiſtratus, tum ad extremum collegæ. Exemplo fidejuſſoris, nominatori, qui ſolidum ſolvit, utilis actio non datur adverſus collegam ſuum, *l. 12. ff. d. t. ad municip. l. 11. C. de fidejuſſ.* Quia ſuo nomine ſolvit, id eſt, propter ſuam obligationem. Diverſum eſt in tutore, qui pro contutore ſolvit, ejuſque nomine, *l. 2. ſupr. de contr. jud. tut.* Ideoq; ei utilis actio datur, prout Duumviro adverſus collegam, *l. 1. §. 8. ff. de adminiſt. rer. ad civ. pert.*

6 Quin & fiſco contra debitorem manet actio, ſi id quod ſolvit, ad fiſcum non pervenit, quoniam non liberatur debitor hoc ipſo quo exactor retulit in rationes publicas ipſum ſolviſſe, ſed tunc demum cum tabularius apochis ſubnotaverit, hujus enim ſubnotatio, ſeu ſubſcriptio, ſolutionem factam probat: æquum tamen eſt ut prius fiſcus hunc exactorem tributorum, ſi ſolvendo eſt, conveniat (ſiquidem tenebatur dare apocham ſolutionis à tabulario ſubnotatam) eoque excuſſo & minus idoneo reperto, demum convenire poterit ipſum principalem debitorem, *l. 2. h. t.*

7 Hinc quamvis ab aliis debitis debitor liberetur, ubi probaverit per teſtes rem fiſco debitam ſolviſſe aut pecuniam verſam in utilitatem fiſci, *l. unic. infr. de ſolut. & liber. et. debit. civit.* Attamen à tributorum debito non liberatur niſi ſolutionem exactori factam probet, per ſcripturam tabellionis manu ſignatam & teſtium præſentia munitam: hæc enim fidem facit, non autem privata atteſtatio. Inſpecta tamen generali conſuetudine, videtur abrogata *dict. l. 2. h. t.* Et ſufficere quod data & ſubſcripta ſit apocha ab exactore, abſque alia perſonæ publicæ annotatione, cum hodie nulla deſtinata ſit perſona ad ſubſcribendum apochis, prout olim. Ita in Gallia ſæpius judicatum meminit Antonius Deſpeiſſes *in ſuo tract. des tailles ſect. 3. de priv. des collecteurs, n. 4.* At hoc jure exemplo pernicioſum eſſet, inquit Imp. ut ſcripturæ privatæ credatur, ac ei præſertim qua unuſquiſque ſibi annotatione propria debitorem conſtituit, *l. 5. & 7. ſup. de probat.* Unde eſt quod ſi breves libelli, aut chartulæ proferantur, quæ nomina continent debitorum ſeu contractuum, per ſe ſolæ non faciunt fidem pro ſcribente, ſi non teſtibus aut aliis adminiculis adjuventur.

8 Quod procedit etiam in fiſco qui in multis utitur jure communi, maxime quando privato ſucceſſit, aut intendit ei ſuccedere, tunc enim ſi ex breviariis vel rationibus ejus, cujus bona ſunt publicata; proferat cautionem vel apocham, qua contineatur quod talis ſit ejus debitor ex tali cauſa, & in tanta quantitate, certe talis ſcriptura utpote confecta manu ipſius aſſerentis, eſt non ſufficiens ut talis conveniatur tanquam debitor, *l. 5. h. t.* niſi hic manum ſuam eſſe agnoſcat, aut ſi neget ſuam eſſe ſcripturam, ex comparatione aliarum ſuarum ſcripturarum convincatur, quæ tamen comparatio ſolum facit ſemiplenam probationem, prout etiam confeſſio facta cum cauſa, ut poſt Bartol. tenet Joan. de Platea *ad dict. l. 5.* Ubi addit quod ſi ſcriptura reperiatur penes debitorem vel ſucceſſorem ejus, fidem facere & quidem plenam, ſi illius fiat comparatio cum ſcriptura libri rationum, Cæſar. Urſelyn. *ad deciſ. Matthæi de Afflict. 181.* * 9 Ubi igitur convictus debitor abſens, aut etiam præſens,

ſens,

Digitized by Google

ſens, ſe fiſco obnoxium fatetur, ſine fruſtratione, quod ex chirographo, ſuaque obligatione debet, de ſuis facultatibus tenetur exſolvere, nec auditur volens prius debitorem ſuum quam ſe conveniri, cum nec ſummario judicio eum excutere valeat, ſicut ipſe à fiſco excuti & conveniri poteſt, *l.4.h.t.* Privatus enim debitor, debet debitores ſuos jure ordinario coram judicibus ſuis convenire, niſi & illi ex cauſa fiſcali debitum contraxerint, *l.3.§.8. ff. de jure fiſci.* At vero fiſcus ubi debitum eſt liquidum, abſque citatione de plano contra ſuos debitores poteſt procedere, eoſque executive convenire, præmiſſo mandato de ſolvendo, *l.18. ſup. de appellat.* Etiam per capturam perſonalem, ſi in numerum debitorum fiſcalium ſunt redacti, ex cauſa contractus vel tributi, *l.2. inf. de exact. tribut.* Si tamen debitum non eſt liquidum, ſervandus erit ordo juris & ſententiæ, *d. l. 4.* Bartol. *in l.2. C. quando fiſc. vel privat.* Peregrinus *de jure fiſci, lib.6. cap.7. num.18.*

10 Probata ſententia, ſuſtinetur aliquamdiu ejus executio conceſſa petenti debitori dilatione, ad comparandam pecuniam: cujus rei æſtimatio, pendet ex judicantis arbitrio, ut ſcilicet in majoribus ſummis trium menſium ſpatium, in minoribus vero duorum tantum concedat: prolixior autem temporis dilatio ab Imp. poſtulanda eſt, *l.45. §.10. ff. de jure fiſci.*

11 Poſtremo hic quæri poſſet, an fiſci debitor, qualis eſt conductor redituum fiſcalium, cogi poſſit ante terminum ſolvere? Repugnare videtur æquitati, abſque pacto de ſolvendo ante tempus cogere conductorem: Item juris rationi quam adfert Imp. *in §. plus autem Inſtit. de actionib.* quod qui præmature petit, plus petere videatur. Verumtamen imminente publica neceſſitate, cogi poſſe conductorem, aliumve fiſci debitorem ad prærogandam pecuniam, cenſent Bartol. Bald. Salicet, *in l.1. ff. de condit. ex lege,* ſoluto tamen intereſſe medij temporis, alioqui ceſſante ea cauſa, non poterit fiſcus convenire debitorem ante diem, & induciæ duplicantur. Peregrin. *de jure fiſci, l.6. t.7. n.21.*

TITULUS III.

De fide inſtrumentorum, & jure haſtæ fiſcalis, & de adjectionibus.

1. *Quid ſit haſta fiſcalis jus & ſubhaſtatio, & in quibus rebus procedat.*
2. *Quæ ſolemnitates requirantur in ſubhaſtatione, & quis Judex eam decernat?*
3. *Per dies 20. ſolemnes res venalis exponebatur & æſtimabatur juſto pretio.*
4. *Plus offerenti res addicitur, pretio juſto, eoque ſoluto, non item fide de eo habita.*
5. *Licet infra tempus in licitatione appoſitum, ſit res uni addicta, poteſt tamen intra id tempus alteri plus offerenti res dari.*
6. *An non poſſit prior pollicitator pro eodem pretio quod offert ſecundus, rem retinere.*
7. *Quid obtineat in locatione perpetua?*
8. *Poſt addictionem factam à Republica niſi ex privilegio adjectio non admittitur.*
9. *Permiſſum Comiti rerum privatarum, & Palatinis res actioni præſcriptas emere.*
10. *Item tutori res pupilli palam, non clam licet emere.*
11. *Effectus venditionis palam factæ, quod res fiat emptoris, nec revocetur, defectu inſtrumentorum.*
12. *Nec audiatur poſt addictionem plus offerens.*
13. *Audiendus tamen fiſcus ſi dicat ſe rem non vendidiſſe, ſed ſolum venalem expoſuiſſe.*
14. *Venditio prætextu reſcripti, aut minoris ætatis non retractatur. Cur minor non juvatur quando fiſcus rem ejus vendidit.*
15. *Emens res alienas à fiſco non tenetur ſolvere aliena debita.*
16. *Si obligata ſint res pro fiſcali debito vel tributo, An præteriti temporis tributum emptor prædij præſtare teneatur.*
17. *Non ſervata auctionis forma, res reſtituitur cum fructibus.*
18. *Vilitas pretij reddit venditionem nullam, ubi fraus vel gratia intervenit.*

Alter contractus eſt *venditio,* quam publice fieri haſta poſita, docet Feſtus, his verbis. *Haſta ſubjiciebantur, quæ venundabant, quia ſignum præcipuum eſt haſta.* Illâ nimirum in foro poſita, fiebant auctiones à fiſco, de bonis debitorum, qui ceſſaverant in ſolutione: Item de bonis caducis, vel commiſſis. Inde ſubhaſtatio dicta, cum res præconis voce venduntur, ſub rectitudine prout haſta quæ recta eſt: hodie in multis caſibus neceſſaria eſt ſubhaſtatio, nempe in diſtractione rerum fiſcalium, minorum, Eccleſiæ, Reipublicæ, & cujuſlibet privati, condemnati, pro rei judicatæ executione, juxta *l.15. ff. de re judic.* In hoc tamen titulo ſolum agitur, de publica ſubhaſtatione, non quidem voluntaria, ſed neceſſaria, quæ ad petitionem fiſci, aut ejus procuratoris, & pro debito ſibi exſolvendo, in diſtractione bonorum ſuorum debitorum ſolemniter fit, ut patet ex Conſtitutionibus *hujus tit.* 1

Ut autem fiſcalis iſta ſubhaſtatio procedat, oportet ut debitor coram judice interpellatus fuerit, & in ſolutione debiti ceſſaverit, *gl. in l.1. h.t. l.3. C. ſi propt. publ. penſ.* Judex autem hic competens, & coram quo auctio facienda, eſt procurator Cæſaris, *d. l. 1. h. tit.* Qui & in rebus aliis fiſcalibus intervenire ſolet & debet, adjuncto advocato fiſci, 2

ubi

Digitized by Google

ubi terminandæ ſunt res controverſæ, videlicet ſuper licitatione vel adjectione, itemque venditione, an ea legitime facta fuerit nec ne, *l. 4. & 5. C. ubi cauſa fiſci & l. ult. C. de advocat fiſci.* Quod autem in aliis juris locis, etiam præſidis præſentia requiratur, *l. 1. C. ſi propt. publicas, & l. 1. Cod. de praſc. 30. annor.* Hoc ideo, quia plenior illius poteſtas in cauſarum omnium cognitione, atque in fiſcalium deciſione plerumque adhibeatur una cum procuratore Cæſaris, *l. 8. C. ubi cauſa fiſcal.* Ità ut nihil intereſſet, an præſes vel procurator de cauſis fiſcalibus cognoſceret, *l. fin. C. ſi propter publicas.* Garſia Toletanus in *rubric. ad hunc tit. in fin.*

3 Igitur Procurator non niſi cauſa cognita, & citato debitore de cujus præjudicio agitur, decernebat bonorum venditionem, aut admittebat adjectionem. *l. 39. ff. de adq;t. & l. 47. ff. de re jud.* Unde non aliter futura actio procedebat, quam decurſis haſtis, id eſt, 10. diebus ſolemnibus publice res ſtetiſſet venalis, propoſitique fuiſſent libelli, in celebrioribus locis, ut venditio omnibus innoteſceret, *l. 6. h. t. Auth. hoc jus porrectum C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Imò neceſſe erat ut prius res æſtimaretur, taxareturque, ad evitandum fraudes, quæ poſſent intervenire in præjudicium debitoris, circa juſtum pretium rei. Valenzuela *ad h. t. quem ſequitur* Amaya.

4 Cæterum intra illos auctionis dies, licitatores poterant pretium offerre, atque illi qui in licitatione vicerat, ſeu plus offerenti, res addicebatur, prout etiam hodie in auctionibus addicitur. Et facit *l. 1. C. de vendit. rer. civil.* Sed ita addictio facienda, dum tamen non excederet juſtum pretium; id autem non ex præterita emptione, ſed ex præſenti æſtimatione juſtum conſtitui Divi fratres reſcripſerunt, *l. 3. §. 5. ff. de jure fiſci.* Sicut enim diligenti cultura pretia prædiorum ampliantur, ita ſi negligentius habita ſint, minui ea neceſſe eſt. Item ab iiſdem conſtitutum, non ante rem fieri emptoris, quam pretium fuerit exſolutum; quare is cui jus diſtrahendi res fiſci datum eſt, curare debet ut præſente pecunia res vendatur, non etiam ut fides habeatur de pretio, *l. 5. §. 1. ff. de jur. fiſc. & l. 3. h. t. gloſſ. & in l. 15. §. 7. ff. de re jud.* Habet enim Procurator Cæſaris limitatum mandatum, ſic ut non poſſit res vendere habita fide de pretio, cum vendat ex cauſa neceſſaria, ut ſibi ſatisfiat, non poteſt hoc fieri, niſi pretio ſoluto. Bart. & alij DD. *ad l. 1. h. t.* Late Jaſon *in l. 1. n. 18. ff. de offic. procur. Cæſar.* concludens communiter venditionem fiſci valere, habita fide de pretio, quoad obligationem emptoris, non quoad tranſlationem dominij, & id voluerunt Gloſſ. Bald. & Salic. *in l. 4. ſup. ubi cauſ. fiſc.*

5 Obſervandum hic eſt, unum ſpeciale fiſci privilegium, quod in ejus venditione, licitationeve publice facta, intelligatur tacita conditio, quod ita demum venditio rei fiſcalis rata maneat, penes eum cui addicta, niſi alius infra præſcriptum licitationis tempus veniat allaturus meliorem conditionem, *l. 4. h. t.* Itaque nova fit licitatio, & plus offerenti res iterum addicitur.

6 Quid ſi primus in quem addictio jam facta fuerat, idem pretium offerat quod ſecundus licitator obtulit? certe non præferetur ſecundo, niſi hunc vincat plus offerendo. Facit quod dicitur in *l. 6. §. fin. cum ll. ſeqq. ff. de in diem addict.* Poſſe venditorem meliori allata conditione, rem addicere poſteriori, niſi prior paratus ſit plus adjicere, igitur ut prior admittatur, neceſſe eſt ut plus adjiciat, non vero eandem quantitatem ſolvendo, præferri debet, ut docet poſt Bobadillam, Amaya *ad d. l. 4. h. t. n. 26.*

7 Diverſum eſt in locatione perpetua quæ fit colonis de rebus fiſcalibus, ſeu patrimonij Principis, qui quia antiquiores ſunt poſſeſſores, & quaſi jus quoddam perpetuum in fundos publicos habent, æquitas vult ut præferantur novis conductoribus plus offerentibus, modo facta per alios argumenta ſuſcipiant. *l. 3. infr. de locat. præd. civil.* Dico perpetua, nam in temporaria locatione, finito tempore primæ locationis, recte admittitur primus conductor facta prima ſolutione præteriti temporis, ad licitationem, in qua plus offerendo, poteſt rem conductam retinere in futurum, *l. fin. in fine, & l. 2. infr. de vend. rer. civil.*

8 Prædictum privilegium in venditione rei ſuæ non habet Reſpubl. ſiquidem poſt addictionem alicui factam à Repub. adjectio non admittatur: melior enim in multis conditio fiſci, quam Reipublicæ, quæ loco privati habetur, *l. 16. ff. de verb. ſign.* & niſi ex privilegio habet hypothecam, *l. 2. C. de jure Reip.* Fiſcus vero illam ſuo jure habet & prælationem, *l. 46. §. 3. ff. de jure fiſci.* Cujac. *l. 2. obſ. c. 24.* addit ex privilegio, vel ſtatuto poſſe idem jus Reipublicæ competere, quod fiſco, *l. 21. §. fin. ff. de muni. ip.*

9 Porro non tantum privato cuilibet permiſſum eſt res fiſcales emere, etiam proſcriptas, ſed & illi, qui earum habet curam, ut puta Comiti rerum privatarum Auguſti, Quæſtoribus ærarij, item ſcholæ Palatinorum, & fiſci advocato, atque iſta emptio ſervatis ſolemnibus, & palam inita, à nemine calumniabitur, ut habet Græca Conſtitutio *l. ultim. h. t.* à Cujacio reſtituta: cui non adverſatur *l. ult. ſupr. de reſcind. vend.* in qua & Comites res privatas Principis diſtrahere, & Palatini eaſdem emere vetantur, quia loquitur cum furtim citra auctionem emunt.

10 Hinc tutori interdictum clam emere res pupillares; quod autem ei palam & bona fide, rem pupilli emere, & quam ejus putabat eſſe, uſucapere permittatur, rationem reddit Servius, quod deterior cauſa pupilli non ſit, *Si proprius habeat emptori & ſi minoris emerit tutelæ judicio tenebitur, ac ſi alij minoris addixiſſet, l. 2. §. 8. ff. pro emptore,*

Servatis

Digitized by Google

11 Servatis itaque prædictis ſolemnibus, & lapſo tempore quod in fiſcalibus auctionibus ſtatutum eſt, perpetuo jure dominij, res penes eum remanet, qui in licitando vicit, & meliorem conditionem obtulit, pretiumque ſolvit, *l. 4. h.t. & l. 5. ff. de jur. fiſci.* Si quis tamen bona vacantia emit à fiſco, actionem quæ contra defunctum competebat, excipere cogitur, *l. 41. ff. d.t.* neque poteſt fiſcus venditionem à ſe factam retractare, licet inſtrumenta emptionis nulla extent, modo emptor aliis probationibus legitimis, docere poſſit ſe à fiſco auctionante, rem emiſſe, & pretium præ cæteris auxiſſe, *l. 3. h. t.*

12 Eſt enim id regulare ut poſt addictionem alicui bona fide factam non audiatur etiam plus offerens *l. 5. h.t. l. 1. C. de vend. reb. civ. lib.* 11. nam ſi poſt addictionem ultimo licitatori factam, alius adhuc plus offerens admitteretur, nullus unquam eſſet licitationis finis, & foret illuſoria hujuſmodi addictio, nulliuſque penè auctoritatis, contra *l. 8. C. de remiſſ. pign.* ubi fiſcalis haſtæ fides non facile convelli debet. Dico ubi de auctione, addictioneve facta

13 conſtat * Alias audiendus erit fiſcus ſi dicat ſe nondum rem vendidiſſe, ſed ita venalem expoſuiſſe, ut qui emere cupiunt venirent ad offerendum infra tempus præſcriptum, cum enim non dixerit, quod plus offerenti dabitur, magis videbitur exquirere voluiſſe valorem rei, quam perficere contractum, quamvis aliquis juſtum pretium obtulerit. Joannes de Platea *in l. 4. h. t. num. 2.* ubi in fine addit quod ex ſola oblatione majoris pretij facta ab alio, fiſcus non compellatur ei rem vendere, & diſcedere à primo, ubi ſit utile fiſco; nam quamvis majus ſit pretium quod ſecundus offert, poteſt tamen graviora onera & pacta adjicere, per quæ conditio fiſci iniqua reddatur, *l. 4. in fin. & l. 9. ff. de in diem add.*

14 Oblata meliore conditione, & ſoluto pretio adeo implendus eſt contractus venditionis, ut neque auctoritate reſcripti, neque beneficio minoris ætatis, neque prætextu læſionis, infringi poſſit, *l. 5. h.t.* Ratio eſt quia Princeps per reſcriptum non intendit dominium alicui quæſitum auferre, niſi urgeat publica neceſſitas, ut docet Bart. *in l. 1. Cod. ſi contra jus vel util. publ.* Quod autem minor non juvetur, jure ſingulari, quando fiſcus rem illius vendidit pro debitis, ideo eſt, quia intervenit curator aliuſve defenſor, *l. ult. ſup. prob. publ. penſ.* In hoc caſu fiſcus quaſi creditor vendidit. At ſi rem alienam quaſi ſuam vendat, majori ſuccurritur prout dictum *ſup. ſi adverſus fiſcum.* Notandum quod initio *d. l. 5.* jubeantur bona vendi, *pro reliquiis prodigorum*, quos arbitratur Petrinus Belli, eos eſſe qui cum annonarios titulos atque exactiones curarent, prodigaliter eas conſumpſerunt, *de re milit. tit. 23. num. 10.*

15 Ceterum is quis obſervata forma à fiſco rem emit, ad pretium quanti licitatus eſt, ſolum tenetur, nec ob aliud fiſci debitum conveniri poteſt, *l. 6. h.t.* Proinde emens rem alienam à fiſco, non tenetur exſolvere alienum debitum, ſed ſatisfacit ſolvendo pretium rei venditæ.

Quod ſi tamen res eſſet obligata, pro alio fiſcali 16 debito, eo caſu recte convenitur emptor, prius diſcuſſis bonis principalis debitoris, *ut ſuper tit.* dictum. Item pro tributis etiam præteritis, quia tunc ipſa prædia, non perſonas conveniri Impp. reſcripſerunt, cum illa tranſeant cum ſuo onere, *l. 7. ff. de publ. & vectig. l. 1. C. de annon. & tribut. & l. 2. in fin. Cod. ſine cenſu.* Eoque pertinet *l. 36. ff. de jure fiſci.* Ubi prædiis à fiſco diſtractis, præteriti temporis tributum ex iiſdem prædiis debitum ad emptorem ſpectare placuit: verum cum id plures præſtare recuſarent, nec vellent à fiſco emere, remiſſum tandem eſt ab Impp. Valentiniano & Valente, facilius inveniendi emptoris cauſa, *in d. l. 6. h. t. l. 1. C. Theod. de fiſci debit.* Cujac. *l. 3. Reſp.* Papin. & Deſpeiſſes *tract. de ceux qui doivent des tailles, n. 24.* ubi in fine non admittit correctionem legum, prout Cujacio viſum, & recte, nam poteſt *d. l. 36.* ſic intelligi, ut licet ad fiſcum prædium devenerit, idque diſtraxerit, non ideo mutet naturam, ſed maneat ſub tributo, quod emptor præteriti temporis præſtare tenetur, id eſt, ut idem onus quod ante ſuſtinebat, deinceps præſtet, ita ut *d. l. 36.* non loquatur in plurali, de reliquis tributorum, aut de præteritis debitis ſolvendis ab emptore, ſed de tributo quod prædio inhæret, cujus onus ad emptorem ſpectare placuit.

Haſtarum ſolemnitatibus prætermiſſis, ſi fiſcus 17 pignora cœperit ex cauſa judicati, eaque diſtraxerit, venditio reſcinditur, & debitori offerenti debitam quantitatem, pignora reſtituuntur, una cum fructibus mala fide perceptis, aut percipiendis, *l. 1. h. t.* quod & in *l. 3. ſup. tit. 1.* traditum eſt, de eo qui per fraudem vel gratiam rem magni pretij, minore pretio à fiſco emerat.

Simile extra exemplum *in l. 2. h. t.* ubi prætermiſ- 18 ſa haſtarum ſolemnitate, venditio rerum debitoris fiſci vili pretio facta, dolo officialis, in gratiam debitoris, & fraudem fiſci, tanquam illicita reſcinditur, & officialis mulctatur: fraus enim & mala fides arguitur ob ſolemnitatem omiſſam, itemque vilitatem pretij, & exiguitatem debiti, *l. 1. & 3. C. ſi vend. pign. ag.* Ant. Gamma *deciſ. Luſit. 40. n. 6.* Cæterum ut retractetur venditio, quod res magni pretij exiguo divendita ſit, non neceſſe eſt, ut per gratiam & in præjudicium fiſci facta ſit venditio, nam ob primam tantum cauſam reſcinditur. *d. l. 3. ſup. tit. 1. & l. fin. Cod. ſi adverſ. fiſc.* Quod igitur *in l. 2. h. t.* fiat mentio præjudicij fiſci, non eſt intelligendum id eſſe neceſſarium ad reſciſſionem venditionis, ſed quod ita de facto contigerat. Petr. Barboſ. *ad l. mora num. 61. ff. ſolut. matrim. & ad l. 1. Cod. de praeſc. 30. vel 40. an.* Hinc licet inferre quod

quod ubi concurrit duplex cauſa ſufficiens ad reſcindendum actum, alteram probare ſufficiat, niſi allegans ſe ad utriuſque probationem adſtrinxerit. Joan. de Platea *ad d. l. 2.* & ibi Pyrrhus, Pinellus *in l. 2. part. 2. num. 19. C. de reſcind. vend.*

TITULUS IV.

De venditione rerum fiſcalium cum privatis communium.

1. *Fiſcus habens rem cum privato communem, poteſt totam vendere, ratione ſuæ partis, non item privatus.*
2. *Quæ ſit hujus rei ratio.*
3. *Quatenus procedat iſta venditio, & cui dandum pretium.*
4. *Vendita juriſdictione à fiſco poſſunt vaſalli eam retrahere.*
5. *Condemnatio ſeu mulcta tota ſolvitur fiſco, qui poſtea partem reddit denunciatori.*
6. *Qua actione aget ſocius contra fiſcum pro partis ſuæ pretio.*
7. *An rem cum altero communem poſſit fiſcus in pignus dare.*
8. *Item ad longum tempus locare, in emphyteuſim concedere, hypothecæ ſubjicere.*
9. *Rem privato & fiſco obligatam poteſt fiſcus vendere, ſic ut ſalvum ſit creditoribus jus ſuum.*
10. *An fiſcus qui tenetur defendere emptorem, poſſit cauſam trahere ad ſuum judicium.*

1 Hic titulus tractat, de quodam jure ſingulari, fiſco competente, quando rem habet communem cum perſona privata, ut ſcilicet totam poſſit vendere, & diſtrahere invito ſocio, *l. un. h. t.* quod ſecus eſt in privato, etſi pretium in fiſci utilitatem convertat, *l. 2. ſup. de commun. rer. alien.* quia non poteſt privatus plus juris in alium transferre, quam ipſe habet, *L. 54. ff. de reg. jur.* * At vero fiſcus ea 2 forma, ſeu privilegio utitur, ob utilitatem publicam, quæ privatæ antefertur, *L. 3. C. de primipilo,* quæque in eo præcipue conſiſtit, quod res integra commodius vendatur, quam per partes, cum igitur poſſit tota integra vendi, gravaretur fiſcus, ſi partem tantum venderet, cujus non inveniret facile emptorem, cum quia hic nihil ſe habere arbitraretur, ſi totam rem non emeret, tum quia ad venditionem partis, non ita quis accederet, propter communionem quæ plerumque ſolet excitare diſcordias, *l. 77. §. 20. in fin. ff. de leg. 2.* Amaya *ad h. l. n. 10. & 21.* ubi ex ſententia Valenzuelæ addit, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, & utilitate fiſci, procedere venditionem rei alienæ, *juxta l. 11. ff. de evict.* ac ſi tota ejus eſſet. Item ſive commode dividi poſſit, ſive non poſſit, cum indiſtincte loquatur noſtra lex, quamvis ejus ratio magis procedat eo caſu, quo res communis uſu, & poſſeſſione dividi nequit, *juxta l. 10. ff. quemadmod. ſervit. amitt.* quæ ſententia fuit Martini antiqui gloſſatoris.

Verum quamvis ex tali venditione totum dominium rei, in emptorem tranſeat, ac totum rei 3 venditæ pretium fiſcus recipiat, non tamen niſi partem ſuam, in ſuum redigit patrimonium, reliquum ſocio, ſeu domino partis reſtituit, *l. un. h. t.* Quomodo hæc venditio, præmiſſa ſolemnitate fieri debet, de qua in *l. 1. ſup. tit.* itemque præſente pecunia, quia non cogitur ſocius fidem habere de pretio, quod utique integrum à fiſco ſine labore accipiet, in quo & commodum aliquod ſentit; quin & in eo, quod ſi velit ipſe rem emere, tantumdem offerendo, aliis præferatur, *arg. l. 8. ff. de in diem addict. & l. 2. ff. de priv. cred.* Baldus *in l. 2. de com. rer. alien.*

Hinc ſi à fiſco vendatur juriſdictio patrimonij 4 Principis, vel jus aliquod cui annexa eſt juriſdictio, vaſalli præferentur oblato pretio, quod alius privatus offert, quia non debent inviti alienari à ſuo domino, & ſeparari à juriſdictione diutino uſu ſibi quæſita, & cui magis ſunt conjuncti, ut merito etiam ad retractum juriſdictionis admitti debeant, & præferri aliis emptoribus, propter communionem quam in iſta re quaſi habere videntur, *arg. l. un h. t. & d. L. 2.* Larrea *alleg. 45.* Joſ. de Seſſe *in deciſ. Arag. 36.* Vaſquez *illuſtr. contr. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 80.* qui ſic limitant regulam, quod Princeps teneatur ex contractu, niſi fiat in præjudicium ſubditorum. *Feleninus c. 1. num. 4. de probat. & c. dilecti de major. & obed.*

Præterea frequens hodie, ubi indicta eſt mulcta, vel pœna pecuniaria, eaque dividenda venit 5 inter fiſcum & denuntiatorem, quod fiſcus ſoleat totam mulctam exigere, poſtea vero reddat denuntiatori ſuas partes, *arg. l. 15. §. 3. ff. de jure fiſci.* Facilior eſt enim fiſco mulctæ exactio, & accuſatori utilis, propterea quod ſine moleſtia partem ſuam conſequatur, prout hic ſocius. * Sed 6 quid ſi ſocius partis ſuæ pretium non recipiat? Actione negotiorum adverſus fiſcum experietur, *l. 3. Cod. de rei vend.* ubi ſi mater invita filia rem vendidit, poterit venditionem ratam habere, & adverſus venditricem actione negotiorum geſtorum agere, *l. 19. Cod. de negot. geſt. l. 9. ff. eod.* Cujac. *lib. 26. obſerv. 36.*

Porro licet fiſcus poſſit rem ſibi & privato com- 7 munem vendere, non puto tamen quod poſſit eam obligare, quoniam *d. l. un.* tantum loquitur de venditione, idque ex privilegio, quod in ſocij injuriam non debet extendi ad pignus in quo præterea non militat eadem ratio, quæ in venditione, ut res pluris vendatur, quando tota venditur, & non pro parte, & datio pretij, quæ facienda eſt ſocio in

cauſa

cauſa pignorationis, non procedit, quia emptionis verbo, veniunt tantum ea, quæ pretio acquiruntur: unde nihil ſocius conſequeretur niſi damnum, coactus ſtare dationi pignoris, cujus ratione poſſet poſtea propria re privari, ſi debitor non ſolveret, & ſic privilegium fiſci ſocio fieret damnoſum contra mentem legis, Amaya *ad d. l. un.*

8 Habet itaque privilegium fiſcus, ut poſſit vendere rem cum ſocio communem, ſed non eam ad longum tempus locare, vel in emphyteuſim concedere, cùm avocari & auferri res poſſit, ſi penſio non ſolvatur. Caſtillo *lib. 3. cont. cap. 6.* multo minus poterit rem alteri jam obligatam pignori ſubjicere, aut jus communis hypothecæ remittere, quoniam ſocij aut creditoris jus læderet. Late Amaya *ad h. l. n. 34. & ſeqq.* Et ante eum Peregrinus *de jure fiſci lib. 6. cap. 4. num. 23.*

9 Quod ſi tamen in rebus fiſco vindicatis, ſint res aliquæ alij ante obligatæ, non ob id impeditur fiſcus vendere, quia etſi aliis ſint pignoratæ, venduntur cum ſua cauſa, id eſt, ſalvo jure pignoris. Itaque ut facilius fiſcus inveniat emptorem, permittitur ei res obligatas vendere, ea lege, ut prius creditoribus præcedentibus ſatisfiat ex pretio, & ſuperfluum fiſco inferatur, aut ſi nihil ſuperſit, ſed tantum debeatur creditoribus quantum eſt in pretio, totum id fiſcus illis exſolvet; ſimiliter ſi totum pretium accepit cum onere ſolvendi creditoribus, eis plene ſatisfacere cogitur, *l. 22. §. 1. ff. de jure fiſci.* Etiam non expectata ſententia, maxime ubi fiſco conſtat de debito, *l. 9. Cod. de bonis proſcript.* ibi *ſtatim*, quæ vox denotat ſummariam cognitionem.

10 Poſtremo quæritur, ſi fiſcus velit defendere emptorem, ab actione contra ipſum in judicium deducta, an poterit cauſam ab eo judice eximere, & ad ſuum avocare? Affirmant textus, qui dicunt cauſam fiſcalem ſpectare ad procuratorem fiſci, ſeu ad rationalem, hoc eſt, judicem fiſci, *l. 5. C. ubi cauſæ fiſc. l. 3. C. de jure fiſci.* Sed verius hos textus procedere, quando fiſcus principaliter agit, quia impugnatur ejus venditio de nullitate, quo caſu cum factum fiſci arguatur, ex quo fructus debeant reſtitui, tunc temporis res debet expediri apud judicem fiſcalem, *l. 1. tit. ſup. & d. l. 5. Cod. ubi cauſa fiſcal.* Sic in *d. l. 3. C. de jure fiſci.* Qui repetebat rem venditam per officiales fiſci, allegabat venditionem fuiſſe nullam, utpote minori pretio factam, per dolum emptoris, vel per gratiam officialium, ideo meritò de hac nullitate contractus, per fiſcum agitur coram procuratore fiſci, & quoties vertitur fiſci intereſſe. At in aliis cauſis fiſcus emptorem defendens & ei aſſiſtens, cenſetur privatus, nec poteſt mutare forum, *l. un. h. t.* ibi cum emptor qui à fiſco rem cum privato communem emit, reconvenitur, & apud ſuum judicem judicium peragitur. Suffragatur *l. 49. ff. de judiciis.* ubi qui ad alium defendendum evocatur, privilegio fori ex capite ſuo ſe juvare non poteſt, ſed ibi defendet, ubi cauſa agitur. Igitur fiſcus allegare non poterit privilegium ſuum cum emptorem venit defenſurus, nec ipſe conventus qui cauſam à fiſco habuit, declinare recte poteſt forum ſuum, aut allegare fiſcum proprium habere judicem, quia principale judicium cum eo, non cum fiſco verſatur, Bald. *ad l. 3. Cod. de jure fiſci.* Et ibi late Amaya *à num. 28.* Ant. Burgos *ad cap. ult. n. de emp. & vend. num. 10. & ſeqq.* Covar. *pract. qq. cap. 8. n. 3.* Barboſa *ad l. 49. ff. de judiciis num. 151. & ſeqq.* qui omnes ſentiunt fiſcum jure privatorum uti, in caſibus non expreſſis. Atque ideo inſtantiam cœptam cum homine privato, cui fiſcus poſtea ſucceſſit, non tranſire in fiſcum, ita ut fiſcus poſſit mutare forum; ſed debere cauſam proſequi coram judice privati, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Plane clericus qui laico ſucceſſit, vel ad defenſionem denuntiatus, litem ibi peragere debet, ubi cœpta, quia non ipſe convenitur, ſed emptor, ſic ut non videatur clericus contra ſuum privilegium ad tribunal laici trahi. Ant. de Butr. *ad c. quoniam §. quod ſi ſuper n. ut lite non conteſtata.* Covar. *d. loco.* Et nos plura diximus *ſup. de eviction.* Hodie per conſtitutiones Principum, fiſcus ad inferiora tribunalia defendendi gratia deſcendere non cogitur. Nicol. Burgund. *de evict. cap. 68. num. 5.*

TITULUS V.

Ne fiſcus rem quam vendidit, evincat.

1. *Quid definiat & ſtatuat hic titulus?*
2. *Cur quod una ſtatio fiſci vendidit, alia id retractare nequeat.*
3. *Compenſatio an habeat locum de una ſtatione ad aliam.*
4. *Inter privatos admittitur differentia inter diviſionem rerum pupilli & fiſci, quoad adminiſtrationem.*
5. *Quatenus procedat venditio, ne ab altera ſtatione revocetur.*
6. *Officiales fiſci perperam vendentes invicem experiuntur.*
7. *An poſſit Princeps contractus à ſe geſtos in contrahentium damnum retractare?*
8. *Et auferre ſubditis res proprias ob publicam utilitatem.*
9. *An ceſſante cauſa publica, liceat Principi bona ſubditis auferre?*
10. *An poſſit Princeps alicui dominium auferre, quaſitum jure civili?*
11. *Cauſa ſalutis publicæ, poteſt Princeps bona ſubditorum auferre, actiones condonare, & damna remittere.*

12. *Quando præſumatur uti voluiſſe plenitudine ſuæ poteſtatis.*

13. *An obligetur princeps ad reparationem damnorum.*

14. *An ſi res alicui auferat, teneatur ei refundere pretium.*

1 IS qui bona fide ab una ſtatione fiſcali, ſive ab uno officiali fiſci, rem emit aliquam, quæ ad aliam ſtationem & officium fiſcale pertinebat, ſi fiſco ejúſve ſtationi vendenti, verum pretium exſolvit, adeo ſecurus eſt, ut non poſſit à præpoſito alteri ſtationi inquietari, nec ei ſuper tali re vendita, controverſia moveri, nec fiſcus ipſe rem evincere, eo prætextu, quod res illa ad ſtationem vendentis non pertinebat *l.* 1. *h.t.*

2 Ratio redditur *in l.*2.*C.eod.* Quia retractare fiſcum quod ſemel vendidit, æquitatis & honeſtatis ratio non patitur. Etenim cum fiſcus unus idemque ſit, in una & altera ſtatione, qui rem diſtraxit & pretium accepit, & idem ſit qui nunc controverſiam movet, & omnes officiales fiſcum uniformiter repræſentent, improbe faceret ſi rem à ſe diſtractam evincere procuraret, contra proprium factum; ut non mirum ſi repellatur, quemadmodum ille qui alienavit, *l.*17.*ff.de evict.l.*3. *C. de rei vind.* Et perpetua eſt regula, quod quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellat exceptio, *l.*11.13. *& ſeq. C. de evict. l.* 21. *&* 73. *in fin. ff. eod.*

3 Non urget in contrarium, quod de una ſtatione in aliam compenſatio in cauſa fiſcali non detur, nec audiatur debitor unius ſtationis, ſi ab alia ſtatione debitum ſibi compenſare cupiat. *l.* 1. *C. de compenſat.* Quia cum officia fiſcalia inter ſe diſtincta ſint, ut quia apud hæc vectigalia exiguntur, apud alia tributa, vel pœnæ fiſcales, ideo non debent inter ſe confundi, & intricari rationes diverſarum ſtationum. Accurſius & Platea *ad l.* 1. *h. t.* Vitandæ hujus confuſionis duas cauſas adfert Donellus *ad d. l.* 1. *C. de compenſ.* I. Quia hæc confuſio non ſolum nocet ſtationibus & officiariis, ſed etiam eſt contra adminiſtrationem ipſam. Nam ſi ſtatio hujus loci cogeretur admittere compenſationem eorum quæ alij ſtationi debentur; cogetur inquirere quomodo altera ſtatio ageret, & inſpicere an bene vel male rem gereret vel adminiſtraret; ac ita oneraretur hæc ſtatio ultra quam adminiſtrationi propoſita eſt. II. Quia ex hac confuſione maximum crearetur fiſco præjudicium, nam cum altera ſtatio ignoret in quantum debitor ſuus alterius ſtationis creditor eſt, implicarentur officia variis cognitionibus, & eveniret aliquando, ut compenſato jam debito cum ſtatione cui debebat, iterum debitum petat ab altera cui erat debitor. Quod quia ferendum non eſt, ideo Senatus cenſuit, & Princeps ſæpe reſcripſit compenſationi in cauſa fiſcali ita demum locum eſſe, ſi eadem ſtatio quid debeat, quæ petit; id eſt, modo fiat compenſatio in debito & credito ejuſdem ſtationis, *d. l.* 1. *C. de compenſat.*

At vero inter privatos, compenſatio & confuſio officiorum admittitur, *l.* 36. *ff. de admin. tut.* Quia 4
non tanti intereſt privatorum adminiſtrationes, quam fiſcales ſtationes confundi. Neque enim debet diviſio facta in commodum tutorum (ut levius ſit onus adminiſtrationis) detorqueri in præjudicium eorum, qui cum pupillis agere volunt; proinde ſi diviſa ſit tutela, debebit qui res Italicas adminiſtrat, admittere compenſationem ejus quod ratione rerum provincialium à pupillo debetur. Etenim quamvis tutela ſit diviſa, unum tamen tantum eſt patrimonium, diviſum quidem officio magiſtratus, non jure. Jure ipſo ſinguli ſunt tutores in ſolidum, & ideo non poteſt diviſio iſta adminiſtrationis, impedire compenſationem quæ fit ipſo jure. Contra autem eſt in fiſci ſtationibus, in quibus à jure, non à jurisdictione, fit diviſio illa adminiſtrationis, & ſic ne confundantur officia (uti dictum) compenſatio non admittitur. Donel. *d. loco & lib.* 16. *com. c.* 15. Cujac. *lib.* 3. *qq.* Papin. *in l. cum militi de compenſ.* Amaya & Garſia Tolet. *ad h. tit.*

Cæterum quod dicitur non poſſe fiſcum, aut ejus
ſtationarium venditionem retractare, nec rem ven- 5
ditam emptori evincere, procedit modò ſervatis ſolemnitatibus, & bona fide facta fuerit addictio, & fiſcus pretium rei venditæ ſemel acceperit: nam non poteſt vendere habita fide de pretio, cum vendat ex cauſa neceſſaria, ut ſibi & creditoribus ſatisfaciat, *l.* 5. *in fin. ff. de jur. fiſci.* Aliter facta venditio nulla erit, & poterit fiſcus venire contra factum ſui officialis.

Quod ſi autem venditio non ſit facta ex uſu fiſci,
officiales ipſi tam unius quam alterius ſtationis, qui 6
perperam vendiderunt, invicem experiri poterunt, non inquietato emptore, actione, non quæ competit fiſco, ſed quæ datur adminiſtratori, & hæc erit actio negotiorum geſtorum in ſubſidium, *l.* 1. *ff. de reb. alien. non. al.* Accurſius hic.

Dubitatur de ipſo Principe, num poſſit rem quam
ejus fiſcus vendidit, revocare? Quod plerique juris 7
interpretes affirmant, eo quod legibus ſit ſolutus, *l.* 31. *ff. de legib.* & prædiorum venditionem à privatis factam poſſit infringere, & pro arbitrio veteranis militibus in præmium prædia iſta aſſignare, *juxta l.* 11. *ff. de evict.* Contra tamen facit quod hic reſcribit Alexander Imp graviſſimum eſſe, & verecundũ in emptoris damnum revocare, ea quæ ſemel placuerunt, firmamque venditionem retractare: & certe ſi æquitatis honeſtatisque ratio id non patitur in privato, *l.* 1. *&* 2. *h.t.* multo minus in Principe, cujus dignitati nihil magis conveniens quam pacta ſervare; licet enim ſolutus ſit Princeps legibus civilibus, non tamen legibus conventionum & contractuum

ctuum, qui ſunt ex jure gentium. Quo fit ut contractibus à ſe, aut fiſco ſuo rite initis efficaciter obligetur, alias nemo cum eo contrahere vellet. Bart. & Bald. *ad l. 4. Cod. de legib.* Late Larrea *alleg. fiſci 3*.

8 Non obſtat quod idem Alexander prædiorum venditionem à privatis initam revocarit, & prædia militibus conceſſerit, *d. l. 11.* quoniam in uſu erat prædia bello acquiſita, aut in limine imperij ſita, limitaneis militibus aſſignare, non dominij, ſed poſſeſſionis tantum temporariæ jure fruenda, quo ardentius ea loca defenderent ab incurſu hoſtium, ut indicat *l. 3. C. de fund. limitroph.* Quæ cauſa cum publica ſit, & reipublicæ utilis, mirum videri non debet, ſi ea prædia limitrophia Princeps privatis adimat, & militibus concedat, cum hi melius quam illi ea defendere poſſint. Non enim dubium eſt quin ex cauſa publicæ utilitatis auferre poſſit ſubditis res proprias, ut tradit Andr. Fachin. *lib. 8. contr. c. 63.* & alij relati ab Amaya *lib. 1. obſ. c. 1.*

9 Quin amplius aſſerunt de plenitudine poteſtatis, poſſe Principem ſubditis bona & facultates auferre, quandoquidem illius auctoritate illa bona ſint diſtributa ſingulis, & conſervata. Hinc Juſtinianus omnia bona ſua eſſe dicit *in l. bene à Zenone Cod. de quadrien. præſc.* Et Antoninus ſe totius mundi dominum *in l. 9. ff. ad l. Rhod. de jactu.* De cujus proinde voluntate & judicio diſputare, ſacrilegij inſtar eſt. *l. 3. C. de crim. ſacril.* At ego cum illis ſentio, qui cenſent Principem non poſſe privatis, & ſubditis ſine cauſa res, & facultates auferre. Nam eſt quidem Princeps mundi, id eſt, imperij Romani dominus, & legibus ſolutus, *l. 31. ff. de legib.* Ita ut non teneatur ſubditis reſpondere, aut rationem reddere ſuorum factorum, non tamen poteſt illis res quæſitas auferre: excederet enim Princeps eas auferendo, terminos juſtitiæ, & peccaret contra ordinationem Dei, qua jubetur facere juſtitiam & judicium; & Principis nomine ſe indignum redderet. Vaſquez *illuſtri contr. lib. 1. c. 5. n. 9.* Nec adverſantur verba *d. l. 9.* Quia intelligenda ſunt, ut Princeps dominus dicatur quoad juriſdictionem, & protectionem, quam habet in res univerſas, non vero quoad dominium rerum privatarum, ut eleganter notavit Seneca *l. 7. de benefic. c. 4. Ad reges poteſtas omnium pertinet; ad ſingulos proprietas.*

10 Ergo cum ad ſingulos pertineat dominium, non poterit Princeps etiam quod jure civili quæſitum eſt adimere, nam quamvis ſit ſupra jus civile, ipſum tamen dominium ex jure gentium procedit, ab eoque jure omnia dominia originem ducunt, quocumque titulo aut ratione quæſita. Pinell. *p. 1. rub. n. ſ. de reſc. vend.* Molina *de Hiſp. primog. lib. 2. c. 7. n. 28. & lib. 4. cap. 3. num. 9. & ſeqq.* Proinde quod teſtamento alicui quæſitum eſt, auferre, vel vaſallum feudo privare, abſque legitima cauſa, Princeps non poteſt, neque derogare juri filiorum in bonis majoratus competenti, neque impedire, quo minus filij legitimam habeant, mortuo patre, aut ejus hæreditatem per aditionem quæſitam retineant, maxime ſi poſſeſſionis apprehenſio aditionem fuerit ſubſecuta; licet enim legitimæ quantitas, & hæreditatis aditio, & teſtamenti obſervatio, ex jure civili procedant; non eſt credendum tamen Principem, qui jura tuetur, obſervationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam velle invertere *l. 35. in pr. de inoff. teſtam.* Aut dominium juri naturali alteri quæſitũ, tollere, & quod noſtrum eſt, alteri dare, niſi legitima cauſa moveatur. Ant. Gabriel *lib. comm. concl. tit. de jure quaſ. non toll. conc. 3.* Et citati à Larrea *alleg. 115. n. 14.*

Eſt autem cauſa juſta, quæ cum utilitate publica eſt conjuncta, quæ ſi non appareat, conveniens erit illam exprimere, quamvis ſemper cauſa juſta in bono Principe præſumatur. Hæc interdum efficit ut Princeps de plenitudine poteſtatis quid conſtituat, ut actus potius valeat, quam pereat. Hæc itidem Principem impellit bona ſubditorum etiam non conſentientium alienare, eorum actiones cedere, damna belli tempore illata remittere, ad obtinendam pacem, atque ut ea omnes ſubjecti fruantur, id facere dicitur Princeps de plenitudine poteſtatis, quam habet procurandi totius populi quietem. Nec repugnat id legi naturali dictanti, unicuique ſuum ſervetur, nemini ſuum auferatur, quoniam lex alia ſuperior jubet, ut tranquillitas publica procuretur, ut dixit Cicero, *l. 3. de legib. Salus populi ſuprema lex.* Juſta quidem lex quæ jubet quemquam res ſuas retinere, ſed juſtior ac potentior illa, quæ res quibuſdam adimi permittit, ut in pace vivatur. *DD. in l. 5. ff. de pact.* Etenim ubi adeſt juſta cauſa, tunc non tam legis tranſgreſſio, quam interpretatio fieri videtur, quam facere non tantum poteſt, ſed etiam debet magiſtratus. 11

Princeps vero urgente neceſſitate publica, multa de plenitudine poteſtatis conſtituit, quæ licet prima fronte dura eſſe appareant, ea tamen ſi penitius conſiderentur, reperientur æquiſſima. Ut cum remittit damna tempore belli illata, pro obtinenda pace (ut jam dixi:) Item cum jubet ſuburbia civitatis, aut domum vicini dirui, ne hoſtes eo ſe recipiant, magno cum civitatis periculo: Item fundum urbi vicinum occupari, ad dilatandas foſſas, aut pomeria civitatis, aut extruenda muniendave propugnacula, *l. 9. & 14. C. de oper. publ.* Peckius *ad c. nemo 79. n. 3. de reg. jur. n. 6.* Qui actus non poſſunt ſine abſoluta poteſtate explicari, & ideo ab eodem fieri præſumuntur, ut docet Gail. *l. 2. obſer. c. 56. num. 17. & ſeq.* Vaſquez *illuſtr. c. 5.* * Unde hiſce caſibus, ad compenſationem damni, aut ad ſolutionem pretij, non obligatur Princeps, quia licet abſoluta ſua poteſtate utatur, ſubeſt tamen cauſa potentior, publica videlicet utilitas, quæ iſta fieri præcipit, & communia omnia facit, etiam invitis ſubditis. Æquitas 12 13

 tamen

tamen quæ publicam cauſam ſequitur, ſuadet ut iiſdem ex publico refundatur æſtimatio, ne inviti & miſeri, re ſua & pretio careant. Covar. *var. reſ. l.3. c.14. n.8.* Ubi addit ab eadem poteſtate poſſe cogi vicinum, fundum ſuum vendere amplificandi templi cauſa, quia ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, alio tamen fundo commodo aſſignato, vel juſto pretio dato, *l.14. §.1. quemadmod. ſervit. amit.* Ubi cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet, ſed ſolvitur ei juſtum pretium. Ita Gomez *tom. 2. var. c. 2. num. 51.* Et Valaſcus, *conſ. 22.* amplius addit conſuetudine induci non poſſe, ut ſine refuſione juſti pretij, res ſua alicui auferatur, vel vendere eam cogatur, quia naturali & gentium juri repugnaret. Plura ad uſum, & in confirmationem eorum quæ dixi, adfert. Ant. Mornatius *ad l. invitum 11. C. de contr. empt.*

TITULUS VI.

De his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.

1. *Civitas & ejus adminiſtratores quatenus ex mutuo accepto obligentur.*
2. *Poſſunt aliis pecuniam fœnori dare, ſed eam ex publicis rationibus accipere vetitum ſub pœna.*
3. *An puniantur officiales pecuniam dantes, & quæ pœna?*
4. *Item officiales qui mutuo auream pecuniam dederunt inſcio Principe ejuſque fiſco.*
5. *Qua pœna jure & moribus puniatur qui publicam pecuniam ſurripit.*

1 TErtius contractus de quo hic, *eſt mutuum*, cujus datione civitas obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt, alioquin ipſi ſoli adminiſtratores; qui civitatis nomine pecuniam mutuam acceperunt, non civitas, tenebuntur, *l.27. ff. de reb. cred.* Quod ita receptum eſt, ne civitas adminiſtratorum culpa damnum ſentiat, & ut illi vigilantiores reddantur, qui civitatis nomine pecuniam accipiunt. Itaque *d. l.27.* locum habet in adminiſtratoribus civitatis, abſque mandato, aut inſufficienti mutuum accipientibus. Nam ſi, ut inquit Bart. adminiſtratores de mandato civitatis, aut ipſum concilium, quod totam civitatem repræſentat, mutuam pecuniam accipiant, civitas obligatur hoc mutuum reſtituere, ſive ea pecunia in utilitatem civitatis ſit verſa, ſive non: utitur enim civitas jure privatorum, *l.16. in fin. ff. de verb. ſignif.* Qui ut adſtringuntur ſuis debitis, ita civitas ſuis contractibus, quovis tempore initis, nam perſonis omnibus mutatis, ſemper una eademque manet, *l.7. §.2. ff. quod cujuſque univerſ.*

Porro ut accipere, ita & pro utilitate civitatis 2
ejus pecuniam adminiſtratores credere poſſunt, *l.15. ff. ad S.C. Maced.* Itemque publicam pecuniam fœnerare ſub uſuris ſolitis, *l.11. ff. de uſur.* At vero ex arca præfectoria in quam pecunia jam exacta reponitur vel ex theſauro Principis pecuniã fœnebrem ſumere vetitum eſt, quomodo ſi quis ab exactoribus, tabulariis, & Arcariis publicarum rationum, mutuam pecuniam acceperit, inconſulto Principe, vel à quolibet eorum, quadrupli pœna damnatur ubi detectus fuerit, *l.1. h.t.* Quoniam pecuniæ iſtæ ad alias neceſſitates, quam ad quas deſtinatæ, non ſunt impendendæ.

Et licet pœna videatur impoſita ſolis mutuum 3
accipientibus, eadem multo magis mulctantur officiales pecuniam fœnori dantes, ſeque contractibus fiſco pernicioſis miſcentes, *juxta l.8. ſup. de jur. fiſci,* ubi Cujacius. Pœna quippe illa eſt fere omnibus iis indicta, qui fraudem fiſco faciunt, *l.46. §. fin. ff. de jure fiſci.* Triplum autem pœna tantum, & ſimplum res eſt, ex ſententia Bartoli *ad d.l.1.* Quando agitur de pecunia jam exacta, & illata in ærarium Principis, quia ſi ejus nondum ſit effecta, pœna tantum erit in duplum, in officiales qui pecuniam publicam mutuam dederint, aut in proprios uſus converterint, *l.7. ſup. de jur. fiſc.* Quam pœnam non evitant, licet fidejuſſores dederint, vel cautionem de mutuo reddendo. Joan. de Platea *ad d.l.2. hoc tit.*

At ſcire debent omnes, accipiendi mutuo ex 4
largitionibus ſacris non patere cuiquã facultatem, ideo ſi quis occulte pecuniam auream acceperit, aut ſponſionis, aut cautionis fide, ſine ejuſdem Principis auctoritate, ablatis bonis omnibus, perpetuæ deportationis exilio ſubditur; is autem qui ex memoratis theſauris ſpecie publici creditoris, aurum cuiquam dederit, vel retinuerit ad proprios uſus, capitali ſententiæ ſubjugatur, *l. 2. hoc tit.* Quæ lex ſcripta eſt ad Comitem theſaurorum, qui conſervare, non uſurpare theſauros Principis debet. Gravius enim delinquit officialis, qui mutuans aliquam pecuniam fiſci, aſſerit ſe mandatum ad hoc habere; aut ſub ſpecie quod fiſci ſit creditor, audet aurum mutuo dare, quod cæteris metallis eſt pretioſius, & cujus mundities & uſus Principibus placet.

Hinc eſt quod gravius puniatur qui furtum com- 5
mittit rei pretioſæ, quam parvæ, modicique valoris, *l.16. §.7. & l.11. §.1. ff. de pœnis.* Item qui pecuniam publicam aut fiſcalem ſurripit ſimulans ſe fiſci creditorem, lege Julia peculatus tenetur *l.1. & l.9. §.3. ff. ad l. Jul. pecul.* Quinimo Papo teſtatur pœna capitali ultimi ſupplicij aliquando animadverſum fuiſſe in Quæſtorem, qui pecuniam publicam intervertiſſe accuſabatur, interdum exilio, cum pœna confiſcationis bonorum, *lib. 22. arreſt. Tit. 2. art. 1.* Joan. de Scobar *tract. de ratiociniis c. 14.*

§.14.n.31. Et certe non poſſet eſſe ſatis gravis pœna in eos qui exiſtentes in officio publico, undique corradunt pecunias, ex lachrimis provincialium, in utilitatem publicam expendendas, quas interim illi in ſuos uſus convertunt, aut mutuas dant, ut illarum uſurâ brevi tempore diteſcant. Ut hodie contra peculatus reos agatur, docet in ſua politica Bobadilla *l.5.c.4. num. 86.* & Pet. Surdus *conſ. 391. n. 14. & ſeq.*

TITULUS VII.

Pœnis fiſcalibus creditores præferri.

1. *Pœna & mulcta fiſcales quæ ſint? Rationales an habuerint jus mulctandi?*
2. *Exponitur conſtitutio* h.t. *quæ vult ut præferantur creditores ipſi fiſco in pœnis.*
3. *Ratio iſtius conſtitutionis eſt quod fiſcus agat de lucro captando, creditores de damno vitando.*
4. *Adverſus quos creditores fiſcus habeat privilegium.*
5. *An in pœnalibus habeat fiſcus jus tacitæ hypothecæ?*
6. *Agitur de intellectu* l. 48. §. Cornelio fœlici ff. de jure fiſci; *quæ fiſcus fruitur bonis fideicommiſſo relictis antequam dies fideicommiſſi venerit.*
7. *An præferatur denuntiatori, Judici & alijs quibus pars competit in pœna, quam integram ſolvere nequit condemnatus?*
8. *Pars pœnæ cui ex duobus fiſci patronis competat, an ei, qui litem movit, an qui eam perfecit?*

1 Altera cauſa eſt *crimen*, ob quod vel bona confiſcantur, vel mulcta fiſco defertur, *l.5. ſup. de modo mulct.* Quæ hic pœna fiſcalis dicitur, alia certa & à jure determinata, quæque illis imponitur, qui delictum perpetrarunt in duplum vel quadruplum, *l.1. & 2. ſup. tit. 1.* Alia incerta pendens ex arbitrio judicis, & mulcta magis eſt, quæ pecuniæ, non famæ damnum irrogat, & imponitur inſpecta cauſæ & perſonarum delinquentium qualitate, *l.2. & tot. tit. ſup. de modo mulct.* Ex quo conſtat procuratores fiſci vel rationales non habere jus mulctandi, licet habuerint juriſdictionem, quia id ſolum conceſſum fuerat Magiſtratibus, qui præerant juri dicundo: illorum tamen juriſdictionis fructus, ſunt iſtæ pœnæ fiſcales, per quas augetur Principis ærarium. Barc. *in l.fin. C. de fructib. & litium expenſ.* Capitius *deciſ. 27. num. 15.*

2 His præmiſſis exponenda modo eſt æquiſſima hujus tit. Conſtitutio Alexandri Imp. in qua vult ſi aliquis fuerit à Judice condemnatus in certam pœnam fiſco applicandam, quam deinde ipſe fiſcus vindicare intendit, & adſint condemnati creditores adverſus eum actiones ſuas moventes, ut illi fiſco præferantur; nam habet quidem fiſcus in actionibus perſonalibus, & rei perſecutoriis prælationem, non item in pœnis, *in illarum enim exactione rem ſuam perſequentibus poſtponitur*, inquit, *l.un. hoc.t.* Sic ſi is qui delinquit mutuam pecuniam accepit ex publicis rationibus, & damnatus eſt in pœnam quadrupli (ut dictum *ſup.tit.*) licet hæc pœna à jure ſit impoſita, eamque fiſcus exigat, præferendi ſunt creditores in triplo ejus quadrupli, non autem in toto quadruplo, cui ſimplum ineſt, namque in hujus ſimpli perſecutione, fiſcus uti creditor, potior eſt, *d.l.un.in fin.* 3 *Ratio autem cur in pœnalibus actionibus non ſit potior, ſed cedere debeat anterioribus creditoribus, hæc eſt, quod quando fiſcus agit ad pœnæ perſecutionem ratione delicti, certet de lucro captando, reliqui vero creditores de damno vitando, & perſequantur quod ſibi ex contractu, ſuaque præventione debetur; quorum proinde cauſa ſemper viſa eſt favorabilior, durior vero petitoris, *l.33. ff. de reg. jur.* Facit in eam rem *l.fin. §. licentia C. de jur. deliber. & l. fin. §. ſi quis vero C. de codicill.* ibi *non enim par eademque ratio videtur amittere debita, & lucra non captare.* Quibus accedit quod fiſcus in pœnis, loco debitoris ſuccedere videatur, quare non plus juris vel bonorum habet, quam is in cujus locum ſuccedit, *l.48.§.1.ff. de jur. fiſci.* Huc quoque pertinet, quod à Jaboleno reſponſum eſt, non poſſe ulla bona publicata ad fiſcum pertinere, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt: id enim bonorum cujuſque eſſe intelligit, quod æri alieno ſupereſt, *l.11. & l.12. ff. eod.* Ubi ſtatutum prius creditoribus præcedentibus ſatisfieri debere, & quod reſiduum eſt fiſco cedere.

Habet quidem fiſcus in hoc privilegium, quod 4 rem ſibi aliiſque creditoribus obligatam poſſit vendere, ſed tamen debet antiquioribus creditoribus hypothecariis ſolvere, & quod ſupereſt ſibi retinere, *l.un. ſup. de vend. rer. com.* Similiter hic licet fiſcus contra ipſum delinquentem poſſet uti ſuo privilegio, illud tamen ceſſat in pœnis contra creditores antiquiores. Idque affirmant jura allegata, & quod Papiniano placuit, à fiſco non eſſe exigendam pœnam niſi creditores rem ſibi debitam recuperaverint, ita ut privilegium in pœnali actione, fiſcus contra antiquiores creditores non exerceat, non tamen jus commune privatorum amittat, *l.37. ff. de jure fiſci.* Quod ita ibi Cujacius, & hic Amaya interpretantur, ut ſi debitum pœnale fiſco competens, ſit antiquius credito, non auferatur fiſco jus commune, quamvis certet de lucro, ſed præferatur poſterioribus creditoribus, ſicut quilibet privatus agendo præfertur ex cauſa antiquiori.

Cæterum etſi fiſcus tacitam habet hypothecam 5 in omnibus bonis ſui debitoris, *l.46.§.3.ff. d.t. l.2. C. in quibus cauſis pign. l.2. & 3. C. de privil. fiſci*, eam tamen non habet contra creditores pro pœnarum

narum perſecutione *l.* 10. *ff. de pact.* & ratio eſt, quia publicatio bonorum ita accipitur, ut æs alienum deducatur, prout dicitur *in d.l.* 11. *& l.* 72. *ff. de jur. dot.* Atque ita fiſcus minime poterit creditoribus
6 anteponi. * Non obſtat *d.* §. 3. Quod fiſcus ſemper habeat jus pignoris, quia eo jure, nec ſuo privilegio utitur in pœnis contra creditores. Platea *ad l. un. in fin.* inſinuat non obſtare quod dicitur *in l.* 48. §. *Cornelio fœlici ff. de jur. fiſci.* Ubi mater hæres inſtituta, & rogata poſt mortem ſuam hæreditatem reſtituere Cornelio filio, ea autem propter delictum condemnata, & à fiſco bonis occupatis, cum diceret Cornelius, ſe in ea hæreditate potiorem eſſe debere, quoniam bona pœnæ cauſa publicata fuerant, & conſtet pœnæ fiſcalis executionem creditoribus poſtponi; decretum nihilominus fiſcum, excluſo Cornelio eſſe potiorem, & recte. Nam pendente conditione fideicommiſſi Cornelius non fuit creditor, *l.* 42. *ff. de obligat.* Nec per conſequens litigare, aut cum fiſco concurrere potuit. Accedit quod mater non fuerit civiliter mortua, quia non fuit deportata, ut non mirum ſi fiſcus præferatur: fuerat quidem illa gravata poſt mortem reſtituere, ſed per ſolam confiſcationem bonorum non intelligitur dies fideicommiſſi veniſſe (dies quippe mortis incertus, facit conditionem, *l.* 1. §. *dies & l.* 75. *ff. de cond & demonſt.*) Fruſtra ergo antequam extiterit conditio, vel dies venerit, filius bona petit, *l.* 10. *ff. ad Trebell.* Et cum poſſit vivente matre è vivis decedere, & fideicommiſſum caducum fieri per conſequens, *l.* 13. *ff. quando dies legat. ced.* Itemque fieri, ut mater res alias acquireret, dum viveret, ex quibus ſumma efficeretur totius fideicommiſſi, & fideicommiſſario ſuperſtiti ſatis fieret, non revocatis bonis quæ fiſco ſunt addicta. Aliud eſſet ſi bona non acquireret mater, nam poſt ejus mortem bona revocabuntur, quæ in fiſcum tranſiverunt, cum ea ſemper tranſeant cum ſua cauſa, ac ita interim (ut dixit Paulus) dum vivit mater. Ita Amaya *hic & lib.* 1. *obſer. c.* 11. Ubi plures auctores refert.

7 Quod ſi delictum ſit tale, ob cujus perpetrationem pœna ipſo jure applicetur fiſco, & ad eam concurrant denuntiator, Judex, aliique miniſtri juſtitiæ, quibus ratione officii, jus competit iſtius pœnæ, fiſcus præfertur, nec prius quam illi plene ſatisfactum ſit, reliqui agere poſſunt. Hinc ſi concurrat denuntiator & fiſcus, reo condemnato in mulctam 200. aureorum, qui tamen in bonis non habet ultra 100. totam hanc ſummam fiſcus auferet, quia ante ejus exactionem, nullum jus aliis competere videtur, *l.* 29. *ff. de jur. fiſci.* Ibi Bartol. Bobadil. *lib.* 5. *polit. c.* 6. *n.* 5. 7. & 8. Contrarium tamen fuiſſe judicatum in curia Pariſienſi meminit Joan. Gallus *q.* 130. Et Covar. *lib.* 1. *var. reſol. c.* 16. *n.* 8. Ita quidem ut ſatisfeciſſe videatur condemnatus partem dimidiam offerendo, quodque in ea parte non præferatur fiſcus privato, ſed uterque cum creditor ex eodem facto ſit, concurrat ad partem æqualiter dividendam; quoniam hic ceſſat cauſa prælationis, quæ tunc demum conſideratur, cum ex diverſis factis duo creditores apparent. Ita poſt citatos Peregrinus *de jur. fiſci lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. Sed probabilior eſt prior ſententia, & plures habet aſſertores, quos refert Larrea *alleg. fiſc.* 37. *n.* 22. *& deciſ. Granat.* 27. *n.* 9.

Sed quæſitum fuit, an ſi duo advocati fiſci concurrant, quorum unus accuſationem inſtituit, adverſus adminiſtratorem pecuniæ publicæ, & alter in officio fiſcali ſucceſſor, litem proſequi curavit, ac ſententiam proferri & exequi, cuinam pars pœnæ competat, priorine qui litem promovit, an ejus ſucceſſori? Atque huic competere verior eſt opinio, quia non cenſetur debita pœna, niſi à die condemnationis, *l.* 244. *ff. de verb. ſign.* Ante enim neque bona delinquentis cenſentur fiſco obligata, neque actio orta ad pœnam. Bartol. *in l. poſt. contract. ff. de donat. n.* 16. *& in l. in fraudem ff. de jur. fiſci.* Igitur cum pœna non debeatur à tempore commiſſi delicti, ſed demum ſubſecuta condemnatione & exactione, non poteſt priori fiſco litem inſtituenti, jus aliquod competere, ſed ſecundo, qui cauſam perfecit, & in ea habebat juriſdictionem, ut proinde ei pœna ſit applicanda, ex ultima condemnatione, nam iſta pœna tanquam fructus juriſdictionis conſideratur, & attenditur tempus perceptionis, quando ultima nimirum ſententia profertur, & executioni mandatur. Late d. loco Larrea. Et molina *De Hiſpan. primog. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 19. *& ſeqq.* Ubi dicit hanc opinionem eſſe veram, ac ſolum limitari in caſu, quo pœna incurritur ipſo jure, ut tunc ea cedat priori fiſco, cujus tempore accuſatio inſtituta fuit. 8

TITULUS VIII.

De fiſcalibus uſuris.

1. *Uſura pœna inflicta ex delicto, exigi non poteſt, mulcta poteſt.*
2. *Qui poſſint aut non poſſint mulctam dicere.*
3. *Cur ex nudo pacto, citra ſtipulationem uſuræ fiſco debeantur ex contractu.*
4. *Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat, ſed accipit.*
5. *Fiſcus ſuccedens privato qui obſtrictus erat ad evictionem, eo nomine inſtar privati tenetur etiam ad litis expenſas.*
6. *Quando ex pacto pro uſuris poterit obligatum pignus retineri?*
7. *An creditor pignus in uſuras, vel in pœnam retinere poſſit.*
8. *Fiſcus uſuras majores ſemiſſibus ſtipulari non poteſt, nec ab alio cui ſucceſſit ſtipulatas exigere.*
9. *Obiter hic de modo uſurarum à jure præſcripto.*

1. Quo-

Digitized by Google

1 QUoniam de contractibus, & pœnis dictum ſupra, ſubjicit Imp. de uſuris, quas fiſco & contractu deberi aſſerit, non item ex delictis & pœnis, *l. 1. h. t.* quia iniquum eſſet pœna non ſoluta à debitore fiſci, exigere pœnarum pœnas. Igitur pœnarum uſuræ peti nec deberi poſſunt, *l. ult. ff. de magiſtr. conv.* ſicut nec uſuræ uſurarum, quid enim aliud uſura quam pœna, quæ propter moram non ſolventis, infligitur, *l. 17. §. 3. ff. de uſur.* At verò mulctæ nomine, à poteſtate habente, indictæ uſuræ deberi poſſunt, videlicet ſi intra tempora judi-
2 cati non ſolvantur. * Habet autem mulctandi poteſtatem Conſul, Prætor, & omnis Magiſtratus, cui adjudicatio data eſt, *l. 131. ff. De verb. ſignif.* aut cui hoc ſpecialiter permiſſum, uti Præſidibus, *l. 2. §. fin. ff. de judiciis.* Quo fit ut Magiſtratus municipales, & Procurator Cæſaris etiamſi juriſdictionem habeant, non tamen habent jus mulctæ indicendæ, *l. 2. ſup. de modo mulct.* licet poſſint pœnam infligere legibus definitam, juxta *l. 1. h. t.* Ubi Antoninus Imp. corrigit errorem proponentis in libello mulctam pro pœna, cum mulctam fiſci Procurator irrogare non poſſit. Cur ita? Quia tantum jus mulctæ dicendæ conceſſum eſt *l. 12. tabul.* Magiſtratibus, qui imperium habent, non aliis; multo minus Magiſtratibus municipalibus, qui propriè Magiſtratus non ſunt. Alciatus ad *d. l. 131. & ibi* Gædeus.

3 Sed videamus quatenus ex contractibus fiſco uſuræ debeantur, & certum eſt non modo citra ſtipulationem, ſed etiam ſine ullo pacto, ſine nudo conſenſu uſuras deberi fiſco, ſicut & civitatibus, maxime ob pecuniam ab eis creditam, *l. 30. ff. de uſur.* Si modo mora à vectigalium conductore, aliόve debitore facta ſit, vel tardius fiſco pecuniam inferat, quam debebat, *l. 17. §. 5. ff. d. t.* Nam licet regulariter uſuræ non debeantur citra vinculum ſtipulationis, *l. 3. Cod. de uſur.* Quia nudum pactum non parit obligationem uſurarum, habet tamen hoc privilegium fiſcus & reſp. præ cæteris, *dict. l. 30. & 43. ff. eod. tit.* Hinc obſervandum quod quoties nudum pactum certa lege vel privilegio aliquo juvatur, ut hic, vel aliqua interveniente negotij cauſa, puta cohærentia contractus alicujus, ex quo firmitatem ſuam conſequitur, toties non videatur nudum pactum interveniſſe; exempla poſui *ſupr. de uſuris.*

4 Verum quamvis ex ſuis contractibus fiſcus uſuras ut ſolet, accipiat, eas tamen non debet pro contractu in quem ſucceſſit privato, licet privatus anteceſſor ſolvere conſueviſſet, habet enim poſtquam ſucceſſit privilegium ſuum: at dum in privati debitoris jus ſuccedit, privati jure utitur, pro anteriori ſuæ ſucceſſionis tempore, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Atque ita intelligendus Ulpian. ad ſolvendum eatenus fiſcum teneri, quatenus privatus poſſedit, hoc eſt, pro eo tempore quo in poſſeſſione privatus fuit, & uſuras debuit, *d. l. 17. §. 5.*

Planè ſi ſucceſſerit privato, qui obſtrictus erat 5
alteri ad evictionem, ut puta, bona Titij publicata ſunt, qui alienam rem, aut alteri obligatam mihi vendiderat, evicta eadem re, regreſſum habeo adverſus fiſcum pro evictione, non ſolum ad pretium & id quod intereſt, ſed etiam ut ſumptus litis mihi refundat. Nam quamvis dici ſolet fiſci procuratorem non præſtare litis expenſas, ad eum caſum pertinet, quo is agit tanquam publicus accuſator, quia ex officij neceſſitate id facit, quæ ſatis eum excuſat, non vero cum convenitur ut privatus, vel ei ſuccedit, *d. l. 6.* Ant. Faber in ſuo *Cod. tit. de evict. definit. 19.* Coſtalius *ad d. l. 17. §. 5.*

Igitur fiſcus privato ſuccedens, ipſius jure utitur, 6
& eas uſuras prӕſtat, quas creditor à privato exigere potuiſſet, ex ſtipulatione, nam ex pacto nudo (uti dictum) nemo regulariter uſuras præſtat; ſi tamen in eas uſuras quæ pacto tantum promiſſæ, pignus ſit acceptum, per retentionem pignoris, uſuræ ſervabuntur à fiſco, quas pacto non ſervaſſet; quæ ſententia eſt *l. 2. h. t.* ad quam pertinet *l. 4. & 22. C. de uſur.* * Ex quibus obſerva, ut uſuræ debeantur, & re- 7
tineantur ex pacto vel ſtipulatione, non ſufficere de uſuris tantum conveniſſe, niſi certa ſumma vel quantitas uſurarum expreſſa ſit, quod ubi factum non eſt, non poterit pignus ſaltem à privato retineri in uſuras, quia nullæ ſunt, nec in pœnam commiſſam, quia pignus in eam cauſam obligatum non eſt, quod proinde reſtituendum erit debitori, oblata ſorte quanta debeatur. Donell. *ad d. l. 22.*

Verum illud eſt commune fiſco, & privato cre- 8
ditori, quod in exigendis uſuris non liceat legitimum modum uſurarum excedere, cum autem hic præſcribit Juſtinianus, ut uſque ad dimidiam centeſimæ tam fiſco quam privato liceat ſtipulari, non ultra. Item uſuras majores ſemiſſibus, fiſcus exigere à ſuis debitoribus non poteſt, ſive eas nominatim ſtipulatus ſit, ſive creditoribus debitoris ſucceſſerit, adeo ut ſemiſſes conſequatur fiſcus, etiamſi ei creditori ſucceſſerit cui leviores debitæ fuerant, *l. ult. h. t.* * Sic etiam civitatum ſolemnes uſuræ fuerunt 9
ſemiſſales, & tanti à Republica pecuniæ ſolebant mutuari, *l. 10. ff. de pollicit.* Eccleſia vero tantum quadrantes uſuras præſtat, *Novell. 120.* quo jure non utimur. Hodie namque varius eſt uſurarum modus, prout eſt varia perſonarum conditio, & rerum qualitas: atque civiles & moderatæ viſæ ſunt, quæ ſemiſſes; minores ſunt quadrantes; majores centeſimæ, quas excedere non licet, ne in trajectitiis quidem contractibus. Videatur Juſtiniani Conſtitutio *in l. 26. ſup. de uſur.* & quæ ibi expoſuimus.

Digitized by Google

TITULUS IX.

De ſententiis adverſus fiſcum latis retractandis.

1. *Continuatio, & quod cauſæ fiſcales abſente fiſci patrono deciſæ retractentur.*
2. *Si contra fiſcum lata eſt ſententia præſente fiſci advocato tenet, eo abſente, aut omiſſo inſtrumento, dein reperto retractatur intra triennium.*
3. *Quomodo intelligendum ſit hoc privilegium fiſcale de retractatione ſententiæ per actionem vel reſtitutionē.*
4. *Reſtitutio privato læſo competit, item Eccleſiæ, ſi poſt ſententiam reperiatur inſtrumentum concernens cauſam publicam.*
5. *Quibus remediis arreſta retractanda veniant?*
6. *Ex beneficio reſtitutionis fiſco competenti, poteſt retractari executio ſententiæ?*
7. *In cauſis criminalibus retractari poteſt ſententia, & moderari pœna per reſtitutionem in integrum.*
8. *An fiſcus in criminali cauſa poſſit uti remedio hujus* l. uni. *& retractare ſententias.*

1 NOn ſolum lædi poteſt jus fiſci, venditione non rite facta, & mutuatione pecuniæ publicæ, prout dictum ſuperioribus titulis, ſed etiam cauſarum fiſcalium deciſione, pronuntiatione, de qua re tractanda ideo hic ſubjicitur. Et quidem fiſcales cauſæ ſi non interveniente fiſci advocato deciſæ ſint, in integrum reſtituuntur, *l. 3. §. 9. ff. de jure fiſci.* Idemque in *l. 7. eod. tit.* aſſeritur, ſi abſente fiſci advocato pronuntiatum ſit, nihil actum eſſe, & ideo ex integro cognoſci oportere. Tanta enim eſt fiſcalis patroni auctoritas, ut non videatur defenſus fiſcus, ſi ille abfuerit, aut non aſſiſtat cauſæ fiſcali; quod diverſum eſt in cauſis privatorum quæ ſemel finitæ, non retractantur, velamento abſentiæ patroni, *l. 4. ſupr. de poſtul.*

2 Igitur ſi præſente fiſci advocato, cæteriſque rite peractis, quæ ad cauſæ fiſcalis defenſionem faciunt, contra fiſcum judicatum ſit, tenet ſententia, & non niſi communi appellationis remedio, fiſcus juvatur ſicut pupillus, aut quivis alius privatus, *l. 9. ff. de appellat.* Si vero ſententia lata fuit adverſus fiſcum, eò quod omiſſum ſit inſtrumentum, in fiſci favorem confectum, & culpa ipſius, vel ejus advocati non fuit in primo judicio productum, quod ſi de novo reperiatur & producatur, jure ſpeciali retractatur, ex ſola nuda allegatione, ſententia, intra triennium, *l. un. h. tit.*

3 Imò & poſt id tempus, ſi prævaricatio arguatur, vel manifeſta fraus probetur, retractabitur ſententia, ſed per reſtitutionem in integrum judicis officio. Accurſ. Platea & Valenzuela *ad d. l. un.* Ubi ſi corruptio judicis, aut fiſci advocati interveneerit, ſentiunt ſententiam ipſo jure nullam eſſe, contra fiſcum latam, *l. 7. ſup. quando provoc. non eſt neceſſ.* Alfaro *de officio fiſcali.* Gloſſa 34. *n.* 237. Facit quod dicit Calliſtratus *in l. 3. ff. de colluſione detegenda; perinde inefficax eſſe decretum atque ſi nulla res judicata interveniſſet.* Peregr. *de jure fiſci l. 7. c. 4. n. 5. & 6.*

Quæ quidem diſtinctio in privato non admittitur: nam ſi quis ſententiam retractare conſtituit, ſive fuerit minor, reſpublica, vel Eccleſia, beneficium reſtitutionis implorare tenetur, probata prius læſione, & quod ad ſuam notitiam nondum pervenerint inſtrumenta reperta, *l. 33. ff. de re judic.* Et quidem olim privato non dabatur niſi annus utilis, poſtea variatum hac in re, tandem Juſtinianus quadriennium conceſſit, ad petendam & impetrandam reſtitutionem, *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtit.* Quod etiam fiſco multo magis hodie conceditur, non autem longius tempus, quia non eſt jure cautum. Atque huc ſpectat quod Impp. reſcripſerunt quamquam ſub prætextu novorum inſtrumentorum reſtitui negotia minime oporteat, tamen in negotio publico, ex cauſa permittere ſe hujuſmodi inſtrumentis uti, *l. 35. ff. de re jud.* Publicum negotium hic dicitur, quod ad fiſcum, & civitatem pertinet, *l. 16. & ſeq. ff. de verb. ſign.* Id etiam extendunt pragmatici ad Eccleſiam, quæ civitati æquiparatur, *l. fin. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* Fachin. *lib. 1. contra cap. 53.* 4

* Itemque obſervant quod quamvis non ſoleant ſententiæ majorum judicum retractari, niſi per propoſitionem erroris, nihilominus tamen ſi inſtrumenta probationum poſtea reperta fuerint, concedi poſſit reſtitutio privilegiatis perſonis. Ita Papon. *lib. 19. tit. 8. art. 3. 4. & 5.* 5

Ob quam reſtitutionem retardari ſententiæ executionem plerique DD. volunt, inter quos Salicetus, *in l. 1. C. ne liceat tertio prov.* Nec obſtare *l. 2. C. de falſis.* qua probatur, non obſtante exceptione falſi, quæ opponebatur, ſententiam eſſe exequendam. Quia opinio eorum, qui contra ſenſere, procedit quando non ſtatim conſtat de eo quod per reſtitutionem opponitur, & requirit altiorem indaginem. At ubi conſtat ſtatim de eo quod reſtitutione petitur, etiam adverſus tres ſententias conformes opponi poteſt, prout docent relati à Joan. Garſia, *de nobilitate Gloſſ. 6. §. 2. n. 17.* & Larrea *alleg. fiſc.* 71. *n.* 10. contra Covarruv. *lib. 3 pract. c. 25. n. 7.* 6

Quemadmodum in cauſa civili per prætoris auxilium læſis ſubvenitur, ita in cauſa criminali ſuccurritur reo innocenti per Principem, *l. 1. §. ult. ff. de quæſtionib.* Atque ejus auctoritate reſcinditur ſententia, qua quis eſt condemnatus ad pœnam, de cujus tamen innocentia poſtea conſtitit per inſtrumenta recens reperta, *l. 27. ff. de pœnis.* Ex qua liquet plura extare principalia reſcripta, quibus vel pœna reorum minuta eſt, vel in integrum reſtitutio conceſſa, ſed id dumtaxat à Principe ejuſve ſupremo 7

ſupremo Senatu fieri poteſt, eoque pertinet *l. 1. verſ. qua lege ff. de l. Jul. de ambitu.* Ubi ſi aliquis de ambitu damnatus, alium convicerit, in integrum reſtituitur. Non obſtat *l. 37. ff. de minoribus.* Quæ denegat reſtitutionem minori, contra omiſſam accuſationem, ſiquidem aliud eſt dari reſtitutionem ad accuſandum, aliud poſt interpoſitam accuſationem, & litem jam conteſtatam, cum negari non poſſit, quod ſi minor in aliquo actu litis fuerit læſus, poſſit in integrum reſtitutionem poſtulare, *l. 16. §. fin. ff. de minoribus.* Gomez *tom. 3. var. c. 1. n. 7.* Gutierrez *pract. qq. 70.*

8 Hinc quæritur, an fiſcus in criminali cauſa, in integrum reſtituatur adverſus ſententiam quæ reum abſolvit, aut leviorem quam par eſt illi pœnam irrogavit: ſunt qui id negant, auctoritate *d. l. 37. ff. de minorib.* ubi denegatur reſtitutio ad pœnam perſequendam, quod late oſtendit Franciſc. Caldas, *ad l. ſi curatorem verb. vel adverſarij dolo num. 37. ff. de in integr. reſtit.* Alij affirmant per *l. un. hoc tit.* Quæ generatim comprehendit omnes cauſas, nec diſtinguit inter civiles & criminales, atque ita in omnibus ſententias latas contra fiſcum retractari jubet. Cui non facit ſatis Fachinæus *lib. 9. contr. cap. 81.* Ubi dicit *d. l. un.* agere generaliter de ſententiis latis in pœnalibus cauſis, in quibus cum non reſtituatur, minor reum accuſans, (ut dictum eſt) ſi intentionem ſuam non ſufficienter probavit, multo minus fiſcus. Nam alia ratio privati minoris, alia fiſci, qui ipſo jure privilegium habet retractandi ſententias contra ſe latas. Quidquid hac in re de jure ſit, moribus ſaltem id receptum videmus, quod in atrocioribus, ſi minor pœna reo ſit irrogata, quam delictum expoſtulat, ſoleat ſupremus Senatus reſtitutionem concedere, fiſco agenti ad dignam pœnam, propter exemplum, utque ſatisfiat publicæ vindictæ, ac ita ſæpius judicatum meminit Ant. Gaſpar Theſaurus, *lib. 1. quæſt. forenſ. q. 59.*

TITULUS X.

De bonis vacantibus & incorporatione.

1. *Bona vacantia quæ dicantur, quid de his ſtatuit lex Julia caducaria, & poſtea Juſtinianus.*
2. *Civitates non habent jus vindicandi bona vacantia.*
3. *Niſi à Principe tale jus conſequantur, aut motu proprio datum ſit privilegium civitati.*
4. *Poſſeſſiones à Principe conceduntur plene & cum omnibus ſuis juribus & acceſſionibus.*
5. *Conceſſo caſtro conceſſa videntur ejus munimenta. An etiam conceſſa cenſeatur Principis jurisdictio?*
6. *Quid ſi donatio caſtri fiat cum ſuis pertinentiis?*
7. *An conceſſa ſpecialiter jurisdictione cenſeatur Princeps derogare juri quod populo competit eligendi magiſtratum?*
8. *An conceſſa jurisdictione, cenſeantur conceſſa regalia & jura Principi reſervata, itemque bona vacantia?*
9. *Hodie bona vacantia multis in locis non fiſco, ſed dominis locorum cedunt.*
10. *Quibus perſonis hæc bona olim competerent, præterquam fiſco. Ad quem deferantur bona clerici decedentis ſine cognatione.*
11. *Bona ſpuriorum & peregrinorum cui hodie competant?*
12. *Num poſſint ſpurij de illis teſtamentum facere?*
13. *Bona peregrinorum captivorum & ad colonias migrantium fiſco applicabantur, & quando.*
14. *Quinam hodie pro peregrinis habeantur, & illis decedentibus abſque hærede, quis in illorum bonis ſuccedat?*
15. *In bonis alienigenarum Rex in Gallia ſuccedit jure albinatus niſi illi ſint naturalizati.*
16. *Sed non ſuccedit in bona regnicolæ, qui receſſit ex regno, ſed ejus liberi ibidem nati, ſecus eſt ſi exterus naturalizatus regnum deſerat, animo non revertendi.*
17. *Quod ſi exterus in regno uxorem ducat & liberos ex ea ſuſceperit, ſuccedunt liberi etiamſi uterque parens ſit alienigena.*
18. *Item liberi naturalizati, ſed exteri excluduntur etiam à jure petendi legitimam.*
19. *In Belgicis provinciis eſt ſimile jus, ſed in Hannonia fiſcus exterorum bona capit. In aliis locis bona deferuntur proximioribus.*
20. *Vacare oportet bona ut in fiſcum tranſeant, ea non tranſeunt propter delictum, quæ prohibentur alienari.*
21. *Uſusfructus interim manet apud fiſcum durante vita poſſeſſoris, qui deliquit, niſi illius alienatio expreſſe ſit prohibita.*
22. *An bona derelicta & quæ domino carent, uti vacantia ad fiſcum pertineant.*
23. *Quid juris in bonis è navi projectis, erratis, inventis, an cedant inventori, ſi dominus non reperiatur?*
24. *Quatenus heres, aut animalia domino reſtituantur, ſecundum mores noſtros?*
25. *Si pecus aberrans damnum dederit quid juris? & quid ſi illud nemo vindicare velit?*
26. *Qui ad ſucceſſionem venire vult & fiſcum excludere, probare debet ſe proximum ex ſanguine defuncti, vel quod ab eo pro cognato habitus fuerit.*
27. *Si ex conſuetudine bona ſequuntur lineam, una deficiente an accreſcat alteri, vel fiſco?*
28. *Quis hic nullo extante hærede mori dicatur?*
29. *Quas ſolemnitates adhibere debet Comes rerum privatarum, in incorporatione rerum quæ à fiſco vindicantur.*

quod ubi concurrit duplex cauſa ſufficiens ad reſcindendum actum, alteram probare ſufficiat, niſi allegans ſe ad utriuſque probationem adſtrinxerit. Joan. de Platea *ad d. l. 2.* & ibi Pyrrhus, Pinellus *in l. 2. part. 2. num. 19. C. de reſcind. vend.*

TITULUS IV.

De venditione rerum fiſcalium cum privatis communium.

1. *Fiſcus habens rem cum privato communem, poteſt totam vendere, ratione ſuæ partis, non item privatus.*
2. *Quæ ſit hujus rei ratio.*
3. *Quatenus procedat iſta venditio, & cui dandum pretium.*
4. *Vendita juriſdictione à fiſco poſſunt vaſalli eam retrahere.*
5. *Condemnatio ſeu mulcta tota ſolvitur fiſco, qui poſtea partem reddit denunciatori.*
6. *Qua actione aget ſocius contra fiſcum pro partis ſuæ pretio.*
7. *An rem cum altero communem poſſit fiſcus in pignus dare.*
8. *Item ad longum tempus locare, in emphyteuſim concedere, hypothecæ ſubjicere.*
9. *Rem privato & fiſco obligatam poteſt fiſcus vendere, ſic ut ſalvum ſit creditoribus jus ſuum.*
10. *An fiſcus qui tenetur defendere emptorem, poſſit cauſam trahere ad ſuum judicium.*

1 Hic titulus tractat, de quodam jure ſingulari, fiſco competente, quando rem habet communem cum perſona privata, ut ſcilicet totam poſſit vendere, & diſtrahere invito ſocio, *l. un. h. t.* quod ſecus eſt in privato, etſi pretium in fiſci utilitatem convertat, *l. 2. ſup. de commun. rer. alien.* quia non poteſt privatus plus juris in alium transferre, quam ipſe habet, *l. 54. ff. de reg. jur.* * At vero fiſcus ea
2 forma, ſeu privilegio utitur, ob utilitatem publicam, quæ privatæ antefertur, *l. 3. C. de primipilo,* quæque in eo præcipue conſiſtit, quod res integra commodius vendatur, quam per partes, cum igitur poſſit tota integra vendi, gravaretur fiſcus, ſi partem tantum venderet, cujus non inveniret facile emptorem, cum quia hic nihil ſe habere arbitraretur, ſi totam rem non emeret, tum quia ad venditionem partis, non ita quis accederet, propter communionem quæ plerumque ſolet excitare diſcordias, *l. 77. §. 20. in fin. ff. de leg. 2.* Amaya *ad h. l. n. 10. & 11.* ubi ex ſententia Valenzuelæ addit, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, & utilitate fiſci, procedere venditionem rei alienæ, *juxta l. 11. ff. de evict.* ac ſi tota ejus eſſet. Item ſive commode dividi poſſit, ſive non poſſit, cum indiſtincte loquatur noſtra lex, quamvis ejus ratio magis procedat eo caſu, quo res communis uſu, & poſſeſſione dividi nequit, *juxta l. 10. ff. quemadmod. ſervit. amitt.* quæ ſententia fuit Martini antiqui gloſſatoris.

Verum quamvis ex tali venditione totum domi- 3
nium rei, in emptorem tranſeat, ac totum rei venditæ pretium fiſcus recipiat, non tamen niſi partem ſuam, in ſuum redigit patrimonium, reliquum ſocio, ſeu domino partis reſtituit, *l. un. h. t.* Quomodo hæc venditio, præmiſſa ſolemnitate fieri debet, de qua in *l. 1. ſup. tit.* itemque præſente pecunia, quia non cogitur ſocius fidem habere de pretio, quod utique integrum à fiſco ſine labore accipiet, in quo & commodum aliquod ſentit; quin & in eo, quod ſi velit ipſe rem emere, tantumdem offerendo, aliis præferatur, *arg. l. 8. ff. de in diem addict. & l. 1. ff. de priv. cred.* Baldus *in l. 2. de com. rer. alien.*

Hinc ſi à fiſco vendatur juriſdictio patrimonij 4
Principis, vel jus aliquod cui annexa eſt juriſdictio, vaſalli præferentur oblato pretio, quod alius privatus offert, quia non debent inviti alienari à ſuo domino, & ſeparari à juriſdictione diutino uſu ſibi quæſita, & cui magis ſunt conjuncti, ut merito etiam ad retractum juriſdictionis admitti debeant, & præferri aliis emptoribus, propter communionem quam in iſta re quaſi habere videntur, *arg. l. un h. t. & d. l. 2.* Larrea *alleg. 45.* Joſ. de Seſſe *in deciſ. Arag. 36.* Vaſquez *illuſtr. contr. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 80.* qui ſic limitant regulam, quod Princeps teneatur ex contractu, niſi fiat in præjudicium ſubditorum. *Felininus c. 1. num. 4. de probat. & c. dilecti de major. & obed.*

Præterea frequens hodie, ubi indicta eſt mul- 5
cta, vel pœna pecuniaria, eaque dividenda venit inter fiſcum & denuntiatorem, quod fiſcus ſoleat totam mulctam exigere, poſtea vero reddat denuntiatori ſuas partes, *arg. l. 15. §. 3. ff. de jure fiſci.* Facilior eſt enim fiſco mulctæ exactio, & accuſatori utilis, propterea quod ſine moleſtia partem ſuam conſequatur, prout hic ſocius. * Sed 6
quid ſi ſocius partis ſuæ pretium non recipiat? Actione negotiorum adverſus fiſcum experietur, *l. 3. Cod. de rei vind.* ubi ſi mater invita filia rem vendidit, poterit venditionem ratam habere, & adverſus venditricem actione negotiorum geſtorum agere, *l. 19. Cod. de negot. geſt. l. 9. ff. eod.* Cujac. *lib. 26. obſerv. 36.*

Porro licet fiſcus poſſit rem ſibi & privato com- 7
munem vendere, non puto tamen quod poſſit eam obligare, quoniam *d. l. un.* tantum loquitur de venditione, idque ex privilegio, quod in ſocij injuriam non debet extendi ad pignus in quo præterea non militat eadem ratio, quæ in venditione, ut res pluris vendatur, quando tota venditur, & non pro parte, & datio pretij, quæ facienda eſt ſocio in

cauſa

cauſa pignorationis, non procedit, quia emptionis verbo, veniunt tantum ea, quæ pretio acquiruntur: unde nihil ſocius conſequeretur niſi damnum, coactus ſtare dationi pignoris, cujus ratione poſſet poſtea propria re privari, ſi debitor non ſolveret, & ſic privilegium fiſci ſocio fieret damnoſum contra mentem legis, Amaya *ad d. l. un.*

8 Habet itaque privilegium fiſcus, ut poſſit vendere rem cum ſocio communem, ſed non eam ad longum tempus locare, vel in emphyteuſim concedere, cùm avocari & auferri res poſſit, ſi penſio non ſolvatur. Caſtillo *lib. 3. cont. cap. 6.* multo minus poterit rem alteri jam obligatam pignori ſubjicere, aut jus communis hypothecæ remittere, quoniam ſocij aut creditoris jus læderet. Late Amaya *ad h. l. n. 34. & ſeqq.* Et ante eum Peregrinus *de jure fiſci lib. 6. cap. 4. num. 23.*

9 Quod ſi tamen in rebus fiſco vindicatis, ſint res aliquæ alij ante obligatæ, non ob id impeditur fiſcus vendere, quia etſi aliis ſint pignoratæ, venduntur cum ſua cauſa, id eſt, ſalvo jure pignoris. Itaque ut facilius fiſcus inveniat emptorem, permittitur ei res obligatas vendere, ea lege, ut prius creditoribus præcedentibus ſatisfiat ex pretio, & ſuperfluum fiſco inferatur, aut ſi nihil ſuperſit, ſed tantum debeatur creditoribus quantum eſt in pretio, totum id fiſcus illis exſolvet; ſimiliter ſi totum pretium acceperit cum onere ſolvendi creditoribus, eis plene ſatisfacere cogitur, *l. 22. §. 1. ff. de jure fiſci.* Etiam non expectata ſententia, maxime ubi fiſco conſtat de debito, *l. 9. Cod. de bonis proſcrips.* ibi *ſtatim*, quæ vox denotat ſummariam cognitionem.

10 Poſtremo quæritur, ſi fiſcus velit defendere emptorem, ab actione contra ipſum in judicium deducta, an poterit cauſam ab eo judice eximere, & ad ſuum avocare? Affirmant textus, qui dicunt cauſam fiſcalem ſpectare ad procuratorem fiſci, ſeu ad rationalem, hoc eſt, judicem fiſci, *l. 5. C. ubi cauſæ fiſc. l. 3. C. de jure fiſci.* Sed verius hos textus procedere, quando fiſcus principaliter agit, quia impugnatur ejus venditio de nullitate, quo caſu cum factum fiſci arguatur, ex quo fructus debeant reſtitui, tunc temporis res debet expediri apud judicem fiſcalem, *l. 1. tit. ſup. & d. l. 5. Cod. ubi cauſa fiſcal.* Sic in *d. l. 3. C. de jure fiſci.* Qui repetebat rem venditam per officiales fiſci, allegabat venditionem fuiſſe nullam, utpote minori pretio factam, per dolum emptoris, vel per gratiam officialium, ideo meritò de hac nullitate contractus, per fiſcum agitur coram procuratore fiſci, & quoties vertitur fiſci intereſſe. At in aliis cauſis fiſcus emptorem defendens & ei aſſiſtens, cenſetur privatus, nec poteſt mutare forum, *l. un. h. t.* ibi cum emptor qui à fiſco rem cum privato communem emit, reconvenitur, & apud ſuum judicem judicium peragitur. Suffragatur *l. 49. ff. de judiciis.* ubi qui ad alium defendendum evocatur, privilegio fori ex capite ſuo ſe juvare non poteſt, ſed ibi defendet, ubi cauſa agitur. Igitur fiſcus allegare non poterit privilegium ſuum cum emptorem venit defenſurus, nec ipſe conventus qui cauſam à fiſco habuit, declinare recte poteſt forum ſuum, aut allegare fiſcum proprium habere judicem, quia principale judicium cum eo, non cum fiſco verſatur, Bald. *ad l. 3. Cod. de jure fiſci.* Et ibi late Amaya *à num. 28.* Ant. Burgos *ad cap. ult. ꝗ. de emp. & vend. num. 10. & ſeqq.* Covar. *pract. qq. cap. 8. n. 3.* Barboſa *ad l. 49. ff. de judiciis num. 151. & ſeqq.* qui omnes ſentiunt fiſcum jure privatorum uti, in caſibus non expreſſis. Atque ideo inſtantiam cœptam cum homine privato, cui fiſcus poſtea ſucceſſit, non tranſire in fiſcum, ita ut fiſcus poſſit mutare forum; ſed debere cauſam proſequi coram judice privati, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Plane clericus qui laico ſucceſſit, vel ad defenſionem denuntiatus, litem ibi peragere debet, ubi cœpta, quia non ipſe convenitur, ſed emptor, ſic ut non videatur clericus contra ſuum privilegium ad tribunal laici trahi. Ant. de Butr. *ad c. quoniam §. quod ſi ſuper ꝗ ut lite non conteſtata.* Covar. *d. loco.* Et nos plura diximus *ſup. de eviction.* Hodie per conſtitutiones Principum, fiſcus ad inferiora tribunalia defendendi gratia deſcendere non cogitur. Nicol. Burgund. *de evict. cap. 68. num. 5.*

TITULUS V.

Ne fiſcus rem quam vendidit, evincat.

1. *Quid definiat & ſtatuat hic titulus?*
2. *Cur quod una ſtatio fiſci vendidit, alia id retractare nequeat.*
3. *Compenſatio an habeat locum de una ſtatione ad aliam.*
4. *Inter privatos admittitur differentia inter diviſionem rerum pupilli & fiſci, quoad adminiſtrationem.*
5. *Quatenus procedat venditio, ne ab altera ſtatione revocetur.*
6. *Officiales fiſci perperam vendentes invicem experiuntur.*
7. *An poſſit Princeps contractus à ſe geſtos in contrahentium damnum retractare?*
8. *Et auferre ſubditis res proprias ob publicam utilitatem.*
9. *An ceſſante cauſa publica, liceat Principi bona ſubditis auferre?*
10. *An poſſit Princeps alicui dominium auferre, quaſitum jure civili?*
11. *Cauſa ſalutis publicæ, poteſt Princeps bona ſubditorum auferre, actiones condonare, & damna remittere.*

12. *Quando præſumatur uti voluiſſe plenitudine ſuæ poteſtatis.*
13. *An obligetur princeps ad reparationem damnorum.*
14. *An ſi res alicui auferat, teneatur ei refundere pretium.*

1 IS qui bona fide ab una ſtatione fiſcali, ſive ab uno officiali fiſci, rem emit aliquam, quæ ad aliam ſtationem & officium fiſcale pertinebat, ſi fiſco ejúſve ſtationi vendenti, verum pretium exſolvit, adeo ſecurus eſt, ut non poſſit à præpoſito alteri ſtationi inquietari, nec ei ſuper tali re vendita, controverſia moveri, nec fiſcus ipſe rem evincere, eo prætextu, quod res illa ad ſtationem vendentis non pertinebat *l.1.h.t.*

2 Ratio redditur *in l.2.C.eod.* Quia retractare fiſcum quod ſemel vendidit, æquitatis & honeſtatis ratio non patitur. Etenim cum fiſcus unus idemque ſit, in una & altera ſtatione, qui rem diſtraxit & pretium accepit, & idem ſit qui nunc controverſiam movet, & omnes officiales fiſcum uniformiter repræſentent, improbe faceret ſi rem à ſe diſtractam evincere procuraret, contra proprium factum; ut non mirum ſi repellatur, quemadmodum ille qui alienavit, *l.17.ff.de evict.l.3. C. de rei vind.* Et perpetua eſt regula, quod quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellat exceptio, *l.11.13. & ſeq. C. de evict. l.21. & 73. in fin. ff. eod.*

3 Non urget in contrarium, quod de una ſtatione in aliam compenſatio in cauſa fiſcali non detur, nec audiatur debitor unius ſtationis, ſi ab alia ſtatione debitum ſibi compenſare cupiat. *l. 1. C. de compenſat.* Quia cum officia fiſcalia inter ſe diſtincta ſint, ut quia apud hæc vectigalia exiguntur, apud alia tributa, vel pœnæ fiſcales, ideo non debent inter ſe confundi, & intricari rationes diverſarum ſtationum. Accurſius & Platea *ad l. 1. h. t.* Vitandæ hujus confuſionis duas cauſas adfert Donellus *ad d. l. 1. C. de compenſ.* I. Quia hæc confuſio non ſolum nocet ſtationibus & officiariis, ſed etiam eſt contra adminiſtrationem ipſam. Nam ſi ſtatio hujus loci cogeretur admittere compenſationem eorum quæ alij ſtationi debentur; cogetur inquirere quomodo altera ſtatio ageret, & inſpicere an bene vel male rem gereret vel adminiſtraret; ac ita oneraretur hæc ſtatio ultra quam adminiſtrationi propoſita eſt. II. Quia ex hac confuſione maximum crearetur fiſco præjudicium, nam cum altera ſtatio ignoret in quantum debitor ſuus alterius ſtationis creditor eſt, implicarentur officia variis cognitionibus, & eveniret aliquando, ut compenſato jam debito cum ſtatione cui debebat, iterum debitum petat ab altera cui erat debitor. Quod quia ferendum non eſt, ideo Senatus cenſuit, & Princeps ſæpe reſcripſit compenſationi in cauſa fiſcali ita demum locum eſſe, ſi eadem ſtatio quid debeat, quæ petit; id eſt, modo fiat compenſatio in debito & credito ejuſdem ſtationis, *d. l.1. C. de compenſat.*

At vero inter privatos, compenſatio & confuſio officiorum admittitur, *l. 36. ff. de admin. tut.* Quia non tanti intereſt privatorum adminiſtrationes, quam fiſcales ſtationes confundi. Neque enim debet diviſio facta in commodum tutorum (ut levius ſit onus adminiſtrationis) detorqueri in præjudicium eorum, qui cum pupillis agere volunt; proinde ſi diviſa ſit tutela, debebit qui res Italicas adminiſtrat, admittere compenſationem ejus quod ratione rerum provincialium à pupillo debetur. Etenim quamvis tutela ſit diviſa, unum tamen tantum eſt patrimonium, diviſum quidem officio magiſtratus, non jure. Jure ipſo ſinguli ſunt tutores in ſolidum, & ideo non poteſt diviſio iſta adminiſtrationis, impedire compenſationem quæ ſit ipſo jure. Contra autem eſt in fiſci ſtationibus, in quibus à jure, non à juriſdictione, ſit diviſio illa adminiſtrationis, & ſic ne confundantur officia (uti dictum) compenſatio non admittitur. Donel. *d. loco & lib. 16. com. c. 15.* Cujac. *lib. 3. qq.* Papin. *in l. cum militi de compenſ.* Amaya & Garſia Tolet. *ad h. tit.* 4

Cæterum quod dicitur non poſſe fiſcum, aut ejus ſtationarium venditionem retractare, nec rem venditam emptori evincere, procedit modò ſervatis ſolemnitatibus, & bona fide facta fuerit addictio, & fiſcus pretium rei venditæ ſemel acceperit: nam non poteſt vendere habita fide de pretio, cum vendat ex cauſa neceſſaria, ut ſibi & creditoribus ſatisfaciat, *l. 5. in fin. ff. de jur. fiſc.* Aliter facta venditio nulla erit, & poterit fiſcus venire contra factum ſui officialis. 5

Quod ſi autem venditio non ſit facta ex uſu fiſci, officiales ipſi tam unius quam alterius ſtationis, qui perperam vendiderunt, invicem experiri poterunt, non inquietato emptore, actione, non quæ competit fiſco, ſed quæ datur adminiſtratori, & hæc erit actio negotiorum geſtorum in ſubſidium, *l.1. ff. de reb. alien. non. al.* Accurſius hic. 6

Dubitatur de ipſo Principe, num poſſit rem quam ejus fiſcus vendidit, revocare? Quod plerique juris interpretes affirmant, eo quod legibus ſit ſolutus, *l. 31. ff. de legib.* & prædiorum venditionem à privatis factam poſſit infringere, & pro arbitrio veteranis militibus in præmium prædia iſta aſſignare, *juxta l.11. ff. de evict.* Contra tamen facit quod hic reſcribit Alexander Imp grav iſſimum eſſe, & verecundũ in emptoris damnum revocare, ea quæ ſemel placuerunt, firmamque venditionem retractare: & certe ſi æquitatis honeſtatiſque ratio id non patitur in privato, *l. 1. & 2. h. t.* multo minus in Principe, cujus dignitati nihil magis conveniens quam pacta ſervare; licet enim ſolutus ſit Princeps legibus civilibus, non tamen legibus conventionum & contractuum 7

ctuum,qui ſunt ex jure gentium.Quo fit ut contractibus à ſe, aut fiſco ſuo rite initis efficaciter obligetur,alias nemo cum eo contrahere vellet.Bart.& Bald.*ad l.4.Cod.de legib.*Late Larrea *alleg. fiſci* 3.

8 Non obſtat quod idem Alexander prædiorum venditionem à privatis initam revocarit, & prædia militibus conceſſerit, *d.l.*11. quoniam in uſu erat prædia bello acquiſita,aut in limine imperij ſita, limitaneis militibus aſſignare, non dominij,ſed poſſeſſionis tantum temporariæ jure fruenda, quo ardentius ea loca defenderent ab incurſu hoſtium, ut indicat *l.3.C.de fund.limitroph.*Quæ cauſa cum publica ſit, & reipublicæ utilis,mirum videri non debet, ſi ea prædia limitrophia Princeps privatis adimat, & militibus concedat, cum hi melius quam illi ea defendere poſſint. Non enim dubium eſt quin ex cauſa publicæ utilitatis auferre poſſit ſubditis res proprias, ut tradit Andr. Fachin. *lib.8.contr.c.63.*& alij relati ab Amaya *lib.*1. *obſ. c.*1.

9 Quin amplius aſſerunt de plenitudine poteſtatis, poſſe Principem ſubditis bona & facultates auferre, quandoquidem illius auctoritate illa bona ſint diſtributa ſingulis, & conſervata. Hinc Juſtinianus omnia bona ſua eſſe dicit *in l. bene à Zenone Cod. de quadrien. præſc.* Et Antoninus ſe totius mundi dominum *in l.9.ff.ad l.Rhod.de jactu.* De cujus proinde voluntate & judicio diſputare, ſacrilegij inſtar eſt.*l.3. C. de crim. ſacril.* At ego cum illis ſentio,qui cenſent Principem non poſſe privatis,& ſubditis ſine cauſa res, & facultates auferre.Nam eſt quidem Princeps mundi, id eſt, imperij Romani dominus, & legibus ſolutus, *l.31.ff. de legib.* Ita ut non teneatur ſubditis reſpondere, aut rationem reddere ſuorum factorum, non tamen poteſt illis res quæſitas auferre: excederet enim Princeps eas auferendo, terminos juſtitiæ, & peccaret contra ordinationem Dei, qua jubetur facere juſtitiam & judicium; & Principis nomine ſe indignum redderet. Vaſquez *illuſtri contr. lib.1.c.5.n.9.* Nec adverſantur verba *d.l.9.* Quia intelligenda ſunt, ut Princeps dominus dicatur quoad juriſdictionem, & protectionem, quam habet in res univerſas, non vero quoad dominium rerum privatarum, ut eleganter notavit Seneca *l.7. de benefic. c.4. Ad reges poteſtas omnium pertinet; ad ſingulos proprietas.*

10 Ergo cum ad ſingulos pertineat dominium, non poterit Princeps etiam quod jure civili quæſitum eſt adimere,nam quamvis ſit ſupra jus civile, ipſum tamen dominium ex jure gentium procedit,ab eoque jure omnia dominia originem ducunt, quocumque titulo aut ratione quæſita. Pinell.*p.1.rub.n.f. de reſc. vend.* Molina *de Hiſp. primog. lib.2.c.7.n.28. & lib.4. cap.3. num. 9. & ſeqq.* Proinde quod teſtamento alicui quæſitum eſt, auferre,vel vaſallum feudo privare, abſque legitima cauſa, Princeps non poteſt,neque derogare juri filiorum in bonis majoratus competenti,neque impedire, quo minus filij legitimam habeant, mortuo patre, aut ejus hæreditatem per aditionem quæſitam retineant,maxime ſi poſſeſſionis apprehenſio aditionem fuerit ſubſecuta; licet enim legitimæ quantitas, & hæreditatis aditio, & teſtamenti obſervatio,ex jure civili procedant;non eſt credendum tamen Principem, qui jura tuetur, obſervationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam velle invertere *l.35. in pr. de inoff. teſtam.* Aut dominium juri naturali alteri quæſitũ, tollere, & quod noſtrum eſt, alteri dare,niſi legitima cauſa moveatur.Ant.Gabriel *lib.comm.concl.tit.de jure quæſ. non toll. conc.3.* Et citati à Larrea *alleg.*115.*n.*14.

11 Eſt autem cauſa juſta, quæ cum utilitate publica eſt conjuncta, quæ ſi non appareat, conveniens erit illam exprimere,quamvis ſemper cauſa juſta in bono Principe præſumatur. Hæc interdum efficit ut Princeps de plenitudine poteſtatis quid conſtituat, ut actus potius valeat, quam pereat. Hæc itidem Principem impellit bona ſubditorum etiam non conſentientium alienare, eorum actiones cedere, damna belli tempore illata remittere, ad obtinendam pacem, atque ut ea omnes ſubjecti fruantur, id facere dicitur Princeps de plenitudine poteſtatis, quam habet procurandi totius populi quietem. Nec repugnat id legi naturali dictanti,unicuique ſuum ſervetur, nemini ſuum auferatur, quoniam lex alia ſuperior jubet,ut tranquillitas publica procuretur, ut dixit Cicero, *l.3. de legib. Salus populi ſuprema lex.* Juſta quidem lex quæ jubet quemquam res ſuas retinere,ſed juſtior ac potentior illa, quæ res quibuſdam adimi permittit, ut in pace vivatur. *DD. in l.5.ff. de pact.* Etenim ubi adeſt juſta cauſa, tunc non tam legis tranſgreſſio, quam interpretatio fieri videtur, quam facere non tantum poteſt, ſed etiam debet magiſtratus.

12 Princeps vero urgente neceſſitate publica,multa de plenitudine poteſtatis conſtituit,quæ licet prima fronte dura eſſe appareant, ea tamen ſi penitius conſiderentur, reperientur æquiſſima. Ut cum remittit damna tempore belli illata, pro obtinenda pace (ut jam dixi:) Item cum jubet ſuburbia civitatis, aut domum vicini dirui, ne hoſtes eo ſe recipiant,magno cum civitatis periculo: Item fundum urbi vicinum occupari,ad dilatandas foſſas,aut pomeria civitatis,aut extruenda munienda ve propugnacula,*l.9.& 14.C.de oper.publ.* Peckius *ad c.nemo 79. n.3.de reg.jur.n.6.*Qui actus non poſſunt ſine abſoluta poteſtate explicari,& ideo ab eodem fieri præſumuntur,ut docet Gail. *l.2. obſer. c.56. num.17. & ſeq.* Vaſquez *illuſtr.c.5.* * Unde hiſce caſibus, ad 13
compenſationem damni, aut ad ſolutionem pretij, non obligatur Princeps,quia licet abſoluta ſua poteſtate utatur,ſubeſt tamen cauſa potentior, publica videlicet utilitas,quæ iſta fieri præcipit, & communia omnia facit, etiam invitis ſubditis. Æquitas

Digitized by Google

tamen quæ publicam cauſam ſequitur, ſuadet ut iiſdem ex publico refundatur æſtimatio, ne inviti & miſeri, re ſua & pretio careant. Covar. *var. reſ. l. 3. c. 14. n.* 8. Ubi addit ab eadem poteſtate poſſe cogi vicinum, fundum ſuum vendere amplificandi templi cauſa, quia ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, alio tamen fundo commodo aſſignato, vel juſto pretio dato, *l. 14. §. 1. quemadmod. ſervit. amit.* Ubi cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet, ſed ſolvitur ei juſtum pretium. Ita Gomez *tom. 2. var. c. 2. num.* 51. Et Valaſcus, *conſ.* 22. amplius addit conſuetudine induci non poſſe, ut ſine refuſione juſti pretij, res ſua alicui auferatur, vel vendere eam cogatur, quia naturali & gentium juri repugnaret. Plura ad uſum, & in confirmationem eorum quæ dixi, adfert. Ant. Mornatius *ad l. invitum* 11. *C. de contr. empt.*

TITULUS VI.

De his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.

1. *Civitas & ejus adminiſtratores quatenus ex mutuo accepto obligentur.*
2. *Poſſunt aliis pecuniam fœnori dare, ſed eam ex publicis rationibus accipere vetitum ſub pœna.*
3. *An puniantur officiales pecuniam dantes, & qua pœna?*
4. *Item officiales qui mutuo auream pecuniam dederunt inſcio Principe ejuſque fiſco.*
5. *Qua pœna jure & moribus puniatur qui publicam pecuniam ſurripit.*

1 TErtius contractus de quo hic, *eſt mutuum*, cujus datione civitas obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt, alioquin ipſi ſoli adminiſtratores; qui civitatis nomine pecuniam mutuam acceperunt, non civitas, tenebuntur, *l. 27. ff. de reb. cred.* Quòd ita receptum eſt, ne civitas adminiſtratorum culpa damnum ſentiat, & ut illi vigilantiores reddantur, qui civitatis nomine pecuniam accipiunt. Itaque *d. l.* 27, locum habet in adminiſtratoribus civitatis, abſque mandato, aut inſufficienti mutuum accipientibus. Nam ſi, ut inquit Bart. adminiſtratores de mandato civitatis, aut ipſum concilium, quod totam civitatem repræſentat, mutuam pecuniam accipiant, civitas obligatur hoc mutuum reſtituere, ſive ea pecunia in utilitatem civitatis ſit verſa, ſive non: utitur enim civitas jure privatorum, *l. 16. in fin. ff. de verb. ſignif.* Qui ut adſtringuntur ſuis debitis, ita civitas ſuis contractibus, quovis tempore initis, nam perſonis omnibus mutatis, ſemper una eademque manet, *l. 7. §. 2. ff. quod cujuſque univerſ.*

Porro ut accipere, ita & pro utilitate civitatis ejus pecuniam adminiſtratores credere poſſunt, *l. 15. ff. ad S. C. Maced.* Itemque publicam pecuniam fœnerare ſub uſuris ſolitis, *l. 11. ff. de uſur.* At vero ex arca præfectoria in quam pecunia jam exacta reponitur vel ex theſauro Principis pecuniã fœnebrem ſumere vetitum eſt, quomodo ſi quis ab exactoribus, tabulariis, & Arcariis publicarum rationum, mutuam pecuniam acceperit, inconſulto Principe, vel à quolibet eorum, quadrupli pœna damnatur ubi detectus fuerit, *l. 1. h. t.* Quoniam pecuniæ iſtæ ad alias neceſſitates, quam ad quas deſtinatæ, non ſunt impendendæ. 2

Et licet pœna videatur impoſita ſolis mutuum accipientibus, eadem multo magis mulctantur officiales pecuniam fœnori dantes, ſeque contractibus fiſco pernicioſis miſcentes, *juxta l. 8. ſup. de jur. fiſci,* ubi Cujacius. Pœna quippe illa eſt fere omnibus iis indicta, qui fraudem fiſco faciunt, *l. 46. §. fin. ff. de jure fiſci.* Triplum autem pœna tantum, & ſimplum res eſt, ex ſententia Bartoli *ad d. l.* 1. Quando agitur de pecunia jam exacta, & illata in ærarium Principis, quia ſi ejus nondum ſit effecta, pœna tantum erit in duplum, in officiales qui pecuniam publicam mutuam dederint, aut in proprios uſus converterint, *l. 7. ſup. de jur. fiſc.* Quam pœnam non evitant, licet fidejuſſores dederint, vel cautionem de mutuo reddendo. Joan. de Platea *ad d. l. 2. hoc tit.* 3

At ſcire debent omnes, accipiendi mutuo ex largitionibus ſacris non patere cuiquã facultatem, ideo ſi quis occulte pecuniam auream acceperit, aut ſponſionis, aut cautionis fide, ſine ejuſdem Principis auctoritate, ablatis bonis omnibus, perpetuæ deportationis exilio ſubditur; is autem qui ex memoratis theſauris ſpecie publici creditoris, aurum cuiquam dederit, vel retinuerit ad proprios uſus, capitali ſententiæ ſubjugatur, *l. 2. hoc tit.* Quæ lex ſcripta eſt ad Comitem theſaurorum, qui conſervare, non uſurpare theſauros Principis debet. Gravius enim delinquit officialis, qui mutuans aliquam pecuniam fiſci, aſſerit ſe mandatum ad hoc habere; aut ſub ſpecie quod fiſci ſit creditor, audet aurum mutuo dare, quod cæteris metallis eſt pretioſius, & cujus munditiеs & uſus Principibus placet. 4

Hinc eſt quod gravius puniatur qui furtum committit rei pretioſæ, quam parvæ, modicique valoris, *l. 16. §. 7. & l. 11. §. 1. ff. de pœnis.* Item qui pecuniam publicam aut fiſcalem ſurripit ſimulans ſe fiſci creditorem, lege Julia peculatus tenetur *l. 1. & l. 9. §. 3. ff. ad l. Jul. pecul.* Quinimo Papo teſtatur pœna capitali ultimi ſupplicij aliquando animadverſum fuiſſe in Quæſtorem, qui pecuniam publicam intervertiſſe accuſabatur, interdum exilio, cum pœna confiſcationis bonorum, *lib. 22. arreſt. Tit. 2. art.* 1. Joan. de Scobar *tract. de ratiociniis c.* 14. 5

Digitized by Google

c.14.n.31. Et certe non poſſet eſſe ſatis gravis pœna in eos qui exiſtentes in officio publico, undique corradunt pecunias, ex lachrimis provincialium, in utilitatem publicam expendendas, quas interim illi in ſuos uſus convertunt, aut mutuas dant, ut illarum uſurâ brevi tempore diteſcant. Ut hodie contra peculatus reos agatur, docet in ſua politica Bobadilla *l.5.c.4. num. 86.* & Pet. Surdus *conſ. 391. n. 14. & ſeq.*

TITULUS VII.

Pœnis fiſcalibus creditores præferri.

1. *Pœna & mulcta fiſcales quæ ſint? Rationales an habuerint jus mulctandi?*
2. *Exponitur conſtitutio* h.t. *quæ vult ut præferantur creditores ipſi fiſco in pœnis.*
3. *Ratio iſtius conſtitutionis eſt quod fiſcus agat de lucro captando, creditores de damno vitando.*
4. *Adverſus quos creditores fiſcus habeat privilegium.*
5. *An in pœnalibus habeat fiſcus jus tacitæ hypothecæ?*
6. *Agitur de intellectu* l. 48. §. Cornelio fœlici ff. de jure fiſci; *quâ fiſcus fruitur bonis fideicommiſſo relictis antequam dies fideicommiſſi venerit.*
7. *An præferatur denuntiatori, Judici & alijs quibus pars competit in pœna, quam integram ſolvere nequit condemnatus?*
8. *Pars pœnæ cui ex duobus fiſci patronis competat, an ei, qui litem movit, an qui eam perfecit?*

1 Altera cauſa eſt *crimen*, ob quod vel bona confiſcantur, vel mulcta fiſco defertur, *l.5. ſup. de modo mulct.* Quæ hic pœna fiſcalis dicitur, alia certa & à jure determinata, quæque illis imponitur, qui delictum perpetrarunt in duplum vel quadruplum, *l.1. & 2. ſup. tit. 1.* Alia incerta pendens ex arbitrio judicis, & mulcta magis eſt, quæ pecuniæ, non famæ damnum irrogat, & imponitur inſpecta cauſæ & perſonarum delinquentium qualitate, *l.2. & tot. tit. ſup. de modo mulct.* Ex quo conſtat procuratores fiſci vel rationales non habere jus mulctandi, licet habuerint juriſdictionem, quia id ſolum conceſſum fuerat Magiſtratibus, qui præerant juri dicundo: illorum tamen juriſdictionis fructus, ſunt iſtæ pœnæ fiſcales, per quas augetur Principis ærarium. Bart. *in l. fin. C. de fructib. & litium expenſ.* Capitius *deciſ. 27. num. 15.*

2 His præmiſſis exponenda modo eſt æquiſſima hujus tit. Conſtitutio Alexandri Imp. in qua vult ſi aliquis fuerit à Judice condemnatus in certam pœnam fiſco applicandam, quam deinde ipſe fiſcus vindicare intendit, & adſint condemnati creditores adverſus eum actiones ſuas moventes, ut illi fiſco præferantur; nam habet quidem fiſcus in actionibus perſonalibus, & rei perſecutoriis prælationem, non item in pœnis, *in illarum enim exactione rem ſuam perſequentibus poſtponitur*, inquit, *l.un. hoc.t.* Sic ſi is qui delinquit mutuam pecuniam accepit ex publicis rationibus, & damnatus eſt in pœnam quadrupli (ut dictum *ſup. tit.*) licet hæc pœna à jure ſit impoſita, eamque fiſcus exigat, præferendi ſunt creditores in triplo ejus quadrupli, non autem in toto quadruplo, cui ſimplum ineſt, namque in hujus ſimpli perſecutione, fiſcus uti creditor, potior eſt, *d. l. un. in fin.* * Ratio autem cur in pœnalibus actionibus non ſit potior, ſed cedere debeat anterioribus creditoribus, hæc eſt, quod quando fiſcus agit ad pœnæ perſecutionem ratione delicti, certet de lucro captando, reliqui vero creditores de damno vitando, & perſequantur quod ſibi ex contractu, ſuaque præventione debetur; quorum proinde cauſa ſemper viſa eſt favorabilior, durior vero petitoris, *l.33. ff. de reg. jur.* Facit in eam rem *l. fin. §. licentia C. de jur. deliber. & l. fin. §. ſi quis vero C. de codicill.* ibi *non enim par eademque ratio videtur amittere debita, & lucra non capere.* Quibus accedit quod fiſcus in pœnis, loco debitoris ſuccedere videatur, quare non plus juris vel bonorum habet, quam is in cujus locum ſuccedit, *l.48. §.1. ff. de jur. fiſci.* Huc quoque pertinet, quod à Jaboleno reſponſum eſt, non poſſe ulla bona publicata ad fiſcum pertinere, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt: id enim bonorum cujuſque eſſe intelligit, quod æri alieno ſupereſt, *l.11. & l.12. ff. eod.* Ubi ſtatutum prius creditoribus præcedentibus ſatisfieri debere, & quod reſiduum eſt fiſco cedere. 3

Habet quidem fiſcus in hoc privilegium, quod rem ſibi aliiſque creditoribus obligatam poſſit vendere, ſed tamen debet antiquioribus creditoribus hypothecariis ſolvere, & quod ſupereſt ſibi retinere, *l. un. ſup. de vend. rer. com.* Similiter hic licet fiſcus contra ipſum delinquentem poſſet uti ſuo privilegio, illud tamen ceſſat in pœnis contra creditores antiquiores. Idque affirmant jura allegata, & quod Papiniano placuit, à fiſco non eſſe exigendam pœnam niſi creditores rem ſibi debitam recuperaverint, ita ut privilegium in pœnali actione, fiſcus contra antiquiores creditores non exerceat, non tamen jus commune privatorum amittat, *l. 37. ff. de jure fiſci.* Quod ita ibi Cujacius, & hic Amaya interpretantur, ut ſi debitum pœnale fiſco competens, ſit antiquius credito, non auferatur fiſco jus commune, quamvis certet de lucro, ſed præferatur poſterioribus creditoribus, ſicut quilibet privatus agendo præfertur ex cauſa antiquiori. 4

Cæterum etſi fiſcus tacitam habet hypothecam in omnibus bonis ſui debitoris, *l.46. §.3. ff. d. t. l.2. C. in quibus cauſis pign. l. 2. & 3. C. de privil. fiſci.* eam tamen non habet contra creditores pro pœnarum 5

Digitized by Google

narum perſecutione *l.* 10. *ff. de pact.* & ratio eſt, quia publicatio bonorum ita accipitur, ut æs alienum deducatur, prout dicitur *in d. l.* 11. *& l.* 72. *ff. de jur. dot.* Atque ita fiſcus minime poterit creditoribus
6 anteponi. * Non obſtat *d.* §. 3. Quod fiſcus ſemper habeat jus pignoris, quia eo jure, nec ſuo privilegio utitur in pœnis contra creditores. Platea *ad l. un. in fin.* inſinuat non obſtare quod dicitur *in l.* 48. §. *Cornelio fœlici ff. de jur. fiſci.* Ubi mater hæres inſtituta, & rogata poſt mortem ſuam hæreditatem reſtituere Cornelio filio, ea autem propter delictum condemnata, & à fiſco bonis occupatis, cum diceret Cornelius, ſe in ea hæreditate potiorem eſſe debere, quoniam bona pœnæ cauſa publicata fuerant, & conſtet pœnæ fiſcalis executionem creditoribus poſtponi; decretum nihilominus fiſcum, excluſo Cornelio eſſe potiorem, & recte. Nam pendente conditione fideicommiſſi Cornelius non fuit creditor, *l.* 42. *ff. de obligat.* Nec per conſequens litigare, aut cum fiſco concurrere potuit. Accedit quod mater non fuerit civiliter mortua, quia non fuit deportata, ut non mirum ſi fiſcus præferatur: fuerat quidem illa gravata poſt mortem reſtituere, ſed per ſolam confiſcationem bonorum non intelligitur dies fideicommiſſi veniſſe (dies quippe mortis incertus, facit conditionem, *l.* 1. §. *dies & l.* 75. *ff. de cond. & demonſt.*) Fruſtra ergo antequam extiterit conditio, vel dies venerit, filius bona petit, *l.* 10. *ff. ad Trebell.* Et cum poſſit vivente matre è vivis decedere, & fideicommiſſum caducum fieri per conſequens, *l.* 13. *ff. quando dies legat. ced.* Itemque fieri, ut mater res alias acquireret, dùm viveret, ex quibus ſumma efficeretur totius fideicommiſſi, & fideicommiſſario ſuperſtiti ſatis fieret, non revocatis bonis quæ fiſco ſunt addicta. Aliud eſſet ſi bona non acquireret mater, nam poſt ejus mortem bona revocabuntur, quæ in fiſcum tranſiverunt, cum ea ſemper tranſeant cum ſua cauſa, ac ita interim (ut dixit Paulus) dum vivit mater. Ita Amaya *hic & lib.* 1. *obſer. c.* 11. Ubi plures auctores refert.

7 Quod ſi delictum ſit tale, ob cujus perpetrationem pœna ipſo jure applicetur fiſco, & ad eam concurrant denuntiator, Judex, aliique miniſtri juſtitiæ, quibus ratione officij, jus competit iſtius pœnæ, fiſcus præfertur, nec prius quam illi plene ſatisfactum ſit, reliqui agere poſſunt. Hinc ſi concurrat denuntiator & fiſcus, reo condemnato in mulctam 200. aureorum, qui tamen in bonis non habet ultra 100. totam hanc ſummam fiſcus auferet, quia ante ejus exactionem, nullum jus aliis competere videtur, *l.* 29. *ff. de jur. fiſci.* Ibi Bartol. Bobadil. *lib.* 5. *polit. c.* 6. *n.* 5. 7. & 8. Contrarium tamen fuiſſe judicatum in curia Pariſienſi meminit Joan. Gallus *q.* 130. Et Covar. *lib.* 1. *var. reſol. c.* 16. *n.* 8. Ita quidem ut ſatisfeciſſe videatur condemnatus partem dimidiam offerendo, quodque in ea parte non præferatur fiſcus privato, ſed uterque cum creditor ex eodem facto ſit, concurrat ad partem æqualiter dividendam; quoniam hic ceſſat cauſa prælationis, quæ tunc demum conſideratur, cum ex diverſis factis duo creditores apparent. Ita poſt citatos Peregrinus *de jur. fiſci lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. Sed probabilior eſt prior ſententia, & plures habet aſſertores, quos refert Larrea *alleg. fiſc.* 37. *n.* 22. *& deciſ. Granat.* 27. *n.* 9.

Sed quæſitum fuit, an ſi duo advocati fiſci concurrant, quorum unus accuſationem inſtituit, adverſus adminiſtratorem pecuniæ publicæ, & alter in officio fiſcali ſucceſſor, litem proſequi curavit, ac ſententiam proferri & exequi, cuinam pars pœnæ competat, priorine qui litem promovit, an ejus ſucceſſori? Atque huic competere verior eſt opinio, quia non cenſetur debita pœna, niſi à die condemnationis, *l.* 244. *ff. de verb. ſign.* Ante enim neque bona delinquentis cenſentur fiſco obligata, neque actio orta ad pœnam. Bartol. *in l. poſt. contract. ff. de donat. n.* 16. *& in l. in fraudem ff. de jur. fiſci.* Igitur cum pœna non debeatur à tempore commiſſi delicti, ſed demum ſubſecuta condemnatione & exactione, non poteſt priori fiſco litem inſtituenti, jus aliquod competere, ſed ſecundo, qui cauſam perfecit, & in ea habebat juriſdictionem, ut proinde ei pœna ſit applicanda, ex ultima condemnatione, nam iſta pœna tanquam fructus juriſdictionis conſideratur, & attenditur tempus perceptionis, quando ultima nimirum ſententia profertur, & executioni mandatur. Late d. loco Larrea. Et molina *De Hiſpan. primog. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 19. *& ſeqq.* Ubi dicit hanc opinionem eſſe veram, ac ſolum limitari in caſu, quo pœna incurritur ipſo jure, ut tunc ea cedat priori fiſco, cujus tempore accuſatio inſtituta fuit. 8

TITULUS VIII.

De fiſcalibus uſuris.

1. *Uſura pœna inflicta ex delicto, exigi non poteſt, mulcta poteſt.*
2. *Qui poſſint aut non poſſint mulctam dicere.*
3. *Cur ex nudo pacto, citra ſtipulationem uſuræ fiſco debeantur ex contractu.*
4. *Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat, ſed accipit.*
5. *Fiſcus ſuccedens privato qui obſtrictus erat ad evictionem, eo nomine inſtar privati tenetur etiam ad litis expenſas.*
6. *Quando ex pacto pro uſuris poterit obligatum pignus retineri?*
7. *An creditor pignus in uſuras, vel in pœnam retinere poſſit.*
8. *Fiſcus uſuras majores ſemiſſibus ſtipulari non poteſt, nec ab alio cui ſucceſſit ſtipulatas exigere.*
9. *Obiter hic de modo uſurarum à jure præſcripto.*

1. Quo-

1 QUoniam de contractibus, & pœnis dictum ſupra, ſubjicit Imp. de uſuris, quas fiſco & contractu deberi aſſerit, non item ex delictis & pœnis, *l. 1. h. t.* quia iniquum eſſet pœna non ſoluta à debitore fiſci, exigere pœnarum pœnas. Igitur pœnarum uſuræ peti nec deberi poſſunt, *l. ult. ff. de magiſtr. conv.* ſicut nec uſuræ uſurarum, quid enim aliud uſura quam pœna, quæ propter moram non ſolventis, infligitur, *l. 17. §. 3. ff. de uſur.* At verò mulctæ nomine, à poteſtate habente, indictæ uſuræ deberi poſſunt, videlicet ſi intra tempora judi-
2 cati non ſolvantur. * Habet autem mulctandi poteſtatem Conſul, Prætor, & omnis Magiſtratus, cui adjudicatio data eſt, *l. 131. ff. De verb. ſignif.* aut cui hoc ſpecialiter permiſſum, uti Præſidibus, *l. 2. §. fin. ff. de judiciis.* Quo fit ut Magiſtratus municipales, & Procurator Cæſaris etiamſi juriſdictionem habeant, non tamen habent jus mulctæ indicendæ, *l. 2. ſup. de modo mulct.* licet poſſint pœnam infligere legibus definitam, juxta *l. 1. h. t.* Ubi Antoninus Imp. corrigit errorem proponentis in libello mulctam pro pœna, cum mulctam fiſci Procurator irrogare non poſſit. Cur ita? Quia tantum jus mulctæ dicendæ conceſſum eſt *l. 12. tabul.* Magiſtratibus, qui imperium habent, non aliis; multo minus Magiſtratibus municipalibus, qui propriè Magiſtratus non ſunt. Alciatus ad *d. l. 131. & ibi* Gædeus.

3 Sed videamus quatenus ex contractibus fiſco uſuræ debeantur, & certum eſt non modo citra ſtipulationem, ſed etiam ſine ullo pacto, ſine nudo conſenſu uſuras deberi fiſco, ſicut & civitatibus, maxime ob pecuniam ab eis creditam, *l. 30. ff. de uſur.* Si modo mora à vectigalium conductore, aliòve debitore facta ſit, vel tardius fiſco pecuniam inferat, quam debebat, *l. 17. §. 5. ff. d. t.* Nam licet regulariter uſuræ non debeantur citra vinculum ſtipulationis, *l. 3. Cod. de uſur.* Quia nudum pactum non parit obligationem uſurarum, habet tamen hoc privilegium fiſcus & reſp. præ cæteris, *dict. l. 30. & 43. ff. eod. tit.* Hinc obſervandum quod quoties nudum pactum certa lege vel privilegio aliquo juvatur, ut hic, vel aliqua interveniente negotij cauſa, puta cohærentia contractus alicujus, ex quo firmitatem ſuam conſequitur, toties non videatur nudum pactum interveniſſe; exempla poſui *ſupr. de uſuris.*

4 Verum quamvis ex ſuis contractibus fiſcus uſuras ut ſolet, accipiat, eas tamen non debet pro contractu in quem ſucceſſit privato, licet privatus anteceſſor ſolvere conſueviſſet, habet enim poſtquam ſucceſſit privilegium ſuum: at dum in privati debitoris jus ſuccedit, privati jure utitur, pro anteriori ſuæ ſucceſſionis tempore, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Atque ita intelligendus Ulpian. ad ſolvendum eatenus fiſcum teneri, quatenus privatus poſſedit, hoc eſt, pro eo tempore quo in poſſeſſione privatus fuit, & uſuras debuit, *d. l. 17. §. 5.*

Planè ſi ſucceſſerit privato, qui obſtrictus erat 5
alteri ad evictionem, ut puta, bona Titij publicata ſunt, qui alienam rem, aut alteri obligatam mihi vendiderat, evicta eadem re, regreſſum habeo adverſus fiſcum pro evictione, non ſolum ad pretium & id quod intereſt, ſed etiam ut ſumptus litis mihi refundat. Nam quamvis dici ſolet fiſci procuratorem non præſtare litis expenſas, ad eum caſum pertinet, quo is agit tanquam publicus accuſator, quia ex officij neceſſitate id facit, quæ ſatis eum excuſat, non vero cum convenitur ut privatus, vel ei ſuccedit, *d. l. 6.* Ant. Faber in ſuo *Cod. tit. de evict. definit. 19.* Coſtalius *ad d. l. 17. §. 5.*

Igitur fiſcus privato ſuccedens, ipſius jure utitur, 6
& eas uſuras præſtat, quas creditor à privato exigere potuiſſet, ex ſtipulatione, nam ex pacto nudo (uti dictum) nemo regulariter uſuras præſtat; ſi tamen in eas uſuras quæ pacto tantum promiſſæ, pignus ſit acceptum, per retentionem pignoris, uſuræ ſervabuntur à fiſco, quas pacto non ſervaſſet; quæ ſententia eſt *l. 2. h. t.* ad quam pertinet *l. 4. & 22. C. de uſur.* * Ex quibus obſerva, ut uſuræ debeantur, & re- 7
tineantur ex pacto vel ſtipulatione, non ſufficere de uſuris tantum conveniſſe, niſi certa ſumma vel quantitas uſurarum expreſſa ſit, quod ubi factum non eſt, non poterit pignus ſaltem à privato retineri in uſuras, quia nullæ ſunt, nec in pœnam commiſſam, quia pignus in eam cauſam obligatum non eſt, quod proinde reſtituendum erit debitori, oblata ſorte quanta debeatur. Donell. *ad d. l. 22.*

Verum illud eſt commune fiſco, & privato cre- 8
ditori, quod in exigendis uſuris non liceat legitimum modum uſurarum excedere, cum autem hic præſcribit Juſtinianus, ut uſque ad dimidiam centeſimæ tam fiſco quam privato liceat ſtipulari, non ultra. Item uſuras majores ſemiſſibus, fiſcus exigere à ſuis debitoribus non poteſt, ſive eas nominatim ſtipulatus ſit, ſive creditoribus debitoris ſucceſſerit, adeo ut ſemiſſes conſequatur fiſcus, etiamſi ei creditori ſucceſſerit cui leviores debitæ fuerant, *l. ult. h. t.* * Sic etiam civitatum ſolemnes uſuræ fuerunt 9
ſemiſſales, & tanti à Republica pecuniæ ſolebant mutuari, *l. 10. ff. de pollicit.* Eccleſia vero tantum quadrantes uſuras præſtat, *Novell. 120.* quo jure non utimur. Hodie namque varius eſt uſurarum modus, prout eſt varia perſonarum conditio, & rerum qualitas: atque civiles & moderatæ viſæ ſunt, quæ ſemiſſes; minores ſunt quadrantes; majores centeſimæ, quas excedere non licet, ne in trajectitiis quidem contractibus. Videatur Juſtiniani Conſtitutio *in l. 26. ſup. de uſur.* & quæ ibi expoſuimus.

Digitized by Google

TITULUS IX.

De ſententiis adverſus fiſcum latis retractandis.

1. *Continuatio, & quod cauſæ fiſcales abſente fiſci patrono deciſæ retractentur.*
2. *Si contra fiſcum lata eſt ſententia præſente fiſci advocato tenet, eo abſente, aut omiſſo inſtrumento, dein reperto retractatur intra triennium.*
3. *Quomodo intelligendum ſit hoc privilegium fiſcale de retractatione ſententiæ per actionem vel reſtitutionē.*
4. *Reſtitutio privato læſo competit, item Eccleſiæ, ſi poſt ſententiam reperiatur inſtrumentum concernens cauſam publicam.*
5. *Quibus remediis arreſta retractanda veniant?*
6. *Ex beneficio reſtitutionis fiſco competenti, poteſt retractari executio ſententiæ?*
7. *In cauſis criminalibus retractari poteſt ſententia, & moderari pœna per reſtitutionem in integrum.*
8. *An fiſcus in criminali cauſa poſſit uti remedio hujus* l. uni. *& retractare ſententias.*

1 NOn ſolum lædi poteſt jus fiſci, venditione non rite facta, & mutuatione pecuniæ publicæ, prout dictum ſuperioribus titulis, ſed etiam cauſarum fiſcalium deciſione, pronuntiatione, de qua re tractanda ideo hic ſubjicitur. Et quidem fiſcales cauſæ ſi non interveniente fiſci advocato deciſæ ſint, in integrum reſtituuntur, *l. 3. §. 9. ff. de jure fiſci.* Idemque in *l. 7. eod. tit.* aſſeritur, ſi abſente fiſci advocato pronuntiatum ſit, nihil actum eſſe, & ideo ex integro cognoſci oportere. Tanta enim eſt fiſcalis patroni auctoritas, ut non videatur defenſus fiſcus, ſi ille abfuerit, aut non aſſiſtat cauſæ fiſcali; quod diverſum eſt in cauſis privatorum quæ ſemel finitæ, non retractantur, velamento abſentiæ patroni, *l. 4. ſupr. de poſtul.*

2 Igitur ſi præſente fiſci advocato, cæteriſque rite peractis, quæ ad cauſæ fiſcalis defenſionem faciunt, contra fiſcum judicatum ſit, tenet ſententia, & non niſi communi appellationis remedio, fiſcus juvatur ſicut pupillus, aut quivis alius privatus, *l. 9. ff. de appellat.* Si vero ſententia lata fuit adverſus fiſcum, eò quod omiſſum ſit inſtrumentum, in fiſci favorem confectum, & culpa ipſius, vel ejus advocati non fuit in primo judicio productum, quod ſi de novo reperiatur & producatur, jure ſpeciali retractatur, ex ſola nuda allegatione, ſententia, intra triennium, *l. un. h. tit.*

3 Imò & poſt id tempus, ſi prævaricatio arguatur, vel manifeſta fraus probetur, retractabitur ſententia, ſed per reſtitutionem in integrum judicis officio. Accurſ. Platea & Valenzuela *ad d. l. un.* Ubi ſi corruptio judicis, aut fiſci advocati intervenerit, ſentiunt ſententiam ipſo jure nullam eſſe, contra fiſcum latam, *l. 7. ſup. quando provoc. non eſt neceſſ.* Alfaro *de officio fiſcali.* Gloſſa 34. *n.* 237. Facit quod dicit Calliſtratus *in l. 3. ff. de colluſione detegenda; perinde inefficax eſſe decretum atque ſi nulla res judicata interveniſſet.* Peregr. *de jure fiſci l. 7. c. 4. n. 5. & 6.*

Quæ quidem diſtinctio in privato non admittitur: nam ſi quis ſententiam retractare conſtituit, ſive fuerit minor, reſpublica, vel Eccleſia, beneficium reſtitutionis implorare tenetur, probata prius læſione, & quod ad ſuam notitiam nondum pervenerint inſtrumenta reperta, *l. 33. ff. de re judic.* Et quidem olim privato non dabatur niſi annus utilis, poſtea variatum hac in re, tandem Juſtinianus quadriennium conceſſit, ad petendam & impetrandam reſtitutionem, *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtit.* Quod etiam fiſco multo magis hodie conceditur, non autem longius tempus, quia non eſt jure cautum. Atque huc ſpectat quod Impp. reſcripſerunt quamquam ſub prætextu novorum inſtrumentorum reſtitui negotia minime oporteat, tamen in negotio publico, ex cauſa permittere ſe hujuſmodi inſtrumentis uti, *l. 35. ff. de re jud.* Publicum negotium hic dicitur, quod ad fiſcum, & civitatem pertinet, *l. 16. & ſeq. ff. de verb. ſign.* Id etiam extendunt pragmatici ad Eccleſiam, quæ civitati æquiparatur, *l. fin. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* Fachin. *lib. 1. contra cap. 53.* * Itemque 4 obſervant quod quamvis non ſoleant ſententiæ majorum judicum retractari, niſi per propoſitionem erroris, nihilominus tamen ſi inſtrumenta probationum poſtea reperta fuerint, concedi poſſit reſtitutio privilegiatis perſonis. Ita Papon. *lib. 19. tit. 8. art. 3. 4. & 5.* 5

Ob quam reſtitutionem retardari ſententiæ executionem plerique DD. volunt, inter quos Salicetus, *in l. 1. C. ne liceat tertio prov.* Nec obſtare *l. 2. C. de falſis.* qua probatur, non obſtante exceptione falſi, quæ opponebatur, ſententiam eſſe exequendam. Quia opinio eorum, qui contra ſenſere, procedit quando non ſtatim conſtat de eo quod per reſtitutionem opponitur, & requirit altiorem indaginem. At ubi conſtat ſtatim de eo quod reſtitutione petitur, etiam adverſus tres ſententias conformes opponi poteſt, prout docent relati à Joan. Garſia, *de nobilitate Gloſſ. 6. §. 2. n. 17.* & Larrea *alleg. fiſc. 71. n. 10.* contra Covarruv. *lib. 3. pract. c. 25. n. 7.* 6

Quemadmodum in cauſa civili per prætoris auxilium læſis ſubvenitur, ita in cauſa criminali ſuccurritur reo innocenti per Principem, *l. 1. §. ult. ff. de quæſtionib.* Atque ejus auctoritate reſcinditur ſententia, qua quis eſt condemnatus ad pœnam, de cujus tamen innocentia poſtea conſtitit per inſtrumenta recens reperta, *l. 27. ff. de pœnis.* Ex qua liquet plura extare principalia reſcripta, quibus vel pœna reorum minuta eſt, vel in integrum reſtitutio conceſſa, ſed id dumtaxat à Principe ejuſve ſupremo 7

Digitized by Google

ſupremo Senatu fieri poteſt, eoque pertinet *l. 1. verſ. qua lege ff. de l. Jul. de ambitu.* Ubi ſi aliquis de ambitu damnatus, alium convicerit, in integrum reſtituitur. Non obſtat *l. 37. ff. de minoribus.* Quæ denegat reſtitutionem minori, contra omiſſam accuſationem, ſiquidem aliud eſt dari reſtitutionem ad accuſandum, aliud poſt interpoſitam accuſationem, & litem jam conteſtatam, cum negari non poſſit, quod ſi minor in aliquo actu litis fuerit læſus, poſſit in integrum reſtitutionem poſtulare, *l. 16. §. fin. ff. de minoribus.* Gomez *tom. 3. var. c. 1. n. 7.* Gutierrez *pract. qq. 70.*

8 Hinc quæritur, an fiſcus in criminali cauſa, in integrum reſtituatur adverſus ſententiam quæ reum abſolvit, aut leviorem quam par eſt illi pœnam irrogavit: ſunt qui id negant, auctoritate *d. l. 37. ff. de minorib.* ubi denegatur reſtitutio ad pœnam perſequendam, quod late oſtendit Franciſc. Caldas, *ad l. ſi curatorem verb. vel adverſarij dolo num. 37. ff. de in integr. reſtit.* Alij affirmant per *l. un. hoc tit.* Quæ generatim comprehendit omnes cauſas, nec diſtinguit inter civiles & criminales, atque ita in omnibus ſententias latas contra fiſcum retractari jubet. Cui non facit ſatis Fachinæus *lib. 9. contr. cap. 81.* Ubi dicit *d. l. un.* agere generaliter de ſententiis latis in pœnalibus cauſis, in quibus cum non reſtituatur, minor reum accuſans, (ut dictum eſt) ſi intentionem ſuam non ſufficienter probavit, multo minus fiſcus. Nam alia ratio privati minoris, alia fiſci, qui ipſo jure privilegium habet retractandi ſententias contra ſe latas. Quidquid hac in re de jure ſit, moribus ſaltem id receptum videmus, quod in atrocioribus, ſi minor pœna reo ſit irrogata, quam delictum expoſtulat, ſoleat ſupremus Senatus reſtitutionem concedere, fiſco agenti ad dignam pœnam, propter exemplum, utque ſatisfiat publicæ vindictæ, ac ita ſæpius judicatum meminit Ant. Gaſpar Theſaurus, *lib. 1. quæſt. forenſ. q. 59.*

TITULUS X.

De bonis vacantibus & incorporatione.

1. *Bona vacantia quæ dicantur, quid de his ſtatuit lex Julia caducaria, & poſtea Juſtinianus.*
2. *Civitates non habent jus vindicandi bona vacantia.*
3. *Niſi à Principe tale jus conſequantur, aut motu proprio datum ſit privilegium civitati.*
4. *Poſſeſſiones à Principe conceduntur plene & cum omnibus ſuis juribus & acceſſionibus.*
5. *Conceſſo caſtro conceſſa videntur ejus munimenta. An etiam conceſſa cenſeatur Principis juriſdictio?*
6. *Quid ſi donatio caſtri fiat cum ſuis pertinentiis?*
7. *An conceſſa ſpecialiter juriſdictione cenſeatur Princeps derogare juri quod populo competit eligendi magiſtratum?*
8. *An conceſſa juriſdictione, cenſeantur conceſſa regalia & jura Principi reſervata, itemque bona vacantia?*
9. *Hodie bona vacantia multis in locis non fiſco, ſed dominis locorum cedunt.*
10. *Quibus perſonis hæc bona olim competerent, præterquam fiſco. Ad quem deferantur bona clerici decedentis ſine cognatione.*
11. *Bona ſpuriorum & peregrinorum cui hodie competant?*
12. *Num poſſint ſpurij de illis teſtamentum facere?*
13. *Bona peregrinorum captivorum & ad colonias migrantium fiſco applicabantur, & quando.*
14. *Quinam hodie pro peregrinis habeantur, & illis decedentibus abſque hærede, quis in illorum bonis ſuccedat?*
15. *In bonis alienigenarum Rex in Gallia ſuccedit jure albinatus niſi illi ſint naturalizati.*
16. *Sed non ſuccedit in bona regnicolæ, qui receſſit ex regno, ſed ejus liberi ibidem nati, ſecus eſt ſi externus naturalizatus regnum deſerat, animo non revertendi.*
17. *Quod ſi exterus in regno uxorem ducat & liberos ex ea ſuſceperit, ſuccedunt liberi etiamſi uterque parens ſit alienigena.*
18. *Item liberi naturalizati, ſed exteri excluduntur etiam à jure petendi legitimam.*
19. *In Belgicis provinciis eſt ſimile jus, ſed in Hannonia fiſcus exterorum bona capit. In aliis locis bona deferuntur proximioribus.*
20. *Vacare oportet bona ut in fiſcum tranſeant, ea non tranſeunt propter delictum, quæ prohibentur alienari.*
21. *Uſusfructus interim manet apud fiſcum durante vita poſſeſſoris, qui deliquit, niſi illius alienatio expreſſe ſit prohibita.*
22. *An bona derelicta & quæ domino carent, uti vacantia ad fiſcum pertineant.*
23. *Quid juris in bonis è navi projectis, erratis, inventis, an cedant inventori, ſi dominus non reperiatur?*
24. *Quatenus heres, aut animalia domino reſtituantur, ſecundum mores noſtros?*
25. *Si pecus aberrans damnum dederit quid juris? & quid ſi illud nemo vindicare velit?*
26. *Qui ad ſucceſſionem venire vult & fiſcum excludere, probare debet ſe proximum ex ſanguine defuncti, vel quod ab eo pro cognato habitus fuerit.*
27. *Si ex conſuetudine bona ſequuntur lineam, una deficiente an accreſcat alteri, vel fiſco?*
28. *Quis hic nullo extante hærede mori dicatur?*
29. *Quas ſolemnitates adhibere debet Comes rerum privatarum, in incorporatione rerum quæ à fiſco vindicantur.*

30. *Bona*

Digitized by Google

30. *Bona vacantia & alia caduca in provinciis quomodo fiſco acquirantur. Quod incorporatio non fiat priuſquam audiatur contradictor.*
31. *Hodie quomodo fiat bonorum vacantium deſcriptio & incorporatio?*
32. *An fiſcus ſuccedat in bonis vacantibus ut hæres, an jure proprio.*
33. *Tenetur creditoribus hæreditariis, non tamen ultra vires hæreditatis, ſed pro menſura bonorum.*
34. *Non cogitur inventarium facere. Quo in caſu ſuccedat fiſcus quaſi hæres?*
35. *Quilibet fiſcus tenetur ſatisfacere creditoribus.*
36. *An fiſcus ſuccedens in bonis vacantibus teneatur præſtare legata & fideicommiſſa teſtamento relicta?*
37. *Quanto tempore præſcribatur adverſus fiſcum, qui non apprehendit bona vacantia?*
38. *A quo tempore curret iſta præſcriptio?*

1 FIſcus ſeu ærarium publicum augetur ſæpe acceſſione rerum, quæ privatorum hominum fuerunt, quod variis modis accidit, unus hic ponitur, cum bona fiunt vacantia. Dicuntur autem bona vacantia, Græce adeſpota, quæ nullum dominum aſſertoremve habent veluti cum quis abſque omni hærede deceſſit *l.1. & 4. h.t.* Sive quia nemo eſt cui delata ſit hæreditas, ſive quia nullus illorum quibus eſt delata, adire eam velit, ut hoc caſu bona quaſi deſerta publicentur, cautum fuit *l. Julia.* Quæ caducaria appellata eſt, *l.96.§.1. ff. de legat.1. & l.4. ff. de fideic. lib.* Cui legi derogavit ex parte Juſtinianus non quidem tam illud jus tollens, quo bona caduca & vacantia, in fiſcum transferuntur, quam modos aliquos quibus res olim caducæ efficiebantur, *l.un. C. de caduc. toll.*

2 Adeo hoc jus caducorum, & bonorum vacantium fiſco reſervatum eſt, ut aboleantur privilegia civitatum, id jus etiam permiſſu Principis ſibi vindicantium, *l.1. h.t.* Quaſi privilegio ſe ab Auguſto donatos contendiſſe Nicenſes teſtis eſt Plinius *l.10. epiſt.93.*

3 At cum bona Decurionis inteſtati civitatis commodis cedant. *l.4. C. de hæred. decur.* Cur non etiam civium inteſtatorum bona vacantia civitates occupant? Quia illæ privatorum jure utuntur, nec habent fiſcum, nec per conſequens jus confiſcandi, aut vindicandi bona, niſi à Principe tale jus eiſdem concedatur motu proprio. Platea *ad l.1.n.1.* Et Molina *de primog lib.1. cap.25. num.21.* Hinc hodie plures ſunt liberæ civitates, non agnoſcentes ſuperiorem; item aliæ quæ longa conſuetudine, aut privilegio principali fiſcum habent, atque ad illum bona decedentium ſine hærede deferuntur, prout dictum, ſi motu proprio Principis id privilegium civitati fuerit datum, non autem ad petitionem illius, niſi inſerta ſit clauſula particularis, quæ deroget diſpoſitioni juris communis, prout dicitur *in l.1. & 2. Infr. de petit. bonor. ſubl.* Peregrin. *de jure fiſci lib.4. c.3.* & Maſtrillus *de Magiſt. lib.3. c.13. num.391.*

Solet quandoque Princeps penes quem eſt omnis poteſtas, munificentiam ſuam exercere non ſolum civitatibus & municipiis privilegia concedendo, ſed etiam vacantes poſſeſſiones privatis donando, quas ubi donat, ſi in annotatione, ſeu ſcriptura dicatur, *integro ſtatu donaſſe,* intelligitur cum adjacentibus & mancipiis, & pecoribus, & fructibus & omni jure, quo inſtructa cenſetur poſſeſſio, *l.2. h.t.* Quod ſecus in donatione privati, quæ ſtricti juris eſt, ut non veniat, niſi quod in ea fuit expreſſum, *l.35.§.3. C. de donat.* Unde & domus nomine, ſola intelligitur, *l.7.§.1. ff. pro empt.* Interdum & ea quæ domui ita affixa ſunt, ut ab ea avelli, ſine vitio nequeunt, *l.21. & 26. ff. de fundo inſtr.* At vero beneficia Principis quæ ex divina ejus indulgentia proficiſcuntur, quam pleniſſime interpretari convenit, *l.3. ff. de conſtit. princip.* Niſi donaret quidpiam non ſolitum donari, vel damnoſum reipublicæ, aut alteri cuilibet. Amaya *ad d.l.2.* 4

Quod ſi tamen Princeps alicui donaret caſtrum, in quo multa ſunt munimenta, etiamſi ea non ſint affixa, donata videntur, *arg. l.20. §.7. ff. de fund. inſtr.* Sed major eſt difficultas, num cum caſtrum donavit, cenſeatur quoque juriſdictionem donaſſe? Et pleriſque placet illam non videri donatam, quia poteſt juriſdictio per ſe ſubſiſtere, & ſeparari ſalva ſua ſubſtantia à caſtro & prædiis. Eſt enim quid incorporale, & diſtinctum à proprietate fundi. Alij contrà putant, conceſſo caſtro cenſeri conceſſam juriſdictionem, quæ erat annexa caſtro tempore conceſſionis, maxime ſi concedens uſus ſit verbo generali territorij, diſtrictus, *juxta l.2. h.t.* Ubi poſſeſſione donata, intelliguntur omnia donata, quæ ei adhærent, & acceſſoria ſunt, *arg. l.52. §. ult. ff. de act. empt.* Sic conceſſo loco cum ſuis finibus, videtur conceſſum quidquid intra fines continetur. Coſtalius *ad l. un. §.4. ff. de off. præf. urbi.* ibi *cum urbem noſtram fidei tuæ commiſerimus, etiam juriſdictionem & imperium* in eam civitatem cenſeri conceſſum dicit. Et ſequitur Molinæus *ad conſuetud. Pariſ. tit 1. §.1. Gloſ.5. n.20.* Menochius *lib.3 præſumpt.97.* Covar. *pract. quæſt. c.1. n.10.* Verum cum hac in ſpecie juriſdictio minime cohæreat caſtro, nec ei ſit acceſſoria; verius puto manere hoc caſtrum ſub juriſdictione civitatis, aut Principis, cui prius adhærebat. Quare is qui id obtinuit, probare debet expreſſe, ſibi fuiſſe illius caſtri juriſdictionem æque principaliter conceſſam, producendo litteras conceſſionis, quibus inſit clauſula, *cum omni jure*, quod Principi competebat; alias ſi id non probet, manebit tantum caſtri dominus, quoad prædiorum proprietatem, cum qua nihil habet commune juriſdictio, quæ cum alicui civitati adhæreat, non poteſt 5

Digitized by Google

teſt ab ea abſque habitantium aliqua læſione ſegregari.

6 Quinimò poteſt indiſtinctè aſſeri, per conceſſionem jurium, aut donationem caſtri cum ſuis pertinentiis, juriſdictionem non tranferri, quæ non niſi nominatim tribuitur, unde ea conceſſione tantum comprehenduntur proventus, qui ex caſtro percipiuntur. Item veniunt molæ tanquam acceſſoriæ, nemora quoque, venationes, aucupia, paſcua & ſimilia quæ caſtro adhærent. Ant. Faber *C. de juriſd. defin.* 17. Amaya *ad l.* 2. *num.* 20. *h. t. ubi plures DD. refert.* & Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 16. *num.* 70.

7 Præterea quamvis ſpecialiter Princeps domino loci conceſſerit omnimodam juriſdictionem, non tamen cenſetur jus quod populo competit, adimere, & quod habet ſibi magiſtratum eligendi, minuere velle, multo minus tollere jus electis magiſtratibus cognoſcendi in cauſis primæ inſtantiæ. Nam ea lege ſolet Princeps dare oppida & caſtra inferioribus dominis, ne hi minuant, aut debilius reddant jus quod habent populares, quibus alias fieret injuria ſi in eiſdem oppidis alij judices ordinarij à dominis conſtituerentur, qui haberent primam cauſarum cognitionem, vel eam cum popularibus magiſtratibus exercerent jure præventionis. Covar. *pract. qq. c.* 4. *n.* 5. & citati à Larrea *alleg. fiſc.* 70. Itaque niſi domini juſta temporis poſſeſſione, aut præſcriptione hoc jus acquiſiverint, aut Princeps juri populorum derogaverit, & ſpeciatim dominis privilegium conceſſerit, nunquam videtur populo adimi jus eligendi ſuum magiſtratum. Bobadilla *ſup. d. loco n.* 17. *& ſeq.*

8 Hinc quæſtio oritur, an omni vel omnimoda juriſdictione ſpecialiter alicui domino conceſſa, etiam jura regi reſervata conceſſa intelligantur, de quibus *in tit. quæ ſint regal. in uſib. feud.* agitur? Quod non exiſtimo, tum quia hæc nihil commune habent cum juriſdictione, cum quia hæc jura ſunt præeminentiæ, & ſupremi imperij ut non niſi nominatim à Rege tribuantur, *l. pen. ff. de off. præſid.* ubi ne quidem abdicando à ſe imperium illud amittit, quodque ſuperioritatem contingit ut inquit Baldus. Et etiamſi quædam ex illis juribus concederentur locorum domino, non ideo tamen is poſſet occupare bona vacantia, quorum jus non eſt fructus juriſdictionis, ſed dignitatis regiæ, niſi ex ſpeciali Regis conceſſione, conſuetudine aut præſcriptione dominus iſte aut Dynaſta jus in bona vacantia acquiſiverit. Bobadill. *in ſua polit. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 70. *&* 216. *lit.* 6. *&c.* & Belluga *in ſpeculo princip. Rubb.* 12. §. *& quia quotidiana n.* 60. *& ſeq.*

9 Unde hodie hoc jus valde diminutum eſt, poſt quam Principes & Reges, caſtra & oppida cum plena juriſdictione Dynaſtis conceſſerunt, hi enim cum in locis ſibi ſubjectis poteſtatem gladij quam vulgus vocat altam juſtitiam, exerceant, tanquam illius fructus, & emolumenta officij, non ſolum bona vacantia, fundoſque adeſpotos uſurpant, ſed multa alia fiſcalia jura ſibi adſcribunt, quæ propria ſunt Regis, ejuſque fiſco cedere deberent, quoniam proprie utilitas juriſdictionis tantum in confiſcatione bonorum, & multis conſiſtit. Carol. Loyſeau *tract. de ſeigneuries c.* 12. *n.* 121.

Olim quidem jure Romano inſpecto, bona vacantia nemo occupabat, ſed ex indulgentia Impp. aliis quam fiſco concedebantur. Hinc præfectus prætorio in bona ſuorum apparitorum vacantia ſuccedebat, non fiſcus *l.* 3. *C. ad apparit. præf. prat. lib.* 12. Similiter perſonæ quædam certis corporibus adſcriptæ, ubi abſque hærede moriebantur, bona ad ea corpora, quorum pars fuerant, perveniebant, *tit. C. de hæred. decur.* Unde eccleſiaſticis perſonis nullum hæredem habentibus ſuccedit Eccleſia, cui adſcriptæ fuerunt, *l.* 20. *C. de epiſc. & cler.* In bona videlicet intuitu Eccleſiæ comparata: in patrimonialia ſuccedit Epiſcopus, quod probat Innocen. *in c. inſinuante, qui clerici vel voventes.* Molina *de juſt. & jure diſput.* 164. *verſ. undecima concluſ.* Sed ab iſto jure placitis curiarum receſſum eſſe docet Gallus *q.* 212. *& q.* 190. Ita ut non poſſit Epiſcopus bona vacantia vindicare, ſive ante clericorum fuerint, ſive aliorum, ſed ſi nulli ſint conſanguinei, ad dominos territoriorum in quibus reperiuntur, ſpectant. Argentræus *ad conſuet. Britannia art.* 44. 10

Dominorum quoque ſunt bona nothorum, ſeu 11
illorum qui ex legitimis nuptiis nati non ſunt, abſque liberis & teſtamento morientium. Attamen ut iſtis dominis ſucceſſio nothorum deferatur, oportet quod in iſtorum dominorum territorio illi nati fuerint, & ibi domicilium foverint, & ſine liberis deceſſerint: nam ſi liberos relinquant, excluduntur domini locorum, item ſi teſtamentum fecerint. Peregrin. *de jur. fiſci lib.* 4. *tit.* 3.

Quocirca iniquæ videntur nonnullæ quorum- 12
dam locorum leges, quæ ſpuriis jus teſtandi de bonis ſuis adimunt, cum vacantia dici non poſſint, quorum aliquis teſtamento nuncupatus eſt ſucceſſor, neque enim ſpurij eorum quæ juris civilis ſunt, cenſentur incapaces, prout erant peregrini, qui uti capere ex teſtamento non poterant, ita nec teſtamentum facere, *l.* 1. *&* 2. *ff. ad l. Falcid.* * Sed bona 13
illorum uti & deportatorum, captivorum & obſidum in fiſcum cogebantur, *l.* 31. *ff. de jure fiſci.* Itemque bona eorum qui in colonias migrabant, *l.* 4. *ſup. tit.* 1. quamquam teſtamenta captivorum, & obſidum ante captivitatem vel deditionem condita, valida erant, excluſo fiſco, & poſt captivitatem, accepto uſu togæ Romanæ, bona recuperabant beneficio Principis, *l.* 31. *ff. d. t.* Quin & ſenſim ab iſto juris rigore receſſum, maxime poſtquam provinciales, & generaliter omnes liberi homines ſub di-

tione

quod ubi concurrit duplex cauſa ſufficiens ad reſcindendum actum, alteram probare ſufficiat, niſi allegans ſe ad utriuſque probationem adſtrinxerit. Joan. de Platea *ad d. l. 2.* & ibi Pyrrhus, Pinellus *in l. 2. part. 2. num. 19. C. de reſcind. vend.*

TITULUS IV.

De venditione rerum fiſcalium cum privatis communium.

1. *Fiſcus habens rem cum privato communem, poteſt totam vendere, ratione ſuæ partis, non item privatus.*
2. *Quæ ſit hujus rei ratio.*
3. *Quatenus procedat iſta venditio, & cui dandum pretium.*
4. *Vendita juriſdictione à fiſco poſſunt vaſalli eam retrahere.*
5. *Condemnatio ſeu mulcta tota ſolvitur fiſco, qui poſtea partem reddit denunciatori.*
6. *Qua actione aget ſocius contra fiſcum pro partis ſuæ pretio.*
7. *An rem cum altero communem poſſit fiſcus in pignus dare.*
8. *Item ad longum tempus locare, in emphyteuſim concedere, hypothecæ ſubjicere.*
9. *Rem privato & fiſco obligatam poteſt fiſcus vendere, ſic ut ſalvum ſit creditoribus jus ſuum.*
10. *An fiſcus qui tenetur defendere emptorem, poſſit cauſam trahere ad ſuum judicium.*

1 Hic titulus tractat, de quodam jure ſingulari, fiſco competente, quando rem habet communem cum perſona privata, ut ſcilicet totam poſſit vendere, & diſtrahere invito ſocio, *l. un. h. t.* quod ſecus eſt in privato, etſi pretium in fiſci utilitatem convertat, *l. 2. ſup. de commun. rer. alien.* quia non poteſt privatus plus juris in alium transferre, quam ipſe habet, *l. 54. ff. de reg. jur.* * At vero fiſcus ea
2 forma, ſeu privilegio utitur, ob utilitatem publicam, quæ privatæ antefertur, *l. 3. C. de primipilo,* quæque in eo præcipue conſiſtit, quod res integra commodius vendatur, quam per partes, cum igitur poſſit tota integra vendi, gravaretur fiſcus, ſi partem tantum venderet, cujus non inveniret facile emptorem, cum quia hic nihil ſe habere arbitraretur, ſi totam rem non emeret, tum quia ad venditionem partis, non ita quis accederet, propter communionem quæ plerumque ſolet excitare diſcordias, *l. 77. §. 20. in fin. ff. de leg. 2.* Amaya *ad h. l. n. 10. & 11.* ubi ex ſententia Valenzuelæ addit, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, & utilitate fiſci, procedere venditionem rei alienæ, *juxta l. 11. ff. de evict.* ac ſi tota ejus eſſet. Item ſive commode dividi poſſit, ſive non poſſit, cum indiſtincte loquatur noſtra lex, quamvis ejus ratio magis procedat eo caſu, quo res communis uſu, & poſſeſſione dividi nequit, *juxta l. 10. ff. quemadmod. ſervit. amitt.* quæ ſententia fuit Martini antiqui gloſſatoris.

Verum quamvis ex tali venditione totum dominium rei, in emptorem tranſeat, ac totum rei 3
venditæ pretium fiſcus recipiat, non tamen niſi partem ſuam, in ſuum redigit patrimonium, reliquum ſocio, ſeu domino partis reſtituit, *l. un. h. t.* Quomodo hæc venditio, præmiſſa ſolemnitate fieri debet, de qua in *l. 1. ſup. tit.* itemque præſente pecunia, quia non cogitur ſocius fidem habere de pretio, quod utique integrum à fiſco ſine labore accipiet, in quo & commodum aliquod ſentit; quin & in eo, quod ſi velit ipſe rem emere, tantumdem offerendo, aliis præferatur, *arg. l. 8. ff. de in diem addict. & l. 2. ff. de priv. cred.* Baldus *in l. 2. de com. rer. alien.*

Hinc ſi à fiſco vendatur juriſdictio patrimonij 4
Principis, vel jus aliquod cui annexa eſt juriſdictio, vaſalli præferentur oblato pretio, quod alius privatus offert, quia non debent inviti alienari à ſuo domino, & ſeparari à juriſdictione diutino uſu ſibi quæſita, & cui magis ſunt conjuncti, ut merito etiam ad retractum juriſdictionis admitti debeant, & præferri aliis emptoribus, propter communionem quam in iſta re quaſi habere videntur, *arg. l. un h. t. & d. l. 2.* Larrea *alleg. 45.* Joſ. de Seſſe *in deciſ. Arag. 36.* Vaſquez *illuſtr. contr. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 80.* qui ſic limitant regulam, quod Princeps teneatur ex contractu, niſi fiat in præjudicium ſubditorum. *Felinus c. 1. num. 4. de probat. & c. dilecti de major. & obed.*

Præterea frequens hodie, ubi indicta eſt mul- 5
cta, vel pœna pecuniaria, eaque dividenda venit inter fiſcum & denuntiatorem, quod fiſcus ſoleat totam mulctam exigere, poſtea vero reddat denuntiatori ſuas partes, *arg. l. 15. §. 3. ff. de jure fiſci.* Facilior eſt enim fiſco mulctæ exactio, & accuſatori utilis, propterea quod ſine moleſtia partem ſuam conſequatur, prout hic ſocius. * Sed 6
quid ſi ſocius partis ſuæ pretium non recipiat? Actione negotiorum adverſus fiſcum experietur, *l. 3. Cod. de rei vend.* ubi ſi mater invita filia rem vendidit, poterit venditionem ratam habere, & adverſus venditricem actione negotiorum geſtorum agere, *l. 19. Cod. de negot. geſt. l. 9. ff. eod.* Cujac. *lib. 26. obſerv. 36.*

Porro licet fiſcus poſſit rem ſibi & privato com- 7
munem vendere, non puto tamen quod poſſit eam obligare, quoniam *d. l. un.* tantum loquitur de venditione, idque ex privilegio, quod in ſocij injuriam non debet extendi ad pignus in quo præterea non militat eadem ratio, quæ in venditione, ut res pluris vendatur, quando tota venditur, & non pro parte, & datio pretij, quæ facienda eſt ſocio in cauſa.

Digitized by Google

cauſa pignorationis, non procedit, quia emptionis verbo, veniunt tantum ea, quæ pretio acquiruntur: unde nihil ſocius conſequeretur niſi damnum, coactus ſtare dationi pignoris, cujus ratione poſſet poſtea propria re privari, ſi debitor non ſolveret, & ſic privilegium fiſci ſocio fieret damnoſum contra mentem legis, Amaya *ad d. l. un.*

8 Habet itaque privilegium fiſcus, ut poſſit vendere rem cum ſocio communem, ſed non eam ad longum tempus locare, vel in emphyteuſim concedere, cùm avocari & auferri res poſſit, ſi penſio non ſolvatur. Caſtillo *lib. 3. cont. cap. 6.* multo minus poterit rem alteri jam obligatam pignori ſubjicere, aut jus communis hypothecæ remittere, quoniam ſocij aut creditoris jus læderet. Late Amaya *ad h. l. n. 34. & ſeqq.* Et ante eum Peregrinus *de jure fiſci lib. 6. cap. 4. num. 23.*

9 Quod ſi tamen in rebus fiſco vindicatis, ſint res aliquæ alij ante obligatæ, non ob id impeditur fiſcus vendere, quia etſi aliis ſint pignoratæ, venduntur cum ſua cauſa, id eſt, ſalvo jure pignoris. Itaque ut facilius fiſcus inveniat emptorem, permittitur ei res obligatas vendere, ea lege, ut prius creditoribus præcedentibus ſatisfiat ex pretio, & ſuperfluum fiſco inferatur, aut ſi nihil ſuperſit, ſed tantum debeatur creditoribus quantum eſt in pretio, totum id fiſcus illis exſolvet; ſimiliter ſi totum pretium accepit cum onere ſolvendi creditoribus, eis plene ſatisfacere cogitur, *l. 22. §. 1. ff. de jure fiſci.* Etiam non expectata ſententia, maxime ubi fiſco conſtat de debito, *l. 9. Cod. de bonis proſcrip.* ibi *ſtatim*, quæ vox denotat ſummariam cognitionem.

10 Poſtremo quæritur, ſi fiſcus velit defendere emptorem, ab actione contra ipſum in judicium deducta, an poterit cauſam ab eo judice eximere, & ad ſuum avocare? Affirmant textus, qui dicunt cauſam fiſcalem ſpectare ad procuratorem fiſci, ſeu ad rationalem, hoc eſt, judicem fiſci, *l. 5. C. ubi cauſæ fiſc. l. 3. C. de jure fiſci.* Sed verius hos textus procedere, quando fiſcus principaliter agit, quia impugnatur ejus venditio de nullitate, quo caſu cum factum fiſci arguatur, ex quo fructus debeant reſtitui, tunc temporis res debet expediri apud judicem fiſcalem, *l. 1. tit. ſup. & d. l. 5. Cod. ubi cauſa fiſcal.* Sic in *d. l. 3. C. de jure fiſci.* Qui repetebat rem venditam per officiales fiſci, allegabat venditionem fuiſſe nullam, utpote minori pretio factam, per dolum emptoris, vel per gratiam officialium, ideo meritò de hac nullitate contractus, per fiſcum agitur coram procuratore fiſci, & quoties vertitur fiſci intereſſe. At in aliis cauſis fiſcus emptorem defendens & ei aſſiſtens, cenſetur privatus, nec poteſt mutare forum, *l. un. h. t.* ibi cum emptor qui à fiſco rem cum privato communem emit, reconvenitur, & apud ſuum judicem judicium peragitur. Suffragatur *l. 49. ff. de judiciis.* ubi qui ad alium defendendum evocatur, privilegio fori ex capite ſuo ſe juvare non poteſt, ſed ibi defendet, ubi cauſa agitur. Igitur fiſcus allegare non poterit privilegium ſuum cum emptorem venit defenſurus, nec ipſe conventus qui cauſam à fiſco habuit, declinare rectè poteſt forum ſuum, aut allegare fiſcum proprium habere judicem, quia principale judicium cum eò, non cum fiſco verſatur, Bald. *ad l. 3. Cod. de jure fiſci.* Et ibi late Amaya *à num. 28.* Ant. Burgos *ad cap. ult. X. de emp. & vend. num. 10. & ſeqq.* Covar. *pract. qq. cap. 8. n. 3.* Barboſa *ad l. 49. ff. de judiciis num. 151. & ſeqq.* qui omnes ſentiunt fiſcum jure privatorum uti, in caſibus non expreſſis. Atque ideo inſtantiam cœptam cum homine privato, cui fiſcus poſtea ſucceſſit, non tranſire in fiſcum, ita ut fiſcus poſſit mutare forum; ſed debere cauſam proſequi coram judice privati, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Plane clericus qui laico ſucceſſit, vel ad defenſionem denuntiatus, litem ibi peragere debet, ubi cœpta, quia non ipſe convenitur, ſed emptor, ſic ut non videatur clericus contra ſuum privilegium ad tribunal laici trahi. Ant. de Butr. *ad c. quoniam §. quod ſi ſuper X. ut lite non conteſtata.* Covar. *d. loco.* Et nos plura diximus *ſup. de evictiion.* Hodie per conſtitutiones Principum, fiſcus ad inferiora tribunalia defendendi gratia deſcendere non cogitur. Nicol. Burgund. *de evict. cap. 68. num. 5.*

TITULUS V.

Ne fiſcus rem quam vendidit, evincat.

1. *Quid definiat & ſtatuat hic titulus?*
2. *Cur quod una ſtatio fiſci vendidit, alia id retractare nequeat.*
3. *Compenſatio an habeat locum de una ſtatione ad aliam.*
4. *Inter privatos admittitur differentia inter diviſionem rerum pupilli & fiſci, quoad adminiſtrationem.*
5. *Quatenus procedat venditio, ne ab altera ſtatione revocetur.*
6. *Officiales fiſci perperam vendentes invicem experiuntur.*
7. *An poſſit Princeps contractus à ſe geſtos in contrahentium damnum retractare?*
8. *Et auferre ſubditis res proprias ob publicam utilitatem.*
9. *An ceſſante cauſa publica, liceat Principi bona ſubditis auferre?*
10. *An poſſit Princeps alicui dominium auferre, quaſitum jure civili?*
11. *Cauſa ſalutis publica, poteſt Princeps bona ſubditorum auferre, actiones condonare, & damna remittere.*

 12. *Quan-*

12. *Quando præſumatur uti voluiſſe plenitudine ſuæ poteſtatis.*
13. *An obligetur princeps ad reparationem damnorum.*
14. *An ſi res alicui auferat, teneatur ei refundere pretium.*

1 IS qui bona fide ab una ſtatione fiſcali, ſive ab uno officiali fiſci, rem emit aliquam, quæ ad aliam ſtationem & officium fiſcale pertinebat, ſi fiſco ejuſve ſtationi vendenti, verum pretium exſolvit, adeo ſecurus eſt, ut non poſſit à præpoſito alteri ſtationi inquietari, nec ei ſuper tali re vendita, controverſia moveri, nec fiſcus ipſe rem evincere, eo prætextu, quod res illa ad ſtationem vendentis non pertinebat *l. 1. h. t.*

2 Ratio redditur *in l. 2. C. eod.* Quia retractare fiſcum quod ſemel vendidit, æquitatis & honeſtatis ratio non patitur. Etenim cum fiſcus unus idemque ſit, in una & altera ſtatione, qui rem diſtraxit & pretium accepit, & idem ſit qui nunc controverſiam movet, & omnes officiales fiſcum uniformiter repræſentent, improbe faceret ſi rem à ſe diſtractam evincere procuraret, contra proprium factum; ut non mirum ſi repellatur, quemadmodum ille qui alienavit, *l. 17. ff. de evict. l. 3. C. de rei vind.* Et perpetua eſt regula, quod quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellat exceptio, *l. 11. 13. & ſeq. C. de evict. l. 21. & 73. in fin. ff. eod.*

3 Non urget in contrarium, quod de una ſtatione in aliam compenſatio in cauſa fiſcali non detur, nec audiatur debitor unius ſtationis, ſi ab alia ſtatione debitum ſibi compenſare cupiat. *l. 1. C. de compenſat.* Quia cum officia fiſcalia inter ſe diſtincta ſint, ut quia apud hæc vectigalia exiguntur, apud alia tributa, vel pœnæ fiſcales, ideo non debent inter ſe confundi, & intricari rationes diverſarum ſtationum. Accurſius & Platea *ad l. 1. h. t.* Vitandæ hujus confuſionis duas cauſas adfert Donellus *ad d. l. 1. C. de compenſ.* I. Quia hæc confuſio non ſolum nocet ſtationibus & officiariis, ſed etiam eſt contra adminiſtrationem ipſam. Nam ſi ſtatio hujus loci cogeretur admittere compenſationem eorum quæ alij ſtationi debentur; cogetur inquirere quomodo altera ſtatio ageret, & inſpicere an bene vel male rem gereret vel adminiſtraret; ac ita oneraretur hæc ſtatio ultra quam adminiſtrationi propoſita eſt. II. Quia ex hac confuſione maximum crearetur fiſco præjudicium, nam cum altera ſtatio ignoret in quantum debitor ſuus alterius ſtationis creditor eſt, implicarentur officia variis cognitionibus, & eveniret aliquando, ut compenſato jam debito cum ſtatione cui debebat, iterum debitum petat ab altera cui erat debitor. Quod quia ferendum non eſt, ideo Senatus cenſuit, & Princeps ſæpe reſcripſit compenſationi in cauſa fiſcali ita demum locum eſſe, ſi eadem ſtatio quid debeat, quæ petit; id eſt, modo fiat compenſatio in debito & credito ejuſdem ſtationis, *d. l. 1. C. de compenſat.*

At vero inter privatos, compenſatio & confuſio officiorum admittitur, *l. 36. ff. de admin. tut.* Quia non tanti intereſt privatorum adminiſtrationes, quam fiſcales ſtationes confundi. Neque enim debet diviſio facta in commodum tutorum (ut levius ſit onus adminiſtrationis) detorqueri in præjudicium eorum, qui cum pupillis agere volunt; proinde ſi diviſa ſit tutela, debebit qui res Italicas adminiſtrat, admittere compenſationem ejus quod ratione rerum provincialium à pupillo debetur. Etenim quamvis tutela ſit diviſa, unum tamen tantum eſt patrimonium, diviſum quidem officio magiſtratus, non jure. Jure ipſo ſinguli ſunt tutores in ſolidum, & ideo non poteſt diviſio iſta adminiſtrationis, impedire compenſationem quæ fit ipſo jure. Contra autem eſt in fiſci ſtationibus, in quibus à jure, non à juriſdictione, fit diviſio illa adminiſtrationis, & ſic ne confundantur officia (uti dictum) compenſatio non admittitur. Donel. *d. loco & lib. 16. com. c. 15.* Cujac. *lib. 3. qq.* Papin. *in l. cum militi de compenſ.* Amaya & Garſia Tolet. *ad h. tit.* 4

Cæterum quod dicitur non poſſe fiſcum, aut ejus ſtationarium venditionem retractare, nec rem venditam emptori evincere, procedit modò ſervatis ſolemnitatibus, & bona fide facta fuerit addictio, & fiſcus pretium rei venditæ ſemel acceperit: nam non poteſt vendere habita fide de pretio, cum vendat ex cauſa neceſſaria, ut ſibi & creditoribus ſatisfaciat, *l. 5. in fin. ff. de jur. fiſc.* Aliter facta venditio nulla erit, & poterit fiſcus venire contra factum ſui officialis. 5

Quod ſi autem venditio non ſit facta ex uſu fiſci, officiales ipſi tam unius quam alterius ſtationis, qui perperam vendiderunt, invicem experiri poterunt, non inquietato emptore, actione, non quæ competit fiſco, ſed quæ datur adminiſtratori, & hæc erit actio negotiorum geſtorum in ſubſidium, *l. 1. ff. de reb. alien. non. al.* Accurſius hic. 6

Dubitatur de ipſo Principe, num poſſit rem quam ejus fiſcus vendidit, revocare? Quod plerique juris interpretes affirmant, eo quod legibus ſit ſolutus, *l. 31. ff. de legib.* & prædiorum venditionem à privatis factam poſſit infringere, & pro arbitrio veteranis militibus in præmium prædia iſta aſſignare, *juxta l. 11. ff. de evict.* Contra tamen facit quod hic reſcribit Alexander Imp. graviſſimum eſſe, & verecundũ in emptoris damnum revocare, ea quæ ſemel placuerunt, firmamque venditionem retractare: & certe ſi æquitatis honeſtatisque ratio id non patitur in privato, *l. 1. & 2. h. t.* multo minus in Principe, cujus dignitati nihil magis conveniens quam pacta ſervare; licet enim ſolutus ſit Princeps legibus civilibus, non tamen legibus conventionum & contra- 7

ctuum

Digitized by Google

ctuum, qui ſunt ex jure gentium. Quo fit ut contractibus à ſe, aut fiſco ſuo rite initis efficaciter obligetur, alias nemo cum eo contrahere vellet. Bart. & Bald. *ad l. 4. Cod. de legib.* Late Larrea *alleg. fiſci 3.*

8 Non obſtat quod idem Alexander prædiorum venditionem à privatis initam revocarit, & prædia militibus conceſſerit, *d. l. 11.* quoniam in uſu erat prædia bello acquiſita, aut in limine imperij ſita, limitaneis militibus aſſignare, non dominij, ſed poſſeſſionis tantum temporariæ jure fruenda, quo ardentius ea loca defenderent ab incurſu hoſtium, ut indicat *l. 3. C. de fund. limitroph.* Quæ cauſa cum publica ſit, & reipublicæ utilis, mirum videri non debet, ſi ea prædia limitrophia Princeps privatis adimat, & militibus concedat, cum hi melius quam illi ea defendere poſſint. Non enim dubium eſt quin ex cauſa publicæ utilitatis auferre poſſit ſubditis res proprias, ut tradit Andr. Fachin. *lib. 8. contr. c. 63.* & alij relati ab Amaya *lib. 1. obſ. c. 1.*

9 Quin amplius aſſerunt de plenitudine poteſtatis, poſſe Principem ſubditis bona & facultates auferre, quandoquidem illius auctoritate illa bona ſint diſtributa ſingulis, & conſervata. Hinc Juſtinianus omnia bona ſua eſſe dicit, *in l. bene à Zenone Cod. de quadrien. praſc.* Et Antoninus ſe totius mundi dominum *in l. 9. ff. ad l. Rhod. de jactu.* De cujus proinde voluntate & judicio diſputare, ſacrilegij inſtar eſt. *l. 3. C. de crim. ſacril.* At ego cum illis ſentio, qui cenſent Principem non poſſe privatis, & ſubditis ſine cauſa res, & facultates auferre. Nam eſt quidem Princeps mundi, id eſt, imperij Romani dominus, & legibus ſolutus, *l. 31. ff. de legib.* Ita ut non teneatur ſubditis reſpondere, aut rationem reddere ſuorum factorum, non tamen poteſt illis res quæſitas auferre: excederet enim Princeps eas auferendo, terminos juſtitiæ, & peccaret contra ordinationem Dei, qua jubetur facere juſtitiam & judicium; & Principis nomine ſe indignum redderet. Vaſquez *illuſtri contr. lib. 1. c. 5. n. 9.* Nec adverſantur verba *d. l. 9.* Quia intelligenda ſunt, ut Princeps dominus dicatur quoad juriſdictionem, & protectionem, quam habet in res univerſas, non vero quoad dominium rerum privatarum, ut eleganter notavit Seneca *l. 7. de benefic. c. 4. Ad reges poteſtas omnium pertinet; ad ſingulos proprietas.*

10 Ergo cum ad ſingulos pertineat dominium, non poterit Princeps etiam quod jure civili quæſitum eſt adimere, nam quamvis ſit ſupra jus civile, ipſum tamen dominium ex jure gentium procedit, ab eoque jure omnia dominia originem ducunt, quocumque titulo aut ratione quæſita. Pinell. *p. 1. rub. n. ſ. de reſc. vend.* Molina *de Hiſp. primog. lib. 2. c. 7. n. 28. & lib. 4. cap. 3. num. 9. & ſeqq.* Proinde quod teſtamento alicui quæſitum eſt, auferre, vel vaſallum feudo privare, abſque legitima cauſa, Princeps non poteſt, neque derogare juri filiorum in bonis majoratus competenti, neque impedire, quo minus filij legitimam habeant, mortuo patre, aut ejus hæreditatem per aditionem quæſitam retineant, maxime ſi poſſeſſionis apprehenſio aditionem fuerit ſubſecuta; licet enim legitimæ quantitas, & hæreditatis aditio, & teſtamenti obſervatio, ex jure civili procedant; non eſt credendum tamen Principem, qui jura tuetur, obſervationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam velle invertere *l. 35. in pr. de inoff. teſtam.* Aut dominium juri naturali alteri quæſitũ, tollere, & quod noſtrum eſt, alteri dare, niſi legitima cauſa moveatur. Ant. Gabriel *lib. comm. concl. tit. de jure quaſ. non toll. conc. 3.* Et citati à Larrea *alleg. 115. n. 14.*

Eſt autem cauſa juſta, quæ cum utilitate publica eſt conjuncta, quæ ſi non appareat, conveniens 11 erit illam exprimere, quamvis ſemper cauſa juſta in bono Principe præſumatur. Hæc interdum efficit ut Princeps de plenitudine poteſtatis quid conſtituat, ut actus potius valeat, quam pereat. Hæc itidem Principem impellit bona ſubditorum etiam non conſentientium alienare, eorum actiones cedere, damna belli tempore illata remittere, ad obtinendam pacem, atque ut ea omnes ſubjecti fruantur, id facere dicitur Princeps de plenitudine poteſtatis, quam habet procurandi totius populi quietem. Nec repugnat id legi naturali dictanti, unicuique ſuum ſervetur, nemini ſuum auferatur, quoniam lex alia ſuperior jubet, ut tranquillitas publica procuretur, ut dixit Cicero, *l. 3. de legib. Salus populi ſuprema lex.* Juſta quidem lex quæ jubet quemquam res ſuas retinere, ſed juſtior ac potentior illa, quæ res quibuſdam adimi permittit, ut in pace vivatur. *DD. in l. 5. ff. de pact.* Etenim ubi adeſt juſta cauſa, tunc non tam legis tranſgreſſio, quam interpretatio fieri videtur, quam facere non tantum poteſt, ſed etiam debet magiſtratus.

Princeps vero urgente neceſſitate publica, multa 12 de plenitudine poteſtatis conſtituit, quæ licet prima fronte dura eſſe appareant, ea tamen ſi penitius conſiderentur, reperientur æquiſſima. Ut cum remittit damna tempore belli illata, pro obtinenda pace (ut jam dixi:) Item cum jubet ſuburbia civitatis, aut domum vicini dirui, ne hoſtes eo ſe recipiant, magno cum civitatis periculo: Item fundum urbi vicinum occupari, ad dilatandas foſſas, aut pomeria civitatis, aut extruenda muniendave propugnacula, *l. 9. & 14. C. de oper. publ.* Peckius *ad c. nemo 79. n. 3. de reg. jur. n. 6.* Qui actus non poſſunt ſine abſoluta poteſtate explicari, & ideo ab eodem fieri præſumuntur, ut docet Gail. *l. 2. obſer. c. 56. num. 17. & ſeq.* Vaſquez *illuſtr. c. 5.* * Unde hiſce caſibus, ad 13 compenſationem damni, aut ad ſolutionem pretij, non obligatur Princeps, quia licet abſoluta ſua poteſtate utatur, ſubeſt tamen cauſa potentior, publica videlicet utilitas, quæ iſta fieri præcipit, & communia omnia facit, etiam invitis ſubditis. Æquitas

tamen quæ publicam cauſam ſequitur, ſuadet ut iiſdem ex publico refundatur æſtimatio, ne inviti & miſeri, re ſua & pretio careant. Covar. *var. reſ. l. 3. c. 14. n.* 8. Ubi addit ab eadem poteſtate poſſe cogi vicinum, fundum ſuum vendere amplificandi templi cauſa, quia ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, alio tamen fundo commodo aſſignato, vel juſto pretio dato, *l.* 14. §. 1. *quemadmod. ſervit. amit.* Ubi cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet, ſed ſolvitur ei juſtum pretium. Ita Gomez *tom.* 2. *var. c.* 2. *num.* 51. Et Valaſcus, *conſ.* 22. amplius addit conſuetudine induci non poſſe, ut ſine refuſione juſti pretij, res ſua alicui auferatur, vel vendere eam cogatur, quia naturali & gentium juri repugnaret. Plura ad uſum, & in confirmationem eorum quæ dixi, adfert. Ant. Mornatius *ad l. invitum* 11. *C. de contr. empt.*

TITULUS VI.

De his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.

1. *Civitas & ejus adminiſtratores quatenus ex mutuo accepto obligentur.*
2. *Poſſunt aliis pecuniam fœnori dare, ſed eam ex publicis rationibus accipere vetitum ſub pœna.*
3. *An puniantur officiales pecuniam dantes, & qua pœna?*
4. *Item officiales qui mutuo auream pecuniam dederunt inſcio Principe ejuſque fiſco.*
5. *Qua pœna jure & moribus puniatur qui publicam pecuniam ſurripit.*

1 Tertius contractus de quo hic, *eſt mutuum*, cujus datione civitas obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt, alioquin ipſi ſoli adminiſtratores, qui civitatis nomine pecuniam mutuam acceperunt, non civitas, tenebuntur, *l.* 27. *ff. de reb. cred.* Quod ita receptum eſt, ne civitas adminiſtratorum culpa damnum ſentiat, & ut illi vigilantiores reddantur, qui civitatis nomine pecuniam accipiunt. Itaque *d. l.* 27. locum habet in adminiſtratoribus civitatis, abſque mandato, aut inſufficienti mutuum accipientibus. Nam ſi, ut inquit Bart. adminiſtratores de mandato civitatis, aut ipſum concilium, quod totam civitatem repræſentat, mutuam pecuniam accipiant, civitas obligatur hoc mutuum reſtituere, ſive ea pecunia in utilitatem civitatis ſit verſa, ſive non: utitur enim civitas jure privatorum, *l.* 16. *in fin. ff. de verb. ſignif.* Qui ut adſtringuntur ſuis debitis, ita civitas ſuis contractibus, quovis tempore initis, nam perſonis omnibus mutatis, ſemper una eademque manet, *l.* 7. §. 2. *ff. quod cujuſque univerſ.*

Porro ut accipere, ita & pro utilitate civitatis ejus pecuniam adminiſtratores credere poſſunt, *l.* 15. *ff. ad S. C. Maced.* Itemque publicam pecuniam fœnerare ſub uſuris ſolitis, *l.* 11. *ff. de uſur.* At vero ex arca præfectoria in quam pecunia jam exacta reponitur vel ex theſauro Principis pecuniã fœnebrem ſumere vetitum eſt, quomodo ſi quis ab exactoribus, tabulariis, & Arcariis publicarum rationum, mutuam pecuniam acceperit, inconſulto Principe, vel à quolibet eorum, quadrupli pœna damnatur ubi detectus fuerit, *l.* 1. *h. t.* Quoniam pecuniæ iſtæ ad alias neceſſitates, quam ad quas deſtinatæ, non ſunt impendendæ. 2

Et licet pœna videatur impoſita ſolis mutuum accipientibus, eadem multo magis mulctantur officiales pecuniam fœnori dantes, ſeque contractibus fiſco pernicioſis miſcentes, *juxta l.* 8. *ſup. de jur. fiſci*, ubi Cujacius. Pœna quippe illa eſt fere omnibus iis indicta, qui fraudem fiſco faciunt, *l.* 46. §. *fin. ff. de jure fiſci.* Triplum autem pœna tantum, & ſimplum res eſt, ex ſententia Bartoli *ad d. l.* 1. Quando agitur de pecunia jam exacta, & illata in ærarium Principis, quia ſi ejus nondum ſit effecta, pœna tantum erit in duplum, in officiales qui pecuniam publicam mutuam dederint, aut in proprios uſus converterint, *l.* 7. *ſup. de jur. fiſc.* Quam pœnam non evitant, licet fidejuſſores dederint, vel cautionem de mutuo reddendo. Joan. de Platea *ad d. l.* 1. *hoc tit.* 3

At ſcire debent omnes, accipiendi mutuo ex largitionibus ſacris non patere cuiquã facultatem; ideo ſi quis occulte pecuniam auream acceperit, aut ſponſionis, aut cautionis fide, ſine ejuſdem Principis auctoritate, ablatis bonis omnibus, perpetuæ deportationis exilio ſubditur; is autem qui ex memoratis theſauris ſpecie publici creditoris, aurum cuiquam dederit, vel retinuerit ad proprios uſus, capitali ſententiæ ſubjugatur, *l.* 2. *hoc tit.* Quæ lex ſcripta eſt ad Comitem theſaurorum, qui conſervare, non uſurpare theſauros Principis debet. Gravius enim delinquit officialis, qui mutuans aliquam pecuniam fiſci, aſſerit ſe mandatum ad hoc habere; aut ſub ſpecie quod fiſci ſit creditor, audet aurum mutuo dare, quod cæteris metallis eſt pretioſius, & cujus mundities & uſus Principibus placet. 4

Hinc eſt quod gravius puniatur qui furtum committit rei pretioſæ, quam parvæ, modicique valoris, *l.* 16. §. 7. & *l.* 11. §. 1. *ff. de pœnis.* Item qui pecuniam publicam aut fiſcalem ſurripit ſimulans ſe fiſci creditorem, lege Julia peculatus tenetur *l.* 1. & *l.* 9. §. 3. *ff. ad. l. Jul. pecul.* Quinimo Papo teſtatur pœna capitali ultimi ſupplicij aliquando animadverſum fuiſſe in Quæſtorem, qui pecuniam publicam intervertiſſe accuſabatur, interdum exilio, cum pœna confiſcationis bonorum, *lib.* 22. *arreſt. Tit.* 2. *art.* 1. Joan. de Scobar *tract. de ratiociniis c.* 14. 5

Digitized by Google

c.14.n.31. Et certe non poſſet eſſe ſatis gravis pœna in eos qui exiſtentes in officio publico, undique corradunt pecunias, ex lachrimis provincialium, in utilitatem publicam expendendas, quas interim illi in ſuos uſus convertunt, aut mutuas dant, ut illarum uſurâ brevi tempore diteſcant. Ut hodie contra peculatus reos agatur, docet in ſua politica Bobadilla *l.5.c.4. num. 86.* & Pet. Surdus *conſ. 391. n. 14. & ſeq.*

TITULUS VII.

Pœnis fiſcalibus creditores præferri.

1. *Pœna & mulcta fiſcales quæ ſint? Rationales an habuerint jus mulctandi?*
2. *Exponitur conſtitutio* h.t. *quæ vult ut præferantur creditores ipſi fiſco in pœnis.*
3. *Ratio iſtius conſtitutionis eſt quod fiſcus agat de lucro captando, creditores de damno vitando.*
4. *Adverſus quos creditores fiſcus habeat privilegium,*
5. *An in pœnalibus habeat fiſcus jus tacitæ hypothecæ?*
6. *Agitur de intellectu* l. 48. §. Cornelio fœlici ff. de jure fiſci; *quâ fiſcus fruitur bonis fideicommiſſo relictis antequam dies fideicommiſſi venerit.*
7. *An præferatur denuntiatori, Judici & alijs quibus pars competit in pœna, quam integram ſolvere nequit condemnatus?*
8. *Pars pœnæ cui ex duobus fiſci patronis competat; an ei, qui litem movit, an qui eam perfecit?*

1 ALtera cauſa eſt *crimen*, ob quod vel bona confiſcantur, vel mulcta fiſco defertur, *l.5.sup.de modo mulct.* Quæ hic pœna fiſcalis dicitur, alia certa & à jure determinata, quæque illis imponitur, qui delictum perpetrarunt in duplum vel quadruplum, *l.1. & 2. ſup. tit. 1.* Alia incerta pendens ex arbitrio judicis, & mulcta magis eſt, quæ pecuniæ, non famæ damnum irrogat, & imponitur inſpecta cauſæ & perſonarum delinquentium qualitate, *l.2. & tot. tit. ſup. de modo mulct.* Ex quo conſtat procuratores fiſci vel rationales non habere jus mulctandi, licet habuerint juriſdictionem, quia id ſolum conceſſum fuerat Magiſtratibus, qui præerant juri dicundo: illorum tamen juriſdictionis fructus, ſunt iſtæ pœnæ fiſcales, per quas augetur Principis ærarium. Bart. *in l.fin. C. de fructib. & litium expenſ.* Capitius *deciſ. 27. num. 15.*

2 His præmiſſis exponenda modo eſt æquiſſima hujus tit. Conſtitutio Alexandri Imp. in qua vult ſi aliquis fuerit à Judice condemnatus in certam pœnam fiſco applicandam, quam deinde ipſe fiſcus vindicare intendit, & adſint condemnati creditores adverſus eum actiones ſuas moventes, ut illi fiſco præferantur; nam habet quidem fiſcus in actionibus perſonalibus, & rei perſecutoriis prælationem, non item in pœnis, *in illarum enim exactione rem ſuam perſequentibus poſtponitur*, inquit, *l.un. hoc.t.* Sic ſi is qui delinquit mutuam pecuniam accepit ex publicis rationibus, & damnatus eſt in pœnam quadrupli (ut dictum *ſup.tit.*) licet hæc pœna à jure ſit impoſita, eamque fiſcus exigat, præferendi ſunt creditores in triplo ejus quadrupli, non autem in toto quadruplo, cui ſimplum ineſt, namque in hujus ſimpli perſecutione, fiſcus uti creditor, potior eſt, *d.l.un.in fin.* *Ratio autem cur in pœnalibus actionibus non ſit potior, ſed cedere debeat anterioribus creditoribus, hæc eſt, quod quando fiſcus agit ad pœnæ perſecutionem ratione delicti, certet de lucro captando, reliqui vero creditores de damno vitando, & perſequantur quod ſibi ex contractu, ſuaque præventione debetur; quorum proinde cauſa ſemper viſa eſt favorabilior, durior vero petitoris, *l.33. ff. de reg. jur.* Facit in eam rem *l.fin. §. licentia C. de jur. deliber. & l. fin. §. ſi quis vero C. de codicill.* ibi *non enim par eademque ratio videtur amittere debita, & lucra non captare.* Quibus accedit quod fiſcus in pœnis, loco debitoris ſuccedere videatur, quare non plus juris vel bonorum habet, quam is in cujus locum ſuccedit, *l.48.§.1.ff.de jur.fiſci.* Huc quoque pertinet, quod à Jaboleno reſponſum eſt, non poſſe ulla bona publicata ad fiſcum pertinere, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt: id enim bonorum cujuſque eſſe intelligit, quod æri alieno ſupereſt, *l.11. & l.12. ff. eod.* Ubi ſtatutum prius creditoribus præcedentibus ſatisfieri debere, & quod reſiduum eſt fiſco cedere. 3

4 Habet quidem fiſcus in hoc privilegium, quod rem ſibi aliiſque creditoribus obligatam poſſit vendere, ſed tamen debet antiquioribus creditoribus hypothecariis ſolvere, & quod ſupereſt ſibi retinere, *l.un. ſup. de vend. rer. com.* Similiter hic licet fiſcus contra ipſum delinquentem poſſet uti ſuo privilegio, illud tamen ceſſat in pœnis contra creditores antiquiores. Idque affirmant jura allegata, & quod Papiniano placuit; à fiſco non eſſe exigendam pœnam niſi creditores rem ſibi debitam recuperaverint, ita ut privilegium in pœnali actione, fiſcus contra antiquiores creditores non exerceat, non tamen jus commune privatorum amittat, *l. 37. ff. de jure fiſci.* Quod ita ibi Cujacius, & hic Amaya interpretantur, ut ſi debitum pœnale fiſco competens, ſit antiquius credito, non auferatur fiſco jus commune, quamvis certet de lucro, ſed præferatur poſterioribus creditoribus, ſicut quilibet privatus agendo præfertur ex cauſa antiquiori.

5 Cæterum etſi fiſcus tacitam habet hypothecam in omnibus bonis ſui debitoris, *l.46. §.3. ff. d. t. l.2. C. in quibus cauſis pign. l. 2. & 3. C. de privil. fiſci.* eam tamen non habet contra creditores pro pœnarum

narum perſecutione *l.* 10. *ff. de pact.* & ratio eſt, quia publicatio bonorum ita accipitur, ut æs alienum deducatur, pront dicitur *in d.l.* 11. *& l.* 72. *ff. de jur. dot.* Atque ita fiſcus minime poterit creditoribus
6 anteponi. * Non obſtat *d.* §. 3. Quod fiſcus ſemper habeat jus pignoris, quia eo jure, nec ſuo privilegio utitur in pœnis contra creditores. Platea *ad l. un. in fin.* inſinuat non obſtare quod dicitur *in l* 48. §. *Cornelio fœlici ff. de jur. fiſci.* Ubi mater hæres inſtituta, & rogata poſt mortem ſuam hæreditatem reſtituere Cornelio filio, ea autem propter delictum condemnata, & à fiſco bonis occupatis, cum diceret Cornelius, ſe in ea hæreditate potiorem eſſe debere, quoniam bona pœnæ cauſa publicata fuerant, & conſtet pœnæ fiſcalis executionem creditoribus poſtponi; decretum nihilominus fiſcum, excluſo Cornelio eſſe potiorem, & recte. Nam pendente conditione fideicommiſſi Cornelius non fuit creditor, *l.* 42. *ff. de obligat.* Nec per conſequens litigare, aut cum fiſco concurrere potuit. Accedit quod mater non fuerit civiliter mortua, quia non fuit deportata, ut non mirum ſi fiſcus præferatur: fuerat quidem illa gravata poſt mortem reſtituere, ſed per ſolam confiſcationem bonorum non intelligitur dies fideicommiſſi veniſſe (dies quippe mortis incertus, facit conditionem, *l.* 1. §. *dies & l.* 75. *ff. de cond & demonſt.*) Fruſtra ergo antequam extiterit conditio, vel dies venerit, filius bona petit, *l.* 10. *ff. ad Trebell.* Et cum poſſit vivente matre è vivis decedere, & fideicommiſſum caducum fieri per conſequens, *l.* 13. *ff. quando dies legat. ced.* Itemque fieri, ut mater res alias acquireret, dum viveret, ex quibus ſumma efficeretur totius fideicommiſſi, & fideicommiſſario ſuperſtiti ſatis fieret, non revocatis bonis quæ fiſco ſunt addicta. Aliud eſſet ſi bona non acquireret mater, nam poſt ejus mortem bona revocabuntur, quæ in fiſcum tranſiverunt, cum ea ſemper tranſeant cum ſua cauſa, ac ita interim (ut dixit Paulus) dum vivit mater. Ita Amaya *hic & lib.* 1. *obſer. c.* 11. Ubi plures auctores refert.

7 Quod ſi delictum ſit tale, ob cujus perpetrationem pœna ipſo jure applicetur fiſco, & ad eam concurrant denuntiator, Judex, aliique miniſtri juſtitiæ, quibus ratione officij, jus competit iſtius pœnæ, fiſcus præferetur, nec prius quam illi plene ſatisfactum ſit, reliqui agere poſſunt. Hinc ſi concurrat denuntiator & fiſcus, reo condemnato in mulctam 200. aureorum, qui tamen in bonis non habet ultra 100. totam hanc ſummam fiſcus auferet, quia ante ejus exactionem, nullum jus aliis competere videtur, *l.* 29. *ff. de jur. fiſci.* Ibi Bartol. Bobadil. *lib.* 5. *polit. c.* 6. *n.* 5. 7. & 8. Contrarium tamen fuiſſe judicatum in curia Pariſienſi meminit Joan. Gallus *q.* 130. Et Covar. *lib.* 1. *var. reſol. c.* 16. *n.* 8. Ita quidem ut ſatisfeciſſe videatur condemnatus partem dimidiam offerendo, quodque in ea parte non præferatur fiſcus privato, ſed uterque cum creditor ex eodem facto ſit, concurrat ad partem æqualiter dividendam; quoniam hic ceſſat cauſa prælationis, quæ tunc demum conſideratur, cum ex diverſis factis duo creditores apparent. Ita poſt citatos Peregrinus *de jur. fiſci lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. Sed probabilior eſt prior ſententia, & plures habet aſſertores, quos refert Larrea *alleg. fiſc.* 37. *n.* 22. *& deciſ. Granat.* 27. *n.* 9.

8 Sed quæſitum fuit, an ſi duo advocati fiſci concurrant, quorum unus accuſationem inſtituit, adverſus adminiſtratorem pecuniæ publicæ, & alter in officio fiſcali ſucceſſor, litem proſequi curavit, ac ſententiam proferri & exequi, cuinam pars pœnæ competat, priorine qui litem promovit, an ejus ſucceſſori? Atque huic competere verior eſt opinio, quia non cenſetur debita pœna, niſi à die condemnationis, *l.* 244. *ff. de verb. ſign.* Ante enim neque bona delinquentis cenſentur fiſco obligata, neque actio orta ad pœnam. Bartol. *in l. poſt. contract. ff. de donat. n.* 16. *& in l. in fraudem ff. de jur. fiſci.* Igitur cum pœna non debeatur à tempore commiſſi delicti, ſed demum ſubſecuta condemnatione & exactione, non poteſt priori fiſco litem inſtituenti, jus aliquod competere, ſed ſecundo, qui cauſam perfecit, & in ea habebat juriſdictionem, ut proinde ei pœna ſit applicanda, ex ultima condemnatione, nam iſta pœna tanquam fructus juriſdictionis conſideratur, & attenditur tempus perceptionis, quando ultima nimirum ſententia profertur, & executioni mandatur. Late d. loco Larrea. Et molina *De Hiſpan. primog. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 19. *& ſeqq.* Ubi dicit hanc opinionem eſſe veram, ac ſolum limitari in caſu, quo pœna incurritur ipſo jure, ut tunc ea cedat priori fiſco, cujus tempore accuſatio inſtituta fuit.

TITULUS VIII.

De fiſcalibus uſuris.

1. *Uſura pœna inflicta ex delicto, exigi non poteſt, mulcta poteſt.*
2. *Qui poſſint aut non poſſint mulctam dicere.*
3. *Cur ex nudo pacto, citra ſtipulationem uſuræ fiſco debeantur ex contractu.*
4. *Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat, ſed accipit.*
5. *Fiſcus ſuccedens privato qui obſtrictus erat ad evictionem, eo nomine inſtar privati tenetur etiam ad litis expenſas.*
6. *Quando ex pacto pro uſuris poterit obligatum pignus retineri?*
7. *An creditor pignus in uſuras, vel in pœnam retinere poſſit.*
8. *Fiſcus uſuras majores ſemiſſibus ſtipulari non poteſt, nec ab alio cui ſucceſſit ſtipulatas exigere.*
9. *Obiter hic de modo uſurarum à jure præſcripto.*

1. Quo;

Digitized by Google

1 QUoniam de contractibus, & pœnis dictum ſupra, ſubjicit Imp. de uſuris, quas fiſco & contractu deberi aſſerit, non item ex delictis & pœnis, *l. 1. h. t.* quia iniquum eſſet pœna non ſoluta à debitore fiſci, exigere pœnarum pœnas. Igitur pœnarum uſuræ peti nec deberi poſſunt, *l. ult. ff. de magiſtr. conv.* ſicut nec uſuræ uſurarum, quid enim aliud uſura quam pœna, quæ propter moram non ſolventis, infligitur, *l. 17. §. 3. ff. de uſur.* At verò mulctæ nomine, à poteſtate habente, indictæ uſuræ deberi poſſunt, videlicet ſi intra tempora judi-
2 cati non ſolvantur. * Habet autem mulctandi poteſtatem Conſul, Prætor, & omnis Magiſtratus, cui adjudicatio data eſt, *l. 131. ff. De verb. ſignif.* aut cui hoc ſpecialiter permiſſum, uti Præſidibus, *l. 2. §. fin. ff. de judiciis.* Quo fit ut Magiſtratus municipales, & Procurator Cæſaris etiamſi juriſdictionem habeant, non tamen habent jus mulctæ indicendæ, *l. 2. ſup. de modo mulct.* licet poſſint pœnam infligere legibus definitam, juxta *l. 1. h. t.* Ubi Antoninus Imp. corrigit errorem proponentis in libello mulctam pro pœna, cum mulctam fiſci Procurator irrogare non poſſit. Cur ita? Quia tantum jus mulctæ dicendæ conceſſum eſt *l. 12. tabul.* Magiſtratibus, qui imperium habent, non aliis; multo minus Magiſtratibus municipalibus, qui propriè Magiſtratus non ſunt. Alciatus ad *d. l. 131. & ibi* Gædeus.

3 Sed videamus quatenus ex contractibus fiſco uſuræ debeantur, & certum eſt non modo citra ſtipulationem, ſed etiam ſine ullo pacto, ſine nudo conſenſu uſuras deberi fiſco, ſicut & civitatibus, maxime ob pecuniam ab eis creditam, *l. 30. ff. de uſur.* Si modo mora à vectigalium conductore, aliòve debitore facta ſit, vel tardius fiſco pecuniam inferat, quam debebat, *l. 17. §. 5. ff. d. t.* Nam licet regulariter uſuræ non debeantur citra vinculum ſtipulationis, *l. 3. Cod. de uſur.* Quia nudum pactum non parit obligationem uſurarum, habet tamen hoc privilegium fiſcus & reſp. præ cæteris, *dict. l. 30. & 43. ff. eod. tit.* Hinc obſervandum quod quoties nudum pactum certa lege vel privilegio aliquo juvatur, ut hic, vel aliqua interveniente negotij cauſa, puta cohærentia contractus alicujus, ex quo firmitatem ſuam conſequitur, toties non videatur nudum pactum interveniſſe; exempla poſui *ſupr. de uſuris.*

4 Verum quamvis ex ſuis contractibus fiſcus uſuras ut ſolet, accipiat, eas tamen non debet pro contractu in quem ſucceſſit privato, licet privatus anteceſſor ſolvere conſueviſſet, habet enim poſtquam ſucceſſit privilegium ſuum: at dum in privati debitoris jus ſuccedit, privati jure utitur, pro anteriori ſuæ ſucceſſionis tempore, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Atque ita intelligendus Ulpian. ad ſolvendum eatenus fiſcum teneri, quatenus privatus poſſedit, hoc eſt, pro eo tempore quo in poſſeſſione privatus fuit, & uſuras debuit, *d. l. 17. §. 5.*

Planè ſi ſucceſſerit privato, qui obſtrictus erat 5
alteri ad evictionem, ut puta, bona Titij publicata ſunt, qui alienam rem, aut alteri obligatam mihi vendiderat, evicta eadem re, regreſſum habeo adverſus fiſcum pro evictione, non ſolum ad pretium & id quod intereſt, ſed etiam ut ſumptus litis mihi refundat. Nam quamvis dici ſolet fiſci procuratorem non præſtare litis expenſas, ad eum caſum pertinet, quo is agit tanquam publicus accuſator, quia ex officij neceſſitate id facit, quæ ſatis eum excuſat, non vero cum convenitur ut privatus, vel ei ſuccedit, *d. l. 6.* Ant. Faber in ſuo *Cod. tit. de evict. definit. 19.* Coſtalius *ad d. l. 17. §. 5.*

Igitur fiſcus privato ſuccedens, ipſius jure utitur, 6
& eas uſuras prçſtat, quas creditor à privato exigere potuiſſet, ex ſtipulatione, nam ex pacto nudo (uti dictum) nemo regulariter uſuras præſtat; ſi tamen in eas uſuras quæ pacto tantum promiſſæ, pignus ſit acceptum, per retentionem pignoris, uſuræ ſervabuntur à fiſco, quas pacto non ſervaſſet; quæ ſententia eſt *l. 2. h. t.* ad quam pertinet *l. 4. & 22. C. de uſur.* * Ex quibus obſerva, ut uſuræ debeantur, & re- 7
tineantur ex pacto vel ſtipulatione, non ſufficere de uſuris tantum conveniſſe, niſi certa ſumma vel quantitas uſurarum expreſſa ſit, quod ubi factum non eſt, non poterit pignus ſaltem à privato retineri in uſuras, quia nullæ ſunt, nec in pœnam commiſſam, quia pignus in eam cauſam obligatum non eſt, quod proinde reſtituendum erit debitori, oblata ſorte quanta debeatur. Donell. *ad d. l. 22.*

Verum illud eſt commune fiſco, & privato cre- 8
ditori, quod in exigendis uſuris non liceat legitimum modum uſurarum excedere, cum autem hic præſcribit Juſtinianus, ut uſque ad dimidiam centeſimæ tam fiſco quam privato liceat ſtipulari, non ultra. Item uſuras majores ſemiſſibus, fiſcus exigere à ſuis debitoribus non poteſt, ſive eas nominatim ſtipulatus ſit, ſive creditoribus debitoris ſucceſſerit, adeo ut ſemiſſes conſequatur fiſcus, etiamſi ei creditori ſucceſſerit cui leviores debitæ fuerant, *l. ult. h. t.* * Sic etiam civitatum ſolemnes uſuræ fuerunt 9
ſemiſſales, & tanti à Republica pecuniæ ſolebant mutuari, *l. 10. ff. de pollicit.* Eccleſia vero tantum quadrantes uſuras præſtat, *Novell. 120.* quo jure non utimur. Hodie namque varius eſt uſurarum modus, prout eſt varia perſonarum conditio, & rerum qualitas: atque civiles & moderatæ viſæ ſunt, quæ ſemiſſes; minores ſunt quadrantes; majores centeſimæ, quas excedere non licet, ne in trajectitiis quidem contractibus. Videatur Juſtiniani Conſtitutio *in l. 26. ſup. de uſur.* & quæ ibi expoſuimus.

Digitized by Google

TITULUS IX.

De ſententiis adverſus fiſcum latis retractandis.

1. *Continuatio, & quod cauſæ fiſcales abſente fiſci patrono deciſæ retractentur.*
2. *Si contra fiſcum lata eſt ſententia præſente fiſci advocato tenet, eo abſente, aut omiſſo inſtrumento, dein reperto retractatur intra triennium.*
3. *Quomodo intelligendum ſit hoc privilegium fiſcale de retractatione ſententiæ per actionem vel reſtitutionē.*
4. *Reſtitutio privato læſo competit, item Eccleſiæ, ſi poſt ſententiam reperiatur inſtrumentum concernens cauſam publicam.*
5. *Quibus remediis arreſta retractanda veniant?*
6. *Ex beneficio reſtitutionis fiſco competenti, poteſt retractari executio ſententiæ?*
7. *In cauſis criminalibus retractari poteſt ſententia, & moderari pœna per reſtitutionem in integrum.*
8. *An fiſcus in criminali cauſa poſſit uti remedio hujus* l. uni. *& retractare ſententias.*

1 NOn ſolum lædi poteſt jus fiſci, venditione non rite facta, & mutuatione pecuniæ publicæ, prout dictum ſuperioribus titulis, ſed etiam cauſarum fiſcalium deciſione, pronuntiatione, de qua re tractanda ideo hic ſubjicitur. Et quidem fiſcales cauſæ ſi non interveniente fiſci advocato deciſæ ſint, in integrum reſtituuntur, *l. 3. §. 9. ff. de jure fiſci.* Idemque in *l. 7. eod. tit.* aſſeritur, ſi abſente fiſci advocato pronuntiatum ſit, nihil actum eſſe, & ideo ex integro cognoſci oportere. Tanta enim eſt fiſcalis patroni auctoritas, ut non videatur defenſus fiſcus, ſi ille abfuerit, aut non aſſiſtat cauſæ fiſcali; quod diverſum eſt in cauſis privatorum quæ ſemel finitæ, non retractantur, velamento abſentiæ patroni, *l. 4. ſupr. de poſtul.*

2 Igitur ſi præſente fiſci advocato, cæteriſque rite peractis, quæ ad cauſæ fiſcalis defenſionem faciunt, contra fiſcum judicatum ſit, tenet ſententia, & non niſi communi appellationis remedio, fiſcus juvatur ſicut pupillus, aut quivis alius privatus, *l. 9. ff. de appellat.* Si vero ſententia lata fuit adverſus fiſcum, eò quod omiſſum ſit inſtrumentum, in fiſci favorem confectum, & culpa ipſius, vel ejus advocati non fuit in primo judicio productum, quod ſi de novo reperiatur & producatur, jure ſpeciali retractatur, ex ſola nuda allegatione, ſententia, intra triennium, *l. un. h. tit.*

3 Imò & poſt id tempus, ſi prævaricatio arguatur, vel manifeſta fraus probetur, retractabitur ſententia, ſed per reſtitutionem in integrum judicis officio. Accurſ. Platea & Valenzuela *ad d. l. un.* Ubi ſi corruptio judicis, aut fiſci advocati intervenerit, ſentiunt ſententiam ipſo jure nullam eſſe, contra fiſcum latam, *l. 7. ſup. quando provoc. non eſt neceſſ.* Alfaro *de officio fiſcali.* Gloſſa 34. *n.* 237. Facit quod dicit Calliſtratus *in l. 3. ff. de colluſione detegenda; perinde inefficax eſſe decretum atque ſi nulla res judicata interveniſſet.* Peregr. *de jure fiſci l. 7. c. 4. n. 5. & 6.*

Quæ quidem diſtinctio in privato non admitti- 4
tur: nam ſi quis ſententiam retractare conſtituit, ſive fuerit minor, reſpublica, vel Eccleſia, beneficium reſtitutionis implorare tenetur, probata prius læſione, & quod ad ſuam notitiam nondum pervenerint inſtrumenta reperta, *l. 33. ff. de re judic.* Et quidem olim privato non dabatur niſi annus utilis, poſtea variatum hac in re, tandem Juſtinianus quadriennium conceſſit, ad petendam & impetrandam reſtitutionem, *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtit.* Quod etiam fiſco multo magis hodie conceditur, non autem longius tempus, quia non eſt jure cautum. Atque huc ſpectat quod Impp. reſcripſerunt quamquam ſub prætextu novorum inſtrumentorum reſtitui negotia minime oporteat, tamen in negotio publico, ex cauſa permittere ſe hujuſmodi inſtrumentis uti, *l. 35. ff. de re jud.* Publicum negotium hic dicitur, quod ad fiſcum, & civitatem pertinet, *l. 16. & ſeq. ff. de verb. ſign.* Id etiam extendunt pragmatici ad Eccleſiam, quæ civitati æquiparatur, *l. fin. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* Fachin. *lib. 1. contr. cap. 53.* * Itemque 5
obſervant quod quamvis non ſoleant ſententiæ majorum judicum retractari, niſi per propoſitionem erroris, nihilominus tamen ſi inſtrumenta probationum poſtea reperta fuerint, concedi poſſit reſtitutio privilegiatis perſonis. Ita Papon. *lib. 19. tit. 8. art. 3. 4. & 5.*

Ob quam reſtitutionem retardari ſententiæ exe- 6
cutionem plerique DD. volunt, inter quos Salicetus, *in l. 1. C. ne liceat tertio prov.* Nec obſtare *l. 2. C. de falſis*, qua probatur, non obſtante exceptione falſi, quæ opponebatur, ſententiam eſſe exequendam. Quia opinio eorum, qui contra ſenſere, procedit quando non ſtatim conſtat de eo quod per reſtitutionem opponitur, & requirit altiorem indaginem. At ubi conſtat ſtatim de eo quod reſtitutione petitur, etiam adverſus tres ſententias conformes opponi poteſt, prout docent relati à Joan. Garſia, *de nobilitate Gloſſ. 6. §. 2. n. 17.* & Larrea *alleg. fiſc. 71. n. 10.* contra Covarruv. *lib. 3. r. ct. c. 25. n. 7.*

Quemadmodum in cauſa civili per prætoris au- 7
xilium læſis ſubvenitur, ita in cauſa criminali ſuccurritur reo innocenti per Principem, *l. 1. §. ult. ff. de quæſtionib.* Atque ejus auctoritate reſcinditur ſententia, qua quis eſt condemnatus ad pœnam, de cujus tamen innocentia poſtea conſtitit per inſtrumenta recens reperta, *l. 27. ff. de pœnis.* Ex qua liquet plura extare principalia reſcripta, quibus vel pœna reorum minuta eſt, vel in integrum reſtitutio conceſſa, ſed id dumtaxat à Principe ejuſve ſupremo

Digitized by Google

ſupremo Senatu fieri poteſt, eoque pertinet *l. 1. verſ. qua lege ff. de l. Jul. de ambitu.* Ubi ſi aliquis de ambitu damnatus, alium convicerit, in integrum reſtituitur. Non obſtat *l. 37. ff. de minoribus.* Quæ denegat reſtitutionem minori, contra omiſſam accuſationem, ſiquidem aliud eſt dari reſtitutionem ad accuſandum, aliud poſt interpoſitam accuſationem, & litem jam conteſtatam, cum negari non poſſit, quod ſi minor in aliquo actu litis fuerit læſus, poſſit in integrum reſtitutionem poſtulare, *l. 16. §. fin. ff. de minoribus.* Gomez *tom. 3. var. c. 1. n. 7.* Gutierrez *pract. qq. 70.*

8 Hinc quæritur, an fiſcus in criminali cauſa, in integrum reſtituatur adverſus ſententiam quæ reum abſolvit, aut leviorem quam par eſt illi pœnam irrogavit: ſunt qui id negant, auctoritate *d. l. 37. ff. de minorib.* ubi denegatur reſtitutio ad pœnam perſequendam, quod late oſtendit Franciſc. Caldas, *ad l. ſi curatorem verb. vel adverſarij dolo num. 37. ff. de in integr. reſtit.* Alij affirmant per *l. un. hoc tit.* Quæ generatim comprehendit omnes cauſas, nec diſtinguit inter civiles & criminales, atque ita in omnibus ſententias latas contra fiſcum retractari jubet. Cui non facit ſatis Fachinæus *lib. 9. contr. cap. 81.* Ubi dicit *d. l. un.* agere generaliter de ſententiis latis in pœnalibus cauſis, in quibus cum non reſtituatur, minor reum accuſans, (ut dictum eſt) ſi intentionem ſuam non ſufficienter probavit, multo minus fiſcus. Nam alia ratio privati minoris, alia fiſci, qui ipſo jure privilegium habet retractandi ſententias contra ſe latas. Quidquid hac in re de jure ſit, moribus ſaltem id receptum videmus, quod in atrocioribus, ſi minor pœna reo ſit irrogata, quam delictum expoſtulat, ſoleat ſupremus Senatus reſtitutionem concedere, fiſco agenti ad dignam pœnam, propter exemplum, utque ſatisfiat publicæ vindictæ, ac ita ſæpius judicatum meminit Ant. Gaſpar Theſaurus, *lib. 1. quaſt. forenſ. q. 59.*

TITULUS X.

De bonis vacantibus & incorporatione.

1. *Bona vacantia qua dicantur, quid de his ſtatuit lex Julia caducaria, & poſtea Juſtinianus.*
2. *Civitates non habent jus vindicandi bona vacantia.*
3. *Niſi à Principe tale jus conſequantur, aut motu proprio datum ſit privilegium civitati.*
4. *Poſſeſſiones à Principe conceduntur plene & cum omnibus ſuis juribus & acceſſionibus.*
5. *Conceſſo caſtro conceſſa videntur ejus munimenta. An etiam conceſſa cenſeatur Principis juriſdictio?*
6. *Quid ſi donatio caſtri fiat cum ſuis pertinentiis?*
7. *An conceſſa ſpecialiter juriſdictione cenſeatur Princeps derogare juri quod populo competit eligendi magiſtratum?*
8. *An conceſſa juriſdictione, cenſeantur conceſſa regalia & jura Principi reſervata, itemque bona vacantia?*
9. *Hodie bona vacantia multis in locis non fiſco, ſed dominis locorum cedunt.*
10. *Quibus perſonis hac bona olim competerent, præterquam fiſco. Ad quem deferantur bona clerici decedentis ſine cognatione.*
11. *Bona ſpuriorum & peregrinorum cui hodie competant?*
12. *Num poſſint ſpurij de illis teſtamentum facere?*
13. *Bona peregrinorum captivorum & ad colonias migrantium fiſco applicabantur, & quando.*
14. *Quinam hodie pro peregrinis habeantur, & illis decedentibus abſque hærede, quis in illorum bonis ſuccedat?*
15. *In bonis alienigenarum Rex in Gallia ſuccedit jure albinatus niſi illi ſint naturalizati.*
16. *Sed non ſuccedit in bona regnicolæ, qui receſſit ex regno, ſed ejus liberi ibidem nati, ſecus eſt ſi exterus naturalizatus regnum deſerat, animo non revertendi.*
17. *Quod ſi exterus in regno uxorem ducat & liberos ex ea ſuſceperit, ſuccedunt liberi etiamſi uterque parens ſit alienigena.*
18. *Item liberi naturalizati. ſed exteri excluduntur etiam à jure petendi legitimam.*
19. *In Belgicis provinciis eſt ſimile jus, ſed in Hannonia fiſcus exterorum bona capit. In aliis locis bona deferuntur proximioribus.*
20. *Vacare oportet bona ut in fiſcum tranſeant, ea non tranſeunt propter delictum, quæ prohibentur alienari.*
21. *Uſusfructus interim manet apud fiſcum durante vita poſſeſſoris, qui deliquit, niſi illius alienatio expreſſe ſit prohibita.*
22. *An bona derelicta & quæ domino carent, uti vacantia ad fiſcum pertineant.*
23. *Quid juris in bonis è navi projectis, erratis, inventis, an cedant inventori, ſi dominus non reperiatur?*
24. *Quatenus heres, aut animalia domino reſtituantur, ſecundum mores noſtros?*
25. *Si pecus aberrans damnum dederit quid juris? & quid ſi illud nemo vindicare velit?*
26. *Qui ad ſucceſſionem venire vult & fiſcum excludere, probare debet ſe proximum ex ſanguine defuncti, vel quod ab eo pro cognato habitus fuerit.*
27. *Si ex conſuetudine bona ſequuntur lineam, una deficiente an accreſcat alteri, vel fiſco?*
28. *Quis hic nullo extante hærede mori dicatur?*
29. *Quas ſolemnitates adhibere debet Comes rerum privatarum, in incorporatione rerum quæ à fiſco vindicantur.*

ubi terminandæ ſunt res controverſæ, videlicet ſuper licitatione vel adjectione, itemque venditione, an ea legitime facta fuerit nec ne, *l. 4. & 5. C. ubi cauſa fiſci & l. ult. C. de advocat fiſci.* Quod autem in aliis juris locis, etiam præſidis præſentia requiratur, *l. 1. C. ſi propt. publicas, & l. 1. Cod. de praſc. 30. annor.* Hoc ideo, quia plenior illius poteſtas in cauſarum omnium cognitione, atque in fiſcalium deciſione plerumque adhibeatur una cum procuratore Cæſaris, *l. 8. C. ubi cauſa fiſcal.* Ità ut nihil intereſſet, an præſes vel procurator de cauſis fiſcalibus cognoſceret, *l. fin. C. ſi propter publicas.* Garſia Toletanus in *rubric. ad hunc tit. in fin.*

3 Igitur Procurator non niſi cauſa cognita, & citato debitore de cujus præjudicio agitur, decernebat bonorum venditionem, aut admittebat adjectionem. *l. 39. ff. de adopt. & l. 47. ff. de re jud.* Unde non aliter futura actio procedebat, quam decurſis haſtis, id eſt, 10. diebus ſolemnibus publice res ſtetiſſet venalis, propoſitique fuiſſent libelli, in celebrioribus locis, ut venditio omnibus innoteſceret, *l. 6. h. t. Auth. hoc jus porrectum. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Imò neceſſe erat ut prius res æſtimaretur, taxareturque, ad evitandum fraudes, quæ poſſent intervenire in præjudicium debitoris, circa juſtum pretium rei. Valenzuela *ad h. t. quem ſequitur* Amaya.

4 Cæterum intra illos auctionis dies, licitatores poterant pretium offerre, atque illi qui in licitatione vicerat, ſeu plus offerenti, res addicebatur, prout etiam hodie in auctionibus addicitur. Et facit *l. 1. C. de vendit. rer. civil.* Sed ita addictio facienda, dum tamen non excederet juſtum pretium; id autem non ex præterita emptione, ſed ex præſenti æſtimatione juſtum conſtitui Divi fratres reſcripſerunt, *l. 3. §. 5. ff. de jure fiſci.* Sicut enim diligenti cultura pretia prædiorum ampliantur, ita ſi negligentius habita ſint, minui ea neceſſe eſt. Item ab iiſdem conſtitutum, non ante rem fieri emptoris, quam pretium fuerit exſolutum; quare is cui jus diſtrahendi res fiſci datum eſt, curare debet ut præſente pecunia res vendatur, non etiam ut fides habeatur de pretio, *l. 5. §. 1. ff. de jur. fiſc. & l. 3. h. t. gloſſ. & in l. 15. §. 7. ff. de re jud.* Habet enim Procurator Cæſaris limitatum mandatum, ſic ut non poſſit res vendere habita fide de pretio, cum vendat ex cauſa neceſſaria, ut ſibi ſatisfiat, non poteſt hoc fieri, niſi pretio ſoluto. Bart. & alij DD. *ad l. 1. h. t.* Late Jaſon *in l. 1. n. 18. ff. de offic. procur. Cæſar.* concludens communiter venditionem fiſci valere, habita fide de pretio, quoad obligationem emptoris, non quoad tranſlationem dominij, & id voluerunt Gloſſ. Bald. & Salic. *in l. 4. ſup. ubi cauſ. fiſc.*

5 Obſervandum hic eſt, unum ſpeciale fiſci privilegium, quod in ejus venditione, licitationeve publice facta, intelligatur tacita conditio, quod ita demum venditio rei fiſcalis rata maneat, penes eum cui addicta, niſi alius infra præſcriptum licitationis tempus veniat allaturus meliorem conditionem, *l. 4. h. t.* Itaque nova fit licitatio, & plus offerenti res iterum addicitur.

6 Quid ſi primus in quem addictio jam facta fuerat, idem pretium offerat quod ſecundus licitator obtulit? certe non præferetur ſecundo, niſi hunc vincat plus offerendo. Facit quod dicitur in *l. 6. §. fin. cum ll. ſeqq. ff. de in diem addict.* Poſſe venditorem meliori allata conditione, rem addicere poſteriori, niſi prior paratus ſit plus adjicere, igitur ut prior admittatur, neceſſe eſt ut plus adjiciat, non vero eandem quantitatem ſolvendo, præferri debet, ut docet poſt Bobadillam, Amaya *ad d. l. 4. h. t. n. 26.*

7 Diverſum eſt in locatione perpetua quæ fit colonis de rebus fiſcalibus, ſeu patrimonij Principis, qui quia antiquiores ſunt poſſeſſores, & quaſi jus quoddam perpetuum in fundos publicos habent, æquitas vult ut præferantur novis conductoribus plus offerentibus, modo facta per alios argumenta ſuſcipiant. *l. 3. infr. de locat. præd. civil.* Dico perpetua, nam in temporaria locatione, finito tempore primæ locationis, recte admittitur primus conductor facta prima ſolutione præteriti temporis, ad licitationem, in qua plus offerendo, poteſt rem conductam retinere in futurum, *l. fin. in fine, & l. 1. infr. de vend. rer. civil.*

8 Prædictum privilegium in venditione rei ſuæ non habet Reſpubl. ſiquidem poſt addictionem alicui factam à Repub. adjectio non admittatur: melior enim in multis conditio fiſci, quam Reipublicæ, quæ loco privati habetur, *l. 16. ff. de verb. ſign.* & niſi ex privilegio habet hypothecam, *l. 1. C. de jure Reip.* Fiſcus vero illam ſuo jure habet & prælationem, *l. 46. §. 3. ff. de jure fiſci.* Cujac. *l. 2. obſ. c. 24.* addit ex privilegio, vel ſtatuto poſſe idem jus Reipublicæ competere, quod fiſco, *l. 1. §. fin. ff. de munic.*

9 Porro non tantum privato cuilibet permiſſum eſt res fiſcales emere, etiam proſcriptas, ſed & illi, qui earum habet curam, ut puta Comiti rerum privatarum Auguſti, Quæſtoribus ærarij, item ſcholæ Palatinorum, & fiſci advocato, atque iſta emptio ſervatis ſolemnibus, & palam inita, à nemine calumniabitur, ut habet Græca Conſtitutio *l. ultim. h. t.* à Cujacio reſtituta: cui non adverſatur *l. ult. ſup. de reſcind. vend.* in qua & Comites res privatas Principis diſtrahere, & Palatini eaſdem emere vetantur, quia loquitur cum furtim citra auctionem emunt.

10 Hinc tutori interdictum clam emere res pupillares; quod autem ei palam & bona fide, rem pupilli emere, & quam ejus putabat eſſe, uſucapere permittatur, rationem reddit Servius, quod deterior cauſa pupilli non ſit, *Si proprius habeat emptori & ſi minoris emerit tutelæ judicio tenebitur, ac ſi alij minoris addixiſſet, l. 2. §. 8. ff. pro emptore,*

Servatis

Digitized by Google

11 Servatis itaque prædictis ſolemnibus, & lapſo tempore quod in fiſcalibus auctionibus ſtatutum eſt, perpetuo jure dominij, res penes eum remanet, qui in licitando vicit, & meliorem conditionem obtulit, pretiumque ſolvit, *l. 4. h. t. & l. 5. ff. de jur. fiſci.* Si quis tamen bona vacantia emit à fiſco, actionem quæ contra defunctum competebat, excipere cogitur, *l. 41. ff. d. t.* neque poteſt fiſcus venditionem à ſe factam retractare, licet inſtrumenta emptionis nulla extent, modo emptor aliis probationibus legitimis, docere poſſit ſe à fiſco auctionante, rem emiſſe, & pretium præ cæteris auxiſſe, *l. 3. h. t.*

12 Eſt enim id regulare ut poſt addictionem alicui bona fide factam non audiatur etiam plus offerens *l. 5. h. t. l. 1. C. de vend. reb. civ. lib.* 11. nam ſi poſt addictionem ultimo licitatori factam, alius adhuc plus offerens admitteretur, nullus unquam eſſet licitationis finis, & foret illuſoria hujuſmodi addictio, nulliuſque penè auctoritatis, contra *l. 8. C. de remiſſ. pign.* ubi fiſcalis haſtæ fides non facile convelli debet. Dico ubi de auctione, addictioneve facta
13 conſtat * Alias audiendus erit fiſcus ſi dicat ſe nondum rem vendidiſſe, ſed ita venalem expoſuiſſe, ut qui emere cupiunt venirent ad offerendum infra tempus præſcriptum, cum enim non dixerit, quod plus offerenti dabitur, magis videbitur exquirere voluiſſe valorem rei, quam perficere contractum, quamvis aliquis juſtum pretium obtulerit. Joannes de Platea *in l. 4. h. t. num. 2.* ubi in fine addit quod ex ſola oblatione majoris pretij facta ab alio, fiſcus non compellatur ei rem vendere, & diſcedere à primo, ubi ſit utile fiſco; nam quamvis majus ſit pretium quod ſecundus offert, poteſt tamen graviora onera & pacta adjicere, per quæ conditio fiſci iniqua reddatur, *l. 4. in fin. & l. 9. ff. de in diem add.*

14 Oblata meliore conditione, & ſoluto pretio adeo implendus eſt contractus venditionis, ut neque auctoritate reſcripti, neque beneficio minoris ætatis, neque prætextu læſionis, infringi poſſit, *l. 5. h. t.* Ratio eſt quia Princeps per reſcriptum non intendit dominium alicui quæſitum auferre, niſi urgeat publica neceſſitas, ut docet Bart. *in l. 1. Cod. ſi contra jus vel util. publ.* Quod autem minor non juvetur, jure ſingulari, quando fiſcus rem illius vendidit pro debitis, ideo eſt, quia intervenit curator aliuſve defenſor, *l. ult. ſup. prob. publ. penſ.* In hoc caſu fiſcus quaſi creditor vendidit. At ſi rem alienam quaſi ſuam vendat, majori ſuccurritur prout dictum *ſup. ſi adverſus fiſcum.* Notandum quod initio *d. l. 5.* jubeantur bona vendi, *pro reliquiis prodigorum*, quos arbitratur Petrinus Belli, eos eſſe qui cum annonarios titulos atque exactiones curarent, prodigaliter eas conſumpſerunt, *de re milit. tit. 23. num. 10.*

15 Ceterum is quis obſervata forma à fiſco rem emit, ad pretium quanti licitatus eſt, ſolum tenetur, nec ob aliud fiſci debitum conveniri poteſt, *l. 6. h. t.* Proinde emens rem alienam à fiſco, non tenetur exſolvere alienum debitum, ſed ſatisfacit ſolvendo pretium rei venditæ.

16 Quod ſi tamen res eſſet obligatat, pro alio fiſcali debito, eo caſu recte convenitur emptor, prius diſcuſſis bonis principalis debitoris, *ut ſuper tit.* dictum. Item pro tributis etiam præteritis, quia tunc ipſa prædia, non perſonas conveniri Impp. reſcripſerunt, cum illa tranſeant cum ſuo onere, *l. 7. ff. de publ. & vectig. l. 1. C. de annon. & tribut. & l. 2. in fin. Cod. ſine cenſu.* Eoque pertinet *l. 36. ff. de jure fiſci.* Ubi prædiis à fiſco diſtractis, præteriti temporis tributum ex iiſdem prædiis debitum ad emptorem ſpectare placuit: verum cum id plures præſtare recuſarent, nec vellent à fiſco emere, remiſſum tandem eſt ab Impp. Valentiniano & Valente, facilius inveniendi emptoris cauſa, *in d. l. 6. h. t. l. 1. C. Theod. de fiſci debit.* Cujac. *l. 3. Reſp.* Papin. & Deſpeïſſes *tract. de ceux qui doivent des tailles, n. 24.* ubi in fine non admittit correctionem legum, prout Cujacio viſum, & recte, nam poteſt *d. l. 36.* ſic intelligi, ut licet ad fiſcum prædium devenerit, idque diſtraxerit, non ideo mutet naturam, ſed maneat ſub tributo, quod emptor præteriti temporis præſtare tenetur, id eſt, ut idem onus quod ante ſuſtinebat, deinceps præſtet, ita ut *d. l. 36.* non loquatur in plurali, de reliquis tributorum, aut de præteritis debitis ſolvendis ab emptore, ſed de tributo quod prædio inhæret, cujus onus ad emptorem ſpectare placuit.

17 Haſtarum ſolemnitatibus prætermiſſis, ſi fiſcus pignora cœperit ex cauſa judicati, eaque diſtraxerit, venditio reſcinditur, & debitori offerenti debitam quantitatem, pignora reſtituuntur, una cum fructibus mala fide perceptis, aut percipiendis, *l. 1. h. t.* quod & in *l. 3. ſup. tit. 1.* traditum eſt, de eo qui per fraudem vel gratiam rem magni pretij, minore pretio à fiſco emerat.

18 Simile extra exemplum *in l. 2. h. t.* ubi prætermiſſa haſtarum ſolemnitate, venditio rerum debitoris fiſci vili pretio facta, dolo officialis, in gratiam debitoris, & fraudem fiſci, tanquam illicita reſcinditur, & officialis mulctatur: fraus enim & mala fides arguitur ob ſolemnitatem omiſſam, itemque vilitatem pretij, & exiguitatem debiti, *l. 1. & 3. C. ſi vend. pign. ag.* Ant. Gamma *deciſ. Luſit. 40. n. 6.* Cæterum ut retractetur venditio, quod res magni pretij exiguo divendita ſit, non neceſſe eſt, ut per gratiam & in præjudicium fiſci facta ſit venditio, nam ob primam tantum cauſam reſcinditur. *d. l. 3. ſup. tit. 1. & l. fin. Cod. ſi adverſ. fiſc.* Quod igitur *in l. 2. h. t.* fiat mentio præjudicij fiſci, non eſt intelligendum id eſſe neceſſarium ad reſciſſionem venditionis, ſed quod ita de facto contigerat. Petr. Barboſ. *ad l. mora num. 61. ff. ſolut. matrim. & ad l. 1. Cod. de praſc. 30. vel 40. an.* Hinc licet inferre quod

Digitized by Google

quod ubi concurrit duplex cauſa ſufficiens ad reſcindendum actum, alteram probare ſufficiat, niſi allegans ſe ad utriuſque probationem adſtrinxerit. Joan. de Platea *ad d. l. 2.* & ibi Pyrrhus, Pinellus *in l. 2. part. 2. num. 19. C. de reſcind. vend.*

TITULUS IV.

De venditione rerum fiſcalium cum privatis communium.

1. *Fiſcus habens rem cum privato communem, poteſt totam vendere, ratione ſuæ partis, non item privatus.*
2. *Quæ ſit hujus rei ratio.*
3. *Quatenus procedat iſta venditio, & cui dandum pretium.*
4. *Vendita juriſdictione à fiſco poſſunt vaſalli eam retrahere.*
5. *Condemnatio ſeu mulcta tota ſolvitur fiſco, qui poſtea partem reddit denunciatori.*
6. *Qua actione aget ſocius contra fiſcum pro partis ſuæ pretio.*
7. *An rem cum altero communem poſſit fiſcus in pignus dare.*
8. *Item ad longum tempus locare, in emphyteuſim concedere, hypotheca ſubjicere.*
9. *Rem privato & fiſco obligatam poteſt fiſcus vendere, ſic ut ſalvum ſit creditoribus jus ſuum.*
10. *An fiſcus qui tenetur defendere emptorem, poſſit cauſam trahere ad ſuum judicium.*

1 HIc titulus tractat, de quodam jure ſingulari, fiſco competente, quando rem habet communem cum perſona privata, ut ſcilicet totam poſſit vendere, & diſtrahere invito ſocio, *l. un. h. t.* quod ſecus eſt in privato, etſi pretium in fiſci utilitatem convertat, *l. 2. ſup. de commun. rer. alien.* quia non poteſt privatus plus juris in alium transferre, quam ipſe habet, *l. 54. ff. de reg. jur.* * At vero fiſcus ea 2 forma, ſeu privilegio utitur, ob utilitatem publicam, quæ privatæ antefertur, *l. 3. C. de primipilo,* quæque in eo præcipue conſiſtit, quod res integra commodius vendatur, quam per partes, cum igitur poſſit tota integra vendi, gravaretur fiſcus, ſi partem tantum venderet, cujus non inveniret facile emptorem, cum quia hic nihil ſe habere arbitraretur, ſi totam rem non emeret, tum quia ad venditionem partis, non ita quis accederet, propter communionem quæ plerumque ſolet excitare diſcordias, *l. 77. §. 20. in fin. ff. de leg. 2.* Amaya *ad h. l. n. 10. & 11.* ubi ex ſententia Valenzuelæ addit, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, & utilitate fiſci, procedere venditionem rei alienæ, *juxta l. 11. ff. de evict.* ac ſi tota ejus eſſet. Item ſive commode dividi poſſit, ſive non poſſit, cum indiſtincte loquatur noſtra lex, quamvis ejus ratio magis procedat eo caſu, quo res communis uſu, & poſſeſſione dividi nequit, *juxta l. 10. ff. quemadmod. ſervit. amitt.* quæ ſententia fuit Martini antiqui gloſſatoris.

Verum quamvis ex tali venditione totum dominium rei, in emptorem tranſeat, ac totum rei venditæ pretium fiſcus recipiat, non tamen niſi partem ſuam, in ſuum redigit patrimonium, reliquum ſocio, ſeu domino partis reſtituit, *l. un. h. t.* Quomodo hæc venditio, præmiſſa ſolemnitate fieri debet, de qua in *l. 1. ſup. tit.* itemque præſente pecunia, quia non cogitur ſocius fidem habere de pretio, quod utique integrum à fiſco ſine labore accipiet, in quo & commodum aliquod ſentit; quin & in eo, quod ſi velit ipſe rem emere, tantumdem offerendo, aliis præferatur, *arg. l. 8. ff. de in diem addict. & l. 1. ff. de priv. cred.* Baldus *in l. 2. de com. rer. alien.* 3

Hinc ſi à fiſco vendatur juriſdictio patrimonij Principis, vel jus aliquod cui annexa eſt juriſdictio, vaſalli præferentur oblato pretio, quod alius privatus offert, quia non debent inviti alienari à ſuo domino, & ſeparari à juriſdictione diutino uſu ſibi quæſita, & cui magis ſunt conjuncti, ut merito etiam ad retractum juriſdictionis admitti debeant, & præferri aliis emptoribus, propter communionem quam in iſta re quaſi habere videntur, *arg. l. un h. t. & d. l. 2.* Larrea *alleg. 45.* Joſ. de Seſſe *in deciſ. Arag. 36.* Vaſquez *illuſtr. contr. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 80.* qui ſic limitant regulam, quod Princeps teneatur ex contractu, niſi fiat in præjudicium ſubditorum. *Felinus c. 1. num. 4. de probat. & c. dilecti de major. & obed.* 4

Præterea frequens hodie, ubi indicta eſt mulcta, vel pœna pecuniaria, eaque dividenda venit inter fiſcum & denuntiatorem, quod fiſcus ſoleat totam mulctam exigere, poſtea vero reddat denuntiatori ſuas partes, *arg. l. 15. §. 3. ff. de jure fiſci.* Facilior eſt enim fiſco mulctæ exactio, & accuſatori utilis, propterea quod ſine moleſtia partem ſuam conſequatur, prout hic ſocius. * Sed quid ſi ſocius partis ſuæ pretium non recipiat? Actione negotiorum adverſus fiſcum experietur, *l. 3. Cod. de rei vind.* ubi ſi mater invita filia rem vendidit, poterit venditionem ratam habere, & adverſus venditricem actione negotiorum geſtorum agere, *l. 19. Cod. de negot. geſt. l. 9. ff. eod.* Cujac. *lib. 26. obſerv. 36.* 5 6

Porro licet fiſcus poſſit rem ſibi & privato communem vendere, non puto tamen quod poſſit eam obligare, quoniam *d. l. un.* tantum loquitur de venditione, idque ex privilegio, quod in ſocij injuriam non debet extendi ad pignus in quo præterea non militat eadem ratio, quæ in venditione, ut res pluris vendatur, quando tota venditur, & non pro parte, & datio pretij, quæ facienda eſt ſocio in 7

cauſa

cauſa pignorationis, non procedit, quia emptionis verbo, veniunt tantum ea, quæ pretio acquiruntur: unde nihil ſocius conſequeretur niſi damnum, coactus ſtare dationi pignoris, cujus ratione poſſet poſtea propria re privari, ſi debitor non ſolveret, & ſic privilegium fiſci ſocio fieret damnoſum contra mentem legis, Amaya *ad d. l. un.*

8 Habet itaque privilegium fiſcus, ut poſſit vendere rem cum ſocio communem, ſed non eam ad longum tempus locare, vel in emphyteuſim concedere, cùm avocari & auferri res poſſit, ſi penſio non ſolvatur. Caſtillo *lib. 3. cont. cap. 6.* multo minus poterit rem alteri jam obligatam pignori ſubjicere, aut jus communis hypothecæ remittere, quoniam ſocij aut creditoris jus læderet. Late Amaya *ad h. l. n. 34. & ſeqq.* Et ante eum Peregrinus *de jure fiſci lib. 6. cap. 4. num. 23.*

9 Quod ſi tamen in rebus fiſco vindicatis, ſint res aliquæ alij ante obligatæ, non ob id impeditur fiſcus vendere, quia etſi aliis ſint pignoratæ, venduntur cum ſua cauſa, id eſt, ſalvo jure pignoris. Itaque ut facilius fiſcus inveniat emptorem, permittitur ei res obligatas vendere, ea lege, ut prius creditoribus præcedentibus ſatisfiat ex pretio, & ſuperfluum fiſco inferatur, aut ſi nihil ſuperſit, ſed tantum debeatur creditoribus quantum eſt in pretio, totum id fiſcus illis exſolvet; ſimiliter ſi totum pretium accepit cum onere ſolvendi creditoribus, eis plene ſatisfacere cogitur, *l. 22. §. 1. ff. de jure fiſci.* Etiam non expectata ſententia, maxime ubi fiſco conſtat de debito, *l. 9. Cod. de bonis proſcript.* ibi *ſtatim*, quæ vox denotat ſummariam cognitionem.

10 Poſtremo quæritur, ſi fiſcus velit defendere emptorem, ab actione contra ipſum in judicium deducta, an poterit cauſam ab eo judice eximere, & ad ſuum avocare? Affirmant textus, qui dicunt cauſam fiſcalem ſpectare ad procuratorem fiſci, ſeu ad rationalem, hoc eſt, judicem fiſci, *l. 5. C. ubi cauſæ fiſc. l. 3. C. de jure fiſci.* Sed verius hos textus procedere, quando fiſcus principaliter agit, quia impugnatur ejus venditio de nullitate, quo caſu cum factum fiſci arguatur, ex quo fructus debeant reſtitui, tunc temporis res debet expediri apud judicem fiſcalem, *l. 1. tit. ſup. & d. l. 5. Cod. ubi cauſa fiſcal.* Sic in *d. l. 3. C. de jure fiſci.* Qui repetebat rem venditam per officiales fiſci, allegabat venditionem fuiſſe nullam, utpote minori pretio factam, per dolum emptoris, vel per gratiam officialium, ideo meritò de hac nullitate contractus, per fiſcum agitur coram procuratore fiſci, & quoties vertitur fiſci intereſſe. At in aliis cauſis fiſcus emptorem defendens & ei aſſiſtens, cenſetur privatus, nec poteſt mutare forum, *l. un. h. t.* ibi cum emptor qui à fiſco rem cum privato communem emit, reconvenitur, & apud ſuum judicem judicium peragitur. Suffragatur *l. 49. ff. de judiciis.* ubi qui ad alium defendendum evocatur, privilegio fori ex capite ſuo ſe juvare non poteſt, ſed ibi defendet, ubi cauſa agitur. Igitur fiſcus allegare non poterit privilegium ſuum cum emptorem venit defenſurus, nec ipſe conventus qui cauſam à fiſco habuit, declinare recte poteſt forum ſuum, aut allegare fiſcum proprium habere judicem, quia principale judicium cum eo, non cum fiſco verſatur, Bald. *ad l. 3. Cod. de jure fiſci.* Et ibi late Amaya *à num. 28.* Ant. Burgos *ad cap. ult. ꝟ. de emp. & vend. num. 10. & ſeqq.* Covar. *pract. qq. cap. 8. n. 3.* Barboſa *ad l. 49. ff. de judiciis num. 151. & ſeqq.* qui omnes ſentiunt fiſcum jure privatorum uti, in caſibus non expreſſis. Atque ideo inſtantiam cœptam cum homine privato, cui fiſcus poſtea ſucceſſit, non tranſire in fiſcum, ita ut fiſcus poſſit mutare forum; ſed debere cauſam proſequi coram judice privati, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Plane clericus qui laico ſucceſſit, vel ad defenſionem denuntiatus, litem ibi peragere debet, ubi cœpta, quia non ipſe convenitur, ſed emptor, ſic ut non videatur clericus contra ſuum privilegium ad tribunal laici trahi. Ant. de Butr. *ad c. quoniam §. quod ſi ſuper ꝟ. ut lite non conteſtata.* Covar. *d. loco.* Et nos plura diximus *ſup. de evictiön.* Hodie per conſtitutiones Principum, fiſcus ad inferiora tribunalia defendendi gratia deſcendere non cogitur. Nicol. Burgund. *de evict. cap. 68. num. 5.*

TITULUS V.

Ne fiſcus rem quam vendidit, evincat.

1. *Quid definiat & ſtatuat hic titulus?*
2. *Cur quod una ſtatio fiſci vendidit, alia id retractare nequeat.*
3. *Compenſatio an habeat locum de una ſtatione ad aliam.*
4. *Inter privatos admittitur differentia inter diviſionem rerum pupilli & fiſci, quoad adminiſtrationem.*
5. *Quatenus procedat venditio, ne ab altera ſtatione revocetur.*
6. *Officiales fiſci perperam vendentes invicem experiuntur.*
7. *An poſſit Princeps contractus à ſe geſtos in contrahentium damnum retractare?*
8. *Et auferre ſubditis res proprias ob publicam utilitatem.*
9. *An ceſſante cauſa publica, liceat Principi bona ſubditis auferre?*
10. *An poſſit Princeps alicui dominium auferre, quaſitum jure civili?*
11. *Cauſa ſalutis publicæ, poteſt Princeps bona ſubditorum auferre, actiones condonare, & damna remittere.*

12. *Quando præſumatur uti voluiſſe plenitudine ſuæ poteſtatis.*

13. *An obligetur princeps ad reparationem damnorum.*

14. *An ſi res alicui auferat, teneatur ei refundere pretium.*

1 IS qui bona fide ab una ſtatione fiſcali, ſive ab uno officiali fiſci, rem emit aliquam, quæ ad aliam ſtationem & officium fiſcale pertinebat, ſi fiſco ejúſve ſtationi vendenti, verum pretium exſolvit, adeo ſecurus eſt, ut non poſſit à præpoſito alteri ſtationi inquietari, nec ei ſuper tali re vendita, controverſia moveri, nec fiſcus ipſe rem evincere, eo prætextu, quod res illa ad ſtationem vendentis non pertinebat *l.* 1. *h.t.*

2 Ratio redditur *in l.* 2. *C. eod.* Quia retractare fiſcum quod ſemel vendidit, æquitatis & honeſtatis ratio non patitur. Etenim cum fiſcus unus idemque ſit, in una & altera ſtatione, qui rem diſtraxit & pretium accepit, & idem ſit qui nunc controverſiam movet, & omnes officiales fiſcum uniformiter repræſentent, improbe faceret ſi rem à ſe diſtractam evincere procuraret, contra proprium factum; ut non mirum ſi repellatur, quemadmodum ille qui alienavit, *l.* 17. *ff. de evict. l.* 3. *C. de rei vind.* Et perpetua eſt regula, quod quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellat exceptio, *l.* 11. 13. *& ſeq. C. de evict. l.* 21. *&* 73. *in fin. ff. eod.*

3 Non urget in contrarium, quod de una ſtatione in aliam compenſatio in cauſa fiſcali non detur, nec audiatur debitor unius ſtationis, ſi ab alia ſtatione debitum ſibi compenſare cupiat. *l.* 1. *C. de compenſat.* Quia cum officia fiſcalia inter ſe diſtincta ſint, ut quia apud hæc vectigalia exiguntur, apud alia tributa, vel pœnæ fiſcales, ideo non debent inter ſe confundi, & intricari rationes diverſarum ſtationum. Accurſius & Platea *ad l.* 1. *h. t.* Vitandæ hujus confuſionis duas cauſas adfert Donellus *ad d. l.* 1. *C. de compenſ.* I. Quia hæc confuſio non ſolum nocet ſtationibus & officiariis, ſed etiam eſt contra adminiſtrationem ipſam. Nam ſi ſtatio hujus loci cogeretur admittere compenſationem eorum quæ alij ſtationi debentur; cogetur inquirere quomodo altera ſtatio ageret, & inſpicere an bene vel male rem gereret vel adminiſtraret; ac ita oneraretur hæc ſtatio ultra quam adminiſtrationi propoſita eſt. II. Quia ex hac confuſione maximum crearetur fiſco præjudicium, nam cum altera ſtatio ignoret in quantum debitor ſuus alterius ſtationis creditor eſt, implicarentur officia variis cognitionibus, & eveniret aliquando, ut compenſato jam debito cum ſtatione cui debebat, iterum debitum petat ab altera cui erat debitor. Quod quia ferendum non eſt, ideo Senatus cenſuit, & Princeps ſæpe reſcripſit compenſationi in cauſa fiſcali ita demum locum eſſe, ſi eadem ſtatio quid debeat, quæ petit; id eſt, modo fiat compenſatio in debito & credito ejuſdem ſtationis, *d. l.* 1. *C. de compenſat.*

At vero inter privatos, compenſatio & confuſio officiorum admittitur, *l.* 36. *ff. de admin. tut.* Quia 4
non tanti intereſt privatorum adminiſtrationes, quam fiſcales ſtationes confundi. Neque enim debet diviſio facta in commodum tutorum (ut levius ſit onus adminiſtrationis) detorqueri in præjudicium eorum, qui cum pupillis agere volunt; proinde ſi diviſa ſit tutela, debebit qui res Italicas adminiſtrat, admittere compenſationem ejus quod ratione rerum provincialium à pupillo debetur. Etenim quamvis tutela ſit diviſa, unum tamen tantum eſt patrimonium, diviſum quidem officio magiſtratus, non jure. Jure ipſo ſinguli ſunt tutores in ſolidum, & ideo non poteſt diviſio iſta adminiſtrationis, impedire compenſationem quæ ſit ipſo jure. Contra autem eſt in fiſci ſtationibus, in quibus à jure, non à juriſdictione, ſit diviſio illa adminiſtrationis, & ſic ne confundantur officia (uti dictum) compenſatio non admittitur. Donel. *d. loco & lib.* 16. *com. c.* 15. Cujac. *lib.* 3. *qq.* Papin. *in l. cum militi de compenſ.* Amaya & Garſia Tolet. *ad h. tit.*

Cæterum quod dicitur non poſſe fiſcum, aut ejus ſtationarium venditionem retractare, nec rem ven- 5
ditam emptori evincere, procedit modò ſervatis ſolemnitatibus, & bona fide facta fuerit addictio, & fiſcus pretium rei venditæ ſemel acceperit: nam non poteſt vendere habita fide de pretio, cum vendat ex cauſa neceſſaria, ut ſibi & creditoribus ſatisfaciat, *l.* 5. *in fin. ff. de jur. fiſc.* Aliter facta venditio nulla erit, & poterit fiſcus venire contra factum ſui officialis.

Quod ſi autem venditio non ſit facta ex uſu fiſci, 6
officiales ipſi tam unius quam alterius ſtationis, qui perperam vendiderunt, invicem experiri poterunt, non inquietato emptore, actione, non quæ competit fiſco, ſed quæ datur adminiſtratori, & hæc erit actio negotiorum geſtorum in ſubſidium, *l.* 1. *ff. de reb. alien. non. al.* Accurſius hic.

Dubitatur de ipſo Principe, num poſſit rem quam 7
ejus fiſcus vendidit, revocare? Quod plerique juris interpretes affirmant, eo quod legibus ſit ſolutus, *l.* 31. *ff. de legib.* & prædiorum venditionem à privatis factam poſſit infringere, & pro arbitrio veteranis militibus in præmium prædia iſta aſſignare, *juxta l.* 11. *ff. de evict.* Contra tamen facit quod hic reſcribit Alexander Imp. graviſſimum eſſe, & verecundũ in emptoris damnum revocare, ea quæ ſemel placuerunt, firmamque venditionem retractare: & certe ſi æquitatis honeſtatiſque ratio id non patitur in privato, *l.* 1. *&* 2. *h. t.* multo minus in Principe, cujus dignitati nihil magis conveniens quam pacta ſervare; licet enim ſolutus ſit Princeps legibus civilibus, non tamen legibus conventionum & contractuum

ctuum, qui ſunt ex jure gentium. Quo fit ut contractibus à ſe, aut fiſco ſuo rite initis efficaciter obligetur, alias nemo cum eo contrahere vellet. Bart. & Bald. *ad l. 4. Cod. de legib.* Late Larrea *alleg. fiſci 3.*

8 Non obſtat quod idem Alexander prædiorum venditionem à privatis initam revocarit, & prædia militibus conceſſerit, *d. l. 11.* quoniam in uſu erat prædia bello acquiſita, aut in limine imperij ſita, limitaneis militibus aſſignare, non dominij, ſed poſſeſſionis tantum temporariæ jure fruenda, quo ardentius ea loca defenderent ab incurſu hoſtium, ut indicat *l. 3. C. de fund. limitroph.* Quæ cauſa cum publica ſit, & reipublicæ utilis, mirum videri non debet, ſi ea prædia limitrophia Princeps privatis adimat, & militibus concedat, cum hi melius quam illi ea defendere poſſint. Non enim dubium eſt quin ex cauſa publicæ utilitatis auferre poſſit ſubditis res proprias, ut tradit Andr. Fachin. *lib. 8. contr. c. 63.* & alij relati ab Amaya *lib. 1. obſ. c. 1.*

9 Quin amplius aſſerunt de plenitudine poteſtatis, poſſe Principem ſubditis bona & facultates auferre, quandoquidem illius auctoritate illa bona ſint diſtributa ſingulis, & conſervata. Hinc Juſtinianus omnia bona ſua eſſe dicit *in l. bene à Zenone Cod. de quadrien. præſc.* Et Antoninus ſe totius mundi dominum *in l. 9. ff. ad l. Rhod. de jactu.* De cujus proinde voluntate & judicio diſputare, ſacrilegij inſtar eſt. *l. 3. C. de crim. ſacril.* At ego cum illis ſentio, qui cenſent Principem non poſſe privatis, & ſubditis ſine cauſa res, & facultates auferre. Nam eſt quidem Princeps mundi, id eſt, imperij Romani dominus, & legibus ſolutus, *l. 31. ff. de legib.* Ita ut non teneatur ſubditis reſpondere, aut rationem reddere ſuorum factorum, non tamen poteſt illis res quæſitas auferre: excederet enim Princeps eas auferendo, terminos juſtitiæ, & peccaret contra ordinationem Dei, qua jubetur facere juſtitiam & judicium; & Principis nomine ſe indignum redderet. Vaſquez *illuſtri contr. lib. 1. c. 5. n. 9.* Nec adverſantur verba *d. l. 9.* Quia intelligenda ſunt, ut Princeps dominus dicatur quoad juriſdictionem, & protectionem, quam habet in res univerſas, non vero quoad dominium rerum privatarum, ut eleganter notavit Seneca *l. 7. de benefic. c. 4. Ad reges poteſtas omnium pertinet; ad ſingulos proprietas.*

10 Ergo cum ad ſingulos pertineat dominium, non poterit Princeps etiam quod jure civili quæſitum eſt adimere, nam quamvis ſit ſupra jus civile, ipſum tamen dominium ex jure gentium procedit, ab eoque jure omnia dominia originem ducunt, quocumque titulo aut ratione quæſita. Pinell. *p. 1. rub. n. f. de reſc. vend.* Molina *de Hiſp. primog. lib. 2. c. 7. n. 28. & lib. 4. cap. 3. num. 9. & ſeqq.* Proinde quod teſtamento alicui quæſitum eſt, auferre, vel vaſallum feudo privare, abſque legitima cauſa, Princeps non poteſt, neque derogare juri filiorum in bonis majoratus competenti, neque impedire, quo minus filij legitimam habeant, mortuo patre, aut ejus hæreditatem per aditionem quæſitam retineant, maxime ſi poſſeſſionis apprehenſio aditionem fuerit ſubſecuta; licet enim legitimæ quantitas, & hæreditatis aditio, & teſtamenti obſervatio, ex jure civili procedant; non eſt credendum tamen Principem, qui jura tuetur, obſervationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam velle invertere *l. 35. in pr. de inoff. teſtam.* Aut dominium juri naturali alteri quæſitũ, tollere, & quod noſtrum eſt, alteri dare, niſi legitima cauſa moveatur. Ant. Gabriel *lib. comm. concl. tit. de jure quaeſ. non toll. conc. 3.* Et citati à Larrea *alleg. 115. n. 14.*

11 Eſt autem cauſa juſta, quæ cum utilitate publica eſt conjuncta, quæ ſi non appareat, conveniens erit illam exprimere, quamvis ſemper cauſa juſta in bono Principe præſumatur. Hæc interdum efficit ut Princeps de plenitudine poteſtatis quid conſtituat, ut actus potius valeat, quam pereat. Hæc itidem Principem impellit bona ſubditorum etiam non conſentientium alienare, eorum actiones cedere, damna belli tempore illata remittere, ad obtinendam pacem; atque ut ea omnes ſubjecti fruantur, id facere dicitur Princeps de plenitudine poteſtatis, quam habet procurandi totius populi quietem. Nec repugnat id legi naturali dictanti, unicuique ſuum ſervetur, nemini ſuum auferatur, quoniam lex alia ſuperior jubet, ut tranquillitas publica procuretur, ut dixit Cicero, *l. 3. de legib. Salus populi ſuprema lex.* Juſta quidem lex quæ jubet quemquam res ſuas retinere, ſed juſtior ac potentior illa, quæ res quibuſdam adimi permittit, ut in pace vivatur. *DD. in l. 5. ff. de pact.* Etenim ubi adeſt juſta cauſa, tunc non tam legis tranſgreſſio, quam interpretatio fieri videtur, quam facere non tantum poteſt, ſed etiam debet magiſtratus.

12 Princeps vero urgente neceſſitate publica, multa de plenitudine poteſtatis conſtituit, quæ licet prima fronte dura eſſe appareant, ea tamen ſi penitius conſiderentur, reperientur æquiſſima. Ut cum remittit damna tempore belli illata, pro obtinenda pace (ut jam dixi:) Item cum jubet ſuburbia civitatis, aut domum vicini dirui, ne hoſtes eo ſe recipiant, magno cum civitatis periculo: Item fundum urbi vicinum occupari, ad dilatandas foſſas, aut pomeria civitatis, aut extruenda muniendave propugnacula, *l. 9. & 14. C. de oper. publ.* Peckius *ad c. nemo 79. n. 3. de reg. jur. n. 6.* Qui actus non poſſunt ſine abſoluta poteſtate explicari, & ideo ab eodem fieri præſumuntur, ut docet Gail. *l. 2. obſer. c. 56. num. 17. & ſeq.* Vaſquez *illuſtr. c. 5.* * Unde hiſce caſibus, ad 13
compenſationem damni, aut ad ſolutionem pretij, non obligatur Princeps, quia licet abſoluta ſua poteſtate utatur, ſubeſt tamen cauſa potentior, publica videlicet utilitas, quæ iſta fieri præcipit, & communia omnia facit, etiam invitis ſubditis. Æquitas

tamen quæ publicam cauſam ſequitur, ſuadet ut iiſdem ex publico refundatur æſtimatio, ne inviti & miſeri, re ſua & pretio careant. Covar. *var. reſ. l. 3. c. 14. n.* 8. Ubi addit ab eadem poteſtate poſſe cogi vicinum, fundum ſuum vendere amplificandi templi cauſa, quia ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, alio tamen fundo commodo aſſignato, vel juſto pretio dato, *l. 14. §. 1. quemadmod. ſervit. amit.* Ubi cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet, ſed ſolvitur ei juſtum pretium. Ita Gomez *tom. 2. var. c. 2. num.* 51. Et Valaſcus, *conſ.* 22. amplius addit conſuetudine induci non poſſe, ut ſine refuſione juſti pretij, res ſua alicui auferatur, vel vendere eam cogatur, quia naturali & gentium juri repugnaret. Plura ad uſum, & in confirmationem eorum quæ dixi, adfert. Ant. Mornatius *ad l. invitum* 11. *C. de contr. empt.*

TITULUS VI.

De his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.

1. *Civitas & ejus adminiſtratores quatenus ex mutuo accepto obligentur.*
2. *Poſſunt aliis pecuniam fœnori dare, ſed eam ex publicis rationibus accipere vetitum ſub pœna.*
3. *An puniantur officiales pecuniam dantes, & qua pœna?*
4. *Item officiales qui mutuo auream pecuniam dederunt inſcio Principe ejuſque fiſco.*
5. *Qua pœna jure & moribus puniatur qui publicam pecuniam ſurripit.*

1 TErtius contractus de quo hic, *eſt mutuum*, cujus datione civitas obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt, alioquin ipſi ſoli adminiſtratores; qui civitatis nomine pecuniam mutuam acceperunt, non civitas, tenebuntur, *l. 27. ff. de reb. cred.* Quòd ita receptum eſt, ne civitas adminiſtratorum culpa damnum ſentiat, & ut illi vigilantiores reddantur, qui civitatis nomine pecuniam accipiunt. Itaque *d. l.* 27. locum habet in adminiſtratoribus civitatis, abſque mandato, aut inſufficienti mutuum accipientibus. Nam ſi, ut inquit Bart. adminiſtratores de mandato civitatis, aut ipſum concilium, quod totam civitatem repræſentat, mutuam pecuniam accipiant, civitas obligatur hoc mutuum reſtituere, ſive ea pecunia in utilitatem civitatis ſit verſa, ſive non: utitur enim civitas jure privatorum, *l. 16. in fin. ff. de verb. ſignif.* Qui ut adſtringuntur ſuis debitis, ita civitas ſuis contractibus, quovis tempore initis, nam perſonis omnibus mutatis, ſemper una eademque manet, *l. 7. §. 2. ff. quod cujuſque univerſ.*

Porro ut accipere, ita & pro utilitate civitatis 2
ejus pecuniam adminiſtratores credere poſſunt, *l. 15. ff. ad S. C. Maced.* Itemque publicam pecuniam fœnerare ſub uſuris ſolitis, *l. 11. ff. de uſur.* At vero ex arca præfectoria in quam pecunia jam exacta reponitur vel ex theſauro Principis pecuniã fœnebrem ſumere vetitum eſt, quomodo ſi quis ab exactoribus, tabulariis, & Arcariis publicarum rationum, mutuam pecuniam acceperit, inconſulto Principe, vel à quolibet eorum, quadrupli pœna damnatur ubi detectus fuerit, *l. 1. h. t.* Quoniam pecuniæ iſtæ ad alias neceſſitates, quam ad quas deſtinatæ, non ſunt impendendæ.

Et licet pœna videatur impoſita ſolis mutuum 3
accipientibus, eadem multo magis mulctantur officiales pecuniam fœnori dantes, ſeque contractibus fiſco pernicioſis miſcentes, *juxta l. 8. ſup. de jur. fiſci*, ubi Cujacius. Pœna quippe illa eſt fere omnibus iis indicta, qui fraudem fiſco faciunt, *l. 46. §. fin. ff. de jure fiſci.* Triplum autem pœna tantum, & ſimplum res eſt, ex ſententia Bartoli *ad d. l.* 1. Quando agitur de pecunia jam exacta, & illata in ærarium Principis, quia ſi ejus nondum ſit effecta, pœna tantum erit in duplum, in officiales qui pecuniam publicam mutuam dederint, aut in proprios uſus converterint, *l. 7. ſup. de jur. fiſc.* Quam pœnam non evitant, licet fidejuſſores dederint, vel cautionem de mutuo reddendo. Joan. de Platea *ad d. l. 2. hoc tit.*

At ſcire debent omnes, accipiendi mutuo ex 4
largitionibus ſacris non patere cuiquã facultatem, ideo ſi quis occulte pecuniam auream acceperit, aut ſponſionis, aut cautionis fide, ſine ejuſdem Principis auctoritate, ablatis bonis omnibus, perpetuæ deportationis exilio ſubditur; is autem qui ex memoratis theſauris ſpecie publici creditoris, aurum cuiquam dederit, vel retinuerit ad proprios uſus, capitali ſententiæ ſubjugatur, *l. 2. hoc tit.* Quæ lex ſcripta eſt ad Comitem theſaurorum, qui conſervare, non uſurpare theſauros Principis debet. Gravius enim delinquit officialis, qui mutuans aliquam pecuniam fiſci, aſſerit ſe mandatum ad hoc habere; aut ſub ſpecie quod fiſci ſit creditor, audet aurum mutuo dare, quod cæteris metallis eſt pretioſius, & cujus mundities & uſus Principibus placet.

Hinc eſt quod gravius puniatur qui furtum com- 5
mittit rei pretioſæ, quam parvæ, modicique valoris, *l. 16. §. 7. & l. 11. §. 1. ff. de pœnis.* Item qui pecuniam publicam aut fiſcalem ſurripit ſimulans ſe fiſci creditorem, lege Julia peculatus tenetur *l. 1. & l. 9. §. 3. ff. ad. l. Jul. pecul.* Quinimo Papo teſtatur pœna capitali ultimi ſupplicij aliquando animadverſum fuiſſe in Quæſtorem, qui pecuniam publicam intervertiſſe accuſabatur, interdum exilio, cum pœna confiſcationis bonorum, *lib. 22. arreſt. Tit. 2. art.* 1. Joan. de Scobar *tract. de ratiociniis c.* 14.

Digitized by Google

c.14.n.31. Et certe non poſſet eſſe ſatis gravis pœna in eos qui exiſtentes in officio publico, undique corradunt pecunias, ex lachrimis provincialium, in utilitatem publicam expendendas, quas interim illi in ſuos uſus convertunt, aut mutuas dant, ut illarum uſurâ brevi tempore diteſcant. Ut hodie contra peculatus reos agatur, docet in ſua politica Bobadilla *l.5. c.4. num. 86.* & Pet. Surdus *conſ. 391. n. 14. & ſeq.*

TITULUS VII.

Pœnis fiſcalibus creditores præferri.

1. *Pœna & mulcta fiſcales quæ ſint? Rationales an habuerint jus mulctandi?*
2. *Exponitur conſtitutio* h.t. *quæ vult ut præferantur creditores ipſi fiſco in pœnis.*
3. *Ratio iſtius conſtitutionis eſt quod fiſcus agat de lucro captando, creditores de damno vitando.*
4. *Adverſus quos creditores fiſcus habeat privilegium.*
5. *An in pœnalibus habeat fiſcus jus tacitæ hypothecæ?*
6. *Agitur de intellectu* l. 48. §. Cornelio fœlici ff. de jure fiſci; *quâ fiſcus fruitur bonis fideicommiſſo relictis antequam dies fideicommiſſi venerit.*
7. *An præferatur denuntiatori, Judici & aliis quibus pars competit in pœna, quam integram ſolvere nequit condemnatus?*
8. *Pars pœnæ cui ex duobus fiſci patronis competat, an ei, qui litem movit, an qui eam perfecit?*

1 ALtera cauſa eſt *crimen*, ob quod vel bona confiſcantur, vel mulcta fiſco defertur, *l.5. ſup. de modo mulct.* Quæ hic pœna fiſcalis dicitur, alia certa & à jure determinata, quæque illis imponitur, qui delictum perpetrarunt in duplum vel quadruplum, *l.1. & 2. ſup. tit. 1.* Alia incerta pendens ex arbitrio judicis, & mulcta magis eſt, quæ pecuniæ, non famæ damnum irrogat, & imponitur inſpecta cauſæ & perſonarum delinquentium qualitate, *l.2. & tot. tit. ſup. de modo mulct.* Ex quo conſtat procuratores fiſci vel rationales non habere jus mulctandi, licet habuerint juriſdictionem, quia id ſolum conceſſum fuerat Magiſtratibus, qui præerant juri dicundo: illorum tamen juriſdictionis fructus, ſunt iſtæ pœnæ fiſcales, per quas augetur Principis ærarium. Bart. *in l. fin. C. de fructib. & litium expenſ.* Capitius *deciſ. 27. num. 15.*

2 His præmiſſis exponenda modo eſt æquiſſima hujus tit. Conſtitutio Alexandri Imp. in qua vult ſi aliquis fuerit à Judice condemnatus in certam pœnam fiſco applicandam, quam deinde ipſe fiſcus vindicare intendit, & adſint condemnati creditores adverſus eum actiones ſuas moventes, ut illi fiſco præferantur; nam habet quidem fiſcus in actionibus perſonalibus, & rei perſecutoriis prælationem, non item in pœnis, *in illarum enim exactione rem ſuam perſequentibus poſtponitur*, inquit, *l.un. hoc. t.* Sic ſi is qui delinquit mutuam pecuniam accepit ex publicis rationibus, & damnatus eſt in pœnam quadrupli (ut dictum *ſup. tit.*) licet hæc pœna à jure ſit impoſita, eamque fiſcus exigat, præferendi ſunt creditores in triplo ejus quadrupli, non autem in toto quadruplo, cui ſimplum ineſt, namque in hujus ſimpli perſecutione, fiſcus uti creditor, potior eſt, *d.l.un. in fin.* *Ratio autem cur in pœnalibus actionibus non ſit potior, ſed cedere debeat anterioribus creditoribus, hæc eſt, quod quando fiſcus agit ad pœnæ perſecutionem ratione delicti, certet de lucro captando, reliqui vero creditores de damno vitando, & perſequantur quod ſibi ex contractu, ſuaque præventione debetur; quorum proinde cauſa ſemper viſa eſt favorabilior, durior vero petitoris, *l.33. ff. de reg. jur.* Facit in eam rem *l. fin. §. licentia C. de jur. deliber. & l. fin. §. ſi quis vero C. de codicill.* ibi *non enim par eademque ratio videtur amittere debita, & lucra non captare.* Quibus accedit quod fiſcus in pœnis, loco debitoris ſuccedere videatur, quare non plus juris vel bonorum habet, quam is in cujus locum ſuccedit, *l.48. §.1. ff. de jur. fiſci.* Huc quoque pertinet, quod à Jaboleno reſponſum eſt, non poſſe ulla bona publicata ad fiſcum pertinere, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt: id enim bonorum cujuſque eſſe intelligit, quod æri alieno ſupereſt, *l.11. & l.12. ff. eod.* Ubi ſtatutum prius creditoribus præcedentibus ſatisfieri debere, & quod reſiduum eſt fiſco cedere. 3

Habet quidem fiſcus in hoc privilegium, quod rem ſibi aliiſque creditoribus obligatam poſſit vendere, ſed tamen debet antiquioribus creditoribus hypothecariis ſolvere, & quod ſupereſt ſibi retinere, *l. un. ſup. de vend. rer. com.* Similiter hic licet fiſcus contra ipſum delinquentem poſſet uti ſuo privilegio, illud tamen ceſſat in pœnis contra creditores antiquiores. Idque affirmant jura allegata, & quod Papiniano placuit, à fiſco non eſſe exigendam pœnam niſi creditores rem ſibi debitam recuperaverint, ita ut privilegium in pœnali actione, fiſcus contra antiquiores creditores non exerceat, non tamen jus commune privatorum amittat, *l. 37. ff. de jure fiſci.* Quod ita ibi Cujacius, & hic Amaya interpretantur, ut ſi debitum pœnale fiſco competens, ſit antiquius credito, non auferatur fiſco jus commune, quamvis certet de lucro, ſed præferatur poſterioribus creditoribus, ſicut quilibet privatus agendo præfertur ex cauſa antiquiori. 4

Cæterum etſi fiſcus tacitam habet hypothecam in omnibus bonis ſui debitoris, *l.46. §.3. ff. d. t. l.2. C. in quibus cauſis pign. l. 2. & 3. C. de privil. fiſci,* eam tamen non habet contra creditores pro pœnarum 5

narum perſecutione *l.* 10. *ff. de pact.* & ratio eſt, quia publicatio bonorum ita accipitur, ut æs alienum deducatur, prout dicitur *in d. l.* 11. *& l.* 72. *ff. de jur. dot.* Atque ita fiſcus minime poterit creditoribus
6 anteponi. * Non obſtat *d.* §. 3. Quod fiſcus ſemper habeat jus pignoris, quia eo jure, nec ſuo privilegio utitur in pœnis contra creditores. Platea *ad l. un. in fin.* inſinuat non obſtare quod dicitur *in l.* 48. §. *Cornelio fœlici ff. de jur. fiſci.* Ubi mater hæres inſtituta, & rogata poſt mortem ſuam hæreditatem reſtituere Cornelio filio, ea autem propter delictum condemnata, & à fiſco bonis occupatis, cum diceret Cornelius, ſe in ea hæreditate potiorem eſſe debere, quoniam bona pœnæ cauſa publicata fuerant, & conſtet pœnæ fiſcalis executionem creditoribus poſtponi; decretum nihilominus fiſcum, excluſo Cornelio eſſe potiorem, & recte. Nam pendente conditione fideicommiſſi Cornelius non fuit creditor, *l.* 42. *ff. de obligat.* Nec per conſequens litigare, aut cum fiſco concurrere potuit. Accedit quod mater non fuerit civiliter mortua, quia non fuit deportata, ut non mirum ſi fiſcus præferatur: fuerat quidem illa gravata poſt mortem reſtituere, ſed per ſolam confiſcationem bonorum non intelligitur dies fideicommiſſi veniſſe (dies quippe mortis incertus, facit conditionem, *l.* 1. §. *dies & l.* 75. *ff. de cond. & demonſt.*) Fruſtra ergo antequam extiterit conditio, vel dies venerit, filius bona petit, *l.* 10. *ff. ad Trebell.* Et cum poſſit vivente matre è vivis decedere, & fideicommiſſum caducum fieri per conſequens, *l.* 13. *ff. quando dies legat. ced.* Itemque fieri, ut mater res alias acquireret, dum viveret, ex quibus ſumma efficeretur totius fideicommiſſi, & fideicommiſſario ſuperſtiti ſatis fieret, non revocatis bonis quæ fiſco ſunt addicta. Aliud eſſet ſi bona non acquireret mater, nam poſt ejus mortem bona revocabuntur, quæ in fiſcum tranſiverunt, cum ea ſemper tranſeant cum ſua cauſa, ac ita interim (ut dixit Paulus) dum vivit mater. Ita Amaya *hic & lib.* 1. *obſer. c.* 11. Ubi plures auctores refert.

7 Quod ſi delictum ſit tale, ob cujus perpetrationem pœna ipſo jure applicetur fiſco, & ad eam concurrant denuntiator, Judex, aliique miniſtri juſtitiæ, quibus ratione officij, jus competit iſtius pœnæ, fiſcus præferetur, nec prius quam illi plene ſatisfactum ſit, reliqui agere poſſunt. Hinc ſi concurrat denuntiator & fiſcus, reo condemnato in mulctam 200. aureorum, qui tamen in bonis non habet ultra 100. totam hanc ſummam fiſcus auferet, quia ante ejus exactionem, nullum jus aliis competere videtur, *l.* 29. *ff. de jur. fiſci.* Ibi Bartol. Bobadil. *lib.* 5. *polit. c.* 6. *n.* 5. 7. & 8. Contrarium tamen fuiſſe judicatum in curia Pariſienſi meminit Joan. Gallus *q.* 130. Et Covar. *lib.* 1. *var. reſol. c.* 16. *n.* 8. Ita quidem ut ſatisfeciſſe videatur condemnatus partem dimidiam offerendo, quodque in ea parte non præferatur fiſcus privato, ſed uterque cum creditor ex eodem facto ſit, concurrat ad partem æqualiter dividendam; quoniam hic ceſſat cauſa prælationis, quæ tunc demum conſideratur, cum ex diverſis factis duo creditores apparent. Ita poſt citatos Peregrinus *de jur. fiſci lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. Sed probabilior eſt prior ſententia, & plures habet aſſertores, quos refert Larrea *alleg. fiſc.* 37. *n.* 22. *& deciſ. Granat.* 27. *n.* 9.

Sed quæſitum fuit, an ſi duo advocati fiſci concurrant, quorum unus accuſationem inſtituit, adverſus adminiſtratorem pecuniæ publicæ, & alter 8
in officio fiſcali ſucceſſor, litem proſequi curavit, ac ſententiam proferri & exequi, cuinam pars pœnæ competat, priorine qui litem promovit, an ejus ſucceſſori? Atque huic competere verior eſt opinio, quia non cenſetur debita pœna, niſi à die condemnationis, *l.* 244. *ff. de verb. ſign.* Ante enim neque bona delinquentis cenſentur fiſco obligata, neque actio orta ad pœnam. Bartol. *in l. poſt. contract. ff. de donat. n.* 16. *& in l. in fraudem ff. de jur. fiſci.* Igitur cum pœna non debeatur à tempore commiſſi delicti, ſed demum ſubſecuta condemnatione & exactione, non poteſt priori fiſco litem inſtituenti, jus aliquod competere, ſed ſecundo, qui cauſam perficit, & in ea habebat juriſdictionem, ut proinde ei pœna ſit applicanda, ex ultima condemnatione, nam iſta pœna tanquam fructus juriſdictionis conſideratur, & attenditur tempus perceptionis, quando ultima nimirum ſententia profertur, & executioni mandatur. Late d. loco Larrea. Et molina *De Hiſpan. primog. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 19. *& ſeqq.* Ubi dicit hanc opinionem eſſe veram, ac ſolum limitari in caſu, quo pœna incurritur ipſo jure, ut tunc ea cedat priori fiſco, cujus tempore accuſatio inſtituta fuit.

TITULUS VIII.

De fiſcalibus uſuris.

1. *Uſura pœna inflicta ex delicto, exigi non poteſt, mulcta poteſt.*
2. *Qui poſſint aut non poſſint mulctam dicere.*
3. *Cur ex nudo pacto, citra ſtipulationem uſuræ fiſco debeantur ex contractu.*
4. *Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat, ſed accipit.*
5. *Fiſcus ſuccedens privato qui obſtrictus erat ad evictionem, eo nomine inſtar privati tenetur etiam ad litis expenſas.*
6. *Quando ex pacto pro uſuris poterit obligatum pignus retineri?*
7. *An creditor pignus in uſuras, vel in pœnam retinere poſſit.*
8. *Fiſcus uſuras majores ſemiſſibus ſtipulari non poteſt, nec ab alio cui ſucceſſit ſtipulatas exigere.*
9. *Obiter hic de modo uſurarum à jure præſcripto.*

1. Quo-

Digitized by Google

1 QUoniam de contractibus, & pœnis dictum ſupra, ſubjicit Imp. de uſuris, quas fiſco & contractu deberi aſſerit, non item ex delictis & pœnis, *l. 1. h. t.* quia iniquum eſſet pœna non ſoluta à debitore fiſci, exigere pœnarum pœnas. Igitur pœnarum uſuræ peti nec deberi poſſunt, *l. ult. ff. de magiſtr. conv.* ſicut nec uſuræ uſurarum, quid enim aliud uſura quam pœna, quæ propter moram non ſolventis, infligitur, *l. 17. §. 3. ff. de uſur.* At verò mulctæ nomine, à poteſtate habente, indictæ uſuræ deberi poſſunt, videlicet ſi intra tempora judicati non ſolvantur.
2 * Habet autem mulctandi poteſtatem Conſul, Prætor, & omnis Magiſtratus, cui adjudicatio data eſt, *l. 131. ff. De verb. ſignif.* aut cui hoc ſpecialiter permiſſum, uti Præſidibus, *l. 2. §. fin. ff. de judiciis.* Quo fit ut Magiſtratus municipales, & Procurator Cæſaris etiamſi juriſdictionem habeant, non tamen habent jus mulctæ indicendæ, *l. 2. ſup. de modo mulct.* licet poſſint pœnam infligere legibus definitam, juxta *l. 1. h. t.* Ubi Antoninus Imp. corrigit errorem proponentis in libello mulctam pro pœna, cum mulctam fiſci Procurator irrogare non poſſit. Cur ita? Quia tantum jus mulctæ dicendæ conceſſum eſt *l. 12. tabul.* Magiſtratibus, qui imperium habent, non aliis; multo minus Magiſtratibus municipalibus, qui propriè Magiſtratus non ſunt. Alciatus ad *d. l. 131. & ibi* Gædeus.

3 Sed videamus quatenus ex contractibus fiſco uſuræ debeantur, & certum eſt non modo citra ſtipulationem, ſed etiam ſine ullo pacto, ſine nudo conſenſu uſuras deberi fiſco, ſicut & civitatibus, maxime ob pecuniam ab eis creditam, *l. 30. ff. de uſur.* Si modo mora à vectigalium conductore, aliòve debitore facta ſit, vel tardius fiſco pecuniam inferat, quam debebat, *l. 17. §. 5. ff. d. t.* Nam licet regulariter uſuræ non debeantur citra vinculum ſtipulationis, *l. 3. Cod. de uſur.* Quia nudum pactum non parit obligationem uſurarum, habet tamen hoc privilegium fiſcus & reſp. præ cæteris, *dict. l. 30. & 43. ff. eod. tit.* Hinc obſervandum quod quoties nudum pactum certa lege vel privilegio aliquo juvatur, ut hic, vel aliqua interveniente negotij cauſa, puta cohærentia contractus alicujus, ex quo firmitatem ſuam conſequitur, toties non videatur nudum pactum interveniſſe; exempla poſui *ſupr. de uſuris.*

4 Verum quamvis ex ſuis contractibus fiſcus uſuras ut ſolet, accipiat, eas tamen non debet pro contractu in quem ſucceſſit privato, licet privatus anteceſſor ſolvere conſueviſſet, habet enim poſtquam ſucceſſit privilegium ſuum: at dum in privati debitoris jus ſuccedit, privati jure utitur, pro anteriori ſuæ ſucceſſionis tempore, *l. 6. ff. de jure fiſci.* Atque ita intelligendus Ulpian. ad ſolvendum eatenus fiſcum teneri, quatenus privatus poſſedit, hoc eſt, pro eo tempore quo in poſſeſſione privatus fuit, & uſuras debuit, *d. l. 17. §. 5.*

Planè ſi ſucceſſerit privato, qui obſtrictus erat 5
alteri ad evictionem, ut puta, bona Titij publicata ſunt, qui alienam rem, aut alteri obligatam mihi vendiderat, evicta eadem re, regreſſum habeo adverſus fiſcum pro evictione, non ſolum ad pretium & id quod intereſt, ſed etiam ut ſumptus litis mihi refundat. Nam quamvis dici ſolet fiſci procuratorem non præſtare litis expenſas, ad eum caſum pertinet, quo is agit tanquam publicus accuſator, quia ex officij neceſſitate id facit, quæ ſatis eum excuſat, non vero cum convenitur ut privatus, vel ei ſuccedit, *d. l. 6.* Ant. Faber in ſuo *Cod. tit. de evict. definit. 19.* Coſtalius *ad d. l. 17. §. 5.*

Igitur fiſcus privato ſuccedens, ipſius jure utitur, 6
& eas uſuras prҫſtat, quas creditor à privato exigere potuiſſet, ex ſtipulatione, nam ex pacto nudo (uti dictum) nemo regulariter uſuras præſtat; ſi tamen in eas uſuras quæ pacto tantum promiſſæ, pignus ſit acceptum, per retentionem pignoris, uſuræ ſervabuntur à fiſco, quas pacto non ſervaſſet; quæ ſententia eſt *l. 2. h. t.* ad quam pertinet *l. 4. & 22. C. de uſur.* * Ex quibus obſerva, ut uſuræ debeantur, & re- 7
tineantur ex pacto vel ſtipulatione, non ſufficere de uſuris tantum conveniſſe, niſi certa ſumma vel quantitas uſurarum expreſſa ſit, quod ubi factum non eſt, non poterit pignus ſaltem à privato retineri in uſuras, quia nullæ ſunt, nec in pœnam commiſſam, quia pignus in eam cauſam obligatum non eſt, quod proinde reſtituendum erit debitori, oblata ſorte quanta debeatur. Donell. *ad d. l. 22.*

Verum illud eſt commune fiſco, & privato cre- 8
ditori, quod in exigendis uſuris non liceat legitimum modum uſurarum excedere, cum autem hic præſcribit Juſtinianus, ut uſque ad dimidiam centeſimæ tam fiſco quam privato liceat ſtipulari, non ultra. Item uſuras majores ſemiſſibus, fiſcus exigere à ſuis debitoribus non poteſt, ſive eas nominatim ſtipulatus ſit, ſive creditoribus debitoris ſucceſſerit, adeo ut ſemiſſes conſequatur fiſcus, etiamſi ei creditori ſucceſſerit cui leviores debitæ fuerant, *l. ult. h. t.* * Sic etiam civitatum ſolemnes uſuræ fuerunt 9
ſemiſſales, & tanti à Republica pecuniæ ſolebant mutuari, *l. 10. ff. de pollicit.* Eccleſia vero tantum quadrantes uſuras præſtat, *Novell. 120.* quo jure non utimur. Hodie namque varius eſt uſurarum modus, prout eſt varia perſonarum conditio, & rerum qualitas: atque civiles & moderatæ viſæ ſunt, quæ ſemiſſes; minores ſunt quadrantes; majores centeſimæ, quas excedere non licet, ne in trajectitiis quidem contractibus. Videatur Juſtiniani Conſtitutio *in l. 26. ſup. de uſur.* & quæ ibi expoſuimus.

Digitized by Google

TITULUS IX.

De ſententiis adverſus fiſcum latis retractandis.

1. *Continuatio, & quod cauſæ fiſcales abſente fiſci patrono deciſæ retractentur.*
2. *Si contra fiſcum lata eſt ſententia præſente fiſci advocato tenet, eo abſente, aut omiſſo inſtrumento, dein reperto retractatur intra triennium.*
3. *Quomodo intelligendum ſit hoc privilegium fiſcale de retractatione ſententiæ per actionem vel reſtitutionē.*
4. *Reſtitutio privato læſo competit, item Eccleſiæ, ſi poſt ſententiam reperiatur inſtrumentum concernens cauſam publicam.*
5. *Quibus remediis arreſta retractanda veniant?*
6. *Ex beneficio reſtitutionis fiſco competenti, poteſt retractari executio ſententiæ?*
7. *In cauſis criminalibus retractari poteſt ſententia, & moderari pœna per reſtitutionem in integrum.*
8. *An fiſcus in criminali cauſa poſſit uti remedio hujus* l. uni. *& retractare ſententias.*

1 NOn ſolum lædi poteſt jus fiſci, venditione non rite facta, & mutuatione pecuniæ publicæ, prout dictum ſuperioribus titulis, ſed etiam cauſarum fiſcalium deciſione, pronuntiatione, de qua re tractanda ideo hic ſubjicitur. Et quidem fiſcales cauſæ ſi non interveniente fiſci advocato deciſæ ſint, in integrum reſtituuntur, *l. 3. §. 9. ff. de jure fiſci.* Idemque in *l. 7. eod. tit.* aſſeritur, ſi abſente fiſci advocato pronuntiatum ſit, nihil actum eſſe, & ideo ex integro cognoſci oportere. Tanta enim eſt fiſcalis patroni auctoritas, ut non videatur defenſus fiſcus, ſi ille abfuerit, aut non aſſiſtat cauſæ fiſcali; quod diverſum eſt in cauſis privatorum quæ ſemel finitæ, non retractantur, velamento abſentiæ patroni, *l. 4. ſupr. de poſtul.*

2 Igitur ſi præſente fiſci advocato, cæteriſque rite peractis, quæ ad cauſæ fiſcalis defenſionem faciunt, contra fiſcum judicatum ſit, tenet ſententia, & non niſi communi appellationis remedio, fiſcus juvatur ſicut pupillus, aut quivis alius privatus, *l. 9. ff. de appellat.* Si vero ſententia lata fuit adverſus fiſcum, eò quod omiſſum ſit inſtrumentum, in fiſci favorem confectum, & culpa ipſius, vel ejus advocati non fuit in primo judicio productum, quod ſi de novo reperiatur & producatur, jure ſpeciali retractatur, ex ſola nuda allegatione, ſententia, intra triennium, *l. un. h. tit.*

3 Imò & poſt id tempus, ſi prævaricatio arguatur, vel manifeſta fraus probetur, retractabitur ſententia, ſed per reſtitutionem in integrum judicis officio. Accurſ. Platea & Valenzuela *ad d. l. un.* Ubi ſi corruptio judicis, aut fiſci advocati intervenerit, ſentiunt ſententiam ipſo jure nullam eſſe, contra fiſcum latam, *l. 7. ſup. quando provoc. non eſt neceſſ.* Alfaro *de officio fiſcali.* Gloſſa 34. *n.* 237. Facit quod dicit Calliſtratus *in l. 3. ff. de colluſione detegenda; perinde inefficax eſſe decretum atque ſi nulla res judicata interveniſſet.* Peregr. *de jure fiſci l. 7. c. 4. n. 5. & 6.*

Quæ quidem diſtinctio in privato non admittitur: nam ſi quis ſententiam retractare conſtituit, ſive fuerit minor, reſpublica, vel Eccleſia, beneficium reſtitutionis implorare tenetur, probata prius læſione, & quod ad ſuam notitiam nondum pervenerint inſtrumenta reperta, *l. 33. ff. de re judic.* Et quidem olim privato non dabatur niſi annus utilis, poſtea variatum hac in re, tandem Juſtinianus quadriennium conceſſit, ad petendam & impetrandam reſtitutionem, *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtit.* Quod etiam fiſco multo magis hodie conceditur, non autem longius tempus, quia non eſt jure cautum. Atque huc ſpectat quod Impp. reſcripſerunt quamquam ſub prætextu novorum inſtrumentorum reſtitui negotia minime oporteat, tamen in negotio publico, ex cauſa permittere ſe hujuſmodi inſtrumentis uti, *l. 35. ff. de re jud.* Publicum negotium hic dicitur, quod ad fiſcum, & civitatem pertinet, *l. 16. & ſeq. ff. de verb. ſign.* Id etiam extendunt pragmatici ad Eccleſiam, quæ civitati æquiparatur, *l. fin. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* Fachin. *lib. 1. contra cap. 53.* * Itemque ſervant quod quamvis non ſoleant ſententiæ majorum judicum retractari, niſi per propoſitionem erroris, nihilominus tamen ſi inſtrumenta probationum poſtea reperta fuerint, concedi poſſit reſtitutio privilegiatis perſonis. Ita Papon. *lib. 19. tit. 8. art. 3. 4. & 5.* 4 5

Ob quam reſtitutionem retardari ſententiæ executionem plerique DD. volunt, inter quos Salicetus, *in l. 1. C. ne liceat tertio prov.* Nec obſtare *l. 2. C. de falſis.* qua probatur, non obſtante exceptione falſi, quæ opponebatur, ſententiam eſſe exequendam. Quia opinio eorum, qui contra ſenſere, procedit quando non ſtatim conſtat de eo quod per reſtitutionem opponitur, & requirit altiorem indaginem. At ubi conſtat ſtatim de eo quod reſtitutione petitur, etiam adverſus tres ſententias conformes opponi poteſt, prout docent relati à Joan. Garſia, *de nobilitate Gloſſ. 6. §. 2. n. 17.* & Larrea *alleg. fiſc. 71. n. 10.* contra Covarruv. *lib. pract. c. 25. n. 7.* 6

Quemadmodum in cauſa civili per prætoris auxilium læſis ſubvenitur, ita in cauſa criminali ſuccurritur reo innocenti per Principem, *l. 1. §. ult. ff. de quæſtionib.* Atque ejus auctoritate reſcinditur ſententia, qua quis eſt condemnatus ad pœnam, de cujus tamen innocentia poſtea conſtiit per inſtrumenta recens reperta, *l. 27. ff. de pœnis.* Ex qua liquet plura extare principalia reſcripta, quibus vel pœna reorum minuta eſt, vel in integrum reſtitutio conceſſa, ſed id dumtaxat à Principe ejuſve ſupremo 7

Digitized by Google

ſupremo Senatu fieri poteſt, eoque pertinet *l. 1. verſ. qua lege ff. de l. Jul. de ambitu*. Ubi ſi aliquis de ambitu damnatus, alium convicerit, in integrum reſtituitur. Non obſtat *l. 37. ff. de minoribus*. Quæ denegat reſtitutionem minori, contra omiſſam accuſationem, ſiquidem aliud eſt dari reſtitutionem ad accuſandum, aliud poſt interpoſitam accuſationem, & litem jam conteſtatam, cum negari non poſſit, quod ſi minor in aliquo actu litis fuerit læſus, poſſit in integrum reſtitutionem poſtulare, *l. 16. §. fin. ff. de minoribus*. Gomez *tom. 3. var. c. 1. n. 7*. Gutierrez *pract. qq. 70*.

8 Hinc quæritur, an fiſcus in criminali cauſa, in integrum reſtituatur adverſus ſententiam quæ reum abſolvit, aut leviorem quam par eſt illi pœnam irrogavit: ſunt qui id negant, auctoritate *d. l. 37. ff. de minorib.* ubi denegatur reſtitutio ad pœnam perſequendam, quod late oſtendit Franciſc. Caldas, *ad l. ſi curatorem verb. vel adverſarij dolo num. 37. ff. de in integr. reſtit.* Alij affirmant per *l. un. hoc tit.* Quæ generatim comprehendit omnes cauſas, nec diſtinguit inter civiles & criminales, atque ita in omnibus ſententias latas contra fiſcum retractari jubet. Cui non facit ſatis Fachinæus *lib. 9. contr. cap. 81*. Ubi dicit *d. l. un.* agere generaliter de ſententiis latis in pœnalibus cauſis, in quibus cum non reſtituatur, minor reum accuſans, (ut dictum eſt) ſi intentionem ſuam non ſufficienter probavit, multo minus fiſcus. Nam alia ratio privati minoris, alia fiſci, qui ipſo jure privilegium habet retractandi ſententias contra ſe latas. Quidquid hac in re de jure ſit, moribus ſaltem id receptum videmus, quod in atrocioribus, ſi minor pœna reo ſit irrogata, quam delictum expoſtulat, ſoleat ſupremus Senatus reſtitutionem concedere, fiſco agenti ad dignam pœnam, propter exemplum, utque ſatisfiat publicæ vindictæ, ac ita ſæpius judicatum meminit Ant. Gaſpar Theſaurus, *lib. 1. quæſt. forenſ. q. 59*.

TITULUS X.

De bonis vacantibus & incorporatione.

1. *Bona vacantia quæ dicantur, quid de his ſtatuit lex Julia caducaria, & poſtea Juſtinianus.*
2. *Civitates non habens jus vindicandi bona vacantia.*
3. *Niſi à Principe tale jus conſequantur, aut motu proprio datum ſit privilegium civitati.*
4. *Poſſeſſiones à Principe conceduntur plene & cum omnibus ſuis juribus & acceſſionibus.*
5. *Conceſſo caſtro conceſſa videntur ejus munimenta. An etiam conceſſa cenſeatur Principis juriſdictio?*
6. *Quid ſi donatio caſtri fiat cum ſuis pertinentiis?*
7. *An conceſſa ſpecialiter juriſdictione cenſeatur Princeps derogare juri quod populo competit eligendi magiſtratum?*
8. *An conceſſa juriſdictione, cenſeantur conceſſa regalia & jura Principi reſervata, itemque bona vacantia?*
9. *Hodie bona vacantia multis in locis non fiſco, ſed dominis locorum cedunt.*
10. *Quibus perſonis hæc bona olim competerent, præterquam fiſco. Ad quem deferantur bona clerici decedentis ſine cognatione.*
11. *Bona ſpuriorum & peregrinorum cui hodie competant?*
12. *Num poſſint ſpurij de illis teſtamentum facere?*
13. *Bona peregrinorum captivorum & ad colonias migrantium fiſco applicabantur, & quando.*
14. *Quinam hodie pro peregrinis habeantur, & illis decedentibus abſque hærede, quis in illorum bonis ſuccedat?*
15. *In bonis alienigenarum Rex in Gallia ſuccedit jure albinatus niſi illi ſint naturalizati.*
16. *Sed non ſuccedit in bona regnicolæ, qui receſſit ex regno, ſed ejus liberi ibidem nati, ſecus eſt ſi externus naturalizatus regnum deſerat, animo non revertendi.*
17. *Quod ſi externus in regno uxorem ducat & liberos ex ea ſuſceperit, ſuccedunt liberi etiamſi uterque parens ſit alienigena.*
18. *Item liberi naturalizati. ſed exteri excluduntur etiam à jure petendi legitimam.*
19. *In Belgicis provinciis eſt ſimile jus, ſed in Hannonia fiſcus exterorum bona capit. In aliis locis bona deferuntur proximioribus.*
20. *Vacare oportet bona ut in fiſcum tranſeant, ea non tranſeunt propter delictum, quæ prohibentur alienari.*
21. *Uſusfructus interim manet apud fiſcum durante vita poſſeſſoris, qui deliquit, niſi illius alienatio expreſſe ſit prohibita.*
22. *An bona derelicta & quæ domino carent, uti vacantia ad fiſcum pertineant.*
23. *Quid juris in bonis è navi projectis, erratis, inventis, an cedant inventori, ſi dominus non reperiatur?*
24. *Quatenus heres, aut animalia domino reſtituantur, ſecundum mores noſtros?*
25. *Si pecus aberrans damnum dederit quid juris? & quid ſi illud nemo vindicare velit?*
26. *Qui ad ſucceſſionem venire vult & fiſcum excludere, probare debet ſe proximum ex ſanguine defuncti, vel quod ab eo pro cognato habitus fuerit.*
27. *Si ex conſuetudine bona ſequuntur lineam, una deficiente an accreſcat alteri, vel fiſco?*
28. *Quis hic nullo extante hærede mori dicatur?*
29. *Quas ſolemnitates adhibere debet Comes rerum privatarum, in incorporatione rerum quæ à fiſco vindicantur.*

Digitized by Google

30. *Bona vacantia & alia caduca in provinciis quomodo fiſco acquirantur. Quod incorporatio non fiat priuſquam audiatur contradictor.*
31. *Hodie quomodo fiat bonorum vacantium deſcriptio & incorporatio?*
32. *An fiſcus ſuccedat in bonis vacantibus ut hæres, an jure proprio.*
33. *Tenetur creditoribus hæreditariis, non tamen ultra vires hæreditatis, ſed pro menſura bonorum.*
34. *Non cogitur inventarium facere. Quo in caſu ſuccedat fiſcus quaſi hæres?*
35. *Quilibet fiſcus tenetur ſatisfacere creditoribus.*
36. *An fiſcus ſuccedens in bonis vacantibus teneatur præſtare legata & fideicommiſſa teſtamento relicta?*
37. *Quanto tempore præſcribatur adverſus fiſcum, qui non apprehendit bona vacantia?*
38. *A quo tempore curret iſta præſcriptio?*

1 FIſcus ſeu ærarium publicum augetur ſæpe acceſſione rerum, quæ privatorum hominum fuerunt, quod variis modis accidit, unus hic ponitur, cum bona fiunt vacantia. Dicuntur autem bona vacantia, Græce adeſpota, quæ nullum dominum aſſertoremve habent veluti cum quis abſque omni hærede deceſſit *l. 1. & 4. h. t.* Sive quia nemo eſt cui delata ſit hæreditas, ſive quia nullus illorum quibus eſt delata, adire eam velit, ut hoc caſu bona quaſi deſerta publicentur, cautum fuit *l. Julia.* Quæ caducaria appellata eſt, *l. 96. §. 1. ff. de legat. 1. & l. 4. ff. de fideic. lib.* Cui legi derogavit ex parte Juſtinianus non quidem tam illud jus tollens, quo bona caduca & vacantia, in fiſcum transferuntur, quam modos aliquos quibus res olim caducæ efficiebantur, *l. un. C. de caduc. toll.*

2 Adeo hoc jus caducorum, & bonorum vacantium fiſco reſervatum eſt, ut aboleantur privilegia civitatum, id jus etiam permiſſu Principis ſibi vindicantium, *l. 1. h. t.* Quali privilegio ſe ab Auguſto donatos contendiſſe Nicenſes teſtis eſt Plinius *l. 10. epiſt. 93.*

3 At cum bona Decurionis inteſtati civitatis comcommodis cedant. *l. 4. C. de hæred. decur.* Cur non etiam civium inteſtatorum bona vacantia civitates occupant? Quia illæ privatorum jure utuntur, nec habent fiſcum, nec per conſequens jus confiſcandi, aut vindicandi bona, niſi à Principe tale jus eiſdem concedatur motu proprio. Platea *ad l. 1. n. 1.* Et Molina *de primog. lib. 1. cap. 25. num. 21.* Hinc hodie plures ſunt liberæ civitates, non agnoſcentes ſuperiorem; item aliæ quæ longa conſuetudine, aut privilegio principali fiſcum habent, atque ad illum bona decedentium ſine hærede deferuntur, prout dictum, ſi motu proprio Principis id privilegium civitati fuerit datum, non autem ad petitionem illius, niſi inſerta ſit clauſula particularis, quæ deroget diſpoſitioni juris communis, prout dicitur *in l. 1. & 2. Infr. de petit. bonor. ſubl.* Peregrin. *de jure fiſci lib. 4. c. 3. &* Maſtrillus *de Magiſt. lib. 3. c. 13. num. 391.*

Solet quandoque Princeps penes quem eſt omnis poteſtas, munificentiam ſuam exercere non ſolum civitatibus & municipiis privilegia concedendo, ſed etiam vacantes poſſeſſiones privatis donando, quas ubi donat, ſi in annotatione, ſeu ſcriptura dicatur, *integro ſtatu donaſſe*, intelligitur cum adjacentibus & mancipiis, & pecoribus, & fructibus & omni jure, quo inſtructa cenſetur poſſeſſio, *l. 2. h. t.* Quod ſecus in donatione privati, quæ ſtricti juris eſt, ut non veniat, niſi quod in ea fuit expreſſum, *l. 35. §. 3. C. de donat.* Unde & domus nomine, ſola intelligitur, *l. 7. §. 1. ff. pro empt.* Interdum & ea quæ domui ita affixa ſunt, ut ab ea avelli, ſine vitio nequeunt, *l. 21. & 26. ff. de fundo inſtr.* At vero beneficia Principis quæ ex divina ejus indulgentia proficiſcuntur, quam pleniſſime interpretari convenit, *l. 3. ff. de conſtit. princip.* Niſi donaret quidpiam non ſolitum donari, vel damnoſum reipublicæ, aut alteri cuilibet. Amaya *ad d. l. 1.* 4

Quod ſi tamen Princeps alicui donaret caſtrum, in quo multa ſunt munimenta, etiamſi ea non ſint affixa, donata videntur, *arg. l. 20. §. 7. ff. de fund. inſtr.* Sed major eſt difficultas, num cum caſtrum donavit, cenſeatur quoque juriſdictionem donaſſe? Et pleriſque placet illam non videri donatam, quia poteſt juriſdictio per ſe ſubſiſtere, & ſeparari ſalva ſua ſubſtantia à caſtro & prædiis. Eſt enim quid incorporale, & diſtinctum à proprietate fundi. Alij contrà putant, conceſſo caſtro cenſeri conceſſam juriſdictionem, quæ erat annexa caſtro tempore conceſſionis, maxime ſi concedens uſus ſit verbo generali territorij, diſtrictus, *juxta l. 2. h. t.* Ubi poſſeſſione donata, intelliguntur omnia donata, quæ ei adhærent, & acceſſoria ſunt, *arg. l. 52. §. ult. ff. de act. empt.* Sic conceſſo loco cum ſuis finibus, videtur conceſſum quidquid intra fines continetur. Coſtalius *ad l. un. §. 4. ff. de off. præf. urbi*, ibi *cum urbem noſtram fidei tuæ commiſerimus, etiam juriſdictionem & imperium* in eam civitatem cenſeri conceſſum dicit. Et ſequitur Molinæus *ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 1. Gloſ. 5. n. 20.* Menochius *lib. 3 præſumpt. 97.* Covar. *pract. quæſt. c. 1. n. 10.* Verum cum hac in ſpecie juriſdictio minime cohæreat caſtro, nec ei ſit acceſſoria; verius puto manere hoc caſtrum ſub juriſdictione civitatis, aut Principis, cui prius adhærebat. Quare is qui id obtinuit, probare debet expreſſe, ſibi fuiſſe illius caſtri juriſdictionem æque principaliter conceſſam, producendo litteras conceſſionis, quibus inſit clauſula, *cum omni jure*, quod Principi competebat; alias ſi id non probet, manebit tantum caſtri dominus, quoad prædiorum proprietatem, cum qua nihil habet commune juriſdictio, quæ cum alicui civitati adhæreat, non poteſt 5

Digitized by Google

teſt ab ea abſque habitantium aliqua læſione ſegregari.

6 Quinimò poteſt indiſtincte aſſeri, per conceſſionem jurium, aut donationem caſtri cum ſuis pertinentiis, juriſdictionem non tranferri, quæ non niſi nominatim tribuitur, unde ea conceſſione tantum comprehenduntur proventus, qui ex caſtro percipiuntur. Item veniunt molæ tanquam acceſſoriæ, nemora quoque, venationes, aucupia, paſcua & ſimilia quæ caſtro adhærent. Ant. Faber *C. de juriſd. defin.* 17. Amaya *ad l. 2. num.* 20. *h. t. ubi plures DD. refert.* & Bobadilla *lib. 2. polit. cap.* 16. *num.* 70.

7 Præterea quamvis ſpecialiter Princeps domino loci conceſſerit omnimodam juriſdictionem, non tamen cenſetur jus quod populo competit, adimere, & quod habet ſibi magiſtratum eligendi, minuere velle, multo minus tollere jus electis magiſtratibus cognoſcendi in cauſis primæ inſtantiæ. Nam ea lege ſolet Princeps dare oppida & caſtra inferioribus dominis, ne hi minuant, aut debilius reddant jus quod habent populares, quibus alias fieret injuria ſi in eiſdem oppidis alij judices ordinarij à dominis conſtituerentur, qui haberent primam cauſarum cognitionem, vel eam cum popularibus magiſtratibus exercerent jure præventionis. Covar. *pract. qq. c.* 4. *n.* 5. & citati à Larrea *alleg. fiſc.* 70. Itaque niſi domini juſta temporis poſſeſſione, aut præſcriptione hoc jus acquiſiverint, aut Princeps juri populorum derogaverit, & ſpeciatim dominis privilegium conceſſerit, nunquam videtur populo adimi jus eligendi ſuum magiſtratum. Bobadilla *ſup. d. loco n.* 17. *& ſeq.*

8 Hinc quæſtio oritur, an omni vel omnimoda juriſdictione ſpecialiter alicui domino conceſſa, etiam jura regi reſervata conceſſa intelligantur, de quibus *in tit. quæ ſint regal. in uſib. feud.* agitur? Quod non exiſtimo; tum quia hæc nihil commune habent cum juriſdictione, cum quia hæc jura ſunt præeminentiæ, & ſupremi imperij ut non niſi nominatim à Rege tribuantur, *l. pen. ff. de off. præſid.* ubi ne quidem abdicando à ſe imperium illud amittit, quodque ſuperioritatem contingit ut inquit Baldus. Et etiamſi quædam ex illis juribus concederentur locorum domino, non ideo tamen is poſſet occupare bona vacantia, quorum jus non eſt fructus juriſdictionis, ſed dignitatis regiæ, niſi ex ſpeciali Regis conceſſione, conſuetudine aut præſcriptione dominus iſte aut Dynaſta jus in bona vacantia acquiſiverit. Bobadill. *in ſua polit. lib. 2. c.* 16. *n.* 70. *&* 216. *lit. 6. &c.* & Belluga *in ſpeculo princip. Rubr.* 22. *§. & quia quotidiana n.* 60. *& ſeq.*

9 Unde hodie hoc jus valde diminutum eſt, poſtquam Principes & Reges, caſtra & oppida cum plena juriſdictione Dynaſtis conceſſerunt, hi enim cum in locis ſibi ſubjectis poteſtatem gladij quam vulgus vocat altam juſtitiam, exerceant, tanquam illius fructus, & emolumenta officij, non ſolum bona vacantia, fundoſque adeſpotos uſurpant, ſed multa alia fiſcalia jura ſibi adſcribunt, quæ propria ſunt Regis, ejuſque fiſco cedere deberent, quoniam proprie utilitas juriſdictionis tantum in confiſcatione bonorum, & multis conſiſtit. Carol. Loyſeau *tract. de ſeigneuries c.* 12. *n.* 121.

Olim quidem jure Romano inſpecto, bona vacantia nemo occupabat, ſed ex indulgentia Impp. aliis quam fiſco concedebantur. Hinc præfectus prætorio in bona ſuorum apparitorum vacantia ſuccedebat, non fiſcus *l.* 3. *C. ad apparit. præf. præt. lib.* 12. Similiter perſonæ quædam certis corporibus adſcriptæ, ubi abſque hærede moriebantur, bona ad ea corpora, quorum pars fuerant, perveniebant, *tit. C. de hæred. decur.* Unde eccleſiaſticis perſonis nullum hæredem habentibus ſuccedit Eccleſia, cui adſcriptæ fuerunt, *l.* 20. *C. de epiſc. & cler.* In bona videlicet intuitu Eccleſiæ comparata: in patrimonialia ſuccedit Epiſcopus, quod probat Innocen. *in c. inſinuante, qui clerici vel voventes.* Molina *de juſt. & jure diſput.* 164. *verſ. undecima concluſ.* Sed ab iſto jure placitis curiarum receſſum eſſe docet Gallus *q.* 212. *& q.* 190. Ita ut non poſſit Epiſcopus bona vacantia vindicare, ſive ante clericorum fuerint, ſive aliorum, ſed ſi nulli ſint conſanguinei, ad dominos territoriorum in quibus reperiuntur, ſpectant. Argentræus *ad conſuet. Britanniæ art.* 44. 10

Dominorum quoque ſunt bona nothorum, ſeu illorum qui ex legitimis nuptiis nati non ſunt, abſque liberis & teſtamento morientium. Attamen ut iſtis dominis ſucceſſio nothorum deferatur, oportet quod in iſtorum dominorum territorio illi nati fuerint, & ibi domicilium foverint, & ſine liberis deceſſerint: nam ſi liberos relinquant, excluduntur domini locorum, item ſi teſtamentum fecerint. Peregrin. *de jur. fiſci lib.* 4. *tit.* 3. 11

Quocirca iniquæ videntur nonnullæ quorumdam locorum leges, quæ ſpuriis jus teſtandi de bonis ſuis adimunt, cum vacantia dici non poſſint, quorum aliquis teſtamento nuncupatus eſt ſucceſſor, neque enim ſpurij eorum quæ juris civilis ſunt, cenſentur incapaces, prout erant peregrini, qui uti capere ex teſtamento non poterant, ita nec teſtamentum facere, *l.* 1. *&* 2. *ff. ad l. Falcid.* * Sed bona illorum uti & deportatorum, captivorum & obſidum in fiſcum cogebantur, *l.* 31. *ff. de jure fiſci.* Itemque bona eorum qui in colonias migrabant, *l.* 4. *ſup. tit.* 1. quamquam teſtamenta captivorum, & obſidum ante captivitatem vel deditionem condita, valida erant, excluſo fiſco, & poſt captivitatem, accepto uſu togæ Romanæ, bona recuperabant beneficio Principis, *l.* 31. *ff. d. t.* Quin & ſenſim ab iſto juris rigore receſſum, maxime poſtquam provinciales, & generaliter omnes liberi homines ſub ditione 12 13

Digitized by Google

tione Romana degentes, itemque peregrini, jure civitatis Romanæ donati fuere conſtitutione Antonini, *l. 17. ff. de ſtatu homin.* Cujus fit mentio *in Novell. 78. cap. 5.*

14 Verum quod ad peregrinos attinet extat poſterior Frederici II. Imp. Conſtitutio quæ eos longe diverſo ſenſu accipit, nempe pro peregrinantibus, ſeu peregrè euntibus, & non quidem extra patriam juris, ſed extra patriam domicilij, & tollit pravam illam conſuetudinem quæ illo ſæculo invaluerat, ut hoſpites bona iſtorum peregrinantium apud ſe decedentium occuparent & lucrarentur. In eo quoque derogat juri fiſcali de bonis vacantibus, quod velit bona morientium abſque hærede in pias cauſas erogari, quod ad res paucas mobiles, quas peregrinantes ſecum ferunt, & quas hoſpites retinere intendunt reſtringendum eſt, *Gloſſ. & DD. ad Auth. omnes peregrini Cod. comm. de ſucceſſ.* Igitur ſi teſtati deceſſerint advenæ, peregrinis eorum voluntas ſervari debet, ſi vero inteſtati, bona deferuntur proximioribus hæredibus, illis deficientibus, maxime ſi mobilia ſunt, piis locis aſſervantur. Molina *de juſt. & jure diſp. 164. concl. 12.* Niſi aliter in regno caveatur, prout in Hiſpania eſt, *l. 5. tit. 12. lib. 1. nova collect.* ibi, *Si el peregrino muriese ſin hazer teſtamento.*

15 At vero nobis peregrini ſunt, qui ſub eodem Principe vel imperio haudquaquam naſcuntur, quique ex parentum origine, vel alio modo, jura municipiorum non retinent; hos namque Galli albinos vocant, quaſi alibi natos, extra regnum, & ſi decedant, fiſcus Regius bona illorum intra fines regni exiſtentia, ſolus capit jure albinatus, ita ut ab eo jure domini locorum, ſupremam juriſdictionem habentium excludantur. Habent quidem illi jus *de desherence*, id eſt, ſuccedunt in bona vacantia indigenarum in ſuo territorio decedentium abſque legitimo hærede, non tamen in bona alienigenarum ſeu exterorum; adhærent enim hæc coronæ regiæ, ita ut non poſſit Rex iſta bona alienare, nec concedere dominis ſupremam juſtitiam habentibus, nec ab iis ulla præſcriptione, aut conſuetudine acquiri. Reſervat namque ſibi hoc jus Rex expreſſe, etiam cum dominia in Baronatus, Comitatus, alioſve titulos exigit, & Duces creat, Bacquet *4. p. du droict d'Aubaine c. 28. & ſeqq.* Lovet *lit. A. c. 16.* Charondas *lib. 7. reſponſ. c. 8. & lib. 10. c. 14.* Dico regis fiſcum in bona exterorum ſuccedere, niſi illi ſint oriundi ex confœderatis populis, qui gaudent jure gallicano, aut civitate gallicana donati ſint, ſive ut vulgò vocant, litteras naturaliſationis obtinuerint, quas ſolus Rex, ejuſque ſupremus ſenatus ſolet concedere, eaſque verificare Camera ratiociniorum, vulgò *Chambre des comptes* Bacquet *3. p. c. 24. n. 8.*

Cæterum non ſuccedit Regis fiſcus in bona regnicolæ, qui receſſit animo non amplius revertendi ad regnum, nam eo mortuo, ejus ſucceſſionem filij vel proximi parentes in regno nati ſibi acquirunt, & jure vindicant. Quod ſi tamen extraneus ſeu peregrinus naturaliſatus regnum deſerat, bona ejus intra fines regni exiſtentia, fiſcus occupat. Bacquet *5. p. cap. 37. num. 9. & cap. 40. num. 6.* Ratio differentiæ eſt, quod natus in regno, ſtatim atque ab eo recedit, animo non revertendi, cenſeatur mortuus eique proximi ſuccedant: adeo ut ſi gravatus fuerit fideicommiſſo, illud fideicommiſſarius ſtatim capiat, quamvis regulariter non niſi ſtatim poſt mortem gravati hæredis ſit reſtituendum. At alienigena legitimatus regnum deſerens, cenſetur juri ſibi quæſito, & reſcripto Regis obtento, renuntiare, nec habetur mortuus ex quo receſſit, quia quemadmodum vixit ſine illo jure, etiam nihil impedit quo minus illo amiſſo ſupervivat. 16

Enim vero ſi alienigena & externus in regno Galliæ uxorem duxerit, & ex ea liberos ſuſceperit jure poterit in eorum favorem teſtamento diſponere, dummodo illi nati ſint in regno, atque in eo uxor ſit aſſumpta, & non alienigena. Rebuff. *tract. de litteris naturalitatis Gloſſ. 1.* Contra Bacquet non nocere ait liberis in regno natis, quoad ſucceſſionem quod uterque parens ſit alienigena, *4. p. c. 32.* 17

Similiter liberos naturaliſatos & in regno habitantes, in bona parentum admittit: excludit vero liberos extra regnum procreatos, ſic ut ne quidem jus in legitimam portionem iis concedat, *Tract. du droict d'Aubaine 4. p. cap. 31. num. 3.* 18

Simile jus albinatus obſervari in Hannonia docet Petrus Gudelinus *de jur. noviſſ. lib. 5. cap. 10.* Ubi exterorum bona mobilia, & immobilia occupantur, excluſis à ſucceſſione defunctorum propinquis, qui tamen rigor in aliis Belgicis provinciis non obſervatur: nam ſi extent hæredes ab inteſtato capaces, ad ſucceſſionem admittuntur, excluſo fiſco, quia non niſi bona vacantia occupat. Capaces autem ſunt liberi, cæterique conſanguinei, non quidem indifferenter, ſed ita ſi aut erunt indigenæ, aut inter indigenas recenſeantur. Quod quibuſdam locis fit ex ſola cauſa domicilij, quibuſdam aliter, tamen generaliter habitatione decem annorum jus incolatus acquiri DD. exiſtimant. Et Nicol. Burgundius *ad conſuet. Flandiæ tract. 14. in fin.* Addit in pleriſque Flandriæ locis peregrinos omnes indifferenter admitti ad ſucceſſionem, ita tamen ut certam partem æſtimationis ærario, vel fiſco pendant vectigalis nomine. 19

Manet itaque hodie jus fiſci in bona vacantia integrum, modo conſtet ea omnino vacare, nam quæ juris feudalis, & emphyteutici ſunt, redeunt ad dominum, nec ad fiſcum tranſeunt jure utilis dominij; 20

Digitized by Google

nij; quod procedit,ut etiam publicatis bonis propter delictum patroni, vaſalli aut emphyteutæ, jus patronatus, feudum, emphyteuſis & alia bona quæ non poſſunt tranſire in extraneum hæredem, revertantur ad dominum, non etiam fiſco cedant, maxime ſi prohibitio alienationis bonorum facta ſit favore familiæ, non ipſius delinquentis, *l. 4. ff. de jur. patron. l. 8. ff. de bonis libert. l. 9. ff. ad l. Jul. maj. cap. ſi vaſallus, ſi de feudo fuer. controv. inter dom. & agn.*

21 Verum licet iſta bona alienari prohibita, non tranſeant in fiſcum ob delictum poſſeſſoris, *l. 48. §. 1. ff. de jure fiſci.* Ejus tamen vita durante, iſtorum bonorum uſumfructum penes fiſcum remanere verius eſt, quoniam per retentionem uſusfructus, & commoditatis illius, non tranſit aliquod jus reale, nec ullum præjudicium generatur, aut ulli fit præterquam poſſeſſori, qui delinquit. Molina *l. 4. de Hiſp. primog. c. 11. num. 2. & ſeqq. & l. 1. cap. 20. num. 9.* ubi addit, ſi in fideicommiſſo expreſſa alienandi prohibitio adjecta ſit, eo caſu ne quidem uſumfructum durante vita poſſeſſoris, fiſco adjiciendum. Quod late proſequitur Alexander *lib. 1. conſ. 23.*

22 Ut ergo fiſco bona vacantia deferantur, oportet ut omnino vacent, per mortem illius qui nullum habet hæredem, nec ex teſtamento, nec ab inteſtato. Quo modo ſi bona aliter vacent,ut quia dominus ea pro derelictis habet, eoque animo abjicit ut nolit ſua eſſe, hujuſmodi bona occupantis ſtatim fiunt,quia iiſdem modis bona deſinunt eſſe noſtra, quibus acquiruntur, hoc eſt animo. Igitur ut occupentur, requiritur animus derelinquendi, & quod derelicta in nullius dominio ſint, pleno dominio occupanti cedunt, *tit. pro derelicto l. 58. ff. de acq. rer. dom.* Hodie tamen bona pro derelictis habita, & cætera adeſpota,fiſco cedunt,non occupanti; unde plerique cenſent titulum pro derelicto moribus ceſſare. Zypæus *in notitia jur. Belgici.*

23 Quod ad bona attinet tam projecta è navi ob periculum naufragij, quam deperdita, domini eorum dominium non amittunt, nec ab aliquo poſſideri tanquam vacantia poſſunt, quia non habentur pro derelictis *Auth. navigia Cod. de furtis l. 8. ff. ad l. Rhodiam l. 9. §. 8. ff. de acq. rer. dom.* Quare ſi deperdita ſit res, aut aberrans quæ in bonis alicujus fuiſſe dignoſcitur, ſed ignoratur dominus, quem conſtat dominium rei non amittere, non poterit ab inventore, aut à fiſco poſſideri, imo nec detineri, ſed diligenti inquiſitione facta, ſi dominus non inveniatur, res iſta Epiſcopo loci aſſignatur, ut ille vendat,& redactum pretium pauperibus diſtribuat. Alias ſi inventor rem illam retineat animo lucrandi, furti obſtringitur, pœnamque pecuniariam incurrit,ſive ſciverit cujus ſit, ſive ignoraverit. Nihil enim ad furtum minuendum facit quod cujus ſit, ignoret, *l. 43. §. 4. ff. de furtis.* Cum ſaltem hoc ſciat, aut ſcire debeat, id quod ſuum non eſt, omnibus modis eſſe alienum. Quamquam non videatur furti obnoxius, qui poſt ſufficientem inquiſitionem domini non comparentis eam rem retinuerit, cum talis res habeatur derelicta à vero domino, nec ulla lex ſit, quæ inventorem obliget ſive dives ſit, ſive pauper ad reſtitutionem, vel diſtributionem faciendam inter pauperes. Non obſtat *c. ſi quid inveniſti & non reddidiſti, rapuiſti 14. q. 5.* Quia loquitur de retinente rem inventam, talis enim furti obſtringitur, *d. §. 4.* Covar. *ad c. peccatum p. 3. §. 1. num. 2.*

24 Hodie pecus aberrans, aut res alia mobilis inventa, magiſtratui aut domino territorij datur cuſtodienda, dum dominus rei fuerit inventus, & probaverit rem ſuam eſſe, quam recuperabit cum fructibus, quos inde magiſtratus, vel loci dominus perceperit, non quos percipere potuerit. Expenſarum quoque hic ratio habenda erit, quas dominus territorij recuperabit à proprietario quatenus perceptorum fructuum ſummam excedunt, *l. 38. ff. de pet. hæred.* alioquin retinendi pecoris jus habebit, ut tanquam ex pignore ſibi obligato per diſtractionem inde percipiat, id quod ſibi deberi, aliiſque æquum judicarit. Expenſæ hic vocantur, quæ ad conſervandam ipſam rem ſunt neceſſariæ, ut puta pabula animalium, item ſtipendium viatorum, ſive apparitorum. Conſequenter ſi pecora damnum dederint, retentionis quoque facultatem Prætor habebit, donec pecuniaria pœna refundatur, quæ moribus noſtris arbitraria eſt.* 25 Quibus & illud receptum, ut ſi nemo ſe obtulerit, qui rem repertam vindicare velit, præmiſſis tribus edictis (intra quadraginta dies) ſuper eam rem rite promulgatis, poſt id tempus, ſolet domino territorij adjudicari. Burgundus *ad conſuet. Flandr. cap. 12.* Alibi ſolet res divendi, deductis expenſis, & quod reliquum eſt cuſtodiri, ut tunc demum cenſeatur in nullius bonis eſſe, quod tanto tempore, tantiſque actibus intervenientibus non cognoſcitur. Et ſi poſtmodum dominus compareat, non tenetur Prætor, aut loci dominus ei res venditas præſtare, quamvis reſtitutioni reſidui pretij ex ea re percepti, obſtrictus ſit, *l. 20. in princ. ff. de petit. hæred.*

26 Cæterum quod bona vacantia, ita demum ad fiſcum transferuntur, ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea, vel juris titulo legitimum reliquerit inteſtatus hæredem, *l. 4. h. t.* Quo fit ut ſi mota lite adverſus fiſcum, quis contendat ſe proximum ex genere defuncti hæredem, quamvis gradum probare non poſſit, fiſco præferatur, modo probet ſe à defuncto habitum fuiſſe pro cognato vel conſanguineo, atque ab eodem aliquando dictum,ſi contingeret ſe decedere inteſtatum,& ſine liberis

liberis

Digitized by Google

liberis, ſuum futurum hæredem, aut ſub mortem dixiſſe ſibi eſſe proximum, *Optare debet fiſcus non acquirere, dummodo ſint qui derelicta debeant poſſidere*, ut ait Caſſiodor. *lib.6. Variar.*

27 Sed cum juxta conſuetudinem hodiernam, bona paterna ad paternos, materna ad maternos devolvantur hæredes, poſſet dubitari, ſi in aliqua ſtirpe defecerit poſteritas, an illius ſtirpis bona, alteri accreſcant? Sunt qui voluerunt non accreſcere, ſed bona eſſe vacantia, & conſequenter ad fiſcum ea devolvi. Bacquet *Du droict de desherence cap.4. n.8.* Sed verius eſt bona ad aliam ſtirpem vel lineam pervenire, eique accreſcere per *d. l. 4.* ubi *ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea defunctus reliquerit hæredem,*
28 *tum demum fiſcus admittitur.** Per ſanguinis lineam ſignificant Imp. cognationem omnem ſcilicet ſuperioris & inferioris ordinis. Item ex tranſverſo, ſive à latere, id eſt, omnes qui propinqui ſunt ultra gradum agnationis & cognationis decimum conſtituti. Eoque pertinet *l. ult. infr. tit. 12.* ibi *ac illis ex numero propinquorum exiſtentibus.* Item quod dicit Juſtin. *in ſua l. unic. §. cum autem 13. Cod. de caduc. tollen.* Quod ſi nulli ſint hæredes, qui bona capere velint, tunc ad noſtrum ærarium devolvantur. Nec obſtat axioma conſuetudine receptum, quo patrimoniorum diſtinctio, non alias eſt introducta, quam quando concurſus eſt parentum ex utroque latere, ut bona conſerventur in linea, quo concurſu ceſſante, non magis ab integra ſucceſſione removetur cognatus, quam re conjunctus, qui collegatario deficiente, ad integrum legatum vocatur. Bacquet *d. loco.* Nicol. Burgund. *ad conſuet. Flandr. tract. 13. num. 21.*

29 Extincta utriuſque lineæ poſteritate, ſi nullus ſe proximum poſſit oſtendere, bona tanquam vere vacantia à fiſco capiuntur, & incorporantur. Prius tamen quam incorporatio fiat, rite ſolemniterque bona delata deſcribuntur in libro, & regiſtro bonorum fiſcalium, & proponuntur tituli delationis, quin etiam affiguntur tituli quandoque, & inſignia Principum parietibus & prædiis, redactis aut redigendis in fiſcum, idque ex diſpoſitione & auctoritate Comitis rerum privatarum, & Rationalis in
30 quavis provincia commorantis, *l.3. h.t.** Acceſſit & altera conſtitutio, qua cautum, ut quoties bona vacantia, caduca aut commiſſa nuntiata fuerint eſſe in provinciis, in quibus non extat Rationalis, Palatini officiales, ſeu executores Comitis, jurejurando obſtricti mittantur, quorum inſtantia & cura Præſes provinciæ præſente fiſci patrono, diligenter inquirat cujus vacans cadenſque fuerit patrimonium, quantum & quale vindeatur, an num aliquid ſit occultum, aut ſubductum, propoſito inſuper programmate, quo vocentur generaliter omnes qui velint & poſſint contradicere bonorum incorporationi, *l. fin. h. tit.* hæc enim non prius facienda eſt, quam data reclamandi copia conſtiterit neminem ea bona poſſidere, vel jure vindicare poſſe, & fiſco locum datum eſſe audiendi. Itaque omnibus jus prætendentibus defenſionis facultas danda eſt, *l.7. ſup. de jure fiſci*, qui ſi nullus appareat, res tota ad Principem defertur, ut ejus juſſu, res ærarij nomine occupentur, id eſt, incorporatio fiat ſolemniter, per Comitem rerum privatarum, deinde per rationales in ſingulis provinciis commorantes compleatur, *l. 1. Cod. Th. de incorporat.* Cauſa tamen tota prius à Principe cognita, ut fraudes & furta evitentur, *l. 5. ſupr. de jure fiſci, & d. l. fin. h. t.* ibi Bartol.

Mores noſtri ad hoc jus accedunt, nam etiam- 31
num ſit deſcriptio bonorũ vacantium, per officiales cameræ Regiæ, adjuncto procuratore vel advocato fiſci, ac publico programmate, aut voce præconis nuntiatur, ut ſi quis jus ſe habere putet ad bonâ talis defuncti, intra præſcriptum tempus compareat in camera fiſcali, & adducat ſi quæ jura, & titulum proximitatis habeat, termino tranſacto, ſi nullus ſit contradictor, qui impedire poſſit occupationem bonorum, eorumve incorporationem, ad inſtantiam procuratoris fiſcalis. Senatus decernit bona iſta ad fiſcum pertinere, quo facto ſententiaque deſuper lata fiſcus apprehendit illorum poſſeſſionem, & deinde ad bonorum venditionem procedit. Similiter in aliis bonis fiſco deferendis, in ſcriptis delator nuntiat cauſam confiſcationis advocato fiſci, niſi notoria res ſit, & juſſu Principis ex officio procedatur, *ut habet l.3. tit.3 lib.2. nova recopil. in Hiſpania.* Garzia Toletanus *in lucerna rubric. ad h. t. num. 14.* Peregrin. *de jure fiſci lib.4. t.3. n.30.*

Quæritur, an fiſcus in bonis vacantibus ſucce- 32
dat ut hæres? Et cum non perſonæ ſuccedat, ſed bonis, ideo non poteſt dici hæres fiſcus; neque jure tranſmiſſionis ad ſucceſſionem venire, quo ſpectat quod dicitur *in l. 4. h. t.* fiſcum admitti, nullo exiſtente legitimo hærede, igitur non eſt hæres, quia ſi eſſet non diceretur non extare legitimus hæres cum ipſe ex lege admittatur. Contra, quod loco hæredis habeatur, indicat ſatis ipſa bonorum vacantium apprehenſio, & hæreditatis petitio, *l. 20. §. 7. ff. de pet. hæred.* & actio quam tanquam dominus habet, ad illorum vindicationem; item onus quod ei incumbit ſatisfaciendi his, quibus ex iſtis bonis aliquid debetur. *§. hæres quoque. Inſt. de oblig. quæ ex quaſi contr. & l. 2. ſupr. de fiſcali uſur.* Ubi fiſcus qui privato ſucceſſit, tenetur uſuras perſolvere, ad quas alias ipſe non cogebatur ex ſuis contractibus, *l. 17. §. 5. ff. de uſur.** Verior 33
tamen prior ſententia, fiſcum non eſſe hæredem, ſed quendam ſucceſſorem, ac talem fieri magis per occupationem, quam ipſo jure, *l. fin. h. tit.* ibi *ut juſſu noſtro vacantia, vel alia res, nomine occupentur ærarij.* Quæ occupatio minimè

poteſt

Digitized by Google

poteſt eſſe aditio, quæ ab hærede fieri ſolet, ſed cum juris auctoritate dominium rerum vacantium, in fiſcum jam ſit tranſlatum, ſubſequitur occupatio, *§. res fiſci 5. Inſt. de uſucap.* ex qua conſequenter omnia onera hæreditaria in eum tranſeunt, *l. 11. ff. de jure fiſci.* Non tamen ultra vires hæreditatis creditoribus tenetur fiſcus, ſicut teneretur ſi ſuccederet ut hæres; ſed tantum pro menſura, & æſtimatione bonorum, *l. 1. §. 1. ff. de jure fiſci.*

34 Sive inventarium fecerit bonorum delatorum, ſive non fecerit, cum ſolùm tanquam poſſeſſor poſſit conveniri, non ut hæres, niſi teſtator à fiſco eo caſu, quo bona vacaverint, fideicommiſſum reliquerit, quia tunc cum ſuccedat ex voluntate defuncti ab inteſtato, magis eſt ut cenſeatur ſuccedere quaſi hæres, *juxta l. 114. §. 2. ff. de legat. 1.* Fiſco enim intelligitur teſtator hæreditatem reliquiſſe, quam non ademit, niſi eum gravet generaliter per verba, *quiſquis mihi hæres erit, reſtituat,* quibus non comprehenditur fiſcus, reſpectu bonorum vacantium, in quibus non ſuccedit ut hæres, ſed jure proprio. Amaya & Valenzuela *ad h. t.* & citati à Zevallos *comm. contra com. q. 822. per tot.*

35 Porro ſi bona ſunt in diverſis territoriis, quilibet fiſcus tenetur creditoribus ſui territorij ſatisfacere pro menſura bonorum (ut dixi) non autem creditoribus alterius territorij.

36 * Sed major eſt controverſia, an fiſcus ſuccedens in bona vacantia, teneatur præſtare legata & fideicommiſſa iis, quibus relicta ſunt teſtamento defuncti, cujus bona occupavit ut vacantia? Multis placuit fiſcum teneri ad præſtationem legatorum, ſicut tenebatur hæres, cum ille ſuccedens in bona defuncti ſine hærede, ſit loco hæredis. Idque confirmant *per l. 96. §. 1. ff. de leg. 1.* quoties lex Julia bona vacantia ad fiſcum pertinent, & legata & fideicommiſſa ab eo præſtantur, quæ præſtare cogeretur hæres à quo relicta erant: & ratio eſt, quia iſta bona in fiſcum tranſeunt, cum ſuo onere, ſic ut parere teneatur eiſdem conditionibus, quibus perſona, à qua bona accepit, erat obnoxia, *l. 60. §. 1. ff. de cond. & demonſtr.* Vaſquez *de ſucceſſ. progr. §. 27. num. 25.* Fachin. *lib. 6. contr. cap. 22.* Zevallos *d. loco q. 144. in fin.* Alij contrarium exiſtimarunt verius, quibus aſſentior; etenim juris eſt regula, quod ſi nemo exiſtat hæres, aut quia non vult, aut quia non poteſt adire hæreditatem, nihil quod in teſtamento ſcriptum eſt, debeatur, *l. 181. ff. de reg. jur. l. 9. ff. teſt. tut.* quapropter ſubſtitutio evaneſcit, libertates non competunt, legata non præſtantur, & omnis vis teſtamenti diſſolvitur, ita ut fiſcus minime teneatur re ad inteſtati cauſam devoluta, nulloque hærede exiſtente ſuccedens legata præſtare, cum bona ut vacantia capiat, non ut hæreditaria. Facit etiam *l. 50. ff. de manum. teſtam.* ubi vacantibus bonis, fiſcus libertates non præſtat. Non obſtat *d. l. 96. §. 1.* nam ibi lex Julia Papia loquitur de bonis caducis, quæ ab hærede cadebant aliquo modo ob delictum, & fiſco vindicabantur, non autem de bonis vacantibus, de quibus hîc agimus: quamvis vacantia & caduca promiſcue accipiantur, ut apud Juſt. *in l. un. Cod. de cad. tollend.* Et Julian. *in d. l. 96. §. 1.* De utriuſque legis interpretatione, late Amaya *ad l. 1. h. t. num. 14.* & ab eo relati. Peregrin. *d. loco num. 16.* ubi dicit non obſtare *l. 9. ff. ad S. C. Syllan.* quod ibi facta fuerat aditio ab hærede necem teſtatoris non vindicante, à quo tanquam ab indigno, aufertur hæreditas, quæ cum ſuo onere tranſit in fiſcum, qui proinde tenetur præſtare legata ex perſona condemnati, cum illius delictum non debeat nocere legatariis, *l. 3. §. fin. & l. 6. §. cum fiſco ad* Trebell. *l. 43. §. Julius ff. de vulg.* Ex quibus locis cum hæreditas alicui, aufertur tanquam ab indigno, etſi non deſinat hæres eſſe, fiſcus qui hæreditatem capit, ſubintrat in jus & onus condemnati, tanquam univerſalis ſucceſſor. Barboſa *ad l. ſi conſtante §. fin. num. 8. ff. ſol. matr.*

Poſtremo quæritur, ſi fiſcus negligentior fuerit, 37 & bona vacantia non agnoverit, nec apprehenderit, an præſcriptione temporis excludatur ab iſto jure? Diſtinguendum hîc eſt inter bona regalia, jam quæſita fiſco, & actiones quas habet ad bona vacantia acquirendum, illa quidem bona, uti & alia quæ in fiſci ſunt patrimonio, & incorporata dicuntur, non præſcribuntur, *§. res fiſci Inſt. de uſucap. l. 2. C. comm. de uſucap. Ex his namque bonis,* inquit Tacius, *belli præſidium, & pacis decus comparantur.* At vero actiones certum eſt præſcribi viginti annis, niſi in caſibus exceptis, in quibus minora tempora ſervari ſpecialiter conſtitutum eſt, *l. 13. ff. de diverſ. & temp. præſc.* Inter has cauſas exceptas, eſt actio, quam habet fiſcus ad apprehendendum bona vacantia, curandumve illa ſibi adjudicare, namque iſti actioni quadriennio præſcribitur, *l. 1. §. 2. ff. de jur. fiſci,* ubi ſi id tempus præterierit, non eſt jus fiſco bonorum vacantium vindicandorum, nam excluditur qui poſt quadriennium nuntiat fiſco ea bona, & ita fiſcus ea non vindicat, Peregrin. *de jure fiſci lib. 6. tit. 8. num. 40.* Et alij citati à Maſtrillio *lib. 3. de Magiſtr. cap. 10. num. 392.* * Ve- 38 rum hoc quadriennij tempus, quod bonis vacantibus nuntiandis præſcriptum eſt, non ex opinione hominum, ſed de ſubſtantia vacantium bonorum dinumerabitur, id eſt, cum primum vere conſtat bona cœpiſſe vacare, ab eo die curret præſcriptio, ex ſententia Papiniani, *in l. 10. ff. de diverſ. & temp. præſc.* amplius addit: *quatuor autem anni poſt irritum teſtamentum factum, & inteſtati poſſeſſionem ab omnibus repudiatam, qui gradatim petere debuerunt, computabuntur.* Igitur ſi intra quadriennium fiſcus non exercuerit ſuam actionem, à die qua publicum fuit bona vacare, non pote-

Digitized by Google

rit poſtea illam intentare. Nota tamen cauſa, & tracta ultra illud tempus, differri poteſt. Dico tracta,nam ſi is qui primo egit à lite deſtitit, & non tantum morator fuit,ſed tergiverſator,alteri volenti agere obſtat temporis præſcriptio. Quomodo hodie procedat præſcriptio contra fiſcum, conſulantur Platea *in rubr. ad h. t. num* 5. & Peregrin. *de jure fiſci, & DD. ad* §. *res fiſci*. D. Franc. Alfaro *de officio fiſc. Gloſſa* 20. §. 9. Barboſa *de præſcriptionibus*, *& poſt iſtos* Argentræus *ad conſuetudines Britanniæ art.* 266. *num*. 15.

TITULUS XI.

De Delatoribus.

1. *Delatores ſunt qui bona vacantia & alia ad fiſcum pertinentia, deferunt.*
2. *Erant & ſpeculatores, auricularij, & curioſi qui crimina deferebant.*
3. *Olim coërciti, dein admiſſi, ſed reſtricta ad certum modum delatio.*
4. *Quinam in totum prohibeantur deferre.*
5. *Filius patrem, libertus patronum, ſervus dominum non defert, præterquam in crimine læſæ majeſtatis.*
6. *Nemo deferre poteſt ſine advocato fiſci.*
7. *Qui defert ex neceſſitate officij, vel ob cauſam publicam non incurrit pœnam, etiamſi defecerit.*
8. *De varijs delatorum pœnis, & quando præmio digni ſint.*
9. *Hodie delatores non admittuntur ad agendum, ſed ipſe fiſcus, qui tenetur eos nominare, & inſcribere propter expenſas ſi accuſatus vicerit.*
10. *Qui ad defenſionem ſuam, alium auctorem criminis dicit, vel quid opponit, contra teſtes non videtur deferre.*
11. *Si tacitum fideicommiſſum incapaci relinquatur delatio in fiſcum fiet, quæ tamen ceſſabit ſi capaci relictum fuerit quamvis tacite.*
12. *Si pater inſtituat filium incapacem, hæreditas applicatur cohæredibus, aut venientibus ab inteſtato.*
13. *Item ſi hæreditas relinquatur incapaci palam, non applicatur fiſco, ſed remanet penes hæredem, niſi hic eam reſtituerit incapaci.*
14. *An partem reſtituere rogatus privetur tota hæreditate.*
15. *Quomodo probetur interveniſſe tacitam fidem de reſtituendo incapaci; rejiciuntur hic conjecturæ, & quia hic hæres extraneus moriens inſtituit incapacem in bonis ſibi ab ejus patre relictis.*
16. *Tota ratio hujus delicti conſiſtit in accomodatione fidei, quam præſtat hæres de reſtituendo.*
17. *An ut fiſco locus ſit, ſufficiat ſola accomodatio fidei, an ſit neceſſaria traditio hæredit.*
18. *An hæres qui tacitam fidem accommodavit, poſſit in conſcientia retinere hæreditatem, an vero teneatur fiſco reſtituere.*
19. *Filiusfam. vel ſervus tacite rogati de reſtituendo incapaci excuſantur à pœna, is qui ſe detulit, à fiſco præmium accipit.*
20. *Quatenus occupentur à fiſco bona, quæ dicuntur ab alio poſſideri, ſi incertus ſit poſſeſſor.*

QUoniam ſuperiore titulo actum eſt de bonis 1
vacantibus recte ſequitur de eorumdem bonorum delatoribus, ſive nuntiatoribus, qui nempe præmij conſequendi cauſa, bona vacantia, caduca, commiſſa, vaga mancipia, theſauri inventionem, & ſi quam aliam rem ad fiſcum pertinentem eſſe cognoverint, eidem denuntiant.
* Quo numero non ſunt ſpeculatores milites miſſi, 2
ut ſcrutentur ſermones, atque conjurationes in Principem, hoc conſilio, ut Princeps ab iis qui præſentem Reipublicæ ſtatum oderunt, ſibi caveat. Hi erant veluti ſpeculæ Principis, ut ait Suetonius in Claudio, *qui nulla convivia inire auſus eſt, niſi ut ſpeculatores cum lanceis adſtarent.* Neque etiam auricularij, qui falſa & placentia quæ audiunt, deferunt, *calumnias quoque inſontibus affingunt*, ut utar Ammiani verbis *lib.* 14. Erant delatores, & nunc ſunt, curioſi dicti, qui crimina clam commiſſa judicibus denuntiant, *l.* 1. *infr. de curioſ. lib.* 12. Etſi ſua non interſit. Item Stationarij, qui certo loco conſtituti tenentur judicibus probationes præbere detecti criminis, de quibus fit mentio *in l.* 6. *ff. de cuſt. & exh. reor. & tit. infr. de Irenarchis.*

Sed cum delatores (genus hominum publico 3
exitio repertum, ut ait Tacit. 4. *annal.*) conceſſa ſibi poteſtate abuterentur, & ſæpe ob leve, vel confictum crimen, ira, vel odio, vel pretio, proborum hominum mores, vitam & patrimonia in diſcrimen adducerent, ſub optimis Principibus ſublati ſunt. Ab aliis deinde admiſſi delatores, ſed coërcita eorum licentia, exilio, infamia, aliiſque pœnis infra recenſendis, & conſtitutum ut certo modo delatio fiat, ut ſic malitiis occurratur, & ne formidine pœnæ deſint delatores, qui crimina detegant, & vancantia bona fiſco deferant. *De his hoc tit.* agitur.

Non omnibus tamen permiſſum deferre; Alij 4
enim conſtitutionibus Principum deferre prohibentur, ut viri clariſſimi, & veterani propter ordinis dignitatem & meritæ militiæ honorem, milites propter honorem ſtipendiorum; mulieres propter ſexus infirmitatem, niſi forte ſeipſas deferant. Idem de pupillis dicendum, *l.* 16. *ff. de jur. fiſc.* de quibus plura infra *tit.* 15. Item iiſdem conſtitutionibus deferre nequeunt illi, qui in metallum damnati, idque ideo ne deſpe-

deſperati ad delationem facile poſſint ſine cauſa confugere, *l.18.§.1.& ſeqq.ff.de jure fiſci.*

5 Alij non omnino à delatione arcentur, ſed tantum prohibentur quaſdam perſonas deferre, ut filius patrem, libertus patronum, ſervus dominum, adeo ut etiamſi vera contra dominum ſervus detulerit, & objecta probaverit, ſeveriſſime puniatur, niſi forte dominum reum deferat majeſtatis, *l.6.h.t.* eo quoque pertinet *l.2. §.6. d.t. verſ. ſed & ſervi & l. ſeq.C.ad l.Jul.Maj.* Nam in majeſtatis divinæ,& humanæ crimine, cenſetur ſervi proditio honeſta, præcipue cum ſit ita odioſum. Quamquam nec in eo crimine ſervum in caput domini audiendum cenſuerit Trajanus Imp. teſte Plinio. Etenim ſervorum mores adeo veteribus ſuſpecti fuere, ut abierit in proverbium, *totidem hoſtes quot ſervi*; quorum proinde conſpirationem in exemplum omnium proditorum, ſeveriſſimis pœnis coërceri placuerit Imperatoribus, ut patet ex *l. 7. h. t.* ubi ſi quis alia ratione quem deferat,puta quod theſaurum invenerit, ſervus quidem confeſtim igni traditur, præſertim ſi dominum deferat, liber bonis ademptis deportatur: non rejicitur tamen qui rem vel hæreditatem ad fiſcum pertinentem, ab alio detineri nunciat, dato fidejuſſore, quo caveat ſe rem probaturum. Admittitur itaque delator ſi fidejuſſores dederit, *l.2.§.3.ff. de jure fiſci.*

6 Cum itaque delatoribus nihil ſit in republica pernicioſius,recte cavit Conſtantinus Imp.ne quiſquam privatus delator eſſet,& ne ſine advocato fiſci ulla delatio fieret, & ſi quis exiſteret qui injuſte & calumnioſe deferret, adverſus eum ſeveritatem judicum ferro diſtrictam liceat implorare, *l. 5. h. t.* Et ideo nunc meritò Rationalis vel fiſci patronus, ſolus dicitur huic muneri accuſandi idoneus, & qui ſolus delatoris intentionem poſſit exequi. Caveat tamen cuiquam quaſi poſſeſſori rerum fiſcalium moleſtiam inferre, non adhibito delatore, *l.ult. hoc tit.* Ne in propria cauſa delator videatur potius, quam patronus. Quæ Græca conſtitutio à Cujacio reſtituta,etiam agit de iis qui alios deferre non poſſunt, quibus adjiciendi ſunt conductores, procuratores, actoreſque prædiorum fiſcalium, *l.un. infr. de conduct. & procur. præd. fiſcal.*

7 Itaque Patronus fiſci, & hi omnes, qui monente officij ſolicitudine, ſecundum noſtros mores accuſationes ſuſcipiunt, vel juſſu judicis cauſas convenienti diligentia inſtruunt, aut ab alio inchoatas proſequuntur,dummodo calumnia & temeritas abſint, voluntarij delatoris aut accuſatoris periculo non ſubjacent,*l.2.h.t.*etſi in probatione defecerint. Hi enim pœna legis ſunt obnoxij qui ſpe lucri deferunt, non qui coacti & ex officio defendunt. Quo fit ut qui Reipublicæ cauſas defendendas ſuſcipiunt, delatorum criminibus non teneantur, cum omnibus notiſſimum ſit, eos ſolos execrabiles, & odioſos nuntiatores eſſe, qui calumnioſè & ob invidiam magis fiſco deferunt, *l.4.h.t.* & ut ſibi potius quam Reipublicæ proſint, tales enim graviſſimis pœnis coërcentur, quæ interdum ad mortem extenduntur, ut inſinuat *d. l. 5. h.t.* * 8 Sic adverſus delatores non probantes & calumnioſe deferentes, gladium diſtringi jubet Imp. atque in perpetuum relegari eos, qui ab accuſatione deſiſtunt & latitant, *in l. fin. §. unuſquiſque 10. h. t.* Alias ordinaria pœna eſt, infamia, exilium, & ſimilitudo ſupplicij, quia non debet eſſe impunita licentia mentiendi, & calumniandi, *l.7. C.ad l. Jul. de vi publ.*Et æquum eſt ut qui alteri inurere infamiam per calumniam conatur,eandem ipſe incurrat. De his aliiſque pœnis, eſt *l.15.l.23.& ſeq.ff.de jure fiſci.* à quibus,ut dixi, eximuntur qui non ulciſcendi gratia adverſarium ſuum deferunt, ſed ex officij neceſſitate, & nomine Reipublicæ cauſam exequuntur, quales defenſores potius ſunt, quam delatores, quorum proinde fama non læditur, *l. 2. ff. d. t.* Imo præmium iis datur, quod non excedit octavam bonorum confiſcatorum partem in cauſa majeſtatis, *l. ult. h. t.* multo minus amplius erit octava in aliis cauſis. Cujacius *lib.19. obſ. c. 3.* Gutherius *de officio dom. Aug. lib.3. cap. 31.*

9 Hodierno tempore delatores, & accuſationum inſtigatores non admittuntur ad agendum appellandumve, ſed ſolus procurator regius agit; ex delatione tamen illorum, quorum proinde nomina inſcribuntur in libro procuratoris, qui lite finita ſolet delatores nominare propter expenſas & damna quæ præſtanda veniunt accuſato, qui repertus innocens, cauſam obtinuit. Papon. *lib. 24. arreſt. tit.1. art.2.& 4.* Atque hæc etiam pœna eſt illorum qui calumniandi animo deferunt, præter relatas, quod in expenſas damna & intereſſe condemnentur; nam procurator regius ad hujuſmodi expenſas & damna non tenetur, niſi manifeſta ejus ſit calumnia. Unde ex conſtitutione regni Hiſpaniæ, *l.3. tit.13. lib.2. Recop.* Non poteſt fiſcalis ad accuſationem proſilire, non præcedente delatore, qui apud tabellionem proponat ſuam delationem, ne poſtea eam poſſit negare, & convictus ſubterfugere pœnam & expenſas.

10 Cæterum ab iſtis pœnis contra delatores ſtatutis omnino immunis eſt, qui ſuam vel ſuorum injuriam, vel cauſam ſibi cum fiſco communem proſequitur, *l.18. §.7. l.38. §.fin. & l. 44. ff. de jure fiſci.* Imo ne macula quidem aſpergitur, qui cum accuſaretur,ipſe in alium crimen detorſit, *l.3 §.14.ff. de S. C. Sillan.* aut juris ſui defendendi cauſa alium eſſe criminis auctorem dixit, quamvis non delatione criminis, ſed innocentia ſe prius purgare debeat, *l. 5. ff. de publ. jud.* Similiter qui in judicio contra ab adverſario productos opponit illos eſſe infames, hoc illi nocere non debet, quia non injuriandi

Digitized by Google

cauſa id dicit, ſed removendi adverſarium, & ejus dicta infirmandi, prout dictum ſupra de injuriis. Huc pertinet Gordiani Imperatoris conſtitutio, nulla macula vel crimine delatoris aſpergi eum, qui cum ab officialibus fiſci fundum ſeu domum fiſci poſſidere diceretur, non ſe, ſed alium ejus rei poſſeſſorem eſſe demonſtravit, quia id non tam deferendi animo, quam delationem contra ſe factam repellendi fecit, utque dimitteretur, *l.3.h.t.*

11 Porro variæ ſunt cauſæ, ex quibus delatio fiſco fieri ſolet, quas enumerat Calliſtratus *in l.1.ff.de jur. fiſci.* Ac primo eam cauſam recenſet cum ſe quis quod tacite relictum eſt, profitetur capere non poſſe, propterea quod ſit incapax. Quid igitur ſi ei qui capere poteſt, tacitum fideicommiſſum relictum ſit? Ceſſat delatio, *l.1.h.t.* quia hoc caſu nulla ſit fraus legi, *l. 3. in princip.ff. d. t.* dicitur autem tacite aliquid relinqui, cum hæres nec teſtamento, nec codicillis rogatur, ſed domeſtica cautione, aut chirographo in fraudem legis, fide data ſe obligat ad præſtandum fideicommiſſum ei, qui capere non poteſt, quia ſcilicet ſua culpa, aut delicto non habet teſtamenti factionem, vel alias eſt inteſtabilis, *lib.103.ff.de leg.1. lib.12.ff. de his quibus ut indign.* Atque hoc caſu quidquid huic incapaci relictum eſt,
12 fiſco vindicatur. * Quod ſi vero non ſua culpa, vel delicto, quis ſit incapax relicti, proximis hæredibus cedit relictum, non item fiſco. Exemplum ſit in filio ex damnato complexu ſuſcepto, qui ſi à patre ſit palam inſtitutus, cum non ſit incapax ſua culpa, ſed ob vitium patris, hæreditas illi relicta, non defertur fiſco, ſed aliis cohæredibus inſtitutis, vel venientibus ab inteſtato applicatur. Ita in ſimili reſpondit *I.C. in l.46. ff. de jur.fiſci.* Quod auferatur ei quaſi indigno ſucceſſio, qui cum hæres inſtitutus eſſet ut filius, poſt mortem ejus qui pater dicebatur, ſuppoſitus declaratus eſt, & applicatur prædicta ſucceſſio legitimis venientibus ab inteſtato. Peregrinus *de jur. fiſci lib.3. tit.1. num.2.*

Plane ſi teſtator aliquem capacem hæredem in-
13 ſtituit, & eum palam rogavit ut reſtitueret filio incapaci, & talis hæres nullam accommodavit fidem, relictum non applicatur fiſco, ſed remanet penes hæredem, *l.3. §.1. ff.de jur.fiſci.* quod non poſſit videri in fraudem legis fidem accommodaſſe, cum lex tantum damnet tacitam fidem, niſi tamen reſtituerit tali incapaci, nam & tunc facit contra legem, *l.67. §.ult. ff. ad Trebell.* Ubi ſi hæres gravatus de reſtituenda hæreditate ei, qui ſolidum capere non poſſit (puta quia erat orbus) ut tota ei acquiratur, ſuſpectam dicat, aufertur ab eo quod capere non potuit, & applicatur fiſco, videlicet dimidium hæreditatis, in quo fraus intervenit. Gomez *ad l. 9. Tauri n.21.* Purgatur autem fraudis vitium, ſi is cui reſtitutio facienda, capax fuerit tempore mortis, *d.l.3.§.2.* Quia exitus hic ſpectatur.

Quid ſi hæres accommodaverit tacitam fidem, 14
de reſtituenda parte hæreditatis, an illa tantum applicetur fiſco? Quod verius puto, ne pœna excedat delictum, atque eò pertinet quod reſpondit Papin. hæredem, qui tacitam fidem accommodavit contra leges, in ea parte, quæ fraudem adhibuit, falcidia non uti, *l. 11. ff. de his quæ ut indign. aufer.* Igitur in reliquo ea uti poterit. Non urget quod dicit Baldus *ad l.3. num. 5. C. ad l. falc.* Quod qui accommodavit tacitam fidem in una re, privatur tota hæreditate, quia agit, in caſu quo aliquis rogatus eſt totam hæreditatem reſtituere, tacita fide interpoſita. Nihil etiam facit *l.30. §. 1. ff. de donat.* ubi pactus de parte hæreditatis vivi, tota dicitur indignus, nam id merito, cum gravius ſit inhiare bonis viventis, quam tacitam fidem interponere, ut quod in illa poſitum non debeat extendi, cum pœnam contineat, quæ potius eſt reſtringenda. Gomez *d. l. n.22.* Peregr. *de jur. fiſci l. 5. tit.19. n. 20.*

At quomodo probabitur quod hæres fraudem
commiſerit, taciteque fidem accommodaverit? 15
Citati auctores ſufficere putant conjecturas & præſumptiones, quæ evidenter ex actis anterioribus colligi poſſunt. Verius hic Amaya, aliique non conjecturas, ſed manifeſtiſſimas probationes deſiderant *per l.3. §.3. ff. de jur. fiſci. & l. penult. ff. de his quæ indign. aufer.* Ut recte dixerit Julius Clarus non videri hæredem fidem accommodaſſe teſtatori, ſi moriens inſtituat hæredem incapacem in bonis ſibi ab ejus patre relictis §. *teſtamentum q. 31. n. 5.* Quia ex hac conjectura non poteſt probari fraus interveniſſe, niſi alia concurrant; ut ſi probetur quod hæres paſſus fuerit dum viveret, ſpurium bona patris poſſidere. Nam eo caſu potuit fiſcus bona auferre à ſpurio, poteritque hæres ad fiſci petitionem interrogari à judice, an tacitam fidem defuncto accommodaverit, de reſtituenda hæreditate. Item non videtur ſufficiens conjectura, quod pater habens filias ſpurias inſtituerit hæredem extraneum, & is moriendo filias teſtatoris inſtituat; probanda enim hic fraus eſt, aliàs poſſunt filiæ retinere ſibi relicta ab hærede patris, aut impetrare legitimationem ad excluſionem fiſci. Bartol. *ad l. Lucius Titius §. in teſtamento ff. de leg. 1.* Bald. *conſ. 91. vol. 1.*

Ex quibus etiam conſequitur, ad hoc ut fiſco lo- 16
cus ſit, quoties tacitum fideicommiſſum relinquitur, non ſufficere probare teſtatorem rogaſſe tacite, ſed requiri hæredem huic rogationi annuiſſe, de reſtituendo incapaci, quoniam delictum conſiſtit in accomodatione fidei, *d.l.3. de jure fiſci.* ibi, *Si domeſtica cautione obligaret ſe ad præſtandum ei.*

Quæritur an ut fiſco locus ſit, ſufficiat quod hæ- 17
res caverit de reſtituendo, an vero opus ſit quod reſtituerit incapaci? Videtur non alias fiſco, & conſequenter iſti pœnæ locum eſſe, quam quatenus ſe-

cundùm

Digitized by Google

eandum tacitam fidem, id quod promiſſum, traditum fuerit, *l. 3. C. ad l.falc.* in verbis, *hæredem adminiſtraſſe apparuerit*, eo quod delictum non mereatur pœnam priuſquam fuerit perfectum,quod non eſt, ante actualem rei traditionem. Gloſſ. *in d.l.3*. Quæ accipit verbum, *adminiſtraſſe* pro ſolviſſe. Sed verius eſt heredem,hoc ipſo quo cavit de reſtituendo, indignum ſe reddere relicto, quod proinde ei aufertur, cum paſſim tota vis ponatur in fide tacite accommodata, non etiam in ipſa rei traditione, ut patet *ex d.l.3.& l.12. ff. de fideicomm. lib. & lib.103.ff. de legat. 1.* Ex quibus patet cautionem improbari, per quam fit fraus legi, ut non obſtent verba *adminiſtraſſe apparuerit*, cum per illa non velit indicare Imp. requiri traditionem, ſed accipienda eſſe pro conſenſu, quo promiſſio adimpletur, & fit fraus legi, ut locum habeat pœna. Nil facit quod delictum non puniatur niſi perfectum,cum hac in parte perfectum ſit ante traditionem. Gomez, *d. l.num.23.* Amaya *ad l.1. h.t. num.39.*

18 Hinc pendet ſolutio quæſtionis, an hæres rogatus reſtituere hæreditatem incapaci, teneatur in conſcientia facere reſtitutionem, an vero tutò poſſit retinere hæreditatem? Secundùm priorem opinionem præcedentis quæſtionis videtur (cum in conſcientia nemo teneatur ad pœnam) poſſe heres res hereditarias retinere,quoniam hic agitur de pœna reſpectu fiſci. Huc facit, quod indignitas non tam proveniat ex accommodata fide,quam ex reſtitutione, quam partem amplectuntur Canoniſtæ, & Theologi. Covar. *2. par. de matr. c. 8. §.5. num. 12. & ſeqq.* Molin. *de juſt. & jur. diſp. 169.* Verum ex poſteriore opinione elicimus, hæredem non poſſe ſibi bona retinere in conſcientia, ſed debere ea fiſco deferre, alioquin eſſet poſſeſſor malæ fidei;quidquid autem bona fide non poſſidetur,peccatum eſt, *c. fin. X de præſcript.* Confirmatur hæc opinio *per l. 18. in princ. ff. de his quib. ut indign.* Ubi hæres qui tacitam fidem accommodavit, dicitur poſſeſſor malæ fidei, etiam ante litem motam, quare non poteſt talis bona hæreditaria retinere. Ut autem illa retinere poſſet, id procederet ex defuncti voluntate, quæ hic deeſt, cum non alias voluerit eſſe hæredem, quam ut reſtitueret incapaci, quod licet adjectum contra leges habeatur pro non ſcripto,tamen quia accommodavit fidem,lex iſtam voluntatem improbat, non quoad fidem eam ſolum rejiciendo, ſed quoad totam diſpoſitionem, & fiſco locum facit, ut non ſubſit ratio quæ poſſit facere pro ſcripto, excuſando eum in conſcientia, cum deſtituatur defuncti voluntate, & juſto titulo, quod utrumque requiritur ad poſſidendum iſta bona. Bart. *ad l.ult. num.9. ff.d.tit.* & Gomez *d.loc.n.28.* Quorum ſententia verior videtur, licet Amaya priorem amplectatur, nec exiſtimet per *d. l. 18.* ante litem motam hæredem teneri, rem ejuſve fructus reſtituere, *l.1. C. de pet. hæred.* Videatur præter citatos Joan. Garſia *in ſua tractatu de tacito fideicommiſſo num. 38.*

Et hæc ita procedunt, niſi parendi neceſſitas excuſet hæredem,puta filium in poteſtate patris,cujus juſſu tacitam fidem interpoſuit, de reſtituenda hæreditate incapaci, id enim illi nocere non debere reſponſum eſt *in l.10.§.2.ff. de his quæ ut indign.* Atque eò pertinet juris regula,quod in his quæ carent atrocitate facinoris, vel ſceleris, ignoſcatur filiis vel ſervis, ſi parentibus vel dominis obtemperaverint, *l.157.ff.de reg. jur.* Late Farinacius *de pœnis tempor. q.97. num.131.149. & 162.* Ubi tradit quatenus ſuperioris mandatum excuſet à pœna delicto propoſita. Itaque hæreditas relicta incapaci, fiſco vindicatur,quamvis filius non ob id privetur Falcidia. Goveanus & Cujacius *ad l. 13. ff. ad l. Falcid.* Item limitatur *d.l.1. hoc tit.* Si hæres qui tacitam fidem accommodavit, ſe ipſum fiſco detulerit, hic enim non pœna, ſed præmio afficitur. De quo infra *tit.13* dicetur. 19

Denique notandum cauſas delationum quæ recenſentur à Caliſtrato *in l.1.ff.de jure fiſci*, valde eſſe reſciſſas per conſtitutionem Græcam *& ultimam h. tit.* quam reſtituit Cujacius, ex qua non ſtatim bona fiſcalia, quæ dicuntur ab alio poſſideri, ſi ignotus, & incertus ſit eorum poſſeſſor, occupantur à fiſco, ſed dantur dies triginta, intra quos diſceptare debet de jure ſuo poſſeſſor,qui ſua intereſſe arbitratur, atque ea de re edicta proponuntur juſſu Comitis rerum privatarũ, coram quo hæc cauſa agitur, eaque cognita, ſi is, qui delatus eſt, innocens inveniatur, abſolvitur, ſin vero obnoxius, non ſolum ea bona quæ poſſidebat, ſed & alia debita quæ habebat cogitur exſolvere, itemque ſumptus, quos in proſecutione litis fiſcum feciſſe contigerit in duplum auctos reſtituit. Interim non facile auditur deferens, abſque fidejuſſore, quo caveat ſe probaturum ea quæ fiſco nuntiat. Hodie nomen ejus inſcribitur, & bona quæ defert, aut occulto latent, agente ipſo fiſco regio, *ut dictum ſupra.* Cujus muneri injunctum ut diligentiſſime lites proſequatur, & nullam moram aut diſſimulationem contrahat, in perſequendis juribus ſacri patrimonij, *l.2.h.t.* 20

TITULUS XII.

De petitionibus bonorum ſublatis.

1. *Bona quæ deferuntur in fiſcum, nemo poteſt ſibi impetrare, & impetrantes, & qui impetrationi dant operam, puniuntur.*
2. *Petitionibus, reſcriptis & mandatis, Quæſtor olim, nunc Cancellarius ſubſcribit, alias non valituris.*

3. *Bona delata impetrare non licet, ſed concedi poſſunt motu proprio.*
4. *Poſſunt quandoque donata revocari, & litteræ datæ rejici, ſi pugnant cum legibus.*
5. *Item non impetrantur ante confiſcationis ſententiam.*
6. *Multo minus ea bona impetrari poſſunt, quæ unita ſunt coronæ, & incorporata Principis patrimonio.*
7. *Bona in quibus jus habet dominus feudi, debent diſtrahi, ſi præceſſerit condemnatio, alias de his libere diſponit Princeps.*

1 QUoniam ob inverecundam petentium inhiationem Princeps bona caduca, vacantia vel commiſſa concedere conſtringitur, reſcriptum eſt hoc Tit. ut nullus deinceps ſpecie munificentiæ principalis, talia bona audeat proprio jure poſcere, qui contra legem id auſus fuerit ſperare, quod non licet, & non petenda petere, reus violatæ legis habeatur, *l. 1. h. tit.* Itemque bonorum proſcriptione puniantur Quæſtores, Memoriales, Palatini, aliique quorum interventu, vel opera tales petitiones admiſſæ, vel inſtructæ fuerint.

2 Inſuper ut Quæſtor ſi oblatis petitionibus ſubſcripſerit, vel etiam reſponſa dederit, indignationis principalis pœnam ſuſtineat, *l. 2. h. t.* inde obſervo Quæſtorem ſacri Palatij, petitionibus, reſcriptis & conſtitutionibus ſubſcripſiſſe, præcedente mandato Principis, ejuſque annotatione in reſcriptis, nam in aliis ſufficiebat ſubnotatio ipſius Quæſtoris, in hæc verba: *Legi*, vel *ſubſcripſi. Novell.* 114. Ubi cavetur ut divinæ juſſiones ſubſcriptionem habeant glorioſiſſimi Quæſtoris, hunc nos vocamus Cancellarium, cujus ſubſignatio etiam nunc in mandatis Principis decretis à Senatu latis, & litteris, neceſſaria eſt.

3 Unde fit ut bona fiſcalia ad jus publicum ſeu rempublicam pertinentia, non ſoleat Princeps ſupplicanti concedere, aut ſubſcriptionem, annotationemve Quæſtori permittere, licet ipſe ex certa ſcientia, & motu proprio id facere poſſit, *d. l. 1. in fin.* Prohibetur enim ſupplicatio & petitio, non omnis Principis liberalitas, de qua infra *tit.* 14. Imo nec omnis petitio eſt prohibita, ſed bonorum fiſcalium rerumque civilium; hæc namque bona per delationem & incorporationem in dominium fiſci tranſeunt & conſequenter in patrimonium Principis, quod non eſt minuendum importunitate petentium, maxime cum non habeat Princeps aptius quidquam ad exonerandum ſua bona, quam hujuſmodi res caſuales, quæ in fiſcum cadunt, *l. 5. ſupra de modo mulct.*

4 Cum itaque ſæpe non juris neceſſitate, ſed importunitate petentium Princeps ſua bona donet, & per litteras quandoque id jubeat, poterit illas revocare tanquam ſe inſcio ſcriptas, interdum enim Principes dum metuunt quoſdam offendere, ſcribunt quæ fieri nollent: quidquid autem pugnat cum legibus, hoc velut ſubreptitium à Principe rejiciendum eſt, cum ille non aliud ſit quam legum cuſtos. Quamobrem præſcriptum judicibus ne inverecundas petitiones & deſuper obtenta mandata admittant, quæ pugnant cum legibus, & commodo publico vel privato partium; quod ſi fecerint, munere ſuo priventur jure regio Hiſpaniæ, ut ſcribit Bobadilla *lib. 2. polit. c. 10. n.* 74. Si tamen judex oſtenderit Principi adverſari legibus, aut moribus patriæ petitionem & proviſionem quam facit, & nihilominus eam impleri velit, ſecundæ juſſioni obſecundandum fuerit, non aliter quam cum Princeps motu proprio aliquid fieri jubet, *d. l. 1. h. t.*

Verumtamen ubi ſponte & motu proprio Princeps bona quæ ob crimen fiſcus invaſit; alicui donavit, ita demum cenſetur ſubſiſtere donatio, ſi cognitio cauſæ præceſſerit & ſententia; hac enim opus eſt ut bona cenſeantur eſſe in dominio fiſci. Boërius *deciſ. 65. n.* 1. Papon. quem in notis ſuis refert Ant. Faber *in Cod. tit. de bonis damnat. defin* 3. tenent non prius hujuſmodi Principis conceſſionem vires habere, quam à rationalibus approbata ſit; nec ante à rationalibus approbari eam poſſe, quam de crimine à ſenatu cognitum fuerit, & pronuntiatum: ante enim ut bona annotata petere eſt temerariũ, ita & injuſtum ea concedere, prout judicatum in curia Pariſienſi meminit Mornatius *in l. 4. C. ne fiſc. vel reſp. procur.* Contra creditores Ducis Barrenſis Henrici 4. ſororis, qui ex jure ab ea ceſſo agebant donum confiſcationis eſſe nullum atque irritum, propterea quod impetratum eſſet, ante condemnationem. 5

Præterea procedit iſta conceſſio, ſi bona nondum ſunt incorporata, & unita patrimonio Principis per conceſſionem diutinam, aut per litteras expreſſas, & relatas in camera ratiociniorum, quaſi bona tamdiu cenſeantur particularia, & in libera Principis diſpoſitione, quamdiu unita non ſunt. Papon. *lib. 5. tit. 10. art. 6. & 7.* 6

Huc pertinet quod ſi dominus feudi, aut alius Toparcha præter Principem, jus habeat in bonis confiſcatis, propterea quod bona ſita ſint illius territorio, in quo & crimen admiſſum eſt, debent illa publice vendi, ne præjudicium fiat iſti domino, cui jus eſt quæſitum. Ant. Faber. *lib. 9. c. tit. 26. definit.* 3. Intellige jus quæri domino in bonis confiſcatis, ubi deſuper lata fuit ſententia, quia quamdiu pendet judicium, liberum eſt ſupremo Principi gratiam facere, crimen remittere, & reo mortuo, bona relinquere liberis, aut proximioribus, quo caſu iſta bona annotata non mutant ſuam naturam, aut primævam conditionem, remanent enim hæredibus propria, & adeo libera, ut non ſit opus capere novam inveſtituram, aut aliam recognitionem dominij facere. Car. Lebret *de la ſouveraineté du Roy, lib. 3. cap.* 13. 7

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XIII.

De his qui ſe deferunt.

1. *Omnes poſſunt ſe deferre, ad effectum conſequendi certam portionem.*
2. *Item ſeptennio major. Quæritur an ſe deferendo poſſeſſionem rei amittat.*
3. *Quarta portio debetur delatori, an & tertiam accipiat ejus quod reſtituere promiſerat, vel dimidiam is qui ſe detulit?*
4. *Cur major ſit pars eorum qui ſe deferunt, item fideicommiſſarij, quam hæredis?*
5. *Qua pœna puniatur hæres ſe occultans.*
6. *De quorum bonorum delatoribus hic titulus loquatur. Et cui fiſco bona delata applicentur.*

1 DIctum eſt de his qui alios deferunt, quod non
omnibus permiſſum eſt, nunc dicendum de his
qui ſe deferunt, quod omnibus eſt conceſſum ex
edicto divi Trajani. Poſſunt itaque omnes ſeipſos
deferre, ſive maſculi ſint, ſive fœminæ, nulla
habita ratione dignitatis, ætatis, aut conditionis, *l.*
2 *13. l. 15. & l. 16. ff. de jure fiſci.* * Nam pupillis etiam
poſt ſeptennium ætatis annum permittitur deferre
ſe ex quibus non capiunt, *d. l. 16. in fin.* Non urget
quod poſſeſſionem, quæ eſt naturalis, amittere non
poſſit, qui minor eſt 25. annis, *l. 11. ff. de acq. rer. dom.*
Ergo nec ante eam ætatem ſeipſum deferre poterit,
cum ex tali alienatione præciſe poſſeſſionis alienatio
ſubſequatur. Nam licet delatio det cauſam amittendi
poſſeſſionem earum rerum, quas capere non
poteſt pupillus, non tamen eam ſtatim amittit, ſed
poſtea cauſa cognita à fiſco vindicatur, & à pupillo
aufertur tanquam incapace. Narbona *de ætate ad
omnes actus an. ſept. q. 29.* * Defert autem quis ſe ad
3 hunc effectum, ut ex ea re, quam per leges retinere
nequit, & ad fiſcum ſpectat, portionem aliquam pro
præmio delationis conſequatur. Hæc portio quæ
præmij loco dabatur, olim in libera republica fuerat
arbitraria, deinde quarta eorum quæ delata eſſent,
& inde quadruplatores dicti à præmio quartæ,
quam conſequebantur. Eratque hoc vulgare
præmium quarta ſcilicet bonorum ad differentiam
ejus quod edicto Divi Trajani datur ſe deferentibus,
quod dimidiam bonorum continebat, *d. l. 13.*
Cui ne adverſetur *l. unic. h. t.* obſervanda eſt differentia,
ut ſi is qui ſe detulit, ſit hæres, qui tacite ſe adſtrinxit,
tertiam partem conſequatur, *ut in d. l. unic.*
Si vero ſit ipſe incapax, tunc dimidiam accipiat,
altera fiſco vindicetur, *juxta d. l. 13.* Uxor autem defuncti
non capax ſe deferens, ex omni patrimonio
dimidiam partem præmij loco conſequitur, & diviſione
facta habet optionem. Ulp. *in fragm. tit.
15.* ibi Cujac. *lib. 19. obſerv. c. 3.* Quod eſt ſingulare ut
diviſio fiat per fiſcum, data electione privato, ac ita
uſu receptum docet Peregrin. *lib. 6. de jur. fiſci titul.
4. num. 24.*

Majus itaque præmium eſt eorum qui ſe, quam 4
qui alios deferunt, quo enim difficilius quiſque ſe
ipſum defert, eo majori præmio invitandus eſt, qua
ratione etiam fideicommiſſario plus præmij tribuitur
quam hæredi: quia fideicommiſſarius incapax,
ſe privat re quam habebat, cum quilibet magis ſe
diligat, quam alium, & minus ſit rem quam non
habet, præſtare, quam à ſe abjicere; At hæres quando
ſe defert, non tam ſe ipſum quam incapacem cui
reſtitutus eſt, defert, ideòque minus ei tribuitur. *d.
l. un.*

Quin imo ſi ſe occultaverit hæres, exutus omni 5
patrimonio ſuo, ac fiſco vindicato, in inſulam deportatur.
d. l. un. in fin. Ubi Gloſſa intelligit, ſi ſe ſtudioſe
celet, ne bona deferantur fiſco, & illi cui rogatus
fuerat dare: non item ſi differat ſe deferre, quia
nec feſtinare debebat. *d. l. 13. §. 7.* ibi Bart. Platea *ad
l. unic. hoc tit.* Et Amaya *ad l. 1. de delat. n. 59.*

Duo ſuperſunt hic notanda. Primum quod quam- 6
vis lex noſtra loquatur de tacitis fideicommiſſis &
relictis, nihilominus extendenda eſt, ad omnia bona,
quæ ex qualibet cauſa & ratione ad fiſci ærarium,
ac patrimonium pertinent, *l. 1. ff. de jur. fiſci.*
Unde in delationibus quorumcumque bonorum
ad fiſcum ſpectantium procedit hic titulus. Alterum
quod bona iſta applicentur fiſco regio, ſi hæres
juſſus incapaci reſtituere, vel ex alia cauſa incapax,
ſit ſecularis; ſin vero ſit clericus fiſco Eccleſiæ cedant,
cum quiſque conveniatur & puniatur à ſuo
judice, qui non poteſt imponere pœnam confiſcationis,
niſi fiſco ſuæ juriſdictionis applicandam.
Gomez *ad l. 9. Tauri num. 29.*

TITULUS XIV.

Si liberalitatis Imperialis ſocius ſine hærede deceſſerit.

1. *Summa tituli, quod ſocius liberalitatis imperialis excludat fiſcum in ſucceſſione rei donatæ, mortuo ſocio.*
2. *Olim liberalitates exercebant Principes, prout hodie.*
3. *Inſpicere debent Principes, quid & quibus donent, ſi ſint exceſſivæ liberalitates revocantur.*
4. *An remuneratoriæ donationes valeant ſi excedant valorem meritorum?*
5. *In quos liberalitatem exercere Princeps debeat?*
6. *Immenſæ largitates quæ ærarium exhauriunt à Principe ſunt revocandæ.*
7. *Reſervata Principis in præjudicium ſucceſſorum alienare non oportet, alienata revocantur, idque exemplis oſtenditur.*

8. *An*

Digitized by Google

8. *An bona regalis patrimonij donare poſſit benemeritis? ſuprema poteſtas ſemper retinetur à Principe.*

9. *Satius eſt donare bona aliqua in feudum & inveſtire eos novis titulis, quam urbes & caſtra donare.*

10. *Principis liberalitates facta motu proprio & etiam aliquo petente tenent.*

11. *An ſucceſſio ſocij, de qua in ſpecie hujus legis fiat per jus accreſcendi?*

12. *Quando ſocius cenſeatur ſine hærede decedere, & quis hic appellatione hæredis veniat?*

13. *An uxor defuncti ſit præferenda ſocio?*

14. *Quid ſi teſtator legavit uxori, & voluit poſt ejus mortem legatum reverti ad filias, una earum decedente, an pars ad hæredem mortuæ pertineat.*

15. *An diſpoſitio hujus legis procedat in feudo, ſeu an frater fratri ſuccedat in feudo novo à fratre acquiſito?*

BOna ejus qui abſque omni hærede deceſſit uti 1 vacantia fiſco cedere, ex prædictis conſtat, id autem hoc titulo limitatur, nam ſi quid duobus communiter à Principe donatum ſit, quorum alter ſine hærede moriatur, portio ejus minime vacans habetur, verum ſocio ſuperſtiti acquiritur, excluſo fiſco, ex latiore interpretatione beneficij Principis, *l. un. h.t.* quæ deſumpta eſt *ex l. 1. & 2. C. Theod. lib.* 10. *t.* 14. dignus enim hac liberalitate imperiali ſocius, propter merita & obſequia quæ reipublicæ præſtitit. Peregrin. *De jure fiſci lib.4.cap. 3. n. 8.*

2 Solebant enim Principes ob fidele miniſterium, vel ut munificentiam ſuam oſtenderent, annua ſalaria (quæ hic ſolatia vocantur) donationes & largitates concedere *l. fin. C. de hæred. decur.* Exercent & hodie reges liberalitatem in ſubditos, ut eorum benevolentiam ſibi concilient. Verum etſi Regum naturæ nihil magis conveniat quam dare, & aliis prodeſſe, videndum tamen quid, quibus, & quomodo dent.

Quid dent, ne facultates liberalitas excedat, 3 honeſtæ enim ac moderatæ eſſe debent regum donationes. Quid ſi moderatæ & exiguæ ſint, quælibet per ſe, ſed ſimul junctæ regium patrimonium lædant? Revocandæ erunt, quaſi nullæ, & contra leges principatus, ac civiles, quæ exceſſivas donationes à Rege fieri vetant, *l. 1. & 3. C. de inoff. donat.* Lucas de Penna *in l. quicumque C. de omni agro deſerto.* Mieres *de Majorat. p. 4. q. 1. lim. 6.* & citati à Larrea *alleg.* 12.

Quid ſi remuneratoriæ ſint donationes? Certè 4 ſubſiſtunt etiamſi excedant æſtimationem meritorum, neque enim commenſurari debent ad merita, prout donationes, quæ à privatis fiunt, quia liberalitas, quæ Principes decet, ſupplet meritorum æqualitatem, & major eſſe debet quam privatorum. Huc facit quod dicitur *in c. 1. de donat. Hanc ſibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere ſe quod ſponte tribuit, exiſtimet, & niſi in beneficiis ſuis creverit, nihil ſe præſtitiſſe putet.* Sic Princeps accepto ſervitio, majorem ſolet referre gratiam, ut merito valeat ab eo profecta largitas, ſi modum quem ſervare donando ſolet, non excedat, licet præponderet meritis. Hæc virtus Tiberio conſervavit imperium, quia ſolam illam ſemper *retinuit, cum cæteras exueret.* Tacit *lib. 1. annal.* Verumtamen nihil pernicioſius in eo qui imperat, quam *liberalitas & ſimplicitas, quæ ni adſit modus, in exitium vertuntur.* Idem *lib. 3. hiſt.* Quare inſpicere debet Princeps quibus det, ut videlicet erga benemeritos, vel egenos ſit munificus, ac tantum largiatur, quantum Principem pro ſuo ſtatu decet, quod paulo poſt plenius explicabitur, & quid benemeritis donandum ſit. Oportet tamen Principem propenſiorem eſſe in bonos & calamitoſos, qui non culpa ſua, ſed fortunæ invidia ſunt tales, inter quos ſi nobiles ſint egentes, illorum potius habere rationem convenit, ac illis benignam manum porrigere, ne illuſtres familiæ per inopiæ anguſtias extinguantur. Extinctas & collapſas boni Principis eſt erigere, & merentes augere & fovere: ut monet Philoſophus & Seneca *lib. 2. de benefic. cap. 15. & ſeqq. Habeatur itaque perſonarum ac dignitatum proportio, & cum ſit ubique virtutis modus, æque peccat quod excedit, quam quod deficit.*

Videndum etiam quo modo Principes dent, ne 5 nimium ab uno extorqueant, quod in alium transfundant, ne nimis hauriendo, ærarium ſuum exhauriant, ita ut illud replere per ſcelus neceſſe ſit, aut cum lachrymis & ruinis ſubditorum, ut monet Tacitus *2. ann.* Sequantur Principes Alexandri veſtigia, de quo Lampridius, *nulla dies tranſit quin aliquid manſuetum, civile, pium faceret; ſed ita ut ærarium non everteret.* Alioquin non eſt liberalitas, ſed profuſio, quæ meritò retractari poteſt. Ideo Galba decima parte rei donatæ relicta, reliquum vindicabat. Tacit. *lib. 1. hiſtor. §. 6. Proxima pecuniæ cura, & cuncta ſcrutantibus juſtiſſimum viſum eſt, inde repeti, unde inopiæ cauſa erat, bis vicies mille ſeſtertium donationibus Nero effuderat, appellari ſingulos juſſit, decima parte liberalitatis ad quemcumque eorum relicta.* Tiberius autem conſtituit, ne largitiones à Principibus factas aliter ratas haberent ſucceſſores, quam ſi eaſdem iiſdem & ipſi dediſſent.

Hinc noſtri Interpretes docent, non poſſe Prin- 6 cipem reſervata alienare, vel gratis concedere, in præjudicium ſucceſſorum, quia ſunt quaſi bona principatus, quibus ſtatus regius conſervatur & retinetur, *cap. 1 quæ ſint regal. in uſibus feud.* quapropter hujuſmodi cōceſſiones cum noceant ſucceſſoribus, fieri non debent, & factæ corruunt; niſi accedat ipſorum ſucceſſorum ratihabitio, aut modica ſit conceſſio quæ ſtatum non lædat. *DD. in cap. intellecto*

Digitized by Google

33. ¶. *de jurejur. c. abbate ſane de ſent. & re jud. in 6.* Oldrad. *conſ.* 94. & alij citati à Molina *lib. 1. de primog. cap. 3. n. 18.* qui omnes tenent largitiones revocari poſſe, quæ tendunt in diſpendium juriſdictionis Regiæ. Sic in Gallia Philippus Valeſius legem tulit, qua Principis largitiones revocari juſſit, niſi tabulis donationis continerentur: plura etiam reperiuntur exempla donationum regiarum, quæ à Pariſienſi curia revocatæ, atque abolitæ ſunt. Et in Hiſpania Henricus III. non ſolùm prædeceſſorum ſuorum immoderata dona revocavit, ſed cavit ne in poſterum inconſultæ largitiones fierent, quæ patrimonium regale læderent. Forte ideo Regina Joanna liberalitates quas Philippus pulcher ejus maritus in aulicos fecerat, revocavit, & Ferdinandus Rex Catholicus ea quæ pater ejus Joannes donaverat, nulla reddidit: Idem Ferdinandi uxor Iſabella teſtamento cavit. Hinc optimo conſilio factum, quod Reges noſtri ſuis teſtamentis diſponant, ſe donationes illas revocare, quæ regio patrimonio præjudicium adferre poſſunt. Larrea *& ab eo citati alleg. fiſc.* 12.

8 Unde lege regni Hiſpaniæ cautum, ne bona regalis patrimonij & coronæ remunerationis titulo in benemeritos conferantur, niſi habita matura deliberatione, & cauſa cognita à procuratoribus & defenſoribus Reipublicæ, *l. 3. tit. 10. lib. 3. recopil.* ibi Matienzo, & Azevedo, quia ea bona potius ſunt regni, quam Regis, cui tantum commiſſa bonorum iſtorum adminiſtratio, non alienatio Non debet tamen Rex illiberalis eſſe, & infami parſimonia ſplendorem Regiæ dignitatis obſcurare. Nam poteſt benemeritis donare quod exiſtimaverit æquum, modò id faciat ex bonis ſuis privatis, aut fiſco quæſitis, non ex bonis coronæ reſervatis, & unitis patrimonio. Igitur ſi talia ſint bona quæ regno non officiant, poterit Rex ea in benemeritos de Republica erogare, ut ſic alios ad imitationem excitet. Nec modo præmia merentibus, ſed & vicos, caſtella, & urbes Ducibus qui ea loca ſubegerunt largiri convenit, ſiquidem iſta donatio non redundet in grave damnum coronæ. Quod fieret, ſi donatis hujuſmodi locis, Rex omni ſuo jure cederet, invitis locorum ſubditis.

9 Quamquam iis nihil decedat, cum ſemper Rex ſibi reſervet jus ſupremæ poteſtatis in omnes ſubjectos, etiam eos quos alicui donat, Cabedo *deciſ.* 42. *num. 2. p.* 2. Quia vero ſæpe ſubjectorum alienatio, eſt periculoſa, & ipſis minus grata, prudentius Rex faceret, ſi in præmium navatæ operæ, bona quæ benemeritus poſſidet, illuſtri Comitis, aut alterius dignitatis titulo, ornaret, vel bona non habenti, quædam territoria feudum conferret, aut ad munus Palatinum equeſtremve dignitatem eveheret, atque iſta dignitatum decora, & famoſos titulos in poſteros transferret, ita enim liberalitatem benemeriti de republica ſentient, & Princeps nihil alienando de patrimonio, & jure ſuo directo, munificus & liberalis cenſebitur, qualis Veſpaſianus referente Suetonio, qui in omnes benemeritos fuit liberaliſſimus, imò & in omne genus hominum, explevit cenſum ſenatorium; Conſules inopes quingentis ſeſtertiis annuis ſuſtentavit, plures per totum orbem civitates afflictas reſtituit.

Hinc diſcrimen inter ſupremum Principem, & inferiorem qui habet jus primogenij quod hic nullo modo poſſit alienare, aut transferre in benemeritum jus majoratus, nec ei donare bona quantumcumque minima: Princeps vero poſſit de bonis patrimonij & regni donare, dummodo ingens læſio non ſequatur. Oldrad. *conſ.* 94. Bald. *conſ.* 159. *num. 3. lib.* 3. atque hanc donationem procedere exiſtimo, ſive motu proprio & nullo petente Princeps eam faciat, ſive ad inſtantiam alicujus benemeriti eam conferat: nam hujus tituli conſtitutio generalis eſt, & indiſtincte loquitur, proinde non eſt reſtringenda, licet contrarium ſentiat Accurſius, referatque *ad id l. 1. ſup. de petit. bon. ſubl.* quia ibi expreſsè ſublatæ ſunt petitiones bonorum fiſcalium, & reſtringuntur Principis liberalitates, quæ non fiunt motu proprio, ſed importunis ſupplicantium precibus extorquentur. 10

Cæterum cum conſtitutio hujus tituli jubeat partem decedentis ſocij perveniri ad ſuperſtitem, dubitatur, an jure ſucceſſionis, vel jure accreſcendi id fiat? Poſterius plerique probant, & dicunt, eſſe ſingulare in liberalitate à Principe facta. Ita quidem ut ſi Princeps caſtrum, vel rem aliam donaverit duobus ſociis, uno eorum decedente ſine ullo hærede, ejus portio accreſcat alteri ſocio, nec ad Principem revertatur, cum tamen alias jus accreſcendi locum non habeat in donationibus privatorum, nec in aliis contractibus, prout dictum ſupra *tit. de caduc. tollend. n.* 8. Ant. Gomez *tom. 1. var. c. 10. num.* 2. Gutierrez *ad l. un. C. quando non pet. part. num. 16. &* 41. Ego tamen prius probo, ad portionem videlicet deficientem vocari ſocium jure ſucceſſionis, idque in ſolatium amiſſi conſortis, & in memoriam illius ſocietatis, quæ in ipſa donatione fuit cōtracta, Baldus *hic & in l. ſi qua C. ad Tertul.* Ita ut quem admodum auctoritate legis jus ſucceſſionis defertur navicularіis, fabricenſibus, cohortalibus, & decurionibus *tit. de hered. decur.* Sic etiam auctoritate Principis, ejuſque liberalitate ſocius vocetur ad partem vacantem jure ſucceſſionis, non jure accreſcendi, quod tantum inter eos verſatur qui eodem jure vocantur, non diverſo & extraordinario, prout hic ſocius, qui rei donatæ partem habet ex liberalitate Principis, alteram vero partem ex morte ſocij, non etiam reliquam ejus hæreditatem conſequitur, ut fruſtra hic Interpretes miſceant materiam juris accreſcendi, cum hac ſucceſſione partis, ad quam ſi lex 11

lex noſtra lata non eſſet, ne quidem admitti ſocius poſſet,ut bene obſervat Amaya hic,& Garſia Toletan. *h. tit. in rubric num. 5.*

12 Jubet præterea lex, ſi is cui aliquid donatum eſt, *nullo hærede relicto deceſſerit*, ut ad ſocium ſeu conſortem potius,quam extraneam perſonam portio pertineat, quibus verbis Interpretes exiſtimant comprehendi hæredes,non ſolum proximos, ſed etiam ulteriores, qui per ſucceſſionem legitimam defuncto hæredes extiterint; moventur auctoritate textuum *l. 65. 70. & 170. ff. de verb. ſign.* In quibus cavetur hæredis appellatione omnes ſignificari ſucceſſores, etſi verbis non ſint comprehenſi. Quod licet ita ſit & plerumq; hæredis appellatione contineantur hæredes ex teſtamento, & ab inteſtato aſcendentes & deſcendentes,collaterales, & aliæ ſucceſſiones. Aliquando tamen pro ſubjecta materia,ſucceſſoris & hæredis appellatio reſtringitur, & coarctatur ad filios & liberos defuncti. Quid enim ſi res ſit talis quæ ſui naturâ non tranſeat niſi ad filios, uti feudum, tunc conceſſio facta pro ſe & ſuis hæredibus intelligitur in filiis maſculis. Ita Platea & Amaya *ad h. l. n. 10. & ſeqq.* Ubi plures relati Doctores hanc legem interpretantur juxta ſenſum verborum *l. 1. Cod. Theod. ſi petitionis ſocius ſine hærede defecerit,* ut ſi nimirum ſocius deceſſit nullo relicto hærede ſuo,vel extraneo, in teſtamento, aut inteſtatus ſine hæredibus diem obiit,tunc ad illius partem admittatur ſocius, excluſis cæteris ſucceſſoribus, qui ab inteſtato venire poterant. Sic ut lex, verbum *hæredis*, ſtricte pro filio accipiat, qui ſi nec ſuperſtes manſerit, nec hæredem fecerit, ſocius præferetur in portione.

13 Ut fruſtra quæratur,an uxor defuncti ſit præferenda ſocio. Nam quamvis ſit hæres viri deficiente legitima ſucceſſione, *tit. Cod. unde vir & uxor.* & major ſit conjunctio viri & uxoris,quàm ſocij cum ſocio. Attamen potior eſt hæc ſucceſſio ſocij in portionem decedentis, quia procedit jure ſingulari & extraordinario, ex liberalitate Principis & ob benemerita collata duobus. Deinde quia plus quam uxor defuncti, ſocius Reipublicæ profuit ac præſtitit; æquitas ſuadet ut potius in benemeritum & fidum miniſtrum, quam in aliam perſonam otioſam beneficium conferatur. Non movet quod uxor inops ſuccedat in bonis mariti defuncti, nullis extantibus conſanguineis,quia id accipiendum de bonis mariti, aliunde quam ex donatione ſingulari gratia acquiſitis. At in præſenti loquimur de bonis à Principe ſupremo profectis, quorum diſponendi & donandi pro libitu habet poteſtatem. Ut enim, inquit Juſtinianus,imperialis fortuna omnes ſupereminet alias, ita oportet Principum liberalitates culmen habere præcipuum, *l. 7. Cod. de bonis quæ lib.* Peregrin. *de jure fiſci lib. 1. cap. 2. num. 103.*

14 At quid juris ſi teſtator legavit uxori, & voluit poſt ejus mortem legatum reverti ad filias,ejuſdem teſtatoris, an moriente una earum & altera ſuperſtite ſuccedat in legato hæres extraneus filiæ præmortuæ? Et non ſuccedere reſolvit Platea & Amaya *ad l. un. num. 45.* idque ex præſumpta mente teſtatoris qui prædilexit uxorem filiabus & filias ſuis hæredibus, atque ita prius filiæ nominatæ cenſentur prædilectæ maxime quia ſunt nominatæ ſpeciatim,hæredes vero generatim. Sic quoties fideicommiſſum relinquitur familiæ, hi ad ejus portionem admittuntur qui nominati ſunt uti magis dilecti, nec omnes ſimul, ſed ex iis primo proximiores ipſi teſtatori, *l. cum ita legatur 33. §. ult. ff. de legat. 2.* Covar. *pract. qq. cap. 18. num. 4. verſic. 2. annotandum.* * Sed magis ad rem noſtram facit, an hujus 15
legis diſpoſitio procedat in feudo novo? Bald. *in l. un. Cod. de caduc. toll.* & alij dicunt procedere cum quia lex iſta generaliter loquitur,tum quia in uſibus feudalibus quando non eſt aliquis caſus deciſus, ſequimur jus commune, *cap. 1. de cognit. feud.* Contrarium tamen verius, non procedere in feudo, quomodo ſi duo fratres ſimul feudum acquiſiverunt, ſuperſtes frater defuncto fratri non ſuccedit, *tit. 11. §. his vero, & tit. 12. & 18. lib. 2. feud.* Non enim fratres vel agnati dici poſſunt mutuo reſpectu poſteri, quibus feudum quæri ſolet, ut proinde vaſallo fratre mortuo, ejus portio nullo hærede exiſtente ad directum dominum revertatur, nulla facta diſtinctione utrum feudum à Principe fuerit conceſſum, an ab alio, *cap. 1. de feudo Marchiæ.* Uti docet Fachineus *l. 7. cont. c. 63.* Unde fit ut non proſit ſocietas inveſtituræ,nec acquiſitio operâ aut pecuniâ communi, quia non mutat naturam feudi; quod nihilominus novum manet, ut fruſtra hic allegetur lex noſtra, quæ agit de mera liberalitate, quæ ad donatorem nunquam recurrit; niſi tamen feudum communi nomine, & pecunia emptum ſit, ſciente domino, aut bello armiſve communibus partum ab hoſte domini, ut textus *in tit. 12. lib. 2.* qui ne quidem iſtis caſibus ſucceſſionem admittit, ſit accipiendus eo caſu, quo dominus eſt ignorans, quod vult ratio ibi ſubjecta, ſcilicet ne forte dominus alium quam voluerit, acquirat vaſallum.

TITULUS XV.

De Theſauris.

1. *Continuatio, quid ſit theſaurus, & quid ſi de domino conſtet?*
2. *Summa hujus legis, quando theſaurus cedat inventori totus, aut pro parte, aut nihil ex eo acquirat?*
3. *Quid ſi arte magica theſaurus fuerit inventus, cur olim vetitum theſauros quærere?*

4. In-

4. *Invitis imo nec volentibus dominis licet theſaurum quærere, & quare?*
5. *In loco publico, ſacro, religioſo, inventus theſaurus cui cedat?*
6. *Hodie theſaurus inventus in Eccleſia ad quem pertineat?*
7. *An emphyteuta & vaſallus faciens ſuum theſaurum, quem reperiunt in prædio emphyteutico.*
8. *An poſſeſſor majoratus in fundo majoratus reperiens theſaurum eum ſibi acquirat?*
9. *An qui domum in qua theſaurum eſſe ſciebat, emit, ſit theſauri dominus.*
10. *An eo caſu venditor poſſit uti remedio* l. 2. Cod. de reſc. vendit?
11. *Pecunia reperta in reparatione ædificij, an ſit theſaurus, & cui cedat?*
12. *Quid ſi inveniatur in fundo vendito ſub pacto redimendi, vel in conditionali vendito; Aut quid ſi à ſciente?*
13. *Auri & argenti fodinæ, & cæteræ venæ metallorum cenſentur fundi partes.*
14. *An jure hodie Principes theſauros quocumque loco inventos ſibi adſcribant?*
15. *Conſuetudo æqua eſt quæ Principibus totum theſaurum tribuit.*
16. *Item probatur ea conſuetudo quæ partiri vult theſaurum inter inventorem, proprietarium & territorij dominum.*
17. *An in acquiſitione theſauri neceſſario intervenire debeat apprehenſio?*

1 PErmiſſum eſt ſe deferre, ut dictum *ſupra tit.* 13. At nemo ſe deferre cogitur quod theſaurum invenerit, niſi ex eo theſauro pars fiſco debeatur *l.* 3. *§. ult. ff. de jure fiſci.* Eſt autem cauſa inventi theſauri ſimilis cauſæ bonorum vacantium, cum domino carere res videatur, cujus dominus ignotus eſt. Accipitur hîc theſaurus pro re, vel pecunia tempore vetuſtiore, aut excedente hominum memoriam depoſita, ut jam dominum non habeat, *l.* 31. *ff. de acq. rer. domin.* ſunt enim paria non eſſe & non apparere dominum, de eo autem ſi conſtet, theſaurus proprie non eſt. Idque indicat Imp. Leo *in l. un. h. t.* ubi theſaurum appellat, non monetam dumtaxat, ſed omnia quæcumque bona mobilia (alij monilia legunt) quæ ſub terra vel in loco occulto condita ſunt ab ignotis dominis, tempore veſtiori, quia ſi dominus notus eſſet, eorumdem dominium ordine ſucceſſivo tranſijſſet in ſuos hæredes. Alciatus *lib.* 4. *de verb. ſignif. & lib.* 7. *parergon, cap.* 1. Galganettus *de jure publ. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 8. Multum itaque intereſt an ab aliquo condita ſit pecunia, an nuper, an olim ab ignoto domino. Nam quod metu militum, aut latronum, aut alio conſilio conditum eſt ab aliquo, theſaurus non eſt, nec in hanc diſpoſitionem cadit.

Cum igitur theſaurus ſit donum Dei, ſeu beneficium fortunæ, cujus non extat aliqua memoria, nec oſtendi poteſt ejus dominus, meritò leges inventori aſſignant, *§. theſauros Inſt. de rer. diviſ.* prout eidem concedunt res derelictas, & quæ in nullius bonis ſunt. Et quidem totum theſaurum inventori concedunt. Sic cum Atticus Nervæ Imperatori ſcripſiſſet ſe inveniſſe domi ſuæ thæſaurum, & quæreret, quid de eo faciendum juberet, reſcripſit Nerva, *utere iis quæ inveniſti.* Cum Atticus non acquieſceret, ſeque magnitudine inventi theſauri ſuperari ſcriberet, etiam hoc addidit, *abutere igitur invento quod tuum eſt.* Verum ita leges totum theſaurum inventori attribuunt, ſi eum in ſuo fundo invenerit & apprehenderit, ſi in alieno, pro parte dimidia, dummodo caſu invenerit; nam data opera totus theſaurus domino fundi cedet, & inventor quaſi indignus partem ſuam amittet, pœnamque fiſco inferet: quod ita conſtitutum ut coërceatur cupiditas alienis inhiantium, & anſa præſcindatur effodiendi & evertendi agros & alia loca occulta. Quo pertinet quod vana divitiarum expectatio, pleriſque paupertatis cauſa fuerit, qui conſumptis veteribus opibus, ad illicitas artes poſtea ſe contulere. Tacitus *lib.* 16. *annal.* 2

Proinde magicis incantationibus ſceleratiſque ſacrificiis inventus theſaurus totus fiſco vindicatur, non tamen ante ſententiam; cum nemo teneatur ad pœnam, antequam legitime fuerit convictus & condemnatus. Olim ante hanc Leonis conſtitutionem, nulli licitum erat, nec permiſſum data opera theſauros quærere, etiam in propriis locis, niſi id Princeps ſpeciatim indulgeret, alioquin totus theſaurus quæſitus & inventus acquirebatur fiſco, *l.* 1. *ff. de jure fiſci.* ſed hodie ſuperfluum eſt hoc precibus à Principe poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt, *d. l. un.* modo quis arte magica, & dæmonis invocatione theſaurum non quærat, & invento utatur, ut dixi, nolunt enim leges ut quis ſibi lucra, & Dei dona quærat per funeſta ſcelera. 3

Addit præterea *d. l. un.* in alienis, terrulis nemini permiſſum eſſe, invitis, imo nec volentibus dominis, theſaurum ſuo nomine quærere, ne dum qui quærit, totum agrum perfodiat, & culturam agri Reipublicæ maxime neceſſariam evertat. Etenim in agricultura, utilitas publica vertitur, ut attendi non debeat voluntas domini conſentientis, aut renuntiantis juri ſuo. Aliter Platea & Gothofredus *d. l. un.* interpretantur, & pro verbis, *imo nec volentibus*, legunt, *nec volentibus.* Sed verior interpretatio, non permitti cuiquam invitis dominis theſaurum quærere, *imo nec volentibus*, eſt quidem dominis permiſſum in ſuo fundo abditas opes quærere, & perſcrutari, at aliis id permittere domini non debent, nec poſſunt. Larrea *ad deciſ. Granat. diſp.* 4. *num.* 28. 4

Digitized by Google

5 Porro ſi fortuito caſu, in loco publico theſaurus ſit inventus, idem ſentiendum ac ſi in privato fuiſſet repertus, ut nimirum pars dimidia cedat inventori, reliqua Cæſari, vel civitati cujus eſt locus, *d. §. theſauros*. Difficultatem tamen habet quod Juſtinianus ibi Divi Hadriani ſententiam probet, qui naturalem æquitatem ſecutus theſaurum in loco ſacro, aut Religioſo fortuito inventum, totum inventori adjudicat, propterea quod iſta loca publica ſint, cenſeanturque eſſe nullius in bonis. Contrà vero Divi Fratres Severus & Antoninus in locis fiſcalibus, vel publicis, Religioſiſve inventi theſauri dimidium fiſco tribuunt, *l. 4. §. pen. ff. de jure fiſci*. Varias conciliationes adferunt Barboſa *ad l. 8. §. ſi fundum ff. ſol matrim.* & ibi Duarenus, Valenzuela & Amaya *ad h. l. un.* Ego puto utrumque locum ita poſſe conciliari, ut *d. §. theſauros*, intelligatur de theſauro reperto in loco ſacro, vel Religioſo, ſito videlicet in loco privato inventoris, & ideo totus ei acquiritur, quamvis in bonis ſit nullius. At vero *d. l. 3. §. pen. ff. de Jure fiſci* procedat in theſauro reperto in loco Religioſo, qui licet quoad proprietatem ſit extra bona noſtra, cum ſit divini juris, quoad uſum tamen & jus ſepeliendi ſit alterius; cui proinde pars cedit, altera dimidia fiſco vindicatur, & non abſque ratione, cum cura & defenſio locorum religioſorum & monumentorum principaliter ad Principem ſpectet, quæ quidem civilis ratio, quam poſteriores Principes ſecuti ſunt, prævalere debet propter publicam utilitatem, eſtque approbata per uſus feudorum, *lib. 2. tit. 56. quæ ſint regalia.*

6 Sed cum nunc loca ſacra & religioſa aliter accipiantur, atque alio, quam apud veteres, ritu conſecrentur, plerique putant theſaurum in loco ſacro religioſove inventum, ad Eccleſiam ejuſque prælatum pertinere, quod in ejus dominio hujuſmodi loca ſint. Barb. *d. l. num. 45. in fine.* Et Guttierrez *pract. lib. 4. q. 36. per tot. & de tutel. par. 3. cap. 26. n. 47.* Sed cum Prælatus non ſit dominus loci ſacri, ſed adminiſtrator, potius dicendum videtur ad Eccleſiam, & Prælatum dimidiam partem theſauri ſpectare, quæ fiſco applicanda erat.

7 Quod ſi theſaurus inveniatur in loco emphyteutico aut feudali, ſunt qui dimidium tribuant domino proprietatis, alterum vaſallo, aut emphyteutæ, quod ille ſit dominus directus, hic utilis, & hoc ſive ille invenerit, ſive hic. Alij contrà alteri eorum inventori dimidium attribuunt, alterum dimidium dividi inter illos volunt, quaſi inventum in loco non omnino proprio. Le Bret. *lib. 3. cap. 6. de la ſouveraineté du Roy* Verum dicendum vaſallum & emphyteutam eſſe potiores, eiſque inventum à ſe theſaurum totum cedere, tanquam in ſuo fundo, ab alio vero, etiam domino directo dimidium competere, cujus ratio eſt, quod utile dominium ad eos pertineat, & omne rei commodum. Quæ in parte ſunt potiores uſufructuario, qui theſaurum inveniens in fundo uſufructuario, non facit ſuum, cum non ſit in fructu theſaurus, nec partem fundi conſtituat, ſed res ſit plane ſeparata à fundo, inſtar inſulæ, quæ in flumine naſcitur, juxta fundum in ripa poſitum. Ipſius namque inſulæ dominium pleno jure quæritur ei, qui dominium fundi vicini obtinet, *§. inſula. verſ. at inſula Inſt. de rer diviſ.* Itaque uſufructuarius inventum à ſe theſaurum in fundo cujus uſumfructum obtinet, dividit cum proprietario, nec poteſt medietatis ad proprietarium ſpectantis, uſumfructum prætendere, cum ſit res à fundo penitus ſeparata, *l. 3. §. 3. ff. de acqu. poſſ.* Idem eſt judicium de creditore, qui caſu reperiens in fundo pignorato theſaurum, dimidium ſibi habet, *l. 63. §. 3. & 4. ff. de acqu. rer. dom.* cum non ſit fructus, aut pars hypothecæ, & ut fructus eſſet, non tamen cedit creditori, ſed debitori ut domino. Barboſ. *d. l. n. 29.* Valaſcus *de jure emphyt. q. 15.* Diverſum eſt in marito; nam ſi inveniatur theſaurus in fundo dotali inæſtimato, totus uxori acquiritur; niſi maritus ipſe inveniat, tunc enim (ut alius in alieno) inveniens, jure inventionis medietatem conſequitur, *l. divortio 8. §. ſi fundum 12. ff. ſol. matrim.* ibi Barboſ. Dan. Molerus *ſemeſtr. 4. 27.* Hodie ex uſu totum ſibi vendicare & conſumere poteſt, non uti in fundo uxorio repertum, ſed quia in mobilium vim & numerum cadit, ideoque & mariti arbitrium eſt, ut docet Argentræus *ad conſuet. Britan. art. 53. n. 9. & art. 408.*

Cæterum poſſeſſor majoratus theſaurum inveniens in loco majoratus, illum totum ſuum efficiet, cum is ſit dominus utilis, & directus rerum majoratus, *l. 66. ff. de rei vind.* & ut talis, omne emolumentum percipiet, ſalva rei ſubſtantia, quam non impedit theſaurus cum non ſit fundi pars, ſed quid diverſum à fundo, in quo reperitur, & conſequenter à rebus majoratus, *l. 3. §. Neratius ff. de acq. poſſeſſ.* 8
non recte objicitur *l. 8. §. ſi fundum 12. ff. ſol. matr.* quia ibi agitur de fundo dotali, cujus dominium verum, non tam eſt penes maritum, quam uxorem. Barboſa *d. loco num. 30. ff. ſol. matr.* Molina *de primogen. lib. 1. cap. 23.*

Quid ſi theſaurus in ædibus emptis reperiatur? 9
Verius eſt totum ad emptorem pertinere, non quia eum emit, ſed quia invenit, idque colligitur ex reſponſo Scævolæ *in l. 67. ff. de rei vind.* ubi pecunia in ædibus emptis inventa, ſi non theſaurus fuerit, reddenda eſt ei qui eam perdidit, unde ſi theſaurus fuerit, cedet emptori, tanquam inventus in ſuo, cui non oberit ſcientia, ante emptionem perfectam theſauri eo loco exiſtentis, ex eo quod theſaurus non potuerit dici, ab eo inventus, ex ſola ſcientia.

Digitized by Google

ſcientia, ante apprehenſionem, quæ ad inventionem eſt neceſſaria, nec poteſt illi dolus objici ex cauſa ſcientiæ, cum venditor nulla in re ſit fraudatus, utpote cujus non erat præſens theſaurus, ut ab eo tanquam ignaro non poſſit dici poſſeſſus, *l.* 3. §. 3. *ff. de acq. poſſeſſ.* Perperam ergo aliqui exiſtimarunt inter emptorem & venditorem theſaurum eſſe dividendum ac ſi in alieno eſſet repertus.

10 Minus etiam recte dixerunt ex parte emptoris latere fraudem, proinde habendam eſſe rationem fundi & theſauri conjunctim, ut ſi bis tantum & aliquanto plus valeant, quam ſumma ab emptore data, ſit locus *l.* 2. *Cod. de reſcind. vend.* Etenim nulla hic ſubeſt cauſa infirmandi venditionem, aut ſupplendi quod juſto pretio deeſt, ſiquidem theſaurus emptus aut venditus non ſit, cum nec ſit pars fundi, nec acceſſio. Præterea remedio *d. l.* 2. tum demum locus eſt, quando intervenit læſio in pretio, ut quia non adæquat dimidiam partem ejus, quod valet res vendita, ſi juſte æſtimetur. At vero hic nulla eſt læſio, & ſufficit quod commune pretium datum ſit, neque enim illud augebat theſaurus, qui antequam effodiatur, non eſt in conſideratione, quia ignoratur quod in viſceribus agri latet. Denique certum eſt in remedio *d. l.* 2. debere attendi æſtimationem, quæ fuit tempore contractus, auctam vero vel diminutam rem, pretium nec minuere, nec augere, *l.* 6. *in fin. ſup. de reſcind. vend.* Pinel. *ad d. l.* 2. *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. Valenzuela *ad hanc l. unic. num.* 37. & ibi Amaya *n.* 29. Fachin. *lib.* 2. *contr. cap.* 20. *verſ.* 4. *controv.* Communus *lib.* 3. *comment. cap.* 4. *n.* 4.

11 Cæterum quia ſæpe contingit pecuniam reperiri in ædificio empto, dum id reparatur, & neſcitur an à venditore, aut à majoribus ejus iſta pecunia ibi fuerit recondita, metu hoſtium, vel cuſtodiæ cauſa, aliove conſilio, multum intereſt obſervare, qua imagine vel forma pecunia ſit ſignata: nam ſi novi nummi fuerint, aut poſtea cuſi, quam ædificium eſſet, in dominio venditoris, aut majorum ejus, non videtur dicendus theſaurus, ſed poterunt iſti nummi à venditore vindicari; ſecus ſi vetuſtiores nummi fuerint, nam tunc cogitur venditor probare ſuos eſſe, vel à majoribus ſuis in tali loco fuiſſe reconditos; alias dicemus theſaurum eſſe juxta Scævolæ reſponſum, & conſequenter ad emptorem ſpectare, utpote quod iſtos nummos in ſuo reperiſſet *d. l.* 67. Unde Platea & ante eum Angel. *in* §. *theſauros*, recte obſervant, tempus depoſitionis theſauri, ex ipſa pecuniæ ſignatione, forma & epigraphe deprehendi.

12 At quid ſi theſaurus in eo fundo eſſet repertus, qui ex lege venditionis redemptioni eſſet ſuppoſitus? Conſtat ex dictis theſaurum in fructu non eſſe, nec enim ex ſolo percipitur. Verum cum hæc venditio pura ſit & perfecta, ſub conditione tamen reſolubilis, dicendum talem emptorem dominum eſſe, & in ſuo fundo reperiſſe, ideoq; vindicare theſaurum poſſe, nec redempto fundo ad reſtitutionem teneri. Molinæus *ad conſuet. Pariſ.* §. 22. *q.* 30. & 40. *tit. de feud.* Quod aliter ſe habet ſi ab initio conditionalis fuiſſet contractus, nam deficiente conditione, omnia reſolvuntur, & contractus pro non facto habetur, & ea exiſtente, pro puro, ac ſi nunquam fuiſſet appoſita, ac retro vim & effectum habet. Igitur ſi defecerit conditio, res videtur ſemper manſiſſe in dominio venditoris, ideoque & ejus theſaurus erit, ut in ſuo repertus, præter id quod repertori competit. Sed ſi ſciens aliquis fundo alieno theſaurum ineſſe, ab ignorante domino fundum emerit, reſtitui actionem ad theſauri æſtimationem æquum putant Alvarotus *de feud.* & Argentræus *de droicts du Prince, artic.* 53.

Verum quæ de theſauro dicta ſunt, non obtinent 13
in auri argentive fodinis, aut venis cujuſcumque metalli; hæ namque ut partes fundi, in fructu eſſe cenſentur, atque illius qui fundi dominus eſt, qualis eſt venditor, qui in illo minerali dominium habet, prout in toto reliquo fundo, *l.* 7. §. *ſi vir, verſ. ſed ſi cretifodinæ* 14. & *l.* 8. *ff. ſol. matrim.* Itaque fodina fundo cohæret, tanquam ejus pars, proinde qui eſt dominus fundi, cenſetur quoque dominus partis cohærentis, *l.* 44. *ff. de rei vind.* quod ſecus eſt in theſauro, qui per ſe ſubſiſtit, & eſt quid ſeparatum à fundo, repoſitum in eo cuſtodiæ cauſa Barb. *ad* §. *ſi vir num.* 22. De venis ac fodinis metallorum dicemus *infra lib.* 11. *tit.* 6.

Similiter hodie ea invaluit conſuetudo, quod 14
theſauros, ſive in privato, ſive publico loco repertos, ſive in nullius loco (ut in littore maris, aut ripa fluminis publici) Princeps ſupremus ſibi vindicet, vel integros vel partem eorum, & non ſine cauſa, cum peccent adverſus conſtitutiones qui ſepeliunt pecuniam, *l.* 4. §. 6. *ff.* & *l. Jul. pecul.* quæ cum non ſit pars fundi, quaſi jure ſuperioritatis & univerſitatis territorij, Principis eſſe cenſetur. Licet hanc conſuetudinem contra æquitatem eſſe dicat Sylveſter, quem multis reprehendit Covar. 3. *p.* §. 2. *ad c. peccatum in fin. de reg. jur. in* 6. Garzia Maſtrillius *de magiſtr.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 316. Nec enim refert pecuniam reconditam eſſe nullius, inſpecto jure naturæ, ſuper quod non eſt Princeps, quandoquidem etiam feræ beſtiæ ſunt nullius, & tamen poſſit Princeps, cui adminiſtratio Reipublicæ commiſſa eſt, earum venationem prohibere, ſibique ſervare, non obſtante jure naturali, quod tantum eſt permiſſivum, ita ut nihil impediat quo minus id poſſit mutari, ſic & theſauros ſibi, aut Reipublicæ adſcribere, nec permittere ut cedant inventori, aut domino, cum ſit Principis diſponere circa ea quæ ſunt nullius. Mathæus Stephanus *de juriſd. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 7. *num.* 444. *in fin.*

Digitized by Google

15 Præterea uti lex civilis potuit attribuere partem domino fundi, licet in eam nullum jus habeat, ſiquidem theſaurus nullius ſit in bonis, & ideo primo occupantis fiat; quidni & conſuetudo poſſit inducere, ut pars, vel totus theſaurus Principi cedat, ut eo qui neminem pauperiorem reddit, ærarium augeat & publica onera ſuſtineat, prout aliquando feciſſe Principes docent hiſtoriæ, & noſtri Interpretes, *ad l. un. h. t.* Et patet *ex l. 1. C. Theod. eod. tit. & ex §. theſauros.* Ubi D. Hadrianus theſaurum conceſſiſſe dicitur. Pendebat namque hæc res tota ex arbitrio, & libidine Impp. ut refert Cujac. *lib. 9. obſerv. c. 37.*

16 Quamquam nec illa improbanda videatur conſuetudo, quæ partiri vult theſaurum inter inventorem, proprietarium; & dominum territorij, qui ex conceſſione Principis ibi habet merum imperium. Bacquet. *tract. 5. de juribus juſtitiæ art. 10.* & Charondas *l. 3. reſp. 20.* Ubi addit ſi proprietarius theſaurum invenerit, ſolùm in duas partes eſſe dividendum, quarum una ipſi proprietario, altera domino juriſdictionem habenti cedat, ac ita judicatum refert; item citati à Chriſtinæo, *ad h. t. deciſ. 17. n. 7.* Sed referente Argentræo in Britannia Gallica ad integrum theſaurum adjudicandum fiſcus regius concludit. In Hiſpania vero lege Regia (*quæ eſt l. 1. tit. 13. lib. 6. novæ collect.*) conſtitutum eſt ut quarta pars theſauri inventi, inventori præſtetur, reliquum in fiſcum inferatur: niſi tamen theſaurus magnæ eſſet æſtimationis & valoris, quia tunc nimis excreſceret quarta illa pars, quæ proinde non dabitur inventori, ſed illi aſſignabitur præmium pro conditione perſonæ, & rei qualitate, ex æquo judicantis arbitrio. Bobadilla *in polit. lib. 4. cap. 5. n. 61.* Gutierrez *d. c. 36. n. 52.* Caſtillo *de tertiis cap. 41. n. 114.*

17 Poſtremo ut acquiratur inventori theſaurus, neceſſe eſt ut eum loco moverit, & apprehenderit, *l. 3. §. 3. in fin. ff. de acq. poſſ.* Ante enim magis dicetur ſcire locum in quo latet theſaurus, quam illũ inveniſſe. Præterea dum eſt in loco in quo fuit reconditus, adhuc dicitur theſaurus, & videtur quaſi remanere in naturali libertate, & ſic nullius eſſe. Connanus *l. 3. com. c. 4. n. 1.* Gomez *ad l. 45. Tauri n. 47.* Zevallos *com. cont. cont. commun. q. 514.*

TITULUS XVI.

De Annonis & Tributis.

1. *Tributa colliguntur ut militibus ſtipendia præſtentur & Reſpublica conſervetur.*
2. *Sine tributis, neque ſtipendia, neque arma, neque quies in Republ. haberi poteſt.*
3. *Tributa rebus indici ſolent; Capitatio perſonis.*
4. *Ad ſupremum Principem ſpectat jus imponendi & exigendi tributa.*
5. *Quod Imperator in univerſo, idem poteſt Princeps ſupremus in ſuo territorio; ſecus ſi ſuperiorem agnoſcat.*
6. *Imperij Principes in Germania habent majora regalia, & jus imponendi collectas, idem poſſunt aliqui Nobiles & Barones, non ut regale jus, ſed ut emolumenta inde percipiant.*
7. *Italiæ Principes habent plures jura imperij, ſecus in Hiſpania Duces, cæterique illuſtres.*
8. *Conceſſis regalibus, jus vectigalia imponendi, non venit in conceſſione.*
9. *Hodie Duces & Magnates Hiſpaniæ detinent & uſurpant vectigalia ex ſola tolerantia, quæ deberent à Rege revocari.*
10. *Cauſa imponendi tributa eſſe debet juſta, & utilis Reipubl. licet aliquando privati qui gravantur, nullum commodum inde percipiant.*
11. *Poſſunt cogi ſubditi contribuere, ex cauſis hic relatis.*
12. *Cauſa ceſſante, ceſſare debet tributi exactio, neque ob æs alienum Principis, indici oportet tributum.*
13. *Quid ſi id exigat qualitas ſtatus Principis? Quid ſi ſua culpa ad miſerum ſtatum devenerit? Exigere poteſt nihilominus tributa.*
14. *Princeps qui ſe ab inopia & debitis, ſubditorum ſuccurſu liberavit, gratus eſſe debet, & beneficium agnoſcere.*
15. *Exactio tributorum modica eſſe debet, & pro viribus ſubditorum non crebra, aut nova.*
16. *Ob nimiam tributorum exactionem regna plura extincta ſunt. Exempla referuntur.*
17. *Qualiter Princeps ſe gerere debeat, ut obſequentes habeat ſubditos?*
18. *Tributa ſolvenda pro modo poſſeſſionum.*
19. *Quando prædia ſunt obligata, ea obligatio comitatur poſſeſſores; ad tributa tenentur etiam præterita.*
20. *Id extenditur ad hæredes, qui tenentur etiam omiſſo legatario.*
21. *Diſcrimen inter æs alienum & onus tributi, illud inter hæredes dividitur, hoc à quovis poſſidente pro ratione prædij, & perceptione præſtatur.*
22. *Si res inter cohæredes ſit indiviſa, poterit collector, unum ad ſolutionem cogere.*
23. *Si res ſit diviſa & maneat ſub nomine ultimi poſſeſſoris, poterit hic conveniri.*
24. *Annonæ, quibus in rebus conſiſtat; per quos militibus diſtribueretur, & quantum illi acciperent.*
25. *Annona militaris quæ diſtribuebatur inter milites, à provincialibus vehebatur ad caſtra, pro vicinitate poſſeſſionum.*
26. *Nemo ad laborandum, aut vehendam annonam longius mittebatur, ſed habebatur ratio itineris. Ita hodie viciniores coloni aſſumuntur.*

27. Ca-

Digitized by Google

27. *Cavendum eſt ne tranſvectio annonæ plus diſpendij, quam lucri habeat, ita & impenſa ſuperet valorem rei.*

28. *Omnes tenentur ad ſolutionem tributorum ordinariorum, etiamſi ſubditi non ſint, modò eo loco patrimonium habeant.*

29. *Reſcriptum in quo immunitas à muneribus ordinarijs conceditur, non valet: ſervanda in publicis oneribus æqualitas.*

30. *Non poteſt concedi terminus, vel ut quis minus ſolvat quam ſolvere debebat. Quo modo puniatur judex negligens tributa exigere.*

31. *Reſcriptum Principis tunc valet, quando aperte de ejus voluntate conſtat.*

32. *Quid ſi Princeps aliquem motu proprio à tributis exemerit, an iſta exemptio cæteris ſit oneri?*

33. *Ut concedatur exemptio ſubeſſe debet gravior cauſa, aliàs nequidem Eccleſiaſtici eximuntur à tributis.*

34. *Neque ipſa Eccleſia eximitur à tributis antea impoſitis. ſola excipitur Eccleſia Theſſalonicenſis.*

35. *Capitationis voce venit tributum capitis & poſſeſſionis, eo exempta eſt Eccleſia & civitas Theſſalonicenſis.*

36. *Privatis non conceditur relevatio capitationis, ſed civitati aut provinciæ, relatione facta ad principem.*

37. *Quid ſi relevationem non exiſtimaverit concedendam, Provincia tenetur ſolvere quod promiſit, vel convenit.*

38. *Omnes cenſum profitebantur, & quivis poſſeſſor cenſum ſolvebat, uti & hodie emphyteuta & fructuarius.*

39. *Quis hodie cenſendi modus.*

40. *Cur hic liber cenſualis æſtimum ſeu cataſtrum vocetur, & quis effectus æſtimi.*

41. *Quando collecta imponitur ſecundùm æſtimum, tunc non attenditur poſſeſſio bonorum.*

42. *Venditor in æſtimo deſcriptus, manet obligatus, quouſque emptor ſit idoneus ad ſolvendum onera fiſcalia.*

1 SOlent & in fiſcum redigi, ex annuis proventibus privatorum, *Annonæ, & Tributa.* Annonæ in ſpeciebus conſiſtunt, veluti frumento, vino, oleo, pane, carne, ſale, melle. Tributum in corporibus, veluti auro, argento, ære, equis, veſtibus, quæ intributiones & contributiones dicuntur, *l. ult. ff. de cenſib.* Ex quibus Princeps exercitum alere, militibus ſtipendia præbere, ac Rempublicam tueri poſſit. Nam fieri non poſſe dicit Juſtinianus *in Nov. 149. c. 2.* ut tributis non illatis Reſp. conſervetur. Militares namque copiæ, ſalario inde percepto, hoſtibus reſiſtunt, & collatores à Barbarorum incurſionibus & truculentia vindicant, denique agros atque civitates, à latronum vi & irruptionibus, agendis excubijs defendunt, ex illis etiam reliquæ cohortes, quæ ea ipſis attributa ſunt, accipiunt, muri atque civitates inde inſtaurantur.

2 Hinc tributa, *patrimonium imperij* Florus *lib. 3. c. 13. Ornamenta pacis ac belli ſubſidia* vocat Cicero, *pro L. Manil.* Et Ulpianus, nervos dicit eſſe Reipublicæ, *in l. 1. §. 20. ff. de quæſtionibus.* Rationem reddit Tacitus, *lib. 4. Hiſt. Neque enim quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Cui convenit quod dicit D. Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum. Ad hoc tributa præſtamus, ut propter neceſſaria militi ſtipendium præbeatur: eoque percepto, hoſtibus reſiſtat. Novell. 161. c. 2.* Agnoverunt itaque Romani, & illorum exemplo cæteri populi, imperium ſine tributis & vectigalibus retineri nullo modo poſſe, Cicero *Epiſt. ad Quint. fratr.* & Tacitus, *diſſolutionem imperij ſubſequi ait, ſi fructus quibus Reſpublica ſuſtinetur, diminuantur lib. 13. annal.* Quamobrem prudenter Romani provincias bello ſubactas tributarias fecerunt. Imo quaſi in recognitionem directi dominij, quod in omnia prædia bello ſubacta habebant, tributa exegiſſe videntur, in uſum militiæ, pro militaribus ſtipendiis, quibus tributis tanquam nervis diffuſum imperium tuebantur.

3 Tributorum duo ſunt genera, alia ſoli, alia capitis, illa imponuntur fundis, hæc perſonis, & ideo illa quæ ex fundis rebuſque colliguntur, propriè cenſus dicuntur, quæ vero à perſonis præſtantur, vocant capitationes, eo quod per capita imponuntur, & exiguntur plerumque, vel ratione habitationis, vel artificij, ſeu ut dicunt induſtriæ, *l. un. C. de capit. civit. cenſ. exim.* ubi plebs Urbana ſolum eximebatur à capitatione. At vero tributa pendebant omnes provinciales, quorum civitatibus jus Italicum datum non erat, *l. 1. 6. 7. & fin. ff. de cenſib.* Adeoque acerba fuerunt tributa, ut illa, & Magiſtratuum ſuperbia, ſæpe provincias ad rebellionem excitarint, ut intra oſtendemus.

4 Poteſtas imponendi tributa ſupremi eſt Principis, aut Reipublicæ non agnoſcentis ſuperiorem, ejuſdem quoque eſt exigendi poteſtas. Utraque inter regalia, & jura Majeſtatis numerantur; quæ omnia jura ex ipſo ſupremo Principe tanquam Oceano fluunt, & ad eundem refluunt. *l. 10. ff. de public. & vectig. l. 3. C. vectig. nova inſt. non poſſe.* Jaſ. *in l. qui Romæ §. Sejan. n. 15. ff. de verb. oblig.* Ubi de Imperatore loquens, dicit illum quoad juriſdictionem eſſe inſtar maris, quod fluminum concurſu non augeatur nec minuatur. 5 * Idem dicendum de ſupremis Principibus, quorum potentia eò hodie excrevit, ut dignitates & imperia non minus propria ſibi vindicent, ac ſi Reges eſſent, aut Imp. nam quod hi in univerſo imperio, idem poſſunt Principes in ſuis ditionibus,

&

& territoriis; loquor de illis qui ſuperiorem non habent, quoniam qui ſuperiorem agnoſcunt, & ducatum in feudum tenent, nova tributa imponere, vel antiqua augere, abſque ſupremi Principis aſſenſu non poſſunt, quamvis habeant merum imperium. Ideo Galeatius, ille vicecomes Mediolanenſis, majeſtatis accuſatus eſt, quod tributa ſubditis ſine Imperatoris arbitrio imperaſſet. Arnoldus Clapmarius, *lib. 1. de jur. Imper. cap. 21.*

6 Sunt tamen plures imperij Principes, qui hodie ex privilegio Imperatoris in ſuis territoriis, jura regalia habent. Quinimo Comites, Barones & Nobiles in Germania plures exiſtunt, qui ſummam habent dignitatem, quam ad ſuos poſſunt tranſmittere, item regalia majora, & minora, ac ita jus venandi in ſuis terris, imponendi collectas, eaſque exigendi urgente cauſa, ex decreto tamen communitatis; ſunt & alij nobiles qui immemoriali tempore hujuſmodi jura poſſident, atque in ea poſſeſſione ſe tuentur, quamvis iſta jura non ut regalia, quorum incapaces ſunt, poſſideant; ſed ut emolumenta & fructus ſuæ juriſdictionis percipiant. Matth. Stephan. *de Nobilitate c. 6. n. 28.* Sextinus *de regalib. c. 4. n. 102. in fine.* Beſoldus *de regalib.*

7 In Italia quoque ducibus & Marchionibus regali dignitate perpetuo inſignitis, ſeu inveſtitis jus collectas indicendi, abſolute competit, ſiquidem majorum regalium jure fruantur, & idem poſſint in ſuis ditionibus, quod Rex in ſuo regno. Pet. Petra. *de poteſt. Princip. c. 21. n. 19.* Non idem conceſſum Hiſpaniæ Ducibus, Comitibus aliiſque illuſtribus oppida & arces habentibus, nam omnes uti etiam in Gallia, & Belgio, Regi ſuo ſubſunt, adeò ut nec minutum tributum abſque Regis licentia, ſuis ſubditis & clientibus fiduciariis imperare, aut ultro oblatum accipere poſſint, relictis namque populo ſuis privilegiis, ac libertatibus, titulis tantum ſuis, & bonorum patrimonialium proventu gaudent. Garſia *de expenſis c. 12. n. 63.*

8 Eò pertinet quod conceſſis regalibus alicui Duci, aut Comiti, non cenſeatur conceſſum jus, imponendi, aut exigendi tributa & vectigalia, quia odioſa illorum exactio, præterquam ab ipſo Principe, cui etiam ſoli convenit vectigalia imponere, in ſignum ſupremæ poteſtatis, & ideo in donatione facienda eſt ſpecifica mentio vectigalium, aliàs non videbuntur comprehenſa generali conceſſione. Covarr. *ad c. quamvis p. 2. §. 2. n. 4.* Larrea *alleg. fiſcal. 10. & ſeq.* Gironda *de gabellis,* Fragoſo *de regim. Reip. lib. 3. diſp. 8. n. 7.*

9 Verumtamen ſi non liberalitate, & conceſſione Regis, ſaltem tacita illius permiſſione, & tolerantia, Magnates Hiſpaniæ, & in aliis regnis primores, minuta tributa, & vectigalia imponunt ſubditis ſuis, eaque percipiunt & retinent, quæ cum ab iis uſurpata ſint, & retenta ex tolerantia Regis (ad quem propriè ea jura pertinent) ſemper repeti poſſunt: quia iniquum ex injuſta detentione, & vectigalium exactione gravare ſubditos, quos conſtat belli tempore, variis indictionibus, deprædationibus militum, & hoſtium incurſionibus, ſatis onerari, & undique affligi; de injuſta hac magnatum detentione quæritur Joan. Larrea fiſcalis Regius *in ſuis alleg. fiſc. 8. & 9.*

10 Ut igitur tributum imponatur, conſiderandæ ſunt inprimis ſingulorum ſubditorum opes, ne ipſi nimis graventur. Item ſubeſſe debet novæ indictionis juſta cauſa, ad quam reducitur, quod ita exigat neceſſitas, aut utilitas publica, licet aliquando privati qui gravantur, nullum commodum inde percipiant. Bart. *in l. un. inſr. ut nem. lic. in empt. ſpec. ſe excuſ.* Quinimo etſi publica utilitas cum privatorum damno interdum conjungatur, tamen univerſale bonum privato reſpectui præponi debet. Nec eſt curandum quod privati aliqui patiantur, aut conquerantur; modo tota Reſp. bene ſe habeat. *Semper enim habet aliquid ex iniquo, omne magnum exemplum, quod contra ſingulos, utilitate publica rependitur,* inquit Tacit. *lib. 12. annal.* Optime proinde Livius *lib. 34.* ore Catonis Senioris aſſeruit, *nulla lex ſatis commoda omnibus eſt. Id modo quæritur ſi majori parti & in ſumma prodeſt.* Sic generaliter receptum, quod ea quæ communiter omnibus proſunt, quæ ſpeciatim quibuſdam inutilia ſunt, præferri debeant. *Auth. res quæ C. comm. de legat.* Azevedo *ad conſtitut. regni Hiſpaniæ lib. 2. tit. 7. & lib. 7. n. 2.*

11 Urgente itaque publica cauſa, omnes ſubditi, Reipubl. cujus ſunt partes, ſubvenire debent, imo cogi poſſunt tantum ex ſuis bonis publice conferre, quantum poſtulat, & exigit publica neceſſitas, quoniam tunc rerum ſuarum non tam ſunt domini, quam cuſtodes. Cauſa igitur tributa imperandi, vel augendi erit, ſi bellum immineat, aut de facto geratur, cujus expenſæ ſolent eſſe maximæ. Item ſi relevanda ſint opera principatus, aut ipſius Principis ſtatus & dignitas ſit conſervanda, ſi utilitas & ſecuritas communis omnium id exigat, *can. ſi tributum cum ſeq. 11. q. 1.* Cauſas plures refert Zevallos *com. comm. q. 578.* & Larrea *alleg. fiſc. 59. num. 8. & ſeqq.*

12 Nam alias ſi nulla ſubſit cauſa, nec talis quæ conſiſtat in utilitate & neceſſitate publica, injuſtum erit exigere novum tributum, aut vetus continuare. cum ceſſet, inquam, cauſa ob quam fuit impoſitum, *l. 1. C. vectig. nova.* Quare licet Princeps prematur ære alieno, non ideo dici poteſt adeſſe neceſſitatem publicam, ob quam tributum imponi poſſit, cum illud tractu temporis diſſolvi queat. Id ſentit Hippol. Riminaldus *conſ. 10. n. 1. 8. & ſeqq.* Gutierrez *De gabellis.* Et ex Theologis Molina *de tribut. diſp. 667.* ubi inquit ceſſante publica neceſſitate, Princeps in ſuam privatam utilitatem, non poteſt tributa imponere, neque enim populus factus eſt propter

ter

Digitized by Google

ter Principem, ſed Princeps propter populum, & in bonum & utilitatem ejus. Eaque de cauſa tributa, non ad voluntatem vel utilitatem Principis, ſunt admittenda; ſed ad utilitatem & neceſſitatem publicam ejus communitatis, cui tanquam defenſor conſtitutus eſt, & contentus eſſe debet iis, quæ ad competentem ſuſtentationem & tuitionem ſtatus ipſi conſtituta ſunt.

13 Attamen ſi Princeps eò redactus ſit, ut non habeat unde Rempublicam defendat, & conſervet, atque dignitatem & ſplendorem ſuum tueatur; debent ſubditi contribuere, conſiderata qualitate ſtatus, & Reipublicæ, quoniam iſti ſumptus computantur inter res neceſſarias ipſius communitatis. Atque id procedere exiſtimo ſive ſua culpa, ſive facto anteceſſorum, Princeps ad eum ſtatum devenerit. Etenim cum tributa ſint velut alimenta Principis, eique debita quoquo modo, ut affirmat D. Thomas *in epiſt. ad Ducissam Brabantiæ*, etiamſi ſua culpa Princeps ærarium exhauſerit, ludis, conviviis, profuſis largitionibus, bellis inconſultis, tenentur ſubditi neceſſitati ejus ſubvenire, & nova tributa ſolvere, quibus dignitatis ſuæ ſplendorem conſervare poſſit, quia Principis inopia eſt in perniciem regni. Leſſius *de juſt. & jur. c. 33. dub. 6. num. 48.* & Vaſquez *de reſtitut. cap. 6. dub. 2. n. 29.*

14 Cæterum ubi ſe iſta inopia liberarit, & ſtatum ſuum ſecuriorem reddiderit, ſubditorum auxilio, non debet eos amplius extraordinario tributo implicare, & onerare, ſed beneficium à ſubditis acceptum, quavis oblata occaſione agnoſcere. Beneficiorum enim memoria, maxime in Principe non debet ſeneſcere. Gratus vero etſi à ſervo ſuo beneficium accepit, non tamen à quo, ſed quis acceperit, æſtimat, ut dicit Seneca. Denique Princeps onere debitorum liberatus, ita rei familiaris & publicæ, adminiſtrationem inſtituat, ne novis amplioribuſque debitis ſeſe obſtringat. Atque talem moderationem etiam cum proficiſcitur, obſervet, qualem Trajano cordi fuiſſe refert Plinius: *Adſueſcat*, inquit, *cum imperio calculum ponere, ita exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus, edicat quid abſumpſerit, ita fiet, ut non abſumat, quod pudet dicere.*

15 Urgente quoque publica cauſa, moderatum eſſe debet tributum quod imponitur, ac tolerabile pro rerum copia & inopia; itemque pro viribus, ut dixi, ſubditorum, ita ut tenuiores minus quam opulenti pendant. Id enim naturalis ratio dictat, ut qui majores fructus percipit, majus functionum gravamen ſentiat, *l. 12. ſup. de operib. publ.* ibi, *ut adſcriptio currat pro viribus ſingulorum.* Caveat igitur Princeps novum onus ſubditis ſuis citra ipſorum conſenſum imponere, & durioribus verbis illos extorquere, ne ipſi accidat quod legitur *lib. 3. Regum cap. 12. 16. & 19.* quando decem tribus contra Roboamum Iſraëlitarum Regem inſurrexerunt, quia nova, & immoderata vectigalia ſuo arbitrio, inſtituere deſtinaverat, ſine conſilio ſubditorum. Item ne nimium ſubditos oneret, aut frequenter idem ab iis petat, quia qui nimium & crebro petit, ut dici ſolet, à paucis accipit; imo vix aliquid accipit, & omnia perdit, qui nimium premit. Verè ſapientiſſimus Salomon dixit, *qui lac exprimit, premit butyrum, qui naſum nimis emungit, elicit ſanguinem. Prov. 30.*

Unde evenire videmus, ut ſubditi vectigalium onere oppreſſi, & ad paupertatem redacti, Principem ſuum deteſtentur, ac diris devoveant, à quo rem ſuam familiarem ita exhauriri vident. Non rarò etiam in Republica ſeditiones & in Principes rebelliones moliuntur. Infinita ſunt omnis ætatis & omnium regnorum exempla, quæ ex Livio, & Tacito, referunt Juſtus Lipſius *exempl. polit.* Adamus Contzen. *lib. 4. politic. cap. 3. §. 2.* Bodinus *de Republ. lib. 6.* Scribanus *in Chriſt. polit.* Vernuleus *in inſtit. polit.* & Amaya *ad hunc tit.* quibus oſtendunt imperia pleraque ab hoſtibus, vel occupata fuiſſe, vel obruta, ac plane extincta nimio vectigalium pondere. Romanam Rempublicam quæritur Salvianus *lib. 4.* tributorum vinculis quaſi prædonum manibus ſtrangulatam, uno tempore periiſſe; hæc tamen ſenſim reſtituta fuit, provinciarum ſpoliis, ex quibus cum ærarium auctum eſſet, tandem cives Romani tributis liberati fuere, eaque in provinciales rejecta. Quæ adeo acerbe exigebantur, ut pleræque Provinciæ ad rebellionem incitarentur. Ut alias omittam, de noſtra Belgica ait Tacitus *lib. 3. & 4. annal.* excitatam ſæpe fuiſſe ad rebellionem, magis ſuperbia & avaritia regentium, quam obſequij impatientia. *Friſij Trans-rhenanus populus, pacem exuere, noſtra magis avaritia, quam obſequij impatientes. Tributum iis Druſus juſſerat modicum pro anguſtia rerum, ut in uſus militares coria boum penderent, non intenta cujuſquam cura, quæ firmitudo, quæ menſura. Donec Olennius primipilaris regendis Friſiis impoſitus, terga virorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, queis ingentium belluarum feraces ſaltus, modica domi armenta ſunt. Ac primo boves ipſos, mox agros, poſtremo corpora conjugum & liberorum ſervitio tradebant. Hinc ira, & queſtus, ac poſtquam non ſubveniebat remedium ex bello rapti qui tributo aderant milites, & patibulo affixi.* Ideòque Juſtus Lipſius *4. politic. c. 11.* Principem ad Themiſtoclem remittit, eidemque divam illam Suadam tantopere commendat, ne ſubditi inſolitis tributorum exactionibus onerati, penuria & impotentia magis, quam obſequij impatientia inducti, pacem exuant, & Principem alium reſpiciant, quem credant fore leniorem. 16

Digitized by Google

17 Etenim Princeps qui leniter ſubditos ſuos tractat, eos lætos habet & obſequentes, qui fortiter, & nimium premit ingratos & rebelles, quales ſæpe exiſtunt plebei; atque etiam nobiles ubi oppreſſi, quin & mercatores ſolent ad liberiorem ſtationem migragre, ruſtici agriculturam deſerere: omnes ſe læſos putant, ac ita paulatim Princeps ut ignis ſeipſum abſumit, ubi populum ſuum exhaurit. Ut eum igitur habeat florentem & quietum, moderata & conſueta tributa imponat, & ſatius eſſe conſideret inopem obtinere Rempublicam, quam ad divitiarum cumulos per diſcriminum atque dedecorum veſtigia pervenire, ut dicebat Pertinax Imp. referente Spartiano.

18 Quamobrem ne novis indictionibus oppreſſi ſubditi, vetera tributa ſolvere ſubterfugiant. *Et Principi plus invidiæ ſibi, quam virium addat*, ut monet Tacitus *lib. 5. hiſt.* ſervanda eſt moderatio, quam hic præſcribit Diocletianus Imp. ne provinciales ultra modum earumdem poſſeſſionum, quas poſſident onerentur, aut conveniantur, *l. 2. h. t.* ſed ut quiſque præſtet ordinarium tributum, vel indictionem, quæ rebus indici ſolet, ſecundùm bonorum quantitatem. Idem dicitur *in l. 2. C. de immun. nem. conc.* & ideo qui bona non poſſidet, onera realia non

19 agnoſcit, *l. 7. ff. de publicanis & veſtig.* * Imo & qui bona poſſidet; non tam videtur obligari ad præſtationem tributi quam ipſum prædium. Eſt enim hoc tributi onus reale quod ſequitur ipſum prædium quocumque vadat. Eoque pertinet quod dicit Accurſius, quoties jus aliquod prædiis adhæret, in iſtius juris exactione, non tam perſonarum quam prædiorum rationem haberi, ita ut tributum quod infixum eſt prædio, non tam à poſſeſſore, quam ipſo prædio exigi videatur, *d. l. 2. & l. 4. §. 2. ff. de cenſib.* Facit quoque *lex 6. §. etiam 2. ff. ſi ſervit. vindicat.* ubi Labeo ait, ſervitutem hanc non hominem debere, ſed rem, & ideo propter rem poſſeſſores conveniri, ſive debitores ſint, ſive non, cum certum ſit ipſa prædia obligari. Quare jure civili pactum inter debitorem & creditorem, ut creditor onus tributi fundi pignorati non agnoſceret, ſed ejus ſolvendi neceſſitas debitorem ſpectaret, quantum ad fiſci rationem, non ſervandum Papin. reſpondit, *l. 42. ff. de pactis.* Pactis enim privatorum jus fiſci convelli non placuit, & tributum onus eſt poſſeſſoris cujuſque, non domini niſi poſſideat. Cum ergo tributa ſint onera poſſeſſionum, rectè ab iis qui prædia poſſident, exiguntur, nec ſolum quæ nunc debet, ſed etiam præteriti temporis, quæque à prædeceſſore debebantur, ſive fundum emerit à privato ſive ab ipſo fiſco, *l. 3. & fin. C. ſine cenſu, & d. l. 7.* Garzia *de expenſis c. 11. n. 50.* Bobadilla *lib. 5. politic. c. 5. num. 25. & ſeqq.*

20 Idipſum & in hærede locum habet, qui conveniri poteſt à fiſco, ob cauſam præteritorum tributorum, quæ defunctus nō ſolvit ſua die, etiam omiſſo legatario, cui prædia iſta relicta fuerint, *l. 39. §. 5. ff. de leg. 1.* nam etſi hæres re certa legata non teneatur amplius quam ut talem rem præſtet, qualis eſt cum ſuo onere vel jure, *l. 43. §. 1. ff. d. t. de leg. 1.* in electione tamen eſt fiſci, vel cū legatario experiri, tanquam cum poſſeſſore, vel cum hærede qui jam cœpit debere tributum præteriti temporis nomine defuncti, & cum res ſit obligata, tenetur eam luere, *l. 57. ff. d. t.* Conventus autem legatarius ſi quid præteriti oneris præſtitit, id ab hærede repetet, *l. 5. ff. de cenſib.* Afflict. *deciſ. 95. num. 3.* Ant. Deſpeiſſes, *tract. des tailles art. 11. num. 24.*

Hinc notandum diſcrimen, inter onus æris alieni, & onus tributi, quod illud pro portione qua quiſque defuncto hæres extitit præſtetur; hoc vero onus ſolvatur à quovis poſſeſſore qui fructus percipit, *l. 1. h. t.* Quia æs alienum eſt perſonale, & inter hæredes pro portionibus hæreditariis dividitur, etiamſi fiſco debeatur, *l. Lucius 123. ff. de leg. 1.* At onus tributi eſt reale, oneratque poſſidentem & percipientem fructus, pro modo, ut dixi, perceptionis, ita ut qui plus colligit, plus etiam ſolvat, ideo qui plus locorum habet, plus ſolvere tenetur, magnitudo autem locorum ex quantitate conſideratur, atque eò pertinet *d. l. 5. ff. de cenſib.* Ibi *omnes pro modo prædiorum pecuniam tributi conferant, & l. 10. de ſuſceptor. infr. & l. 2. h. t.* Coſta *de rata q. 45. num. 15.* 21

Ex quibus colligitur plures cohæredes, vel poſſeſſores, qui re fruuntur, ex qua tributum debetur, teneri id ſolvere pro modo perceptionis; ſi vero res inter ipſos adhuc ſit indiviſa; collector unum ex poſſeſſoribus coget ad exſolutionem totius oneris, ſalvo jure huic convento agendi contra reliquos pro portione cujuſque, *d. l. 5. in princ.* ubi *non inutiliter actiones præſtantur, tametſi fiſcus pecuniam ſuam recuperaverit, quia nominum venditorum pretium acceptum videtur* Joan. Faber *in §. item tria onera Inſt. excuſ. tut.* Bobadilla. *lib. 5. c. 5. num. 29.* 22

Quod ſi poſt diviſionem inter hæredes, bona cenſita maneant ſub nomine defuncti auctoris, quaſi is adhuc ille viveret, & poſſideret, collectoris arbitrio permittitur, exigere ſibi debitum tributum, ex prædio quod ipſi commodius videbitur, exemplo creditoris cui permiſſum ex bonis ſibi obligatis, quibus velit diſtractis ad ſuum commodum pervenire, *l. 8. ff. de diſtract. pign.* Ac ita judicatum meminit Ant. Deſpeiſſes *in ſuo tract. des tailles ſect. ult. num. 22.* Plane collector, qui in æſtimo & libro cenſuali plura bona habet deſcripta, poteſt contra unum tantum corpus procedere, ac illud exequi pro toto debito. Peregrin. *de jure fiſci lib. 6. tit. 6. num. 50.* 23

Præter tributa quæ à prædiorum poſſeſſoribus, & fructus percipientibus, quotannis pendebantur, 24 erāt ex Canone, annonæ conſiſtentes in ſpeciebus, veluti

veluti in frumento, pane, vino, hordeo, larido, nam provinciales pro alendis militibus pendebant frumenti quinquageſimam partem, hordei quadrageſimam, vini & laridi ſeu ſuillæ carnis quintam decimam. *l. 9. infr. de ſuſceptor.* Atque hanc annonam annue recipiebant Suſceptores & Optiones, quibus pro ſalario & periculo quod ſuſcipiebant, erogandi magiſtris militum & milibus præbitas annonas, decima pars copiarum debebatur, *Novel.* 130.

25 Illi quoque curabant annonas tranſvehi ad exercitum, per provinciales, qui tamen ne magis gravarentur, hoc onus tranſvehendi annonam ad limites Imperij imponere ſolebant poſſeſſoribus, qui viciniores erant iſtis limitibus ſeu finibus, *l. 5. h. t. & l. 4. infr. de arrog. mil. annon.* ac ita ad conſervandam æqualitatem poſſeſſorum, placuit ut qui ampliores fundos habent, plus ſolvant quam qui minores, & viciniores quam remotiores, ut ſic qui habent viciniora prædia limitibus, ad quos annona deferenda eſt, magis graventur, ex eo quod relevantur in expenſis itineris, ut recte docet Joan. de Platea *ad l. 5. num.* 1. & Jac. Rebuff. *num.* 2. *&* 3.

26 Nemo tamen poſſeſſorum longius quam par erat delegabatur, aut ultra ſuum diſtrictum mittebatur, ad conferendas ſpecies pro exercitu, vel ad operandum inſtruendumve manſiones militum, ſed habebatur itineris, & habitationis ratio, itemque expenſarum in itinere neceſſariarum, *l. 7. h. t.* Quod & hodie obſervatur cum hoc onus vehendi annonas, & ſpecies alias publice imponitur, ubi non ſufficiunt qui ad hoc opus publicè ſunt conſtituti, aut conducti, ſolent in auxilium aſſumi viciniores coloni, ſumptu iſtius communitatis, vel totius diſtrictus, non etiam qui remotiores, quo ſpectat, *l. 5. infr. de exact. trib.* Ne longinqui itineris diverſitate, illi qui hujuſmodi onera ſuſcipiunt, muniis ſuis deſint, & rei familiaris detrimenta ſuſtineant. Idem præſcriptum *in l. 9. C. Theod. h. t.* Ut pabula quæ ſolebant convehi pro longinquitate vel moleſtia itineris, ab unoquoque oppido, ac denuntiato tempore deinceps evehantur.

27 Hinc cum olim mediterraneæ, & à mari longe diſtantes civitates, à maritimis, & è contra maritimæ à mediterraneis onerarentur tranſvectione annonarum, quas tenebantur conferre, ac plus diſpendij haberet tranſlatio quam devotionis illatio, id eſt, plus impenderent in itinere, quam valeret ipſa annona, placuit ne ſe invicem hujuſmodi oneribus ac ſumptibus in poſterum involverent, & ut unaquæque civitas onus ſuæ tranſvectionis agnoſceret, & per viciniores poſſeſſores annonam transferri curaret, *l. 8. h. t.* ex qua lege Interpretes inferunt impenſam non debere ſuperare rei valorem, quem ſi veroſimiliter adæquet, aut ſuperet, evitanda eſt impenſa, quia damnoſa. Unde ſi in confectione inventarij, vel deſcriptione bonorum, tantum ferè expendendum ſit, quam valeant ipſæ res, poteſt tutor ab hujuſmodi confectione abſtinere cum ea gravis ſit pupillo. Platea *hic*.

28 Porro non tantum provinciales ſubditi, ad tributorum & annonarum præſtationem urgentur, ſed etiam extranei & forenſes. Omnes omnino inquit Conſtantinus ad ſolutionem publicarum functionum, ſeu tributorum tenentur, *l. 4. h. t.* quia hujuſmodi onera realia ſunt, & ex legis proviſione certam perpetuamque habent præſtationem, ut non mirum, ſi omnes, tam ſubditi, quam extranei, ad eorum ſolutionem obligentur. Neque enim iſta munera extraordinaria ſunt, ſed ordinaria, quæ à lege, aut Principe, ad ſuſtinenda onera publica, & alendos exercitus, & magiſtratus, injunguntur, *l. un. infr. de vacat. pub. mun.* vocanturque indictiones quæ rebus & poſſeſſionibus indici ſolent, non perſonis *l. 2. h. t.* Et ideò licet externi, & aliæ privilegiatæ perſonæ ſubditæ non ſint Principi, tamen ratione ſoli & patrimonij, cui inhæret perpetuo tributum, ſubjiciuntur, nec poſſunt ſe vi alicujus privilegij ab illius præſtatione excuſare, *d. l. 4.* In realibus namque muneribus, nulla privilegia præſtant vacationem, nullæ ſcientiæ aut ætatis prærogativæ, *l. 6. §. 4. ff. de muner. & honor.* 29 * Quare ſi in fraudem tributi ordinarij & annonariæ rei, aliquis à Principe reſcriptum impetraverit, ne teneatur tributa ſolvere, manifeſtum eſt illud non poſſe vires ſortiri, quia eſt contra publicam utilitatem & damnoſum fiſco, *l. 6. h. t. l. 3. ſup. de precib. Imp. off.* Item facit *l. 9. h. t. in princ.* obſiſtere, inquit, commodis publicis & ſtatutis neceſſitatibus non poſſunt privilegia magiſtratuum, ſive reſcripta Principum, quæ impetrata potius cenſentur per ſubreptionem & propter importunitatem petentium, *l. 1. ſup. de pet. bon. ſubl.* Rectè proinde Valentinianus in publicis functionibus, & oneribus ordinariis, omnes provinciales æquos & pares eſſe volunt, *l. 5. ſup. de vectig.* Imo oportet, quia ubi non univerſi pares, ſed tenuiores magis, quàm opulenti onerantur, ſæpè indè diſſenſiones & ſeditiones, oriri conſtat.

30 Cùm ergò in oneribus, & muneribus publicis, omnium perſonarum æqua eſſe debeat inſpectio, non valet reſcriptum Principis, quo illæ ſine cauſa eximuntur; multò minùs valebit decretum Rectoris provinciæ, quo terminum ſolvendi, prorogat debitori, aut ei concedit ut minus ſolvat, quam ſolvere tenebatur, *l. 5. h. t.* ubi additur, quod ſi Rector aut vicarius præſidis, aliquid jam cuiquam crediderit remittendum, quod alij remiſerit, de propriis dare facultatibus compellatur. Amplius & is punitur, qui negligens fuit in officio, conſueta tributa exigendi, quod emolumenta quæ ſalarij nomine, durante adminiſtratione percepit, reddere

Digitized by Google

teneatur, ac omne damnum ac intereſſe præſtare, quod ob ejus negligentiam fiſcus ſenſit, *l. 10. h.t.*

31 Dictum eſt Principis reſcriptum non valere, quoties in eo quid damnoſum fiſco, aut utilitati publicæ contrarium decernitur, *l. 6. h.t.* Præſumitur enim id citra Principis voluntatem eſſe conceſſum; aliàs ſi de voluntate Principis concedentis alicui immunitatem à tributis conſtet, reſcriptum vires obtinebit, eſt enim ſacrilegij inſtar, de aperta Principis voluntate dubitare, æquè ac diſputare velle, de ipſius poteſtate, quæ ſumma eſt. Conſtat autem tunc de certa voluntate, quando apponitur clauſula *ex certa ſcientia, vel motu proprio, vel non obſtante jure communi*, &c. Amaya & Valenzuela *ad d. l. 6.* Item ſi ſecunda Principis juſſio intervenerit, eximet impetrantem à tributorum præſtatione. *Novell.* 134. *cap. 6.* reiterata enim monitio efficit, ut concedatur, quod aliàs non jure petitur.

32 Quid ergo ſi Princeps aliquem motu proprio exemerit à tributis, an id ſit oneri cæteris civibus? Et puto illis non nocere immunitatem alicui conceſſam, ſed ejus partem Principem ſubducere debere, & acceptum ferre, per *text. in l. 3.* in verbis, *quod aliis remiſerit h. tit.* Quotieſcumque immunitatem alicui concedit, ejus portio in concedentis Principis, non autem univerſitatis detrimentum imputatur. Facit *l. 12. infrà de omni agro deſert.* & quod reſpondit Pariſ. *conſ. 7. num. 14.* non eſſe jus Principi in perniciem cæterorum civium, quempiam oneribus eximere, ut alij onus ejus ſubeant cum quiſque teneatur ſuum, non alterius onus ſubire. *l. un. Cod. ut nullus ex vicariis*, & ratio non admittit, ut unus ſit debitor, & pro eo ab alio tributum exigatur. *Novell. 54. cap. 1.* Optimè proinde dixit Theodoricus Rex, munificentiam noſtram, nulli volumus eſſe damnoſam, ne quod alteri tribuitur, alterius diſpendiis applicetur. Nec inferri à quoquam volumus, quod alteri humanitate noſtrâ remiſimus, ne quod dictu nefas eſt, benè meriti munus, innocentis contingat eſſe diſpendium. Caſſiodor *lib. 2. variar. c. 16.* Puto tamen hic diſtinguendum eſſe, inter Principem ſupremum & inferiorem, ut ſi ille onus imponat, & ab eo aliquem eximat non teneatur quidquam de ſuo emolumento detrahere, ſed adhuc integrum ab aliis recipiet. At inferior ita immunitatem concedere poteſt, ut de ſumma ſibi debita à ſubditis, tantùm detrahatur quanta eſt portio privilegiati, non autem poteſt ita concedere, ut alios aggravet.

33 Quando igitur non adjicitur derogatio juris aut conſuetudinis, ſervanda eſt inter provinciales æqualis illationis, & penſitationis forma, ut dicitur hic *in l. 6. in fin.* nec ulli facilè concedenda immunitas, niſi gravis ſubſit cauſa, quia quo pluribus illa conceditur, eo majora tributa Reſpublica pendit, *l. 4. & 8. infrà ne exact. tribut.* Quamobrem ut in parte provinciales ſubleventur, rectè ſtatutum variis hujus tituli conſtitutionibus, ut æqualiter omnes quòcumque titulo poſſidentes, ordinaria tributa inferre cogantur, *l. 3. & 4. h.t.* quorum plura referam exempla titulo ſequenti. Unum hic ratione *l. ult.* occurrit, Eccleſiam aut Eccleſiaſticas perſonas non excuſari, nam quatenus prædia poſſident, tributa antiquitus conſtituta ſolvere tenentur, aliaque onera ſubire, quibus obligatæ fuerunt poſſeſſiones, antequam ad Eccleſiam, aut ejus miniſtros pervenirent, *l. 5. ſuprà de ſacroſ. Eccleſ.* quoniam res onere merè reali affecta, cum eo tranſit in quemcumque poſſeſſorem. Quò facit quod ait D. Ambroſius, *Si tributum petit Imperator, non negamus, agri Eccleſiæ tributum ſolvunt. cap. ſi tributum 11. q. 1. & cap. tributum 23. q. 8.* & pleniùs Urbanus ibi, *de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace & quiete qua nos tueri & defendere debent, Imperatoribus perſolvendum eſt.*

34 Sola excipitur Eccleſia Theſſalonicenſis & ideò quod huic datur, ut immunis ſit à capitatione, & tributo ſuarum poſſeſſionum, non eſt porrigendum ad alias Eccleſias: non enim licet abuti nomine Eccleſiæ, evitandorum canonum cauſa, ut inde Reſpublica lædatur, *l. ult. h. tit.*

35 Idem quod Theodoſius hic ſtatuit, repetit *in l. 8. ſup. de Sacroſ. Eccleſ.* Ut malè adſcribatur Aurelio Caro, qui religionis Chriſtianæ hoſtis fuit, & cùm vult Eccleſiam civitatis Theſſalonicenſis immunem eſſe à capitatione, intelligit non tantùm de ea quæ ab hominibus præſtatur, verum etiam de capitatione, quæ poſſeſſionibus imponitur, quæ jugatio propriè dicitur: nam quorſum attinebat eximere dictam Eccleſiam ab iſto tributo, cùm jam ante Conſtantinus immunes feciſſet omnes cives Theſſalonicenſes, & per conſequens eorum Eccleſiam, *l. un. C. de capitatio civium, infrà lib. 11.*

36 Exemplo Theſſalonicenſium, ſolebant aliarum civitatum cives, & privati homines capitationis relevationem poſtulare, ſed ne amplius id fiat, & fruſtraneas ea de re preces porrigant, cavit Anaſtaſius Imp. conſtitutione ſua, quam ex Baſilicis reſtituit Cujacius, & in fine hujus tituli repoſuit. Quod ſi tamen tota civitas, aut provincia aliqua, capitationis relevationem peteret, ob ſterilitatem agrorum, concedebat eam Princeps, prius relatione petitionis ad ſe facta, & ſervata ſacra forma, circa inſpectoris, vel peræquatoris miſſionem in rem, & annonæ largitionem.

37 At verò ſi capitationis relevationem Princeps nō decreviſſet concedere, id quod provincia antea præſtitit, vel præſtare promiſit, deinceps præſtare tenebitur. Præſtatio, ſive illatio iſta olim in ſingula capita erat unius aurei in maſculis, dimidiati aurei in fœminis, ex opinatione Accurſij *ad h.t. in rubr.* Quod non puto fuiſſe generale, ſed ex conventione

Digitized by Google

ac facta cum quibuſdam Græciæ provinciis dimidium aureum per capita exactum fuiſſe, ut magis in obſequio & fide retinerentur. Sic etiam alię provinciæ propter diſtantiam, vel prædiorum ſterilitatem, minora tributa pendebant, alia majora ob fertilitatem terræ, vel prout cum illis fuerat conventum, exemplo dominorum, qui non ſemper æqualem canonem accipiunt ab emphyteutis, ſed prout inter ſe convenere *l. 2. ſup. de jure emphyt.*

38 At illud generale fuiſſe obſervo, quod omnium provinciarum incolæ, lege cenſuali profiteri tenerentur, quot in familia capita haberent, quot ſervos etiam cenſitos, quot terræ jugera, eorum qualitatem & æſtimationem, quæ omnia in librum cenſualem referebantur, ut exactiùs à quovis poſſeſſore tributum ſolveretur, *l. 4. ff. de cenſib.* Pompon. Lætus *de magiſtrat. Roman. cap.* 21. cujus rei exemplum habemus *Luc. cap.* 2. In Octavio Auguſto, qui cenſum univerſi orbis egit, ut deſcriptis omnium civitatum capitibus intelligeretur, quæ cujuſque regionis, urbis, familiæ, domus facultates eſſent, ſecundum quas tributum (uti dictum) etiam ab eo qui in dignitate erat, exigebatur, vel ab ejus colono: Item ab uſufructuario, & emphyteuta, cùm hic jus in re habeat, ille fructus percipiat, & poſſeſſionem teneat, *l. 1. h. t. & d. l. 2.* Qui tamen ſi tributum ſolvere recuſaret, evoluto anni ſpatio, intra ſex menſes domino prædij actio competebat, ut fiſco ſolveret, *l. 9. h. t.* Ubi Accurſius & Pyrrhus inferunt ad dominum reverti utile dominium, ſi emphyteuta capitationem, aut tributum impoſitum ſolvere detrectet, *qua de re latiùs infra tit. ſeq.*

39 Hodiè quoque cives omnes, & ſubditi jure jurando adacti, bonorum ſuorum æſtimationem apud magiſtratum deferre & profiteri jubentur, quâ cognitâ tributum & collecta per æs libram, ſeu pro modo facultatum diſtribuitur, ut dicitur, *in l. 2. h. t. & l. 1. infr. de muner. patrim.* Et facta æquali onerum partitione, cives, eorumque bona in cenſum ac in librum cenſualem referuntur, quo deinceps certus contribuendi modus ſervetur.

40 Hunc autem librum æſtimum, Hiſpani *de la pecheria*, Itali *Cataſtum* vocant, Bart. *in l. 4. ff. de cenſib.* fortè à Græco vocabulo *καταρθεῖναι*, quod ſignificat renovare, eò quod quinto quoque anno, (ut refert Pomponius Lætus *de magiſtr. Romanis c. 21.*) nunc prolixiore tempore, fieret renovatio, ſeu æſtimatio bonorum, quæ in territorio ſita erant, & quiſque poſſidebat. Galli vocant *compeids*, vel *eſtime.* Etenim per hanc æſtimationem & deſcriptionem bonorum in librum cenſualem redactam, contrahitur hypotheca publica, quâ mediante quiſque obligatur præſtare tributum, vel collectam, prout inſcriptus & relatus eſt in regiſtrum æſtimi, etiamſi verus poſſeſſor non ſit, ſufficit enim quod fructus percipiat, quorum ratione collecta exigitur, *l. 13. verb. functionum C. de act. empt. & l. 2. h. t. l. ult.* ibi Bald. & Salic. *C. ſine cenſu.* * Hinc quando ea impo- 41
nitur ſecundùm æſtimum, non attenditur poſſeſſio bonorum, ſed æſtimum tanquam cauſa finalis collectandi, & ideò poſſeſſor adſtringi non poteſt. Roland. *conſ. 32. n. 14. vol. 1. & conſ. 79. num. 9.* Anth. Theſaur. *deciſ.* 164. *num.* 3. & 5. Præterea tanta fides huic æſtimo datur, ut licet in eo poſitus alienaverit res in eo deſcriptas, cogatur tamen ſolvere pro poſſeſſore; donec in æſtimum ementis referantur, *l. ult. C. Theod. ſine cenſu vel reliq.* plura infra *tit. ſeq. num.* 34. Quod autem pro emptore, vel poſſeſſore ſolvit, id ab eo poterit repetere, utili negotiorum geſtorum actione Bald. *in l. 16. ſup. de negot.*

Cæterùm etiam relatis & deſcriptis bonis, non 42
liberabitur, ſi in minùs idoneum emptorem ea tranſtulit, quia non potuit venditor ſuâ alienatione jus fiſci minuere, igitur quamvis prædia non poſſideat, manent tamen quoad injunctum onus in venditoris æſtimo, quouſque emptor fiat idoneus & ſolvendo, ſeque totaliter obligaverit, cautum fore fiſco in futurum. *Auth. ſed & periculum ſup. ſine cenſu vel reliq.* Bart. *in l. 1. incola q. 2. ff. ad municip.* Clockius *de collect. cap. 17. num.* 82.

TITULUS XVII.

De Indictionibus.

1. *Quid ſit canon, oblatio, indictio.*
2. *Quid ſingulis luſtris præſtaretur, unde indictio annonarum originem ſubſcripſit.*
3. *Monentur provinciales ante indictionem, ut præparent pecuniam.*
4. *Fiebat deſcriptio indictionis, eaque inſinuabatur ſingulis, ut ſcirent quid, quantum & in quos uſus conferre oporteret.*
5. *Indictiones olim extraordinariæ, nunc ordinariæ factæ, & imponuntur perſonis pro rebus, quas poſſident.*
6. *Quare collectæ dicantur imponi perſonis, pro rebus, & ordinariis muneribus annumerentur.*
7. *Differentia inter tributa & collectas.*
8. *Indicuntur ſubditorum conſenſu in publico conventu, ubi neceſſitas populo prius exponenda.*
9. *Princeps nova tributa imponit, non aliter tamen quam ex ordinum judicio. & quare?*
10. *Civitates non poſſunt imponere collectas, abſque aſſenſu ſuperioris?*
11. *Urgente neceſſitate rectè moderatam acciſiam Civitates imponunt.*
12. *Civitates in Hiſpania ultra tria millia maravedinorum collectas abſque licentia Regis cogere non poſſunt.*

Digitized by Google

13. *Quid ſi civitas privilegio collectandi abutatur.*

14. *Aut jure ſuo collectanai uti recuſet, officio judicis ad hoc cogi poterit.*

15. *Magiſtratus civitatis quando imponant collectam, Ad voluntariam nemo obligatur niſi ſinguli conſentiant.*

16. *An major pars civitatis, per impoſitionem oneris poſſit gravare ſingulos cives, confirmatio Principis utilis communicati.*

17. *Si civitas litem ſuſtineat, aut tantum particulares cives, quomodo fiat contributio. Quid ſi lis aliquorum non interſit.*

18. *Si contribuendum ſit pro reſarciendo damno ab univerſitate illato, etiam contribuit damnum paſſus.*

19. *Si civitas ſit debitrix, excutienda eſt prius ejus burſa.*

20. *An domini vaſallorum poſſint collectas imponere, & quibus caſibus.*

21. *Quomodo occurri poſſit ſubditis ubi allegatur conſuetudo ſolvendi.*

22. *Forenſes, & clerici quando teneantur ad collectas?*

23. *Statum ut bona maneant tributaria, etiamſi ad clericos perveniant, valet.*

24. *Ementibus à privilegiatis non competit privilegium pro rebus, ne quidem emphyteutis, ſed omnes tenentur collectas ſolvere, item partiari colori.*

25. *An Emphyteuta & colonus Eccleſiæ teneatur collectas ſolvere, à laicis impoſitas.*

26. *Emphyteuta vel vaſallus refutando feudum vel emphyteuſim, non liberantur a ſervitio vel canone.*

27. *A collectis, perſonis pro rebus impoſitis non liberatur quis renunciando prædio, niſi aut illud vendendo vendat alteri idoneo.*

28. *An uſufructuarius, locator, colonus teneantur ſolvere collectas.*

29. *Quando colonus dominium fructuum acquirat?*

30. *Conductor fiſci qui plantavit in fundo conducto, quando fiat dominus?*

31. *In locatione fundi fructuum dominium in conductorem tranſit, qui tenetur ad tributa. Item pro locatione paſtus fundi.*

32. *Quid ſi locatus fuerit paſtus fundi? Conductor vectigal ex eo pendet, quoniam venditio paſtus vel herbarum contrahi cenſetur, non locatio.*

33. *In indicendis collectis ſervanda eſt loci conſuetudo.*

34. *Maritus tributa ſolvit & collectas de rebus dotalibus, de paraphernalibus uxor.*

35. *Poſſeſſor prædij ſemper tributa & collectas ſolvit, etiam præteriti temporis, ſive ſit legatarius aut heres.*

36. *Collectam quilibet patitur in loco originis & domicilij, quid ſi habeat duplex domicilium?*

37. *Quo in loco facienda ſit exactio collectæ impoſitæ reditibus annuis, ſive pecuniæ ad intereſſe.*

38. *An qui in duobus locis bona poſſidet, debeat in utroque collectam.*

39. *An teneatur ad collectas, qui bona ſua vendidit; ſi illa nondum ſint relata in æſtimum emptoris.*

40. *Venditor tenetur de decurſis debitis. An valeat conventio, qua quis premiſit alterum indemnem ſervare?*

41. *Tempus impoſitionis, non ſolutionis attenditur habito reſpectu ad fructus.*

42. *Ideo aucto eo tempore fundo, augetur ejus tributum, ſicuti contrà diminuto fundo diminuitur tributum.*

43. *Quotannis facienda cenſitio.*

Apud veteres tria fuiſſe conſtat penſitationum 1
genera, Canonem, oblationem, indictionem. *Canon* eſt ordinarium tributum quod nos *domanium* dicimus, ut Budæus docet, & complectitur ea quæ numerantur *in l. inter publica ff. de verb. ſign. Oblatio* eſt, quod vocamus *ſubſidia*, hoc jure largitiones, quæque præſtantur ex poculentis, eſculentis, & venditione mercium; quæ fit in ſolidum. *Indictio* verò eſt quàm nos *tailles, & gabellas*, antiqui collectam vocabant Cicero *lib. 2. de Orat* Græci ἔρανον & συμβολήν.* Et ſolvebantur ſingulis quindecim annis, 2
diviſis in tria luſtra, hoc eſt, in tria quinquennia, ex quibus illi quindecim anni conſtabant; quorum primo ſolvebatur certa auri quantitas, in ſymbolum dominationis, eaque reponebatur ærario Reipublicæ: Secundo anno argentum præbebatur ad ſtipendia militibus ſolvenda: Tertio æs, & ferrum ad armorum reparationem. Unde cum ſingulis quindecim annis novus cenſus deſcriberetur, manſit mos ille numerandi annos ab indictionibus. Cujac. *in Novell. 149. c. 1.* Pyrrus & alij *ad h. t.*

Cæterum ne improviſa exactio tributorum, 3
diſpendium provincialibus adferret, à præſidibus præmittebatur indictionis formula, quâ monerentur omnes priùs ut ſe pararent ad decretam ſummam tribuendam, pro neceſſitatibus Reipublicæ, atque hoc tributum, *Indictum* fuit nuncupatum, *l. 2. h. t.* quod convenit moribus hodiernis, & juri regio Hiſpan. *l. 5. t. 4. lib. 16. nova recopil.* ibi Azevedo.

Extat & alia noviſſima Juſtiniani conſtitutio 4
in Novell. 128. in cujus initio proponitur deſcriptio indictionis quæ appellatur delegatio, *l. 4. ſup. tit.* Eaque à Principe manat, & inſinuatur apud acta præfecti prætorio, deinde initio anni mittitur ad Præſides provinciarum, & à præſidibus proponitur in ſingulis civitatibus, ut omnes & ſinguli ſciant, quantum conferre oporteat pro unoquoque jugo, aut villis, aut centuriis, aut alia quolibet. Item quan-

Digitized by Google

quantum in auro, argento, ſpeciebus, earumque æſtimatione inferre, quantumve inſumere oporteat in militares uſus, & reſervare pro arca præfectorum. Ineunte anno ſeu indictione, mox inferendum erat tributum, quod in ſpeciebus conſiſtebat, pecuniæ autem tributum diviſis penſionibus ſolvi poterat.

5 Initio quidem Princeps non niſi ob ingruentem aliquam neceſſitatem, hujuſmodi indictiones ſeu collectas proponi curabat, undè temporariæ indictæ ſunt, ut patet *ex l. 28. ff. de uſufruct. legat.* quia non niſi ad tempus injungebantur, prout neceſſitas exigebat, & non perſonis, ſed prædiis ipſis imponi poterant. *l. 2. h. t.* verùm cùm eadem neceſſitas perduraret, negotiis eodem in ſtatu manentibus, indictiones factæ ſunt ordinariæ, quemadmodum cætera tributa à lege impoſita, habentque mixtam præſtationem, quia imponuntur perſonis, ſed pro rebus, & ideò exiguntur ab omnibus, nulla facta differentia pauperum & divitum, habitâ tantùm ratione bonorum poſſeſſorum, *l. 1. h. t.* Ubi additur nullam domum vel ſacri patrimonij, vel emphyteutici juris, vel hominum privatorum, etiamſi privilegium aliquod habere doceatur, ab hac neceſſitate ſejunctum eſſe, quia hoc indicti onus ordinarium eſt, cum ſingulis annis id exigi poſſit.

6 Dico collectam eſſe onus, quod perſonis imponitur, ſed pro rebus, *l. 5. C. qui bon. credere poſſ.* quia obligatio principaliter in perſonam dirigitur, licet cauſa finalis ſit ipſa res. Ideoque Bald. *in Auth. de functo verſ. modo quæro C. ad Tertul.* docuit quod in collecta quantitas impoſitionis reſpiciat rem directò, & ejus æſtimationem; ſed obligatio & vinculum ſolvendi reſpicit perſonam. Undè collectæ dicuntur onera mixta, atque muneribus ordinariis hodiè aggregantur, eò quod in locum indictionis

7 ſucceſſerunt. *Differunt tamen à tributis, quod in tributis incipiat hypotheca ab initiò quo tributa fuerunt impoſita, nec multiplicentur ſingulis annis, cùm illa ſint uniformia, & perpetuò præſtentur ab omnibus: ſed collectæ cùm magis ſint onera extraordinaria, multiplicatur obligatio ex qualibet indictione & antequam ſit indictum onus, bona non ſunt tacitè obligata. Caſtrenſis *in l. Imperatores ff. de publican.* Addit tamen Matth. de Afflict. *in capite unico quæ ſint regalia. Verbo & extraordin. collatio num. 13.* collectam extraordinariam, neceſſitate famis & belli impoſitam, ſapere naturam ordinariæ collationis, quod puto verum ſi illius impoſitio ſit generali lege proviſa, ita ut quotannis recurrat.

8 Porrò hujus ordinariæ, & extraordinariæ indictionis neceſſitas, exponenda erit in comitiis ſive conventu publico, ut Principem invitum contributionum onus imperare ſubditi intelligant, & in ſua ipſorum electione relinquere, præſentne perſonarum periculum ſubire, an aliquo cum fortunarum incommodo, neceſſitatis impetum avertere malint. Exponenda quoque exactionis occaſio, ut omnibus innoteſcat præſens periculum & neceſſitatem eſſe ineluctabilem; hanc tamen ſuperare poſſe ſubditos, & ſtatum ſuum tueri, pecuniam conferendo, aut conſentiendo ut augeantur tributa in præſenti, quo faciliùs in futurum minuantur.

9 Licet enim pro arbitrio poſſit Princeps propter ærarij tenuitatem, tempore belli, aliave publica neceſſitate urgente, imponere nova vectigalia, aut jam impoſita augere, ut dictum ſuperiori tit. & patet *ex tit. Cod. nova vectig.* Non ſolet tamen ea imponere ſine ſuffragio comitiorum generalium, & tribunorum plebis approbatione: & id ſecuriùs, quia cùm arduum, & odioſum ſit negotium, non convenit illud expedire, abſque aſſenſu & approbatione eorum, qui maximè onerantur. Dum enim ea humanitate, & moderatione Princeps utitur, perquirendo conſenſum provincialium, magis eorum benevolentiam ſibi conciliat, quodque deſiderat, & neceſſitas expoſcit, impetrat; publicè tranquillitatem, privatim ſingulorum opes tuetur. Bobadilla *lib. 5. politic. cap. 5.* Larrea *alleg. 59. num. 9. & 13.* magni namque faciunt ſubditi ſervari ſibi veterem conſuetudinem, *juxta l. 1. ff. de off. prat. & l. obſerv. §. recto ff. de offic. Proconſ.* & utcumque ſubinde minui videatur poteſtas Principis, cum vel ſubditorum vetera jura vel immunitates ſervat vel auget, redditur tamen re ipſa tutior & firmior, ut ſcribit Valer Maxim. *lib. 4. c. 1.* factum Theopompi commemorans: *ea demùm tuta potentia eſt, quæ viribus ſuis ponit modum.*

Cùm ergo ſupremæ poteſtati Principis jus indictionis reſervetur, ut nec præſides, nec ſupremi magiſtratus queant vectigalia imponere, neque domini vaſallorum, quidquam exigere quod vectigal redoleat, ſequitur, quod nec etiam civitates novum vectigal inſtituere, aut vetus augere poſſint, quamvis incolæ conſentiant, ſed opus eſſe aſſenſu Principis, quia regulariter illicitum novis exactionibus ſubditos onerare. *l. 1. 3. & tot. tit. C. vectig. & l. nova inſtitui non poſſ. l. 8. C. excuſat. muner.* Nam cum vetus vectigal augetur, etiam novi aliquid fit, & novum cenſetur quod augetur, *l. 9. §. 6. ff. de public. & vectig.* id autem minimè licet civitatibus, ſiquidem privatorum loco habeantur, *l. 16. ff. de verb. ſignif.* & tenderet in contemptum Principis, ſi ejus jura, ac præſertim quæ poteſtati ſunt reſervata, vellent uſurpare. Obtentâ igitur Principis licentiâ, poterunt civitates collectas indicere, quarum auxilio pontes, mœnia, domos publicas extruant, reparent, & neceſſitatibus publicis ſubveniant. *l. ult. Cod. de vectigalibus* atque ita etiam intelligenda *l. 10. Cod. eod. tit.* ubi vectigalia quæcumque civitates, ſibi ac ſuis curiis ad anguſtiarum

ſtiarum ſuarum ſolatia quæſierunt, firma manere
11 præcipiunt Impp. Arcadius & Honorius.* Interdum abſque permiſſu Principis, exiguam acciſiam (ut vocant) licet magiſtratibus civitatum imponere eſculentis & poculentis ob neceſſariam communemve cauſam, non tamen vi juriſdictionis, ſed conventionis inter ſe initæ. Nam ſi alia ex cauſa quàm neceſſaria, collecta imponatur, ſive acciſia nullius momenti eſſe dicetur, ob defectum cauſæ *l. 12.* ibi *nec plus poſcatur quàm neceſſitas imperat, C. de oper. publ.*

12 * Sic apud Hiſpanos extat lex permittens curiis civitatum moderatam collectam ponere, quæ non excedat tria millia maravedinorum (qui efficiunt 88. drachmas argenteas Romanas) Garzia *de expenſis cap. 19. n. 64.* & Bobadilla *l. 5. polit. cap. 3. n. 13.* graviorem autem collectam etiam ad cauſas neceſſarias abſque licentia Regis cogere civitates non poſſe teſtatur Boërius *quæſt. 60.* & Flores de Mena *pract. qq. quæſt. 21. num. 25.*

13 Quare ſi conſuetudo ſit, ut nulla ex cauſa civitas collectas inconſulto Principe, imponere queat, ea ſervanda erit, odioſa enim hujuſmodi novitas: ſi tamen privilegium habeat civitas indicendi collectas, cavere debet ne eo abutatur, aliàs magiſtratus erit privilegij iſtius vim ſuſpendere, quouſque dolum, & abuſus ſuſpicionem univerſitas purgaverit.

14 * Quod ſi civitas ære alieno gravata, aut urgente communi utilitate privilegio ſuo collectas imponendi, non utatur, ad id cogi poterit officio judicis per ſuperiorem, *l. 1. §. 2. ff. quod cujuſque univerſ. nomine.* Quod ſi recuſet, adminiſtrator civitatis poterit jubere municipibus ut ejus rei gratia conveniant unà, ut collectam neceſſariam imponant, & exigant, quod ſi nec imponant, magiſtratus ipſe poterit imponere. Bart. *in l. 4. §. actor. ff. de re jud.* facit *l. 2. & 3. Cod. de muner. patrimon.* Gratian. *deciſ. 217.*
15 *num. 2.* * Aliàs non ſolet magiſtratus collectas imponere, niſi conſenſerit tota communitas, atque ſuper quantitate oneris, habita ſit conventio, & aſſenſus, quem etiam minor pars poterit inaudita impedire, nam ut reſpondit Purpuratus *conſ. 438. num. 84.* in voluntario actu, non conſentientes, neutiquam obligari, etſi major pars conſenſerit, & vel unam fabam nigram actum totum impedire *per l. 4. ff. de decret. ab ord. fac.* Actus voluntarius eſt privatus, & qui citra ullam neceſſitatem fit, fiſci ditandi, vel honorarij faciendi gratia, unde *in d. l. 4.* ambitioſum dicitur decretum, quod interponitur ad donandum alicui.

16 Quid ergo ſi actus non ſit voluntarius, ſed omninò neceſſarius & utilis ipſi communitati, qualis eſt ad diſſolvendum æs alienum, muniendam civitatem, cenſum Principi ſolvendum? Sufficiet à majore & ſeniore parte collectam imponi, ut minor quoque ad contribuendum obligetur, *c. ult. de iis quæ fiunt, à maj. part. cap.* ibi Innoc. & Panor. expenditur enim hic cauſa publica, quæ omnes cives concernit, licet ſecundariò contributio in res & bona ſingulorum dirigatur. Videndus hic Modeſtinus Piſtor *conſ. 21. n. 88. lib. 1.* ubi concludit quod actus contributionis, cives non ut ſingulos, ſed uti univerſos concernat, & per conſequens id quod à majori parte concluditur, ab omnibus approbatum cenſeri debeat. Ut non obſtet commune illud axioma, ab omnibus eſſe approbandum quod omnes tangit, quia referri debet ad intellectum juris; cùm quilibet actus, quælibet diſpoſitio, à jure communi interpretationem accipiat: non ergo procedit in actu univerſitatis in quo majoris partis conſenſus præponderat, & obligat minorem partem. Præter conſenſum communitatis conſultum erit, etiam moderatæ impoſitionis confirmationem à Principe obtinere, ut ad plures annos collecta prorogetur. Peckius *de jure ſiſt. cap. 5. n. 17.*

17 Hinc hodiè ſolent civitates & oppida, quæ gravem aliquam litem ſuſtinent, petere à Senatu Regio licentiam, ut inter cives fiat contributio, eamque annuit Senatus interpoſito decreto, ut fiat inter volentes, abſque aliqua coactione. Bobadilla *d. loc. n. 14. & ſeqq.* quem refert Amaya *ad l. 3. num. 13. ſup. de annon. & tribut.* Item inter cives quorum intereſt, Quid igitur ſi nihil interſit, ut puta ſi contributio imponatur propter litem quâ communitas contendit jus non eſſe domino vectigal prædiis impoſitum habere, & plures ſint ex civibus, qui nullum habent prædium? Cenſuit Senatus Pariſienſis omnes nihilominus teneri contribuere, quia etſi hodiè prædia non habent, poſſunt tamen aliquando habere. Coſtal. *ad l. 1. ff. quod cujuſque univerſ. nom.* Æquius tamen arbitror ad collectam eos cives teneri, quos lis mota concernit, nec poſſe ad ejus præſtationem cogi pro negotio communitatis alios, quàm qui in ipſo negotio ſunt comprehenſi, eique adhæſerunt, & conſenſerunt, prout in praxi ſe obſervaſſe docet Petr. Gregor. Tholoſanus *lib. 3. Syntag. jur. cap. 7. n. 10.* neque enim ambitioſa magiſtratus municipalis decreta, onerare debent cives non conſentientes, *l. 4. ff. de decret. ab ord. fact.*

18 At verò ubi Magiſtratus collectam imponit pro quaſi delicto, in municipio commiſſo, velut pro æſtimatione damni dati in ejus territorio, certè ſi is qui damnum paſſus, ex eadem ſit communitate, etiam contribuet ad ſolutionem collectæ pro rata: & idem generaliter dicendum eſt, in quovis creditore Reipublicæ. Loſæus *de jur. univerſ. p. 3. cap. 9. num. 21. & p. 4. c. 1. in fin.* Coſta *de rata rata q. 80. p. 2. per l. 104. §. 3. ff. de legat. 1.*

19 At hoc caſu quo negotium concernit omnes, priuſquam indictio fiat, & exigatur, oportet marſupium ipſius univerſitatis excutere, ac ex communibus bonis debita exſolvere, & pro reſiduo per æs & libram, & non per capita collectam imponere,

Digitized by Google

re, & exigere, & quidem uniformiter quolibet anno ab omnibus ſubditis qui prædia poſſident. Natta *conſ.* 150. *tom.* 1. *& conſ.* 418.

20 Quoniam ſupradictum eſt, hoc indictionis jus reſervatum eſſe perſonæ Principis, in ſignum ſupremi dominij, nec inferioribus dominis id licere uſurpare, dubitatur tamen an non aliquo caſu ſuis vaſallis collectas indicere poſſint? Doctores vulgò quatuor referunt. 1. Si domini novum equitatum ad propulſandos hoſtes capiant, aut expeditionem ipſimet ſuſcipiant. 2. Si ultra marina loca petant. 3. Si ab hoſtibus capti; ſint redimendi. 4. Si filias matrimonio collocent: alios caſus adducit Roſenthalius de feudis, *c.* 5. *concl.* 76. *litter. A.* Ant. Faber *in ſuo Cod. tit. de jure emphyt. def.* 6. quos tamen omnes non exiſtimo uſu receptos, & etiamſi recepti eſſent in Germania, Mynſing. *cent.* 5. *obſ.* 21. & Gallia, Charond. *lib.* 10. *reſponſ.* 28. iſte tamen uſus non debet extendi contra juris rationem ad alia loca vicina. Quare domini iſti, qui privilegio aut conſuetudine nituntur ſibique collectas deberi à vaſallis ſuis allegant, conſuetudinem iſtam non in genere, ſed in ſpecie, & in caſu probare debent, cùm ſit juri communi derogans; Si tamen in tantam neceſſitatem domini redacti ſint, ut præ inopia & egeſtate, ſeipſos juvare, redimere, aut filias collocare nequeant, æquum erit ut ſubditi, exemplo parentum & liberorum dominis ſubveniant, *l.* 1. *C. de alend. liber.* ibi DD. quos citat Vaſquez *lib.* 1. *contr. c.* 7. ubi tamen filiæ ſemel publicâ collatione dotatæ ſunt, ſecundas contrahentes nuptias, non ampliùs collectis dotari debent.

21 Quamobrem ſi ſæpiùs recurrat iſtiuſmodi collectæ petitio, ad impediendam conſuetudinem, ſubjecti declarabunt ſe id precariò facere, ejuſque rei teſtimonium à domino ſub ejus ſigillo petent, ſi verò id denegetur, proteſtationem ſolutioni adjungere non erit inutile; licet domini eam non tanti faciant, nec deſinant ſubditos interpellare, & collectas exigere; quæ tamen ſi nimis graves & imperioſæ ſint, permiſſum illis, ad ſupremum Principem ejuſve tribunal provocare, & ibi proteſtari de nimia coactione. Menoch. *lib.* 2. *arbitr. jud. c.* 160. *n.* 11.

22 Redeo ad legem noſtram, quæ habet, omnes omninò quocumque titulo poſſidentes, teneri urgerique poſſe ad ſolutionem canonis ſeu impoſitionis; intelligit incolas non etiam advenas, vel forenſes, hi enim cùm non ſint incolæ, nec ſubſint domino loci ubi degunt, prout nec clerici, qui ſunt à juriſdictione ſeculari exempti, non videntur ad collectæ præſtationem poſſe urgeri. *l.* 5. *ibi DD. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* niſi neceſſitas exigendi hanc collectam, concernat commodum & defenſionem ipſarum rerum, quas in territorio iſto illi poſſident; aut Princeps vel Reſpublica in longiſſima fuerit poſſeſſione, collectas indicendi forenſibus, & clericis, hujuſmodi enim præſcriptionem vel conſuetudinem inveteratam valere & vim conſtituti habere certum eſt, *l.* 3. §. 4. *ff. de aqua quot.* Gail. *lib.* 2. *obſ.* 52. Mynſing. *cent.* 5. *obſ.* 22. *n.* 6. Ut non obſtet quod conſuetudo non liget forenſes, aut clericos, quia id non procedit quando occurrit publica utilitas exigendi collectas, ob bellum imminens, aut quando conſuetudo vel ſtatutum afficit ipſas res, quarum reſpectu obnoxij manent domino territorij forenſes; prout & alij ibidem bona poſſidentes. Mayner. *ad Reg. aliud* §. *refertur, n.* 54. Gutierrez *practic. qq. lib.* 1. *cap.* 3. Caſtillo *de tertiis c.* 36. *num.* 56. *& ſeqq.*

Planè ſi ſtatuto caveatur, ut prædia ſubjecta juriſdictioni ſtatuentis, ſint tributaria, oneribuſque tam præſentibus, quàm futuris obnoxia, clericorum bona æquè cenſebuntur gravata, quocumque titulo bona iſta ad illos decurrant: eritque hoc ſtatutum bonâ fide, & ob neceſſitatem publicam conditum, pro lege ſervandum. Gail. *lib.* 2. *obſ. c.* 32. *n.* 9. Poteſt enim Reſp. cavere ne res tributariæ, ex privilegio perſonarum immunes fiant. Bobadil. *lib.* 2. *polit. c.* 18. *num.* 204. 23

Verùm de perſonis habentibus immunitatis privilegium, erit infra ſuis titulis differendi occaſio. Quamvis, ut dixi, lex noſtra omne videatur privilegium excludere, & velit omnes omninò quocumque titulo poſſidentes, teneri ad munera tam realia, quàm mixta: Adeò ut nec mercatores qui à fiſco emunt, & in ejus locum ſuccedunt, immunitatem ſolvendi publici vectigalis uſurpare poſſint. *l.* 9. §. *fin. ff. de publ.* Sic & partiarij coloni, pro parte fructuum, quam pro induſtria & cultura accipiunt, & emphyteutæ, non ſunt immunes à collectis, ſed tenentur eas ſolvere pro emolumento percepto, tantùm deductâ penſione, & aliis impenſis quantum domino ſolvunt, nam partiarij iſti coloni quaſi jure ſocietatis fructuum partem percipiunt, *l.* 25. §. 6. *in fin. ff. locati.* Quin & Valaſcus, *de jure emphyt. q.* 17. *& Conſult.* 131. *tom.* 2. *n.* 15. generale eſſe dicit quemvis emphyteutam, teneri ad tributa merè realia, quæ rebus imponuntur, itemque ad impoſita perſonis pro rebus, quemadmodùm ſunt collectæ. Facit in hanc rem *l.* 1. *h. t.* quæ hanc neceſſitatem contribuendi imponit habenti jus emphyteuticum, qui ſi recuſet ſolvere, poteſt à domino compelli ſecundùm ea quæ diximus, *ſup. tit. in fin.* Menoch. *lib.* 2. *arbitr. cap.* 180. *& caſ.* 562. *n.* 23. Garzia *de expenſ. cap.* 12. *n.* 69. 24

Qui auctores indiſtinctè cum Valaſco ſentiunt colonum & emphyteutam Eccleſiæ, ab onere collectæ non liberari, cùm fundum emphyteuticum poſſideant, & fructus indè percipiant, *l.* 7. *&* 8. *C. de feud. patrim.* ſintque ipſi laici, & utile dominium quod habent merè profanum, atq; ideò ſubjectum 25

Digitized by Google

legibus Principum ſecularium. Diſſentit Fachin. *lib. 1. contr. c. 91.* Hinc etiam eſt quod cum Eccleſiæ emphyteuta non fruatur juribus & privilegiis quibus gaudet Eccleſia, ad præſcriptionem iſtius utilis dominij ſufficiat tempus commune, quod adverſus alios privatos, cùm tamen adverſus quamlibet Eccleſiam, Romanâ exceptâ, requiratur ſpatium
26 40. annorum *c. de quarta de præſcript.* * Adeò namque vaſallus & emphyteuta obnoxij manent, ut licet refutaverint feudum, vel emphyteuſim, non tamen liberentur præſtatione ſervitij vel canonis invito domino; quoniam ipſi non tàm ſunt ratione rei obligati, quàm ratione actionis perſonalis ex contractu.

27 Quò pertinet quod dicit Bartolus, *in l. incolæ in princ. ff. ad municipal.* ſubditum ab hoc onere non liberari, etiamſi renuntiare velit prædiis pro quibus onus ſubire tenetur; addit quoque quod ad collectas evitandas, & onera quæ perſonis injunguntur pro rebus, non poſſit quis res allibratas vendere, niſi illas vendat alteri idoneo ad ſolvendum collectas, & eum curet deſcribi & referri in æſtimum. Quam rem ſimiliter confirmat Bald. *in l. cum fructuarius in fin. ff. de uſufr.* ubi notabiliter inquit: Quod ſi ruſtico impoſita fuerit collecta, ratione alicujus domunculæ, & adeò multiplicatæ ſint collectæ, ut excedant valorem iſtius domus, non tamen liberabitur à collectis, quamvis illi domunculæ renuntiaverit, quia hoc onus non eſt merè reale, ſed annexum perſonæ propter rem: unde licet res deficiat propter renuntiationem, non tamen deficit perſona, quæ ex ſe principaliter remanet obligata, ratione ſubjectionis. Alexand. *conſ.* 101. Fachin. *lib. 1. controv. c. 91.*

28 Hinc collectam ſemel inhærentem rei, tranſire ad quemcumq; poſſeſſorem reſpondit Valenzuela, & Valaſquez *conſ. 94. n. 97.* & facit textus *in l. 1. ſup. de annonis.* ibi *annonas ſolvere debet, qui poſſeſſiones tenet, & fructus percipit.* Undè cum collectæ prædiis imponantur ratione perceptionis fructuum, ad illarum ſolutionem tenebitur uſufructuarius, non proprietarius, *l. 28. ff. de uſufr. l. g. l. 27. §. 3. & l. 52. ff. de uſufr.* Niſi oneris impoſitio perceptioni fructuum æquivaleret, quia tunc æquum eſt teneri ipſum proprietarium. Roman. *ſing. 156.*

29 Contra verò colonus, cùm non tam dicatur fructus percipere, quàm ipſe dominus, non cogetur collectas ſolvere, niſi aliter conventum ſit. *l. 4. C. de agricol. & cenſ.* aut ad longum tempus fundum conduxerit. Natt. *conſ. 36.* At regulariter locator ipſe, qui poſſeſſionem retinet ejuſque commoda percipit, collectas ſolvere debet pro fundo quem elocavit, *l. 32. §. 6. ff. de admin. tut.* niſi id fecit ſub penſione percipienda in pecunia, ita ut omnes fructus remaneant penes colonum; in quem tunc dominium fructuum tranſit, ut mox dicam de conducto-
re fundi. Et facit *l. 9. §. 1. ff. de donat.* * & quæ 30
notat Larrea conductorem fiſci, qui plantavit arbores in fundo conducto, effici illarum dominum & poſſe transferre, niſi dominus fundi proteſtetur, quâ in re maximè attendenda eſt conſuetudo loci. Undè conſequitur quod quamvis ita de jure receptum ſit, ut qui propriam habent poſſeſſionem & ex ea lucrum percipiunt, ad onera teneantur, *Novell.* 128. ſi tamen in civitate aliquis mos invaluerit, ut agnoſcant tributa coloni, & conductores; ſervandus erit, juxta *l. 20. §. 3. C. de agric. & cenſ.* Apud nos ſolent coloni onera incidentia, & temporaria prærogare, quæ poſtea in ſolutionem penſionis imputant, ne domini abſentes & ignorantes, in damnum ob moram ſolutionis incidant, *l. 1. §. quicumque ff. de via public.* facit quoque in eam rem *textus in l. 32. §. Lucius Titius ff. de adm. & peric. tutor.* Garzia *de expenſis cap. 14. n. 19.*

Porrò qui ad longum tempus certo pretio, ex lo- 31
cato ſibi fundo fructus percipiunt, cùm magis intelligantur eſſe emptores, quàm conductores, ita ut poſſint novum opus nuntiare, arbores fructiferas incidere & transferre, atque ad eos pleno jure dominium fructuum tranſeat, *l. 1. §. 1. ff. ſi ager. vectig. vel emphyt. pet. l. 61. §. 8. ff. de furt.* vectigal ex fructibus venditis præſtare tenentur, *per l. 32. §. 6. ff. de admin. & peric. tutor.* Caſpar Clock. *de contribut. cap. 11. n. 188.* & Bocerus *tract. de collect. cap. 10.*
num. 35. * Qui ſolum eximunt ſimplicem condu- 32
ctorem ab iſto onere vectigalis, niſi pacto ad quæcumque onera ſe obligaverit; Etenim ubi locatur fundus cum fructibus jam ſatis vel natis, tunc pretium quod datur, & paſtus dominium quod transfertur, efficiunt ut magis ſit venditio, licet contractus fuerit locationis nomine initus. Gironda *de gabellis 8. p. n. 24.* Nam locatio non ſolet dominium mutare. *l. 39. ff. locati.* eoque manet reſpectu fundi, cùm illius non transferatur dominium ad conductorem, ſed ad locatorem redeat, tamen in fructibus venditio conſideratur, cum illorum dominium tranſeat ad conductorem fundi. *d. §. 8.* Qui proindè tenetur onus ſeu gabellam præſtare, quam præſtant reliqui fructuum emptores, prout etiam expreſſe deciſum eſt Ordinatione regia Hiſpaniæ *anno* 1575. de qua Gutierrez & Larrea *alleg.* 111. *num.* 20.

Eſtque hæc generalis conſuetudo, quæ ſanè in in- 33
dicendis & exigendis tributis ubi legitimè recepta eſt, non ſolùm vim & poteſtatem legis habet, *l. 32. §. 1. ff. de legib.* Verùm ipſa etiam lege quodammodo major eſt ac potentior, & legem non rarò vincit. Graveta *conſ. 705. n. 5. & conſ. 111. n. 10.* Ant. Peregrin. *conſ. 102. n. 11. vol. 1.* Valaſcus *d. loco c. 17. n. 29.* Gail. *lib. 2. obſ. 52. n. 18.* Coſtalius *ad l. 7. §. quoniam igitur ff. de uſufruct.*

Uſufructuario ſimilis eſt maritus qui onus colle- 34
ctarum

ctarum agnoſcere cogitur, conſtante matrimonio, non uxor, de rebus dotalibus, neque matrimonio ſoluto, quod ſolvit, poteſt repetere ab hæredibus uxoris; onus enim fructuum hæc impendia ſunt, quæ dotem non minuunt, *l.13.ff. de impenſis in rem dot.fact.* De paraphernalibus & receptitiis, ipſa uxor collectam ſolvit, in loco domicilij mariti *l.fin. §.3.ff.ad municip.* quod etiam vidua ſequitur, niſi ad ſecundas nuptias tranſeat, *l.22.§.1.ff.eod.tit.*

35 Notandum hîc quod Severus & Antoninus Impp. reſcripſerunt, in tributis & indictionibus ipſa prædia, non perſonas conveniri, & ideò poſſeſſores etiam præteriti temporis tributa ſolvere debere, *l.7.ff.de public an.& vect.* ac ita ſæpiùs judicatum fuiſſe refert Deſpeiſſes *tract. des tailles art.11.ſec.1.n.23.& ſeqq.* Hinc non auditur legatarius contradicens ob tributa præteriti temporis, nam cùm prædij poſſeſſor ſit, fruſtrà ſolvendi onus rejicit in hæredem, qui ſolvendo eſt, *l.5.in fin.ff.de cenſib.* cui non obſtat *l.39.§.5.ff.de leg.1.* ubi hæres cogitur legati prædij ſolvere vectigal præteritum, quia accipiendus eſt *iſte* §. de hærede qui adhuc erat poſſeſſor prædij, aut de eo qui nondum fuerat conventus à fiſco, ſed à legatario, qui quod vectigalis nomine impendit, id ab hærede defuncti jure repetit. Garzia *de expenſ.& meliorat.cap.11.num.51.& c.17.n.4.* ubi addit Bartolum probare hanc reſolutionem ſi modò legatarius, aliquam utilitatem percipiat ex legato, ſoluto vectigali, nam ſi ſolutio hujus oneris inutile faciat legatum, ad hæredem ſpectabit, niſi ſciverit legatarius adjunctum onus, aut prædia tributaria fuiſſe, quia cogetur onus ſolvere, licet illud minuat utilitatem legati ſibi relicti, *l.45.§.1.l.69.§.3.l.105.ff.de legat.1.* Tenenda igitur regula, poſſeſſores prædiorum teneri ad onera impoſita, ſive ipſi debitores ſint, ſive non, quia ſemper eſt verum, quod ſi non debeant, prædium tamen debet, & obnoxium manet. Attamen ſi tempore acquiſitæ poſſeſſionis ignorarit præterita onera, regreſſum habent iis ſolutis, adverſus ſuum auctorem, *d.l.7.& l.9.Cod. de act.empti.* Videatur Deſpeiſſes *d. loco.*

36 Sed videmus quo in loco indicendæ ſint collectæ? Jure communi indicendæ ſunt in loco originis, vel domicilij, quandoquidem illæ principaliter imponantur perſonis contemplatione rerum, quæ ubicumque ſitæ, perſonam ſequuntur, perſona autem vel convenitur, vel oneratur in loco originis, quæ & paterna ſufficit, *l.6.§.1.ff. ad municip.* vel in loco domicilij novi, non veteris, niſi ea mutatio in fraudem facta proponatur, *l.34.l.fin.§.4.ff. ad municip.* Gail. *lib.2.obſerv.cap.35.* Quid ſi duplex domicilium habeat? Utrobique collectam ſolvere tanquàm incola debet, ſi in utroque loco æquè inſtructus ſit, & utrumque domicilium æquali jure habeat; alioqui in eo ſolo collectam ſolvere tenetur in quo frequentius degit, *l.37.§.1.ff.d.t.*

37 Dubitatur quo in loco ſolvenda ſit collecta pecuniæ fœnebris, & quæ ſub annuo reditu conſtituta eſt? Reſcriptum eſt ex lucro hujuſmodi pecuniæ collectam deberi ab eo qui fœnus exercet, etſi poſſeſſionem non habeat, *l.22.§.ult.ff. ad municip.l.18.§.22.ff.de muner.& honor.* ubi tamen domicilium habet, exiſtimo eum collectam agnoſcere debere, non item in loco ubi ejus debitores reſident, atque ita ſæpiùs judicatum fuiſſe refert Ant. Deſpeiſſes *in ſuo tract. des tailles art. 9. num. 5.* & rectè: nam cùm lucrum ſive intereſſe pecuniæ ad ipſum creditorem ſpectet, impoſitaque ſit collecta ratione hujus lucri, meritò ea perſolvi debet in domicilio creditoris, non debitoris, qui certat de damno vitando. Idem de reditibus perſonalibus dicendum, ſecus de reditibus rebus impoſitis, hi enim hypothecas & fundos quibus onus collectæ inhæret, reſpiciunt; & ideò facienda erit illius exactio, ubi fundi ſiti ſunt, quod ſi confuſio ſit fundorum, & in quibus creditor reditus conſtitutos habeat, incertum ſit, poterit ſaltem cogi ad ſolutionem collectæ pro intereſſe in loco ubi reſidet.

38 Hinc fit ut non tantum pro his quæ quis poſſidet in loco domicilij, ſed etiam pro bonis in alieno territorio ſitis, collectam ſuſtineat, ſi indicta ſit à ſuperiore, qui utrobique habet juriſdictionem, atque ita in Hiſpania deciſum eſſe docent Azevedo & Avend. *per l.5.t.9 lib.7 recopil.* In Germania Gail. *lib. 2.obſerv.53.num.10.* ubi tamen hanc opinionem limitat, niſi jam in loco domicilij collectam ſolverit, quia iniquum eſſet, ut quis duplici onere gravaretur contra bonam fidem, quæ non patitur unius rei nomine, ut ſæpiùs quid exigatur, *l.4.§.2.ff.de l. Rhodia & l.34.§.5.ff. de leg.2.* ibi, *duplici præſtatione, & l.57.ff. de reg.jur.* quæ ſententia fuit Petri de Antiboli.

39 Quid ſi bona jam dimiſerit, vel vendiderit? Illa tranſeunt cum ſuo onere in emptorem, *l.25.ff. de ædilitio edicto.* Pinell. *in l.2.p.2.c.3.n.40. C. de reſcind. vend.* & venditor liberatur ab onere indictionis cùm illius obligatio ſit propter bona; quod intellige ſi æquè idoneus ſit ipſe emptor & in ejus æſtimum bona ſint redacta, ſolemniterque deſcripta; aliàs non liberabitur venditor, ſed in ejus æſtimo manebunt, quouſque ſe emptor obligaverit, fiſco cautum fore in tempus futurum. Interea collectas quas venditor pro poſſeſſore ſolvit, poterit ab eo repetere, utili negotiorum geſtorum actione Bald. *in l.ſi negotium C.de neg.geſt.& Auth. ſed periculũ, C. ſine cenſu vel reliq.* ubi dicit quod res poſitæ in æſtimo, ſeu cataſtro non poſſint prætextu alicujus alienationis de æſtimo elevari, niſi ponantur ad æſtimum alicujus idonei, & qui ad ſolvendum cogi poſſit. * Pro 40
decurſis verò debitis, eo tempore quo debitor bona poſſidebat, dubium non eſt, quin maneat obligatus, & poſſit ab executore collectarum con-

veniri, non obſtante pacto, nam illud efficere nequit, ut fiſci conditio deterior fiat. Gutierrez *de gabell. q. 51. num. 5.* Adeò enim cauſa fiſci, in tuto eſſe debet, ut etiamſi quis promittat ſe aliquem ſervaturum indemnem à collectis, non valeat conventio ratione fiſci. Licet inter contrahentes ſubſiſtat, cogaturque promiſſor indemnitatis alterum ab onere ſolvendi relevare ex vi conventionis. Craveta *conſ. 294.*

41 Ex dictis infertur in ſolutione collectarum, inſpiciendum eſſe tempus contractæ obligationis, non collectæ impoſitæ & denuntiatæ. Ideò is qui dimiſit vel vendidit bona, poſt obligationem contractam obnoxius manet, teneturque collectam impoſitam ſolvere vi dictæ obligationis, non item emptor, qui tempore denuntiationis & actionis collectæ, poſſidebat, juxta doctrinam Nattæ *conſ. 71. tom. 1.*

42 Poſtremò cum hujuſmodi indictiones fiant, ſecundum vires cujuſque patrimonij, habito potiùs reſpectu ad fructus, quàm ad valorem rei, ratio poſtulat ut tempus impoſitionis, non ſolutionis vel exactionis inſpiciatur. Bald. *conſ. 397. l. 3.* Surdus *conſ. 146. n. 10. & ſeq.* Quapropter ſicut diminutis, aut amiſſis tempeſtate, vel incurſu hoſtium bonis, collectarum exactionem diminui aut remitti pro rata juſtum eſt, ita meliorato & aucto fundo & patrimonio, collectas augeri conveniens erit, *l. 2. C. de annon.* ſic *in l. 2. C. de alluvionibus*, illi quos inundatio. Nili fluminis addidit ditiores, pro terris quas poſſident, tributorum præſtationem agnoſcere jubentur, niſi tamen diligentia & ſumptibus poſſeſſoris terræ iſtæ ſint redditæ meliores & auctæ, *l. 16. Cod. de omni agro deſerto. l. 2. Cod. de feud. rei. priv.* ubi
43 latius ea de re. * Ideò propter varios caſus, migrationes, mortes, opum augmenta & decrementa, cenſitionem quotannis fieri tutius cenſent politici, quos ſequitur noſter Lipſius.

TITULUS XVIII.

De Superindicto.

1. *Superindicti nomen ſublatum, manſit tamen ejus effectus exigendi collationem extraordinariam à ſubditis.*
2. *Non tamen niſi urgente cauſa publica, & deficientibus ordinariis tributis, & reditibus principatus.*
3. *Deficientibus reditibus, poteſt Princeps bona ſua & jura, non in totum alienare, ſed dare in feudum, item privilegia & immunitates concedere, & nobiles efficere data certa pecunia.*
4. *Non oportet nimium gravare ſubditos, ſed potius ſuſpendere largitiones aliis factas, ut ſubveniatur neceſſitati publicæ.*
5. *Imminente neceſſitate, ſi non poſſit expectari collecta, an poſſit Princeps divites, & urbes compellere ad mutuandas pecunias?*
6. *Populos alienos aut vicinos gravare non poteſt Princeps propter ſuam neceſſitatem?*
7. *Ceſſante cauſa ob quam collecta indicta, ceſſare & illa debet.*
8. *Princeps, & qui eum inducunt ad novam collectam, ſine cauſa, peccant, & damnum coguntur reſarcire.*
9. *Ad ſolas præfecti litteras non eſt ſolvendum ſuperindictum, ſed requiritur approbatio Principis.*
10. *Pœna in exigentes nova pedagia.*
11. *Quæ forma petendi collectas.*
12. *Solet intervenire conſenſus ordinum, qui interdum conditionalis, ut omnes etiam exempti graventur. An eo ligentur clerici.*
13. *Præſumitur Princeps juſta cauſa motus ad indicendas novas collectas, ut non debeant ſubditi cauſam inquirere, ſed parere.*
14. *Facilior exactio erit ſi collecta imponatur ſuper mercibus, fructibus, & opificiis ſubditorum: quam ſuper vino, cerviſia, & pecunia.*
15. *Turpis erat indictio ſuper rebus ad victum neceſſarijs.*
16. *Item ſuper umbra, aëre, fumo, lotio, ſtercore, quæſtu meretricum.*
17. *Super prædiis & rebus quæ delitiarum & pompæ cauſa comparantur, probatur indictio, ſuper victualibus non niſi urgente cauſa publica.*
18. *Vectigal chartæ ſigillatæ impoſitum, æquum cenſetur, & retinendum ob utilitatem publicam.*
19. *Superſedendum à novis indictionibus, ut bene ſubditis conſulatur.*
20. *Non ſunt tamen ſubditis omnia tributa remittenda, ſed ſuſpendenda eorum exactio.*
21. *Quinam ſint Principes moderati tributorum exactores.*

S*Uperindictum* eſt indictionis augmentum, cum 1
videlicet indictio facta non ſufficit ad neceſſitatem rei gerendæ. Sublatum deinde hoc nomen, eo quod ſpeciem quandam tyrannidis referret, & ideo voluerunt Impp. ſuperindicti nomen indictionem & canonem quoque vocari, *in l. 1. tit. ſup.* ne Principi pro effrænata ſua libidine & voluntate liceret ſubditos novis collectis gravare, aut antiquas au-
gere. * Etſi enim Princeps abſoluta poteſtate præ- 2
ditus ſit, temperanda tamen illa eſt civili ratione, ut non niſi urgente neceſſitate publica, ad extraordinariam collationem deveniat, cum ejus ordinaria tributa & reditus principatus non ſufficiunt; ideo ante Princeps vires ſui patrimonij & conſueta tributa excutere, alioſque reditus expendere debet, quam deveniat ad extraordinaria iſta ſubſidia, quæ odioſa ſunt, & nihil aliud in Republica pariunt quam ſeditiones. Tacit. *l. 4. ann.* quas ut averterent, maluerunt nonnulli Cæſares ſua bona vendere.

Sic

Digitized by Google

Sic Nerva & Tacitus Imperatores cum urgeret neceſſitas pecuniarum, bona patrimonialia, vel ea quæ delitiis propriis inſerviebant, potius malebant vendere, quam populum gravare, teſte Dione in Nerva & Vopiſco in Tacito. Sic Conſtantinus Imp. gloriatur ſe bona ſua patrimonialia, neceſſitatibus publicis frequentiſſime impendiſſe, *in l. 2.*
3 *infr. de privil. dom. Auguſta.* * Ad quid ſi iſta bona non ſufficiant? Sunt qui exiſtimant Principem debere potius quam novas exactiones imperet, bona & jura principatus ſui vendere, ex quibus magnum facturus ſit quæſtum. Quæ opinio in Reipublicæ perniciem tenderet, Bodin. *de Repub. lib. 6. c. 2.* quare nullo modo iſta bona alienanda ſunt, ſed tutius eſſet, ſi jura & prædia potius interventu paratæ pecuniæ in feudum (ſuperioritate retenta) darentur, quam ſi prorſus alienarentur. Bornitius *de ærario l. 2. c. 7.* Atque id non aliis quam ſubditis, ne ſimul juriſdictioni & imperio Principis bona illa ſubtrahantur, nam ſic Princeps & jus retinebit & ſpem aliquando feuda ad ſe reverſura. Similiter vendi poſſunt ſubditis vel corporibus privilegia & immunitates, ut liberentur pretio dato, iis oneribus quæ illis gravia, Principibus multum conferre ſolent, nec concivium onera augent. Præterea non videtur improbandus ille modus augendi ærarium, ſi multi alliciantur ſpe obtinendarum dignitatum, ad voluntariam contributionem. Tholoſanus *l. 3. de Repub. c. 6. n. 8.* dicit multos plebeios in Gallia ſummo pretio redimiſſe nobilitatem, hanc enim cum ambiant plerumque pecunioſi, non mediocrem ſegetem inde auream metere poterit Princeps, atque ita avertere ſuperindictionem, novamque collationem.

4 Eſt enim inviſa ſubditis nova collatio, non modo quia conferunt de ſuo, ſed quia metuunt, ne quotidie ſint graviora onera penſuri; ſi tamen novum onus publica cauſa urgeat, & Princeps nihil ſupereſſe ſubſidij affirmet, nec ex ſuis reditibus, nec ex modis augendi ærarium jam relatis, ſufficiens pecunia colligi poſſit, potius quam graventur ſubditi, ſatius meo judicio fuerit, penſiones & largitiones quæ à Principum liberalitate provenerunt, quæque ſæpe ærarium exhauriunt, ſuſpendere, aut omnino revocare; Item minuere ſalaria eorum quibus ſatis proviſum, ut ex iis neceſſitati præſenti ſubveniatur. Lucas de Penna *in l. ult. Cod. de fund. limitroph.* & citati à Larrea *alleg. fiſc. 54. n. 27.* Crudele enim eſt ab iis Rempublicam erodi, qui in eam nihil ſuo labore conferunt. Ita dicebat Antoninus Pius, qui ideo ſalaria inutilibus aulicis, & quibus proviſum plus ſatis auferebat. In neceſſitate enim ceſſare debet dignitatis prærogativa, & Principis liberalitas. Quod ſi per neceſſitatem, licet quod juris non eſt, & poſſit Princeps ſubditis eripere bona, quæ eorum ſunt jure gentium, multo magis ea ſuſpendere quæ ab ejus largitate proveniunt. Bobadilla *lib. 2. polit c. 18. n. 297. & ſeqq.* Amaya *ad l. 3. C. de annon. & tribut. n. 34. & ſeqq.*

At ſi nihil eorum quæ jam diximus, minui, aut 5 tolli poſſit, imò tanta urgeat neceſſitas, ut non queat expectari ſuperindictionis exactio, licitum erit Principi, per manus injectionem, urbes, oppida, & divites compellere, ad mutuas ſibi dandas pecunias, quas deinde reddet, ubi ſufficientes reditus ex principatu receperit, una cum moderato intereſſe. Ex mutuo enim coacto licite recipiuntur uſuræ moderatæ Gail. *lib. 2. obſerv. 5. n. 17.* Petr. Binsfeldius *cap. In civitate de uſuris quæſt. 8. concl. 4.* Si vero inſufficientes ſint reditus, aut tantum non recipiat, ſufficiet reddere integram pecuniam mutuam, ac rurſus intereſſe moderatum ex univerſorum civium collatione, detracta ea particula, quæ erat civis mutuantis, tanquam uni è populo, & ita in Hiſpaniarum regnis ſæpe obſervatum fuiſſe teſtatur Vaſquez *l. 1. illuſtr. contr. c. 6. n. 7. & 8.* cum bellis ſævientibus ab Hiſpalenſibus mercatoribus, & aliis civibus, ex Indorum regnis aurum & argentum exportatum mutuo acciperetur. Bobadilla *l. 5. polit. c. 5. n. 11.* Sic Romani in bello Punico ſecundo, pecuniam mutuam à civibus ſumere maluerunt, quam novum tributum extorquere, aut illius exactionem expectare. Livius *lib. 26.* Cæterum pecuniam à mercatoribus ſub gravi uſura accipere, ut nunc fit, non videtur expedire, quia provinciæ paulatim exhauriuntur. Quippe ut uſuræ ſolutio fiat, dominia & reditus regij oppignorantur. Unde novis indictionibus opus eſt, atque inde turbæ & tumultus.

Cum igitur ut dictum eſt, non poſſit Princeps 6 gravare ſuos ſubditos, parcendo ſuo ærario, ſed illud prius excutere debeat, multo minus ei licebit gravare alienos populos, & vicinos, qui ei non ſubſunt, ſed confœderati ſunt; ſatis eſſe debet ab illis juvari, & defendi adverſus ſuorum hoſtium incurſiones, liberum tranſitum concedi, annonam ſuppeditari, ſoluta mercede & pretio, ſine diminutione tamen ipſorum ſubſtantiæ, & concuſſione miſerorum ad rapinam uſque, prout in Germania, & Belgio noſtro experimur.

Quemadmodum urgente publica & communi 7 utilitate, cogi poſſunt cives ad mutuum, & ad ſuperindictionem pro viribus cujuſque patrimonij, ita ceſſante iſta neceſſitate, ratio poſtulat, ut ceſſet indictio, & remiſſio fiat, quia æquum non eſt ut Princeps cum privatorum incommodo, ſuum augeat commodum, & ob propriam cauſam, collectam augeat, vel continuet eam, quæ ob cauſam, quæ jam ceſſat, fuit impoſita, ut gravati ſubditi uſurpare cogantur illa Juſtiniani verba *in Novell. 43. cap. 1. Nec enim ſuſtinemus aliorum onus ad alios transferri, nec tam immitem proponere formulam, ut quotidie vectigalia augeantur.* Nihil enim moleſtius ſubditis, quam cum

Digitized by Google

Princeps eos indictionibus opprimit, & pecunias publicæ utilitati deſtinatas in ſuos uſus collocat, aut inhoneſte diſpergit, libentius & liberalius largiuntur, ubi pecunias bene collocatas vident.

8 Unde Theologorum & Canoniſtarum recepta eſt ſententia, Principem qui graviorem collectam imponit, quam ferant vires ſubditorum, teneri ad reſtitutionem iſtius exceſſus, niſi id quod amplius exegerit, in re alia æque juſta inſumat, & ob quam poſſet indicere tantundem tributi; itemque teneri ad compenſationem ejus quod ex indicta collecta inutiliter & in ſuperfluos uſus impendit. Covar. *ad c. peccatum p. 2.* §. 1. Molina *de juſt. & jur. diſp. 667. n. 5.* Ex quorum ſententia graviter in Rempublicam peccant, & damnum reſarcire tenentur Conſiliarij, qui ut Principi ſuo placeant, & ſibi aliquid inde accedat, auctores ſunt ut hujuſmodi gravamina imponantur, & malis artibus miſeram plebem ad conſentiendum inducunt. Eſt ſane cur tales ſanguiſugæ, & iniquitatis miniſtri potius vocentur, quam conſiliarij, qui iniquis conſiliis indictionum odium augent, & modos excogitant, quibus ſubditos bonis expilare queant. Imò proditores Principum tales Conſiliarios (Guevarra in vita Marci Aurelij) appellat, nam dum multas Principibus pecunias accumulant, animos ſubditorum ab eis alienant.

9 Sed quod ad textum noſtrum propius facit, eſt quod quamvis juſtum & moderatum quid petatur, non tamen teneantur ſubditi ſuperindicti nomine quidquam ſolvere ad petitionem & ſolas litteras Conſiliarij, aut Præfecti prætorio, niſi ſupremi Principis licentia inferatur, qua confirmetur indictio, & fieri poſſit exactio, *l. un. h. t.*

10 Itaque non eſt credendum petitionibus & litteris conſiliarij, aut alterius dicentis ſe hoc facere juſſu Principis, niſi de eo conſtet per litteras *d'aſiete*, ut dicunt Galli. Jure Cononico pœnam excommunicationis incurrunt omnes inconſulto Principe, nova pedagia exigentes, præter civilem deportationis, perpetuive exilij. *l. ult. ff. ad l. Jul. de vi publ. l. ult. §. penult. ff. de lege Julia ambitus l. pen. C. vectigal. novi inſtit.* Eſt etiamnum corporalis & confiſcationis bonorum pœna Conſtitutionibus Principum decreta. Briſſonius *l. 2. C. t. 3.*

11 * Solet quandoque bonus Princeps cauſam ob quam ſubſidia petit, litteris inſerere, vel eam viva voce declarare in comitiis in quibus deinde procuranda pecunia agitur, ac ubi datus eſt conſenſus de pecunia indicenda, vel ſub hypotheca levanda, inſinuari debet apud acta Præfecti prætorio, deinde forma mittitur præſidibus, quam obſervare debent, & curare, ut ſine provincialium oppreſſione, & tumultu indicta ſubſidia exigantur, *juxta Novell.* 128.

12 * Similem fere formam hodie obſervamus, de qua dictum *ſup. tit. 17. n. 7. & ſeq.* Nec imponi vectigalia aliáve onera publica, citra Ordinum conſenſum, qui plerumque hic in Belgio fit, hac conditione ne ullus eximatur quocumq; titulo privilegiatus fuerit, ne tenuiores cives totum onus ſuſtinere cogantur. His tamen involvendi non ſunt clerici, citra Sedis Apoſtolicæ conſenſum, cum Eccleſiaſtici Principi non ſubſint, nec conſenſus ordinum eos poſſit obſtringere, aut indirecte onerare, onerando reliquos privilegiatos. *Quia talia in derogationem libertatis Eccleſiaſtica præſumuntur, c. fin. de immun. Eccleſ. in 6.* Zypeus *l. 3. de juriſd. Eccl. c. 11. & 14.* Nam quamvis Ordines etiam ex Prælatis conſtent, & velint omnes ex æquo gravari, non propterea comprehendendi ſunt Clerici, quoniam illi non ut Eccleſiæ Antiſtites, ſed tanquam regij conſiliarij, comitiis interſunt, & in vectigalia conſentiunt: ſi tamen publica & urgens neceſſitas moram non patiatur, aut vectigalia à laicis accepta, non ſufficiant, tunc æquum fuerit, etiam clericos, & nobiles onus novum & ſubitum ſuſtinere, cum eorum cauſa æque agatur. *DD. in c. 7. ꝟ de immunit. Eccl.*

13 * Qua cum ſemper juſta Princeps, præſumatur moveri, non eſt quod ſubditi de ejus juſtitia ſolliciti ſint, aut dubitent, aut aliam cauſam latere exiſtiment, præter eam, quam Princeps apud Ordines declaravit, & litteris ſuis inſeruit, ſed ejus mandatis acquieſcere, & parere debent, *juxta text. in l. 5. ſup. de jure fiſci. Officialibus volentibus ea capere, debet acquieſcere, cum litteris noſtris cognoverit.* Quoniam Princeps non ſolet aliquid injuſtum, aut in oppreſſionem ſubditorum petere, vel decernere: ad quos proinde non pertinet judicium de juſtitia cauſæ, aut belli, ad quod ſubſidia petuntur: nam ut bene monet Tacitus *lib. 4. annal. Principibus ſummum rerum judicium Dij dederunt, ſubditis obſequij gloria relicta eſt.*

14 Suadet idem Tacitus moderatum eſſe debere ſubſidium, quod exigitur pro viribus ſcilicet ſubditorum, pro copia & inopia rerum. Moderatio ſervabitur, ſi indictio fiat ſuper mercibus, quæ in patria fiunt, quæque invehuntur & evehuntur: Et ſuper rebus non ita neceſſariis, ut ad elegantiam, delitias vel luxum ſpectantibus, quibus carere plerique poſſunt, & potiſſimum onerantur ditiores. Item ſuper fructibus terræ, quorum partem facilius ſubditi præſtare poterunt, quam in pecunia, ubi pecuniæ non eſt copia, & ſi quam puſillam habent, ſervant, comparandis rebus neceſſariis. Præterea alacrius ex fructibus, aut ex ſuis mechanicis operibus & artibus, Principi ſubvenire poterunt ſubditi pro viribus, & lucro cujuſque & proportione indictionis, quam ſi etiam imponatur vectigal frumentis, vino & cereviſiæ, prout fit in hiſce regionibus, quia grave nimis hoc onus, quo tantum luit is qui mille annuos aureos poſſidet, ac ille qui tantum unicum, & in diem vivit oneratus multa prole. Larrea *alleg. fiſci 59. num. 30.* Leſſius *de juſt.*

Digitized by Google

Juſt. & jure lib.2.c.33. dub.7. num.51. Zypæus *in not. jur. Belgici tit. de vectig.*

15 Unde apud Romanos inſolens & turpis exiſtimabatur ea indictio, quæ fiebat ſuper iis rebus, quæ ad victum & uſum proprium inferuntur. *l.4.§.1.ff. de publ. & vectig.* Et quibus magis indigent tenuiores. Ideo Suetonius inter inſolita vectigalia Caji Caligulæ refert, pro eduliis, quæ tota urbe vendebantur, certum vectigal exegiſſe; Octavarium dictum fuiſſe, quod ſuper vino, tritico, octavum pretij ſolveretur, indicat *l.8 ſup. de vectig. l.l.7. ſup. e lo-*
16 *cato.* * Verum non minori cum turpitudine conjuncta fuit indictio pro fumo, pro umbra ex arboribus, pro aëre, quem reſpirando trahimus. E fumo Nicephorus Imp. vectigal repertum, indixit omnibus parochiis Eccleſiarum, & earum domuum, ubi ſenes, pauperes & monachi alerentur. Licet neque agros haberent, neq; vectigal ſolvere ſolerent. Pro umbra platani moderatum vectigal fuiſſe impoſitum refert Plinius *l.12.c.1.* Ideoque exactum, quod ea arbor umbræ gratia tantum, ex alieno orbe peteretur. Sordidum & illud vectigal ex lenonibus, & quæſtu meretricum à Caligula exactum. Sueton. *in Calig. c.40.* Item vectigal urinæ à Veſpaſiano repertum, quamquam ei, aurei nummi quos inde collegerat, non male olere viderentur. At indignũ Principe, lucrum ex omni occaſione odorari. Sueton. *cap.23.* Non ſcio an idem fuerit vectigal cum eo, quod à Foricariis redimebatur, quodque exigebatur ab iis, qui de die veſicam exonerare vellent in amphoras, quæ per angiportus erant collocatæ. Macrob. *lib.34. Saturnal cap.17.* conſtat & ex foricis exonerandi ventris cauſa conſtitutis, vectigal fuiſſe exactum. Cujac. *lib.22. obſerv. cap.34.* Hinc foricarij viliſſimi, & ſtercorum conductores, qui ſi tardius pecuniam inferrent, uſuras fiſco dare tenebantur, ut dictum, *per l.17.§. fiſcus ff. de uſur.* Hujuſmodi foricarij Pariſiis, Bruxellis, & Hiſpalis viſuntur, qui platearum munditias plauſtris purgare ſolent, & ad foricas deferre, quarum conductores, non leve vectigal pendunt.

17 Ex omni itaque pene re Romani, & etiam majores noſtri vectigalia collegerunt: ſed prudentiores illi, qui ea impoſuere fundis, ut ſic tenuioris conditionis homines exonerarent, ac plus ſolverent illi, quorum pluris intereſt Rempublicam ſalvam eſſe. Ut autem illa conſtet, multi cenſent nulla imponenda iis rebus tributa, quæ ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſariæ; ſed iis potius quæ delitiarum, aut curioſitatis aut oſtentationis & pompæ cauſa comparantur: ſic enim fiet, ut correcto immodico luxu, major oneris pars à ditioribus & potentioribus feratur, & exonerentur agricolæ & opifices, quæ reipublicæ pars vel maxime fovenda & ſervanda eſt. Sic Romani magna imponebant tributa aromatibus, unionibus & gemmis pretioſis, quæ ex Arabia adportabantur. Alexander Severus ea depoſcebat ex officiis quæ ad laſciviam magis eſſent quam ad neceſſitatem. Inſtauratæ diſciplinæ pars eſt, delitiarum augere pretium.

Non inficior tamen quin rebus ad victum neceſſariis poſſit imponi tributum, ſi neceſſitas publica urgeat, & vectigalia, quæ aliunde colliguntur, non ſufficiant, tunc enim ex iis rebus exigi poſſunt, ſic tamen ut non ſint majora quam illa gravis neceſſitas poſtulat; quæ ubi obvenerit nullum erit diſcrimen rerum, aut perſonarum, ſed omnes tenebuntur publicæ neceſſitati ſubvenire, & ex quibuſcumque rebus ſolvere, ſi aliter communi bono provideri nequeat; ut nunc ceſſet quod dicit Paulus, *Earum rerum quarum vectigal numquam præſtitum eſt, præſtari non debet. l.9.§.6. ff. de publican.* Navar. *cap.17. n.201.* Leſſius *de juſtitia & jure lib.2. cap.33. dub.7. num.51.*

Quæri poſſet, an æquum ſit vectigal, quod nunc 18
in quibuſdam provinciis Belgicis chartæ ſigillatæ imponitur? Multis non videtur, quod omnes etiam privilegiati promiſcue huic oneri obnoxij ſint, & libertas eis adimatur, contractus, teſtamenta, aliaque acta judicialia conficiendi, ſi provinciæ ſigillum non fuerit chartæ impreſſum, ſine quo inſtrumenta habentur ac ſi non eſſent exhibita. Zypæus *de juriſdict. Eccleſ. lib.3. cap.11. n.4.* Ego tamen æquum illud aſſero, & in Republica retinendum, cum quia exiguum eſt quod penditur, tum quia licet privilegiati non eximantur, ab eo ſaltem immunes ſunt pauperes, & alij tenuioris conditionis homines, quibus ejuſmodi chartæ poſſit eſſe uſus. Accedit quod ex hoc tributo magna vis pecuniæ ærario inferatur, cum inter opulentiores cives litigantes & contrahentes continuus futurus ſit chartæ ſigillatæ uſus. Nec obſtat facile à privatis ſigilla imitando adulterari poſſe, nec proclive eſſe fraudem deprehendere, atque ita facile periturum hoc vectigal: nam præveniri hæc fraus poteſt, ſi ſecretarij ſingulis ſigillis chartæ impreſſis, ſua manu nomen ſubſcribant, neque enim tam facile eſt manum alterius, quam ſigillum imprimendo, imitari. Si forte quis objecerit privatos ſæpe iniqua ejuſmodi chartis ſigillatis inſcripturos, & inde auctoritatem publicam violandam, id minime obſtat, propterea quod longe aliud ſit ſubtus ſubjicere ſigillum, aliud in ſupremo chartæ margine ad oram id exprimere: ſi ſubjiceretur, confirmari viderentur ſupraſcripta, dum vero ſuperiori margini imprimitur, non alterius rei futurum indicium, quam chartæ publicæ, cujus neceſſarius eſt uſus ad conſignanda ea omnia quæ magiſtratibus, & curiarũ judicibus ſunt offerenda.

Plura tributa æque commoda Reipublicæ, & 19
ſubditis minus gravia excogitari poſſent, ſed ea omnia ceſſante Reipublicæ neceſſitate, ceſſare debent: hæc prima prudentis Principis cura. Odioſæ enim ſunt novæ iſtæ indictiones, ac perpetuæ exactio-

Digitized by Google

exactiones, quæ ſubditos exhauriunt & opprimunt, quos tamen habere florentes & opulentos Reipublicæ utile eſt. Igitur urgente neceſſitate, ita Princeps civium fructus carpat, ut iterum queant renaſci. *Non eſt*, inquit Alexander, *bonus hortulanus, qui ab radice olera exſcindit.*

20 Non cenſeo tamen omnia tributa populo eſſe remittenda, quia id minus tutum eſſet Reipublicæ, prout judicavit Senatus improbans ſententiam Neronis, primis annis imperij cuncta vectigalia remittere volentis, cum dixit, *diſſolutionem imperij fore, ſi fructus quibus Reſpublica ſuſtinetur, diminuerentur.* Quippe ſecundum Thucidydem *ita demum cujuſque civitatis libertas firme retinetur, ſi adſit potentia, qua hoſtibus finitimiſque populis reſiſtere poſſit.* Optime tamen Princeps ſuis ſubjectis conſuluiſſe videbitur, ſi ob belli calamitatem, ac patriæ depopulationem antiqua & conſueta tributa ſuſpenderit. Quin & devinciet ſibi benevolentia populos, recens ſubactos, eoſque novis legibus obſequentiores reddet, ſi ad tempus eos oneribus & tributis

21 levaverit. Tacit. *lib. 2. annal.* * Sic Cæſar victo Pompeio, cunctis Aſiam incolentibus, tertiam tributi partem remiſit. Divus Marcus Imp. viceſimam hæreditatum, quæ bellorum temporibus introducta fuerat, ſuſtulit. Et Adrianus exemplum Traiani ſecutus (referente Spartiano) *ad colligendam gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus, in urbe, atque Italia, in provinciis vero etiam reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis etiam in foro Divi Traiani, quo major ſecuritas omnibus roboraretur incenſis.* Atque inter Chriſtianos Principes Conſtantinus, poſteaquam tyrannidem ab orbe Chriſtiano depuliſſet, tributa penitus relaxavit. Juſtinianus ea tam glorioſe, quam ſancte minuit, quo magis Reſpublica, meliore ſucceſſu potiretur & reſpiraret à retro excogitatis præſtationibus. *Novell.* 161. *c.* 2. Licet enim minui videatur poteſtas Principis, minutis tributis, & conceſſis immunitatibus, redditur tamen ipſa tutior & firmior: nam ut eleganter ſcribit Val. Maxim. *lib.* 2. *c.* 1. *ea demum tuta potentia eſt, quæ viribus ſuis ponit modum.* Hinc optimi Cæſares judicarunt ſatius eſſe minui tributa, & opes à privatis poſſideri, quod apud illos fructum reddant, in ciſtis Principum ſteriles ſint & infructuoſæ: cum populus eſt egens & inops & velut abſtracta pelle nudus, nec lanam dat, qua Princeps veſtiatur, nec cætera ad pellendam neceſſitatem profert.

TITULUS XIX.

De Exactoribus Tributorum.

1. *Qui ſint exactores tributorum, & qualiter conveniant fiſcales debitores.*
2. *Ex brevibus à Tabularijs exhibitis facienda eſt exactio.*
3. *Si Tabularij annotatio non exhibeatur, non tenetur debitor exactori ſolvere.*
4. *Fiſcus ex ſuis rationibus non habet fundatam actionem.*
5. *Qui dicerentur Opinatores & Optiones, & quod eorum munus?*
6. *Intra anni ſpatium exigendum & ſolvendum tributum, & puniuntur judices qui detinent exactores diutius.*
7. *Non ſervatur judiciorum ordo, in exactione tributorum, ſed de plano fieri debet, & allegari exemptionis privilegium aperte.*
8. *Ad tributa & onera realia tenentur actores, & conductores fiſci, miſſione in poſſeſſionem.*
9. *Hodie conductores vectigalium non ſunt exempti, nec utuntur jure fiſci.*
10. *Officiales fiſci & Principis à quibus præſtationibus excuſentur, non excuſatur domus auguſta, emens prædia à privatis.*
11. *Excipiuntur metrocomiæ. Item prædia juris Italici erant exempta.*
12. *Clericus ſuccedens laico, vel fiſcus privato in bonis, ſuccedit in onus iis injunctum; niſi id ſit extraordinarium.*
13. *Interdum ſucceſſores clerici & alij privilegiati, tenentur ſubire extraordinarium onus civitati impoſitum.*
14. *Hoc jure mittebatur ad urgendam tributi exactionem Canonicarius, quem ſequebatur Compulſor.*
15. *Compulſorem mittere prohibuit Juſtinianus, & curam exactionum totam commiſit Præſidibus.*
16. *Hodie facienda executio abſque violentia & injuria ſubditorum per Officiarios locorum.*
17. *Benigne ſe gerere debet Exactor, nec ultra taxam exigere, alias punietur ut fur.*
18. *Præſides opem ferunt executoribus, cogendo debitores, ad ſolutionem, idque juris remedijs.*
19. *An de jure poſſint in carcerem detrudi debitores tributorum, recuſantes ſolvere, & quid moribus?*
20. *Fiſcus optionem habet, utrum velit prius debitorem carceri mancipare, an ad ejus bona pervenire.*
21. *Perſona illuſtris non detruditur in carcerem ob debita.*
22. *An forenſes apprehendi poſſint, ob non ſolutam collectam, ad quam ratione bonorum, & ex conſuetudine tenentur?*
23. *Incarceratio à Judice competente decernenda. Quid ſi ab incompetente facta ſit? juſta erit ad effectum remittendi, non cognoſcendi de cauſa.*
24. *Judex Eccleſiaſticus non poteſt incarcerare laicos delinquentes, niſi prius invocaverit auxilium judicis ſecularis.*

25. Si

Digitized by Google

25. *Si id neglexerit poterit ſecularis cognoſcere: Item captus conqueri de vi ſibi facta ab Eccleſiaſtico Judice?*
26. *Præter Judices, an Regij advocati ſeu fiſcales poſſint in carcerem conjicere ſuos debitores?*
27. *Qui debitorem fiſci, & privati creditoris carcere exemerit, ad univerſa debita tenetur & criminaliter punitur.*
28. *Exactor quid ſit actum, receptum, vel dilatum, ſignificare debet Suſceptori rationum.*
29. *Plures hodie in aulis otioſi, qui ſalaria habent, & collectas invadunt.*
30. *Quæ tamen ſunt ſervanda in uſum deſtinatum.*

1 PRæcedentibus titulis dictum fuit, quæ tributa præſtanda ſint & à quibus, nunc hoc titulo quæritur à quibus exigantur. Ad exigenda tributa mittuntur Palatini ex ſcrinio canonum, qui vocantur Exactores, item Canonicarij, *l. ult. h. t.* Et alibi ſcriniarij & ſuſceptores *l. 1. C. de apoch. publ.* Qui omnes non prius debent aliquem ex debitoribus convenire, quam à Tabularijs civitatis nominatim breves accipiant debitorum *l. 1. h. t.* Breves ſunt libelli, ſeu matriculæ continentes nomina & quantitates debitorum.

2 Tabularij enim eorum quæ inferebantur, rationes conficiebant, & comprehendebant debitorum nomina ſub actorum teſtificatione, ut conſtat *ex l. 7. h. t. & l. 2. infr. de numerariis.* Erantque in ſingulis provinciis duo Tabularij, alter fiſcalis arcæ, alter largitionalium titulorum. *l. 12. C. Th. de numerar.* Itaque actis publice habitis, & litteris Principis acceptis, quibus continebatur indictionis forma & ratio, Centenarij & Ducenarij (ita dicti à numero perſonarum quibus præerant) ſe per centurias & parœcias dividebant, ut pecuniam indictam colligerent, prout à Tabulario in libello tributorum ſcriptum erat.

3 Non tamen tanta fides & auctoritas huic libello adhibebatur, ut ſtatim fieri poſſet ex eo executio, nam poterant ipſi fiſcales debitores & provinciales à quibus pecunia exigebatur, petere ab executore ut oſtenderet eis ſuum librum, ſeu breve, ut quantum acceperit & adhuc debeant, cognoſcatur, ut *in Novell. 128. c. 4.* Etenim exactionis forma ita conſtituta eſt, ut ex tabulariorum ratione dependeat, non ex propria teſtificatione, *l. 2. infr. de executor. & exact.*

4 * Quo fit ut ſi exactores negent aliquid ſolutum eſſe, & non exhibeant rationes acceptorum, debitores maneant liberi ab onere contributionis, ut poſt Valenzuelam hic obſervat Amaya *ad l. 1. n. 9.* rejiciens opinionem Franciſci de Alfaro *de offic. fiſc. gl. 16.* aſſerentis fiſcum ex ſolo libro ſuarum rationum actionem fundatam habere *per d. l. 1. h. t.* cum lex iſta id non dicat, & extet apertus textus *in l. 7. ſup. de probat.* qui ait neque fiſcum neque alium quemlibet ex ſuis ſubnotationibus, debiti probationem præbere poſſe, Covar. *pract. qq. 22. num. 8.* ubi docet veram eſſe illam juris rationem quod liber rationum pro ſcribente nihil probet *d. l. 7.*

Præter exactores, erant alij qui militaris annonæ petendæ cauſa, in provincias mittebantur, Opinatores dicti, quia optionem, id eſt, agri cenſum exigebant, *l. 7. h. t.* A quibus differunt Optiones qui non exigunt, ſed ab Opinatoribus exactam annonam in ſpecie ſuſcipiunt, & erogant Præfectis legionum, ſibique pro ſalario retinent decimam quintam partem, atque Collatoribus ſolita recauta faciunt. *Novell. 130. de tranſ. mil.* Proprie tamen Opinatores non fungebantur exactorum officio, ſed inſtabat apud judices (quibus deinde commiſſa fuit titulorum fiſcalium exactio, *l. 2. & d. l. 7. h. t.*) ut ſpecies debitas inferri, atque ipſis præſtari curarent; idque ſtatim initio cujuſque indictionis, pecuniam vero diviſis penſionibus. *Novell. 128. cap. 2.* 5

Ita tamen ut intra anni ſpatium totam annonam ſecum deferre poſſent Opinatores, & ad proprios numeros commeare. Quod ſi ultra annum protracti fuiſſent, Præſides & eorum officia, abſque ulla mora de ſuo cogebantur exſolvere militibus quod debebatur, ſibi autem adverſus provinciales repetitione ſervata. Interdum & ob propriam moram in duplum damnabantur. *d. l. 7.* Ut hanc igitur pœnam evitent Præſides & Rectores provinciarum, auctoritatem ſuam interponere debent, non tantum in annotariis, ſed & in aliis titulis tributorum exigendis, nec non in his debitis quæ rationale uſurpat officium, quo fungitur Rationalis ſacrarum largitionum, *l. 6. h. t.* Titulos hic accipimus pro cauſis, ex quibus bona fiſco acquiruntur. 6

Porro ad uſum facit, quod ex prædictis colligimus, recuperationem & exactionem tributorum, breviter & ſummarie fieri oportere, *juxta d. l. 7.* quia cum hic in mora ſit periculum, & publica utilitas vertatur, non eſt curanda ſolemnitas & ordo judiciorum. Larrea *alleg. fiſc. 5. num. 12. & 14.* Ubi ideo addit, quod qui ſe conatur eximere à ſolutione capitationis & tributi ob privilegium quod habet, & in poſſeſſione eſt alicujus juris, debeat illud quam primum exhibere, & aperte demonſtrare ſe exemptum eſſe. Alias pro fiſco ſtat juris præſumptio exigendi tributa, ab omnibus provincialibus. *l. 6. Cod. de vectig.* 7

Pertinet enim ad fiſci munus, augere & conſervare Principis patrimonium, & ideo non facile ullius exemptionis allegationẽ admittere debet, ſed curare ut ex æquo omnes, nulla interpoſita mora, tributa & indictiones ſolvant, quin etiam cogere actores conductores & Procuratores ad ſolutionem ſpecierum, miſſione in poſſeſſionem, *l. 4. h. t.* ne ipſis ceſſantibus ſolvere, cæteri magis onerentur, ſive 8

ut habet textus, ne illorum immunitas cæteros pro-
vinciales oneret atque fatiget.

Hinc fit quod hodie vectigalium conductores,
9 etſi favoris publici cauſam fovere credantur, non
tamen eximantur à contributionis onere, nam
non fiſci ſed propriam cauſam agunt & utilitatem
quærunt, & ideo non habent ea privilegia quæ fiſ-
cus à quo vectigalia conduxerunt. Id eruitur *ex l.6.
ff. de jure fiſci,* quod quemadmodum fiſcus in privati
jus ſuccedens privilegium ſuum perdit, ita & qui à
fiſco conduxit aut ei ſucceſſit, non utitur privile-
gio fiſci, nam mutatione perſonæ res quoque qua-
litatem mutat & conditionem, *juxta l.90.in fin.ff.de
acquir. vel omitt. hæred.* ſolùm enim conductores ve-
ctigalium eo caſu privilegiis fiſci fruuntur, quo ſpe-
ciali conventione ſibi proſpexerunt, Ant. Fab. *in
ſuo Cod. tit.de vectig.definit.*1. Guido Pap. *q.*208. facit
quod dicit J.C. *in l.9. §.ult. ff. de publican.& vectigal.*
quod quamvis ipſe fiſcus ab omnium vectigalium
præſtationibus immunis ſit, mercatores tamen qui
de fundis fiſcalibus mercari conſueverunt, & qui
ab eo jura fiſcalia conduxerunt, nullam immunita-
tem ſolvendi publici vectigalis uſurpare poſſint.

Quo ſpectat, quod *ad d. l.* 4. docent Interpretes,
10 officiales fiſci & Principis ad ſolutionem publici
vectigalis, & tributi, æque teneri, ne onus tributo-
rum quod multi ſuſtinere debent, reportent pauci.
Cujac. & Pyrrhus *in d. l.* 4. ne tamen illi à publica
functione avocentur, exiſtimo eos immunes eſſe
ab oneribus perſonalibus, *l.* 10. *ff. de mun. & honor.*
non inquam ab ordinariis tributis, quoniam ab
illis, ne quidem divina domus excuſatur.

Neque alia cujuſcumque dignitatis ac fortunæ
11 perſona, quæ prædia extra metrocomias poſſidet,
quoniam illa emptionis jure, vel alio legitimo ti
tulo obtenta, tranſeunt cum ſua cauſa, & onere,
quod prior dominus pendebat, proinde ſi injun-
ctum onus emptor non ſolverit, prædiorum do-
minio excidit, eaque cum capitationis onere, cu-
riæ urbis, non interveniente emptore, aſſignantur,
l.8. h.t. quæ excipit metrocomias, quæ capita erant
vicorum, poſſemus & colonias eas vocare, quas
ex tit. ff. de cenſib. conſtat immunes eſſe à capitatio-
ne, prout & reliqua prædia juris Italici, ut re-
fert Alexander ab Alexandro, *lib.* 4. *genial. dier.
c.*10. Ideo prædia Italica antiquitus non erant tri-
butaria, quia Italia erat Princeps & domina pro-
vinciarum, quæ nunc in ordinem redacta, æque
ac cæteræ provinciæ tributa pendit, ut non mi-
rum ſi jura quæ loquuntur de tributis ad onera no-
ſtri temporis trahantur, & graventur, etiam præ-
dia, licet olim non tributaria.

Igitur ordinaria onera omnes ſubire tenentur,
12 etiam clerici, cum ſolum ab extraordinariis mu-
neribus ſint immunes. At multo magis cum cle-
rici ſuccedunt laicis, aut fiſcus alicui privato, ob-
ſtricti ſunt præſtare ea onera ad quæ laici, vel pri-
vatus tenebantur, ſi inquam ſint ordinaria, & ho-
neſta ſervitia perpetuò affixa prædiis, ut dictum,
*ſup. tit.*16. *n.*33. *& tit.* 17. *n.* 21. bona namque im-
mobilia in ea cauſa ſunt, ut legibus & ſtatutis lai-
corum alligentur. Bart. *ad l.8.h.t. & l.1. & fin. ſup.de
annonis & tributis.* Nec obtinet regula quod muta-
tione perſonæ mutetur rei qualitas, & conditio,
l.1.§. ſi is ibi Gloſſ. ff. de collat. quia hic non perſonæ,
ſed rei qualitas ſpectatur, quæ cum prædiis ipſis in-
fixa ſit ad quemcumque poſſeſſorem tranſeat poſ-
ſeſſio, onus non excutit: ſecus dicendum ubi onus
eſt repentinum, & non fixum, aut tale quod ple-
beis imponi ſolet, nam ab iſto onere magis eſt ut
clerici aliique exempti abſolvantur. Florez de
Mena, *lib.* 2. *var. quæſt.* 21. *num.*3. Caſtillo *de tertiis
cap.* 36.

Cæterum eo caſu, quo civitas ob publicam ne- 13
ceſſitatem mutuum contraxit, & ſanior incolarum
pars ſub hypotheca bonorum ſeſe obligavit, ſi con-
tingat aliquos ex his decedere ante ſolutionem iſtius
mutui, relictis hæredibus aut ſucceſſoribus privile-
giatis, clerici, hi utique hæredes obnoxij manent,
nec ſe tueri poterunt ſuis privilegiis, adverſus indi-
ctionem, ſeu adſcriptionem corpori civitatis im-
poſitam, ſed ratione hypothecæ bonorum quæ poſ-
ſident conferre tenentur, etſi in mora ſint, per exe-
cutorem compelli poſſunt. Neceſſitas enim quæ
cauſa fuit imponendæ indictionis, & ſucceſſio in
jus defuncti onerati, ceſſare cogit privilegium.
Papon. *lib.*5. *tit.*11. *a.* 3. Bobadilla *lib.*2. *polit. c.* 18.
*n.*297. *& ſeqq. DD. ad l.*1. *ſup. de indict.*

Sequitur modus & ordo, quo facienda ſit ex- 14.
actio, & per quos. Hoc jure ſi debitores fiſci &
collatores indictionem executoribus non ſolviſ-
ſent, aut tardiores fuiſſent in ſolvendo, mitteba-
tur in ſingulas Provincias unus tantum Canonica-
rius qui & Palatinus erat ex ſcrinio canonum, ad
exigendos ſolemnes titulos fiſcales, & ſuo pericu-
lo aurum quod inferebatur colligendum: poſt
menſem vero à die quo ſolvi debuit, ſequebatur
Compulſor *l. ult. h.t.* quæ conſtitutio Græca Ana-
ſtaſij Cæſaris eſt, ſub cujus imperio creati fuere
Vindices, exactorum multitudine reſtricta, & cu-
rialibus adempta quoque exigendi facultate, de
quibus *Novell.* 38. *&* 134.

Dein Juſtinianus ut compulſorum ſeu exactorum 15.
improbitati, & ſeveritati occurreret, prohibuit ne
deinceps in provincias mitterentur, veteri more
revocato, ut in quavis civitate conſtituti exacto-
res, ſine moleſtia & diſpendio ſubditorum, credi-
tum ſibi opus implerent, Præſide provinciæ eos ad-
juvante, & manum porrigente: *Novel.* 128. *&* 134.
*c.*2. ita ut penes Præſides, & Provinciarum Recto-
res neceſſitas maneat exigendi, à quibus expecta-
tur auctoritas, *l.6. h.t.*

Cæte-

Digitized by Google

16 Cæterum apud nos civitatum Rectores, & alij qui publicas pecunias exigunt, ſyngraphas rite ſignatas mittere, vel exhibere ipſi debent, latè & ſpecificè continentes cauſas terminosq; pecuniæ, quæ exigitur. Interea debitoribus pecunia procuranda eſt, quam niſi lapſo termino exſolvant, etiam pendente lite, vel appellatione, abſq; metu attentatorũ, ad ſolutionem compelli poterunt: ſed exactores ad id non utentur executoribus regiis ſed officiariis locorum; qui in exigendis colligendiſve pecuniis procedent omni cum modeſtia, ſemota omni concuſſione, & compoſitione, prout latius edicta Regis noſtri hic in Belgio publicata. *6. April.* 1516. & 1537. præſcribunt. Zypæus *in not. jur. Belgici tit. de vectigal.* In Hiſpania quomodo facienda ſit exactio, & quem in ea ordinem ſervare oporteat, doceat, *l. 5. & 6. t. 14. l. 6. Recopil.* ibi Azevedo & Gregorius Lopez *in lib. 5. tit. 5. p. 5.* Summa eſt, ne vi excutiantur miſeri coloni, vel cives, non eorum domus aut paucæ aliquæ pecudes eripiantur, non vis aliqua corporibus aut fortunis, ſi omnino exiguæ ſint, inferantur, non priventur ea una vitæ commoditate, quam ſolam habent, & qua adempta neceſſe eſt, ut in exiliũ abeant, vel miſerrimam perpetuo inopes vitam ducant. Suffragatur Conſtantinus, cum dicit exactionem ſine omni concuſſione fieri oporteri *in l. 1. h. t.* proinde is qui publicam pecuniam colligit, non ſe acerbum exactorem, nec contumelioſum præbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum, uti de creditore loquitur Ulpianus *in l. 33. ff. de uſur.* Divus Pius (referente Capitolino) procuratores rei dominicæ *modeſte ſuſcipere tributa juſſit, excedentes modum, rationem factorum ſuorum reddere coëgit.* Sic Juſtinianus vult procuratores ſuos, & exactores mites eſſe & benevolos circa collatores exiſtere, & nullum damnum, nullamque læſionem in illos inferre, *l. 2. §. 11. ſup. de off. præf. prat. Africa.* Nam immites exactoris mores collationis gravitatem augent; benevoli ſermones, ut colloquia medicorum, medicinæ amaritudinem minuunt, referente Ludovico Hungariæ Rege. Quamobrem ne iniquis exactionibus ſubjecti gravarentur, diſſimulato ſemper habitu, vicos & oppida luſtrabat, perſcrutaturus mores exactorum & Præfectorum, ut minus Optimatum, quam plebis curam gerere videretur. Sciebat enim maximum tributorum & vectigalium regiorum incommodum à Quæſtoribus & exactoribus proficiſci, & hoc interdum plus damni dare quã tributa ipſa, neq; ullam rem impatientius ferre ſubditos, quam violentiam & importunitatem miniſtrorum, in cogendis hujuſmodi pecuniis.

17 Caveant igitur exactores à violentia, & ne plus exigant, quam indictum præſcriptumque ſit in formula, aut brevi Tabulariorum: nam ſi quid ultra quantitatem taxatam exegerint, vel extorſerint, tanquam fures convenientur, *l. 8. ſup. de furtis. l. 1. §. 1. & 4. ff. de publ.* & damnabuntur in duplum reſtituendum iis, à quibus plus debito exegerint, ut inſinuat *l. 7. verſ. quod ſi h. t. latius infr. tit. ſeq.* Notat Fab. *in ſuo Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 15.* ſi exactor per injuriam quid extorqueat, poſſe quidem ei de facto reſiſti, adeoq; eum domo expelli, non tamen vim aliamve injuriam ei inferendam eſſe, ne Magiſtratus auctoritas læſa videatur, aut tumultus detur occaſio; *l. 176. ff. de reg. jur.* * Ut enim illi, quibus incumbit 18
neceſſitas exigendi, ſine injuria & violentia munus ſuum implere debent, ita quoque debitores ſine mora, & oppoſitione ſolvere tributa, ad quæ obligantur. Alias ſi debitores contumaces ſint, ſeſeque impudenter opponant, eos ad ſolutionem cogens provinciarum Præſides, vimque ſuam & auctoritatem exercentes, decernent miſſionem in poſſeſſionem bonorum, fructuum ſequeſtrationem, aut publicam bonorum ſubhaſtationem, *l. 4. & 7. in fin. h. t.* Platea & Penna ibi. Gail. *2. obſ. 52. n. 20.*

An etiam jubere poſſint, ut in carcerem detru- 19
dantur, quæritur? Et certè ſi illi bona poſſideant, ex quibus debitum fiſcale ſolvi poſſit, non videtur id licere judicibus, *l. 2. h. t.* ibi *nemo carcerem plumbatarumque verbera, aut pondera, ab iratis judicibus expaveſcat.* Nam carcer inventus eſt, ad coërcendos homines pœnadignos, ac potius ipſos tributorum exactores noxios, quam debitores fiſci in quos ſæviunt; ita hanc legem interpretatur Gutherius *lib. 3. de off. dom. Aug. c. 17.* Si tamen debitores tam alieni ab humano ſenſu ſint, ut in obdurata nequitia non ſolvendi perſeverent, rectè militũ cuſtodiæ, liberæ tamen tradentur, quouſque obtemperent, & exactoribus ſatisfecerint, *d. l. 2.* ex qua lege ſumma Principis humanitas apparet, cum alias ob privata debita, quis in carcerem detrudatur, *l. 1. ſup. qui bon. ced. poſſ.* Hodie multo magis ob fiſcale debitum quis carcerem patitur, quouſque ſolvat, quamvis bona poſſideat, quæ poſſint in ſolutionem capi, & publica haſtatione vendi. Covar. *lib. 2. var. cap. 1. n. 4. in fin.* Peregrin. *de jure fiſci lib. 6. c. 7. num. 7.* ita ut non tam in ære, quam in corpore luat debitor fiſci, ſiquidem eo adhuc in carcere exiſtente, poſſit ſubſtantiam ejus exactor diſtrahere, qua facultate exactori præbita, omnes fient proniores ad ſolvendum ea quæ ad publicum pro communi ſalute poſcuntur, ut dicitur *in l. 2. in fin. h. t.* * Ubi notat 20
Bartolus fiſcum habere optionem, utrum velit prius debitorem carceri mancipare, an ad bona ejus pervenire, quo caſu electio unius remedij executivi non præcludit viam aliis, quando per primum non eſt ſatisfactum, quod in cauſis executivis, paratamque habentibus executionem, non obſtet exceptio litis pendentiæ; proindeque variatio licita ſit, de uno remedio ad aliud, item de perſona ad rem. Cavalcanus *deciſ. for. lin. 1. n. 15.*

Si vero debitor ſit perſona egregia & illuſtris, nõ 21

ſolet in carcerem conjici, ſed pro carcere datur ei caſtrum, aut tota civitas, & fidei ejus creditur, idque cum judex facit, non debet culpari, quamvis ſtatutum loci generatim de debitore in carcerem conjiciendo loquatur. Angel. Nevizantius, & alij
22 relati à Peckio *de jur. ſiſt. c.45 n.9.* * Plane forenſes in alieno territorio prædia poſſidentes, quibus ratione bonorum, vel conſuetudine collectarum onus injungitur, non poſſunt cuſtodiæ tradi, ob non ſolutas collectas, domino territorij, ſed fructus ipſorum prædiorum jure detinentur, & ſequeſtrantur. Bald. *in l. etiam col. pen. verſ. ſed judices C. de execut. rei jud.* generalis, inquit, conſuetudo obſervat, quod ubi quis prædia poſſidet, ibi & collectam patiatur, non præciſe, ſed cauſative, quia ſi non ſolvat non conjicitur in carcerem, ſed ſolet dominus, vel judex loci contra recuſantem procedere, & ſequeſtrare fructus, atque ad collectæ ſolutionem cogere, ſub pœnis & amiſſione rerum, *l.1. & 2. C. de cap. & diſtr. pign. trib. cauſ. & d.l.2. hic.* quia conceſſa poteſtate imponendi, ſequitur & poteſtas exigendi, & in conſequentiam cogendi omni modo ad ſolutionem. Gail. *lib. 2. obſ. 52. num. 20. & 22.* Ant. Deſpeiſſes *tract. des tailles in fine num. 41.*

23 Porro judex qui jubet debitorem fiſci in carcerem detrudi, debet eſſe competens, qualis eſt ordinarius, non item delegatus, cum non habeat merum imperium, de cujus genere eſt incarceratio, & ideo eam decernere non poteſt, nec etiam Judex qui juriſdictionem & imperium habet, ſi eſt incompetens ratione perſonæ, vel cauſæ de qua agitur: niſi hic Judex capi juberet non ad effectum cognoſcendi de cauſa, ſed ad mittendum captum ſuo Judici competenti, prout jure noviſſimo permiſſum eſt defenſoribus civitatum, detrudere in carcerem, & ad Præſidem mittere delinquentem. *Novell. 17. c.6. §.1.* Hinc in flagranti deprehenſum clericum, ſolet Judex laicus jubere in carcerem conjici, ut remittatur ad ſuum Judicem Eccleſiaſticum. Farinacius *in prax. crim. n.3. q.27.* & alij quos refert Salgado *de regia protect. p.1. c.4. n.9. & ſeqq.*
24 * Cæterum Judex Eccleſiaſticus, cum directe in laicos non habeat juriſdictionem, ſequitur quod etiam in his caſibus, in quibus competens eſt, abſque invocatione auxilij brachij ſecularis regiæque juriſdictionis, non poſſit capturam decernere. Quamvis enim Eccleſia carcerem habeat, & pœnæ loco ſit, *cap. quamvis de pœnis in 6.* non tamen eum habet ad laicorum detentionem, & coërcitionem, ſine invocatione prævia judicis ſecularis quod Hiſpaniæ, & Galliæ uſus obſervat. Zevallos *tom. 5. de cogn. per viam viol. q. 93. n. 38.* Papon. *de juriſd. Eccleſ. in laicos art. 1. in additionibus.* atque hic uſus fundatur in jure Pontificio, *c.1. de off. ordin.* ibi, *& cum opus fuerit, publicum convocent auxilium.* & aliis juris locis, quæ adducit Amaya *in l.2. h.t. & ſeqq.* & Salgado *ſup. n. 38.* ubi addit quod quamvis judices Eccleſiaſtici in cauſis criminalibus, civilibus, & ſpiritualibus eiſque connexis habeant juriſdictionem & præventionem in cauſis mixti fori, hoc intelligatur quantum ad cenſuras attinet, & alia Eccleſiaſtica remedia, non vero quoad capturam, quam ſolum habent in perſonas Eccleſiaſticas, *cap.7. de offic. ordin. in 6.* non etiam laicas, niſi modo prædicto.

Adeo ut ſi hunc modum & juris ordinem judex 25
Eccleſiaſticus non obſervaverit, etiamſi prævenerit per capturam, poſſit nihilominus ſecularis de cauſa cognoſcere, tanquam ſi non cœpiſſet Eccleſiaſticis; cum hic niſi præmittat monitiones, non habeat aliquam cauſæ cognitionem, nec poſſit procedere ad pœnas temporales incarcerationis, vel exilij, prout colligitur ex Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 8. de reform.* Unde fit ut permiſſum ſit capto querimoniam movere apud regium tribunal, & declarare vim ſibi fieri ab Eccleſiaſtico, utpote è carceratione facta, ac ideo petere eam reſcindi. Videatur Garzia *de Nobilit. Gloſſ. 9. n. 53.* Bobadil. *in polit. lib. 2. cap. 17. n. 167.* & alij relati à Salgado *de Regia protect. p. 2. cap. 4. num. 36.*

Cùm ergo gladij poteſtas, ejuſque exercitium ſit 26
penes ſeculares judices, & ſummos præfectos, poſſunt propria auctoritate in carcerem conjicere delinquentes, debitoreſque tributorum contumaces, atque ſe opponentes: dubitatur an eadem poteſtas competat advocato fiſci, qui inſtar judicis eſt, in cauſis ærarij? Et certe quamvis juriſdictionem non habeat, quia tamen ratione injuncti muneris debet defendere jura ærarij, quæque ad publicam utilitatem pertinent curare, ac vindictam delictorum proſequi, videtur ei conceſſum quidquid ad conſequendum talem finem pertinet, & ita ſi occaſio occurrat, recte poterit per modum proviſionis debitores ſuos capere, quod & privato permittitur in flagranti, & maxime ſi debitores fugam meditentur. Farinacius *d. q. 27.* Amaya *d. l. in fin.* & ante eos Cavalcanus *de brachio Regio p. 4. num. 325.*

Quoties autem quis eſt debitor fiſci, & alterius 27
privati creditoris, ſi ab uno officiali captus, & cuſtodiæ militari traditus ſit, poteſt pro utroque debito detineri, & ad ſolutionem compelli, nec enim debet alius officialis, hunc debitorem legitime captum, vi eximere, aut abripere, ſi tamen abripiat, tenetur utrique quantitatis nomine, *l.3. h.t.* quia videtur ſe pro reo debitorem aut fidejuſſorem conſtituere, ut meritò in eum fiat executio, pro univerſali debito quod reus principalis ſolveret, ſi condemnatus fuiſſet, nec tamen ob hoc intereſſe præſtitum, ceſſabit judicium criminale quod manet eximentem, *l.4. Cod. de cuſt. reor.* Caballus *reſolut. crim. caſ. 8. n. 22.* Quin & exemptum remanere obligatum tenet Boſſius *in pract. crim. t. de captura n. 15. & tit. de carcere n. 17.* Farin. *d. l. q. 30.*

Poſtre-

Digitized by Google

28 Poſtremo monentur hic exactores, quorum numero ſunt apparitores, actores, & quicumque operam dederunt collationi auri præcepti, ut juſtam rationem reddant, ac fidele ſervitiū exhibeant circa officia ſua & frequenter ſuſceptori referant, quid & quantum tributorum nomine exactum ſit, & reliquum exigendum reſtet, ex qua relatione & inſtructione cognoſcere poſſit ſuſceptor, quid à quovis ſolutum, aut ſolvendum ſuperſit, *l. 5. h.t.* Unde apparet quantum fidei tribuatur exactoris officio, quod laborioſum & præmio dignum, non vile aut inter ſordida munera habitum, cum deferatur decurionibus, *l. 17. §. ff. 7. ad munic.* Hodie honeſtiores ad id non adſpirant, quamvis ſit utile & labor moleſtę exactionis digno ſalario penſetur, quod excedere minime licet. Zypæus *in not. jur. Belgic. tit. de vectig.*
29 Loyſeau *des offices l. 1. c. 9. n. 56.* * Sunt & apud nos plures qui exactoris, quæſtoris, ſeu ſuſceptoris munus ex fide tractant, & rationes receptorum conficiunt, redduntque: ſed etiam ex his non paucos videmus qui ad id munus accedunt ſine ullo cenſu, & intra paucos annos ditiſſimi fiunt. Quamobrem optandum foret, ut ab illis indilate quæſitarum opum ratio exigeretur, & ex iis opes illæ auferrentur, quarum origo eſt incerta. Valde etiam conduceret providere, ne multi otioſi homines, præter quæ neſcio, inania officiorum nomina, annuis ſalariis Rempublicam quaſi prædæ habeant, & ne etiam aulici avidas manus in contributiones injiciant, aut ex illis ambiant à Principe largitionem aliquam. * Nam contributiones ſervandæ ſunt in
30 uſum in quem collectæ, & deſtinatæ, nec in alium convertendæ; *l. 3. Infra de his quæ ex publica collect.* Cur Alexander Imp. dicebat, nefas eſſe, ut diſpenſator publicus in delectationes ſuas ſuorumq; converteret id quod Provinciales dediſſent. *Lamprid.* Optima conſuetdo apud Turcarum Imperatorem, quæ imitanda foret Chriſtianis, ille enim ex hortis aliiſque reditibus aulam ſuam ſuſtentat, & pecuniam in uſus publicos exactam & ſepoſitam *ſacrum populi ſanguinem*, ſive *Haran agameni cani* vocat, ac non magis ſibi collatam ita pecuniam, in turpes & inhoneſtos uſus, quam ipſum ſanguinem effundere licere exiſtimat. Poſtell. *de Republ. Turcar. lib. 3.* Hoc ſi Mahometanus Princeps faciat, licebitne Chriſtiano Principi ſubjectorum ſudore & labore collectas pecunias, in pompas & res nihili abſumere?

TITULUS XX.

De Superexactionibus.

1. *Quantum exactoribus liceat exigere.*
2. *Si ultra debitum aliquid exegerint in duplum damnantur; Diſcuſſores in quadruplum, quando augeatur pœna?*
3. *Quando civilis & criminalis actio concurrere poſſit?*
4. *Ante tempus exigere non licet, exigendum eſt debitum magna cum modeſtia.*
5. *Qualiter Præſes ſe plebi exhibere debeat, & cavere à violenta exactione.*
6. *Exactio impia eſt quæ excedit fructus, Præſes moderatam exactionem Principi ſuadeat.*

Poterat ſuperioris tituli legibus, unica hujus Tit. 1
inſeri, quæ de exactoribus agit, qui male in officio verſantur, pluſquam debeatur exigendo à provincialibus. Unde quæritur quantum exigere debeant? Et definitum eſt non poſſe eos plus exigere, quam continetur in delegationibus, de quibus agit *l. 4. ſup. de annon. & trib.* quæ ſunt notitiæ & deſcriptiones, quæ manant à Principe, atque ab eo ad Provincias delegari mittique ſolent, ut omnibus innoteſcat quantitas tributorum exigendorum & annonarum modus, quem excedere non poſſunt exactores, nec ipſi provinciæ præſides.

In quos olim graviſſime animadverſum, ſi exce- 2
derent. Sic cum Galli menſibus ſingulis darent certum tributum, & Licinius Cæſaris exactor quatuordecim menſes feciſſet, accuſatus & in periculum vitæ adductus, omnibus bonis Auguſto datis vitam deprecatus eſt. Mitius hac conſtitutione agitur, & exactores ſi ultra debitam receptamque quantitatem aliquid amplius extorſerint, duplum tantum tenentur reſtituere debitori à quo id exactum. *l. un. h. t.* Cui non obſtat quod per æquatores, ſeu diſcuſſores, qui pecunia corrupti uni adimunt, quod in alium transferunt, quadrupli mulctam ſubeant. *l. 6. infr. de cenſib.* quia cum diverſa ſint officia, non mirum ſi diverſæ pœnæ ſint ſtatutæ: atque exactoribus adhuc major pœna immineat, qui non tantum in duplū damnantur, ſed ſi in crimine perſeverent, capitalis pœna proponitur *d. l. un.* quam nimis acerbam judicans Leo Imp. mutavit *in Novell. 61.* Statuens pro primo delicto pœnam dupli, pro ſecundo quadrupli in exactorem, quem & cum ignominia à credito ſibi officio removeri jubet. Ex his colligitur gravius puniri eum, qui ſæpius, quam ſemel deliquit, *l. 28. §. 3. & 10. ff. de pœnis.* & propter conſuetudinem delinquendi permiſſum eſſe judici augere pœnam, eamque ad mortem extendere.

Hinc bene notat Platea & Salicetus *ad d. l. un.* 3
quod condemnatus civiliter propter intereſſe partis, poſſit etiam criminaliter puniri, propterea quod delinquendo læſerit jus publicum. Neque enim civilis actio tollit criminalem, neque per executionem unius tollitur altera *l. 3. ſup. ad l. Aquil.* Sed poteſt læſus utramque actionem intentare in eodem libello, licet non æque principaliter, quo caſu dicitur actio mixta, quamvis ſit criminalis. Jul. Clar. *in pract. crim. q. 1. num. 2.*

Digitized by Google

4 Quod ſi exactor non plus debito, ſed plus tempore exigat, id eſt, intempeſtive, pœnam quidem non meretur, ſed ut nimia negligentia damnatur, ita & ambitioſa diligentia minus probatur. In hanc ſententiam eſt *l.33. ff. de uſur.* Quæ præcipit, ut Reipublicæ geſtor, in uſurarum exactione, mitis ſit & clemens, traditque modum exactionis creditori, ut videlicet efficacia lenitatis debita exigat: nam qui nimis acerbum ſe exactorem præbet, videtur potius extorquere, quam exigere, & magno ſuo damno in
5 offenſam incurrit, *l.pen. ff. ad l.Jul. de vi priv.* * Similiter provinciæ præſes cujus auctoritate fit exactio, cum parentis perſonam in Republica ſuſtineat, ita ſe exhibere debet, ut nihil ſevere aut inſolenter agat, nihil amplius exigat, quàm cauſa & notitia depoſcit. *Novell. 8. cap. 8. & 10.* Cogitet ita eſſe cum civibus agendum, quemadmodum cum ovibus, quæ tondentur, non raduntur.

6 Intolerabilis enim eſt & plane impia exactio, quæ ita excedit laboris fructum, ut rebus malint poſſeſſores ipſis cedere, quam illis impoſitam erogationem præſtare, quæque omnem prorſus ſpem victus parandi poſſeſſoribus adimit. Ejuſmodi quippe exactio, debet tantum eſſe delibatio bonorum, non diminutio. Studeat igitur provinciæ præſes, onera populi moderata reddere, & æqua conſilia Principi ſuo ſuggerere: ita illi fidus erit, & populum ingenti beneficio ſibi obſtringet, plurimum adjumenti ad Reipublicæ incolumitatem conferet.

TITULUS XXI.

De capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa.

1. *Debitores coguntur tributa ſolvere pignorum captione non captura.*
2. *Si differant ſolvere, bona diſtrahuntur, nec moratoria cautio impedit pignoris diſtractionem ob tributum ſuo die non redditum.*
3. *Exactor utrum poſſit compellere emptorem ad ſolvendas collectas præteritas, uti ad tributa.*
4. *Ut emptor facilius inveniatur, datur ei firmitas perpetua poſſidendi. Item venditio nullo caſu retractatur.*
5. *Servatis ſolemnitatibus diſtrahuntur res poſt duos menſes à die captionis.*
6. *Iniquus tributi exactor furti tenetur, uti & is qui ante diem dictam pignus vendidit.*

1 QUod Conſtantinus Imp. *in l. 2. ſup. tit. 19.* dicit non debere carcerem pati, aut tormentis affici eum, qui tributa non ſolvit, idem fere inſinuat *in l.2. h.t.* dum ait ſatis eſſe ſi debitores annonarum ad ſolvendi neceſſitatem captione pignorum conveniantur. Quid mores hac in re obſervent, dixi ſupra.

Item ſi debitores conventi & moniti, fiſcalibus debitis per contumaciam ſatisfacere differant, res eorum diſtrahuntur, *l.1. h.t.* Cum ſint tacitè obligatæ, habeatque fiſcus in illas, ob onera impoſita jus reale, *l. 1. & 2. C. in quib. cauſ. pign. l. 1. C. ſi propter publ. penſit. l.3. C. ſi adverſus fiſcum.* ubi prædia ex primo decreto occupantur, dato ad ſolvendum termino, quo elapſo irrevocabiles fiunt alienationes, *l. 1. & 2. h. t.* adeo ut pro pecunia tributi quod ſua die non eſt redditum, quo minus prædium jure pignoris diſtrahatur, oblata moratoria cautio non admittatur, *l.5. §. fin. de cenſib.* 2

Itaque obligatio ſolvendi tributa, ſemper rei adhæret, & rem comitatur, & tranſit in quamvis perſonam, etiam dignitate munitam. Adeo ut præterita tributa & debita cum onere eadem ſolvendi tranſeant in emptorem: quod ſecus eſt in collectis debitis à venditore, ad quas non poteſt exactor compellere, nec poteſt convolare ad alias res proprias ipſius emptoris, *l.2. C. de præd. & omnib. reb. navic. & l. fin. C. de debit. civit.* 3

Quod ſi emptor non reperiatur, ſtatutum eſt ut curiæ res addicantur *in l.8. ſup. de exact. trib.* Sic enim publicis commodis circa tributa conſulitur. Attamen ut facilius executor emptorem inveniat, perpetua ſecuritas datur poſſidendi res, quas quis publice ſub haſta emit, *l.1. h.t.* eſtque adeo firma iſtarum rerum venditio, ut nec prætextu reſcripti, nec minoris ætatis retractetur, imo nec ob læſionem reſcindatur Peregrin. *de jur. fiſci tit. 4. num. 19.* Nam non facile convelli debet fides haſtæ publicæ, *l. 8. ſup. de remiſſ. pign.* Quo fit ut non niſi obſervatis ſolemnitatibus de quibus dixi *ſup. tit. 3. & tit. de diſtr. pign.* ad venditionem rerum fiſco quæſitarum procedatur, propoſito æquo juſtove pretio rebus, juxta præſentem æſtimationem & declarato onere cenſus illis impoſiti. 4

Item non ſtatim, ſed demum poſt duos menſes à die captionis, ad diſtractionem pignorum proceditur, *l. 1. C. Theod. de diſtr. pign. quib. trib.* Quod temporis ſpatium maxime indulgeri ſolet illis, qui fatentur ſe debere, non qui imprudenter ſolutionem differunt & recuſant, *l.31. ff. de re jud.* 5

Itaque executor qui denuntiavit debitori ut ſolveret, ſi ceſſet, poteſt quemadmodum alius creditor, poſt dictum tempus pignus diſtrahere, ſed ante illud de quo conventum, ſi diſtraxerit, furti ſe obligat *l.73. ff. de furtis,* uti & eo caſu, quo cum ſciret tributum ab aliquo non deberi, pignus cepit & vendidit *l.8. C. de furtis,* 6

TITU-

TITULUS XXII.

De Apochis publicis, & de Deſcriptionibus curialibus, & de Diſtributionibus Civilibus.

1. *Collatoribus cavetur apochis, quæ vocantur ſecuritates.*
2. *Quas qui ſemel recepit ſatisfeciſſe videtur, nec retractantur rationes.*
3. *Priusquam detur apocha fieri debet ſolutio.*
4. *Rationes ſemel expunctæ non ſunt reiterandæ, niſi dolo, metu, aut errore factæ fuerint.*
5. *Qui dicit ſe ſolviſſe id plene probare tenetur, ſed hic debitor tributi, ſi oſtendat ſe tribus cohærentibus annis ſolviſſe, retro ſolviſſe præſumitur.*
6. *Niſi exactor contrariam legitime oſtenderit. quia alias non præſumitur.*
7. *An beneficium* l.3.h.t. *extendatur ad alios privatos debitores.*
8. *Item ad emphytheutam, colonum, inquilinum.*
9. *Solutio facta uno anno pro tribus, aut non in integrum, aut per intervalla non inducit* leg. 3. *præſumptionem.*
10. *Securus eſt qui habet apocham publicam, cui non poteſt opponi exceptio non numeratæ pecuniæ.*
11. *An exactori ſolvi poſſit pro parte?*
12. *Cur apochis publicis non poſſit opponi exceptio, non numeratæ pecuniæ.*
13. *Fiſcus tutus eſt contra executorem qui apocham dedit, eo tamen non exiſtente ſolvendo debitorem excutere poteſt.*
14. *Secunda pars rubricæ declarat, quid ſint deſcriptiones curiales, & quomodo collatoribus proſpiciatur.*
15. *Solemnitas quæ in tributorum & lucrativorum collatione requiritur, & quomodo facienda apocha ut ſit ſolemnis.*
16. *Attendendum ne plus graventur pauperes quam divites.*
17. *Qui plus habent, plus gravari debent, qui fundos fertiles habent, defectum ſterilium ſuppleant.*
18. *Æqualiter facienda deſcriptio bonorum in æſtimo, item ſpectandus erit non valor prædiorum, ſed quantitas fructuum perceptorum, in ponenda oneribus.*

1 HOc titulo quæritur quomodo caveatur collatoribus, ne bis eadem tributa ſolvant. Cavetur apochis publicis, quæ hic paſſim vocantur ſecuritates, *l.1.2.3. h.t.* quia apocha datur ſolventi, eique ſecuritatem tribuit, antapocha ſuſcipienti, *ut dictum ſup. de fide inſtrum.* Et meritò teſtimonium ſolutionis ſecuritas dicitur, de quo ut ait Caſſiodorus *lib.* 11. *c.* 7. non ſolum animus, ſed & ſubſtantia communitur.

Is itaque qui ſemel ſecuritatem accepit, qua 2
conſtat functionibus publicis ſatisfeciſſe, non debet amplius moleſtari, aut iterum ad diſcuſſionem rationum initarum conſtringi, *l.1. h.t.* quod ita conſtitutum ne expunctæ; & redditæ rationes fiant immortales, ut dictum *ad l.2. ſup. de jur. fiſci.*

Facit quod apocha ſolemniter confecta & data, 3
ſupponat realem ſolutionem, & rationum diſcuſſionem præceſſiſſe, cum non prius ſolventi detur, quam relata, deſcriptaque ſit in libris rationum publicarum, *l.2. infr. de diſcuſſ.* In quibus nihil ſcribi ſolet, quod non mature diſcuſſum, & præſenti pecunia ſolutum ſit, nec enim in rebus fiſcalibus habetur fides de pretio, *l.5. ff. de jur. fiſci.*

Verum cum dico rationes initas, & diſcuſſas 4
non reſcindi, nec iterum ad examen reduci, intelligendum eſt, niſi fraus, dolus, metus, aut notabilis error intervenerit, qui gravet ſuſceptorem, aut adminiſtratorem rei fiſcalis, quia concluſio finalis, non extenditur ad ea quæ dolo, aut vi ſunt inſerta, aut incognita, uti nec ad ſummas, quarum mentio non ſit in rationibus ſubductis, quamvis in iis ſint adhibitæ renuntiationes, & pœnæ contra eos, qui calculi rationibus contradixerint. Bobadilla *in polit. lib. 5. cap. 4. num. 76.* Amaya *ad l.2. h.t. n.6.* Idem ante eos ſenſerunt Bart. & Joan. de Platea *ad l.2. ſup. de jur. fiſci*, quod quamvis rationes ſemel ſubductæ ex juris diſpoſitione, non debeant reſcindi, per modum actionis, ſaltem officio judicis hic error retractetur. Decianus *conſ. 94.* De quo errore plura dixi *ſup tit.* 1. & facit *l.4. C. de jur. & fact. ign.* Menochius *lib. 2. arbitr. cent. 3. caſ. 209. num. 39.*

Cæterùm ordinarij juris eſt, ut is qui creditum 5
petit, probare debeat id ſibi eſſe debitum: ſimiliter debitor qui ſolviſſe affirmat, legitime & plene ſolutionem probare tenetur. *l. 2. 12. 25. ibi legitimis ff. de probat. l. 1. C. eod.* At hic ſufficit quod debitor apocham ſe habere oſtendat, qua conſtet ſe tribus annis cohærentibus, functiones tributarias ſolviſſe, elicitur enim ex iſta ſolutione, vera & concludens probatio etiam præteritis annis ſolviſſe, *l.3. h.t.* quæ probatio, ſeu potius legis præſumptio, adeo potens eſt, ut in adverſarium ſeu exactorem transferat onus probandi, nec teneatur collator jurare ſe ſolviſſe annis ſuperioribus nec iſtorum annorum *apochas oſtendere, nec de præterito ad illationem coërceri*, ut ait *d. l. 3.* cum tantum requirat apochas exhiberi trium continuorum annorum, quæque reſpiciunt tempus preſens exactionis, quo cœpta eſt controverſia. Fachin. *lib. 13. contr. cap. 89.*

Atque hæc ita procedunt, niſi exactor, aut appa- 6
ritor, id quod repoſcit, manifeſta geſtorum aſſertione oſtenderit ſibi deberi, vincit enim præſumptionem.

tionem probatio *l.24. & ſeq. ff. de probat.* Alias ſi non probet exactor, ei non credetur. Nam quis quæſo credet, quod ſagax exactor in conſcribendis trium annorum ſibi cohærentium apochis, tam imprudenter ſe geſſerit, & contra morem aliorum executorum, ut præſentis debiti ſolutionem acciperet, nulla facta ſuperioris temporis mentione.

7 Sed quæritur an *d.l.3.* deciſio, etiam ad privatos debitores trahatur? Et eam trahi atque extendi videmus, ita ut qui de integra tribuſque penſionibus, & apochis diviſa ſolutione docet, aliis ſuperioribus annis ſolviſſe præſumatur. Quæ quidem præſumptio nititur non ſolum jure, ſed & generali conſuetudine, quod creditores debita antiqua prius exigant, quam recentiora, cum quia lapſus temporis non modica adferre ſolet incommoda, tum quod non expediat creditoribus debitores aſſueſcere tam diu ſolutionem æris alieni differre. Ant. Fab. *in ſuo C. tit. de ſolut. definit.* 32. & Ant. Deſpeiſſes *tract. des tailles ſect.* 1. *n.* 24. *in fin.*

8 Quæ cum ita ſe habeant, negari non poteſt quin ex eo quod emphyteuta, colonus, inquilinus oſtendunt poſterioris temporis ſolutiones dominis ſuis factas, oriatur efficax conjectura eos quoque annorum præcedentium penſiones dominis præſtitiſſe, ut fruſtra vetuſtioris debiti prætextu moleſtari debeant. Bart. Luc. de Penna & Valenzuela *ad d.l.5.* qui recte contra Hoſtienſem *de locato in fin.* tenet *d. l. 3.* beneficium etiam in Eccleſiæ emphyteuta procedere debere, itemque in cenſuario, qui trium annorum apochas protulerit. Theſaurus *deciſ.* 114. Mynſing. *cent. 5. obſerv. 39. num. 3.*

9 Verùm notandum hîc eſt *d.l.* deciſionem obtinere, quando ſolutiones trium annorum factæ ſunt quolibet anno, ſecus ſi vel una numeratione trium annorum penſitationes ſolutæ ſint, vel minùs integra ſolutio, aut non continui triennij facta proponatur; ſiquidem *d. l. 3.* totam præſumptionem ponat in triennali curſu, ita ut qui trium annorum cohærentium oſtenderit apochas, & ita quolibet anno ſolverit, præſumatur retrò in præteritum à ſolutione nunquam ceſſaſſe; quæ juris præſumptio ceſſat ubi quis per intervalla ſolvit, vel pecuniam à triennio debitam conſignavit, vel depoſuit. Gomez *ad l.68. Tauri in fin.* Amaya *ad d.l.3. num.* 18. *& ſeqq.* Merenda *lib.6. contr. cap.* 22. Similiter ſi is qui debitor eſt pluribus ex cauſis, ſi aliquam pecuniæ quantitatem ſolvat, non exprimendo cauſam, neque pro quo anno ſolvat, indubie præſumitur pro extinctione antiquioris debiti ſolviſſe, *l.5. ff. de ſolut.*

10 Igitur cautus debitor ſive fiſco, ſive privato ſolvat, apocham ſolutionis factæ recipiat, ne poſtea moleſtia afficiatur, & opponatur exceptio non ſolutæ pecuniæ, nam à privato exceptio iſta opponi poteſt; ſed intra dies triginta, *l. 14. ſup. de non numer. pecun.* quibus lapſis, amplius non auditur, quod libertationis favore, ita conſtitutum eſt. At vero à procuratore fiſci, nunquam opponitur iſta exceptio apochis ſeu ſecuritatibus publicarum functionum à ſe conſcriptis, ſed plane ſecurus eſt is qui apocham accepit. *l. ult. h. t.* Nullo periculo ei ob cauſam procuratoris fiſci, ſeu exactoris, qui tributa ſoluta ſuſcepit, vel tranſmittit, incumbente. *Novell.* 128. quod favore collatorum introduxit Juſtinianus, & ſive in ſolidum ſive pro parte conſcripta ſit ſecuritas, imo quamvis amiſſa, quoniam poteſt ſufficiens probatio ex rationibus fiſcalibus erui. *l.4. ſup. de fide inſtrum.*

An ergo pro parte exactori ſolvi poterit? Poteſt 11 quidem volenti, non invito, ne fiat præjudicium, & oriatur confuſio, *d.l.ult.* Bartol. *in l. quidam* 21. *ff. ſi cert. pet.* Quamvis nullum inde damnum fiſco immineat, quandoquidem exactor qui particularem ſolutionem recipit, principaliter maneat obligatus, iſque integram illationem intra præſcriptum tempus inferre teneatur, aut de ſuo complere; ſervata ſibi adverſus debitorem repetitione, & exactione. *l. 7. ſup. de exact. tributo.* * Quam 12 paratum & facilem ſemper habet executor per captionem pignorum, diſtractionem bonorum, vel detentionem perſonæ, ut dictum ſupra. Quæ certe ratio videtur moviſſe Imperatorem, ut nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ opponi voluerit apochis publicis. *d. l. ult.* Quoniam veroſimile non eſt, quod qui paratam habet exigendi facultatem, fateretur ſcriptis ſe recepiſſe, aut intuliſſe ſummas, quas revera non receperat.

Ut meritò fiſco contra talem exactorem maneat 13 actio. Non nego tamen quin eo excuſſo, & non ſolvendo exiſtente, poſſit debitor iterum pro tali debito conveniri, cum alius non ſit modus quo indemnitati fiſci conſulatur, quod indicat. *l. 2. ſup. de convent. fiſci debit.* At illud obiter hic notandum, propter dilatam ſolutionem, non eſſe cogendum debitorem aliquod intereſſe præſtare, cum ſatis oneretur ordinario tributo, ac ita ſæpius judicatum fuiſſe refert Ant. Deſpeiſſes *tract. des tailles in fin. num.* 44.

Poſtremò quæritur ſecunda parte tituli, quomodo 14 collatoribus proſpiciatur, ne ultra debitum conveniantur? Et quidem iis proſpicitur *deſcriptionibus curialibus:* hæ autem deſcriptiones dicuntur appretiationes, ſeu patrimoniorum æſtimationes, quod ut clarius perſpiciatur, animadvertendum eſt, quod cum ſæpe in imponendis collectis pauperes & tenuioris fortunæ homines à potentioribus cogerentur plura inferre, quam ferrent eorum facultates, ſtatutum eſt ut priuſquam hujuſmodi indictiones dividantur inter provinciales ſolvendæ, fiat uniuſcujuſque & ſingulorum bonorum & facultatum taxatio, & æſtimatio, eo modo & æqualitate, ut

Digitized by Google

ut ſecundùm quantitatem patrimonij, & non ſecundùm munus perſonarum quilibet provincialis pati debeat, ac ſolvere collectas & tributa, quæ quidem taxationes appellantur deſcriptiones, juxta illud: exiit edictum à Cæſare, ut univerſus orbis deſcriberetur.

15 Non tamen antè iſtæ deſcriptiones à curialibus factæ effectum habebant, quam inſinuatæ & approbatæ fuiſſent à præſidibus quorum muneri incumbit, ut in contributionibus æqualitas obſervetur, utque aurum quod ex hujuſmodi contributionibus redigitur, Suſceptori aurario conſignetur, deturque ab eo apocha de ſumma recepta, in qua & collatoris nomen, dies, menſis, annus, & cauſa ob quam præſtita functio fuerit, contineantur, *l. 1. h. t.* quibus obſervatis, ſatis apparebit ex apocha, quanta æqualitate deſcriptio fulciatur, & deſcriptus in ea, quam ſit defenſus & ſecurus adverſus exactores, ſi quid intentent, aut non plene ſolutum eſſe dicant. Præterea ad hunc ſuſceptorem & theſaurarium fiſcalium tributorum rationes ſuas mittere ſolebant exactores ſingulis quadrimeſtribus, atque illis inſerebant quidquid ex cauſa lucrativa exegiſſent, *de qua dictum infra de imp. lucr. deſcript.*

16 Omnes itaque iſtæ ſolemnitates requirebantur, ne deſcriptiones & taxationes fraudulenter fierent in perniciem pauperum, cum pro modo facultatum munera patrimonialia ſint imponenda *l. 2. §. 15. ff. de munerib.* Huc facit *&* *d. l. 1.* ibi, *quo & deſcriptionis æquitas illuſtretur*, ut ſcilicet hanc æquitatem ſeu æqualitatem obſervent Præſides, & civitatum rectores, ne pauperes graventur, & divites exonerentur; ſed omnes inſpecta quantitate patrimonij tributa pendant, nam quid indignius, quam quod omnium onus non omnes ſuſtineant, & quod infirmiores ferant ſarcinas fortiorum, ut conqueritur Salvianus *l. 4. & 5. de provid. Dei. Decernunt*, inquit, *potentes, quod ſolvant pauperes, decernit gratia divitum, quod pendat turba miſerorum. Quid iniquius eſſe aut indignius poteſt, quam ut ſoli ſint immunes à debito, qui cunctos faciunt debitores.*

17 * Servanda enim geometrica proportio, non arithmetica, ut qui nimirum majoribus prædîti ſunt facultatibus, locupletioreſque exiſtunt, plus ſolvant, quam ij qui minus habent. *Novell. 17.* ibi Rittershuſius & Tholoſ. *de republ. l. 3. cap. 5.* Et qui fundos habent fertiles, ſuppleant defectum eorum qui ſteriles poſſident. Neque enim fundi & prædia tantum quoad nomen & ſitum, ſed potiſſimum quoad fertilitatem & ſterilitatem in publicum æſtimum redigi debent, ut poſſit fieri peræquatio, & juſta contributio.

18 Juſta eſt quæ per æs & libram fit, id eſt, ſecundum vires & quantitatem patrimonij, ut dixi *per l. 1. h. t.* habito nimirum reſpectu potius ad fructus quam ad valorem rei. *l. 2.* ibi Bart. *infr. de prædiis & aliis ribut navic.* At cum quis ratione fructuum perceptorum tenetur pendere tributum, intelligi debet deductis impenſis, quia bona & reditus dicuntur deductis debitis oneribus, & ære alieno, *l. 1. C. de fructibus & lit. expenſ.* ut non recte aliqui exiſtiment, referente Garſia *de expenſ. cap. 11. num. 60.* quod ratione publicæ utilitatis, deductio impenſarum in fructibus fieri non debeat, quando de ſolutione contributionis agitur. Valaſc. *de jur. emphyt. quæſt. 17.* Multo magis illi errant, qui bonorum æſtimationem, & non fructus ſequuntur. Nihil enim iniquius quam ſi indictio ſeu collecta ſecundum hanc æſtimationem, & non pro fructuum quantitate exigatur, *l. 4. §. 1. ff. de cenſib. l. fructus Cod. de actionib. empti.* Igitur qui plus percipit, plus ſolvat, qui minus, etiam minus, ſemper locupletiores magis, tenuiores autem minus graventur, & ſi gravati ſint, releventur. Weſemb. *conſ. 103. num. 15.* Martin. Laudenſ. *de fiſco q. 75.* & alij citati à Klockio *de contribut. cap. 11. & 17. num. 90. & ſeqq.*

TITULUS XXIII.

De Canone Largitionalium Titulorum.

1. *Quis dicatur canon rationalium titulorum.*
2. *Quomodo largitiones collectæ referrentur ad Theſaurarios, inde mitterentur ad Comitem ſacrarum largitionum.*
3. *Item pecunia ex tributis collecta, mittebatur ad certum provinciæ locum, inde ad ſacrum comitatum dirigebatur, hodie ad curiam regiam.*
4. *A Comite mittebantur Palatini qui urgerent exactionem, quam ſi illis præſides denegarent, puniebantur.*
5. *Opinatores in provinciam miſſi non poterant exigere, ſed inſtare apud Præſidem, ſic hodie receptores inſtant, niſi etiam habeant jus exequendi.*
6. *Non debent judices ſubterfugere examen cauſarum nec per alios obire munus ſuum. Tribunorum exactio. Quomodo vindicatur à Præfecto prætorio.*
7. *Obſervabatur antiqua exactionis conſuetudo. Hodie facienda juxta facultates civium, ſi qui eorum omiſſi in formula, æque ſolvere coguntur.*
8. *Neque excuſantur ſi proferant litteras præſidis, quia tantum litteris Principis creditur.*
9. *Privilegium ne curſus publici oneri ſubjiciantur Chartularij, & quinam hi fuerint.*
10. *Illorum defenſio judicibus injungitur. Item conſervatio largitionalium titulorum, ne minuantur vel confundantur.*
11. *Duæ arcæ una fiſcalis, altera Largitionum. Duo quoque Numerarij. Quid ſint tituli largitionales.*

Digitized by Google

11. *Largitiones faciendæ à Principe in benemeritos ſed cum menſura.*

1 Superioribus titulis dictum eſt, in publicum conferri à ſubditis annonas, tributa, canonem, operas & coëmpta, & quia de annonis, tributis, & indictionibus actum eſt, cæteras collationes breviter pro inſtituto noſtro percurramus. *Canon* largitionalium titulorum, erat certa ſumma auri, vel argenti, vel reliquarum ſpecierum pars, ex contributione redacta, & deputata Principis largitionibus, vel neceſſitatibus privatis, quæ ideo ex more inferebantur in arcam ſacrarum largitionum, quam ſacrum ærarium, aut theſaurum, vocabant. *l. 1. h. t. l. 7.*
2 *infr. de ſuſceptor. l. un. infr. de argenti pret.* * Erat autem hic canon ſeu ordo receptus, ut exactis tributis, Canonicarij annis ſingulis has largitiones colligerent, interpoſita auctoritate Præſidis, deinde ne eas apud ſe retinerent, cavebatur, ut ſtatim exactione celebrata, omnes ſpecies & ſummas ſub obſignatione tabulariorum, cæterorumque ad quos hujuſce rei cura ſpectabat, inferrent theſauris cujuſque provinciæ, ut ſic ſuſceptoribus & theſaurariis, traderentur ac exinde transferrentur ad ſacrarũ largitionũ Comitem, *d. l. 1. h. t.* Quem hodie theſaurarium
3 generalem vocamus. * Similiter ex vectigalibus, tributis aliiſque indictionibus collectam pecuniam ad primarium provinciæ locum mittebant exactores & ſuſceptores particulares, ubi conſervabatur à præpoſitis theſaurorum, donec ad ſacrum comitatum dirigeretur: prout nunc ex provinciis in curiam regiam omnis pecunia tranſmittitur, nam non convenit eam apud ſuſceptores diu remanere, cum illi magis proprio, quam publico commodo ſtudeant, *l. 1. ſup. de offic. com. ſacr. larg.*

4 Quamobrem ut exactores & Provinciæ Rectores, eorumque officia, in contributione exactione facienda maturarent, mittebantur à Comite Largitionales, ſive Privatiani qui urgerent, & inſtarent; ſed illi non poterant executorum officio fungi, neque provinciales convenire, aut cogere ut præteriti vel præſentis temporis debita ſolverent, nam hoc ad præſidis provinciæ officium pertinebat, qui tamen ſi ut moleſtiam declinaret, iſtis Privatianis ſeu Palatinis commiſiſſet publicæ exactionis curam, tam ipſe quam officium ejus, vicena anri pondo dependebant, *l. 2. hoc tit.* Ratio hæc erat, ut Palatinorum rapacitas & avaritia cohiberetur, qua vix abſtinebant, libera ſibi relicta manu, & poteſtate exigendi.

5 Quæ cauſa etiam fuit, cur Opinatores, ſeu exactores militaris annonæ (quod milites eſſent) in provinciam miſſi, non poſſent exigere, ſed tantum inſtare apud præſidem, cui competebat exactio, ut intra annum annonas acciperent, *l. 7. ibi Cujacius ſup. de exact. trib.* Aſſidue dimicantibus difficile eſt, inquit Caſſiodorus, morum cuſtodire menſuram, & in exactione modum ſervare, *lib. 1. Epiſt. 11.* Hodierni ſuſceptores, & theſaurarij habent quidem jus exigendi & recipiendi tributa, & reliqua ex vectigalibus, ſed non juriſdictionem aut coërcitionem ad compellendum debitores, ſed inſtare debent (ut olim Palatini) apud Præſidem, ſeu judices ordinarios, ut adverſus eos decernant litteras executoriales: niſi conſuetudo contraria ſit in uſu, ex qua poterunt prædicti officiales, cogere debitores ad ſolutionem canonum, *d. l. 7. & d. l. 2. h. t.* ibi Platea, & Franc. Marc. *in deciſ. p. 2. q. 204. n. 2.*

Ex quibus item colligitur non debere judices 6
propter invidiam aut moleſtiam ſubterfugere cauſarum cognitionem & deciſionem. Notantur & deſides, qui ne incumbant cognitioni cauſarum, ſolent eas aliis delegare, ut meritò ſi quid iniqui interea contigerit, aut intra tempus cauſæ deciſæ non ſint, Judices detrimentum quod ex ſua negligentia parti evenerit, præſtare teneantur. Farinac. *3. tom. crim. q. 111. n. 307.* Debet itaque quiſquis perſonam publicam ſuſtinet, munere ſuo fungi per ſe, non per alium, cujus non eſt electa induſtria. Ea propter Præſides & curiales quos cura manet exigendi, per ſe procurare, atque efficere debent, ut quantocius ſolemnes canones plenè inferantur ſacro ærario, prout priſca & inveterata conſuetudo inferri conſtituit. Et ſi forte delegatio quæ à Præfecto prætorio ex more, quotannis, ſeu initio cujuſque indictionis emittitur non plene contineat omnes largitionales titulos, aut quoquo modo exactio eorum debeat procedere, ut ipſi Præſides ſuppleant, quod delegationi deeſt, *l. ult. hoc tit.*

Vult igitur hæc lex in largitionibus inferendis 7
ſacro ærario, antiquam conſuetudinem obſervari, & juxta eam delegationem fieri, ſi quid autem in ea deſit, ſuppleri à Præſidibus, propoſita inſuper iis vicenarum librarum auri condemnatione. Verum lex iſta moribus hodiernis non procedit, quia quotannis fit exactio, ſecundum civium facultates, exhibita prius formâ Rectoribus civitatum, in qua ſi non omnes populi contineantur, qui ſolebant æque contribuere, poterunt dicti Rectores etiam in locis iſtis non numeratis, curare interim exactionem fieri, quouſque ſuperiorem conſuluerint, ne ſi aliqui populi eximantur, alij reclament, ſeque graviori onere involvi dicant, quod prius inter omnes iſtius diſtrictus populares dividebatur.

Quare nihil æquius quam veterem conſuetudinẽ, 8
in largitionibus & tributis inferendis obſervare, *d. l. ult. in fin.* adeò ut ſi contra eam litteræ Præſidis proferantur, iis tanquam ſubreptitiis non credatur, quia ut non eſt in poteſtate Præſidis, provinciales eximere, aut aliquibus remittere, quod tributi nomine

mine debent, *lib. 3. ſup. de annon. & tribut*, ita nec alium exactionis modum præſcribere, terminum ſolutionis prorogare, quantitatem augere, vel minuere. Bart. & Rebuff. *ad d. ult.* ſolus enim Princeps id poteſt, ejuſque litteris creditur, ſi apud acta provinciæ Rectori intimentur, *l. 1. tit. ſuperiori.* Alias ſine Principis litteris, nec ipſi quidem exactori ordinario creditur, quantumcumque ſuam commiſſionem per teſtes probaverit, *DD. ad d. l. 1.* Azevedo *in conſt. Reg. Hiſp. l. 6. tit. 14. §. 5.*

9 Hinc ſi propter inveteratam conſuetudinem provinciæ Rectores, curſui publico vel alij gravamini Chartularios ſubjecerint, quos defendere potius deberent, ac ab omni munere immunes reddere, triginta librarum auri condemnatione plectuntur. *l. 3. h. t.* Chartularij quales hodie Notarij cameræ, ex cohortalibus electi, in ſingulis provinciis largitionales titulos tractabant, quadrimenſtruos breves conficiebant, atque iterata cura, & ſedu a diligentia chartas rationum diſpungebant, ita ut cum perpetuo ſcriptionis oneri incumberent, debuerint in alio ſublevari, & ab veredaria neceſſitate eximi.

10 Quo fit ut omnibus Judicibus Chartulariorum defenſio commendetur, iiſque injungatur conſervatio largitionalium titulorum, ne eorum exactio, ſemel alicui ſuſceptori injuncta minuatur, neve etiam confuſio titulorum fiat, id eſt, ne quod ærario, ſive arcæ præfectoriæ debetur, alij arcæ inferatur; quamquam ſint omnes tituli largitionales,

11 *l. 13. infr. de ſuſcept.* * Nam duæ erant arcæ, una fiſcalis, altera largitionum: duo quoque Numerarij in provinciis collocabantur, & ad unum fiſcalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales tituli pertinebant, *l. ult. h. t. & l. 4. infr. de numerar.* Titulos vocant cauſam debiti, & rationem præſtationis; ſed hic proprie tributa illa dicuntur, quæ ſtatim ac ſolvuntur, immittuntur in arcam largitionum, cum ob eorum cauſam ſolvantur, ut ex iis Princeps largitiones, in bene de Republica meritos faciat. Amaya *ad h. t. in princ. num. 14.*

12 Hodie vero quia non alio fine hujuſmodi largitiones fiunt, & exiguntur, quam ut augeatur privatum Principis ærarium, ejuſque neceſſitatibus ſubveniatur, poterit Princeps, quem decet munificum eſſe, ex illis quandoque dona publice privatimque depromere, & præmia quibus bene de Republica meritos afficiat, ſervato modo & menſura, ne magis perdere quam donare videatur: Non enim Principi (ut de filiofamil. loquitur Ulpian.) ad hoc datur libera adminiſtratio, ut perdat, *l. 7. ff. de donat.* Perditur enim pecunia, cum in ea eroganda nullus modus conſtituitur, ſed temere in res futiles profunditur, aut in aulicos adulatores confertur. Modus igitur liberalitatis tenendus eſt, ut quod benefacit Princeps, quotidie facere poſſit, ſive ut Cicero dicit, *Ita dare debet, ut diutius dare poſſit.* Laudatur quidem in Principe liberalitas, ſed ſi modum non habeat, adfert exitium. De modo diximus ſupra *tit. 14. num. 2. & 44.*

TITULUS XXIV.

Ne operę à collatoribus exigantur.

1. *Provinciales præter tributa, aliis oneribus ne graventur. Damnatur & advocatorum avaritia annonas petentium.*
2. *Ad quæ obſequia teneantur hodie collatores. Item coloni; & ad quæ non?*
3. *An domini locorum poſſint imponere ſubditis operas vel ab iis aliquid exigere?*
4. *Poſſunt exigere id ad quod ſubditi ex conventione obligantur, ſecus ſi quid præſtiterunt ex benevolentia.*
5. *Præſtari debent ſolita dominis, etiam non probato titulo.*
6. *Ita exigenda ſervitia à ſubditis ut tempus iis relinquatur ſe ſuoſque alendi.*

Hujus tituli conſtitutio operarum prębitionem, 1
quæ à collatoribus expetitur, ceſſare præcipit, quoniam ſatis tributis ordinariis, aliiſque indictionibus gravantur, *l. un. h. tit.* cum æquum non ſit, ab aliquo plus exigere quam debeat, & occaſionem dare deprædandi, *l. fin. infr. de lucr. advoc. & l. 2. eod. tit.* ubi cavetur ne quis ex officialibus aut ſcholaſticis, ſeu advocatis, præter conſueta honoraria pro defenſione cauſarum accipiat, & damnatur illorum avaritia, qui pro ſe & animalibus alimonia abſque pretio ſolerent exigere, & annonas accipere. *in l. 2. C. Theod. de concuſſionib. advoc.*

Sed intellige hic præſtationem operarum ceſſa- 2
re, quæ illicite exigitur, ut ſi ruſtici cogantur equos ſuos præbere, alienos proſequi, aut cuſtodire, aut alia ſervitia præſtare, per quæ avocari poſſent ab agricultura, *l. 1. infr. ne ruſticani ad ull. obſ.* At vero obſequia quæ licite & urgente publica cauſa exiguntur, præſtanda ſunt. Unde ad vehendam annonam; & ſarcinas militum, per ſuum diſtrictum ruſtici ſuos equos, ad modicum tempus utendos præbent, prout & olim commodare ſolebant, etiam non ruſtici, ſuos equos ad vehendas ſpecies fiſcales, *l. 1. & 2. de priv. dom. Aug.*

Adſtringuntur & omnes cives ad excubias in adventum ſui Principis, & ad reparationem viarum, pontium, aggerum, publicorumque fluminum; item ad inſtructionem murorum, eorumque defenſionem tempore belli, ſed hæc alterius ordinis ſunt, & magis pertinent *ad tit. de quib. muner. & præſt. nemini liceat ſe excuſ. & ad tit. ſeq.*

3 Illud propriùs hic quæritur, an locorum Toparchæ, ſeu domini poſſint imponere ſubditis ſuis operas? Et verius eſt, nec operas imponere, nec ab eis ſervitia poſſe exigere, abſque ſalario, quoniam cum voluntaria ſit obſequij præſtatio, non debent domini ex hoc ſibi jus arrogare, aut aliquid prætendere, quaſi debeatur. Etenim per donationem quam eis Princeps fecit concedendo dominium, non tranſiit hoc jus, quod ſupremæ poteſtati adhæret, eſtque de regalibus, regalia autem non veniant ſub generali conceſſione. Præterea non juvabit dominos, quod per longum tempus ſubditi iſta obſequia præſtiterint, aut onera ſubierint, quia exiſtimantur per violentiam impoſita, atque timore magis quam jure præſtita Lopez *ad l. 6. titul. 25. part. 4. verbo devenlos ſervir.* Accurſ. Platea & Amaya *ad l. un. h.t.* niſi hujuſmodi violentiæ & oppreſſionis præſumptionem excludat immemorialis conſuetudo, aut præſcriptio quadragenaria, titulo ejuſque probatione ſubnixa, *c. 1. de præſcript. in 6.* Covarruv. *in c. poſſeſſor. p. 2. §. 4. num. 5. de reg. jur. in 6.* Bobadilla *in polit. l. 2. c. 16. n.* 118.

4 Quod ſi vero ex cauſa emptionis, permutationis, aliove contractu obſtricti ſint ſubditi quippiam facere, vel præſtare, ad id in perpetuum annis ſingulis præſtandum à dominis ſuis cogi poterunt. Salicetus *ad l. ſi certis annis q. 1. C. de pact.* Vaſquez *l. 2. Ill. contr. c.* 84. *n.* 31. Dico ex contractu, quia ſi jure familiaritatis, vel benevolentiæ, ſervitia, aut munera quædam annue dominis ſuis detulerint, non adſtringuntur in poſterum ea præſtare, cum ex actibus qui à mera voluntate pendent, non acquiratur aliqua poſſeſſio, *l. 41. ff. de acq. poſſeſſ.* Menoch. *libr. 2. arbitr. jud. caſ. 160. n.* 17.

5 Eo autem caſu quo longa conſuetudine, ſoliti ſunt ſubditi, ſuis dominis operas præſtare, ad eas compelli poterunt, ſi modo deducatur cauſa aliqua ſpecifica obligationis diutinæ, etiamſi ea non probetur juſta probatione. Argentræus *ad conſuet. Britanniæ art. 277. n. 13.* ſequutus Alexandrum *conſ. 124. lib. 4.* Latius ea de re dicetur *infra tit.* 74. Præſtanda tamen fuerint iſta ſervitia ſecundum conſuetudinem regionis, aut conventionem.

6 Ac ſi, ne nimium miſeri ruſtici, aſſiduis operis, angariis & perangariis graventur, ut non ſuppetat eis tempus ſe & ſuos alendi. Extant de hoc abuſu frequentes querimoniæ, quas refert Sextinus *l. 2. de regal. c. 13. n.* 50. atque hæc extorſio inſolitorum ſervitiorum jure improbatur, *l. 50. §. 1. ff. de operis libert.* ubi Neratius reſpondit, quemlibet operas edentem, alendum aut ſatis temporis ad quæſtum alimentorum ei relinquendum. Ideoque ordinaria remedia contra ejuſmodi oppreſſiones prodita ſunt, quin & illis omiſſis, permiſſum eſt ſuperiori magiſtratui ad querelam ſubditorum ubuſum & ſævitiam hanc dominorum reprimere. Surd. *conſ.* 83. *num.* 8. Gail. 1. *obſ. 17. n. 3. & l. 2. obſ. 61. n.* 13.

TITULUS XXV.

De Immunitate nemini concedenda.

1. *Cur non eſt concedenda immunitas à patrimonialibus.*
2. *Pœna ignis imponitur Tabulariis, qui alicui profitentur immunitatem, hodie quæ ſit pœna?*
3. *Immunitatis privilegum non creditur conceſſum, quod fiſco & aliis nocet, ſed ſtricte interpretandum.*
4. *Nec extendendum ad onera, quæ tempore belli imponuntur. Utilitati communi omnia cedunt.*
5. *An à ſucceſſoribus debeat confirmari privilegium.*
6. *Urgente neceſſitate poteſt Princeps omnes exemptos cogere ad contributionem, nec immunis ſublevatur.*
7. *An is qui immunitatem habet à collectis, aliiſve oneribus, ſi ſolvat, ſibi præjudicet in futurum.*
8. *Si proteſtetur contribuens, non videtur privilegio renunciaſſe, niſi per annos 30. ſolverit.*
9. *Immunes ad reparationem aggerum, viarum & ſimilium munerum adſtringuntur.*
10. *Moribus ſolet collecta imponi omnibus, ut reparentur opera publica.*
11. *Ad quos olim cura iſta refectionis & inſtructionis ſpectaret.*
12. *Solet concedi civitati jus immunitatis, eſtque perpetuum etiamſi cives deficiant.*
13. *Civibus deficientibus, datur aliis immunitas, ut oppidum inhabitent, eſtque perpetua, etſi ea non ſint uſi.*
14. *Cedit immunitas in perpetuum data, in incommodum concedentis.*
15. *Immunitas non ſolvendi vectigalia data civitati, quomodo ſit intelligenda.*
16. *Certis perſonis data immunitas, hæredibus non cenſetur conceſſa: eos interdum comprehendit conceſſio qui ex maſculis ſunt progeniti.*
17. *Perſonis data immunitas cum perſona extinguitur. Eccleſiaſtica prædia ad laicos tranſlata immunitatem amittunt.*

IMmunitas alia eſt onerum patrimonialium, alia perſonarum: à muneribus patrimonialibus & 1
præſtandis tributis, rarò olim concedebatur, prout & hodiè, quod Reipublicæ interſit habere ærarium opulentum, nam ſine pecunia, nec hoſtibus occurri poteſt, nec patria propugnari, nec neceſſitatibus ſubveniri. Quod cùm animadverterent Romani Principes, abolitâ ſpecialium immunitatum gratia, omnes omninò ad obligationem functionum publicarum urgeri volunt, ac inter eos ſervari

vari æqualitatem, revocatam ad priſtinam rationem cenſus, quamque cenſitorum peræquatorumque officium confirmaverit, *l. 1. h.t.* æquum enim juſtumq; neminem à tributorum onere immunem eſſe, cum ex æquo ad omnes utilitas eorum, in quæ inſumuntur, redeat. Eò pertinet *l. un. C. Theod. ſi per obreptionem fuerint impetrata.* Ibi privilegia omnia paucis perſonis conceſſa, in perniciem plurimorum in irritum devocentur, omneſque hujuſmodi immunitates, quacumque ambitione meruerunt, ad æquale provincialium cæterorum conſortium reducantur. Et rectè, cum æquale onus faciliùs à pluribus, quam à paucis ſuſtineatur, & æquiore animo præſtetur, quod ab omnibus ſolvitur:

Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat.

2 Quamobrem Tabularij civitatum, qui rationes tributorum tractant, ſi per fraudem, aut ambitum aut poteſtatem, injuſtè cujuſquam immunitatis profeſſionem admittant, vivi exuruntur, *d.l. 1. in pr.* Nam & majeſtatis crimen committunt, qui contra publicam utilitatem falſum ſcientes conſcribunt, ac per colluſionem potentiorum, onera ad inferiores transferunt, *l. 1. infr. de cenſib.* ideò ut à tali auſu deterreantur omnes qui rationes conficiunt, pœna concremationis tabulariis imponitur. Hodiè mitiore pœna coërcetur tabellionum falſitas, niſi ejus qualitas pœnam extendat ad mortem, quam meritò ſuſtinent Tabularij, qui contra publicam utilitatem, atque in Principis ſui contemptum audent immunitatem concedere, aut falſo teſtificari conceſſam eſſe alicui, ut eum ſubtrahant à functionibus, nam præter falſitatem quam committunt, Principis auctoritatem lædunt dum ejus jura uſurpant, *l. 2. ff. ad l. Jul. Majeſt.* Menochius *lib. 2. arbitr. Caſ.* 582. *num.* 2.

3 Igitur quamvis Provinciales quandoque à muneribus ſordidis & perſonalibus immunitatem obtineant, eam tamen à matrimonialibus & tributis perperam impetrare conantur, & ſi impetrata ſit, non tenet, *l. 10. ſup. de SS. Eccleſ. l. fin. ſup. ſi contra jus vel util.* Nam non cenſetur Princeps conceſſiſſe, quæ publicam cauſam lædunt, & damnoſa ſunt fiſco, quæque tendunt in perniciem aliorum, quibus injunguntur onera & munera, quæ eo graviora cenſentur, quo plures eximuntur. *Lex præclariſſima eſt*, inquit M. Cicero, *lib. 3. de legib. quæ privilegia tollit, majores enim noſtri in privatos homines leges ferri noluerunt, id eſt enim privilegium, quo quid eſt injuſtius?* Quo fit ut privilegium immunitatis certo corpori, aut familiæ conceſſum, cùm cedat in cæterorum, qui de eadem communitate ſunt, præjudicium & gravamen, non ſit latè accipiendum, *ut in fin. tit.* exemplo oſtendam. Nec movet quod Princeps velit latiſſimè beneficia à ſe conceſſa interpretari, *l. 3. de conſtit. princip.* quia id procedit quando Princeps aliquid præter legem concedit ut ex Parladorio obſervat Amaya, *ad h. l. 1. num.* 21. Ubi addit immunitatis privilegium utpotè ſtrictum & odioſum non extendi ad munera inſolita, & quæ fortuitò ſuperveniunt, *arg. l. 69. & l. 77. ff. de contr. empt.* * Idem poſt Rebuffum Chriſtinæus *ad tit. ſeq.* in Belgio judicatum meminit, 4 quod immunitas certo corpori, aut urbi conceſſa, in dubio non extendatur ad onera tempore belli, aut alterius neceſſitatis ſubeunda. Omnia namque privilegia tunc ceſſant, & utilitati publicæ cedunt cuncta privata, quoniam Reſpublica incolumis, res privatas facilè ſalvas præſtat.

Huc pertinet quod tametſi privilegia Principis, collegio alicui, aut familiæ conceſſa, debeant eſſe 5 perpetua, exiſtimant tamen plerique, ea non ſolùm à concedente, ſed ab ejus ſucceſſore poſſe revocari, aut ſaltem ſuſpendi, niſi petita, atque impetrata fuerit privilegiorum confirmatio. Quod & olim Tiberius primus in uſum invexit decrevitque ut indulta à Principibus defunctis beneficia, non aliter rata haberentur, quam ſi ipſe confirmaſſet, cùm antè Principis beneficium, niſi ad tempus datum eſſet perpetuum haberetur. Sueton *in Tito.*

Ego autem puto debere beneficium Principis 6 eſſe perpetuum, niſi incipiat eſſe damnoſum communitati cujus cauſa potior eſt. Atque ita ubi illa exigit privilegij mutationem, jure Princeps privilegium etiam quod in contractum tranſivit, tollere & abrogare poterit. *l. 5. ff. de decret. ab ord. faciend. c. ſuggeſtum de decimis.* Multò magis id ad tempus ſuſpendere, & imperare ut ob communem neceſſitatem omnes exempti contribuant, aut generatim aliquid præſtent. Quod ubi indictum eſt omnibus, privilegij allegatio non relevat, nec excuſationi defertur. Decianus *reſp.* 51. *n.* 3. *vol.* 3. Klockius *de contribut. cap.* 16. *n.* 194. & nos infra latiùs *tit.* 47. *num.* 14.

Sed quæſtionis eſt, an is qui immunitatem habet à collectis, decimis, aliiſve oneribus, ſi ſolvat, ſibi 7 præjudicet in futurum? Et quamvis regulariter immunitas amittatur per actus contrarios, ita ut immunis à collectis ſi ſemel aut pluries eas ſolverit, eo ipſo videatur renuntiaſſe ſuo privilegio, *c. ſi de terra c. 12. X de privil.* Attamen verius eſt hunc immunem ſibi non præjudicare, quoad futuras ſolutiones, ſed ſolùm in eo quod eſt ſolutum. Nam conſenſus qui actum conficit, ſolum quoad actum illum operatur cui adhibitus eſt. * Ideoque denuo ſolvere 8 juſſus poterit priſtinum ſuæ immunitatis jus allegare, eoque ſe tueri, ac proteſtari ſe non ſponte ſolviſſe, ſed ut exemplo aliis non exemptis præiret, vel ut obedientiam quam debet ſuo Principi, oſtenderet, vel ut publicæ cauſæ ſatisfaceret, aut ut metum vexamque redimeret. Quæ proteſtatio, & recuſatio ſolvendi, præſcriptionem interrumpet, aut ſaltem

efficiet, ne videatur exemptus ſuæ exemptioni renuntiaſſe: niſi forſitan totos annos triginta contributionis impoſitæ ſolutio à ſe & deceſſoribus ſuis facta oſtendatur. Tantum enim tempus, exemptionis privilegium omninò aufert & extinguit. Ut enim aliquis immunitatem à contributionibus non niſi triginta annorum curriculo acquirit, ita acquiſitum jus, non niſi iſto 30. annorum ſpatio deperdit & amittit, *juxta reg. in l.35. & l.10. ff. de reg. jur.* Cagnolus *in l. nemo §. temporaria ff. de reg. jur.* Ubi dicit quod conſuetudo jam completa, non tollatur niſi eodem modo, quo fuit inducta, id eſt, per contrariam conſuetudinem. Surdus *conſ.262. n.80. & ſeq.*

9 Ex quibus apparet, quàm odioſa ſit immunitas, & quàm facilè privilegium amittatur, quod non eſt conceſſum firmatumque contractu, vel ob remunerationem obtentum, *de his latè* Klockius *d. cap. 16.* Quandoquidem etiam poſſeſſores qui immunitatem habent ab oneribus civilibus, nihilominus conferre teneantur ad reparationem publici aggeris, ad vetera mœnia reparanda, & nova fabricanda. Item ad inſtructionem portuum, pontium, viarum, pro numero jugerum & capitum animalium, quæ poſſidere noſcuntur, *l.2. h.t.* ubi exponit Accurſius pro quantitate ſubſtantiæ cujuſq; immunis. Quod procedit ut etiam domus Auguſta, & venerabilis Eccleſia teneatur ad iſta onera, quia publica & communia omnibus ſunt, nec inter ſordida munera numerantur. *l.7. ſup. de ſacroſ. Eccl. & infr. tit. de privil. domus Auguſtæ l.4. & 5. C.Theod. de itinere muniendo.* Amaya *ad h.tit.* Bobadilla *lib. 3. polit. c. 5. num. 33.* Annæus Rubertus *lib. 2. rer. jud. c.3.*

10 Hodiè cum ad viarum reparationem, & ædificiorum publicorum inſtructionem, contributio privatorum non ſufficiat, ſolet publica auctoritate collecta imponi mercibus, item ſarcinis, quæ in urbes invehuntur & evehuntur, quæ ratio conquirendi pecuniam levior & promptior videtur, neque ab iſto onere ullus excuſatur privilegio dignitatis, aut immunitatis, *l.1. §. 3. verſ. quicumque ff. de via publ. etſi.* ſiquidem cauſa reparationis neceſſaria ſit & periculum ingruat; nam immenſa opera & inſanæ moles ex ingenio laſcivientis fortunæ, nihil ad immunes, multò minùs ad pauperes ſubditos ſpectant, ut rectè Argentræus *ad conſuet. Brit. art. 92.*

11 Olim quidem publica opera reficere, & à fundamentis extruere magnificum cenſebatur, reputabaturque inter honores, decreto ordinis opera ſuſcipere & perficere, & qui ea ſuſcipiebant, curatores operum publicorum dicebantur, Paul. 5. *ſent.* Juſtiniani tempore Præſidibus ſollicitudo & cura iſta viarum publicorumque locorum, & portuum incumbebat, prout etiam cæterarum rerum, quæ ad civium conſervationem, publicumque aſpectum & ornatum pertinent, *Novell. 17. cap.4. & Novell. 25. cap.4.*

Porrò non tantùm privatis perſonis, & certis corporibus data ſunt à Principibus privilegia, & jus immunitatis, ſed etiam urbibus, provinciis & ditionibus propter merita & obſequia tempore belli præſtita, propter incurſus hoſtium & damna, quæ optimi cives ſuſtinuerunt, exemplo Romanorum qui multis privilegiis & honoribus fuerunt decorati, eò quod pro tuitione Reipublicæ, bona & ſanguinem ſuum fundere non dubitarint. Simile immunitatis jus habuerunt coloniæ, & plura loca quæ fuerunt juris Italici, *l. 1. 6. & ult. ff. de cenſib.* Item noſtri Belgæ à Romanis ſubacti. Tacit. *4. hiſt. & lib. de moribus Germ.* Atque hoc jus immunitatis dicitur reale, & tranſire ad poſteros in quibus perdurat civitas, *l. 4. §. 3. ff. d. t.* Surdus *conſ.262. num.43.* Ut non obſtet quod nullus civium ſuperſit ex illis qui tempore immunitatis conceſſæ fuerunt, cùm jam alij ſuffecti ſint, & univerſitas ſemper eadem eſſe cenſeatur, *arg. l.76. ff. de judiciis.* Atque ideò dicimus privilegium civitati datum eſſe reale, ac perpetuum, juxta id quod dicitur de grege legato, *in l.21. & ſeq. ff. de leg.1.* licet enim grex adeò immutatus ſit, ut nec ovis quidem quæ legati ſcripti tempore fuit, hodiè ſuperſit, ſed omnis ex ſobole poſtea nata ſuffectus ſit, eundem tamen gregem dici, atque ideò hoc caſu legatum teſtamento deberi conſtat. Quia cum quid in locum alterius ſufficitur, idem cum eo eſſe exiſtimatur. Clock. *de contribut. c.16. n.57.* 12

Hinc ſolet Princeps deficiente civium numero civitati nova indulgere privilegia, ut ſic faciliùs invitentur exteri ad incolatum, item iis, ad exemplum Veſpaſiani Cæſaris, vacantes areas, & domos aſſignare, & prædia addicere, ſub perpetua immunitate, & irrevocabili, quod videantur novi cives quaſi cum Principe contrahere, ejuſque fidem ſequi, *l.1. ff. de jure immunit.* Amaya *ad l. fin. ſup. de annon. n.5.* adeò ut quamvis ea immunitate non fuerint uſi, adhuc tamen vires habeat, nec poſſit adverſus eam exceptio temporalis opponi, ſed longiſſima ſit neceſſaria, *l. 5. ſup. de præſcript. 30. ann.* Vaſquez *lib. 1. contr p. 2. cap. 2. num. 5.* 13

Verùm hoc jus immunitatis datum civitati, intelligendum eſt Principi decreſcere, ac tantò minùs ab incolis tributi nomine accipere. Boërius *deciſ. 213.* civitatum namque exemptio cedere debet in incommodum concedentis immunitatem, non aliorum, quandoquidem portio exemptorum erat perſolvenda Principi. Vide quæ *ſup. tit. 16. num. 12.* dixi. 14

Cæterùm iſta civitatum exemptio ſtrictè accipienda eſt, ut videlicet cives non teneantur ſolvere vectigal, aut gabellam de rebus quæ ex cultura & labore proveniunt, vel de rebus quas ex patrimonio 15

Digitized by Google

nio vendiderunt, propter neceſſitatem rei familiaris, ſecus eſt in rebus quæ ad negotionem pertinent, vel ab aliis proveniunt, atque ita conſtitutum in Hiſpania, *l. 11. tit. 18. lib. 9. recopil.* dicit Larrea *alleg.* 11. ubi plures DD. refert; quod ſi ita in aliis regnis non ſit diſpoſitum, aut ſuper eo dubitatio oriatur, conſulendus erit Princeps, tanquam auctor & fons, ex quo omnia privilegia & exemptiones profluunt: hic enim ut ſolus, privilegia principalia interpretatur, *l. ex facto ff. de vulgari*, ita etiam ſibi reſervat jus reſtringendi, vel revocandi hujuſmodi privilegia, & exemptiones, quia vertitur materia publicæ utilitatis, qualis eſt vectigalium, à quibus paucos eximi convenit. *l. 1. §. 1. ff. de loco publ. fruend.*

16 Idem quod de civitatibus, obtinet in privatis perſonis, ut iis immunitas ſtrictè data cenſeatur, ita ut ad alios quantumvis hæredes & poſteros, non extendatur. *l. 1. §. 1. ff. de jur. immun. l. 16. de privil.* Quod ſi autem poſteris & deſcendentibus immunitas conceſſa quoque ſit, ea tantum fruentur qui ex maſculis, non qui ex fœminis nati ſunt. *d. l. 1. §. 2.* licet enim liberorum & poſterorum appellatione comprehendantur omnes, etiam qui ex fœminis naſcuntur. *DD. ad l. 220. ff. de verb. ſignif.* multaque jura illis ſint communia, hoc tamen jus immunitatis datum poſteris, ad fœminarum filios non pertinet, cùm quia odioſum & repugnans communi utilitati, reſtringendum ad paucos, tùm quia in honoribus & muneribus obeundis, perſolvendiſque tributis patris conditio & origo inſpiciatur, *l. 22. 35 & aliis infr. de decurionib.* cõſequenter immunitas iſtorum onerum, non maternum genus, ſed paternum comprehendet, per quod familia conſervatur, & honor retinetur, ut rectè dixerit Javolenus honorem hunc vacationis & exemptionis qui poſteris conceditur, ad eos tantùm pertinere, qui de familia ſunt. *l. 13. ff. de muner. & honor.* Tales autem ſunt qui ex ſolis maſculis deſcendunt, nõ item ex fœminis, quæ ſunt familiæ finis. *l. 195. §. communi. & §. fin. ff. de verb. ſign.*
17 * Ex quibus concludo, quod perſonis data immunitas, cum perſona extinguatur, rebus autem & cauſis data, perpetuò maneat, *l. 3. §. 1. ff. de cenſib.* Igitur data immunitas certo generi perſonarum, ad alias perſonas conceſſione non contentas, haud quaquam porrigitur *l. 13. ff. ſol. matr.* Deſpeiſſes *tract. des collecteurs forcez. ſect. dernier.* Ex quo fluit prædia Eccleſiaſtica cujuſcunque contractus ad laicum tranſlata, immunitatem amittere, & novos poſſeſſores contributioni eſſe obnoxios, *l. 9. §. fin. ff. de public. & vectig. ibi DD.* quippe mutatione perſonæ, conceſſione perſonales ocyus expirant, & intereunt. *d. l. 1. §. 1. ff. de jur. immun. Plura infra tit. de excuſationibus munerum. 17.*

TITULUS XXVI.

De Conditis in publicis horreis.

1. *Provinciales coguntur fiſco vendere frumentum.*
2. *Illud reponitur in publicis horreis, ubi & aliæ ſpecies annonariæ conduntur, ad uſum militum & plebis.*
3. *Plebs interdum ex publico ſubvenitur. Varij annonæ curam olim habuerunt.*
4. *Imperatores militibus frumentum erogari voluerunt, & ut vetus corruptum miſceretur novo.*
5. *Quomodo id procedat, cùm licitum non ſit merces corruptas cum incorruptis miſcere, aut vendere.*
6. *Permiſſum gratuito diſtribuere incolis ex publico frumenta corrupta, ſecus ea vendere.*
7. *An mercatori liceat corruptum frumentum incorrupto miſcere, ut fiat melius, idque vendere eodem pretio ac ſi omni defectu careret.*
8. *An tritico jam purgato, licitum ſit admiſcere paleas & glebulas, & vendere pretio taxato.*
9. *Rei frumentariæ negotium committebatur cuſtodibus & menſuratoribus fide dignis.*
10. *Horreorum cura injungitur præſidi, qui tenetur ea ſarta tectaque ſervare, & per ſe inſpicere.*
11. *Hodie hæc cura ad curatores annonæ & civitatum rectores pertinet, qui & tenentur de damno ſi frumenta non curaverint & inſpexerint.*
12. *Tutores quam diligentiam præſtare teneantur præponendo alios adminiſtratori, item non excuſantur ab inſpectione ædificiorum.*
13. *Frumenta incorrupta ob anni ſterilitatem dividi poſſunt inter cives, & cogi vetuſtiora vendere.*
14. *Frumentum vetus prius vendendum quam novum. Cogi poſſunt ditiores pauperibus erogare frumenta tempore famis.*
15. *Qua pœna puniatur, qui de publicis horreis frumenta uſurpat, & in ſuos uſus convertit.*
16. *Quæ pœna de conſuetudine & ſtatutis regnorum obtineat. Reſtituendum eſt frumentum uſurpatum ejuſque augmentum.*
17. *Curator rei frumentariæ conventus ob debitum, compenſare non poteſt, Exilio poteſt.*

NOn tantùm publicas functiones pendere, ſed etiam coëmpta præſtare, id eſt, annonarias ſpecies fiſco vendere ſubditi compelluntur, *l. 1. & 2. infr. de quib. muner. vel præſt. nem. lic. ſe excuſ.* 1
quamvis Accurſius exiſtimet eos potius cogendos eſſe à fiſco emere frumenta, ſed non rectè, cum aliud innuet *l. 2. c. Theod. de publica compar.* ubi unuſquiſque provincialium arbitratu proprio & mente devota (non coactè ut hic) horreaticas ſpecies

cies

Digitized by Google

cies hiſce pretiis, quæ in foro rerum venalium habentur, libens præſtat, ac diſtrahit.

2 A provincialibus itaque coëmptum frumentum reponi voluerunt Impp. in publicis horreis, ut inde uſui publico, & exercitui ſerviret neceſſitatis tempore. * Ideò iſta horrea ut obſervat Cujac. *in l. 4.*
3 *Infr. de erog. mil. ann.* conſtituta erant in limitaneis locis, & caſtris veteranis, in quibus major pars militum degebat; atque in iis aſſervabantur preter frumentum, etiam reliquæ ſpecies, uti vinum, acetum, oleum, lardum, fœnum, paleæ, quæ militibus erogabantur, *l. 1. & toto tit. C. Theod. De erogat. mil. ann.* ex quibus ſpeciebus ac præſertim frumento interdum etiam miſeræ plebi ſubveniebatur. * Undè
4 Romani ad conciliandam plebem, frumentariam largitionem perpetuam fecerunt: Et annonæ curam commiſerunt Præfecto annonæ nunc Ædilibus, dein Patriciis, ab iis ad Imperatorem & conſulares tranſlatam refert Dio *lib. 55.* nam qui mulcere populum volebat hoc munus ambiebat, dein vileſcere cœpit teſte Boëtio, cujus hæc ſunt verba, *Si quis quondam populi curaſſet annonam, magnus habebatur, Nunc ea præfectura quid abjectius? lib. de conſolat.* Sed ea rerum viciſſitudo eſt, ut parva ſuſtollantur, magna deprimantur. De frumentaria iſta & quotidiana largitione, Suetonius *in Auguſto c. 40. Cenſum vicatim egit, ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius à negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm menſium teſſeras dare deſtinavit, ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus cujuſque menſis accipere.* Spartianus, Plinius *in Panegyr.* & alij quos hic refert Amaya. Bobadilla *lib. 3. cap. 3. num. 10. & ſeqq.*

5 Imperatores verò præter ordinaria ſtipendia, perpetuò militibus annonas erogari voluerunt, ut eos ſibi ſemper promptos & obſequentes haberent, frumentum autem ita diſtribui, ut vetus prius quam recens erogetur, & ſi fortè vetuſtate corruptum ſit, ut per ſemet erogari ſine querela non poſſit, novo frumento miſceatur, *l. 1. h. t.* nam ita facilius expendetur, & deſinet corruptum frumentum perire fiſco, quod planè periret, ſi eidem corrupto, non immiſceretur incorruptum frumentum. Sed quî fit ut id permittatur, cùm paſſim jura vetent ſpeciem bonam, alteri deteriori miſceri, & dicant venditionem nullam eſſe, ſi acetum pro vino veneat, æs pro auro, pro argento plumbum, *l. 9. § fin. ff de contr. emp.* & emptorem deceptum experiri poſſe, ut conſequatur quod ejus interfuit deceptum non eſſe, *l. 62. §. 1. ff. d. t.* dicendum *in d. l. 1.* deceptionem nullam apertè permitti, imò expreſſe fraudem fieri, prohiberi, dum ſtatuit, ut ſi fortè vetuſtate ſpecies corrupta ſit, tantum eidem ex nova ſpecie miſceatur, ut corruptio minimè nocere poſſit militibus, quibus, ut dixi, ex largitate Impp. frumentario dabatur, quam deinde Conſtantinus magnus diſtribuere juſſit in pane cocto, *l. 1. infr. de frum. urb. conſt.* prout etiam nunc diſtribuitur, magno quidem Regis noſtri ſumptu, ſed ex eo hæc manat utilitas, quod ſemper paſtos & paratos habeat milites.

Prætereà corruptio ita velata, adjectione novi 6
frumenti efficit, ne fiſcus aliquod damnum ſentiat. Nec iterum obſtat quod licitum non ſit ſpecies corruptas puris immixtas vendere, Gloſſ. *in l. 7. ff. de extraordin. crim.* quia hic non de venditione, ſed de liberali erogatione Principis agitur, quæ quotidie fiebat, tam inter milites, quàm populares, ex coëmpto jam frumento, & condito in publicis horreis, ita ut non debeat extendi caſus liberalitatis, ad caſus neceſſitatis, in quos cadit obligatio, & fraus damnatur, & conſequenter non teneatur illi qui donat, de corruptione rei, quemadmodum ſi venderet, ut benè obſervat Amaya *ad d. l. 1. hoc tit.*

Undè infertur permiſſum eſſe iis, quibus annonæ 7
cura incumbit, novum frumentum veteri, & corruptum incorrupto ita miſcere ut minimùm noceat, ubi publica cauſa urget ut faciliùs ſimul inſumatur, & incolis gratuito ſubveniatur, hæc enim gratuita præſtatio, quæ à Curatoribus civitatis fit, removet omnem fraudis ſuſpicionem. Contra, non poſſunt non falſitatis alicujus argui curatores & magiſtratus civitatis, qui frumentum in publico horreo corruptum vendendum exponunt, & certo pretio incolas id emere compellunt, ut aliquando viſum fuit, cum magno totius communitatis damno, & contra bonæ fidei regulas, quæ in emptionibus intervenire ſolent. * Debent enim iſti curato- 8
res, ſibi imputare, & frumenti quod paſſi ſunt corrumpi, damnum ſuſtinere, quemadmodum cæteri privati, quibus coadſervare frumentum, ut id cariùs vendant non licet, multò minùs corruptum incorrupto miſcere, niſi ita modicum miſceant, ut humano corpori non noceat. Rebuffus *ad d. l. 1.* ibi Joan. de Platea, dicit additione novi, veteris frumenti corruptionem, ſicut additione boni veneni, velari, & tolli nocumentũ mali, & fieri optimum antidotum, *l. 35. §. 2. ff. de contr. empt.* Amplius addit iſtam frumentorum commixtionem, cùm apparens ſit & illicò diſcerni poſſit, non ita fraudulentam videri, verùm licet ex inſpectione & olfactũ poſſit emptor diſcernere utrum frumentum corruptum ſit nec ne, & non corruptum admixtum corrupto, non debet tamẽ hæc velata deceptio venditori permitti, utque tantum recipiat pretij pro frumento corrupto quantum pro incorrupto: nam ut Theologi docent, eſt contra juſtitiam vendere rem habentem vitium, in qualitate aut quantitate, eo pretio quo venderetur ſi omni defectũ careret. D. Thom. 2. 2. *q. 77. art. 12.* Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 21. dub. 11. n. 82.* qui licet aſſerant venditorem non teneri exprimere vitium rei, niſi interrogatus;

rogatus; veriùs tamen eum peccare, id doloſe ſubticendo, & plus pretij accipiendo, pro tali re, ac ſi
9 deteriorata, & corrupta non eſſet. * Exiſtimo tamen permiſſum eſſe mercatori juſto pretio vendere triticum quod habebat purum, prout deferri ſolet, ad molam, quamvis de induſtria eidem miſcuerit glebulas & palleas quibus ante erat mixtum, ut ſolet ex area colligi, modò triticum per hoc non fiat deterius: nam ſi de facto licet alijs vendere triticum immixtum glebulis, licebit purgatum iterum miſcere priori mixturæ, & pretio taxato illud vendere. Fragoſo *de regim. Reipubl. pag. 1. lib. 7. diſp. 19. num. 86.*

10 Porrò ut res frumentaria ſine deceptione procedat, vult *d. l. 1.* ut judicio Præfecti urbi, & Præfecti annonæ aſſumantur cuſtodes & menſores boni ac fideles, qui norint æſtimare, diſcernere & miſcere frumenta quæ habentur in condito, id eſt, loco ubi annona reconditur. Ut enim in urbe erant horrea, eaque conſtituta in partibus Tiberinis, ita & in Provinciis frumentorum condita, illa ad curam Præfecti urbi ſpectabant, *l. 1. & 2. infr. de frum. urb. conſt.* hæc ad curam & periculum Præſidis, cujus eſt inſpicere, an ſarta tecta ſint, ne horreaticæ ſpecies corrumpantur, utque puræ & integræ annonæ militibus erogentur. Nam ſi per incuriam aliquæ ſpecies pluviis infectæ deperierint, hoc damnum ſar-
11 cire tenetur, *l. 2. h. t.* * Hæc cura hodiè pertinet ad curatores operum publicorum, & ad Rectores civitatum, & annonæ cuſtodes, qui omnes in culpa ſunt, ſi domos frumentarias & horrea non inſpexerint, nec ea ſarta tectaque habuerint, ita ut non poſſint ſe excuſare conferendo culpam in ſuos vicarios & miniſtros, quia de ſe queri, ſibique imputare debent, quod parum diligentes homines adhibuerint, & maximè in negotio, quod propriæ curæ & inſpectioni committitur, *d. l. 2. l. 16. in fin. ff. de rei vind. l. 7. §. 4. ff. nautæ, caup.* ubi enim lex alicui perſonalem inſpectionem committit rei alicujus, non
12 poteſt eam curam alteri demandare. * Atque hæc deciſio ad tutores & adminiſtratores extenditur, cùm omnes teneantur cautè adminiſtrare, & eadem diligentia munus ſibi injunctum implere, quàm paterfamilias rebus ſuis ex bona fide præbere debet, *l. 33. ff. de adminiſtr. tut.* & quamvis ob diffuſum patrimonium, poſſint fidum aliquem actorem ſurrogare, *arg. l. 1. verſ. ad iſtud, h. tit.* ædificia tamen an ſarta tecta ſint, ipſimet inſpicere debent, ita ut ſi id neglexerint, damnum teneantur ſarcire. Bart. & Joan.
13 de Platea *ad l. 2. h. t.* * Nihil enim eſt quod æquè frumenta corrumpat, quàm pluvia, & vetuſtas, & ideò advigilare debent curatores civitatis, ut horrea benè cuſtodiantur, & ſæpè frumenta vertantur, aliàs facilè concepto humore vitiarentur, Varro *l. 1. de re ruſt. c. 57. Triticum condi oportet in granaria ſublimia, locave ſicca.* Sic Plinius ait, *In Africa & Hiſpania id demùm curare omnes & ante omnia ut ſicco loco frumentum condatur. Imbres enim & humida frumento inimiciſſima, quibus corruptum germinat.* Ideò heronibus clauſum tenebant veteres, id eſt, tegetibus, ſparteis, aut alio vimine contextis, *l. 3. §. 1. ff. locati.* Quod ſi verò corrupta non ſint grana, ſed ob anni fertilitatem aſſervari nequeant, vel non expediat, conſultum erit inter incolas vetuſtiora dividere, eo pacto ut tantundem ex novo reddant, aut emant pro qualitate & quantitate patrimonij, ita ut ille qui plus habet, & ditior eſt, plus emere cogatur, ac ita aliquando judicatum fuiſſe meminit Mexia *in ſua pragmat. panis, concl. 1.* & Bobadilla *in ſua polit. lib. 3. c. 3. n. 40.* addit frumenta corrupta, aut vetuſta emenda eſſe à magiſtratu loci, vel iis qui eminent dignitate, ut eorum exemplo faciliùs poſſint ad emptionem ſimilem provocari reliqui cives. Facit & in hanc rem textus *l. un. tit. ſeq.* ubi pleniùs dicemus. * Illud hic 14
obſervant Interpretes, priùs expendendum eſſe vetus frumentũ, quodque diutiùs ſervari nequit, quàm novum; Itemque exemplo curatoris civitatis, tutorem pupilli debere priùs diſtrahere vetus frumentum, deinde novum: denique notant in hujuſmodi venditionibus habendam eſſe rationem temporis, & publicæ neceſſitatis. Etenim creſcente fame, cogi poſſunt primores, & ditiores civitatis, qui abundant, vendere frumenta ſua, ut poſſit pauperum inopiæ ſubveniri. Quinimò tenentur gratis pauperibus erogare frumentum, ut docet Covarruvias *l. 3. var. cap. 14. num. 5. verſ. ſed his opportunè.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 17. num. 120.* ubi addit poſſe pauperes implorare officium judicis, ut ſibi ſubveniatur famis tempore. * Hinc optimè conſtitutum in majo- 15
ribus civitatibus & limitaneis, ad ſublevandas publicas neceſſitates, ut horrea ibidem conſtituta, ſæpiùs novis replcantur frumentis, eaque inde depromendi nulli facultas detur. Si verò quis adeò temerarius extiterit, ſive curator rei frumentariæ, ſive ædilis, ut ex dictis horreis frumenta audeat uſurpare, & in proprios uſus convertere, aut ex retentione frumenti lucrum facere, pœnam deportationis ac totius ſubſtantiæ jacturam ſubire cogetur, *l. ult. h. t.* * Conſtitutionibus reg- 16
ni Hiſpaniæ in quadruplum damnatur; aliiſque pœnis ſubjicitur is, qui ſpecies reconditas aut deſtinatas ex publicis horreis acceperit. Eſcobar. *de ratiociniis cap. 14. num. 41. & cap. 42. num. 10. & c. 31. in fin.* addit adminiſtratorem qui quantitatem aliquam frumenti publici uſurpavit, reſtituere debere non ſolùm quantitatem uſurpatam, ſed illius incrementum, id eſt, uſuras, quodque probat *l. 2. §. 2. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.* In Italia temeratoribus horreorum publicorum pœna imponitur arbitraria triremium, vel perpetui exilij. Jul. Clarus *lib. 5. ſen. §. falſum, verſ. ſed quæro, & §. fin. q. 67. verſ. deportatio.*

Digitized by Google

17 Notanda hic eſt diſtinctio inter curatorem & ædilem, quod curator pecuniâ publicâ annonam coëmptam ſervet, ædilis in ea præbenda operam præſtet, quare ſi hic annonam preſſerit, atque arctiorem præbuerit, & ob id damnatus fuerit, uti compenſatione poteſt, aut retentione adverſus fiſcum, ſi ipſi viciſſim quid à fiſco debeatur. At curator qui pecuniæ frumentariæ acceptæ debitor eſt, ſi curationis cauſa condemnetur, compenſationis jure pecuniam retinere non poteſt, ſed cogitur eam civitati reſtituere. *l. 20. ff. de compenſ. & l. 3. C. eod. l. 46. §. 5. ff. de jur. fiſci.* Vide quæ ſuprà dixi *de compenſ. n. 15.*

TITULUS XXVII.

Ut nemini liceat in coëmptione ſpecierum ſe excuſare, & de munere Sitoniæ.

1. *Exponitur ſententia hujus legis, & redditur ratio cur omnes teneantur fiſco vendere frumenta, nec ullus excuſetur prætextu privilegij.*
2. *Data alicui facultas evehendi annuatim alio frumenta, reſtringitur durante annonæ caritate in regno, cui prius providendum.*
3. *Tempore neceſſitatis coguntur omnes poſſeſſores prædiorum emere & aſſervare frumenta ad uſum Reipublicæ.*
4. *Deficiente publica annona cogi poſſunt ditiores pecuniam conferre ad eam emendam, ut ſubveniatur pauperibus.*
5. *An cogi poſſint cives vendere res ad victum neceſſarias viliori pretio.*
6. *Statutis locorum juſtum pretium frumento alijsque ſpeciebus ſtatui ſolet, & quare?*
7. *Clerici frumenta ſua vendere tenentur, & reſtituere pretium, ſi exceſſerint pretium taxæ, atque ad id compelli poſſunt per judicem ſecularem.*
8. *Statuta locorum quæ taxant certa pretia frumenti, cur non poſſint hodiè bene obſervari.*
9. *An tempore neceſſitatis reſtringi poſſit pretium frumenti quod aliunde adfertur venale.*
10. *Senſus conſtitutionis Græcæ, quæ ex Baſilicis hic eſt reſtituta, circa venditionem ſpecierum, earumve emptionem & pretium.*
11. *Secundæ Græcæ conſtitutionis argumentum eſt circa electionem curatoris annonæ, qui Sitonicus appellatur.*
12. *Curator iſte mittitur qui frumentum emat, quod deinde civitatis ſuis incolis eo pretio vendit, quo emit, etiamſi id decreverit, damna quoque & expenſas repetit.*

1 EMptio & coëmptio promiſcuè uſurpatur pro comparatione frumenti, vel hordei, indicta Principis auctoritate, eo præſertim tempore, quo inopia, & acerba fame civitas aliqua laborat. Urgente itaque neceſſitate fiſcus undique coëmebat frumenta, aliaſque annonarias ſpecies, quas etiam inviti poſſeſſores ad forum mittere, juſtoque pretio fiſco vendere cogebantur. *l. 1. h. t.* adeò ut nullus privilegij alicujus, aut dignitatis prærogativâ, ſeſe potuerit excuſare. *l. 1. & fin. C. de quibus muner. vel præſtat.* ubi Bartolus, quem & alij ſequuntur *in d. l. 1.* dicit hoc munus eſſe patrimoniale, adeoque ab illo neminem excuſari. Accedit quod frumentum ſit ad conſervationem vitæ, in quo publica utilitas, quæ ſuprema lex dicitur, conſtituta eſt, & ideò quamvis regulariter nemo cogatur emere, vel vendere, *l. 11. 13. & ſeq. C. contr. empt.* tamen urgente frumenti inopiâ, & fame creſcente, etiamnum compelli poſſunt poſſeſſores prout plus minuſve collegerint, frumenta ſua æquo pretio publicè diſtrahere: ne dum ea premunt, aut uberes inde proventus exſpectant, annona magis ingraveſcat, & populus fame laboret.

Hinc communis inopia & neceſſitas, quæ legem omnem ſolvit, ſæpè cogit ut permittatur, quod aliàs non ſolet: itemque ſtatuatur pœna in eos, qui annonam occultant, aut venalem aggravant, *l. 6. ff. de extraord. crim.* aut aliò deferunt. Æquitas enim poſtulat ut prius provideatur incolis, apud quos frumenta creverunt, quam exteris. * Quare ceſſabit privi- 2
legium alicui conceſſum, durante annonæ caritate, evehendi quolibet anno certam frumentorum quantitatem, nec damnum illud anno ſequenti uberiore ſarciri poteſt evehendo plura, quam per privilegium conceſſum liceat quolibet anno, ſiquidem illud reſtringendum ſit, & publico commodo ſuſpendendum, dum providetur provinciæ de annona. *arg. l. 5. C. de aquæ ductu.* ubi beneficium ducendi aquam ex publico aquæ ductu, intelligendum eſt de aqua ſuperflua, ita hic frumenta niſi ſuperflua aliò vehenda non ſunt. Nec obſtat quod privilegium ſit datum evehendi quolibet anno certam quantitatem, quia intelligitur eſſe conditionale, ſi annus non ſit ſterilis, & proviſum non ſit provinciæ, cui Princeps primum vult provideri, imò poteſt ſubjectos cogere ad frumenta divendenda ipſi fiſco, neceſſitate urgente, ut initio dixi.

Quemadmodum igitur illi non poſſunt ſe ab iſto 3
onere excuſare, ita nec ditiores cives ſe ſubtrahere comparationibus frumenti, vel aliarum ſpecierum *l. 1. h. t.* ubi Anaſtaſius Imperator mandat ſingulis provincialibus, ut pro cenſu & quantitate patrimonij comparent, & colligant annonam frumentariam aliarumque ſpecierum præviſionem (ut dici ſolet) ad publicum uſum, vel ob futuræ caritatis vel obſidionis metum. * Idque putem 4
locum habere exhauſtis publicis horreis frumento aliiſve ſpeciebus. Nam quoties Reſpublica non

non habet annonam ſufficientem, aut pecuniam, ut valeat neceſſitatibus ſubvenire, non eſt dubium quin poſſit divites cogere, ut de annona ſibi provideant, aut pecuniam conferant ad eam emendam, aliáſve ſpecies, quibus communitati fame laboranti ſuccurratur. Menochius *conſ.* 137. *lib.* 2. *num.* 13.

5 Et non tantùm incolæ compellendi frumenta publicè vendere, ſed & alias res ad veſtitum pertinentes, cùm etiam illæ ad humanam vitam ſint neceſſariæ, *l.* 1. §. 11. *ff. de off. præf. urbi.* ubi addit Bartol. poſſe viliori pretio compelli cives res neceſſarias hominum alimentis vendere: quod certè æquum non eſt, niſi eo tempore quo eſt magna rerum victualium inopia, ut ſubveniatur pauperibus, *l.* 1. *ſup. de Epiſc. aud.* Surdus *tract. de alimentis tit.* 8. *priv.* 94. Caballus *cent.* 1. *reſol. crim. caſ.* 9. nam alio tempore nemo tenetur viliori, ſed pretio juſto vendere, ut habet *lib.* 2. *ſup. de fide haſta fiſc.* iniquam judicans emptionem quæ à judice addicitur viliori pretio, quo pertinet quod nec ipſi decuriones, aut magiſtratus viliori pretio frumentum patriæ ſuæ præſtare cogantur, *l.* 5. *ff. de adminiſt. rer. ad civit. pert.* Juſtum pretium noſtri vocant, non quantum ab aliis offertur, ſed quod taxatum eſt à Principe, vel ejus Senatu. Sic Tiberius, ut refert Tacitus *lib.* 2. *annal.* ſævitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento pretium quod emptor penderet, binoſque nummos de ſuo addidit negotiatoribus in ſingulos modios.

6 Etenim hodiè in benè conſtitutis civitatibus, rebus quarum quotidianus & neceſſarius eſt uſus, pretium juſtum imponi ſolet, nec id arbitrio mercatorum committi, ſed magiſtratus eſt iis ad victum præſertim neceſſariis, pretium ſtatuere, habita ratione temporis & loci. Item efficere ne fraus ſtatuto fiat, neve major inopia ſequatur, frumentis, ab his qui ea habent, abſconditis, aut aliò delatis, *l.* 18. §. 5. *ff. de muner. & honor.* ſic enim avaritiæ & fraudibus via præcludetur, & commercia faciliora erunt, alioquin futurum ut frumenti pretium in immenſum excreſcat, *d. l.* 1. *ſup. de Epiſc. aud.* ibi Bart. & alij citati à Mynſingero *cent.* 5. *obſ.* 27. & Bobadilla *in polit. lib.* 3. *c.* 4. *num.* 65. *& ſeqq.*

7 Quid de Clericis dicendum? Idem quod de Laicis, eos teneri, & cogi poſſe frumenta, quæ habent, ſupra quam ſibi neceſſarium ſit, venum exponere, ad præcavendam famem, cùm hoc caſu, de communi civium conſervatione agatur, quorum pars clerici cenſentur; Ita ut non repugnet illorum ſtatui ejuſmodi ſtatuto ſe ſubjicere, quod vetat conſtitutum frumenti pretium excedere; Quod ſi fecerint, cogi poterunt exceſſum reſtituere, perindè ac laici, per ſecularem judicem, non tamen ab eo puniri. Salcedo, Meſia, Vaſquez, quos refert Bobadilla *lib.* 2. *politia cap.* 18. *num.* 70. *& ſeqq.* qui ampliùs addunt poſſe capi frumentum, à poteſtate ſeculari, ſi præter mulctam pecuniariam addita ſit pœna amiſſionis frumenti, ob non ſervatum pretium taxæ vel falſam menſuram. Diſſentit Martha *de juriſd. p.* 4. *caſ.* 2. & Zypæus *lib.* 2. *de juriſd. Eccleſ. cap.* 56.

8 Quod de frumento, idem de vino & aliis ſpeciebus dicendum, quæ capiuntur, & ob non ſervatum pretium in commiſſum cadunt. Verùm licet apud nos, omnibus penè rebus certum pretium præſcriptum ſit ſtatutis locorum, compertum tamen eſt, ea ſtatuta vix prodeſſe, & communem populi uſum iſtis ſtatutis evadere potentiorem, cùm tempora, & loca, rerum pretiis tantam quandoque adferre ſoleant varietatem, ut vix aliquid certi poſſit obſervari. Ut inſinuat. Cajus *in l.* 3. *ff. de eo quod certo loco.*

9 Verùm quod dictum eſt ob publicam neceſſitatem, poſſe nempe aliquem cogi ad vendendum taxato pretio, puto id procedere in frumentis & victualibus, quæ reperiuntur in loco, atque ibi nata expoſitaque ſunt venditioni *d. l.* 1. §. *cura ff. de off. præf. urb.* Secùs in frumentis, quæ foris apportantur, & alibi creverunt, quæque ſæpe magno cum periculo adferuntur. Quo pertinet *l.* 3. §. 1. *ff. ad l. Jul. de ann.* ubi *Impp. reſcripſerunt, jus non eſſe ordini cujuſcumque civitatis pretium grani quod invehitur ſtatuere:* quia ſi moderatum pretium granis, quæ foris advehuntur, imponeretur, ubi deberet oriri abundantia, ſequeretur penuria, contra omnia jura, quæ volunt ut tempore inopiæ alliciantur exteri advehenda cibaria modis omnibus. Quare hac in re caute proſpiciendum eſt, ut monte Covar. *lib.* 3. *var. c.* 14. *n.* 3. *in fin.* plura infra *lib.* 11. *tit. de metall. n.* 14. Non dubium, quin major futura ſit copia, & meliori pretio frumenta aliunde advecta diſtrahenda ſint, ſi bene habeantur vectores, mercatores & agricolæ, neque tributis graventur, aut injuriis afficiantur, coganturque merces aliò vehere. Bobadilla *ſup. citato loco n.* 64. *in fine.* Quinimo provocandi ſunt mercatores ad artem Reipublicæ maximè ſalutarem, advehendo merces quæ domi deſunt, & avehendo, quæ domi uſui non ſunt; quod vel ultrò facient, ſi ſpes alicujus lucri affulgeat, quo familiam ſuſtentent, ne illius deſperatione munia ſua deſerant.

10 Deſiderantur hic duæ Græcæ conſtitutiones, quas ex libris baſilicōn reſtituit Jac. Cujacius, prioris argumentum eſt, quod incolæ alicujus civitatis, non cogantur in aliam civitatem ſpecies frumentarias conferre, & vendere, niſi inevitabilis quædam cauſa id fieri exigat, juſto pretio, quod in ea civitate obtinet, ex qua præbentur ſpecies. Item ut nullus cogatur omnes ſpecies vendere, quas ſui uſus gratia comparavit, ſed ſuperfluas tantum: ſufficere enim debet quod quis annonam ſuppeditet, aliaſque ſpecies vendat etiam invitus, quas

tamen ubi exhibuit, æquum eſt reputari pretia ſpecierum venditarum in collationem fiſco inferendam, vel etiam ſtatim pretium annumerari, non poſt aliquod temporis intervallum, ubi jam annona viluit. Denique additur nullam unquam debere fieri coëmptionem abſque auctoritate Principis, niſi ſi qua municipia annonæ caritate laborent, *l.2.h.t.*

31 Secundæ conſtitutionis ſumma hæc eſt, quod cùm in civitate aliqua frumenti comparandi curatore opus eſt, ejus creatio fiat, non ex quibuſlibet, ſed ex decurionibus, vel cohortalibus, arbitrio primorum civitatis, & Epiſcopi. Hic autem annonæ Curator, Græcè *Sitonicus* vocatur, qui frumentum non dumtaxat, ſed & oleum publica pecunia comparat. Undè hoc munus Modeſtinus appellat ſitoniam & eleoniam *in l. 6. §. eſt autem ff. de excuſ. tut.* idque refertur inter perſonalia munera *l. fin. §. cura quoque ff. de muner. & honor.* Huic muneri ſua dignitas & auctoritas non deeſt, prout nec olim deerat, ut patet *ex l. ult. §. 1. ff. de pignor. act.* ubi *culleos cum Sejus in horreo haberet, miſſus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam ſuſtulit, ac poſtea inſtantia creditoris recuperati ſunt.*

32 Quoties igitur urgente neceſſitate comparationes frumenti, vel olei, aliarumque ſpecierum indicuntur (ut ait lex noſtra) mittebatur curator, qui iſtas ſpecies emeret à provincialibus. Similiter hodiè è loco ſterili mitti ſolet ſimilis curator, aut decurio ad locum abundantem, ut ibi compararet frumenta. Bobadilla *lib. 3. cap.3. n.12.* & alia cibaria, quæ Græci Sitonia vocant, & publicam hanc emptionem Sinonetoin Cujac *lib.1.obſ.c.35.* & Hothoman. *lib.2. reſponſ.cap.35.* Peractâ emptione, ſolet curator, vel Reſpublica pro neceſſitate cujuſque frumentum eo pretio vendere, quo illud emit, quamvis tempore quo incolæ coguntur emere frumentum, vilius ſit, in quo quidem pretio etiam ſarcienda ſunt omnia damna, diſpendia & expenſæ, quæ quaſve ipſa Republica fècit, in frumenti coemptione, & conſervatione, ita ut ſingulis modiis emendis, debeat tale pretium accedere, quo toti iſti damno & Reipublicæ utilitati conſulatur, nec ſi excedat pretium (quod à magiſtratibus imponi diximus) habebit locum mulcta, quam hoc caſu ceſſare in Hiſpania, docet Piſcator, *ad h.l.un.num.8.* & Garzia Toletanus *in rubr. h. t.* Cæterùm ex hoc frumento quod Reſpublica vendit, vectigal non debetur, nec exigitur, ne quaſi rei ſuæ emptio detur, *lib.4.de contr.empt.* niſi tamen frumentum vendatur exteris, ut obſervat Parladorius *lib.1.rer.quot cap.3. num.53.*

TITULUS XXVIII.

De collatione donatorum, vel relevatorum, aut tranſlatorum, ſeu adæratorum.

1. *Princeps ut ſubditorum benevolentiam ſibi conciliet eis prædia liberè donat, aut relevat à tributis, aut transfert, aut taxare facit.*
2. *Summa Tituli exponitur & intentio declaratur. Quomodo Impp. confirment ea quæ ſuis præfectis committunt.*
3. *Annua præſtatio non minuitur, etiamſi reſcriptum gratiæ impetretur.*
4. *Quia præſumitur impetratum per importunitatem, niſi Princeps motu proprio id concedat. Cur hîc lex prohibeat conceſſionem motu proprio factam?*
5. *Quando lex contraria Principis diſpoſitioni tollatur?*
6. *Hodiè conceditur relevatio & remiſſio ob deteriorationem prædiorum.*
7. *Re diminutâ, perempta in emphyteuſi, an minuatur vel remittatur penſionis onus?*
8. *Poſſeſſor domus qui tenetur ad conſenſum, ea peremptâ minuitur cenſus.*

POſtquam egimus de iis quæ conferuntur, jam de prædiis quibus onus collationis à ſupremo Principe impoſitum eſt, dicamus. His accedunt quatuor quæ in inſcriptione tituli proponuntur, & ab ejuſdem Principis munificentia promanant. *Donatio, Relevatio, Tranſlatio, & Adæratio.* Nam Princeps interdum liberalitate, benevolentiam ſubditorum ſibi conciliat, dando eis poſſeſſiones liberas ab omni cenſu, aut gratiam faciendo, remittendoque tributa præterita: interdum relevat ſubditos ab onere ſolvendi tributa in futurum ob deteriorationem prædiorum, vel ob damna aliqua gravia, quæ bello, tempeſtate, ſterilitate, aut ſimili caſu fortuitò acciderunt. Interdum transfert onus tributi in aliud jus, aut functionem, ex una videlicet præſtatione in aliam, vel quod in una præſtatione dandum erat, transfert in aliam. Aliquando mutat ſpecies tributorum, ut puta ſi quibuſdam prædiis tributum in annonis ſit impoſitum, illud commutat pecunia, ſive ære, qua de cauſà prædia adærata dicebantur. Adærare eſt taxare, & æſtimare pecuniâ, aut ære, quod in annonis præſtandum erat quaſi ad æs ſeu pecuniam reducere præſtationem frumenti, aut cæterarum ſpeciorum. * Fuerat quidem olim ex conceſſione Principum, lex certa ipſis poſſeſſoribus impoſita, circa menſuram & quantitatem, quam tributorum nomine ſolvere tenerentur, vel non, ex illis prædiis donatis, relevatis, tranſlatis, aut adæratis. Poſteà verò urgente neceſſitate, hujuſmodi

hujuſmodi conceſſioni derogatum eſt, & ipſis prædiis eorumque poſſeſſoribus factæ ſunt quædam tributorum remiſſiones. Tandem Antiochus Præfectus Prætorio, ex indulgentia Impp. iſta prædia donata, revelata, tranſlata, adærata, ad certam & determinatam tributi anniverſarij præſtationem redegit, atque hanc relevationem prædiorum ſuam obtinere firmitatem Impp. Valentinianus & Theodoſius voluerunt *in l. un. h. t.* & ne in aliquo minuatur, aut auferatur indultum, ſed ut maneat, prout diſpoſuit Antiochus. Solebant enim Impp. hujuſmodi rerum taxationem, & æſtimationem Præfectis Prætorio committere, quam deinde ipſi prout Præfecti diſpoſuerant, confirmabant, & ſervari jubebant, ut in ſpecie *l. 1. infr. de fundis limitroph.* & ex aliis locis obſervare licet.

3 Illud quoque volunt Impp. ut nemo impoſterum relevationem & tranſlationem ſuarum poſſeſſionum, ex liberalitate Principis petat, aut petita, fruatur; quodque ſi aliqua juſſio contraria huic piæ diſpoſitioni emanaverit, pro non ſcripta habeatur, quia contra publicam utilitatem eſt, quod in canonem cecidit, & quotannis præſtari debet, id minui, aut non perſolvi. *h. l. un. verſ. noverit tamen*, ubi concludunt eum qui contravenerit huic diſpoſitioni, ducentarum librarum auri condemnatione mulctandum fore; cùm talis inverecunde petat, quod
4 lex prohibet concedere. * Quo modo conceſſio facta, & reſcriptum deſuper impetratum, magis præſumitur importunitate petentis obtentum, quàm ex voluntate Principis, qui tamen ſi in eo declaret ſe non ad petitionem partis id concedere, ſed motu proprio, utique valida erit conceſſio, prout Accurſius, Platea, & alij obſervant *in l. 1. ſup. de pet. bon. ſublat.* & Amaya *hic n. 56. & ſeqq.* ſatisfacit difficultati, quæ ex hac lege oritur, quod conceſſio motu proprio facta, non valeat, quia reſtringenda eſt iſtius legis diſpoſitio ad prædia illa quæ Antiochus relevaverat, & cùm ſoleret iſta prædiorum relevatio poſtulari, ut ſic aviditati poſtulantium, via præcluderetur, conſtituitur ne obtemperent judices hujuſmodi relevationibus, etiamſi in conceſſione dicatur proprio motu Principem conceſſiſſe. Quapropter ex hac lege particulari quæ ſola prædia ab Antiocho relevata reſpexit, non oportet alia comprehendere, cùm lex iſta ſit prohibitiva, & loquatur in uno caſu ſpeciali, quo facit *l. 2. ſup. de legib.* ubi lex particularis vim habet, in his duntaxat negotiis, atque perſonis, quibus fuit promulgata.

5 Huc pertinet quod ſpecialis conſuetudo de non minuenda aut remittenda præſtatione annua, non tollatur contrariâ lege, niſi in ea expreſsè Princeps declaret, quod non obſtante tali lege per conſuetudinem roborata velit juſſionem ſuam habere effectum, qui eſt ut penſitatio quæ annis ſingulis debetur, ob rei interitum & inopiam poſſeſſoris ei remittatur ad tempus. Bald. & Platea *ad h. l. num. 3.*
& 4. * Hodiè ob deteriorationem prædiorum 6
etiam in futurum relevatio penſionis conceditur, ut patet ex *Novell. 163.* quæ non Juſtiniani ſed Tiberij eſt, ut ait Cujacius, & ne nimium graventur ſubditi, quartam partem debitæ penſionis ſolvunt, puta viginti quinque ſolidos ex centum. Interdum etiam fit remiſſio ex indulgentia Principis totius debiti fiſcalis, ſi fundus deterior factus ſit.

Hinc quæritur an emphyteuta liberetur à penſio- 7
ne, quæ debetur & præſtatur ratione rei emphyteuticæ, ſi fundus chaſmate perierit? Et ſi quidem totus perierit, liberatur à præſtatione penſionis & tributi rem dimittendo, quod nihil ſit cujus nomine præſtetur. At ſi pars tantùm perierit, nocet emphyteutæ, qui nihilominus tributum annuum fiſco, & penſionem conventam domino præſtare cogitur, quoniam donec quid minimum ex re emphyteutica ſuperſit, durat contractus & obligatio. Plura dixi *hac de re ſup. de jur. emphyteut.* Ac illud annotandum duxi, penſionem hanc non diminui propter ſterilitatem, ſive ſit emphyteuſis alicujus rei privatæ: ſive Reipubl. *l. 7. infr. de fund. patrim.* ibi Platea, quandoquidem in utraque penſionis onus præſtetur, in recognitionem domini quod quidem ſupereſt etiam parte rei tantùm exiſtente, & proinde recognoſcendum, niſi malit emphyteuta rem deſerere. Velaſc. *de jur. emphyt. q. 27. num. 8.* Fachinæus *lib. 1. contr. cap. 89.*

Similiter cenſitori, cujus domus cenſui obnoxia, 8
ſi pro parte incendio aut ruinâ ſit abſumpta, pro ea parte ab onere cenſus relevatur, ſi verò tota domus periit, in totum cenſus remittitur. Idem dicendum ſi fundus per alluvionem decreverit, niſi modicum ſit quod nomine tributi præſtatur, *l. 4. §. 1. ff. de cenſib.* ubi illam æquitatem debet admittere cenſitor, ut officio ejus congruat relevari eum, qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex cauſis non poſſit. Atque eo facit quod noviſſimè in extravag. Pij V. reſcriptum extat, cenſus omnes in totum vel parte re perempta, ad ratam perire. Et ita judicatum fuiſſe docet Zevallos *comm. contr. com. q. 312.* cùm de facto domus quædam cui cenſus erat impoſitus, incendio cum aliis funditus combuſta fuiſſet.

TITULUS XXIX.

De Collatione æris.

1. *Summa hujus legis pro ære aurum ſolvi poteſt, tanti valoris.*
2. *Quanta libræ varietas?*
3. *Poteſt una pecunia pro alia fiſco ſolvi.*
4. *Quomodo res iſta hodiè procedat?*

Digitized by Google

5. *Olim rigidi exactores, pecuniam recenter cuſam volebant.*
6. *An cogatur quis in quavis pecunia ſolutionem accipere?*
7. *Si convenerit de reddendis nummis aureis, non poterit ſolvi in ære vel alia moneta.*

1 PRovinciales Cypri & paucarum aliarum civitatum, qui ſingulis luſtris tributa in ære inferre tenentur, poſſunt vice æris aurum præſtare, ejuſdem æſtimationis, ita ut pro viginti libris æris, unus auri ſolidus reddatur, quemadmodum & qui argentum eſt illaturus, poteſt etiam aurum inferre, pro ſingulis ſcilicet libris argenti quinque auri ſolidos. *l. un. h. t. & l. 1. infr. de argen. pretio quod theſauris infertur.*

2 * De ſolidis, & libra auri, ex quot ſolidis conſtet, eſt *l. 5. infr. de ſuſcept. arca:* ſed res iſta variationem accepit, prout & hoc ſeculo auri argentique libra non ubique eadem eſt, imò & ſub eodem Principe ſæpè varietas exiſtit, uti & ipſa monetæ æſtimatio mutatur & augetur, non ſine magna commerciorum jacturâ. Exiſtimo tamen cum Amaya, tempore hujus legis viginti libras æris unicum aurum æquaſſe. Aliter Covarruv. *De veter. numiſm. collat. c. 3. §. 2. n. 4* Carranza *in tract. de las monedas de oro y plata fol. 115.*

3 Lata itaque hæc Conſtitutio favore provincialium, itemque fiſci. Nam provinciales faciliùs poſſunt perſolvere ſuas penſiones in auro, quam in ære, cùm in ære ſolvendo plus præſtent, ſiquidem aureus ſolùm viginti libris æſtimetur, & dandus ſit, qui aliàs in valore plus valet, ut commodiùs ſit teſte Juſtin. illud ſolvere quod majoris pretij eſt. *§. ſi quis 33. in fin. Inſt. de action.* Quod etiam fiſci favore rectè conſtitutum cui utiliùs ſolutionem in puro auro accipere, quàm in minuta & multiplici æris pecuniâ.

4 Hodiè res iſta pendet ab utilitate publica, ſecundùm quàm fiſcus à collatoribus tributariis ſolutionem accipere debet in commodiore pecuniæ ſpecie, aliàs ſi non vertatur publica utilitas, collatores in quacumque pecunia currente & proba, ſponte debitum tributum ſolvere poterunt, cùm nullum inde damnum fiſcus patiatur; nec debeat recuſare pecuniam minutam, quam Princeps uti probam

5 cuderit. * Nam inter alias Neronis improbitates, illa Romanis graviſſima, quod ejus fiſcus non alios quam aureos nummos & quidem aſperos ſeligeret, ut refert Suetonius *in Nerone, c. 44.* ibi *exegit ingenti faſtidio & acerbitate nummum aſperum, aurum obryzum, ut plerique omnem collationem recuſarent.* Aſperos nummos vocat, novos & recentes, nam veteres longo uſu ſolent deteri. Lipſius *in Senec. epiſt. 19. numer. 13.* Larrea *deciſ. Granat. 12. num. 37.*

6 Huc pertinet quod de creditore privato reſpondit J. C. Paulus, poſſe eum unam pecuniam pro alia accipere, ſi nullum inde damnũ paſſurus ſit, *l. 99. ff. de ſolutionibus.* quod ex pecuniæ diverſitate, ſi publica auctoritate probata ſit, rarum eſt ut accidat, niſi alia concurrant, cùm in pecunia non tam ſpectetur ipſa materia, quàm æſtimatio & valor publicus, ſecundùm quem uſum ſui præbet pecunia, non etiam ſecundùm materiam, *l. 1. ff. de contrah. empt.* ut non videatur aliud pro alio ſolvi, nec res alterius generis reddi, ſed eadem quantitas quæ credita, quam ideò reddi ſufficiet, non etiam corpora neceſſariò reddenda, cùm in mutuum non veniant, ſed eorum uſus in quantitate & valore conſiſtat. Hinc *in l. 65. ff. De verb. oblig.* ſtipulanti denarios promittens aureos ejuſdem quantitatis, dicitur obligari, quod non foret, niſi congruè reſponſum eſſet petitioni, & ſic ad idem, reſpectu quantitatis ſcilicet, nam reſpectu materiæ, quæ diverſa eſt, vitioſa eſſet ſtipulatio. * 7

At verò ſi nominatim conventum ſit de reddendis nummis aureis, in ſpecie reddendi ſunt, nec ſatisfiet præſtando æſtimationem, cum lex contractus ſervanda ſit. *l. 1. §. 6. ff. depoſiti.* cui non obſtat quod nummorum valor poſſit excreſcere pro commodo mutuantis, nam etiam poſſet decreſcere damno ejuſdem, ut res iſta ſit in fortuito eventu poſita, quem uterque æqualiter ſubit. Deinde obſcuram pactionem illi nocere ſcriptum reliquit Papin. in cujus poteſtate erat legem apertius conſcribere, *l. 39. de pactis.* Igitur ubi apertè à contrahentibus electa eſt certa ſpecies nummorum, ſive ea aurea ſit, ſive ærea, non poterit in alia ſpecie ſolutio fieri, quam ſua conventione creditor excluſit, qui non ſolùm cavit de quantitate certa, ſed etiam de certa ſpecie nummorum. Covar. *de veter. numiſm. coll. cap. 7. §. un.* Vide quæ de hac materia dixi *ſup. tit. ſi certum petatur n. 23.* & quæ *infr. tit. ult. & lib. 11. tit. 10.*

TITULUS XXX.

De Diſcuſſoribus.

1. *Continuatio, qui ſint diſcuſſores.*
2. *A quo creentur, & qui conſtituantur, functi diſcuſſoris munere Comites vocantur.*
3. *Quod ſit in hoc titulo diſcuſſoris munus, & in quo conſiſtat?*
4. *Quid ſtatuatur hic contra diſcuſſores, & eos qui onerant tenuiores homines.*
5. *Gravati provocare poſſunt, & querelam proponere.*
6. *Itemque probare debent taxationis iniquitatem.*
7. *Tenetur diſcuſſor diſcutere ſumptus publicè factos & curare ut apocha detur collatoribus.*
8. *Apocha ſolutionis amiſſa, ſufficit ad probationem liber rationum publicarum.*
9. *Cùm ex hoc libro fiſcus certus ſit de ſolutione, eam ampliùs*

amplius exigere non debet, nec cogitur collator probare caſum amiſſæ apochæ.

10. *Apocha amiſſa, nec deſcripta in libro rationum, iterum petenti dari poteſt.*

1 Dictum eſt de jure fiſci, & cauſis ex quibus aliquid ad eum pertinet: ſupereſt agamus de rationibus fiſcalibus, quæ examinandæ ſunt à Diſcuſſoribus, quos Græci λογοθέτας vocant, quaſi cognitores & diſceptatores rationum fiſcalium, vel publicarum, quæ jam ab aliis ſunt diſpunctæ, ac tractatæ. Hi diſcuſſores paſſim *in C. Theod.* Rationales vocantur, *l. 45. C. Theod. de appell. & l. 21. C. Theod. quorum appell.*

2 Creabantur autem juſſione & auctoritate Principis, non Præfectorum juſſu, aut ex præcepto alterius cujuſquam judicis, *l. ult. h. t.* nec ex alio quàm nobilium & honoratorum ordine aſſumebantur, ad hoc diſcuſſionis munus, quod ſubterfugere nemo poterat, nec ab eo ſe excuſare, quamvis quis eſſet advocatus conſiſtorij, aut miles, dum non militat, *l. 3. h. t.* niſi advocati munere fungeretur in foro ſpectabilium judicum, ne obſtet *l. 6. ſup. de advocat. diverſ. judiciorum.* ubi iſtius fori advocatus eâ immunitate fruitur, ut nulla ei peræquatio, nulla diſcuſſio, nulla operis inſtructio, injungatur. Qui tamen diſcuſſoris munere functi fuerant, Comites vocabantur, *l. fin. Cod. Theod. ad l. Jul. de ambitu.* ubi prohibentur iterari comitivæ in diſcuſſionibus.

3 Conſiſtit autem hoc diſcuſſoris munus, in præſentis tituli materia, in eo præſertim ut inquirat, in qualibet civitate & municipio tributorum fiſcalium debitores, eoſque in tabulas referat, quot jugera quotve poſſeſſiones quiſq; habeat, diſcutiat & æſtimet cujuſque facultates, quæ frequenter creſcunt, & decreſcunt, nec non fructus, onera, gravamina, ut omnibus perpenſis imponi poſſit tributum

4 pro modo patrimonij.* Quamobrem in hac inquiſitione & deſcriptione, quam diſcuſſor facit patrimoniorum, hanc ſervabit proportionem & æqualitatem, ne unum ex provincialibus propter alium gravet, tenuiorem forte ut exoneret ditiorem, aut plus æſtimet unius patrimonium, quàm revera valet, quia ſi iniquam diſcuſſionem fecerit, & aliquem oneraverit plus debito, aut debitorem in libru ſuum redegerit eum, qui nihil debet, tanti damnatur quanti alterum perperam condemnavit, *l. 1. h. t.* ita ut pœna talionis mulctetur iniquus diſcuſſor, quia ut habet *Novell. 7. c. 5. §. 1.* cum provinciali injuriam fecerit, æquum eſt, ut hanc ſibimet in propriis exhibens, ſuam ſentiat malignitatem. Eadem pœna hodiè afficiuntur illi qui onus collectæ hujuſmodi rebus imponi ſuadent, quibus potiſſimùm utuntur tenuiores fortunæ homines, ut illi ſoli graventur, *l. 9. infr. de erogat. milit. annon. lib. 12.*

Porrò poſſeſſor qui ſe gravatum ſentit ex diſcuſ- 5
ſoris deſcriptione, jure poteſt ad ſuperiorem provocare, qui eſt Comes rerum privatarum, *l. 26. ſup. de appell. & l. pen. ſup. quor. appell. non recip.* Idque intra annum, ex die impoſiti renuntiatique cenſus computandum, niſi ſit minor, aut Reipublicæ cauſa abfuerit is qui gravatus eſt, cui annus currit, ex die quo facultatem agendi habuit *l. 5. infr. de cenſib.* & ſatis eſt quod alleget gravamen ſupra vires patrimonij impoſitum. Habet namque gravatus præter appellationis remedium, alterum querelæ, implorato ſcilicet officio judicis contra gravamen illatum à taxatore, *l. fin. inf. quemad. civilia mun. & d. l. 5.* Imò ut ex Laſarte obſervat Amaya *ad h. l. 1. num. 12.* habet jus compenſationis, ſive petendi, ut cum illo cui minùs tributi onus eſt injunctum, adæquari poſſit, compenſatis bonis utriuſque cùm inter æquales, æquale eſſe debeat onus, & illationis forma dictet, ne alter altero plus gravetur, utque munera civilia æqualiter diſtribuantur. *l. 2 & 6. ſup. de annon. & tribut.** Cæterùm non ſufficit quod gra- 6
vatus alleget diſcuſſoris iniquitatem deque ea conqueratur, ſed debet quoque eam legitimè, per teſtes, aut inſtrumenta probare; alias enim multis calumniis diſcuſſores exponerentur, ſi ſolùm propoſita querela gravati teneantur oſtendere inæqualitatem in taxatione obſervatam. Facit in eam rem *l. 1. & 5 infr. de cenſib.* ubi qui ſe gravatum dicit, probare id tenetur. Contrà verò hanc probationem, opponet diſcuſſor rectè factam eſſe diſcuſſionem, ſeque ſecundùm facultates gravati tributum ſeu cenſum definiviſſe, aut ante impoſitum exegiſſe, quo facto exonerabitur à prædicta talionis pœna, quæ manet ſemper eos qui in re tributaria malè verſantur, *l. 3. & 7. ſup. de exact. tribut.** Præterea 7
diſcuſſoris officio incumbit diſcutere rationes & ſumptus ex civili pecunia factos in publicis operibus, veluti in murorum conſtructionibus, pontium & aggerum inſtructionibus, vel in ſternendis reparandiſque viis publicis, & balneis: Inſuper rationum diſcuſſione facta, curare debet, ut collatoribus qui ſumptus iſtos fecerunt, aut ad eos contribuerunt, ſacra ſecuritas detur; qua freti, nullam hi poſteà, vel hæredes eorum, aut bonorum poſſeſſores quæſtionem patiantur, *l. 2 h. t.* ubi etiam additur poſt rationum diſcuſſionem, ab ipſo diſcuſſore apocham datam ſubſiſtere, eumque ſecurum eſſe qui accipit.

Adeò ut ſi poſteà caſu apocham amiſerit, ei non 8
noceat amiſſio, quandoquidem de fide illationis & ſolutionis factæ, ſufficienter conſtare poſſit ex libro rationum publicarum. *l. 2. h. t.* quem proinde librum utpote publicum ſibi exhiberi rectè poſtulabit poſſeſſor, ut ex eo diſcat quid tributi nomine ſolverit, & quid reſidui debeat. *l. 2. ſup. de convent. fiſci debit. l. 4. ſup. de fide inſtrum. Novell. 128.*

Digitized by Google

vell. 128. *c.* 4. ubi ſubnotatio tabellionis publicam fidem facit, uti & ſecuritas data à diſcuſſore, pro qua tamen nihil accipere vel exigere debet à collatoribus & municipibus, habet enim ideò ex publico ſalarium, ut ſine concuſſione & damno privatorum ratiocinia tractet. *d.l.ult.*

9 Atque hæc rectè conſtituta ſunt, ut concuſſionis deprædationiſque via præcludatur, etenim cum fiſco ſolutum fuerit, idque ex libro rationum conſtiterit, æquum non fuerit, ut quod jam habet, & accepit, iterum petat; ſiquidem bona fides non patitur ut bis idem exigatur, *l.* 31. *ff. depoſiti.* Unde ſi caſu amiſſa ſit ſecuritas, nocere non debet collatori, cùm poſſit ſemper fiſcum & collectorem cogere ad exhibitionem libri publici: quæ cauſa eſt cur non teneatur hujuſmodi caſum probare, ſed ſuffecerit allegare, & dicere ſine culpa ſua ſe apocham amiſiſſe, neque enim ulterior probatio, aut jurisjurandi aſſertio, hoc in caſu neceſſaria eſt, quamvis communiter ei qui dicit ſe ſolviſſe, incumbat onus probandi. Maſcardus *de probat. concl.* 601. *num.* 4. *&* 603. *n.* 32. Amaya *ad l.2.h.t.num.*10.*& ſeqq.*

10 Porrò ſolet apocha priuſquam ſolventi detur tota deſcribi in libro rationũ, ſi tamen amiſſa dicatur, nec de ejus datione quippiam contineatur in dicto libro, non videtur poſſe denegari debitori petenti renovatio apochæ, continentis ſolutionem factam, & amiſſionem, licet aliqui contra ſentiant. Idque obſervari videmus in proviſionibus & decretis deperditis, ut iterum à Senatu concedantur factâ mentione priorum.

TITULUS XXXI.

De decurionibus & filiis eorum: & qui decuriones habentur, & quibus modis à fortuna curiali liberentur.

1. *Continuatio. qui ſint decuriones, & unde dicti.*
2. *Cujus eſſe debent qualitatis & conditionis.*
3. *Judæi & hæretici ad decurionatum & quemcumque honorem aſpirare prohibentur; licet eum olim adipiſci potuerint.*
4. *Externi ad decurionatum admitti non poterant.*
5. *Artifices facultatibus abundantes quamvis expertes litterarum, decuriones creari poſſunt.*
6. *Scientia & prudentia requiritur. Quinam arceantur, & An ſpurij decuriones eſſe poſſint?*
7. *Hodiè Principis indulgentia opus eſt. Item ut relegati admittantur, quibus non obeſt patris reatus, nec ſervitus, modo natus ſit ex matre libera.*
8. *Filijfam. decuriones creari poſſunt, & creati conſenſu patris, obligant ipſum patrem Reip. ejuſque hæredes.*
9. *Non obligatur pater pro filio emancipato niſi conſultò eum emancipaverit, ne pro ejus magiſtratu caveret.*
10. *Non aliàs convenitur pater, quam propriis filij bonis deficientibus.*
11. *Conſenſus patris in electione filij etſi non ſit expreſſus, obligat ipſum patrem.*
12. *Frater pro fratre qui munere functus, non tenetur.*
13. *Nec uxor tenetur de adminiſtratione mariti, niſi hic obligatus ſit ex cauſa primipilaris debiti.*
14. *Ex alterius obligatione nemo oneratur nec novus decurio pro debitis prædeceſſoris, niſi ad id ſe obligaverit.*
15. *Quod impenſum eſt in utilitatem officij pro conſervatione majoratus, præſtare tenetur ſucceſſor.*
16. *An ſucceſſor in principatu teneatur ſolvere debita prædeceſſoris.*
17. *Mutuum acceptum in opus publicum, reſtituere tenetur civitas, non ſucceſſor, cui tamen incumbit executio & perſecutio jurium civitatis.*
18. *Minores & majores 70. annorum excuſantur ab oneribus Reipublicæ. Item pater 12. liberorum excuſatur à munere decurionatus.*
19. *Nemo eſt immunis à contributione ordinaria, nec ab extraordinaria excuſat ætas, aut morbus qui habet intervalla.*
20. *Qui immunis eſt ab oneribus, non excuſatur ab honoribus, etſi caſum aut cæcitatem alleget.*
21. *Infames excluduntur à decurionatu.*
22. *Vacatio munerum perpetua aut temporaria, à ſolo Principe conceditur, non à Judicibus.*
23. *Nemo excuſatur à muneribus, etiamſi proferat Principis reſcriptum, quia præſumitur obreptitium, & quod contra publicam utilitatem impetratur.*
24. *Convocata curia per duumviros nominabantur decuriones. Quanta fuerit penes duumviros poteſtas, curiam ſuam deſerere & aliud regimen ambire eis non licebat.*
25. *Actus nullus eſt ſi decurionum vocatio non ſit ſolemnis; quo modo fieret eorum electio, & quod in ea duas partes ad minus adeſſe oporteret.*
26. *Hodiè quæ geſta ſunt à majori parte communitatis, rata habentur niſi à minori parte oſtendatur contrarium.*
27. *Quinam intereſſe poterant concilio & dicere ſuffragium, illud habentes tenebantur approbare nominatum.*
28. *An magiſtratus qui jus habet eligendi de conſilio peritorum, illud non ſolùm petere ſed & ſequi teneatur?*
29. *Electus ſi acceptaret, confirmabatur à ſuperiore, ſin minus, reclamabat propoſita appellatione.*
30. *Eligens indebitè condemnatur in expenſas litis.*
31. *Quis ordo inter decuriones ſervaretur, & quis inter eos potior, itemque duumviros.*
32. *Quot eligerentur, & qui Summates dicerentur:*

quod

Digitized by Google

Quod eorum munus, & quàm grave fuerit decurionum.

33. *Ad decuriones pertinebat cura ludorum & curſus publici.*

34. *Decurionum filij patris conditionem ſequebantur, modo eſſent legitimi.*

35. *Quid de naturalibus tantùm, aut de natis ex colona, vel inquilina, patre decurione.*

36. *Materna origo non ligabat filium curiæ, etiamſi hic maxime vellet & allegaret conſuetudinem, aut privilegium.*

37. *Quando ex privilegio civitati conceſſo, matris curiæ filij adſcriberentur?*

38. *Ex indulgentia Principis ob benemerita certæ perſonæ eximuntur à functionibus, & ſequuntur maternam conditionem.*

39. *Conſuetudine & ſtatuto effici poteſt, ut filij maternam originem ac nobilitatem ſequantur.*

40. *Originalia onera civilia quiſque cogitur ſubire in loco originis nec poteſt aliò migrare, aut ſe eximere alicujus domus patrocinio.*

41. *Subterfugiens patriæ ſuæ onera revocatur, & ex quovis loco etiam privilegiato extrahitur invito domino.*

42. *Decuriones à curia ſua recedentes revocantur: Cauſa urgente, & de præſidis licentia poſſunt ad curiam Principis ire.*

43. *Nemo poteſt munus ſuſceptum deſerere, aut aliò proficiſci ſine venia ſuperioris.*

44. *Qui fictè vitam elegit monaſticam, ad munia patriæ ſuæ revocatur, ejuſque bona capitis qui interim munia ſubivit.*

45. *Philoſophi qui falſo ſeſe ſubtrahunt, & metallarij & fabricenſes redduntur curiis.*

46. *Decurio militiam affectans, ab ea retrahitur ad curiam, cujus cauſa potior.*

47. *Qui naſcitur avo decurione & patre milite, avi ſtatum ſequitur.*

48. *Decurio fugitivus ab ordine capi poteſt, cauſa ſtatus terminanda coram Judice. Unde qui debet obedientiam à ſuperiore capi poteſt.*

49. *Decurionis nominati bona ſubrogato applicantur, ſi lateat, reverſus ea recuperat, ſi per annum fuerit contumax ejus bona curiæ applicantur. Hodiè ſalarium amittit.*

50. *Officialis fugitivus non priùs reſtituitur, quàm refundat expenſas & quas curia prærogavit pro eo revocando.*

51. *Impenſas in ludos quas prærogavit civitas, ei refundebat magiſtratus. Quinam hoſce ludos edere tenebantur.*

52. *Decurio non poterat onera curiæ declinare, nec ea per ſubſtitutum implere, niſi haberet privilegium.*

53. *Neque hodiè vaſallus poteſt, invito domino, inſervire feudo per ſubſtitutum.*

54. *Qui illuſtrem dignitatem fuiſſet conſecutus, poterat curiæ ſervire per ſubſtitutum.*

55. *De cujus exceſſu & delicto teneatur ſubſtitutus.*

56. *Ad alia loca migrare decurio non poterat, quæſito colore, aut munere expleto.*

57. *Id reiterare non cogebatur. Hodie ultro ſe ingerunt ambientes. Satius foret officia conferre recuſantibus.*

58. *Recenſentur decurionum privilegia, inter quæ quod non ſubjiciantur tormentis, niſi à Præfecto prætorio.*

59. *Pœna officialis non reſiſtentis, & decurionis diffugientis curiam.*

60. *Qua pœna puniatur decurio ob crimen, & qua delinquens in adminiſtratione officij.*

61. *Tabellio eſſe nequit decurio, torquetur tamen ob falſum inſtrumentum, quod ante fabricavit.*

62. *Tabellio & decurio ſimul & eodem tempore quis eſſe non poteſt. An tabellionis & procuratoris officium ſit vile?*

63. *Procurator eſſe non poterat; Advocatus exiſtens non erat immunis ab oneribus curiæ, nec procurator Reip.*

64. *Decuriones non verberabantur, nec capite puniebantur, nec litis cauſa evocabantur extra provinciam.*

65. *Non alios quam proprios Judices agnoſcebant. Non poterat Judex qui proprius non erat, extendere poteſtatem ultra ſuum territorium.*

66. *Ad quos honores pervenire poterant decuriones, & quibus oneribus eximi.*

67. *Quæ dignitates liberarent decuriones à fortuna curiali.*

68. *Filij nati ante dignitatem patris, an ſint illuſtres?*

69. *Varia de filiis ante dignitatem patris natis diſpoſitum. Item de filiis patronorum fiſci.*

70. *Privilegium poteſt reſtringi & ampliari pro arbitrio concedentis, & poſterius ita debet intelligi ut minime officiat tertio.*

71. *Quid hodie hac in decurionum materia obſervetur. Quæ magiſtratuum municipalium poteſtas?*

HActenus de jure fiſci, conſequenter dicendum 1
de jure municipali, cujus tractatio eſt bipartita, prior concernit perſonas, poſterior occupatur circa munera & honores. Perſonæ municipales aut ſunt decuriones, aut ſimpliciter municipes. De illis *h.t. & ſeqq.* De municipibus *Tit.* 38. agitur. *Decuriones* ſunt qui concilio Reip. municipalis interſunt ac præſunt. *Sic Servius Tullius Curiarum præfectos, curiones dixit, diviſit & ſingulas curias in decurias, id eſt, alias decem partes, quarum præpoſiti decuriones.* Pomponius Lætus *lib. de magiſtr. in pr.* vel inde dicti, quòd cùm è civitate Romana Coloniæ deducerentur, decimus quiſque ex iis qui deducebantur, eligeretur publici conſilij gratia *l. 239. §. 5. ff. de verb. ſign.* * Ut ergo Romæ Senatores non judica- 2
bant, ſed præerant tantum curæ Reipublicæ, ita de-

curiones in municipiis non erant judices, ſed conſilio Reipublicæ intererant, & curiæ ſuæ negotia tractabant, eorumque cœtus ordo dicebatur & curia; Ac inde *Curiales* dicti, qui lecti ex curiis in ſenatorium ordinem reducti erant. Feneſtella *de magiſtr.c.*4. & ſic in *l.* 21. 25. 33. *& aliis h. t.* vocantur. Sub Imperatoribus dicti etiam ſunt Principes, Id eſt, ſeniores curiæ *l.*42.*h.t.* Item poſſeſſores, quia non omnes habitatores alicujus municipij curiales erant, ſed honeſtiores potioreſque cives, qui prædia poſſidebant, ad hunc ordinem adſpirare poterant. *l. 7. in princ. ff. h. t.* Id ipſum ſub Imperatoribus obſervatum, ut patet *ex Novell. Juſtin.* 38. & Arcadij Imp. conſtitutione, ut ad ſubeunda patriæ munera digniſſimi meritis & facultatibus eligantur, nec tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non poſſunt. *l.*45.*h.t.* 3 * Non refert tamen cujus ſuperſtitionis aut ſectæ ſint, modò ea alios non lædant. *l.*49.*h.t.* eoque pertinet reſcriptum Severi & Antonini quo permiſſum eis, qui ſuperſtitionem Judaicam ſequuntur, honores adipiſci, & ad decurionatum adſpirare, *l.*3.*§. fin. ff. h.t.* ea ratione, ne civitates curialibus deſtituerentur. Sed poſtea Chriſtiani Principes, prohibuerunt ne Judæi defenſoris civitatis fungerentur officio, neve ad patriæ honores & dignitates adſpirarent, quamvis onera ſubeant. *l. ult. ſup. de Judæis.* ubi rationem ſubjungunt, ne acquiſiti ſibi officij auctoritate muniti, adverſus Chriſtianos & ipſos plerumque ſacræ religionis Antiſtites, velut inſultantes fidei noſtræ, judicandi habeant poteſtatem. Eadem ratione, ne quid contra Catholicam religionem moliantur hæretici, ad civitatis officia non aſſumuntur, quantumvis paucitas ſit civium, qui muneribus & officiis publicis fungi poſſint, *l.*1 *§.7.ſup.de hæret.* facit & *Novell.Juſtin.*45.*in pr.* ubi oneribus patriæ implicantur hæretici, honoribus vero nullis funguntur, ſed remaneant in turpidine fortunæ ſuæ ni reſipiſcant.

4 Porro externi ad decurionatum admitti non poterant, vetante id lege Pompeja, quam deſuetudine antiquatam iterum Trajanus reſtituit aliquando, ſed ſi ſponte munus decurionis ſuſceperint, illud ſubterfugere deinde non poterunt, *arg.l.*3.*h.t.* Dummodo in ordinem civium prius allecti fuerint & eo in loco domicilium fixerint, *juxta l.7. infr. de Incolis.* Antoninus Imp. voluit peregrinos bona habere in Italia, ut eſſent quaſi pignus, cum ad honores venirent. Moribus noſtris etiamſi exteri & advenæ in loco figant domicilium, & bona conſilia ſuggerere poſſint, non ideo ad magiſtratum promoventur, niſi deficiant incolæ, aut non inveniantur idonei, *l.*12. *in fin. ff. h.t.* Lipſius *lib. 3. polit. c.* 4. dicit ſignum eſſe Reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Quod ita intelligit, ſi multi, nam ut unus aut alter interdum admittatur ad munera Reipublicæ, quam notam habet, & ipſe fide & ingenio valde notus, non damnat. Vide quæ de his dixi *Tit. de Municipibus n.*15.

5 Artifices quoque & negotiatores, decuriones creantur, quamvis expertes litterarum; modo facultatibus abundent, quas in hoc munere magis ſpectamus, quam eruditionem, *l.6.h.t.* ideo olim inopes excuſabantur. Et certe non facile honores & magiſtratus committendi ſunt pauperibus, quia ut dicit Simancas *l.* 3. *de Rep. Res perniciosa eſt in imperante tenuitas, & animal periculoſum eſt Rex, aut Senator pauper.* Ideo apud Romanos cenſus in Senatore & decurione laudatus fuit, ne ſplendor ordinis, rei familiaris anguſtiis obſcuraretur, ut eſt apud Sigonium *lib.2. de antiquo jure civium Roman. c.*2. Unde decurio cenſum habere debebat, centum millium nummûm, & eques quadringentorum millium. Plin. *in Epiſt.ad Romat.lib.*1. Itaque digniſſimi meritis & facultatibus decuriones eligebantur, *d.l.*45.*h.t.* prout etiam hodie honeſtiores & ditiores aſſumuntur, ut ſplendori publico ſatisfiat, cum quod præſumptio ſit tales minus inhiare muneribus & corruptelis, tum quod magis locupletes ſtudere ſoleant quieto, & incolumi civitatis ſtatui, quo pereunte plurimum illi amitterent, *l. 6. ff. de munerib.* Expediret quidem ut etiam doctrina eſſent exculti, nam hæc utilia ad officium debite peragendum conſilia ſuggerit, & hominis animum ita conſtituit, ut ordinare cuncta prudenter poſſit. Quia tamen multa ſunt in Republica officia, quæ ſcientiam litterarum non requirunt, hinc eſt quod ad illa promoveantur hi, in quibus cum cætera ſint, tum naturalis quidam animi vigor, & rerum gerendarum experientia, quæ pro litterarum peritia eſſe poteſt.

6 Plurimum itaque in regimine valet prudentia & induſtria, qua carere ſolent viles animæ. Quo fit ut abjecti, & ſordidi, in quibus nihil eſt liberale, aut magnificum (ut ait Cicero) omnino removeantur. Spurij tamen vita honeſti & idonei ad decurionatum admitti poſſunt, niſi alij legitimi cum eis concurrant, quos præferri oportet: ſed ceſſantibus legitimis, etiam qui ex inceſtu nati ſunt, admittuntur: non enim impedienda eſt dignitas ejus qui nihil admiſit, nec etiam per hoc ordini nota aliqua inuritur, cum ex utilitate Reip. ſit, ut ſint aliqui qui poſſint munera obire, & implere hunc ordinem. *l.3.§.1. & l.6. & 12.ff.h.t.* Non movet quod ſpurij dicantur eſſe infames, tales autem non poſſint habere dignitates, *l.8.h.t.* nam præterquam quod infames non ſint infamia juris, poſſunt tamen & qui tales ſunt, aliis deficientibus, & urgente neceſſitate publica, admitti ad decurionatus, & tabellionatus officium, ſed ſine honore & prærogativa dignitatis, ut dicit Accurſius *ad l.* 1. *infr. de his qui non impler.* & Covarruv. *pract. qq. c.*19. *n.* 6. 7 * Unde hodie vix ad dignitates ſpurij promoventur, niſi ob-

tenta

Digitized by Google

tenta prius indulgentia,& legitimatione Principis: cujus etiam licentia opus eſt iis; qui ad tempus relegati, & reverſi ſunt, ut in ordinem decurionum admittantur: poſſunt & decurionatus honore fungi, qui in relegatione nati ſunt, *l.13.§.1.& 2.ff.h.t.* nec impedit hunc honorem reatus patris, dummodo filius non ſit crimini obnoxius, *l. 2. §.7. ff. h.t. l.3. §.9. ff. de mun. & honor.* aut publico judicio damnatus, *l.6. §.3. ff. h. t.* Quod ſi vero filius probetur in ſervitute patris ſui natus, modo tamen ex matre libera ſit conceptus, non prohibetur decurio fieri in ſuâ civitate, *l.9.ff. h.t.*

8 Quin autem filiifamilias civilia munera & honores poſſint ſuſcipere, non eſt dubitandum: ſi tamen ad nominationem filij non concurrat conſenſus patris, ob adminiſtrationem ipſius minime poterit conveniri pater *l.5. h.t.* ſecus ſi conſenſerit in nominationem filij, qui videtur tunc fidejubere, ac promittere Rempublicam ſalvam fore, ita ut ratione iſtius conſenſus,non tantum pater,ſed & ejus hæredes obligentur Reipublicæ, eique damnum illatum reſarcire teneantur, *l.1. h.t.* cui alias non obſtringerentur,ſi pater filium emancipaſſet,quamvis eum poſtea decurionem fieri conſenſiſſet, *l. 1. ſup. quod cum eo & l. 1. infr. de filiis quemadmod.* aut mortuo patre, filius munera vel honores obtinuiſſet, quia cum non fuerit obligatus pater, dum vixit, neque etiam ejus hæredes obligabuntur, cum non ſit hæreditaria obligatio. Latius *infra tit. 60.*

9 Quod ſi autem pater conſulto filium emancipaverit, ne pro ejus magiſtratu caveret, tunc perinde bona teneri Impp. reſcripſerunt, ac ſi fidejuſſor pro eo extitiſſet. *l.fin.§.4. ff. ad municipal.* quia dolus nemini debet patrocinari. *Cum ergo conſentiens

10 creationi pater, univerſis muneribus quæ decurioni filio injunguntur, obſtrictus ſit, quaſi fidejuſſor. *l.2.ff.d.t.* Conſequens eſt ut etiam habeat privilegia fidejuſſorum, id eſt, quod non poſſit conveniri niſi prius excuſſis bonis filij, ſic ut non abſolute debitor cenſeatur, ſed conditionalis, ſi ex filij bonis conſequi non poſſit quod Reip.interſit. Ut non obſtet quod non ſoleat pater pro filio teneri *tit. C. ne filius pro patre.* quia hic pater tanquam fidejuſſor ex ſua obligatione convenitur, ob præſtitum, antea conſenſum. Late poſt Amayam *ad l. 1. h. t.* Larrea *alleg. fiſc. 112. n. 45.*

11 Atque iſte conſenſus in filiifamilias electione ad munus publicum ſufficiens eſt, non ſolum ſi ſit expreſſus,ut in præſenti,verum etiam ſi cum filius decurio crearetur, pater præſens non contradixit nominationi, *d. l.2. ad municip.* Idem erit ſi pater abſens,aut ignorans,poſtea electione cognita munus agnoverit, conſentiendo vel non repugnando. *l.7. ff. de tutel.* etſi enim qui tacet conſentire non videatur in præjudicialibus, hic tamen aliud obtinet favore Reipublicæ. *l. 7. §. 3. ff. h. t.* Barboſa *in l. ſi cum dotem §. transgrediamur n.5. & ſeq. ff. ſol. matr.*

Cæterum frater propter fratrem qui decurionis 12 munere functus eſt,non tenetur, licet bona eorum ſint indiviſa *l.7.h.t.* neque enim bonorum communio facit, ut æs alienum quod unus contraxit ab alio exigatur, *l.39.§.3.ff. famil. erciſc.* addit Bartolus id quod gloſſa *ad d.l.7.* quando unus fratrum munus civile geſſit vivo patre, vel eo mortuo ex ejus voluntate, tunc alterum quoque obligari tanquam hæredem patris, juxta *d. l. 1.*

At vero uxorem non teneri de adminiſtratione 13 mariti decurionis conſtat *ex l.11.h.t.* nec ob ejus delictum dotem amittere. *l.2.ſup. ne uxor pro mar.* Cauſam tamen primipilaris debiti à marito contracti, dote uxoris potiorem eſſe,& poſſe eo nomine dotis proprietatem à fiſco retineri, ſi non ſufficiant bona mariti, ait *l.4. ſupr. in quib. cauſ. pign. & l. 3. infr. de primipil.* Non ideo putandum eſt obligatam eſſe dotem civitati, vel municipio,quia civitas non habet fiſci adverſus debitores privilegia. Videatur Gail. *lib.2.Obſ.90.* qui plures caſus recenſet, quibus uxor pro marito obligatur, & è contrario maritus pro uxore, idque de conſuetudine; nam de jure certiſſimum eſt maritum pro uxoris obligatione conveniri non poſſe, niſi ſe pro ea obnoxium reddiderit. Itemque ex alterius contractu neminem obligari, *l.3. ne uxor pro marito.*

Quo fit ut novus decurio non oneretur pro præ- 14 teritis debitis ſuſceptoris, quem non nominavit, *l.23. hoc tit.* Rationem aſſignat Imp. quod non ſolum grave ſit, verum & naturali æquitati contrarium, pro alienis debitis alios moleſtari, *l. un. infr. ut nullus ex vicariis.* Unde ſucceſſor in officio ſolvere non tenetur debita prædeceſſoris, niſi ad id ſe obligaverit, vel veniat tanquam ſucceſſor hæreditarius univerſalis nam hic cum defuncto eadem perſona reputatur, & illius obligationem & onera ſuſcipit. *l. 37. ff. de acq. hered. & ſup. tit. de hered. act.* quod ſecus eſt in ſucceſſore particulari in locū decurionis ſurrogato, hic enim ſui prædeceſſoris perſonam non repræſentat, neque ex acceptatione officij obligatur ad ſolutionem æris alieni. *l.15. & 24. ſup. de donat.*

Verùm quod in officij utilitatem eſt impenſum, 15 præſtare tenetur ſucceſſor, prout etiam majoratus ſucceſſor debita exſolvere tenetur, quæ pro majoratus conſervatione ab inſtitutore ſunt contracta, cum bona non cenſeantur niſi deducto ære alieno, aliud dicendum, ſi non ab inſtitutore, ſed ultimo poſſeſſore debita ſint contracta, cum non videatur quis huic ſuccedere, ſed primo inſtitutori. Molina *lib. 1. de primog. c. 8. & 10.* niſi tamen ut hæres vel filius ſuccedat prædeceſſori.

Eo pertinet quod etiamſi pater deceſſerit, tenea- 16 tur filius tanquam agnatus de geſtis paternis in decurionatu *l.48. h. t.* Similiter Princeps ſuccedens in

Digitized by Google

principatum, aut regnum, debita ſui prædeceſſoris ſolvere, & contractus ab eo initos obſervare tenetur, ſiquidem nomine Reip. ſint initi, & ceſſerint in ejus utilitatem. Diverſum autem ſi nomine proprio ineantur, debitaque contracta ſint, iis namque non obſtringitur ſucceſſor, cum hic jure hæreditario non veniat, ſed proprio jure, aut à lege vocetur, *l.* 27. *ff. de evict.* & *l.* 93. *ff. de ſolutionib.* ubi inſinuat I. C. in ſucceſſione juris defuncti obligationes non venire. Panorm. & Felin. *ad c.* 1. *de probat.* Maſtrillius *de magiſtrat. c.* 18. *lib.* 1.

17 * Hinc Rectores civitatum aut eorum ſucceſſores qui pecuniam mutuam ad opus publicum reficiendum accepere, non tenentur, ſed ipſa civitas in cujus utilitatem pecunia verſa eſt, incumbit tamen ſucceſſoribus executio, & implementum operis publici, itemque perſecutio jurium civitatis, propoſitis in judicio publicis actionibus, *l.* 30. *h. t.* quod munus hodie Syndico civitatis incumbit.

18 Sequitur modo ut dicamus, quinam ab hoc decurionatus munere excuſentur, & quidem non tantum infantes, & minores 25. annis, *l.* 8. *ff. de muner. & honor.* ſed & majores 55. excuſantur, *l.* 2. *§. fin. h. t.* ſi tamen conſenſerint honoribus, etſi majores annis 70. ſint, munera quidem civilia obire non coguntur, honores autem gerere debent, *l.* 10. *h. t.* à quibus ne quidem numerus quinque liberorum excuſat *l.* 8. *ff. de vacat. muner.* quia requiritur quis ſit pater duodecim liberorum, & honeſtiſſima munerum quiete donetur, *l.* 24. *h. t.* id eſt, ut quieſcat ab oneribus, quæ perſonæ injunguntur, item ab aliis extraordinariis muneribus, ut liberorum educationi operam dare valeat. Hanc excuſationem introduxit lex Julia & Papia, quæ matrimoniorum frequentationi & fœcunditati præmiis providit: nam pater qui liberos habet, in albo decurionum præfertur non habenti, *l.* 9. *h. t.* & meritò cum Reipublicæ interſit abundare liberis hominibus, & matrimonia contrahi, ut alij ex iis procreentur.

19 Liberatur itaque pater 12. liberorum à munere, non à contributione pro modo patrimonij, ab hac enim nullus quieſcit, ſeu immunis habetur, quamvis de facto decurio ſit, nam hic tantum ab oneribus extraordinariis immunitatem habet, *l.* 21. *h. t.* ne diſtrahatur ab adminiſtratione curiæ. Fachinæus *lib.* 3. *contr. c.* 49. Quo pertinet quod dicit I.C. ſunt munera quæ rei propriæ cohærent, à quibus neque liberi, neque ætas, neque merita militiæ, neque ullum aliud privilegium jure tribuit excuſationem, *l.* 10. & 11. *ff. de vacat. muner.* Imo nec eam præbet ſententia præſidis, nec ætas quinquaginta annorum, nec podagræ valetudo, nec morbus chiragricus, *l.* 13. *h. t.* nam hi morbi habent intervalla, nec impedimento ſunt quo minus quis munera civilia præſtet, atque etiam ea quæ extra ordinem imperantur,

Habent quidem aliqui horum munerum vacationem, non propterea, ut dixi excuſantur à ſuſcipiendis honoribus, *l.* 12. *ff. de muner. & honor.* Et ideo is qui honorem decurionatus ſponte ſuſcepit, cum excuſare ſe poſſet, eximi ab albo nequit, licet annoſum ſe eſſe dicat, *l.* 3. *h. t.* aut caſum alleget, quod cœcus factus ſit. *l.* 8. *eod.* Nam & qui cœcus eſt, ſenator, decurio, & judex eſſe poteſt, quin & retinere jam acceptum magiſtratum, quamvis ad novum adſpirare prohibeatur. *l.* 1. *§. caſum ff. de poſtulan.* Is quoque per ſenectutem à decurionatu vacare cœpit, ordinationi nihilominus quæ per plurimos cito definiri ſolet, adeſſe debet, *l.* 41. *h. t.* 20

* Porro infamis non excuſatur, ſed excluditur à muneribus, quibus adjuncta eſt dignitas, prout decurionatus *l.* 12. *h. t.* Immunitas enim ob privilegium datur, infamia vero nota eſt, nec meretur præmium, ſed pœnam, quam proinde ſubit quiſquis notatus eſt infamia juris, & compellitur onera quæcumque ſuſtinere. Late Amaya *infr. tit. de infamib. num.* 93. 21

Datur autem iſta munerum civilium vacatio, ad tempus, vel in perpetuum, idque à ſolo Principe, præmij & honoris cauſa, non etiam à præſide provinciæ, etiamſi juſta dandæ vocationis cauſa ſubeſſe videatur, veluti paupertas, aut everſio bonorum, aut gravis morbus, *l.* 14. *h. t.* quia ſi ab aliis magiſtratibus concederetur immunitas, facile eam precibus aut pretio provinciales aſſequerentur. 22

Soli itaque Principi à quorumvis munerum immunitate, reſervata eſt conceſſio, niſi munera patrimonialia ſint, quæ poſſeſſoribus indicantur, à quibus nullus decurio, aut ſenator qualibet dignitatis, aut militiæ prærogativa fultus habetur immunis. *l.* 28. *h. t.* Quod procedit, ut ne quidem prætextu reſcripti, aut colore ſacræ juſſionis, poſſit quis opera ordinaria recuſare, aut decurio decurialia munera deſerere, *l.* 37. *h. t.* quoniam Princeps non intendit juri publico derogare; aut jus quod curiæ quæſitum eſt tollere, etiamſi interveniat conſenſus curiæ, aut civium, *l.* 19. *h. t.* nam ejus eſt curiæ proſpicere, non curiæ juribus derogare. Eò pertinet quod ſanxit Juſtinianus ſacras juſſiones de cauſis publicis, non prius robur habere, vel ad præſides tranſmitti, quam fuerint præfecto prætorio inſinuatæ, & prævia examinatione ab eo approbatæ. *Novell.* 152. alias ſi quid contra jus aut utilitatem publicam contineant juſſiones, pro non ſcriptis eas haberi vult, quaſi fuerint per obreptionem, aut nimiam ſupplicantium importunitatem impetratæ. Qua de re dictum *ſup. tit. ſi contra jus vel utilit. publ.* quomodo non valent reſcripta, aut annotationes ad munerum fugam, id eſt, ut qui decurio jam eſt, à curiæ nexu liberetur, quia munera iſta publicam cauſam concernunt. *l.* 43. *h. t.* Sequitur de nominatione, & electione. 23

Decuriones novi, Kalendis Martiis nominari 24
con-

conſueverant. *l. 28. C. Th. eod.* curia à dumviris ſolemniter per publicum nuntium convocata. *l. 2. h. t.* Erant autem Duumviri veluti conſules aſſumpti ex corpore decurionum, *l. 7. §. 2. ff. eod. l. 6. ff. de muner. & honor.* apud quos erat legis actio, id eſt, celebratio actuum legitimorum, manumiſſionis, adoptionis, nominationis & ſimilium, *l. 2. C. de magiſtr. municip. Ubi plura dixi de duum viris.* Fuit & apud eos juriſdictio ad certam uſque ſummam, quam & excedere poterant, ſi ita conveniſſent litigantes, *l. 28. ff. ad municip.* ea vero quæ magis imperij ſunt, quam juriſdictionis, excedere non poterant, *l. 26. ff. d. t.* neque extra metas territorij propriæ civitatis, extollere poteſtatem faſcium, *l. 53. h. t.* Neque aſſumere regimen, aut adminiſtrationem extra ſuum territorium, ut à curiæ ſuæ oneribus ſe liberarent. Quamobrem ſi tam illi quam cæteri curiales, aliqua fraude aut ambitione, alienam adminiſtrationem aſſumerent, ad curiam ſuam revocabantur, intermiſſa munera ex integro repetituri. *l. 50. h. t.*

25 Itaque novi decurionis electio fieri non poterat citra conſilium decretumque publicum, præſentibus omnibus decurionibus, aut ſaltem iis vocatis. *d. l. 2.* adeo neceſſaria eſt iſta ſolemnis convocatio, ut ea omiſſa actus nullus reputetur, etiam nunc in electionibus & cauſis majoris momenti. *l. 7. infr. de numerariis & actuar.* Bobadilla *lib. 3. polit. c. 7. n. 15. & ſeq.* Convocata igitur ſolemniter curia ad electionem, duumviri pro more civitatis, una cum præſide provinciæ nominabant quem decurionem creari volebant, atque hunc nominatum ſuffragiis ſuis decuriones, vel major præſentium pars comprobabat. *l. 46. h. t.* unde in electione aliiſque negotiis decidendis duas partes ex tribus curiæ adeſſe oportebat, *l. 3. & 4. ff. quod cujuſque univerſ. nomine.* Et quod illæ duæ partes efficiebant, pro eo habebatur, ac ſi omnes feciſſent, *l. 19. ff. ad municip.* Ant. Faber *in Cod. lib. 1. tit. 7. defin. 2.*

26 Idem hodie obtinet in actibus univerſitatis, & collegiorum, nam quod in his major eligentium pars concluſit, & approbavit, minor ſequi compellitur, abſque contradictione per *d. l. 19.* facit & juris regula, publica ratione ſubnixa, quæ vult ad univerſos referre, id eſt, cenſeri omnium ſententiis approbatum, quod publice per majorem partem fit. *l. 160. §. 1. ff. de reg. jur.* Idque ex benigna interpretatione procedere exiſtimo in actibus qui tendunt ad utilitatem & commune bonum; ſecus in iis qui gravamen inferunt, aut damnum, nam tunc neceſſe eſt quod omnes decuriones concordent, & contradictio unius ſufficiens eſt, ut actum impediat. Unde ſi à minore decurionum parte aliquid rationabiliter opponatur, & oſtendatur majorem partem non bona ratione moveri, prævalebit uti ſanior, minor ſuffragantium pars, ac ita intelligi debet *l. 8. ff. de pact. & d. l. 19.* & reliqua jura quæ præcipiunt majori parti ſtandum, niſi minor melius ſentiat, juxta *l. 1. §. ſed neque C. de vet. jur. enucl.* ſed neque ex multitudine auctorum, quod æquius & humanius eſt judicandum, cum poſſit unius & deterioris forſan ſententia, multos & majores aliqua in parte ſuperare.

Cæterùm non omnes decuriones qui honoraria recipiebant, intereſſe poterant electioni, & ſuffragium ferre, hinc minores 25. annis & qui à teſtimonio dicendo repelluntur, ad conſilium præſtandum minus erant idonei. *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Cæterum illi qui conſulendi, eligendique jus habebant, nominatum à duumviris approbare tenebantur, nec poterant alium pro ſuo arbitrio eligere; ſiquidem lege municipali aut moribus, poteſtas nominandi perſonam digniorem, attributa erat duumviris, penes quos erat etiam ſumma Reipublicæ. *l. 25. ff. ad municip. l. fin. C. de judic.* 27

Hinc magiſtratus municipalis, qui ex ſtatuto, aut privilegio jus habet, ex conſilio peritorum, eligendi perſonas ad munia ſuæ communitatis, non tantum tenetur conſilium ab hiſce peritis petere, ſed etiam illud ſequi debet, quoniam melius norunt peritiores quinam mereantur nominari. Non movet, quod obligatio petendi conſilium non inducat neceſſitatem ſequendi, *l. 77. §. mando 24. ff. de leg. 2. l. 71. §. 4. & ſeq. de cond. & demonſtr.* quia id procedit quoties jubetur aliquid fieri adhibito conſilio alicujus, quo caſu ſufficit conſilium petere, etſi non ſequatur qui petiit. At vero quoties ſtatuto diſponitur electionem faciendam eſſe de conſilio, & judicio peritorum, tunc illud ſequi oportet, quoniam illa verba, *de conſilio*, neceſſitatem imponunt, atque idem ſignificant, quod ſecundum conſilium, alias ſi illud ſolum petere ſufficeret, & aliter facere, non diceretur electio fieri de conſilio, vel cum conſilio, ſed contra conſilium eorum à quibus petitum fuit. Gloſſ. *in c. cum in veteri 52. verbo expectatum de elect.* Bartol. *in l. 1. §. ſi plures ff. de exercit. act.* Joan. Andr. *in cap. nullus ex conſilio num. 10. de reg. jur. in 6.* Gonzalez *reg. 8. cancell.* gloſſ. *46.* 28

Porro iſta decurionis electio, etſi de conſilio Duumvirum facta fuiſſet, & à majore decurionum parte, non tamen ſtatim tribuebat jus electo, prout nec hodie tribuit, præterquam ea quæ fit à Principe, *l. 1. ff. ad l. Jul. de ambitu.* ſed neceſſe eſt accedat confirmatio ſuperioris: ſic electio decurionis confirmabatur judicio præſidis. *l. 59. h. t.* ſi rite facta eſſet, nec ullus eam incuſaret. Quocirca Præſes aut ſuperior ad quem ſpectabat confirmatio, præmittebat nuntium publicum, qui ſignificaret electo electionem de ſe factam; quod ſi vero electus ſe nominari non potuiſſe prætendebet, aut legitimam habebat excuſationem, poterat appellationis remedio contra electionem proponere. Etenim non 29

Digitized by Google

aliter permiſſum fuit excuſationibus uti, quam interpoſita apud Præſidem appellatione, ne alias facile eſſet electo, ut munera ſubterfugeret, fingere excuſationes. *l. 1. ff. de vacat. mun.* Quod vix hodie continget, cum omnes oppidani, avide ſuæ curiæ munia & officia ambiant, ſæpe etiam cum magna honoris, & patrimonij jactura, ſed ſpe hujus jacturæ ſarciendæ.

30 Etenim, ubi à nominatione appellans, cauſas cur nominari minime debuiſſet allegaverit, probaveritque, nominator in omnes litis ſumptus condemnatur, *d. l. 2. h. t.* ne impunita remaneat illius malitia, qui vexandi gratia talem elegerat, quem ſciebat perpetua vacatione ſubnixum, *d. l. 1. §. 1. ff. de vacat. mun.* Nam non poterant nominari, niſi qui functiones publicas implere & ſuſtinere poſſent *l. 45. h. t.*

31 Aſſumpti vero in ordinem decurionum, non omnes dignitate pares erant. Nam qui prius in numerum fuerat relatus, & univerſa civitatis munera expleverat, is primus curiæ dicebatur, & qui liberos habebat (prout dixi ſupra) in decurionatu adipiſcendo, alij liberos non habenti præferebatur, *l. 9. h. t.* quia magis de Republica ſollicitus, qui liberos habet. Inter duum virales antiquiſſimus quiſque prior erat, & qui Principis judicio dignitatem fuerat conſecutus, potior erat eo qui municipali honore functus, *l. 1. & 2. ff. de albo ſcrib.* Itaque qui omnibus honoribus fuerant perfuncti, potiores reliquis voce, loco & dignitate habebantur, dicebanturque Summates, qui ut Romæ illuſtres ſenatores, ſoli ſententiam dicebant. *l. 57. hoc tit.* Item principales vocabantur, *l. 42. h. t.* (inde Græce protoſtaſiæ munus) quaſi cæteris præſtantiores.

32 Creabantur autem magiſtratus, pro diverſitate & magnitudine civitatum, plures aut pauciores, aliquando ſeptem, quandoque decem, nonnunquam viginti, Icoſaproti nuncupati, ſed Alexandriæ quinq; tantum erant Summates. *d. l. 57.* quibus totius civitatis cura commiſſa. Decuriones vero publica civitatis prædia adminiſtrabant, reditus exigebant, quorum redituum tertiam partem in mœnia urbis, & balnea inſtauranda impendebant, *l. 11. ſup. de operib. publ.* reliquam in alendos profeſſores liberalium artium, & alios publicos uſus erogabant, quin etiam inviti domos quas olim habuerant in civitatibus reparare, vel de novo ædificare, omniaque opera publica tueri cogebantur, *l. 8. ſup. de ædific. privat.* Prædia quoque per curatores locabant, non tamen ea alienare poterant ſine decreto. *l. 1. C. de præd. decur. ſine decreto non alien.* At vectigalia non niſi decem primarij exigebant, & quod deerat, de ſuo reſarcire cogebantur. In ſumma univerſæ civitatis tranquillitati, ac commodis ſtudebant, ut patet *ex l. 2. §. 1. & l. 5. ff. de admin. rer. ad civit. l. 17. §. 7. & l. 8. ff. ad municip.* ut rectè dixerit Majorianus in ſua Novella, *Curiales nervos eſſe Reipublicæ, ac viſcera civitatum, quorum cœtum recte appellavit antiquitas minorem ſenatum.*

Nam præter iſta onera, habebant quoque curam 33
ludorum Circenſium, *l. 20. h. t.* in quibus exhibendis plerumq; patrimonia impendebant. *l. 8. ff. h. t.* Quin & curſus publici exhibitione, equorum emptione, ac ſtabulorum extructione onerabantur, *l. 2. 7. 14. infr. de curſ. publ.* quæ cauſa fuit, cur multi curiis ſeſe ſubtraherent, & varios refugiendi modos quærentes, patriam deſererent. *l. 31. 41. & 50. h. t.*

Hactenus de decurionibus qui ſuffragiis totius 34
ordinis creabantur. Sequitur de iis, qui naſcebantur decuriones. Et quidem ex ipſis decurionibus geniti, patrum ſuorum familiam, agnationem & ſtatum ſequi, & veluti quadam ſucceſſione illorum officium occupare, locumve implere, cogebantur, *l. 35. & ſeq. h. t.* Quin & ubi filij deerant, tenebatur tota agnatio, curialia munia ſuſcipere, *l. 49. & 55. h. t.* ubi agnationis voce intelliguntur liberi nati, & poſthumi, & tam qui adoptantur, *l. 4. h. t.* quam qui ex legitimo matrimonio naſcuntur.

At vulgò quæſiti, ſicut nec in aliis, ita nec in hoc 35
patris conditioni obligabantur. *l. 1. §. 2. ff. de municip.* ſi tamen deficientibus liberis legitimis, naturales ſeſe curiæ offerrent, aut pater etiam illis extantibus eos offerret, in onera ſuccedebant. *l. 3. C. de natur. liber.* Novell. 89. *§. ſi quis igitur.* Nati vero ex inquilina vel colona dominica, & patre curiali, coloniam & inquilinatum ſequebantur potius quam curiam, *l. 29. h. tit.* Etenim ob ſervilem matris conditionem ad decurionatum pervenire filij non poterant, quamvis illorum pater fuiſſet decurio. Ratio poſita videtur in abjecta adſcriptitiorum & inquilinorum conditione: nam adeo glebæ adhærebant, & tanquam partes ejus terræ reputabantur, ut ab ea recedere non poſſent, nec ad decurionatum adſpirare, *l. 23. §. 8. infr. de colonis Palæſt.* Amaya *hic & in lib. 1. obſerv. cap. 6.* etiamſi nati eſſent ex inquilina Principis, *d. l. 29. & l. fin. infr. de agric. & cenſit.* quod introduxiſſe videtur favor agriculturæ, ne illa deſeratur. Pichardus *in diſſ. de nobil. communicatione, n. 12. plures DD. refert.*

Extra hunc caſum regulare eſt, quod filij ma- 36
trem ſequantur, quoad ſtatum & conditionem, patrem vero quoad munera & honores. Quod procedit etiamſi mater ſit ex curiali genere, non item pater, neq; enim mulieris infirmitas functionibus curialibus reddebat obnoxios filios, à quibus ipſa habebatur immunis, *l. 44. h. t.* Itaque exemplo ſenatorij ordinis, patris originem & curiam ſequebatur unuſquiſque, adeo ut non audiretur filius ſi oppoſita matris origine, à patris majore curia, ad maternam quæ minor erat, ut videlicet minoribus ſubjiceretur oneribus, tranſire vellet, *lib. 36. h. t.* etiamſi diceret ſe reſcriptum Principis,

ob

Digitized by Google

ob id impetraſſe, aut allegaret privilegiũ, quia non facile id privato conceditur in fraudem curiæ, *l.37. h.t.* aut damnum Reipublicæ, ut dictum eſt *per. l.29.*
37 *& 43.h.t.* * Dico privato, nam civitati & provinciis quandoque ob merita, privilegium concedi ſolet, quale conceſſum fuit Antiochenæ civitati, ut ejus curiæ adſcriptus ibi munera obiret, quamvis procreatus eſſet ex matre decurionis filia, & patre libero, qui nullius alterius civitatis muniis debebatur, *l.22.h.t.* Atque hoc privilegium Antiochenis datum confirmavit Leo Imp. hoc addito, ut à filio hujuſmodi conditio incipiat, non à cæteris liberis,
38 *l.62.h.t.* * Item gratiam quandã indulget certis perſonis, videlicet Dorotheo viro illuſtri, & Ireneo viro ſpectabili, ut cum tota ſua familia liberentur à conditione curiali, & plane eximantur à functionibus, nec ſequi teneantur jura maternæ conditionis, quantumvis proles natæ ſint Antiochiæ, *l.61.h.t.* Cujus nobiliſſimæ civitatis, & Orientis urbium primæ privilegium, etiam ante, ſed non tam ample datum fuerat Ilienſibus, Delphicis, & Ponticis, ut procreatus, non ut Antiochię ex matre curiali, ſed utroque parente curiali, matris Ilienſis, aut Delphicæ aut Ponticæ curiam ſequatur, *l.1.ff.ad municipal.*

39 Porro ut indulgentia Principis, ita etiam ſtatuto vel conſuetudine effici poteſt, ut incolæ alicujus municipij maternam ſequantur originem, & ibidem magiſtratus, honores & officia publica perpetuò obtineant: utque filij ex matre nobili, exemptionibus & privilegiis nobilium gaudeant, ut apud Xanthios ſcribit Plutarchus *lib. de claris mulier.* Decreto cautum, ut à matribus, non à patribus filij originem & nomen ſortirentur. Cur filij cum matrem illuſtrem habeant, patrem ignobilem & infimæ conditionis, non potius matris ſplendore & decore ſplendeſcerent, cum negari non poſſit, quin generoſitas materna aliquando in filios derivetur, & eorum animis matris imago imprimatur. Tiraquel *de nobilit. c.18.n.22.* Sic in hac urbe Lovanienſi, filius ex alterutro parente nobili, aut patricio natus, nobilis cenſetur, & capax honorum, & munerum civitatis. Idem quoque Salmanticenſibus mulieribus *de les linages*, ſive ex certis proſapiis deſcendentibus conceſſum, ut illæ, ac illorum filij, exemptionibus nobilium gaudeant, ut ex Pichardo & Otalora *3.p.c.8.n.* refert Amaya *ad l.39. in fin.h.t.* Sed non facile hujuſmodi exemptiones incolis concedi ſolent, niſi ob merita, quod ſtrenue per annos plures, tam ipſi quàm eorum majores municipium defenderint, & in eo functi ſint muneribus & honoribus, à quibus arcentur indigni, & de Republica minus meriti, *l.58.h.t.*

40 Conſiſtit autem decurionatus effectus in oneribus & privilegiis, onus hoc imponit lex curialibus, ut qui origine talis eſt, teneatur muneribus fungi in loco originis propriæ, vel avi, ut nec adoptio eum liberet, quin magis novis muniis adſtringit, & ubi pater adoptivus eſt, cogatur quoque gerere, *l.15.§. fin. ff. ad municip.* Adeo enim quiſque aſſiduam & conſtantem operam ſuæ civitatis curiæ exhibere cogitur, *l.41.h.t.* ut non poſſit eam deſerere, vel ruri habitare, vel qui origine curialis eſt, relicta curia alio in loco commodiore adminiſtrationem obtinere, *l.50.h.t.* aut alicujus domus patrocinio ſe tueri, cujuſcumque illa dignitatis ſit vel fortunæ, *l.31. h.t.* Quod ſi nihilominus perſiſtat, & declinet onera ſuæ civitatis ſubire, ſeque privilegio domus Auguſtæ defendi poſſe crediderit, ad curiam retrahitur, & propriis functionibus mancipatur. *l.39.h.t.*

Hinc noſtri Interpretes inferunt ad ſublevanda onera ſuæ patriæ unumquemque extrahi poſſe ex 41
domo privilegiata, non ſecus ac ex privata & propria, nec excuſari ob publicam officinam in quam ſe tranſtulerit. Chriſtinæus *ad h.t.n.13.* Quin etiam inde extrahi poſſe invito domino domus, qui curialem occultaverit, quia ſcire debet occultatoribus decurionum, præter jacturam exiſtimationis, etiam rerum diſcrimen incumbere, ſi diutius auſi fuerint eos detinere, contra publica commoda, *d.l.31.*

Cum ergo tam eſſent gravia curiarum onera, 42
plerique ab iis ſeſe ſubtrahere conabantur, & cauſas fugæ quærebant, ſed fruſtra: nam fugitivi, & in agros ſecedentes habitationis cauſa, ad curiam & munera revocabantur, *l.18.31.50.51.h.t.* etiam cum manuum injectione, *l.54.eod.* De quo plura infra. Itaque aliò migrare decurio non poterat; ſi tamen propriæ rei tam urgens eſſet cauſa, vel Reipublicæ, quæ ipſum cogeret adire Principis comitatum, vel legationem ſuſcipere, non ante licitum erat diſcedere, quam Præſidi deſiderium proficiſcendi inſinuaſſet, & facultatem impetraſſet, *l.16.hoc. tit.*

Ex quo textu infertur quod nemo poſſit pro arbitrio officium publicum quod ſuſcepit deſerere, aut 43
à legatione redire abſque venia Principis, prout nec ad urbem eccleſiaſtici negotij cauſa proficiſci beneficiato licet, ſine venia ſui Epiſcopi, cui ratione ordinum ſubjicitur, *l.22.in fin. ſup. de ſacroſ. Eccleſ. c.4. & 10. de Cler. non reſid.* Ita neque conſiliarij Principis poſſunt abeſſe, abſque licentia Præſidis, quam ita concedet, ſi juſta fuerit abſentiæ cauſa, aut publica neceſſitas exegerit, *juxta l.25.h.t.* neque iſta abſentia ſe extendet ultra tempus, quod concilij ordinationes præſcribunt.

Adeo namque munus injunctum, obire quis tenetur ut non poſſit id differre cauſa religionis. Quo 44
fit ut ſi ex decurionibus natus monachorum cœtui furtive ſe adjungeret, ad munia patriæ ſubeunda revocaretur, *l.26.h.t.* Ubi notantur ignaviæ ſectatores, qui ficto religionis colore, ſolitudines captant (in quibus degebant veri Monachi) non ut eam profiteantur, ſed ne implicentur muneribus Rei-

Digitized by Google

Reipublicæ, ita ut meritò eorum bona addicantur
45 iis,qui eorum loco munera iſta geſſerint.* Idem reſcriptum *in l.8. infr. de profeſſ. & med.* de Philoſophis qui non veram,ſed ſimulatam Philoſophiam profitentur,ejuſque habitum indebite & inſolenter uſurpant,ut ſi patriæ muneribus ſeſe ſubtrahant, curiis reddantur. Idemque de metallariis & fabricentibus, ut illi ad ſua metalla,hi ad ſuum collegium revocentur,& ordini,cui adſcripti, reſtituantur, *l.32. h.t. & l. ult. infr. de metall.* ſed hoc poſtremum intellige de illis,qui originem curialem, & propria munera declinarunt,nam reliqui non ſunt obnoxij curiæ, nec ad leve quidem munus patriæ ſuæ vocari poſſunt, *d.l.32. in fine.*

46 Cæterum ſubjectus curiæ, ſi, ut eam declinaret, auſus eſt levius munus ſuſcipere,aut malitiam affectare,nulla temporis præſcriptione munitur, ſed ad conditionem propriam retrahitur, nec ipſe vel ejus liberi poſt talem ipſius ſtatum procreati,quod patriæ debetur valent declinare, *l. 55. h.t.* Non obſtat quod cohortalis qui militiæ ſe adſcripſit, munitus ſit 30. vel 40. annorum præſcriptione, *l.12.§. 1. infr. de cohortib.* quia id eſt ſpeciale in cohortali, cui lex hoc permittit,ſecus in decurione,qui magis adſtrictus eſt curiæ, ratione originis,quæ facit ut nullam malitiam, nullam præfecturam poſſit obtinere,obtentam deſerere,& ad curiā redire cogatur *l.17.h.t.*Facit & *l.51.h.t.*ubi non tantum in patria,ſed & in peregrino ſolo, decurio militare prohibetur.

47 Eſt enim curiæ cauſa,quavis militia potior,adeo ut qui natus eſt avo decurione, & patre milite, avi conditionem ſequatur, non paternæ militiæ privilegium, & contra ſi militari avo, & patre decurione natus, paternæ ſit ſuccedaneus functionis. *l.27.h.t.*

48 Quod ſi nihilominus decurio militiæ nomen dederit, vel alibi exiſtat, vel lateat, permiſſum eſt duumviris propria auctoritate in decurionem manus injicere, ſi copia judicis deſit, coram quo tamen ſi cauſa ſtatus oriatur,ventilanda & terminanda erit intra trimeſtre, *l.45.h.t.* ex qua lege deducitur,quod ubi periculum eſt,& copia officialis deeſt permiſſa ſit manuum injectio,non quidem cuivis, ſed illi cujus omnino intereſt, quia talis eum in fugitivum jus habeat, non tam videtur illum capere, quam retinere uti ſuum. Hinc qui obedientiam debet perpetuam, ſi ab ea fugiat, poteſt propria auctoritate à ſuperiore capi, & convictus ad obedientiam: ſic ſi profeſſus religionem, ab ea fugerit,vel uxor à viro diverterit, vel ſubditus ſe juriſdictioni ſui judicis ſubtraxerit, poſſunt propria ſuperioris auctoritate capi. Baldus & Azo *& in l.1. ſup. ubi quis de curial. & DD. ad l. 54.*

49 Verùm ſi decurio pertinaci animo lateat, nec ſeipſum exhibeat,bona ipſius ſurrogato applicantur, pro tempore quo locum in munere decurionatus implevit,ſi tamen poſt aliquod tempus ultro revertatur, bona ſua recuperat,ita tamen ut integro biennio munus illud quod ſubterfugerat,ſubire cogatur, *l.18.h.t.* Ex qua obſerva munus publicum à privato declinari non poſſe; itemque hujus legis deciſionem procedere in eo qui nominatus eſt ad decurionatum, nam is qui manifeſtis curiæ nexibus jam erat illigatus, ſi latere potius quam redire maluerit, poſt emenſum annum à vocatione,ex facultatibus ſuæ curiæ quam deſeruit conſulere damnumque reſarcire debet, *d.l.51.* Moribus hodiernis benignius agitur in abſentem decurionem, qui ſolum ſalarij amiſſione punitur, ut obſervat Bobadilla *l.3. polit.c.7.n.61.* poſſet tamen excreſcere pœna, ſi diuturnior ſit abſentia, aut contumacia decurionis.

Hinc jure receptum eſt, ut decurio, vel quivis 50 alius officialis contumax,ad curiam ſuam reverſus, non prius munus ſuum recuperet, aut bona, quam damna reſtituerit & expenſas, *l. 15. ſup. de judiciis.* Similiter non revocatur miſſio in poſſeſſionē ex primo decreto,niſi refuſis expenſis, *l.9. ſup.de bonis auctor. jud. poſſ.* Quin etiam oportet impenſas quas curia prærogavit in revocandis deſertoribus, ex eorum bonis refundere ac repræſentare, & quidem præſenti die. Idque Accurſius, cæterique veteres Interpretes probant *per.l.20.h.t.* ſed non rectè,nam alia eſt iſtius legis mens,ut mox dicam, & ex dictis conſtat deſertorem aut fugitivum decurionem ipſius ſolius impenſis revocari *per l.18.h.t.* * Itaque ex 51 Cujacij, Alciati, & Amayæ interpretatione accipienda eſt *d.l.20.* de annuo magiſtratu, qui ludis Circenſibus præerat, eoſque ſuo ſumptu celebrabat,quod ut commodius facere poſſet, civitates & oppida prærogabant ipſi ſumptus,id eſt, ſolvebant expenſas, quas poſt tempus aliquod ille magiſtratus reddere tenebatur; qui tamen ſi ludos non ederet, protinus compellebatur reddere iſtos ſumptus, quos in eam rem civitas prærogaverat, non expectato tempore quod illi ſolitum erat concedi,quod ideo conſtitutum, ne magiſtratus pecunias quas in ludos expendere debebat,in ſuos uſus converteret, ac ita provinciales voluptate & pecunia defraudaret. De iſta ludorum pompa videatur. Wolfgangus Lazius *in ſuo comm. Reip.Rom.lib.10.c.5.*

Hinc quoque apparet, quam onerofa fuerit de- 52 curionum conditio,ut etiam cum diminutione patrimonij cogerentur hujuſmodi theatralem voluptatem exhibere,nec poſſet etiam tenuioris fortunæ decurio ſe excuſare, *d.l.20. & l.1. infr. de ſpectacul.* uti nec alia onera declinare, aut utilitati propriæ conſulere advocationis obtentu, *l. 35. h.t.* vel accepta dignitate, aut militia in loco peregrino, *l.38. h.t.*ſed ut variis hujus tituli conſtitutionibus reperitur, cogebatur quiſque in ſua ſtatione manere, & magno cum ſumptu ibidem civilia munera obire.

Adeo

Digitized by Google

Adeo ut nec per ſubſtitutum ea implere vel exerce-
re poſſet, licet ſpectabilem dignitatem vel comita-
tivam adeptus eſſet, niſi hoc ei Princeps ſpeciali
beneficio conceſſiſſet, *l.60. h.t.* quia in officiis quæ
habent annexam adminiſtrationem, induſtria per-
ſonæ cenſetur electa, *l.31. ff. de ſolut. cap. ult. de offic.*
53 *deleg.* * Ideo Bodinus *lib. 1. cap. 9. de Republ.* ſcribit,
vaſallum non poſſe inſervire feudo per ſubſtitu-
tum, quia homagium, obſequiumque ipſum ſeu
ſervitium, adeo ipſiuſmet vaſalli perſonam exi-
gunt, ut exhiberi non poſſint per ſubſtitutum, invi-
to domino, qui tamen poteſt cogere vaſallum ut
homagium fidemque procuratori ſuo præſtet. A-
liud dicendum ſi clericus ad altiorem ordinem con-
ſcenderit & maluerit ſubrogato uti, ut *in l. 16. ſup.*
54 *de Epiſc. & Cler.* * Similiter ſi decurio honorario ti-
tulo illuſtrem dignitatem fuiſſet conſecutus, ſub-
ſtituendi alium idoneum illi erat poteſtas, ac per
eum implendi curiæ functiones, quibus erat ob-
ſtrictus, periculo tamen ſuarum facultatum, *d.l.60.*
verſ. hi vero. & l. 64. eod. ibi *ſuarum periculo faculta-*
55 *tum.* * Ita hodie ſi quod damnum proveniat, aut
delictum committatur ob malam ſubſtituti admi-
niſtrationem, id imputari ſolet ſubſtituenti, & ſar-
citi ex ejus facultatibus, cum debuerit diligentius
inquirere in vitam moreſque ſubſtituti: niſi probet
ſe id feciſſe, & diligentiam omnem adhibuiſſe. La-
te Maſtrillius *de Magiſtr. lib. 1. cap. 29.* & Amaya *ad
d.l.60. num.43. & ſeqq.*

56 Igitur qui illuſtri dignitate decoratus non erat,
per ſe curiæ munera obire cogebatur, nec poterat
fortunam quam naſcendo meruerat, mutare, at-
que emendicatis aliorum decurionum ſuffragiis,
aut ambitione ſegregare ſe à curia, *l. 4. h. t.* eaque
relicta, publicam curam ſuſcipere, & ad peregrina
loca ſe transferre, advocationis colore, etiam ſi
ſuæ civitatis munera expleviſſet, *l.56.h.t.*

57 Hic tamen qui jam expleverat, transacta onera
repetere, & continuare non compellebatur, maxi-
me idoneis exiſtentibus aliis, qui nondum ullum
curiæ munus attigerant, *l.52. h.t.* Interim non po-
terat à civitate ſua recedere, ſi contingeret ut fie-
rent minus idonei initiati curiæ, aut minueretur
civium copia, *l. uni infr. tit. 37.* Hodie tantus eſt
hujuſcemodi muneris ambitus, ut hujus legis reme-
dio opus non ſit, cum munerum, unde compen-
dium ſperatur, continuationem, omnes adeo affe-
ctent, ut iis potius abdicandi ſint, & invitandi, co-
gendique eos, qui non ſua, ſed publica ſpectant
commoda. Optime Martianus in ſua Novella quam
refert Gothofredus *ad l. 31. ſup. de Epiſc. & Cler. Fœ-
licem fore Rempublicam ſi a nolentibus & actus publicos
repulſantibus gubernetur.* Conduceret id optimæ
regendi rationi; ſi non ambientibus, ſed recu-
ſantibus, publica munera conferantur, cogan-
turque electi ea acceptare. Ariſt. *lib. 8. polit. cap. 1.*
Petr. Gregor. *lib. 4. de Republica cap. 5. num. 4.*

Hæc de oneribus, quibus cum ita premerentur 58
decuriones, æquum fuit eos præmiis ſublevari,
& aliquibus privilegiis frui, quorum præcipuum
erat, ne ipſi, aut eorum filij, ſive ante ſive poſt
decurionatum ſuſcepti, à præſidibus provincia-
rum plebejorum tormentis ſubjicerentur, veluti
eculeo, ungulis, & fidiculis, *l. 33. h. t.* ſolum
enim à Præfecto prætorio propter ſummam ejus
poteſtatem, verberibus affici decuriones, indicat
l. 40. h. t. de qua infra. Adoptivi filij ut adoptantis
dignitate, ita & hoc privilegio fruebantur, ne
ictibus ſcilicet ſubjicerentur, *l. 4. h. t.* Item avus
decurionis, & nepotes decuriones nulla nota af-
ficiebantur; imo & per patrem decurionatu amiſ-
ſo, filius privilegiis utebatur decurionis. Et illi qui
decuriones eſſe deſiderant, in honorem priſtinæ
dignitatis, illicitis corporum cruciatibus non erant
obnoxii, *l. 16. ſeq. ſup. de quæſtionib.* Quare ſi quis judi-
cum in hanc illiciti furoris pertinaciam irrumpe-
ret, ut auderet decuriones, & ſuæ curiæ princi-
pales tormentis ſubdere, infamia, & viginti li-
brarum auri mulcta, puniebatur.

Officiales quoque præſidum non reſiſtentes mul- 59
ctabantur quinquaginta auri libris, *d. l. 33. in fin.*
ſi vero curiam diffugientes nomen militiæ dediſ-
ſent, ne ingenitis fungerentur officiis, retrahe-
bantur ad curiam, ut ejus onera ſubirent, ſed in
pœnam honoribus privabantur, *l. 38. h. t.* ubi ju-
dex ſuæ cenſuræ ſubditos admonebat, ne quis eo-
rum exiſtimaret curiæ, veluti ſupplicij loco quem-
quam deputandum, cum utique unumquemque
criminoſum, non dignitas, ſed pœna debeat co-
mitari. Ex quibus denuo intelligi poteſt, quam
acerba fuerit decurionum conditio, quod teſtatur
Caſſiodorus, ut pœnæ loco qui Chriſtiani erant,
ab impiis Principibus curiæ addicerentur.

Humanius ac clementius Conſtantini, aliorum- 60
que Chriſtianorum Impp. Judicium, qui ſtatue-
runt, ſi per decuriones civitatum munera probe
recteque gerantur, ut nullam ob rem Principis
privatam debeant inquietudinem ſuſtinere, *l. 21.
h.t.* aut corporales injurias pati, cum poſſint, ſi
in aliquo exceſſerint, aut quid criminoſe egerint,
pecuniariis coërceri ſtipendiis, *l. 57. h.t.* itemque
relegatione, & deportatione, ſi capitale facinus
patraverint, *l. 6. §. 2. ff. de interd. & releg.* Nam ca-
pite eos puniri prohibuerat Divus Adrianus *in l. 15.
ff. de pœnis.* Quod ſi tamen decuriones, & qui pu-
blicum munus exercent, in eo deliquerint, deco-
ctoreſque extiterint pecuniæ publicæ, vel frau-
dulenti in adſcriptionibus illicitis, vel immodera-
ti in exactione fuerint deprehenſi, etiam à judici-
bus ordinariis plumbatarum ictibus ſubjiciuntur,
l. 40. h.t. cum nimirum agitur criminaliter, *l. 80.
Cod. Theod. h.t.* Ideo Anaſtaſius Imp. vindices conſti-
tuerat,

Digitized by Google

fuerat, ut iniquas decurionum exactiones inhiberent, & ipſi exigerent, ſed illi prædæ dulcedine illecti, importunius graſſati ſunt, ut meritò eos Juſtinianus amoverit. *Novell.* 38.

61 Falſum etiam inſtrumentum fabricantes, torqueri poterunt, ſepoſito decurionatus honore, *l.* 21. *ſup. ad l. Corn. de falſ.* quæ videtur eſſe pars *l.* 15. *h.t.* ex qua conſtat decurionem exiſtentem, non potuiſſe tabellionis officio fungi; non tamen aſſumpta dignitas impedimento eſt, quo minus qui ante fuerat tabellio, quæſtioni ſubdatur, ſi ita cauſæ gravitas popoſcerit, ad eruendam veritatem rei antea geſtæ.

62 Quod ita ſtatutum, quia ſæpe contingebat, ut abdicato tabellionatus officio, quis procuraret decurionatum, ut eluderet quæſtionem. Non recte Alciatus quem ſequitur Gothofredus *in d. l.* 21. opinatur decuriones olim retinere, & obire potuiſſe ſimul munus tabellionatus, *lib.* 8. *parerg. c.* 19. quoniam vile ac ſervile id erat officium, ac meritò à decurionatus honore ſe jungebatur, plerumq; enim ſervi publici tabelliones erant, *l.* 2. *Cod. de adoption.* & inſtrumenta ab iis confecta valebant, *l. fin. Cod. de ſervis Reip. l.* 18. *de adoption.* licet poſtea Juſtiniani tempore ſcribæ in honore habiti fuerint, & clariſſimi titulo decorati, *Novell.* 94. Cujac. *lib.* 16. *obſ. cap.* 14.

63 Igitur ut tabellionis, ita & procuratoris officio ſimul eodem tempore decurio fungi non poterat, nec vectigalia, nec prædia civitatis conducere, *l.* 34. *h.t.* & ut patet *ex l.* 30. *ſup. de locato.* procuratio alienarum facultatum quodammodò ſervilis & abjecta habebatur, ut aliud videatur dicendum de officio procuratoris cauſarum, quod ex ſe non eſt vile nec id exercere poteſt, qui infamis eſt. Covarr. *pract. qq. cap.* 19. *num.* 5. *verſ. prima concl.* unde honeſtiori loco habentur apud nos, qui in ſupremis tribunalibus lites promovent, ac multo magis illi qui illas defendunt in judicio, & advocationis munere funguntur, de quo plura dixi *lib.* 2. *tit.* 7. Non ideo tamen quod rebus ſæpe publicis ac privatis occuparentur, excuſare ſe poterant, aut declinare munera civilia, etiamſi alij eſſent, qui ea recte gerere poſſent, *l.* 35. *h.t.* ubi dicitur quod etſi neceſſitas id non exigat, quia alij ſunt idonei, qui onera iſta ſubeant, curia tamen ea non remittit advocatis, magiſtris, aut eorum filiis, cum Reipublicæ interſit multos eſſe viros, qui civilia munera obeant. Omni proinde honore digni procuratores fiſci & Reipublicæ, quorum præcipuum munus eſt, cauſas publicas agere, ac defendere apud Præſidem aut Principem, *l.* 30. *h.t.*

64 Hi namque ex ordine decurionum aſſumebantur, eorumque fruebantur privilegiis, inter quæ, illud erat, quod non ſubjicerentur quæſtioni, qui è numero decurionum erant, non cæderentur, neque ſi aliquem occidiſſent, præter parentem; capite plecterentur. *l.* 15. *ff. de pœnis.* Nec etiam evocarentur ultra terminos ſuæ provinciæ in jus, aut ipſi ſe ultrò ſiſtere judicio cogerentur, niſi publica cauſa exigente. *l.* 25. *h. t.* quo facit *Novell.* 45. *in pr.* Et alia *Novell.* 151. Ne decuriones & cohortales cum ipſis jure agendum ſit, trahantur ad diverſa judicia, neve provincia exire cogantur, abſque juſſione Principis, eaque inſinuata Præfecto prætorio: Intereſt enim Reipublicæ, ne ejus munera deſerant.

Quo fit ut alios judices non agnoſcerent, præ- 65
terquam ſuæ provinciæ Præſides, quorum juriſdictioni ſubjiciebantur, nec ab ea erant exempti decuriones, honorati titulo Comitis conſiſtoriani, nam dignitatis titulus non conceditur, ut quis eo abutatur, in judicij contemptum, *l.* 47. *h.t.* Unde qui in altiore dignitate conſtitutus eſt, non debet judicum inferiorum mandata deſpicere; Mandatis tamen judicum militarium non cogebantur parere decuriones, quia non erant illorum juriſdictioni ſubjecti, ut non impunè etiam illi in non ſubditos poteſtatem extenderent, eorum aliquem pulſando, verberando, & injuriis afficiendo, *l.* 42. *h.t.* ubi docent Interpretes, judices non poſſe extendere poteſtatem & juriſdictionem ultra territorium ſuum, ne confundantur juriſdictiones. *l. fin. ff. de juriſd. & d. l.* 53. *h.t.* ibi territorium accipi crediderim pro eo loco, ſive finibus, intrà quos judicibus jus dicere licet, adeo ut territorium judicum militarium intra certas ſtationes, & Præfecti urbi, intra centeſimum lapidem terminetur. *l.* 1. §. *initio ff. de off. præf. urbi.* Extra quos fines jus dicenti impunè non paretur. Quod autem ex quacumque cauſa vocatos ad judicem venire oportere ſcriptum eſt. *l.* 2. *ff. ſi quis in jus vocat.* Cave accipias de eo qui fit extra territorium vocantis magiſtratus, ut plerique perperam; de illo ſiquidem intelligenda lex eſt, qui vocanti, citantique magiſtratui ſit obnoxius ipſo jure, ſed dignitatis aliquo beneficio, ejus tribunal declinare poſſit, is enim nihilo ſecius parere debet, ac ſiſtere ſe, præſcriptionis cauſam allegaturus. *l.* 5. *ff. de judic.* Sed hæc *ad tit. de juriſdict.* pertinent, ubi plenius dixi.

Eo præterea privilegio gaudebant decuriones, 66
quod ad ſummos honores, & dignitates gradatim aſcenderent, erat enim illorum ordo ſeminarium dignitatum, ita ut qui jam omnibus fuerant functi muneribus & ad ſummum honoris gradum perveniſſent, primi ordinis Comitum dignitate cohoneſtarentur, *l.* 56. *h.t.* Eandem dignitatem adipiſcebantur curiales, qua tamen obtenta, non eo minus obnoxij curiæ permanebant, ſuique Præſidis juriſdictioni ſubjecti. *l.* 47. *h.t.* ut dictum ſupra. Propriis etiam inſignibus à cæteris diſtinguebantur, nec occupabantur oneribus extraordinariis, *l.* 21.

h.t.

Digitized by Google

h.t. Nam præter ordinaria tributa, nihil pendebant & ſi propter munificentiam in patriam, patrimonium exhauſiſſent, facultatibus jam abſumptis, ex publico decernebantur iis alimenta. *l.* 8. *ff. h.t.*

67 Verumtamen ab iſtis curiæ oneribus, & decurionatus munere liberabantur, qui ex indulgentia Principis premij & honoris cauſa ſummas dignitates præfecti prætorio, urbis, magiſtri militũ, & alias fuiſſent conſecuti, quas recenſet Juſtinianus in *l. ult. h. t. & in Novell.* 70. *&* 81. Ita nimirum ſi eas actu adminiſtrarent, non vero eſſent tantum honorariæ, quæ eædem dignitates eos quoque liberabant à patria poteſtate. At vero Epiſcopalis dignitas, quamquam & ea ſumma ſit, & patriæ poteſtatis vinculum tollat, non tamen liberabat à fortuna curiali, quia debuerit ordinatus ſaltem per ſubſtitutum officium decurionis implere. *Novell.* 123. *§. ſed hac quidem, Auth. Epiſcopalis ordo ſupr. de Epiſc. & cler.*

68 Porro in quorumdam gratiam non ſpectabatur tempus quo liberi fuerant ſuſcepti, ante vel poſt dignitatem patris, ſi magna eſſet dignitas, nam Senatoris filius dicitur, qui ante ſenatoriam dignitatem eſt ſuſceptus. *l.* 5. *ff. de Senator. l.* 22. *§.* 3. *ff. ad municip.* Quamquam non videatur clariſſimus eſſe, tamen quia durum eſſet paternum honorem filio invidere, benigniore interpretatione inter clariſſimos refertur. Alias ſtricto jure filius natus ante clariſſimatum vel illuſtratum, non videtur clariſſimus vel illuſtris, idque innuit *l.* 61. *&* 63. *& ult. hoc tit.* ubi tantum natus ex illuſtri, vel adminiſtrante, vel adminiſtratione perfuncto curiæ non tenetur. Amplius Zenoni placuit, ut liberi quandocumque ſuſcepti in curia retinerentur, ſive eorum pater, per ſe, ſive per ſubſtitutum dignitates adminiſtraverit, *l.* 64. *h. t.* ubi illuſtres quaſdam dignitates recenſet quas qui actu adminiſtrant, una cum liberis poſt eas dignitates ſuſceptis à curiali nexu, & onere eximuntur. * Poſtmodum Anaſtaſius Imp. huic Ze-

69 nonis conſtitutioni derogavit, nam cum in ea Zeno curiæ obſtringeret eos, qui ab imperij ſui auſpiciis facti eſſent Comites rerum privatarum, & largitionum & Comites domeſticorum, Quæſtores, & Magiſtri officiorum, Anaſtaſius eos abſolvit & à curia liberavit, modo ante Zenonis conſtitutionem, eas dignitates geſſiſſent, nec vult ibi eoſdem conſtitutioni Zenonis obnoxios eſſe, quod illi aliquamdiu paruerint, *l.* 65. *h.t.* Idque meritò: debuit enim prout natura novæ legis requirit, futuris dare formam negotiis, iiſque providere, non præteritis, adimendo libertatem iis, qui jam ad eam jure pervenerant *ex d.l.* 63. *& aliis legib.* Poſtremo Juſtinianus illuſtres quaſdam dignitates (prout paulo ante dictum) à curiali fortuna liberas eſſe voluit, ex quibus cum duo crearentur fiſci patroni quotannis, atque iis hoc privilegium daretur, & una cum liberis quandocumque ſuſceptis, ab onere & nexu curiæ liberarentur, *l.* 8. *ſup. de advoc. divers. judicior.* Statuit ut in poſterum ij tantum cum patribus à curia liberarentur, qui fuerint poſt patronatum fiſci procreati, *d. l. ult. h. t.* ut ne quod ſummis dignitatum apicibus eſt conceſſum, hoc alij ſibi audeant vindicare.

Ex his colligitur quod cum immunitas detur ſingulari Principis privilegio, poſſit id reſtringi, & ampliari, pro ejuſdem arbitrio, & meritis cauſæ. Cum 70 itaque odioſum eſſet reſpectu fiſci, ut plures à nexu curiali & onere liberarentur, vult Imp. filios ante genitos in priſtina conditione remanere, ne præjudicium ſentiat curia, cui illi jam fuerant oblati, ſic ut poſterius beneficium debeat ita reſtringi & intelligi, ut minimum noceat, lædatque jus tertij. Cujac. *ad d. l. ult. & ad l.* 11. *infr. de dignitat.*

Hodie apud nos curialis iſta conditio, & quaſi 71 ſervitus ad liberos non tranſit, nec illi obnoxij ſunt curiæ oneribus, nec inhibetur prædiorum ſuorum alienatio, aut migratio ab uno loco ad alium: item cauſarum cognitio non tam coërcita eſt, ut olim fuit penes municipales magiſtratus, nam in pleriſq; oppidis, uti & in majoribus civitatibus habent magiſtratus juriſdictionem, mixtum imperium legis, actionem, curam pecuniæ publicæ, locorum & operum publicorum, annonæ, rerum venalium, opificiorum, commerciorum, totius denique politiæ & quietis populi. Unde in ſingulis urbibus atq; oppidis eliguntur, aut conſtituuntur honoratiores & prudentiores viri qui hæc munera obeant. Præponuntur Ballivi, Prætores, Conſules, Scabini, coram quibus etiam actiones tam in rem quam in perſonam, nec non criminum accuſationes moventur, & exercentur, & ſuam in cauſis ſingulis ſententiam ferunt, ut dictum ſupra *lib.* 1. *tit. de magiſtr. municipal.* A quibus autem hi magiſtratus nominentur creënturque, dicam infra *lib.* 11 *tit.* 33.

TITULUS XXXII.

Si Servus, aut Libertus ad decurionatum adſpiraverit.

1. *Servi ad decurionatum adſpirare nequeunt, domino etiam ſciente.*
2. *Neque liberti qui jus aureorum annulorum non impetraverant.*
3. *Juſtinianus ſuſtulit omnem conditionem libertinorum. Qui admittantur ad decurionatum; & quales hodie?*
4. *Si ſervus ad dignitatem irrepſerit, an per ipſum geſta & decreta, valeant?*
5. *Refellitur quod error communis faciat jus, & exponitur caſus.* l. Barbarius ff. de off. præt.
6. *Principis beneficia latiſſime interpretanda, ut cen-*

cenſeatur eum inhabili diſpenſaſſe ſi ſciat defectum.

7. *Non eſt neceſſarium in litteris inhabilitatem exprimere.*

8. *An teneatur qui inhabilis eſt detegere ſuam inhabilitatem, & quid facere debeat, ſi promotus ſit ad dignitatem.*

9. *An valeant geſta ab occultè inhabili, & judice excommunicato?*

1 CUm ordo decurionum fuerit ſeminarium cunctorum honorum municipalium, ideo nec ſervi, nec liberti, eo adſpirare poterant, & quidem ſi ſervus ſciens adſpiraſſet, ob violatam ſervili macula curiæ dignitatem graviſſima pœna afficiebatur; ſi ignorans, illæſus domino reddebatur, *l. 2. h. t.* cum nec domino ſciente, ad decurionatum, aut ædilitatem, aut alium honorem poſſet ſervus adſpirare, & ſi ad eum evectus fuiſſet, aut creatus decurio, detecta ſervitute, exutus honore, in priſtinam conditionem retrahebatur, *d. l. 2.* Exemplo Marci Perpennæ, apud Val. Maximum, qui cum eſſet à populo conſul creatus, tamen detecta ejus peregrinitate, privatus fuit inſignibus.

2 Nec etiam liberto ad curiæ munera licitum erat adſpirare qui jus aureorum annulorum adeptus non eſſet, vel natalibus ſuis non reſtitutus, *l. 1. h. t.* qui enim annulo utebantur, cenſebantur ingenui, ideoque annulus libertinis dabatur, ut quaſi ingenui viverent, licet morerentur tanquam liberti, & tenerentur patronum in debita parte inſtituere. *Inſt. de ſucceſſ. libert.* & alia obſequia ei præſtare.

3 Jure noviſſimo omnes liberti natalibus reſtituuntur, & jus habent annulorum, ſalvo jure patronatus, *Novell.* 78. ita ut quod perſonam patroni ſpectat, liberti intelligantur, niſi & ipſe patronus hoc etiam remiſerit: quoad alios autem, vere ingenui cenſeantur, admittantur in curiam, fruanturque ſplendore ejus ordinis, ceſſante pœna legis Viſelliæ, *de qua ſup. ad l. Viſell.* nam tantum rejiciuntur ſervi, quia ſtatum non mutant, ut quamvis eorum parentes honores civiles geſſerint, ipſi tamen illicite atque improbe ad eos adſpirent, *l. 11. & 18. ſup. de liber. cauſa.* Expedit enim Reipublicæ, ut ad eam regendam & ordinandam admittantur homines ingenui, nobiles, & qui honoris capaces ſunt, quique ſemper honeſte ſe geſſerint, & virtutes ſingulas coluerint, de his Zypæus *lib. 1. de jud. c. 5.*

4 Quid tamen ſi ſervus ad dignitatem irrepſit, & in ea lateat, an per ipſum geſta valeant? Dico ipſo jure non valere, cum revera dignitatem non habeat, nec ſtatum mutet, qui eſt ſervus; ſuſtineri tamen ejus decreta propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt, humanius eſſe dicit Ulpianus *in l. 3. ff. De offic. præt.* ubi Barbarius Philippus, qui conditione ſervus, ſub Triumviris (ubi populo ſpecies aliqua libertatis remanſit) Prætor fuerat deſignatus, non quod talis vere fuerit, quamdiu latuit, & populus ignoravit ejus conditionem, attamen quia prætura fungi viſus eſt, reſpondit I. C. nihil eorum quæ ab eo dicta, decretave ſunt reprobari, idque propter publicam utilitatem omnium civium, qui apud eum egerunt, ne abſque culpa puniantur, & lites ſententiâ ſopitæ, iterum ſuſcitentur. * Ac- 5
cedit quod potuerit populus, ſi ſciviſſet Barbarium eſſe ſervum, eum liberum efficere, prætura donare habilemque reddere ad omnia munia civilia: ut proinde non recte aliqui rationem ponant in errore communi, quem volunt haberi pro veritate, & jus facere, *per d. l. 3.* cum error qui conſenſui eſt contrarius, eumque tollit, non poſſit dici jus ponere. *l. 15. ff. de juriſd.* Facit quod reſpondit Modeſtinus, ſola ſalarij perceptione decurionem factum non eſſe, qui ſecundum legem decurio creatus non ſit. *l. 10. ff. de decurionib.* unde nihil prodeſt error communis per ſe, ut pro decurione quis ſit, quia concurſus aliarum cauſarum defuit, ut *in l. 7. Cod. de numer. & act. lib. 12.* reſcinduntur acta falſi actuarij, qui credebatur actuarius, quia nimirum errore communi, qui per ſe eſt infirmus, jus non ſtabilitur, ut recte Guilielmus, & Fulgoſius interpretantur *ad l. 3.* Igitur verius eſt, ponendam eſſe rationem *d. l. 3.* in titulo putativo, quem tribuit erronea populi deſignatio, ſine qua minime forent valida geſta illius, qui functioni publicæ ſe immiſcuerat. Itaque titulus errore communi reputatus verus, cum talis non eſſet, ubi tamen collatus eſt ab eo qui conferre poteſt, facit publicæ utilitatis cauſa, geſta ſuſtineri coram tali deſignato prætore. Dico errore communi, quia non ſufficit error unius aut alterius, qui non facit communem errorem, nec probabilem. Dico collatus ab eo qui conferre potuit, nam aliàs geſta non valerent, ſi vel titulus non ſit collatus, vel non à legitimo ſuperiore, quia nullus eſt, atque ita ſolus eſſet error communis, qui non ſufficit. Idipſum indicat *d. l. 3.* fundans ſe in deſignatione totius populi, ut ea ceſſante Barbarij acta decretaque tanquam intruſi judicanda fuiſſent nulla. *DD. ad c. noſti 9. ꝟ de elect.* ubi facta ab eo qui non habet titulum, dicuntur revocanda. Cujac. *lib. 18. obſerv. c. 33.* Hotoman. *illuſtr. quæſt. cap. 17.*

Addit *d. l. 3. in fine*, hoc in Principe multo magis 6
obſervandum eſſe, puta ut quem ſciens prudenſque prætorem fecerit, & liberum feciſſe intelligatur, quia beneficia Principum, quam latiſſime ſunt interpretanda, & certe latius quam populi rogationes. Et quod in prætura, idem & in alijs officiis. Quo fit ut ſi Princeps aliquem inhabilem ad officium promoverit, cenſeatur cum eo diſpenſare, modo tale concurrat impedimentum, quod poſſit à Principe tolli, & conſtet eum ſcire impedimentum, quia non in ſola promotione fundatur diſpenſatio, ſed in Principis ſcientia, ut dicunt *DD. ad*

d. l. 3.

d. l. 57. ff. de re judic. Scire autem præſumitur impedimentum, quia ad eum examinis cura pertinet, ad quem confirmatio & ſtabilitio. *c. venerabilem de*
7 *elect.* * Dictæ autem ſcientiæ mentionem facere in litteris promotionis non erit neceſſe. nec etiam exprimere inhabilitatem. tradit Gabrielius *1. com. opin. tit. de præſumpt. conc.* 8. & Sanchez *de matrim. l. 8. diſp. 4.* Sed verius eſt, ad hoc, ut talis diſpenſatio valeat, præter ſcientiam, neceſſarium quoque eſſe ut de ipſa inhabilitate conſtet, cujus probatio nulla efficacior, quam quæ ex litteris deducitur, quæque in iis exprimitur. *l. 12 §. fin. ff. de excuſ. tutor.* Menochius *de præſumpt. lib. 2. præſumt. 10. num. 1. & ſeq.*

8 Hinc quæritur an qui inhabilis eſt, & patitur ſe aſſumi ad officium aliquod, teneatur ſuam inhabilitatem detegere? Si inhabilitas eſt ignota, non videtur debere eam detegere, & ſe ipſum prodere, multo minus ſi errore lapſus inhabilis ad capeſſendum honorem aut munus proceſſerit, removetur quidem, ſed non punitur, cum error eum excuſet, & adimat conſenſum delinquendi. At verò cum ſciret ſe inhabilem. & nihilominus affectaverit honorem, removetur & punitur, propterea quod non detexerit ſuam inhabilitatem, & dixerit ſe iſti honori aut muneri imparem eſſe, *l. 14. §. 1. verſ. idemque,* ibi *gloſſ. ff. de re mil.* tenetur enim exemplo venditoris, latens vitium notabile ex juſtitia dicere, inquit Bonacina *2. tom. de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 6. n. 2.* quin & cùm Theologis exiſtimat indignum, qui recipit dignitatem, vel officium, non poſſe illud retinere, manereque obnoxium reſtitutioni. *De reſtit. in gen. tom. 2. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 12. num. 8.* & Leſſius *De juſt. lib. 2. cap. 34. dub. 22.*

Interim acta, per occulte inhabilem officij nomi-
9 ne geſta, ſuſtineri poſſunt, ſiquidem titulum habuerit à legitimo ſuperiore, vel eo qui erat in poſſeſſione concedendi tale munus, ſic ſententia lata à judice inhabili, quia occulte excommunicatus, tenet; cum talis juriſdictionem retineat, quamdiu per Eccleſiam toleratur, *cap. ad prob. ii de ſent. excomm.* ibi Henricus *n. 3. & 4.* Et facit ratio publicæ utilitatis, quæ conſiſtit in evitando graviſſima incommoda, quæ ſequerentur, ſi detecto impedimento perſonæ [illegible], hactenus legitimę eputatæ, geſta per eam, [illegible] cæteris [illegible] ea reſcinderentur, cum præjudicio aliorum [illegible] citra ſuam culpam, ejus opera uſi ſunt, [illegible] pare[illegible]t non levem confuſionem. Quo pertinet quod dici[illegible] Coſtalius *ad d. l. 3. ff. de offic. prætor.* ſufficere quod qui [illegible] officio fungitur, exiſtimetur idoneus communiter; ſic teſtis quamvis ſit ſervus, vel infamis, ſi tamen habeatur probus & liber, valet ejus teſtimonium. *l. 1. C. de teſtam.* Bart. *ad d. l. 3.* & Felinus *ad d. c. ad probandam.* Covar. *ad c. alma mater 1. part. relect. §. 11. num. 4.*

TITULUS XXXIII.

De prędiis Decurionum ſine decreto non alienandis.

1. *Prædiorum curialium venditio non valet abſque decreto, & qui emit, privatur pretio quod dedit, & rem cum fructibus reſtituit.*
2. *Si quis interpoſita fide ſervanda ſibi bona, prædia vendiderit, fiſco applicantur.*
3. *Decretum non minus adhiberi debet in alienatione rei hæreditariæ, quam in ſolutione curiæ facienda.*
4. *Servanda forma actus, quam oportet in ipſo actu intervenire, poſt interpoſita nihil operatur.*
5. *Præſentia judicis omnem metus præſumptionem excludit.*
6. *An venditio facta cum decreto excludat remedium* l. 2. C. de reſc. vend.
7. *Variatio circa donationem rerum immobilium curialium, & ratio cur deinde prohibita, uti & venditio.*
8. *Non eſt in uſu interpoſitio decreti in rebus decurionum vendendis, ſecus in rebus communicatis.*

NOn ſolum ne unquam perſonæ curiales deeſ- 1
ſent, legibus proviſum fuit, verum etiam ne iis facultates deficerent, unde munus poſſent ſuſtinere, prohibita fuit eis idcirco prædiorum ſuorum venditio, ſine decreto præſidis, vel judicis competentis, *l. 1. h. t.* quod interponi debet cauſa propoſita, & probata apud acta, ſine impendio contrahentium, alioquin emptor & venditor verſatur in mala fide, eſtque infirma, imò nulla venditio, cogiturque emptor prædia venditori reſtituere, cum fructibus, nec ab eo pretium recipit, multo minus meliorationes *d. l. 1.* Idem conſtitutum *in l. 7. infr. de agricol. & cenſ.* & expreſſius *in l. fin. inf. de fundis rei priv.* ubi ſi quis emerit fundum rei privatæ, ſeu ejus ſubſtantiæ, quæ in privato Principis patrimonio eſt, dempto canone, aufertur ab eo fundus, & pretium perdit & fructus: quia cum emat contra legis prohibitionem, efficitur malæ fidei emptor, *c. qui contra jura de reg. jur. in 6.* Similiter in noſtra ſpecie, cum in fraudem Reipublicæ, non ſervata decreti forma, emptor fundum emerit, ideo illum cum fructibus reſtituit, & pretium quod dedit, amittit, atque fiſco applicatur, non decurioni vendenti. *arg. l. 9. & l. 46. §. quod à præſide ff. de jur. fiſc.* quia æquum non eſt ut ex ſua malitia quis commodum ſperet.

Huc facit quod alibi reſpondet Papinianus, ſi 2
quis ne patrimonialia onera præſtaret, per tacitam fidem ſeu ſimulatam conventionem ſervandi ſibi prædia, ea alicui vendiderit, qui immunis eſt ab

iſtis oneribus,ut ſenatori Romano,fiſco vindicari,
quoniam manifeſta hic fraus ſit Reipublicæ,cui de-
bentur munera civilia, ideoque emptor fictitius,ac
interdictæ rei miniſter punitur, quia fraus commu-
nis eſt, *l.15.§.2.ff.ad municip.& l.1.ff.ad l. Jul. de pla-
gia.* * Cum itaq; juris ſolemnitas introducta ſit ut
3 omnis fraus removeatur, coërceaturque temeritas
decurionum, qui bona ſua diminuunt, aut alienant
in ſuum & Reipublicæ damnum, placuit non tan-
tum prædia, ſed nec res mobiles curiæ jure hæredi-
tario quæſitas vendi poſſe,aut debitorem hæredita-
rium ſolvendo liberari,aut aliter ejus liberationem
admitti,niſi ejuſmodi venditio,vel obligationis diſ-
ſolutio,apud acta totius, vel majoris partis ordinis
intercedente decreto facta probetur. Idemque de
aliis rebus,quæ civitati aliunde ſunt quæſitæ, vide-
tur dicendum, *l.2.h.t.* Ubi præterea additur ut pecu-
nia ex iſtarum rerum venditione, in prædiorum
comparationem redigatur, quorum reditus curiæ
muneribus, neceſſitatibuſque deſerviant.

Unde colligitur quando lex vel ſtatutum, aliquid
4 novi inducit,certo quodam modo, quidquid ibi ex-
primitur,reputari pro forma ſubſtantiali, & ex ea
nihil adimi,aut detrahi poſſe, ſed ad unguem obſer-
vandam eſſe. Igitur ut actus vel contractus ſit vali-
dus præcedere debet forma,aut ſaltem ipſi actui in-
tervenire,ſic ut non ſufficiat illam ſequi,prout dici-
tur *in d.l.1.* ibi *ita demum diſtrahendæ poſſeſſionis faculta-
tem venditor accipiat, ſi alienationis neceſſitatem judex
probaverit.* Itaque cum approbatio judicis, & con-
ſenſus majoris partis curiæ ſit de forma, non ſatis
fuerit ſi ex poſt facto ſuperveniat, aut confirmetur
actus per ratihabitionem ſubſequentem.* Præterea
5 addit *d.l.1.* quod cum in ipſa venditione,judicis præ-
ſentia,& decreti ſolemnitas intervenit, neque ven-
ditor erit immoderatus, id eſt,non excedet juſtum
pretium,nec carius vendet quam rei æſtimatio po-
ſtulat; neque etiam emptor erit injuſtus, id eſt, vi-
liori pretio non emet, & ſic nec magno pretio
comparatio fiet,nec minori diſtrahetur res,*l.16.ſup.
de reſc.vend.* & ceſſabit omnis præſumptio metus aut
doli,nec poterunt contrahentes conqueri ſe decep-
tos eſſe in contractu, quem approbare, omniaque
confirmare facit auctoritas judicantis.

6 An ergo excludetur remedium *l. 2. C. de reſcind.
vend.* Et verius eſt non excludi, cum decreti inter-
poſitio verſetur circa cauſam vendendi, an juſta
fuerit, non vero circa pretium, in quo contingens
læſio ultra dimidiam facit reſcindi venditionem.
Nec movet *d.l.1.h.t.* Ex qua dicimus, quod ubi ven-
ditio interveniente decreto judicis, & publica ſub-
haſtatione eſt celebrata, *juxta l.1. ſup.de jur.haſtæ fiſ-
cal.* non præſumatur læſio; quia licet in dubio non
præſumatur, ſi tamen liquidis probationibus oſten-
datur interveniſſe, reſcinditur venditio. Pinellus *ad
d.l.2.p.2.c.2.n.18.* Fachin. *l.2. contr.20.* Larrea *alleg.
fiſc.107.n.9.* Non enim ſolemnitatis obſervatio eò
pertinet, ut æquiſſimum reſciſſionis remedium au-
feratur, ſed magis ut ſiniſtra ſuſpicio (quæ citra il-
lius formæ inventum contra decurionem alienan-
tem caperetur) ceſſare intelligatur.

Porrò uti venditio par fraudem,vel neglecta for- 7
ma legis infirma eſt, ita etiam donatio prædiorum
curialis;idque ſtatuit Juſtinianus lege quadam Græ-
ca, quæ quarto loco, in hoc titulo poſita fuit, ut
monet Cujacius,qua cavebatur ut omnes venditio-
nes, & ſimplices donationes,& quilibet actus con-
tinens alienationem rerum immobilium curialium
ſubjacerent decreto. Antea quidem aliter diſpoſi-
tum fuerat per Zenonem *in l.3.h.t.* Ubi donationem
permittit, forte quia non tam facile homines do-
nant, quã vendunt, cum ex venditione conſequan-
tur pretium, nihil vero ex donatione. Accurſius &
Platea *ad d.l.3. verſ.& ratio.* Ibi Cujac. & Gothofre-
dus. At vero rationem aliã reddit Zeno, quod prop-
terea donationem ſine interpoſitione decreti fieri
permiſerit, quoniam ſacræ conſtitutiones,quæ lo-
quebantur de rebus decurionum alienandis, ſolum
pretij meminerunt, atque ita de venditione dum-
taxat proprie & ſtricte ſumpta accipiendas eſſe,
non tamen ad alios caſus, prout ſunt donatio, &
permutatio, extendendas. *l.4. C.de fideicommiſſ. l.37.
ff.de contr.empt.* Sed uti dictum, Juſtinianus donatio-
nem prædiorum decurionis, & omnem aliam alie-
nationem rerum immobilium ſubjacere decreto
voluit, præterquam donationem proter nuptias,
Nov. 38. in pr. c. 1. & 2. Platea *in d. l. 3. n. 1. in fin.*
quod etiam poſtea coarctatum eſt per *Novell.87.* ut
nulli fraudi locus relinqueretur.

Hæc quæ de interpoſitione decreti dicta ſunt,ab 8
uſu receſſerunt,nam decuriones noſtri,rerum ſuarũ
liberam habent diſpoſitionem,& alienandi faculta-
tem, nec munus decurionatus eis obſtat. Accurſius
Gloſ. 1. Et Platea *hic.* Prædia tamen, & res immo-
biles,quæ ſunt totius curiæ,communitatis,aut con-
cilij cujuſque populi,non poſſunt vendi,donari, niſi
loco decreti interveniat facultas Principis,ut docet
Bobadilla *l.16.3.polit.c.8.n.82.* ubi plures Doctores
refert. Similiter hodie prædia, quæ communitati
ſerviunt, & in quibus paſcuntur pecora, n[illegible]
domini iſtorum locorum dare ad cultur[illegible]olto m[illegible]
care, etſi dederint, nullius eſt momenti i[illegible]prudenſ[illegible]
ſio, & qui eâ uſi fuerint, puniuntu[illegible] Caſtillo *de uſu-
fructu, c.54. n.30.* Amaya *in l.2. h.*[illegible]

TITULUS XXXIV.

Quando, & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo diſtributionis eorum.

1. *Quartam hæreditatis defuncti decurionis extraneus ejus hæres curiæ præſtare debet.*

2. *Deſu-*

2. *Deſumitur quarta ex omnibus bonis. Quomodo fiat partium diviſio, & à quo electio.*
3. *Res communis quæ commodè diviſionem non recipit, integra adjudicanda eſt ei, qui majorem partem obtinet, præſtita cæteris æſtimatione.*
4. *Abrogata eſt conſtitutio, qua nihil debebatur, & ſtatutum, ut liberis curialibus quarta relinquatur.*
5. *Nunc dodrans debetur curialibus.*
6. *Quid juris filia curialis patris, ſi curialibus nupſerit aut plebeis?*
7. *Originarius civitatem ſuam deſerens, quid ex ſuis bonis relinquere teneatur civitati.*
8. *Non tenetur ſtatum ſuorum bonorum detegere, neque tutor declarare bona ſui pupilli, ſi id non poteſt inventarium omittere.*

1 QUo magis curiæ conſuleretur, cautum fuit ut ex bonis decurionis ex teſtamento, vel ab inteſtato decedentis, quarta pars, curiæ relinqueretur; ſi non curialis curiali ſucceſſiſſet ex aſſe, cum onere tamen æris alieni hæreditarij, *l. 2. verſ. eque ex diverſo h.t.* Sin autem plures non-curiales ex partibus hæredes fuiſſent, vel bonorum poſſeſſores ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſinguli pro rata conferrent; ad quartam partem curiæ debitam, *l. 1. h.t.* Cujus ſuæ conſtitutionis idem Theodoſius meminit initio *d. l. 2.*

2 Atque ibi ſtatuit ut iis caſibus quibus quarta debebatur, ea ex univerſis bonis ſumeretur, non ex ſingulis rebus, ne paupertas detegeretur; quamobrem hæres bona dividebat in quatuor partes, & is eligebat, cui ſors obtigerat. Similiter hodie inter fratres, cum agunt de dividenda hæreditate, ſorti rem committunt, ita ut qui major eſt ex fratribus patrimonium dividat, minor eligat, de quo genere diviſionis, vide Mynſingerum *4. obſerv. 37.* Cæterum rerum immobilium diviſio, & æſtimatio, hic fit
3 præſentibus curialibus ſive decurionibus. *Quemadmodū etiam præſente arbitro familiæ erciſcundæ ſolent res communes dividi, etſi ſint immobiles, res quæ commode dividi non poſſunt, res integra (quæ inſignis eſt & avita) uni adjudicatur, & æſtimatio alteri. Sic ſi plures res ſint dividendæ, æſtimatione facta, is cui majoris pretij res obvenit, in cæteris condemnatur, *l. 3. ſup. comm. divid.* nec enim minutatim res ſunt dividendæ, juxta illud Macrobij, *navem qui dividit, perdit.* Sed per aſſignationem aliquam rerum integralium & earum æſtimationem; ut inquit Gloſſa *hic in l. 4. verb. particip.* Quæ damnat iſtos cohæredes, qui propter unius minimam portionem, minutatim & per ſulcos inſignem rem hæreditatis, dividi & partiri cupiunt.

4 Derogatum deinde fuit Novellæ Theodoſij, qua ſi filius, nepos, pronepos, pater, avus, proavus non curialis curiali ſucceſſiſſet, ordini decurionum nihil debebatur, quoniam Juſtiniano placuit eo caſu, quartam partem bonorum defuncti curialis deberi curiæ, ſeu ordini decurionum. Placuit etiam ut filio curiali, vel filiis ſi plures eſſent, quarta pars omnium bonorum patris curialis relinqueretur, ut poſſint commodius munera civilia ſuſtinere, *l. ult. h.t.* Ita ut ſatis non fuerit ei, aut eis quadrantem legitimæ partis relinquere, ad excludendam inofficioſi teſtamenti querelam. Vel hodie ex *Novella 18.* trientem, aut ſemiſſem legitimæ partis.

Quinimò filiis curialibus, vel filiabus quæ curialibus nupſerunt, omni modo relinquendus eſt dodrans, nec ſufficit triens, vel ſemis. *Novell. 38. & 89.* 5

Quod ſi autem pater curialis filios non haberet, 6 ſed tantum filias, videndum an ex eis aliæ curialibus nupſiſſent, an aliæ plebeis, quia quæ curialibus ejuſdem civitatis nuptæ ſunt, exemplo filiorum, quadrantem bonorum omnium, jure noviſſimo, dodrantem, conſequuntur, *Novell. 38. c. 3.* Sin autem nupſerint non curialibus, vel curialibus alterius civitatis, in qua pater non fuit decurio, quarta pars bonorum curiæ debetur, ſive teſtatus ſive inteſtatus decurio deceſſerit, *l. ult. h.t.*

Unde licet inferre quod ad mores plurimarum civitatum, præſertim Germaniæ facit, ut civis volens deſerere ſuam civitatem, & aliò domicilium transferre, cogatur inprimis de omnibus bonis ſuis certam pecuniæ ſummam civitati penſitare, vel tributum aliquod dare, quod laudabiliter conſtitutum eſſe dicit Andr. Gail. *lib. 2. obſ. 36. n. 10.* Et Grævæus *l. 2. concl. miſcell. 36. n. 3.* Non videtur tamen cogendus id perpetuò præſtare, ſed ſemel dum alio migrat, ſuorum quoque mobilium numerum non tenetur profiteri apud acta, nec detegere aliis ſuam paupertatem, vel divitias. * Quo pertinet 8 quod hic Imperator ait. Quid enim tam durum tamque inhumanum eſt, quam publicatione pompaque rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias? Ex quo textu patet, in caſibus quibus additione judicis opus eſt, aut præſentia teſtium, eam ſolemnitatem quandoque omitti poſſe, ne patrimonij paupertas detegatur; ſic ſi agatur de alimentis pupillo decernendis, poterunt ea præſtari tutoris arbitrio. Quin & à tutore omitti poterit inventarij confectio, ubi oſtenderit non expedire utilitati ipſius minoris, ut patrimonium ejus manifeſtetur; attamen ut ſecurus ſit tutor, vel curator, recte fecerit, ſi coram Præſide jusjurandum præſtet, nihil vel parum eſſe in bonis ſui pupilli, quoniam hujuſmodi proteſtatio inventarij loco eſt, ut dicit Baldus *in l. fin. C. qui bonis cedere poſſ.*

TITU-

Digitized by Google

aliter permiſſum fuit excuſationibus uti, quam interpoſita apud Præſidem appellatione, ne alias facile eſſet electo, ut munera ſubterfugeret, fingere excuſationes. *l.* 1. *ff. de vacat. mun.* Quod vix hodie continget, cum omnes oppidani, avide ſuæ curiæ munia & officia ambiant, ſæpe etiam cum magna honoris, & patrimonij jactura, ſed ſpe hujus jacturæ ſarciendæ.

30 Etenim, ubi à nominatione appellans, cauſas cur nominari minime debuiſſet allegaverit, probaveritque, nominator in omnes litis ſumptus condemnatur, *d. l.* 2. *h. t.* ne impunita remaneat illius malitia, qui vexandi gratia talem elegerat, quem ſciebat perpetua vacatione ſubnixum, *d. l.* 1. §. 1. *ff. de vacat. mun.* Nam non poterant nominari, niſi qui functiones publicas implere & ſuſtinere poſſent *l.* 45. *h. t.*

31 Aſſumpti vero in ordinem decurionum, non omnes dignitate pares erant. Nam qui prius in numerum fuerat relatus, & univerſa civitatis munera expleverat, is primus curiæ dicebatur, & qui liberos habebat (prout dixi ſupra) in decurionatu adipiſcendo, alij liberos non habenti præferebatur, *l.* 9. *h. t.* quia magis de Republica ſollicitus, qui liberos habet. Inter duum virales antiquiſſimus quiſque prior erat, & qui Principis judicio dignitatem fuerat conſecutus, potior erat eo qui municipali honore functus, *l.* 1. *&* 2. *ff. de albo ſcrib.* Itaque qui omnibus honoribus fuerant perfuncti, potiores reliquis voce, loco & dignitate habebantur, dicebanturque Summates, qui ut Romæ illuſtres ſenatores, ſoli ſententiam dicebant. *l.* 57. *hoc tit.* Item principales vocabantur, *l.* 42. *h. t.* (inde Græce protoſtaſiæ munus) quaſi cæteris præſtantiores.

32 Creabantur autem magiſtratus, pro diverſitate & magnitudine civitatum, plures aut pauciores, aliquando ſeptem, quandoque decem, nonnunquam viginti, Icoſaproti nuncupati, ſed Alexandriæ quinq; tantum erant Summates. *d. l.* 57. quibus totius civitatis cura commiſſa. Decuriones vero publica civitatis prædia adminiſtrabant, reditus exigebant, quorum redituum tertiam partem in mœnia urbis, & balnea inſtauranda impendebant, *l.* 11. *ſup. de operib. publ.* reliquam in alendos profeſſores liberalium artium, & alios publicos uſus erogabant, quin etiam inviti domos quas olim habuerant in civitatibus reparare, vel de novo ædificare, omniaque opera publica tueri cogebantur, *l.* 8. *ſup. de ædific. privat.* Prædia quoque per curatores locabant, non tamen ea alienare poterant ſine decreto. *l.* 1. *C. de præd. decur. ſine decreto non alien.* At vectigalia non niſi decem primarij exigebant, & quod deerat, de ſuo reſarcire cogebantur. In ſumma univerſæ civitatis tranquillitati, ac commodis ſtudebant, ut patet *ex l.* 2. §. 1. *& l.* 5. *ff. de admin. rer. ad civit. l.* 17. §. 7. *& l.* 8. *ff. ad municip.* ut rectè dixerit Majorianus in ſua Novella, *Curiales nervos eſſe Reipublicæ, ac viſcera civitatum, quorum cœtum rectè appellavit antiquitas minorem ſenatum.*

Nam præter iſta onera, habebant quoque curam 33 ludorum Circenſium, *l.* 20. *h. t.* in quibus exhibendis plerumq; patrimonia impendebant. *l.* 8. *ff. h. t.* Quin & curſus publici exhibitione, equorum emptione, ac ſtabulorum extructione onerabantur, *l.* 2. 7. 14. *infr. de curſ. publ.* quæ cauſa fuit, cur multi curiis ſeſe ſubtraherent, & varios refugiendi modos quærentes, patriam deſererent. *l.* 31. 41. *&* 50. *h. t.*

Hactenus de decurionibus qui ſuffragiis totius 34 ordinis creabantur. Sequitur de iis, qui naſcebantur decuriones. Et quidem ex ipſis decurionibus geniti, patrum ſuorum familiam, agnationem & ſtatum ſequi, & veluti quadam ſucceſſione illorum officium occupare, locumve implere, cogebantur, *l* 35. *& ſeq. h. t.* Quin & ubi filij deerant, tenebatur tota agnatio, curialia munia ſuſcipere, *l.* 49. *&* 55. *h. t.* ubi agnationis voce intelliguntur liberi nati, & poſthumi, & tam qui adoptantur, *l.* 4. *h. t.* quam qui ex legitimo matrimonio naſcuntur.

At vulgò quæſiti, ſicut nec in aliis, ita nec in hoc 35 patris conditioni obligabantur. *l.* 1. §. 2. *ff. de municip.* ſi tamen deficientibus liberis legitimis, naturales ſeſe curiæ offerrent, aut pater etiam illis extantibus eos offerret, in onera ſuccedebant. *l.* 3. *C. de natur. liber.* Novell. 89. §. *ſi quis igitur.* Nati vero ex inquilina vel colona dominica, & patre curiali, coloniam & inquilinatum ſequebantur potius quam curiam, *l.* 29. *h. tit.* Etenim ob ſervilem matris conditionem ad decurionatum pervenire filij non poterant, quamvis illorum pater fuiſſet decurio. Ratio poſita videtur in abjecta adſcriptitiorum & inquilinorum conditione: nam adeo glebæ adhærebant, & tanquam partes ejus terræ reputabantur, ut ab ea recedere non poſſent, nec ad decurionatum adſpirare, *l.* 23. §. 8. *infr. de colonis Palaſt.* Amaya *hic & in lib.* 1. *obſerv. cap.* 6. etiamſi nati eſſent ex inquilina Principis, *d. l.* 29. *& l. fin. infr. de agric. & cenſit.* quod introduxiſſe videtur favor agriculturæ, ne illa deſeratur. Pichardus *in diſp. de nobil. communicatione, n.* 12. *plures DD. refert.*

Extra hunc caſum regulare eſt, quod filij ma- 36 trem ſequantur, quoad ſtatum & conditionem, patrem vero quoad munera & honores. Quod procedit etiamſi mater ſit ex curiali genere, non item pater, neq; enim mulieris infirmitas functionibus curialibus reddebat obnoxios filios, à quibus ipſa habebatur immunis, *l.* 44. *h. t.* Itaque exemplo ſenatorij ordinis, patris originem & curiam ſequebatur unusquiſque, adeo ut non audiretur filius ſi oppoſita matris origine, à patris majore curia, ad maternam quæ minor erat, ut videlicet minoribus ſubjiceretur oneribus, tranſire vellet, *lib.* 36. *h. t.* etiamſi diceret ſe reſcriptum Principis, ob

Digitized by Google

ob id impetraſſe, aut allegaret privilegiũ, quia non facile id privato conceditur in fraudem curiæ, *l.37. h.t.* aut damnum Reipublicæ, ut dictum eſt *per. l.29.*
37 *& 43.h.t.* * Dico privato, nam civitati & provinciis quandoque ob merita, privilegium concedi ſolet, quale conceſſum fuit Antiochenæ civitati, ut ejus curiæ adſcriptus ibi munera obiret, quamvis procreatus eſſet ex matre decurionis filia, & patre libero, qui nullius alterius civitatis muniis debebatur, *l.22.h.t.* Atque hoc privilegium Antiochenis datum confirmavit Leo Imp. hoc addito, ut à filio hujuſmodi conditio incipiat, non à cæteris liberis,
38 *l.62.h.t.* * Item gratiam quandã indulget certis perſonis, videlicet Dorotheo viro illuſtri, & Ireneo viro ſpectabili, ut cum tota ſua familia liberentur à conditione curiali, & plane eximantur à functionibus, nec ſequi teneantur jura maternæ conditionis, quantumvis proles natæ ſint Antiochiæ, *l. 61. h. t.* Cujus nobiliſſimæ civitatis, & Orientis urbium primæ privilegium, etiam ante, ſed non tam ample datum fuerat Ilienſibus, Delphicis, & Ponticis, ut procreatus, non ut Antiochię ex matre curiali, ſed utroque parente curiali, matris Ilienſis, aut Delphicæ aut Ponticæ curiam ſequatur, *l.1.ff. ad municipal.*

39 Porro ut indulgentia Principis, ita etiam ſtatuto vel conſuetudine effici poteſt, ut incolæ alicujus municipij maternam ſequantur originem, & ibidem magiſtratus, honores & officia publica perpetuò obtineant: utque filij ex matre nobili, exemptionibus & privilegiis nobilium gaudeant, ut apud Xanthios ſcribit Plutarchus *lib. de claris mulier.* Decreto cautum, ut à matribus, non à patribus filij originem & nomen ſortirentur. Cur filij cum matrem illuſtrem habeant, patrem ignobilem & infimæ conditionis, non potius matris ſplendore & decore ſplendeſcerent, cum negari non poſſit, quin generoſitas materna aliquando in filios derivetur, & eorum animis matris imago imprimatur. Tiraquel *de nobilit. c.18.n.22.* Sic in hac urbe Lovanienſi, filius ex alterutro parente nobili, aut patricio natus, nobilis cenſetur, & capax honorum, & munerum civitatis. Idem quoque Salmanticenſibus mulieribus *de los linages*, ſive ex certis proſapiis deſcendentibus conceſſum, ut illæ, ac illorum filij, exemptionibus nobilium gaudeant, ut ex Pichardo & Otalora *3.p.c.8.n.* refert Amaya *ad l.39. in fin.h.t.* Sed non facile hujuſmodi exemptiones incolis concedi ſolent, niſi ob merita, quod ſtrenue per annos plures, tam ipſi quàm eorum majores municipium defenderint, & in eo functi ſint muneribus & honoribus, à quibus arcentur indigni, & de Republica minus meriti, *l.58. h. t.*

40 Conſiſtit autem decurionatus effectus in oneribus & privilegiis, onus hoc imponit lex curialibus, ut qui origine talis eſt, teneatur muneribus fungi in loco originis propriæ, vel avi, ut nec adoptio eum liberet, quin magis novis muniis adſtringit, & ubi pater adoptivus eſt, cogatur quoque gerere, *l.15.§. fin. ff. ad municip.* Adeo enim quiſque aſſiduam & conſtantem operam ſuæ civitatis curiæ exhibere cogitur, *l.41. h.t.* ut non poſſit eam deſerere, vel ruri habitare, vel qui origine curialis eſt, relicta curia alio in loco commodiore adminiſtrationem obtinere, *l.50.h.t.* aut alicujus domus patrocinio ſe tueri, cujuſcumque illa dignitatis ſit vel fortunæ, *l. 31. h.t.* Quod ſi nihilominus perſiſtat, & declinet onera ſuæ civitatis ſubire, ſeque privilegio domus Auguſtæ defendi poſſe crediderit, ad curiam retrahitur, & propriis functionibus mancipatur. *l. 39. h.t.*

Hinc noſtri Interpretes inferunt ad ſublevanda 41
onera ſuæ patriæ unumquemque extrahi poſſe ex domo privilegiata, non ſecus ac ex privata & propria, nec excuſari ob publicam officinam in quam ſe tranſtulerit. Chriſtinæus *ad h.t.n.13.* Quin etiam inde extrahi poſſe invito domino domus, qui curialem occultaverit, quia ſcire debet occultatoribus decurionum, præter jacturam exiſtimationis, etiam rerum diſcrimen incumbere, ſi diutius auſi fuerint eos detinere, contra publica commoda, *d.l.31.*

Cum ergo tam eſſent gravia curiarum onera, 42
plerique ab iis ſeſe ſubtrahere conabantur, & cauſas fugæ quærebant, ſed fruſtra: nam fugitivi, & in agros ſecedentes habitationis cauſa, ad curiam & munera revocabantur, *l.18.31.50.51.h.t.* etiam cum manuum injectione, *l.54. eod.* De quo plura infra. Itaque aliò migrare decurio non poterat; ſi tamen propriæ rei tam urgens eſſet cauſa, vel Reipublicæ, quæ ipſum cogeret adire Principis comitatum, vel legationem ſuſcipere, non ante licitum erat diſcedere, quam Præſidi deſiderium proficiſcendi inſinuaſſet, & facultatem impetraſſet, *l.16. hoc. tit.*

Ex quo textu infertur quod nemo poſſit pro arbi- 43
trio officium publicum quod ſuſcepit deſerere, aut à legatione redire abſque venia Principis, prout nec ad urbem eccleſiaſtici negotij cauſa proficiſci beneficiato licet, ſine venia ſui Epiſcopi, cui ratione ordinum ſubjicitur, *l. 22. in fin. ſup. de ſacroſ. Eccleſ. c. 4. & 10. de Cler. non reſid.* Ita neque conſiliarij Principis poſſunt abeſſe, abſque licentia Præſidis, quam ita concedet, ſi juſta fuerit abſentiæ cauſa, aut publica neceſſitas exegerit, *juxta l.25.h.t.* neque iſta abſentia ſe extendet ultra tempus, quod concilij ordinationes præſcribunt.

Adeo namque munus injunctum, obire quis te- 44
netur ut non poſſit id differre cauſa religionis. Quo fit ut ſi ex decurionibus natus monachorum cœtui furtive ſe adjungeret, ad munia patriæ ſubeunda revocaretur, *l.26.h.t.* Ubi notantur ignaviæ ſectatores, qui ficto religionis colore, ſolitudines captant in quibus degebant veri Monachi) non ut eam profiteantur, ſed ne implicentur muneribus

Rei-

Reipublicæ, ita ut meritò eorum bona addicantur
45 iis,qui eorum loco munera iſta geſſerint.* Idem reſcriptum *in l.8. infr. de profeſſ. & med.* de Philoſophis qui non veram,ſed ſimulatam Philoſophiam profitentur,ejuſque habitum indebite & inſolenter uſurpant,ut ſi patriæ muneribus ſeſe ſubtrahant, curiis reddantur. Idemque de metallariis & fabricenſibus, ut illi ad ſua metalla,hi ad ſuum collegium revocentur,& ordini,cui adſcripti, reſtituantur, *l.32. h.t. & l. ult. infr. de metall.* ſed hoc poſtremum intellige de illis,qui originem curialem, & propria munera declinarunt,nam reliqui non ſunt obnoxij curiæ, nec ad leve quidem munus patriæ ſuæ vocari poſſunt, *d.l.32. in fine.*

46 Cæterum ſubjectus curiæ, ſi, ut eam declinaret, auſus eſt levius munus ſuſcipere,aut malitiam affectare,nulla temporis præſcriptione munitur, ſed ad conditionem propriam retrahitur, nec ipſe vel ejus liberi poſt talem ipſius ſtatum procreati,quod patriæ debetur valent declinare, *l. 55. h.t.* Non obſtat quod cohortalis qui militiæ ſe adſcripſit, munitus ſit 30. vel 40. annorum præſcriptione, *l.12.§. 1. infr. de cohortib.* quia id eſt ſpeciale in cohortali, cui lex hoc permittit,ſecus in decurione,qui magis adſtrictus eſt curiæ, ratione originis,quæ facit ut nullam malitiam, nullam præfecturam poſſit obtinere,obtentam deſerere,& ad curiā redire cogatur *l.17.h.t.*Facit & *l.51.h.t.*ubi non tantum in patria,ſed & in peregrino ſolo, decurio militare prohibetur.

47 Eſt enim curiæ cauſa,quavis militia potior,adeo ut qui natus eſt avo decurione, & patre milite, avi conditionem ſequatur, non paternæ militiæ privilegium, & contra ſi militari avo, & patre decurione natus, paternæ ſit ſuccedaneus functionis. *l.27.h.t.*

48 Quod ſi nihilominus decurio militiæ nomen dederit, vel alibi exiſtat, vel lateat, permiſſum eſt duumviris propria auctoritate in decurionem manus injicere, ſi copia judicis deſit, coram quo tamen ſi cauſa ſtatus oriatur,ventilanda & terminanda erit intra trimeſtre, *l.45.h.t.* ex qua lege deducitur,quod ubi periculum eſt,& copia officialis deeſt permiſſa ſit manuum injectio,non quidem cuivis, ſed illi cujus omnino intereſt, quia talis eum in fugitivum jus habeat, non tam videtur illum capere, quam retinere uti ſuum. Hinc qui obedientiam debet perpetuam, ſi ab ea fugiat, poteſt propria auctoritate à ſuperiore capi, & convictus ad obedientiam: ſic ſi profeſſus religionem, ab ea fugerit,vel uxor à viro diverterit, vel ſubditus ſe juriſdictioni ſui judicis ſubtraxerit, poſſunt propria ſuperioris auctoritate capi. Baldus & Azo *& in l.1. ſup. ubi quis de curial. & DD. ad l. 54.*

49 Verùm ſi decurio pertinaci animo lateat, nec ſeipſum exhibeat,bona ipſius ſurrogato applicantur, pro tempore quo locum in munere decurionatus implevit,ſi tamen poſt aliquod tempus ultro revertatur, bona ſua recuperat,ita tamen ut integro biennio munus illud quod ſubterfugerat,ſubire cogatur, *l.18.h.t.* Ex qua obſerva munus publicum à privato declinari non poſſe; itemque hujus legis deciſionem procedere in eo qui nominatus eſt ad decurionatum, nam is qui manifeſtis curiæ nexibus jam erat illigatus, ſi latere potius quam redire maluerit, poſt emenſum annum à vocatione,ex facultatibus ſuæ curiæ quam deſeruit conſulere damnumque reſarcire debet, *d.l.51.* Moribus hodiernis benignius agitur in abſentem decurionem, qui ſolum ſalarij amiſſione punitur, ut obſervat Bobadilla *l.3. polit.c.7.n.61.* poſſet tamen excreſcere pœna, ſi diuturnior ſit abſentia, aut contumacia decurionis.

Hinc jure receptum eſt, ut decurio, vel quivis 50
alius officialis contumax,ad curiam ſuam reverſus, non prius munus ſuum recuperet, aut bona, quam damna reſtituerit & expenſas, *l. 15. ſup. de judiciis.* Similiter non revocatur miſſio in poſſeſſionē ex primo decreto,niſi refuſis expenſis, *l.9. ſup. de bonis auctor. jud. poſſ.* Quin etiam oportet impenſas quas curia prærogavit in revocandis deſertoribus, ex eorum bonis refundere ac repræſentare, & quidem præſenti die. Idque Accurſius, cæterique veteres Interpretes probant *per.l.20.h.t.* ſed non rectè,nam alia eſt iſtius legis mens,ut mox dicam, & ex dictis conſtat deſertorem aut fugitivum decurionem ipſius ſolius impenſis revocari *per l.18.h.t.* * Itaque ex 51
Cujacij, Alciati, & Amayæ interpretatione accipienda eſt *d.l.* 20. de annuo magiſtratu, qui ludis Circenſibus præerat, eoſque ſuo ſumptu celebrabat,quod ut commodius facere poſſet, civitates & oppida prærogabant ipſi ſumptus,id eſt, ſolvebant expenſas, quas poſt tempus aliquod ille magiſtratus reddere tenebatur; qui tamen ſi ludos non ederet, protinus compellebatur reddere iſtos ſumptus, quos in eam rem civitas prærogaverat, non expectato tempore quod illi ſolitum erat concedi,quod ideo conſtitutum, ne magiſtratus pecunias quas in ludos expendere debebat,in ſuos uſus converteret, ac ita provinciales voluptate & pecunia defraudaret. De iſta ludorum pompa videatur. Wolfgangus Lazius *in ſuo comm. Reip.Rom.lib.10.c.5.*

Hinc quoque apparet, quam oneroſa fuerit de- 52
curionum conditio,ut etiam cum diminutione patrimonij cogerentur hujuſmodi theatralem voluptatem exhibere,nec poſſet etiam tenuioris fortunæ decurio ſe excuſare, *d.l.20. & l.1. infr. de ſpectacul.* uti nec alia onera declinare, aut utilitati propriæ conſulere advocationis obtentu, *l. 35. h.t.* vel acceptà dignitate, aut militia in loco peregrino, *l.38. h.t.*ſed ut variis hujus tituli conſtitutionibus reperitur, cogebatur quiſque in ſua ſtatione manere, & magno cum ſumptu ibidem civilia munera obire.

Adeo

Digitized by Google

Adeo ut nec per ſubſtitutum ea implere vel exercere poſſet, licet ſpectabilem dignitatem vel comitativam adeptus eſſet, niſi hoc ei Princeps ſpeciali beneficio conceſſiſſet, *l. 60. h.t.* quia in officiis quæ habent annexam adminiſtrationem, induſtria perſonæ cenſetur electa, *l. 31. ff. de ſolut. cap. ult. de offic.*
53 *deleg.* * Ideo Bodinus *lib. 1. cap. 9. de Republ.* ſcribit, vaſallum non poſſe inſervire feudo per ſubſtitutum, quia homagium, obſequiumque ipſum ſeu ſervitium, adeo ipſiuſmet vaſalli perſonam exigunt, ut exhiberi non poſſint per ſubſtitutum, invito domino. qui tamen poteſt cogere vaſallum ut homagium fidemque procuratori ſuo præſtet. Aliud dicendum ſi clericus ad altiorem ordinem conſcenderit & maluerit ſubrogato uti, ut *in l. 16. ſup.*
54 *de Epiſc. & Cler.* * Similiter ſi decurio honorario titulo illuſtrem dignitatem fuiſſet conſecutus, ſubſtituendi alium idoneum illi erat poteſtas, ac per eum implendi curiæ functiones, quibus erat obſtrictus, periculo tamen ſuarum facultatum, *d. l. 60. verſ. hi vero. & l. 64. eod.* ibi *ſuarum periculo facultatum.*
55 * Ita hodie ſi quod damnum proveniat, aut delictum committatur ob malam ſubſtituti adminiſtrationem, id imputari ſolet ſubſtituenti, & ſarciri ex ejus facultatibus, cum debuerit diligentius inquirere in vitam moreſque ſubſtituti: niſi probet ſe id feciſſe, & diligentiam omnem adhibuiſſe. Late Maſtrillius *de Magiſtr. lib. 1. cap. 29.* & Amaya *ad d. l. 60. num. 43. & ſeqq.*

56 Igitur qui illuſtri dignitate decoratus non erat, per ſe curiæ munera obire cogebatur, nec poterat fortunam quam naſcendo meruerat, mutare, atque emendicatis aliorum decurionum ſuffragiis, aut ambitione ſegregare ſe à curia, *l. 4. h. t.* eaque relicta, publicam curam ſuſcipere, & ad peregrina loca ſe transferre, advocationis colore, etiam ſi ſuæ civitatis munera expleviſſet, *l. 56. h. t.*

57 Hic tamen qui jam expleverat, transfacta onera repetere, & continuare non compellebatur, maxime idoneis exiſtentibus aliis, qui nondum ullum curiæ munus attigerant, *l. 52. h. t.* Interim non poterat à civitate ſua recedere, ſi contingeret ut fierent minus idonei initiati curiæ, aut minueretur civium copia, *l. uni infr. tit. 37.* Hodie tantus eſt hujuſcemodi muneris ambitus, ut hujus legis remedio opus non ſit, cum munerum, unde compendium ſperatur, continuationem, omnes adeo affectent, ut iis potius abdicandi ſint, & invitandi, cogendique eos, qui non ſua, ſed publica ſpectant commoda. Optime Martianus in ſua Novella quam refert Gothofredus *ad l. 31. ſup. de Epiſc. & Cler. Felicem fore Rempublicam ſi à nolentibus & actus publicos repulſantibus gubernetur.* Conduceret id optimæ regendi rationi; ſi non ambientibus, ſed recuſantibus, publica munera conferantur, coganturque electi ea acceptare. Ariſt. *lib. 8. polit. cap. 1.* Petr. Gregor. *lib. 4. de Republica cap. 5. num. 4.*

Hæc de oneribus, quibus cum ita premerentur 58
decuriones, æquum fuit eos præmiis ſublevari, & aliquibus privilegiis frui, quorum præcipuum erat, ne ipſi, aut eorum filij, ſive ante ſive poſt decurionatum ſuſcepti, à præſidibus provinciarum plebejorum tormentis ſubjicerentur, veluti eculeo, ungulis, & fidiculis, *l. 33. h. t.* ſolum enim à Præfecto prætorio propter ſummam ejus poteſtatem, verberibus affici decuriones, indicat *l. 40. h. t.* de qua infra. Adoptivi filij ut adoptantis dignitate, ita & hoc privilegio fruebantur, ne ictibus ſcilicet ſubjicerentur, *l. 4. h. t.* Item avus decurionis, & nepotes decuriones nulla nota afficiebantur; imo & per patrem decurionatu amiſſo, filius privilegiis utebatur decurionis. Et illi qui decuriones eſſe deſiderant, in honorem priſtinæ dignitatis, illicitis corporum cruciatibus non erant obnoxij, *l. 16. ſeq. ſup. de quæſtionib.* Quare ſi quis judicum in hanc illiciti furoris pertinaciam irrumperet, ut auderet decuriones, & ſuæ curiæ principales tormentis ſubdere, infamia, & viginti librarum auri mulcta, puniebatur.

Officiales quoque præſidum non reſiſtentes mul- 59
ctabantur quinquaginta auri libris, *d. l. 33. in fin.* ſi vero curiam diffugientes nomen militiæ dediſſent, ne ingenitis fungerentur officiis, retrahebantur ad curiam, ut ejus onera ſubirent, ſed in pœnam honoribus privabantur, *l. 38. h. t.* ubi judex ſuæ cenſuræ ſubditos admonebat, ne quis eorum exiſtimaret curiæ, veluti ſupplicij loco quemquam deputandum, cum utique unumquemque criminoſum, non dignitas, ſed pœna debeat comitari. Ex quibus denuo intelligi poteſt, quam acerba fuerit decurionum conditio, quod teſtatur Caſſiodorus, ut pœnæ loco qui Chriſtiani erant, ab impijs Principibus curiæ addicerentur.

Humanius ac clementius Conſtantini, aliorum- 60
que Chriſtianorum Impp. Judicium, qui ſtatuerunt, ſi per decuriones civitatum munera probe recteque gerantur, ut nullam ob rem Principis privatam debeant inquietudinem ſuſtinere, *l. 21. h. t.* aut corporales injurias pati, cum poſſint, ſi in aliquo exceſſerint, aut quid criminoſe egerint, pecuniariis coërceri ſtipendiis, *l. 57. h. t.* itemque relegatione, & deportatione, ſi capitale facinus patraverint, *l. 6. §. 2. ff. de interd. & releg.* Nam capite eos puniri prohibuerat Divus Adrianus *in l. 15. ff. de pœnis.* Quod ſi tamen decuriones, & qui publicum munus exercent, in eo deliquerint, decoctoreſque exiterint pecuniæ publicæ, vel fraudulenti in adſcriptionibus illicitis, vel immoderati in exactione fuerint deprehenſi, etiam à judicibus ordinariis plumbatarum ictibus ſubjiciuntur, *l. 40. h. t.* cum nimirum agitur criminaliter, *l. 80. Cod. Theod. h. t.* Ideo Anaſtaſius Imp. vindices conſtituerat,

Digitized by Google

tuerat, ut iniquas decurionum exactiones inhiberent, & ipſi exigerent, ſed illi prædæ dulcedine illecti, importunius graſſati ſunt, ut meritò eos Juſtinianus amoverit. *Novell.* 38.

61 Falſum etiam inſtrumentum fabricantes, torqueri poterunt, ſepoſito decurionatus honore, *l.* 21. *ſup. ad l. Corn. de falſ.* quæ videtur eſſe pars *l.* 15. *h.t.* ex qua conſtat decurionem exiſtentem, non potuiſſe tabellionis officio fungi; non tamen aſſumpta dignitas impedimento eſt, quo minus qui ante fuerat tabellio, quæſtioni ſubdatur, ſi ita cauſæ gravitas popoſcerit, ad eruendam veritatem rei antea geſtæ.

62 Quod ita ſtatutum, quia ſæpe contingebat, ut abdicato tabellionatus officio, quis procuraret decurionatum, ut eluderet quæſtionem. Non rectè Alciatus quem ſequitur Gothofredus *in d. l.* 21. opinatur decuriones olim retinere, & obire potuiſſe ſimul munus tabellionatus, *lib.* 8. *parerg. c.* 19. quoniam vile ac ſervile id erat officium, ac meritò à decurionatus honore ſe jungebatur, plerumq; enim ſervi publici tabelliones erant, *l.* 2. *Cod. de adoption.* & inſtrumenta ab iis confecta valebant, *l. fin. Cod. de ſervis Reip. l.* 18. *de adoption.* licet poſtea Juſtiniani tempore ſcribæ in honore habiti fuerint, & clariſſimi titulo decorati, *Novell.* 94. Cujac. *lib.* 16. *obſ. cap.* 14.

63 Igitur ut tabellionis, ita & procuratoris officio ſimul eodem tempore decurio fungi non poterat, nec vectigalia, nec prædia civitatis conducere, *l.* 34. *h.t.* & ut patet *ex l.* 30. *ſup. de locato.* procuratio alienarum facultatum quodammodò ſervilis & abjecta habebatur, ut aliud videatur dicendum de officio procuratoris cauſarum, quod ex ſe non eſt vile nec id exercere poteſt, qui infamis eſt. Covarr. *pract. qq. cap.* 19. *num.* 5. *verſ. prima concl.* unde honeſtiori loco habentur apud nos, qui in ſupremis tribunalibus lites promovent, ac multo magis illi qui illas defendunt in judicio, & advocationis munere funguntur, de quo plura dixi *lib.* 2. *tit.* 7. Non ideo tamen quod rebus ſæpe publicis ac privatis occuparentur, excuſare ſe poterant, aut declinare munera civilia, etiamſi alij eſſent, qui ea rectè gerere poſſent, *l.* 35. *h.t.* ubi dicitur quod etſi neceſſitas id non exigat, quia alij ſunt idonei, qui onera iſta ſubeant, curia tamen ea non remittit advocatis, magiſtris, aut eorum filiis, cum Reipublicæ interſit multos eſſe viros, qui civilia munera obeant. Omni proinde honore digni procuratores fiſci & Reipublicæ, quorum præcipuum munus eſt, cauſas publicas agere, ac defendere apud Præſidem aut Principem, *l.* 30. *h.t.*

64 Hi namque ex ordine decurionum aſſumebantur, eorumque fruebantur privilegiis, inter quæ, illud erat, quod non ſubjicerentur quæſtioni, qui è numero decurionum erant, non cæderentur, neque ſi aliquem occidiſſent, præter parentem, capite plecterentur. *l.* 15. *ff. de pœnis.* Nec etiam evocarentur ultra terminos ſuæ provinciæ in jus, aut ipſi ſe ultrò ſiſtere judicio cogerentur, niſi publica cauſa exigente. *l.* 25. *h. t.* quo facit *Novell.* 45. *in pr.* Et alia *Novell.* 151. Ne decuriones & cohortales cum ipſis jure agendum ſit, trahantur ad diverſa judicia, neve provincia exire cogantur, abſque juſſione Principis, eaque inſinuata Præfecto prætorio: Intereſt enim Reipublicæ, ne ejus munera deſerant.

65 Quo fit ut alios judices non agnoſcerent, præterquam ſuæ provinciæ Præſides, quorum juriſdictioni ſubjiciebantur, nec ab ea erant exempti decuriones, honorati titulo Comitis conſiſtoriani, nam dignitatis titulus non conceditur, ut quis eo abutatur, in judicij contemptum, *l.* 47. *h.t.* Unde qui in altiore dignitate conſtitutus eſt, non debet judicum inferiorum mandata deſpicere; Mandatis tamen judicum militarium non cogebantur parere decuriones, quia non erant illorum juriſdictioni ſubjecti, ut non impunè etiam illi in non ſubditos poteſtatem extenderent, eorum aliquem pulſando, verberando, & injuriis afficiendo, *l.* 42. *h.t.* ubi docent Interpretes, judices non poſſe extendere poteſtatem & juriſdictionem ultra territorium ſuum, ne confundantur juriſdictiones. *l. fin. ff. de juriſd. & d. l.* 53. *h.t.* ibi territorium accipi crediderim pro eo loco, ſive finibus, intrà quos judicibus jus dicere licet, adeo ut territorium judicum militarium intra certas ſtationes, & Præfecti urbi, intra centeſimum lapidem terminetur. *l.* 1. §. *initio ff. de off. præf. urbi.* Extra quos fines jus dicenti impunè non paretur. Quod autem ex quacumque cauſa vocatos ad judicem venire oportere ſcriptum eſt. *l.* 2. *ff. ſi quis in jus vocat.* Cave accipias de eo qui fit extra territorium vocantis magiſtratus, ut plerique perperam; de illo ſiquidem intelligenda lex eſt, qui vocanti, citantique magiſtratui ſit obnoxius ipſo jure, ſed dignitatis aliquo beneficio, ejus tribunal declinare poſſit, is enim nihilo ſecius parere debet, ac ſiſtere ſe, præſcriptionis cauſam allegaturus. *l.* 5. *ff. de judic.* Sed hæc *ad tit. de juriſdict.* pertinent, ubi plenius dixi.

66 Eo præterea privilegio gaudebant decuriones, quod ad ſummos honores, & dignitates gradatim aſcenderent, erat enim illorum ordo ſeminarium dignitatum, ita ut qui jam omnibus fuerant functi muneribus & ad ſummum honoris gradum perveniſſent, primi ordinis Comitum dignitate cohoneſtarentur, *l.* 56. *h.t.* Eandem dignitatem adipiſcebantur curiales, qua tamen obtenta, non eo minus obnoxij curiæ permanebant, ſuique Præſidis juriſdictioni ſubjecti. *l.* 47. *h.t.* ut dictum ſupra. Propriis etiam inſignibus à cæteris diſtinguebantur, nec occupabantur oneribus extraordinariis, *l.* 21. *h.t.*

Digitized by Google

h.t. Nam præter ordinaria tributa, nihil pendebant & ſi propter munificentiam in patriam, patrimonium exhauſiſſent, facultatibus jam abſumptis, ex publico decernebantur iis alimenta. *l.8. ff.h.t.*

67 Verumtamen ab iſtis curiæ oneribus, & decurionatus munere liberabantur, qui ex indulgentia Principis præmij & honoris cauſa ſummas dignitates præfecti prætorio, urbis, magiſtri militū, & alias fuiſſent conſecuti, quas recenſet Juſtinianus in *l.ult. h.t. & in Novell.* 70. & 81. Ita nimirum ſi eas actu adminiſtrarent, non vero eſſent tantum honorariæ, quæ eædem dignitates eos quoque liberabant à patria poteſtate. At vero Epiſcopalis dignitas, quamquam & ea ſumma ſit, & patriæ poteſtatis vinculum tollat, non tamen liberabat à fortuna curiali, quia debuerit ordinatus ſaltem per ſubſtitutum officium decurionis implere. *Novell.* 113. *§. ſed hæc quidem, Auth. Epiſcopalis ordo ſupr. de Epiſc. & cler.*

68 Porro in quorumdam gratiam non ſpectabatur tempus quo liberi fuerant ſuſcepti, ante vel poſt dignitatem patris, ſi magna eſſet dignitas, nam Senatoris filius dicitur, qui ante ſenatoriam dignitatem eſt ſuſceptus. *l. 5. ff. de Senator. l. 22. §. 3. ff. ad municip.* Quamquam non videatur clariſſimus eſſe, tamen quia durum eſſet paternum honorem filio invidere, benigniore interpretatione inter clariſſimos refertur. Alias ſtricto jure filius natus ante clariſſimatum vel illuſtratum, non videtur clariſſimus vel illuſtris, idque innuit *l. 61. & 63. & ult. hoc tit.* ubi tantum natus ex illuſtri, vel adminiſtrante, vel adminiſtratione perfuncto curiæ non tenetur. Amplius Zenoni placuit, ut liberi quandocumque ſuſcepti in curia retinerentur, ſive eorum pater, per ſe, ſive per ſubſtitutum dignitates adminiſtraverit, *l. 64. h.t.* ubi illuſtres quaſdam dignitates recenſet quas qui actu adminiſtrant, una cum liberis poſt eas dignitates ſuſceptis à curiali nexu, & onere eximuntur. * Poſtmodum Anaſtaſius Imp. huic Ze-
69 nonis conſtitutioni derogavit, nam cum in ea Zeno curiæ obſtringeret eos, qui ab imperij ſui auſpiciis facti eſſent Comites rerum privatarum, & largitionum & Comites domeſticorum, Quæſtores, & Magiſtri officiorum, Anaſtaſius eos abſolvit & à curia liberavit, modo ante Zenonis conſtitutionem, eas dignitates geſſiſſent, nec vult ibi eoſdem conſtitutioni Zenonis obnoxios eſſe, quod illi aliquamdiu paruerint, *l.65.h.t.* Idque meritò: debuit enim prout natura novæ legis requirit, futuris dare formam negotiis, iiſque providere, non præteritis, adimendo libertatem iis, qui jam ad eam jure pervenerant *ex d.l.63. & aliis legib.* Poſtremo Juſtinianus illuſtres quaſdam dignitates (prout paulo ante dictum) à curiali fortuna liberas eſſe voluit, ex quibus cum duo crearentur fiſci patroni quotannis, atque iis hoc privilegium daretur, & una cum liberis quandocumque ſuſceptis, ab onere & nexu curiæ liberarentur, *l.8. ſup. de advoc. divers. judicior.* Statuit ut in poſterum ij tantum cum patribus à curia liberarentur, qui fuerint poſt patronatum fiſci procreati, *d. l. ult. h.t.* ut ne quod ſummis dignitatum apicibus eſt conceſſum, hoc alij ſibi audeant vindicare.

Ex his colligitur quod cum immunitas detur ſin- 70
gulari Principis privilegio, poſſit id reſtringi, & ampliari, pro ejuſdem arbitrio, & meritis cauſæ. Cum itaque odioſum eſſet reſpectu fiſci, ut plures à nexu curiali & onere liberarentur, vult Imp. filios ante genitos in priſtina conditione remanere, ne præjudicium ſentiat curia, cui illi jam fuerant oblati, ſic ut poſterius beneficium debeat ita reſtringi & intelligi, ut minimum noceat, lædatque jus tertij. Cujac. *ad d. l.ult. & ad l.11. infr. de dignit.*

Hodie apud nos curialis iſta conditio, & quaſi 71
ſervitus ad liberos non tranſit, nec illi obnoxij ſunt curiæ oneribus, nec inhibetur prædiorum ſuorum alienatio, aut migratio ab uno loco ad alium: item cauſarum cognitio non tam coërcita eſt, ut olim fuit penes municipales magiſtratus, nam in pleriſq; oppidis, uti & in majoribus civitatibus habent magiſtratus juriſdictionem, mixtum imperium legis, actionem, curam pecuniæ publicæ, locorum & operum publicorum, annonæ, rerum venalium, opificiorum, commerciorum, totius denique politiæ & quietis populi. Unde in ſingulis urbibus atq; oppidis eliguntur, aut conſtituuntur honoratiores & prudentiores viri qui hæc munera obeant. Præponuntur Ballivi, Prætores, Conſules, Scabini, coram quibus etiam actiones tam in rem quam in perſonam, nec non criminum accuſationes moventur, & exercentur, & ſuam in cauſis ſingulis ſententiam ferunt, ut dictum ſupra *lib.1. tit. de magiſtr. municipal.* A quibus autem hi magiſtratus nominentur creënturque, dicam infra *liv.11 tit. 33.*

TITULUS XXXII.

Si Servus, aut Libertus ad decurionatum adſpiraverit.

1. *Servi ad decurionatum adſpirare nequeunt, domino etiam ſciente.*
2. *Neque liberti qui jus aureorum annulorum non impetraverant.*
3. *Juſtinianus ſuſtulit omnem conditionem libertinorum. Qui admittantur ad decurionatum; & quales hodie?*
4. *Si ſervus ad dignitatem irrepſerit, an per ipſum geſta & decreta, valeant?*
5. *Refellitur quod error communis faciat jus, & exponitur caſus.* l. Barbarius ff. de off. præt.
6. *Principis beneficia latiſſime interpretanda, ut*

cenſeatur cum inhabili diſpenſaſſe ſi ſciat defectum.

7. *Non eſt neceſſarium in litteris inhabilitatem exprimere.*

8. *An teneatur qui inhabilis eſt detegere ſuam inhabilitatem, & quid facere debeat, ſi promotus ſit ad dignitatem.*

9. *An valeant geſta ab occultè inhabili, & judice excommunicato?*

1 CUm ordo decurionum fuerit ſeminarium cunctorum honorum municipalium, ideo nec ſervi, nec liberti, eo adſpirare poterant, & quidem ſi ſervus ſciens adſpiraſſet, ob violatam ſervili macula curiæ dignitatem graviſſima pœna afficiebatur; ſi ignorans, illæſus domino reddebatur, *l.2.h.t.* cum nec domino ſciente, ad decurionatum, aut ædilitatem, aut alium honorem poſſet ſervus adſpirare, & ſi ad eum evectus fuiſſet, aut creatus decurio, detecta ſervitute, exutus honore, in priſtinam conditionem retrahebatur, *d.l.2.* Exemplo Marci Perpennæ, apud Val. Maximum, qui cum eſſet à populo conſul creatus, tamen detecta ejus peregrinitate, privatus fuit inſignibus.

2 Nec etiam liberto ad curiæ munera licitum erat adſpirare qui jus aureorum annulorum adeptus non eſſet, vel natalibus ſuis non reſtitutus, *L.1.h.t.* qui enim annulo utebantur, cenſebantur ingenui, ideoque annulus libertinis dabatur, ut quaſi ingenui viverent, licet morerentur tanquam liberti, & tenerentur patronum in debita parte inſtituere. *Inſt. de ſucceſſ. libert.* & alia obſequia ei præſtare.

3 Jure noviſſimo omnes liberti natalibus reſtituuntur, & jus habent annulorum, ſalvo jure patronatus, *Novell.*78. ita ut quod perſonam patroni ſpectat, liberti intelligantur, niſi & ipſe patronus hoc etiam remiſerit; quoad alios autem, vere ingenui cenſeantur, admittantur in curiam, fruanturque ſplendore ejus ordinis, ceſſante pœna legis Viſelliæ, *de qua ſup. ad l.Viſell.* nam tantum rejiciuntur ſervi, quia ſtatum non mutant, ut quamvis eorum parentes honores civiles geſſerint, ipſi tamen illicite atque improbe ad eos adſpirent, *l.11.&28. ſup. de liber. cauſa.* Expedit enim Reipublicæ, ut ad eam regendam & ordinandam admittantur homines ingenui, nobiles, & qui honoris capaces ſunt, quique ſemper honeſte ſe geſſerint, & virtutes ſingulas coluerint, de his Zypæus *lib.1. de jud. c.5.*

4 Quid tamen ſi ſervus ad dignitatem irrepſit, & in ea lateat, an per ipſum geſta valeant? Dico ipſo jure non valere, cum revera dignitatem non habeat, nec ſtatum mutet, qui eſt ſervus; ſuſtineri tamen ejus decreta propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt, humanius eſſe dicit Ulpianus *in L.3. ff. De offic. prat.* ubi Barbarius Philippus, qui conditione ſervus, ſub Trium viris (ubi populo ſpecies aliqua libertatis remanſit) Prætor fuerat deſignatus, non quod talis vere fuerit, quamdiu latuit, & populus ignoravit ejus conditionem, attamen quia prætura fungi viſus eſt, reſpondit I.C. nihil eorum quæ ab eo dicta, decretave ſunt reprobari, idque propter publicam utilitatem omnium civium, qui apud eum egerunt, ne abſque culpa puniantur, & lites ſententiâ ſopitæ, iterum ſuſcitentur. * Accedit quod potuerit populus, ſi ſciviſſet Barbarium eſſe ſervum, eum liberum efficere, prætura donare habilemque reddere ad omnia munia civilia: ut proinde non recte aliqui rationem ponant in errore communi, quem volunt haberi pro veritate, & jus facere, *per d.l.3.* cum error qui conſenſui eſt contrarius, eumque tollit, non poſſit dici jus ponere. *l.15. ff. de juriſd.* Facit quod reſpondit Modeſtinus, ſola ſalarij perceptione decurionem factum non eſſe, qui ſecundum legem decurio creatus non ſit. *l.10. ff. de decurionib.* unde nihil prodeſt error communis per ſe, ut pro decurione quis ſit, quia concurſus aliarum cauſarum defuit, ut *in l.7. Cod. de numer. & act. lib.12.* reſcinduntur acta falſi actuarij, qui credebatur actuarius, quia nimirum errore communi, qui per ſe eſt infirmus, jus non ſtabilitur, ut recte Guilielmus, & Fulgoſius interpretantur *ad l.3.* Igitur verius eſt, ponendam eſſe rationem *d. l. 3.* in titulo putativo, quem tribuit erronea populi deſignatio, ſine qua minime forent valida geſta illius, qui functioni publicæ ſe immiſcuerat. Itaque titulus errore communi reputatus verus, cum talis non eſſet, ubi tamen collatus eſt ab eo qui conferre poteſt, facit publicæ utilitatis cauſa, geſta ſuſtineri coram tali deſignato prætore. Dico errore communi, quia non ſufficit error unius aut alterius, qui non facit communem errorem, nec probabilem. Dico collatus ab eo qui conferre potuit, nam aliàs geſta non valerent, ſi vel titulus non ſit collatus, vel non à legitimo ſuperiore, quia nullus eſt, atque ita ſolus eſſet error communis, qui non ſufficit. Idipſum indicat *d.l. 3.* fundans ſe in deſignatione totius populi, ut ea ceſſante Barbarij acta decretaque tanquam intruſi judicanda fuiſſent nulla. *DD. ad c. noſti 9. ✝ de elect.* ubi facta ab eo qui non habet titulum, dicuntur revocanda. Cujac. *lib.18. obſerv. c.33.* Hotoman. *illuſtr. quaſt. cap.17.* 5

Addit *d.l.3. in fine*, hoc in Principe multo magis obſervandum eſſe, puta ut quem ſciens prudenſque prætorem fecerit, & liberum feciſſe intelligatur, quia beneficia Principum, quam latiſſime ſunt interpretanda, & certe latius quam populi rogationes. Et quod in prætura, idem & in aliis officiis. Quo fit ut ſi Princeps aliquem inhabilem ad officium promoverit, cenſeatur cum eo diſpenſare, modo tale concurrat impedimentum, quod poſſit à Principe tolli, & conſtet eum ſcire impedimentum, quia non in ſola promotione fundatur diſpenſatio, ſed in Principis ſcientia, ut dicunt *DD. ad d. l. 57.* 6

Digitized by Google

d.l. 57. ff. de re judic. Scire autem præſumitur impedimentum, quia ad eum examinis cura pertinet, ad quem confirmatio & ſtabilitio. *c. venerabilem de*
7 *elect.* * Dictæ autem ſcientiæ mentionem facere in litteris promotionis non erit neceſſe, nec etiam exprimere inhabilitatem. tradit Gabrielius *1.com.opin. tit.de præſumpt.conc.* 8. & Sanchez *de matrim.l.*8.*diſp.*4. Sed verius eſt, ad hoc, ut talis diſpenſatio valeat, præter ſcientiam, neceſſarium quoque eſſe ut de ipſa inhabilitate conſtet, cujus probatio nulla efficacior, quam quæ ex litteris deducitur, quæque in iis exprimitur. *l.*12 *§.fin.ff. de excuſ.tutor.* Menochius *de præſumpt. lib.2. præſumt.*10. *num.*1. *& ſeq.*

8 Hinc quæritur an qui inhabilis eſt, & patitur ſe aſſumi ad officium aliquod, teneatur ſuam inhabilitatem detegere? Si inhabilitas eſt ignota, non videtur debere eam detegere, & ſe ipſum prodere, multo minus ſi errore lapſus inhabilis ad capeſſendum honorem aut munus proceſſerit, removetur quidem, ſed non punitur, cum error eum excuſet, & adimat conſenſum delinquendi At vero cum ſciret ſe inhabilem, & nihilominus affectaverit honorem, removetur & punitur, propterea quod non detexerit ſuam inhabilitatem, & dixerit ſe iſti honori aut muneri imparem eſſe, *l.*14. *§.*1. *verſ.idemque*, ibi *gloſſ. ff. de re mil.* tenetur enim exemplo venditoris, latens vitium notabile ex juſtitia dicere, inquit Bonacina *2.tom.de contract.diſp.*3. *quæſt.*2. *punct.*6.*n.*2. quin & cum Theologis exiſtimat indignum, qui recipit dignitatem, vel officium, non poſſe illud retinere, manereque obnoxium reſtitutioni. *De reſtit. in gen. tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.*2. *punct.*12. *num.* 8. & Leſſius *De juſt. lib.2. cap.*34. *dub.*22.

9 Interim acta, per occulte inhabilem officij nomine geſta, ſuſtineri poſſunt, ſiquidem titulum habuerit à legitimo ſuperiore, vel eo qui erat in poſſeſſione concedendi tale munus, ſic ſententia lata à judice inhabili, quia occulte excommunicatus, tenet; cum talis juriſdictionem retineat, quamdiu per Eccleſiam toleratur, *cap. ad prob.* ii *de ſent. excomm.* ibi Henricus *n.*3. *&* 4. Et facit ratio publicæ utilitatis, quæ conſiſtit in evitando graviſſima incommoda, quæ ſequerentur, ſi detecto impedimento perſonæ [illegible]æ, hactenus legitimè eputatæ, geſta per eam, [illegible] ea reſcinderentur, cum præjudicio alio[illegible] citra ſuam culpam, ejus opera uſi ſunt, qu[illegible]es pare[illegible]t non levem confuſionem. Quo pertinet quod dici[illegible] Coſtalius *ad d. l.* 3. *ff. de offic. prætor.* ſufficere quod qui officio fungitur, exiſtimetur idoneus communiter; ſic teſtis quamvis ſit ſervus, vel infamis, ſi tamen habeatur probus & liber, valet ejus teſtimonium. *l.* 1. *C. de teſtam.* Bart. *ad d. l.* 3. & Felinus *ad d. c. ad probandam.* Covar. *ad c. alma mater* 1. *part, relect.* §. 11. *num.* 4.

TITULUS XXXIII.

De prædiis Decurionum ſine decreto non alienandis.

1. *Prædiorum curialium venditio non valet abſque decreto, & qui emit, privatur pretio quod dedit, & rem cum fructibus reſtituit.*
2. *Si quis interpoſita fide ſervanda ſibi bona, prædia vendiderit, fiſco applicantur.*
3. *Decretum non minus adhiberi debet in alienatione rei hæreditariæ, quam in ſolutione curiæ facienda.*
4. *Servanda forma actus, quam oportet in ipſo actu intervenire, poſt interpoſita nihil operatur.*
5. *Præſentia judicis omnem metus præſumptionem excludit.*
6. *An venditio facta cum decreto excludat remedium* l. 2. C. de reſc. vend.
7. *Variatio circa donationem rerum immobilium curialium, & ratio cur deinde prohibita, uti & venditio.*
8. *Non eſt in uſu interpoſitio decreti in rebus decurionum vendendis, ſecus in rebus communicatis.*

NOn ſolum ne unquam perſonæ curiales deeſ- 1
ſent, legibus proviſum fuit, verum etiam ne iis facultates deficerent, unde munus poſſent ſuſtinere, prohibita fuit eis idcirco prædiorum ſuorum venditio, ſine decreto præſidis, vel judicis competentis, *l.*1. *h. t.* quod interponi debet cauſa propoſita, & probata apud acta, ſine impendio contrahentium, alioquin emptor & venditor verſatur in mala ſide, eſtque infirma, imò nulla venditio, cogiturque emptor prædia venditori reſtituere, cum fructibus, nec ab eo pretium recipit, multo minus meliorationes *d. l.* 1. Idem conſtitutum *in l.* 7. *infr. de agricol. & cenſ.* & expreſſius *in l. fin. inf. de fundis rei priv.* ubi ſi quis emerit fundum rei privatæ, ſeu ejus ſubſtantiæ, quæ in privato Principis patrimonio eſt, dempto canone, aufertur ab eo fundus, & pretium perdit & fructus: quia cum emat contra legis prohibitionem, efficitur malæ fidei emptor, *c. qui contra jura de reg. jur. in* 6. Similiter in noſtra ſpecie, cum in fraudem Reipublicæ, non ſervata decreti forma, emptor fundum emerit, ideo illum cum fructibus reſtituit, & pretium quod dedit, amittit, atque fiſco applicatur, non decurioni vendenti. *arg. l.* 9. *& l.* 46. *§. quod à præſide ff. de jur. fiſc.* quia æquum non eſt ut ex ſua malitia quis commodum ſperet.

Huc facit quod alibi reſpondet Papinianus, ſi 2
quis ne patrimonialia onera præſtaret, per tacitam fidem ſeu ſimulatam conventionem ſervandi ſibi prædia, ea alicui vendiderit, qui immunis eſt ab

 iſtis

iſtis oneribus,ut ſenatori Romano,fiſco vindicari,
quoniam manifeſta hic fraus ſit Reipublicæ,cui de-
bentur munera civilia,ideoque emptor fictitius,ac
interdictæ rei miniſter punitur, quia fraus commu-
nis eſt, *l.15.§.2.ff.ad municip.& l.1.ff.ad l. Jul. de pla-*
gia. * Cum itaq; juris ſolemnitas introducta ſit ut
3 omnis fraus removeatur, coërceaturque temeritas
decurionum, qui bona ſua diminuunt, aut alienant
in ſuum & Reipublicæ damnum, placuit non tan-
tum prædia, ſed nec res mobiles curiæ jure hæredi-
tario quæſitas vendi poſſe,aut debitorem hæredita-
rium ſolvendo liberari,aut aliter ejus liberationem
admitti,niſi ejuſmodi venditio,vel obligationis diſ-
ſolutio,apud acta totius, vel majoris partis ordinis
intercedente decreto facta probetur. Idemque de
aliis rebus,quæ civitati aliunde ſunt quæſitæ, vide-
tur dicendum, *l.2.h.t.* Ubi præterea additur ut pecu-
nia ex iſtarum rerum venditione, in prædiorum
comparationem redigatur, quorum reditus curiæ
muneribus, neceſſitatibuſque deſerviant.

Unde colligitur quando lex vel ſtatutum, aliquid
4 novi inducit,certo quodam modo, quidquid ibi ex-
primitur, reputari pro forma ſubſtantiali, & ex ea
nihil adimi,aut detrahi poſſe, ſed ad unguem obſer-
vandam eſſe. Igitur ut actus vel contractus ſit vali-
dus præcedere debet forma,aut ſaltem ipſi actui in-
tervenire,ſic ut non ſufficiat illam ſequi,prout dici-
tur *in d.l.1.* ibi *ita demum diſtrahendæ poſſeſſionis faculta-*
tem venditor accipiat, ſi alienationis neceſſitatem judex
probaverit. Itaque cum approbatio judicis, & con-
ſenſus majoris partis curiæ ſit de forma, non ſatis
fuerit ſi ex poſt facto ſuperveniat, aut confirmetur
actus per ratihabitionem ſubſequentem.* Præterea
5 addit *d.l.1.* quod cum in ipſa venditione,judicis præ-
ſentia,& decreti ſolemnitas intervenit, neque ven-
ditor erit immoderatus, id eſt,non excedet juſtum
pretium,nec carius vendet quam rei æſtimatio po-
ſtulat; neque etiam emptor erit injuſtus, id eſt, vi-
liori pretio non emet, & ſic nec magno pretio
comparatio fiet,nec minori diſtrahetur res, *l.16.ſup.*
de reſc.vend. & ceſſabit omnis præſumptio metus aut
doli,nec poterunt contrahentes conqueri ſe decep-
tos eſſe in contractu, quem approbare, omniaque
confirmare facit auctoritas judicantis.

An ergo excludetur remedium *l.2.C. de reſcind.*
6 *vend.* Et verius eſt non excludi, cum decreti inter-
poſitio verſetur circa cauſam vendendi, an juſta
fuerit, non vero circa pretium, in quo contingens
læſio ultra dimidiam facit reſcindi venditionem.
Nec movet *d.l.1.h.t.* Ex qua dicimus, quod ubi ven-
ditio interveniente decreto judicis, & publica ſub-
haſtatione eſt celebrata, *juxta l.1. ſup.de jur.haſtæ fiſ-*
cal. non præſumatur læſio; quia licet in dubio non
præſumatur,ſi tamen liquidis probationibus oſten-
datur interveniſſe, reſcinditur venditio. Pinellus *ad*
d.l.2.p.2.c.1.n.18. Fachin. *l.2. contr.20.* Larrea *alleg.*
fiſc.107.n.9. Non enim ſolemnitatis obſervatio eò
pertinet, ut æquiſſimum reſciſſionis remedium au-
feratur, ſed magis ut ſiniſtra ſuſpicio (quæ citra il-
lius formæ inventum contra decurionem alienan-
tem caperetur) ceſſare intelligatur.

Porrò uti venditio par fraudem,vel neglecta for- 7
ma legis infirma eſt, ita etiam donatio prædiorum
curialis;idque ſtatuit Juſtinianus lege quadam Græ-
ca, quæ quarto loco, in hoc titulo poſita fuit, ut
monet Cujacius,qua cavebatur ut omnes venditio-
nes, & ſimplices donationes,& quilibet actus con-
tinens alienationem rerum immobilium curialium
ſubjacerent decreto. Antea quidem aliter diſpoſi-
tum fuerat per Zenonem *in l.3.h.t.* Ubi donationem
permittit, forte quia non tam facile homines do-
nant, quã vendunt, cum ex venditione conſequan-
tur pretium, nihil vero ex donatione. Accurſius &
Platea *ad d.l.3. verſ.& ratio.* Ibi Cujac. & Gothofre-
dus. At vero rationem aliã reddit Zeno, quod prop-
terea donationem ſine interpoſitione decreti fieri
permiſerit, quoniam ſacræ conſtitutiones,quæ lo-
quebantur de rebus decurionum alienandis, ſolum
pretij meminerunt, atque ita de venditione dum-
taxat proprie & ſtricte ſumpta accipiendas eſſe,
non tamen ad alios caſus, prout ſunt donatio, &
permutatio, extendendas. *l.4. C.de fideicommiſſ. l.37.*
ff.de contr.empt. Sed uti dictum, Juſtinianus donatio-
nem prædiorum decurionis, & omnem aliam alie-
nationem rerum immobilium ſubjacere decreto
voluit, præterquam donationem propter nuptias,
Nov.38. in pr.c.1.& 2. Platea *in d.l.3. n.1. in fin.*
quod etiam poſtea coarctatum eſt per *Novell.87.* ut
nulli fraudi locus relinqueretur.

Hæc quæ de interpoſitione decreti dicta ſunt,ab 8
uſu receſſerunt,nam decuriones noſtri,rerum ſuarũ
liberam habent diſpoſitionem,& alienandi faculta-
tem, nec munus decurionatus eis obſtat. Accurſius
Gloſ.1. Et Platea *hic.* Prædia tamen, & res immo-
biles,quæ ſunt totius curiæ,communitatis,aut con-
cilij cujuſque populi,non poſſunt vendi,donari, niſi
loco decreti interveniat facultas Principis,ut docet
Bobadilla *l.16.3.polit.c.8.n.82.* ubi plures Doctores
refert. Similiter hodie prædia, quæ communitati
ſerviunt, & in quibus paſcuntur pecora, n[illegible]
domini iſtorum locorum dare ad cultu[illegible] [illegible]o-
care, etſi dederint,nullius eſt momen[illegible] [illegible]ſ-
ſio, & qui eâ uſi fuerint, puniuntu[illegible] Caſtillo *de uſu-*
fructu, c.54.n.30. Amaya *in l.2.h.t.*

TITULUS XXXIV.

Quando, & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo diſtributionis eorum.

1. *Quartam hæreditatis defuncti decurionis extraneus ejus hæres curiæ præſtare debet,*

2. Deſu-

2. *Deſumitur quarta ex omnibus bonis. Quomodo fiat partium diviſio, & à quo electio.*

3. *Res communis quæ commodè diviſionem non recipit, integra adjudicanda eſt ei, qui majorem partem obtinet, præſtita cæteris æſtimatione.*

4. *Abrogata eſt conſtitutio, qua nihil debebatur, & ſtatutum, ut liberis curialibus quarta relinquatur.*

5. *Nunc dodrans debetur curialibus.*

6. *Quid juris filia curialis patris, ſi curialibus nupſerit aut plebeis?*

7. *Originarius civitatem ſuam deſerens, quid ex ſuis bonis relinquere teneatur civitati.*

8. *Non tenetur ſtatum ſuorum bonorum detegere, neque tutor declarare bona ſui pupilli, ſi id non poteſt inventarium omittere.*

1 QUo magis curiæ conſoleretur, cautum fuit ut
ex bonis decurionis ex teſtamento, vel ab in-
teſtato decedentis, quarta pars, curiæ relinquere-
tur; ſi non curialis curiali ſucceſſiſſet ex aſſe, cum
onere tamen æris alieni hæreditarij, *L. 2. verſ. æque
ex diverſo h.t.* Sin autem plures non curiales ex par-
tibus hæredes fuiſſent, vel bonorum poſſeſſores ex
teſtamento, vel ab inteſtato, ſinguli pro rata con-
ferrent; ad quartam partem curiæ debitam, *l. 1. h.t.*
Cujus ſuæ conſtitutionis idem Theodoſius memi-
nit initio *d.l.2.*

2 Atque ibi ſtatuit ut iis caſibus quibus quarta de-
bebatur, ea ex univerſis bonis ſumeretur, non ex
ſingulis rebus, ne paupertas detegeretur; quamob-
rem hæres bona dividebat in quatuor partes, & is
eligebat, cui ſors obtigerat. Similiter hodie inter
fratres, cum agunt de dividenda hæreditate, ſorti
rem committunt, ita ut qui major eſt ex fratribus
patrimonium dividat, minor eligat, de quo genere
diviſionis, vide Mynſingerum *4. obſerv. 37.* Cæterum
rerum immobilium diviſio, & æſtimatio, hic fit
3 præſentibus curialibus ſive decurionibus. *Quem-
admodũ etiam præſente arbitro familiæ erciſcundæ
ſolent res communes dividi, etſi ſint immobiles,
res quæ commode dividi non poſſunt, res integra
(quæ inſignis eſt & avita) uni adjudicatur, & æſti-
matio alteri. Sic ſi plures res ſint dividendæ, æſti-
matione facta, is cui majoris pretij res obvenit,
in cæteris condemnatur, *l. 3. ſup. comm. divid.* nec
enim minutatim res ſunt dividendæ, juxta illud
Macrobij, *navem qui dividit, perdit.* Sed per aſſig-
nationem aliquam rerum integralium & earum æ-
ſtimationem; ut inquit Gloſſa *hic in l. 4. verb. parti-
cip.* Quæ damnat iſtos cohæredes, qui propter
unius minimam portionem, minutatim & per ſul-
cos inſignem rem hæreditatis, dividi & partiri cu-
piunt.

4 Derogatum deinde fuit Novellæ Theodoſij, qua
ſi filius, nepos, pronepos, pater, avus, proa-
vus non curialis curiali ſucceſſiſſet, ordini decu-
rionum nihil debebatur, quoniam Juſtiniano pla-
cuit eo caſu, quartam partem bonorum defuncti
curialis deberi curiæ, ſeu ordini decurionum. Pla-
cuit etiam ut filio curiali, vel filiis ſi plures eſſent,
quarta pars omnium bonorum patris curialis re-
linqueretur, ut poſſint commodius munera civilia
ſuſtinere, *l. ult. h.t.* Ita ut ſatis non fuerit ei, aut eis
quadrantem legitimæ partis relinquere, ad exclu-
dendam inofficioſi teſtamenti querelam. Vel ho-
die ex *Novella* 18. trientem, aut ſemiſſem legitimæ
partis.

Quinimò filiis curialibus, vel filiabus quæ cu- 5
rialibus nupſerunt, omni modo relinquendus eſt
dodrans, nec ſufficit triens, vel ſemis. *Novell. 38.
& 89.*

Quod ſi autem pater curialis filios non haberet, 6
ſed tantum filias, videndum an ex eis aliæ curiali-
bus nupſiſſent, an aliæ plebeis, quia quæ curiali-
bus ejuſdem civitatis nuptæ ſunt, exemplo filio-
rum, quadrantem bonorum omnium, jure no-
viſſimo, dodrantem, conſequuntur, *Novell. 38.
c. 3.* Sin autem nupſerint non curialibus, vel cu-
rialibus alterius civitatis, in qua pater non fuit de-
curio, quarta pars bonorum curiæ debetur, ſive
teſtatus ſive inteſtatus decurio deceſſerit, *l. ult. h.t.*

Unde licet inferre quod ad mores plurimarum ci- 7
vitatum, præſertim Germaniæ facit, ut civis vo-
lens deſerere ſuam civitatem, & aliò domicilium
transferere, cogatur inprimis de omnibus bonis
ſuis certam pecuniæ ſummam civitati penſitare, vel
tributum aliquod dare, quod laudabiliter conſti-
tutum eſſe dicit Andr. Gail. *lib. 2. obſ. 36. n. 10.* Et
Græværus *l. 2. concl. miſcell. 36. n. 3.* Non videtur ta-
men cogendus id perpetuò præſtare, ſed ſemel dum
alio migrat, ſuorum quoque mobilium numerum
non tenetur profiteri apud acta, nec detegere aliis
ſuam paupertatem, vel divitias. * Quo pertinet 8
quod hic Imperator ait. Quid enim tam durum
tamque inhumanum eſt, quam publicatione pom-
paque rerum familiarium, & paupertatis detegi
vilitatem, & invidiæ exponere divitias? Ex quo
textu patet, in caſibus quibus additione judicis
opus eſt, aut præſentia teſtium, eam ſolemnita-
tem quandoque omitti poſſe, ne patrimonij pau-
pertas detegatur; ſic ſi agatur de alimentis pupillo
decernendis, poterunt ea præſtari tutoris arbitrio.
Quin & à tutore omitti poterit inventarij confe-
ctio, ubi oſtenderit non expedire utilitati ipſius mi-
noris, ut patrimonium ejus manifeſtetur; attamen
ut ſecurus ſit tutor, vel curator, recte fecerit, ſi
coram Præſide jusjurandum præſtet, nihil vel pa-
rum eſſe in bonis ſui pupilli, quoniam hujuſmodi
proteſtatio inventarij loco eſt, ut dicit Baldus *in l.
fin. C. qui bonis cedere poſſ.*

TITULUS XXXV.

De imponenda lucrativa Deſcriptione.

1. *De rebus immobilibus titulo lucrativo quæſitis, curia quatuor ſiliquas vindicat.*
2. *Quæ res, aut perſona ab iſto ſiliquarum onere excuſentur.*
3. *Qui ſint tituli lucrativi, vel oneroſi? Hæres tenetur præſtare vectigal hæreditati impoſitum, licet ipſe ſit exemptus.*
4. *Solùm hæredibus extraneis hoc onus ſolvendi imponitur, iiſque datur apocha, ut conſtet de ſolutione facta.*
5. *Item datur apocha curialibus, cum quartam debitam curiæ ſolvunt. Eximitur Eccleſia ab iſta deſcriptione.*
6. *Annuum hoc onus præſtabatur fiſco.*
7. *Hodie laudemium debetur domino cenſus ex venditione rerum immobilium.*

1 NOn ſolùm quartam bonorum partem hæredi non curiali aufert curia, ſed etiam ex ſua portione eidem curiæ, hæres non curialis quatuor ſiliquas præſtare cogitur, tributi nomine, *l.un.h.t.* Eſt autem ſiliqua viceſima quarta pars ſohdi, id eſt, aurei, de cujus valore differit Covarruv. *in tract. de ve-*
2 *ter. numiſm. collat. c.3.n.10.* * Imponitur autem hoc tributum quatuor ſiliquarum rebus immobilibus, & poſſeſſionibus alienatis, titulo lucrativo, non rebus mobilibus, aut titulo oneroſo acquiſitis, non item hominibus, id eſt, mancipiis ſi alienentur. Lucrativi tituli ſunt, hæreditas, legatum, fideicommiſſum, mortis cauſa, vel inter vivos donatio: Oneroſi ſunt, emptio, permutatio, dos, donatio propter nuptias.

3 Cùm igitur hæreditas ſit titulus lucrativus, obnoxius erit oneri hæreditatis paternæ impoſito, filius, qui eam adivit, quamvis ſit aliquo privilegio munitus, quia res cum ſuo onere tranſit. Quinimo filium cui obvenerunt duæ hæreditates, teneri ad duplex tributum ſcribit Aretinus *in l. patris & filij ff. De vulg. ſubſt.* Si tamen onus lucrum ſuperet, nemo cogitur talem adire hæreditatem.

4 Cæterùm ab hoc onere diſcriptionis quatuor ſiliquarum, liberantur hæredes curiales, & qui ſunt de numero parentum aut liberorum ipſius defuncti, quamvis curiales non ſint, nam cum hæ perſonæ tam ſint conjunctæ, æquitas ſuaſit eas à tali onere liberari. Unde is tantum qui extraneus & non curialis hæres eſt, ſi aliquid ex donatione, legato, aut ſimili cauſa lucrativa à curiali obtinuit, cogitur ſiliquarum tributum ſolvere: atque eidem ſolventi datur apocha in ſecuritatem ſolutionis, utque de ſolutione facta pateat legitime, *l.1. verſ. quod & tunc ſup. de apoch. publ.* * Ex qua lege conſtat ſimili pro- 5
viſione potiri tam pauperes, quam divites curiales, & hæredes eorum, ut cum quartam curiæ ſolvunt, fiat ſcriptura per quam conſtare perpetuò poſſit de ſolutione, ne in plus graventur quam patrimonij quantitas tolerit. Etenim ſi non conſtaret de ſolutione quartæ, gravarentur in tributorum deſcriptione, reſpectu illius rei quam ex lucrativa cauſa acceperunt, & cujus quartam jam præſtiterunt. Ab iſto autem onere, & lucrativorum inſcriptione, eximuntur pietatis cauſa, res Eccleſiis piiſve locis deputatæ, ex conſtitutione Juſtin. *in l. 22. ſup. de SS. Eccl.* ibi ratio: *Cur enim non facimus diſcrimen inter res divinas & humanas? & quare non competens prærogativa cœliſti favori conſervetur?*

Poſtremò duo hic notanda ſunt. I Hoc tributum quatuor ſiliquarum, in jugationes ſingulas, quotannis præſtari; ut non rectè dicat Rebuffus ſufficere ſemel, cum totum patrimonium à curiali ſimul alienatur, iſtos quatuor ſolidos curiæ inferri, *ad rubr. h.t.* II. Hoc tributum fiſco deberi, eique ſolvendum eſſe, ut tenet Azo; namque de jure ad fiſcum pertinent tributa, ut patet *ex tit. de trib. & tit. de cenſib.* 6
* Hodie ex titulis lucrativis nihil fiſco debetur, ſed cum res aliqua immobilis, ut fundus, prædium, domus vere venditur, laudemium præſtari ſolet domino cenſuali, vel civitati, ubi res iſta vendita ſita eſt, pro labore inveſtituræ, & inducendi emptorem in realem poſſeſſionem. De hoc jure, quod varium eſt ſecundùm conſuetudines locorum, ex quibus profluxit, prolixe tractant Molinæus *ad conſuet. Pariſ.* & Argentr. *ad conſuet. Britanniæ art. 59. not. 4. & ſeq.* 7

TITULUS XXXVI.

De præbendo ſalario.

1. *Decuriones nemini poſſunt ſalarium conſtituere ſine juſſu Principis. Ratio redditur ex re, quæ in commune poſſidetur.*
2. *Poſſunt id conſtituere profeſſoribus, & medicis ſine juſſu Principis.*
3. *Ad curam magiſtratus pertinet juventuti præficere probos & doctos magiſtros, ac medicos eligere.*
4. *Quævis civitas miniſtris neceſſariis & ſedulis ſalarium conſtituit, & ſi bona deficiunt, imponunt collectam, qua ſubveniatur illis, etiam inſcio Principe.*
5. *Poteſt à Principe conſtitutum ſalarium, augeri à civitate, ſi Princeps id facere negligat.*
6. *Salaria præbet civitas abſque licentia Regis. In municipiis ſolent ea præſtare domini territorij.*
7. *Hodie ſportula in vicem ſalarij dantur judicibus, qui ſi majores ſint, accipiunt ſalarium à Principe, & quare?*

8. Ma-

8. *Magiſtratus inferiores, à municipijs ſalarium accipiunt, ſi id non ſit ſufficiens, aliquid amplius exigere poſſunt officiales, donec augeatur.*
9. *Officio ſuſcepto, cum rerum conditio eſt mutata, tenentur officiales pro ſtipendio currente adminiſtrare, etiamſi id non ſit ſufficiens.*
10. *Salarium conſuetum quale ſit, etiam quando variatur.*

1 CONſtitutione hujus tituli prohibitum eſt, ex publico ſalarium præbere, ſine ſpeciali Principis licentia. Quo fit ut ex juribus Reipublicæ, aut pecunia Principis, in ejus præjudicium non liceat decurionibus cuiquam ſalarium conſtituere, aut taxare inconſulto Principe, *l. un. h. t.* quia illi tantum ſunt adminiſtratores,non rerum domini: & certe ſi decurionibus liceret ſalaria conſtituere in damnum Principis, aut Reipublicæ, plus forte amicis tribuerent (aut inimicis ut eos ſibi conciliarent quam deberent, cum de alieno ſemper homines ſoleant eſſe liberaliores, & in re communi negligentiores. Quo pertinet *l.12.§.1.ff. de re mil.* & quod refert Ariſtot. *lib.2. polit. cap.3. Quod multorum eſt commune, in eo minus adhibetur diligentia, Propria tantum curant homines, de communibus autem minus, quam quantum ſingulis competit; tanquam enim alio curante, ab aliis negliguntur.* Et Imperator *in l.2. ſup. quando & quibus quarta pars. Naturale quippe vitium eſt negligi, quod communiter poſſidetur.*

2 Permiſſum tamen decurionibus in caſibus à jure expreſſis, & ubi juſta & publica cauſa id expoſcit, ſalaria conſtituere, *l.4.§.2.ff. de decret. ab ord. fact.* & ob laborum merita Antiſtitibus liberalium artium, Medicis & Archiatris immunitates præbere. *l.1. infr. de decret. decur.* Quod & in profeſſoribus aliis litterarum, & legum Doctoribus receptum, quibus Conſtantinus Imp. jubet mercedes & ſalaria reddi, quo facilius liberalibus ſtudiis, & memoratis artibus, multos inſtituant, prout plenius dicetur *infr. tit. de profeſſ. & medic.* quorum profeſſorum electionem, potius permittendam decurionum ordini, quam Præſidi, Ulpianus putat, ut quia de illorum perſonis in medicorum electione, & ſuorum civium agatur periculo, *l.1. ff. de decreto ab ord.* Multò magis dum de juventutis inſtitutione
3 agitur, in quo animæ major jactura. * Ad munus igitur magiſtratus pertinet, de doctis & probis artium liberalium profeſſoribus proſpicere, & diligenter curare ut bene inſtruatur juventus: nam cum iſta ſit Reipublicæ ſeminarium, ex quo cives & ſenatores deſumuntur, adhibenda cura eſt, ne illis corruptis tota communitas detrimentum patiatur; hujus etiam rei inſpectio Epiſcopo loci incumbit, *per Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap.1. de reformat.*

4 Redeo ad ſalarium, quod æquum eſt ex publico præſtari etiam magiſtratibus, qui curam ſuſtinent cæterorum civium. Cum enim hi antea propriis ſtipendiis Reipublicæ munera obirent, Octavianus Cæſar ſuadente Mœcenate, omnium primus ſalaria ex ærario Magiſtratibus conſtituit, tum laborum, tum dignitatis nomine, Dion. Caſſius *lib.13. hiſt. Rom.* ut ſic puras Deo & Principi & legi cuſtodiant manus, ut dicit Juſtinianus *in Novell.82. cap.9. in fin.* Item convenit ut conſtituatur ex publico ſalarium publicis curiæ miniſtris, fiſci procuratoribus & ſyndicis, habita ratione dignitatis, induſtriæ & operæ in rem publicã preſtita,nam qui nullam aut exiguam præſtant, qui otioſi & inutiles ſunt, iis quod datum eſt ſalarium auferendum erit, cum nihil ſit ſtolidius eos oneri eſſe Reipublicæ, qui nihil in eam ſuo labore conferunt; At vero officiatis & miniſtris curiæ neceſſariis & ſedulis ultro & citra Principis aſſenſum, ſalarium conſtitui poterit ex reditibus civitatis, nec enim conſenſus requiri videtur, ubi publica utilitas & juſta cauſa vertitur. Et ſi deficiant reditus, recte civitas modicam collectam ſuis incolis imponet, ex qua ſalarium Magiſtratui & aliis officialibus adminiſtrationi operam dantibus tribuatur. Nam ſi eam ob cauſam Principis curiam adire oporteret, & ejus aſſenſum exquirere, plus diſpendij haberet hæc aditio & licentiæ impetratio, quam ipſa ſalarij contributio. Liberum igitur erit civitatibus temporaneum, aut perpetuum ſalarium conſtituere, niſi id à Principe jam ſit conſtitutum. Bobadilla *l.5. polit. cap. 4. num. 11.*

Quid ſi ſalarium adeo ſit exiguum, ut nec Magi- 5
ſtratus pro dignitate, nec miniſtri decenter munus ſuum ſuſtinere poſſint? Poterit augeri à civitate, ſiquidem Princeps requiſitus id facere negligat, maxime ſuperveniente rerum caritate & penuria, Menochius *lib.2. arbitr. jud. caſ.514.* addit Molina *de juſt. & jure diſp.83.* æſtimandum eſſe ſalarij augmentum ex opere, & obſequio quod miniſter iſte publicus præſtat, non ex indigentia ipſius. *Plura infr. n. 8. & ſeq.*

At cum dico civitates, ſuis judicibus & mini- 6
ſtris, ex publico conſtituere poſſe ſalarium, intelligo civitates & oppida regia, id poſſe, citra Regis licentiam. Bobadilla *dicto cap. 4. n.64.* non item municipia & villas, in quibus plerumque ſalaria prætoribus & officiatis conſtitui & ſolvi ſolent, ex bonis dominorum habentium ibi juriſdictionem, ejuſque emolumenta. Adeo ut ſi domini hoc ſolvendi onus, ſalaria judicibus à ſe conſtitutis, rejiciant in ſubditos, præſumatur violentia & oppreſſio, niſi domini à tempore immemorali, probent, doceantque populares ſolviſſe ſalaria iſta, quia per lapſum tanti temporis juſte debita & ſoluta præſumuntur, & purgata cenſetur ſi quæ initio fuerit violentia. Bobad. *d. loco, lib. 2. c.16. & citati* à Eſcobar. *de ratiociniis c.27. n.9. & 10.* ubi addit oportere

Digitized by Google

tere judices rationales maxime advertere, cum de liquidandis populorum rationibus agunt, ut perquirant à quo tempore retro communitas voluntarie an involuntarie hujuſmodi ſalaria ſuis judicibus & officiatis præbuerit.

7 Porro in præbendo ſalario attendi debet loci conſuetudo, qualis eſt in Belgio, & vicina Gallia, ut ſportulas quæ in vicem ſalarij ſucceſſerunt, litigatores judicibus ſolvant, propter operam in pervolvendis actis, dictandiſque ſententiis impenſam. Zypæus *de judice lib.2.c.12.* Loyſeau *de officiis l.1. cap.* 8. Quod cum turpe Juſtinianus cenſeret, voluit ut à fiſco Judices ſalaria ſua acciperent, pedaneis exceptis. *Novell.82. c 9. & Novell. 15. cap. 16.* ad exemplar Juſtiniani, Principes noſtri, majoribus judicibus, Præfectis Prætorio, aliiſque in dignitate conſtitutis ſalaria decernunt, *juxta l.2 §.18. ſup. de off. Præf. præt. Africa* & nihil omnino à clientibus accipi volunt. Sed cum ob ærarij anguſtias modò, vix digna ſtipendia ſolvi majoribus judicibus poſſint, connivent Principes ut ea, moderata ſportularum exactione augeantur, quibus non eſſet opus ſi tributa populorum, ſubſidia belli, quæ Principi dantur, in aulicos miniſtros & alias cauſas, tanquam in fumos non abirent.

8 Quod attinet ad municipiorum magiſtratus, & eorum miniſtros, jam dixi, iis ſtipendia, ex juribus urbium, vel pagorum erogari, niſi ad id teneantur domini locorum. Si ſalarium initio ad honeſtam ſuſtentationem fuerit ſufficiens, poſtea vero auctis rerum pretiis non ſufficiat, alendis officialibus, poterunt illi quouſque augeatur, & attingat limites juſti pretij, incrementum aliquod accipere, ſportularum nomine, ab iis in quorum utilitatem officia ſua adminiſtrant: nam lex non patitur laborantes, in paupertate vivere, nec mori in anxietate. *Auth. de hæred. & Falc. in fin.* Item quia miniſtri publici, poſtquam officia acceperunt, ſi ea ſufficienter exercent, non tenentur deſerere, nec poſſunt ſine dedecore, ne publicis muneribus indigni exiſtimentur.

9 * Sin autem eo tempore quo officium ſuſceperunt, jam rerum valor auctus erat, & mutatus, tunc imputent ſibi officiales. *cap. 1. de pactis.* Præſertim ſi eodem tempore reperiantur æque idonei, qui eodem ſtipendio ſe offerunt ad idem munus ſubeundum, etiamſi merces non correſpondeat labori, ſitque inſufficiens ad familiam honeſte alendam, quia ea non erit cauſa juſta aliquid amplius exigendi, vel uſurpandi, per ea quæ tradit Molina *de juſt. & jure diſp. 506.*

10 Quid ſi varium fuerit ſtipendium? Putat Bartolus *in l. magiſtratus 25. ff. ad municip.* id ſolvendum eſſe officiario, quod longo tempore fuit ſolutum, quodque habuit prædeceſſor. *l.14. §.1. ff. de alim. & cib. leg.* At quid ſi collatum ſit officium cum ſalario conſueto? Certe conſuetum non poteſt vocari, quod prædeceſſor immediate percepit, quia unicus actus non inducit conſuetudinem. Proinde exiſtimo quoties fit mentio de conſuetudine, intelligi de longa, non vero de ſalario quod prædeceſſor habuit. *c. Cumana de conſuet.* Abbas *in c. cum in Ferrarienſ. de conſtit.*

TITULUS XXXVII.

Si curialis relicta civitate rus habitare maluerit.

1. *Curiales qui deſerta curia, rus ſe conferunt, fundo privantur, & in patriam revocantur.*
2. *Excipitur niſi virtutis cauſa, & litterarum amore, patriam deſerant, quod faciunt hodie profeſſores.*
3. *Ad magiſtratum nominatus, ſi fugiſſet, cogebatur redire, & onus biennio ſuſtinere.*
4. *Non poterant abeſſe ſine licentia decuriones, nec nunc Rempubl. deſerere qui officiis funguntur.*
5. *Similiter illuſtres non peregrinantur ſine juſſu Principis; jubeantur quandoque commorari in urbibus.*

Si curiales immemores ſuæ civitatis, eam deſerant, & rus habitandi cauſa ſe conferant, eo 1 quod ob ruſticanum prædium, civitatem contempſerint, prædio privantur, ac fiſco id quæritur, *l. un. hoc tit.* ubi exiſtimantur impij cives, qui patriam in qua perſonam gerunt, vitant, & aliò migrant, ut recte dixit Cicero ad Herennium, mutationem loci, & peregrinationem iſtam eſſe ſordidam iis, quorum induſtria in patria eſſe poteſt illuſtris. Ferimur omnes innato quodam affectu in patriam, ut verus civis exiſtimetur is qui patriam ſuam diligit, impius qui eam contemnit & deſerit. * Quod tamen tem- 2 perat Menochius *de præſumpt. lib.5. præſ. 12. num.10.* niſi quis juſtam habeat cauſam patriam ſuam relinquendi; inter cauſas connumerat, ſi quis abſentet ſe virtutis cauſa, quia tunc magis laude, quam reprehenſione dignus eſt, ut egregie probat Plutarchus *lib. de exilio.* qui multos commemorat, qui virtutis cauſa patriam deſeruerunt. Etenim ut antiquitas hanc cauſam ſemper prætulit, ita & hoc ſeculum omni honore dignos eos cives judicat, qui virtutis & ſcientiæ amore, à patria exulant, & in aliena vitam ſuam laboribus, ac periculis exponunt, cum publicam perſonam ſuſtinent, docendo, conſulendo, aut judicando, quod faciunt legum profeſſores & quotquot viri Regis ſunt adminiſtri, in omnibus ejus tribunalibus.

Igitur ſi juſta cauſa, aut publica ceſſet, non poteſt 3 qui in ordinem decurionum aut ſenatorum relatus eſt, locum deſerere, ſecus faciens, præter amiſſionem agri, ad quem ſeceſſit, cogitur in civitatem redire, & ibi integro biennio onera duumviratus agnoſ-

Digitized by Google

agnoſcere, quæ quidem pœna fuit omnium, qui publicorum munerum obſequia tentaverant declinare. *l. 18. ſup. de decurion l. 1. ff. eod. & l. 8. ſup. de ædificiis privat.* * Adeo enim adſtricti erant curiæ ſuæ
4 decuriones, ut ne quidem ad breve tempus, propriç rei vel reipublicæ cauſa, comitatum ſeu aulam Principis adire poſſent, niſi deſiderio judici inſinuato impetraſſent proficiſcendi poteſtatem. *l. 16. & l. 25. ſupr. de decurion.* ubi hac de re dixi. Item primarij decuriones, in provinciis modum tributi in capita & agros definiebant, & exigebant, juxta formam à Præfecto prætorio ad Præſides & rectores provinciarum miſſam, & ſi minus exegiſſent, id ex ſuis bonis ſupplere cogebantur, ob quæ onera (ut opinor) non licebat ipſis ruri habitare, aut ſtationem ſuam deſerere *d. l. un. h. t.* Quemadmodum etiã hodie qui in functione publica ſunt, non poſſunt eam deſerere, aut diu abeſſe, abſque licentia Principis, alias puniuntur amiſſione ſalarij. Quin & illi, qui nullo funguntur munere, quia tamen honeſtiores ſunt, & ſuâ præſentiâ magnam adferunt utilitatem, ſolent in patria retineri, nec ab ea inſcio Principe recedere.

5 Sic Auguſtus referente Dione: *Edixit omnibus Senatoribus, ne quis eorum peregrinaretur extra Italiam injuſſu ſuo.* Idem hodie obſervatur, nam ne illuſtribus quidem licet peregre diſcedere ſine commeatu, quod ſit horum potentia periculoſior. *l. 15. C. de dignitat.* Quia vero plerumque in arcibus & poſſeſſionibus ſuis, ruri habitare malunt potentiores domini, illis neceſſitas imponitur, certis anni temporibus, cum familia in urbibus commorandi, quod ad urbium ipſarum ſplendorem, & vectigalia ſimul augenda ſatis ingenioſe excogitatum eſſe videtur. Gothofredus *ad h. t.* Imò ſi continuo nobiles in urbibus habitarent, fieret, ut illæ amplioribus ædificiis ornarentur, & civium numero augerentur, & in iis plura pro nobilium uſu opificia excitarentur.

TITULUS XXXVIII.

De Municipibus, & Originariis.

1. *Quæ faciunt municipem, & quis talis dicatur.*
2. *Filij originem patris ſequuntur, non etiam avi, non matris, niſi materna civitas hoc permittat.*
3. *Filius regulariter patris originem ſequitur, & in vico natus patriam habet cui ille vicus reſpondet, ejuſque jure utitur.*
4. *Si filius naſcatur per tranſitum, an cenſeatur naturalis ejus loci in quo natus eſt?*
5. *Filius non mutat propriam originem, mutando domicilium, aut patrem aliquò ſequendo.*
6. *Domicilio originis nemo ſe eximere poteſt, & illius ſtatutum præfertur.*
7. *Licet pater ſit externus, filius tamen utitur privilegiis loci ubi natus, ſi eò redeat.*
8. *Domicilium quod venit ex accidenti, non mutat cauſam originis.*
9. *Orige retinetur quoad honores, non quoad munera obeunda ſi quis ſenator factus ſit.*
10. *Alter modus adipiſcendæ originis procedit ex manumiſſione, quæ eſt velut altera nativitas.*
11. *Adoptatus & qui ex eo naſcitur civis eſſe cenſetur ejus loci in quo civis eſt pater adoptans, niſi ab eo emancipatus fuerit.*
12. *Idem dicendum de monacho, monaſterio & capitulo.*
13. *Cives adoptati non gaudent privilegiis civium; & privilegium de civibus loquens intelligitur de originariis.*
14. *Olim Romæ quæ jura conſequebantur in cives aſſumpti & incorporati.*
15. *An expediat exteros & peregrinos aſſumere in numerum civium?*
16. *Domicilium facit municipem, & munera ſubire ubi incola eſt, & unde originem ducit, nec jus originis mutatur, etiamſi à loco abſit.*
17. *Munera recenſentur. Quando ea recuſare poſſit originarius?*
18. *Statuto prohiberi poteſt, ne originarius aliò migret, & revocari à domino poteſt, & puniri ni redeat.*
19. *De conſuetudine, mutando domicilium in perpetuum, quis civis eſſe deſinit.*
20. *Hinc Hiſpanus qui ſe contulit in Franciam animo perpetuò ibi manendi, deſinit eſſe civis Hiſpanus & neutro loco officia regni obire poteſt.*

SEquitur de Municipibus, qui in Municipiis dicuntur habitare, ut cives in urbe & civitati- 1
bus Romano imperio ſubjectis. *Municipibus duas eſſe patrias* cenſet Cicero, *unam naturæ, alteram juris l. 1. de legib.* & Ulpianus municipes inquit, aut nativitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio, aut domicilij electio, *l. 1. ff. ad municip. & l. 228. ff. de V. S.* Proprie municipes dicuntur, quaſi muneris participes, recepti dein fuere in civitatibus, ut communia munera ſubirent. Quanquam nunc etiam eos qui non ſubeunt municipes dicamus, ſuæ cujuſque civitatis cives, ſuntque partim originarij, partim voluntarij, ut incolæ, *de his tit. ſeq.* Originarij, non tam à propria, quam à patris origine dicuntur, *l. 3. h. t.* * Qui ex duobus igitur Cam-
panis natus eſt, patre & matre, Campanus eſt, at ſi 2
pater alterius ſit originis, quam mater, patris, non matris originem filius ſequitur, quamvis in matris natus ſit civitate: nam tunc certè, nativitate propria, verius eſt ejus loci eſſe municipem, non matris cauſa, *d. l. 3.* de qua infra plura. Dico filium origenem ſequi paternam, non avitam, ne alio-

Digitized by Google

qui res abeat in infinitum. Accurſius quem ſequuntur Platea & alij *in d. l. 3. n. 2.* Non obſtat *lex 17. §. 9. ff. de municip.* ubi nepos filij adoptivi ſequitur originem avi, etiam naturalis, quia procedit quando editus eſt in ejus poteſtate. At avo mortuo ſi naſcatur, tantum origo patris inſpicienda erit, ſi modo & hic juſtus ſit. Maternæ originis alia ratio eſt, niſi quo caſu filius ſine patre natus intelligitur, id eſt, matre poſtliminio reverſa & enixa in civitate poſt patrem captivum apud hoſtes defunctum, ut in ſpecie *l. 1. ſup. de captiv. & poſtlim.* Aut ſi filius juſtum patrem non habeat, nam ex eo die quo editus eſt, primam matris originem enumerare debet. *l. 9. ff. d. t. & l. 24. ff. de ſtatu homin.* Legitimatum tamen naturalem, originem patris naturalis ſequi, exemplo adoptivorum voluit Accurſius *in d. l. 3.* Itaque filij legitimi originem paternam ſequi tenentur, interdum maternam, ſi materna civitas hoc habeat privilegium, ut qui legitime concepti ſunt, matris originem ſequantur. *l. 22. l. 29. l. 61. & ſeq. ſup. de decur.* Quæ leges multa ſpecialia favore curiarum diſponunt, *de quib. ſupr.*

3 Igitur qui filius juſtus eſt, patris ſui originem ſequitur, non domicilium, cum in patris perſona domicilij ratio temporaria ſit. *l. 6. §. 1. l. 17. §. 11. ad mun.* quod obtinet ſi jam alibi ſeorſim à patre filius vixerit, & domicilium ſibi conſtituerit, *de quo infr. tit. ſeq.* Porro qui in vico ortus eſt, patriam intelligitur habere, & ortus eſſe ex ea civitate, cui vicus ille reſpondet, *l. 30. ff. d. t.* Adeo ut iſte vicanus paſcuorum iſtius civitatis, poſſit utilitate gaudere; nam æque incola cenſetur, qui in ipſa civitate, ac qui in civitatis finibus, & ſuburbanis habitat, *l. 239. §. 2. ff. de verb. ſignif.*

4 Quæritur ſi filius naſcatur tranſeundo iſtam civitatem, ubi pater neque commorandi, neque habitandi in animo habuit, cenſeatur naturalis ejus loci, in quo natus eſt, vel in quo pater degebat? Bartolo, Paulo Caſtrenſi, aliiſque placuit *in d. l. 3. & d. l. hujuſmodi §. legatum ff. de leg. 1.* filium non ſortiri originem ejus loci ubi tranſeundo naſcitur, & parentes ad tempus ibidem erant manſuri, animo revertendi in patriam, in qua conſtituerant domicilium, quaſi illud prius conſtitutum eſſe oporteat, quam qui civis proprie dici poſſit. Moventur & iſta ratione, quod ea quæ fiunt in tranſcurſu, quaſi nulla habeantur, ita ut hic filius indigena, non dicatur ejus loci, in quo caſu natus, ſed illius in quo pater degebat & oriundus erat. Ita ut unde profectus eſt, peregrinari videatur, inquit textus *in l. 7. tit. ſeq.* & filius civis cenſeatur ejus civitatis, non in qua fortuitò naſcitur, ſed ex qua pater civis eſt, & in qua natus eſſet reverſis à peregrinatione parentibus. Leoninus *conſ. 34. & 44.* qui utrobique dicit hanc ſententiam frequentius probari, eumque ſequitur Chriſtinæus *ad h. t. deciſ. 33.* & Zevallos *comm. contr. com. q. 458.* Sed contraria verior eſt, hunc filium in tranſitu natum ſortiri originem loci, in quo natus eſt, ita ut ſi ibi aliquamdiu habitaverit, pro incola habeatur, & capax officiorum & privilegiorum, quæ naturalibus iſtius loci competunt. Etenim natus in civitate aliqua, ibidem civitatem conſequitur, quam etiam acquirit per baptiſmum, ut docet Amaya *tit. de incolis 47.* Igitur ſi baptiſmus inducit originem, eodem modo & nativitas eam inducet, unde exiſtimo attendendam eſſe potius veram originem filij, quam deſtinationem animi parentis, cum iſta deſtinatio non poſſit illam deſtruere veritatem, ſcilicet filium tali in loco natum fuiſſe, cujus proinde efficitur civis, quamvis per tranſitum in eo loco natus ſit, ſufficit enim eventus ſeu nativitas. Nec huic ſententiæ adverſatur textus *in l. 3. h. t.* quia ut reſpondet Amaya *ſup. n. 53.* non fuit ibi natus filius per tranſitum, ſed contracto matrimonio in materna civitate, & cum ei deferrentur honores & munera in origine paterna, ſeque excuſaret quod in materna civitate natus eſſet, & ſic quod ibidem tantum honores gerere deberet, compellitur in paterna origine munera ſubire: nam cum concurrit origo paterna, & propria, illa quoque eſt agnoſcenda, & interdum anteponenda; non negat tamen lex filium habere originem propriam. Sanchez *de matrim. l. 3. c. 23. ubi plures DD. refert.* & Barboſ. *ad l. hæres abſens §. proinde n. 9. & ſeqq. ff. de jud.*

Igitur quamvis filius paternam originem ſequatur, 5 quoad honores & munera, & judicia ſi ibi inveniatur, non amittit tamen propriam, nec ei etiamſi maxime velit, poteſt præjudicium facere, ſe eximendo, renuntiando, aut alio transferendo domicilium, *l. 4. h. t.* nam jus originis propriæ, quod naturale eſt, non mutatur, licet jus incolatus mutetur, quod civile jus eſt, mutato domicilo. Eoque pertinet quod ait Ulpian. *in l. 6. ff. ad municip.*

Aſſumptio originis non amittitur, neque menda- 6 cio dicentis ſe eſſe unde non ſit, deponitur: nec recuſando quis patriam, ex qua oriundus eſt, nec mentiendo de ea quã non habet, veritatem mutare poteſt, & ſubdit Accurſius, ut vel deſinat eſſe unde eſt, vel incipiat eſſe unde non eſt. Bart. *in d. l. 6. §. filius n. 2.* Boërius *deciſ. 13.* Hinc quando diverſitas eſt ſtatutorum, in loco originis, & domicilij, ſtatutum & mos originarij loci ſemper attenditur, juxta *l. 17. §. 3. verſ. cum ſimul ff. ad municip.* * Potentior itaque 7 eſt cauſa originis, eamque retinet filius. At quid ſi parentes ſint externi ſeu oriundi ex diverſo regno, & filius eos comitatus, diu abfuerit à loco ſuæ originis, utrum ſi aliquando ad illum locum redeat, privilegiis & honoribus ibidem fruatur? Quod affirmo per ea quæ dicta ſunt ſuperiori quæſtione. Quoniã civilitas originis, quæ naturalis eſt, adeo filio adhæret & immutabilis eſt, ut non poſſit rediens non

gaudere

Digitized by Google

gaudere prærogativis, quibus incolę iſtius loci gaudent. Neque enim hic conſideranda eſt diutina abſentia filij, licet enim filius patris originem ſequatur, *d. l. 6. §. ad municip.* id tamen procedit quoad ampliorem filij gratiam, & beneficium, ſi ei expediat (propter bona quæ poſſidet) paternæ originis prærogativa frui. Item non urget quod parentes non venerint animo remanendi, quia ſatis eſt quod in loco manſerint, & filius ibidem natus ſit, ut dicatur originem ſortiri, ut non fraudetur lex, quæ dictat quod ratione originis quis dicatur civis. *d. l. 6. & DD. ad l. 3. h. t.* Franc. Caldas *poſt l. ſi curatorem*, conſilium hac de re ſcripſit, ubi plures auctores refert, & Ant. Faber *in ſuo Cod. lib. 9. tit. 30. deciſ. 24.*

8 Hinc obſerva quod quando in eadem perſona concurrit locus originis paternæ, & locus domicilij, potius inſpiciatur quod prodeſt, & favorabile eſt, non quod nocet; atque ut magis prodeſſe poſſit, adhuc ei remanet originis propriæ locus, ad quem licet confugere, & ſæpe expedit ob favorem. Unde reſponſum eſt à Paulo, quod licet Senatores in urbe domicilium habere videantur, tamen & ibi unde oriundi ſunt, habere domicilium intelliguntur, quia dignitas domicilij adjectionem potius dediſſe quam permutaſſe videtur, *l. 11. ff. de Senatorib.* Ex quo textu Interpretes notant, domicilium quod obtigit caſu aliquo, non mutare cauſam originis. *l. 1. & fin. h. t.*

9 * Interim tamen ſenatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera obeunda municeps eſſe deſinit, quoad vero honores retinet originem, *l. 23. ff. ad munic.* cujus (ut dictũ) cauſa potior, proinde cum eodem tempore non ſint honores in duabus civitatibus, ab eodem gerendi. ubi ſimul utrobique deferuntur, potior erit cauſa originis, *l. 17. §. 4. ff. d. t.*

10 Atque hæc de origine. Sequitur alter modus acquirendæ civitatis, quæ eſt *manumiſſio.* Etenim in civilibus muneribus, ſervus qui manumittitur, propriam manumittentis originem, & civitatis jus quod obtinet conſequitur, *l. 2. h. t.* nam manumiſſio eſt velut imago quædam nativitatis, cum ſervus qui nullus ante habebatur, nec inter homines connumerabatur, jam per manumiſſionem naſcitur in civitate, & ad libertatem producitur. Eo ſpectant varij textus *in l. 6. §. fin. cum ſeq. l. 17. §. 8. l. 22. & ſeq. l. 27. ff. ad municip.* ex quibus & illud colligitur, ita attendendam eſſe manumiſſionis originem, ut ſi defunctus hæredem rogaverit, ut illum ſervum manumittat, hæredis origo, non autem teſtatoris inſpicienda ſit. Quod & Gordiano hic placuit, ut etiamſi à pluribus manumiſſus quis ſit, omnium patronorum conditionem ſequatur, qui libertatem præſtiterint, non qui dari rogaverint, *d. l. 2. in fin. h. t. & 7. ff. d. t.*

11 Porro ut manumiſſio efficit municipem ejus loci in quo dominus erat, ita allectio, & adoptio facit adoptatum ſortiri originem adoptantis, *l. 15. §. fin. cum ſeq. l. 17. §. 9. ff. ad municip. l. 7. Cod. de adopt.* ultra quam adoptatus retinet originem patris naturalis; nam origini paternæ additur alia, non vero mutatur, *d. l. 7.* & poteſt quis duarum civitatum eſſe civis & in utriſque munera ſubire. Similiter ex adoptivo natus iiſdem muneribus adſtrictus eſt, tam in municipio avi naturalis, quam adoptivi, *d. §. 9.* verum is qui ab adoptivo patre emancipatur, deſinit eſſe nõ tantum filius, ſed etiam civis ejus civitatis, quam per adoptionem adeptus fuerat. *l. 16. ff. ad municip.*

Quod de adoptato hic dicitur, produci poteſt ad monachum, ut civis efficiatur illius loci, in quo conſiſtit ejus monaſterium, nam monaſterium, vel capitulum Eccleſiæ, civis quoque cenſetur civitatis in qua conſtructum eſt, quoad ea ſcilicet, quæ eis utilia ſunt, ſcilicet ad paſcua, prata, & ſimilia commoda. Amaya *ad tit. de Incol. num. 68.* 12

Verùm licet ex antiqua conſuetudine, jus adoptandi civis hodie quibuſdam competat, & adoptatus civis & incola fiat, juxta *d. l. 7. h. t.* non ideo tamen jura civitatis plene acquirit, nec magiſtratum illi gerere licet, nam certiſſimum eſt privilegia à Principe conceſſa civibus, vel oppidaneis, ad hujuſmodi adſumptos, vel adoptivos cives non pertinere, qui vi illius adoptionis ea tantum jura conſequuntur, quæ civitas ſuis civibus concedere poteſt, non quæ cives aliunde habent quam ex conceſſione civitatis. Bart. *in l. ſi maritus 15. §. legis Juliæ ff. ad l. Jul. de adult.* Præſertim cum hujuſmodi cives adoptivi, per fictionem tantum cives habeantur. Bald. *in auth. ad hæc C. de uſur. & in l. Cives 11. C. de appellat.* Quod in materia odioſa, qualis eſt privilegij, maxime locum habet, quippe quod nunquam extendatur de caſu vero ad fictum. Adeo ut privilegium vel ſtatutum de civibus loquens, intelligi tantum debeat de civibus originariis, non de adſumptis. Bart. *in l. ſi quis pro emptore 15. n. 33. ff. de uſucap.* 13

* Sic olim aſſumpti in civitatem Romanam ut cives, domiciliũ ac tribum habebant; & jura civitatis, 14
id eſt, libertatem, non agnoſcendi ſuperiorem populo Romano, honorum tamen poteſtatem habebant, cum non eſſent capaces, ut eligerent, vel ut eligerentur, ad magiſtratum. Nec illis eſſent jura Quiritum, nimirum patriæ poteſtatis, legitimi dominij, uſucapionum, hæreditatum. Quin & ſub Imperatoribus, major pars adoptatorum civium non habebant tribum, licet haberent domicilium, quia illis tantum erat jus latinitatis ex l. Ælia Sentia, & lege alia Norbona, Loyſeau *traict. des ſimples dignit. de Rome c. 10. n. 12.* * Optimum foret, ut peregrini &
exteri non promiſcue cooptarentur in cives, ſed 15
certa lege, & numero ne officere Reipublicæ poſſint, ut fit in Venetorum Republica, quæ non recipit omnes advenas, nec eos quos aliæ Reſpublicæ ob cauſas eiecerunt. Periculum enim imminet, inquit Bodinus *l. 4. de republ. c. 1.* cum peregrinis patet

 aditus

Digitized by Google

aditus in urbem, in qua ſenſim opes & incrementa accipiunt, ne cùm opibus & potentia civibus pares eſſe cœperint, pro hoſpitibus recipiantur hoſtes & proditores, qui arcana inveſtigent. Quæ cauſa fuit, cur Imp. Honorius & Arcadius vetuerint, Perſicos mercatores promiſcue nundinas exercere in Imperio Romano, ne arcana videlicet ſcrutarentur, *l. 4. ſup. de Commerc. & mercat.* Igitur ne civitas in factiones ſcindatur, pauciſſimi exteri aſſumendi erunt.

16 Aſſumptus vero in civem quia velut membrum eſt civitatis, cui adſcriptus, ſi in ea domiciliũ habet, incolatus jus ſibi acquirit. *d.l.7.h.t.* & ſubjicitur publicis muneribus, utroque in loco, & ubi incola eſt, id eſt, quo domicilium tranſtulit, & unde originem ducit. *l.1.h.t.* nam incolatus jus, etiam cum domicilio non perimit jus originis, quod eſt naturale, ut dixi ſupra; proinde ſi quis ex aliqua civitate originem ducat, & eandem evitare ſtudens ad aliam ſe civitatem incolatus occaſione contulerit, & precibus aut fraude nitatur originem propriæ civitatis eludere, in utraque civitate onera decurionatus ſuſtinere cogitur, in una voluntatis, in altera originis gratia *l. fin. h. t.* quocumque igitur ſe transferat qui originarius civis eſt, nihilominus ea quæ originis non tantum naturalis, ſed & civilis cauſa debentur, præſtare tenetur, munera ſcilicet & honores. *d.l.1.3.fin.h.t.* Eoque pertinet quod dicit Bartol. *in l.9. §.fin. ff. ad municip.* Pro jure conveniendi & onera ſubeundi, atque bona in loco originis diſtringendi, perpetuum ſemper eſſe, & manere domicilium. Idem Imola & alij *in c.fin.de foro compet.*

17 Honores ſunt dignitates, ſeu magiſtratus. Munera vero ſunt Reipublicæ onera, ut tutelæ, refectiones viarum, adminiſtratio Reipublicæ, exactio tributorum, defenſio civitatis, legatio, & alia civilia onera, quæ commemorantur *in l. 1. 14. & fin. ff. de muner.* quæ tamen onera hodie recte ſubterfugere poterit filius originarius, ſi in loco originis ſint, qui ad ea munera eligi poſſint. Ut obſervat Joan. de Platea *in l.1.h.t.* * Quòd ſi autem ſtatutũ loci propterea quod

18 originarij ſæpe aliò migrant, prohibeat ſub pœnis ne diſcedant, ſolumq; natale vertant, poſſunt domini locorũ ſtatutum executioni mandare, & migrantes cogere ut redeant, vel onus cæteris ſubditis impoſitum luant, maxime cum tranſportatio bonorũ, & imminutio perſonarum dominis ratione ſui juris damnoſa exiſtat. Bart. *ad l. fin. de decret.ob ord. fac.*

19 Quamvis non extante ſtatuto de jure, & paſſim generali conſuetudine, ſubdito libere quo velit abire licitum ſit. *l.5.§ fin.ff.de captiv.& poſtl.* Atque civis eſſe deſinat originarius in iis, quæ concernunt juriſdictionem & munera, ex quo mutavit domicilium, & locum originis, cujus etiam per conſequens jura & immunitates amittit. Math. de Afflictis *deciſ.* 384. Andr. Gail. *lib.2. obſ.36.n.7.& 8.*

Idque obtinet ſi eo animo hic civis locum originis mutaverit, ut in alia provincia domicilium perpetuò figeret, & ibidem maneret, nam ad hoc ut aliquis civis eſſe deſinat, vel non, inſpiciendus eſt animus, *d. l. 5. §. fin. ff. de capt. & poſtl. reverſ.* qui quidem ex variis actibus, & præſumptionibus colligitur. Hinc eſt quod Hiſpanus, qui eo animo domicilium mutavit, ut in Francia remaneret, deſinat eſſe civis Hiſpanus, adeo ut admitti non poſſit ad beneficia, & officia perpetua regni, quæ ſolis naturalibus ibidem habitantibus deferuntur. Neque obſtat domicilium quod ex accidenti venit, non mutare cauſam originis, nam hoc procedi, quando domicilium & origo ſunt in eodem regno, ſecus ſi in diverſo, & externo domicilium conſtituatur, qui locus ſubjectus ſit alteri Principi, quia tunc propter domicilij conſtitutionem, deperditur naturalitas: recedendo namque à nativo regno, nec in eo, nec in externo officia patriæ obire poteſt, etiamſi cum cæteris incolis communia onera ſubeat, niſi tamen ſpeciali decreto ordinis, aut litteris naturaliſationis jus indigenarum impetraverit Rebuff. *3. p. pract. benef. in reg. de idiomate.* 20

TITULUS XXXIX.

De Incolis, & ubi quis domicilium habere videtur, & de iis qui ſtudiorum cauſam in alia civitate degunt.

1. *Quis dicatur incola, advena, civis & municeps.*
2. *Domicilium ubi quis habere dicatur.*
3. *Studioſi incolæ non fiunt, niſi decennio alicubi habitaverint, nec illorum parentes conveniuntur, niſi in loco ſtudij contraxerint.*
4. *Neque filij ſtudioſi munera ſubeunt etiam reverſi in patriam, ſi in jus civium tranſierint, amittunt privilegium, & per actum privilegio contrarium.*
5. *Lapſus decem annorum non ſufficit quamdiu conſtat de animo redeundi, frequentatio loci, aut habitatio negotiandi cauſa, non facit incolam.*
6. *Ex cauſa tamen ſtationis & negotiationis forum ſortitur mercator.*
7. *Domicilium in diverſis locis quando quis habere, vel ſine domicilio eſſe dicatur, aut illud ſortiatur ratione profeſſionis.*
8. *Quando poteſt quis domicilio renuntiare?*
9. *Filiusfamil. originem patris, non domicilium ſequitur, libertus utrumque ſequitur.*
10. *Pupillus domicilium habet ſui tutoris, qui ejuſdem provinciæ eſſe debet.*
11. *Uxor extra locum originis nupta, non deſinit eſſe originaria, ſortitur dignitatem mariti, ejuſque forum retinet vidua.*

12. Se-

12. *Secundò nubens perdit dignitatem & forum prioris mariti.*
13. *Nobilis mulier nupta plebejo efficitur plebeja, niſi ex ſtatuto municipali, inſpiciatur conditio mulieris.*
14. *An in cauſa criminali mulier conveniri debeat in foro mariti?*
15. *Senatores ubi domicilium habeant, & conveniantur.*
16. *Item patroni curiarum, & milites, & qui relegati ſunt.*
17. *Incolatus ut aliquem adſtringit muneribus, ita iiſdem obligatur, & judici ſubjicitur qui poſſeſſionem habet in aliqua civitate privilegiata.*
18. *Ut olim Roma quis conveniri poterat quia communis patria, ita hodie in curia Principis.*
19. *Locus dignitatis non tollit domicilium originis.*
20. *Incola non alio in loco conveniantur, aut munera ſubeunt quam in loco ſui domicilij, deque eo cognoſcit judex illius territorij.*
21. *An qui incola fuit tempore contractus pro debito civitatis conveniri poſſit, ſi alio in loco nunc habitet?*
22. *Hodie indiſtinctè omnes qui erant cives & qui poſtea efficiuntur, oneribus civitatis ſubjiciuntur.*

1 Conſequenter agitur de municipibus voluntariis quales ſunt incolæ, qui in territorio alicujus civitatis habitandi animo commorantur. *l. 3. h.t.* non qui in agro permanent, *l. 35. ff. ad municip.* Quamvis eos etiã incolas appellet Pomponius, qui in alicujus oppidi finibus, ita agrũ habent, ut in eum ſe quaſi in aliquam ſidem recipiant, *l.: 39. §. 2. ff. de verb. ſign.* Interdum incola pro inquilino accipitur, itemque advena, dummodo fixam ſedem elegerit: alias advena, colonus eſt adventitius, qui ſine lare domicilioque aliquo in loco degit, *d.l. 239. §. 4.* Civis autem eſt, qui municeps & municipalis dicitur, quem proprie origo facit, ut ortus ex patre Campano, Campanus eſt municeps, nec emancipatione, vel datione in adoptionem Campanus eſſe deſinit. Municipem quoq; manumiſſio facit, veluti manumiſſus à Campano, Campanus eſt. Incolam vero, ſicut D. Adrianus edicto ſuo declaravit, domicilium facit, *l. 7. h.t.* ubi licet cives opponantur incolis, id tamen debet intelligi in potiore ſignificatione, nam acceptione generali & communiori ſenſu, incolam haberi etiam promunicipe docet textus *in l. 22. §. 2. ff. ad municip.*

2 Si quæris ubi quis domicilium habeat? Dico eo in loco ſingulos id habere, in quo larem, rerum ac fortunarum ſuarum ſummam quis conſtituit, unde reverſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet, unde cum profectus eſt, peregrinari videtur, quo ſi rediit, peregrinari deſtitit. *d.l. 7.*

3 Peregrinari autem & is cenſetur qui ſtudiorum cauſa in univerſitate, aliove loco commoratur, niſi decem annis tranſactis, eo loci ſedem ſibi conſtituerit, ſecundum epiſtolam D. Adriani, *l. 2. h.t.* Nec pater qui propter filium ſtudentem frequentius ad eum locum commeat, domicilium ibi habere creditur, *d.l. 2.* Niſi eo in loco contraxerit, aut ibi ſolvere promiſerit; vel longo tempore illic in fraudem creditorum commoratus fuerit, quia hiſce caſibus poterit ibi in loco ſtudij conveniri & detineri, ut tradit Rebuff. *de privil. ſchol. cap. 77.*

Atque hinc eſt, quod ſtudioſi, qui amore ſcientiæ, in univerſitate approbata degunt, ſi ibidem matriculæ ſint inſcripti, & ſtudioſi habiti, compelli non poſſint ad munera obeunda illius civitatis, in qua ſtudiorum cauſa morantur, quandoquidem ibi non foveant domicilium, ſed illis ſemper ſit animus redeundi. Imò nec reverſi in patriam cogi poſſunt, durante ſtudij tempore, ſubire onera civilia Bart. *& alij ad l. 1. infr. tit. 49.* Gaudent enim regulariter privilegiis academiæ, quamdiu ſeriò ſtudiis incumbunt, nec alteri functioni ſeſe addicunt; Quod ſi autem ſtudioſorum conditionem deſerant, & in jus civium tranſeant, privilegia ipſo facto amittunt, & ſubjiciuntur oneribus, & juriſdictioni civitatis in qua ſedem fixerunt. Bart. *ad l. cum decurionatus n. 3. ſup. de decurionib.* ubi docet contraria voluntate, & per actum contrarium privilegio, illud amitti. Videantur Wameſius *conſ. 20.* Paul. Chriſtinæus *ad h.t. deciſ. 36.* & Nicolaus Burgundus *ad conſ. Flandriæ tract. 3. n. 34.* 4

Porrò quod dicitur tranſactis decem annis, conſtitui alibi domicilium, non procedit quamdiu conſtat de occaſione temporaria, & animo revertendi ad priſtinum locum, ut ſi quis litis proſequendæ, aut mercaturæ exercendæ cauſa, adeò domicilium transferat, aut ſaltem frequentiùs locum aliquem adeat, vel in eo alia de cauſa quàm habitandi degat, incola non cenſetur, ſed advena, cùm ibi non habeat fixum domicilium, *d.l. 2.* Quoniam ſola habitatio incolam non facit, nec igitur adſtringit ad ſubeunda munera perſonalia, vel ad gerendos honores. *l. 3. h.t.* Sicut nec ſola domus comparatio in aliena civitate, aut prædij acquiſitio, licet ex ſubſtantia decurionis, aliquem facit incolam, *l. 4. h. t.* ſed perpetua habitandi deſtinatio, & tranſportatio bonorum, quæ quis in patria habet. Barboſa *ad l. hæres 19. §. fin. num. 103. & ſeqq. ff. de judiciis.* Valaſc. *conſ. 175.* undè Paulus re & facto domicilium transferri dixit, non nudâ conteſtatione. *l. 20. ff. ad municip.* 5

Cæterùm quamvis mercator non fiat incola, nec adſtringatur muneribus, quoad mercaturam, tamen ſortitur forum, in loco ubi ſtationem negotiationis habet, nec poteſt cauſam ad locum ſui domicilij avocare, nec ejus privilegio ſe tueri. Baldus *in l. 19. §. ſi quis tutelam ff. de judiciis.* Caſtrenſis *in* 6

l. 45.

Digitized by Google

l.45.ff.eod. Ex his conſtat forenſia mercimonia, pro extraneo, ac ſeparato patrimonio cenſeri, nulla domicilij, vel perſonæ habita ratione. Undè mercatoris privilegium non extenditur extra domicilium, nam mercimonia, iſtius territorij jure cenſentur, in quo ſunt ſita, aut deſtinata; ſimiliter nomina & actiones ejus loci legibus adſtringuntur, ubi vel contracta ſunt, vel ſolutio debetur, Alexander *conſ. 16. lib.* 1. ad quod confirmandum facit *l. 35. §. 3. ff. de hered. inſt.* ubi res, vel merces ejus loci patrimonio annumerantur, ubi dominus vel paterfamil. eas eſſe voluit. Ideoque merces quæ in provincia comparatæ ſunt, ut Romam veherentur, ſive eò vectæ ſint, ſive non, Italico, non provinciali patrimonio adſcribi, teſtis eſt Ulpianus *ad d. l. 35. in fin.*

7 Quod autem ad domicilium attinet, poteſt quis videri tacitè illud retinere, ſi in quodam municipio, & non in colonia, negotia ſua ſemper agat, in illo vendat, emat, contrahat, eo foro, balneo, ſpectaculis utatur, ibi feſtos dies celebret, omnibus denique municipij commodis, nullis coloniarum fruatur. Undè placuit duobus pluribuſve locis, quem domicilium habere poſſe, ſi omnibus in locis æqualiter inſtructus ſit, nec diutiùs uno in loco quam in alio moretur. *l. 5. & 6. §. 2. & l. 27. §. 1. & 2. ff. ad municip.* verùm ſi quis munus, aut officium aliquod in certo loco exerceat, facilè crediderim intelligi eum ibi ſedem figere, & illi animum non eſſe redeundi in patriam, niſi functio temporalis fuerit, nam tunc ad rationem militiæ, & ſtudij reducitur. Zypæus *conſult. can. l. 3. de ſucceſſ. ab inteſt. conſ.* 1. Itaque domicilij ratio ex animi deſtinatione colligitur, licet difficile ſit, ut Celſus refert *in d. §. 2.* duobus in locis domicilium habere, & ex æquo in pluribus locis negotiari, quemadmodum & difficile eſt ſine domicilio quemquam eſſe, quamvis ſi aliquando quis naviget, vel iter faciat, domicilio relicto, quærens quò ſe conferat, vel ubi conſiſtat, ſine domicilio ſit. Videatur
8 Menochius *lib. 2. arbitr. caſ.* 86. * Cùm igitur tota domicilij ratio, ex voluntate pendeat, indè ejus ratio temporaria eſt, non perpetua, ut originis; proinde origini quis renuntiare non poteſt, at benè poteſt, ſi velit incolatui renuntiare, ſeque aliò transferre, modò ad munera deſignatus non ſit, vel honores non gerat, nam tunc ei non licet antequam his perfunctus ſit, renuntiare. *l. 1. h. t.*

9 Inde fit etiam quod filiusfam. civitatem ex qua pater ejus originem ducit, non domicilium ſequatur, ſi modò filius alibi domicilium habeat *l. 6. §. 1. & l. 17. §. 11. ff. d. t.* poteſt utique non ubi pater habuit, ſed ubicumque ipſe velit, domicilium conſtituere, *l. 3. & 4. ff. eod.* cùm tamen libertus, & qui ex eo naſcitur, patroni originem, & domicilium ſequi
10 debeat. *d. l. 6. §. ult.* * Pupillus verò ipſe ſibi domicilium conſtituere non poteſt *l. 1. ff. de tutor. & curat. dat.* Bartolus autem ſentit eum habere domicilium, ubi cum tutore vel aliter habitavit; Quæ ſententia ita poſſet vera videri, niſi in academiam ſtudiorum cauſa, vel aliò profectus, remanendi animo ibi non ſubſtiterit. Cæterùm in conſtituendo pupillo tutorem, Præſes eum dabit, qui ſit ejuſdem provinciæ, vel ibidem domicilium habeat, quia ſi non ſit ejuſdem provinciæ, unde originem ducit, non poterit eum tutorem conſtituere.

Uxor verò mariti domicilium, & forum ſequitur, 11
atque ibi muneribus perſonalibus fungitur, non item in loco unde originem ducit. *l. ult. §. 3. ff. ad municip. l. un. C. De mulieribus quo in loco.* uxor enim per matrimonium unitur viro, & efficitur ſocia vitæ, atque una caro, cum marito, jure divino. *Gen.* 1. & vidua quamdiu non nubit, priſtinum pudorem marito ſuo conſervat, & ideò illius dignitatem retinet, forum quoque & domicilium ſequitur in domo mariti: dummodò cum illo legitimè matrimonium contraxerit, alioqui enim non ibi fungi muneribus cogi poteſt, unde maritus, ſed unde ipſa orta eſt, *l. 37. ff. ad municip.* ſimiliter deſponſata ante contractum matrimonium, non mutat domicilium ſuum, *l. 32. ff. d. t.* At verò eo contracto legitimè, uxor & domina dicitur, & per conſequens honore mariti erigitur, & genere nobilitatur, *l. 13. infr. de dignit.* Non deſinit tamē eſſe originalis, eo quod nupta ſit extra locum ſuæ originis, & ſequatur domicilium mariti, nam præcipuum ſemper eſt, & manet domicilium originis, quoad commoda & honores. Bart. *in d. l. ult. §. 3.* Cæterùm quod de vidua dictum, id intelligendum exiſtimo, quamdiu illa verſatur in mariti domicilio, quod ſi ad prius reverſa fuerit domicilium, ſecùs judicandum: tunc enim tranſlati domicilij occaſio expendenda eſt. Videatur Covar. *de matr. part. 2. cap. 7. num.* 8. * Quod ſi contra mi- 12
noris ordinis viro nupta dein fuerit mulier, priore dignitate privatur, & poſterioris mariti conditionem & domicilium ſequitur. *l. ult. h. t.* & conveniri debet coram eo judice, cui maritus ſubjicitur. Ant. Faber *in ſuo Cod. lib. 9. tit. 29. def.* 27. dixi à viro tribui dignitatem uxori. Cur non etiam à filio matri? Quia mater non eſt in filij familia, neque etiam in filij gente. * Huc pertinet quod mater nobilis, nup- 13
ta plebejo, nec marito nec filio nobilitatem tribuat, quinimò ipſa nobilitatem perdat, niſi in caſibus à jure expreſſis, aut cùm ex privilegio aut lege municipali origo materna, ejuſque conditio eſt inſpicienda, *l. 1. §. 2. ff. ad municip.* Qua de re plura dicam *infr. lib. 12. t. 1. n. 46. & ſeq.*

Regulariter itaque uxor, & liberi nobilitate pa- 14
tris gaudent, ejuſque privilegiis fruuntur, & ut dixi, in litibus cauſiſque privatis forum mariti uxor ſequitur. *l. 12. C. Theod. de navicul. & l. pen. infr. de ſilentiariis.* Quid in criminibus? Certè ſi uxor crimen homicidij, aut aliud capitale commiſit, de eo cognoſcet judex mariti, cùm l. *ult. h. t.* indiſtinctè uxori tribuat

Digitized by Google

tribuat forum, & honorem ex perſona mariti: confirmat id ipſum *d. l. pen.* In uxore ſilentiarij, ut ſive criminaliter conveniatur, id fieri debeat apud judicem viri, licet enim mulier non ſit capax officij, aut artificij, quo fungitur maritus, ſufficit quod capax ſit honoris, quem gerit maritus à quo accipit omnia, quæ ex honore aut artificio proveniunt, ut obſervant citati ab Amaya *ad d. l. ult. n. 12. & ſeq.* & Ant. Fab. *ſup. d. loco def. 16. & aliis.*

15 Quemadmodùm ergò animo, & facto acquiritur domicilium, ita & illud mutari contingit conditione perſonæ, ejuſve dignitate. Undè fit quod Senatores in ſacratiſſima urbe domicilium dignitatis habere, atque ibi conveniri dicantur. *l. 8. h. t. & l. 2. ſup. ubi ſenat. vel clariſſ.* retinent tamen prius domicilium quoad honores, non quantum ad munera. *l. 23. ff. ad municip.* quæ utique realia præſtare tenentur, non item munera perſonalia, aut civilia. *l. 12. Cod. de exact. tribut.* ubi latiùs. Hodiè conveniri ſolent apud Senatum illum ad quem allecti ſunt, nec aliter cauſa definitur quàm à toto ordine, eoque convo-
16 cato. * Idem tributum curiæ patronis, ut non alium judicem agnoſcant, quàm apud quem patrocinantur. Imbert. *in ſuis inſtit. forenſ. lib. 1. cap. 28.* Miles quoque de jure domicilium habet, ubi meret, ſi nihil in patria poſſideat *d. l. 23. §. 1.* Hodiè cùm multi ſint milites, qui nihil in patria poſſideant, ſolum ubi merent, domicilium videntur habere, quin & de jure ibidem mobilia comparare, aut poſſidere prohibentur, *l. 9. ff. de re mil.* At relegatus in eo loco in quem relegatus eſt, neceſſarium interim domicilium habet, quamvis & illud retineat, undè arcetur, *l. 17. §. ult. ff. ad municip.* Nam & ibi procuratorem habere poteſt, *l. 20. ff. de minor.*

17 In ſumma qui domicilium defixit, in propria civitate, ſive uxoris ſive aliena, incolatus jure, ultro ejuſdem civitatis muneribus obſtringitur, *l. 5. h. t.* Interdum ex privilegio civitati conceſſo quis ob ſolam poſſeſſionem, quam ibi habet, iſtius civitatis muneribus obligatur, prout de civitate Neapolitana meminit Aloiſius Riccius *in ſuis collect. deciſ. 1893. p. 5.* & Grammaticus *deciſ. 87.* Cùm tamen aliàs non niſi originis ratione, aut domicilij mutatione in eoque permanendi voluntate, quis ad munera civilia vocetur, *l. 6. h. t.* Et juriſdictioni judicis ſubjiciatur.
18 * Sed urbs Roma iſto privilegio decorata fuit, ut patria communis cenſeretur, & omnes imperio ſubditi cives eſſent Romani, *l. 33. ff. ad municip.* Adeò ut quilibet Romæ conveniri poſſet, tanquam in ſua civitate: quod privilegium habent hodiè omnes primariæ urbes, in quibus Reges & Principes ſupremi reſident, & curiam ſuam habent, in qua ubi quis ſubditus reperitur, conveniri poteſt, cùm illa curia ſit ſuprema & fons juriſdictionis, cujus etiam auxilium per appellationem imploratur. Verùm id non probat Rebuff. *ad conſtit. regias t. 3. de dom. elect. in præf. n. 7.* quod quis domicilium habere dicatur in loco curiæ, cùm curia Principum ſit inſtàr rotæ, quæ quotidiè volvitur, nec poſſit ideò certum ibi conſtitui domicilium. * At non repugnat quin poſſit is 19
qui curiam Principis ſequitur ibi conveniri, & conventus ſe defendere, ſiquidem per hoc domicilium prius originis non mutet, aut tollat, ſed potiùs aliud honoris, & dignitatis adjicere intelligatur. *DD. in l. 11. ff. de ſenatorib.* Hinc repertus in loco originis conveniri ibi poteſt, licet alibi munere fungatur aut habitet, ut dictum ſuprà, & probat Bart. *ad l. 6. §. filius verſ. 4. caſu ff. ad municip.*

Id nunc etiam receptum eſt, ne incolæ coram 20
alio judice in jus vocentur, quam ſub cujus territorio domicilium fixerunt, propter domum quæ nexu clientelæ obligata, incolas unà juriſdictioni ſubjicit; & ad munera perſonalia ac civilia ibidem vocantur. Si verò aliquis ſe à muneribus exemptum alleget, aut dicat ſe non eſſe incolam, apud provinciæ Præſidem agere debet, ſub cujus cura eſt ea civitas, à qua vocatur ad munera. *l. 37. ff. ad municip.* Contra ſi probatum fuerit, in ea civitate cujus ſe incolam fuiſſe negat, habuiſſe domicilium, aut ibi negotia geſſiſſe, falſa iſta allegatio nihil ei proderit, quo minus ibidem conveniatur, & fungatur muneribus. *l. 2. in fin. h. t.* Quinimò punietur ob mendacium.

Quid ſi tempore contractus initi quis erat incola 21
& civis alicujus civitatis, à qua deinde receſſit? Non dubito quin pro debito & veſtigali iſti loco impoſito conveniri, & ſi alibi reperiatur retineri poſſit, non obſtante receſſu: nam ſufficit cauſam propter quam debitum contractum fuit, habuiſſe originem illo tempore, quo ille erat civis, & onus civitati tunc fuiſſe impoſitum, aut cum ea contractum: ſecùs dicendum ſi non fuerit civis tempore debiti contracti, quia non poteſt videri obnoxius, niſi illic bona habuerit, ex quibus debitum ſolvendum quoque fuerat. * Uſus tamen hodiernus non vide- 22
tur hanc diſtinctionem admittere, cùm paſſim omnes propter debitum civitatis conveniri, & detineri velit, etiam eos, qui tempore contractus, aut impoſiti oneris, in ea non habebant domicilium. Quod certè licet juri videatur repugnare, quo nemo curiæ, aut civitatis oneribus ſubjicitur, qui tempore contractus non erat ejus civitatis, *l. 23. ſup. de decurionib.* Poteſt tamen hic uſus defendi, ut tam illi qui erant cives, quàm qui poſt contractum efficiuntur, æquè adſtringantur pactis, cum ea civitate initis, tanquam membra iſtius communitatis, quæ ſemper eadem eſt, atque eo ipſo quo in numerum civium ſunt relati, eodem jure utantur, oneraque ſubeant communia. Caſtrenſ. *conſ. 455. incipit viſis lib. 1.* Gail. *tract. de arreſt. c. 9. n. 20.* Azevedo *in conſtit. Hiſpan. lib. 6. tit. 14. lib. 10. n. 1. & 2.* Charondas *lib. 11. reſp. 67.*

Digitized by Google

TITULUS XL.

De muneribus & honoribus non continuandis, inter patrem & filium, & de intervallis.

1. *Continuatio, quid munera & honores?*
2. *Deferuntur gradatim honores, conſiderantur perſonæ conditio, ætas, habilitas, origo, facultates.*
3. *Continuare non oportet honores in eadem familia, ut inter patrem & filium, & quare?*
4. *An pater teneatur pro filio minore ſeptennio, qui decurio creatus eſt?*
5. *Infantes ſolebant eſſe decuriones, grandiores ſenatorum liberi ad curiam admittebantur.*
6. *Liberi nobilium quandoque ex gratia ſuccedunt in munus patris defuncti, ad munera conſanguinei ſimul non admittuntur.*
7. *Generaliter prohibetur honorum continuatio, & probatur magiſtratus mutatio.*
8. *Apud pleraſque gentes data eſt vacatio certi temporis repetendis honoribus eiſdem, & quibus illa detur?*
9. *An frater propter fratrem habeat vacationem munerum?*
10. *De quibus muneribus hic agatur?*
11. *Munerum & officiorum continuatio & iteratio fieri poteſt ex neceſſitate, aut voluntate.*
12. *Hodiè ſervatur intervallum triennij & ſæpè fit mutatio magiſtratus, & fit aſcenſus de minore ad majorem.*
13. *An è contrario à majore ad minorem fiat mutatio?*
14. *Qui in minore magiſtratu ſe bene geſſit ad altiorem aſcendere debet.*
15. *Neque volens poterit quis continuare eundem honorem, eodem tempore in diverſis locis.*
16. *Niſi ſit defectus civium in loco.*

1 HActenus dictum eſt de perſonis municipalibus, deinceps dicendum de muneribus & honoribus, quos hæ perſonæ ſubeunt. Munera civilia ſunt onera publica, quæ civibus imponuntur, & proſunt ſingulis ac univerſis, ut dicetur *tit. ſeq.* Honores ſunt functiones publicæ cum adminiſtratione & dignitatis gradu, ſeu potiùs ſunt dignitatis gradus cum adminiſtratione Reipublicæ, abſque erogatione aliqua, *l.14.ff h.t.* aut onere, nam honorem gerenti, munus deferri non poteſt, at munus
2 ſuſtinenti honos deferri poteſt: *l.10.ff. eod.* * Porrò gerendorum honorum, non promiſcua facultas eſt, ſed ordo certus huic rei adhibetur, nimirùm ut non priùs quiſquam majorem magiſtratum ſuſcipiat, quàm minorem geſſerit, & impleverit. *d. l. 14. in fin.* atque ita gradatim, non per ſaltum honores quiſque gerere debet. Natura enim nihil quicquam perfectum illicò producit, neque aliis in rebus ſumma ante officia demandantur, quàm in inferioribus ac mediis data documenta fuerint. Quamobrem ſi lege municipali caveatur, ut præferantur ad honores certæ conditionis homines, id ita accipiendum, ſi illi idonei ſint & jam ante ſe tales eſſe oſtenderint, prout edicto D. Marci continetur, *l.11.ff.h.t.* Conſideranda igitur eſt ætas, habilitas, induſtria & conditio perſonæ, cui defertur honor, ſive muneris adminiſtratio; Item origo natalium, facultates quoque an ſufficere injuncto muneri poſſint. *d.l.14.§.3.*

Prætereà continuare aut repetere honores non 3
oportet, ſed exemplo Fabij Maximi (de quo Val. Max. *lib.4. cap.1.*) etiam familiæ oblatos, recuſare quiſque debet, & petere vacationem, ne ambitionis vitio videatur laborare. Rectè Galba apud Tacit. *lib.1. Hiſtor.* dixit ſucceſſorem in Republica, potiùs quærendum eſſe, quàm in domo propriâ. Quamobrem cùm odioſum & ambitioſum videatur, honores & munera, ab una familia, & domo perpetuò geri, ideò vetitum hic ea continuari inter patrem & filium, quia una eademque perſona cenſentur, *l.1. h.t.* unde ſi pater hoc anno, duumviratu functus fuerit, ſequenti anno filius non eligetur, nec contra pater finito anno filij, ſi videlicet hic etiamnum ſubſit patriæ poteſtati, & in eadem domo cum patre habitet. * Ita ut etiam pro infante
filio, quem ob præclaram indolem, & ſpem de eo 4
conceptam, pater in ordinem decurionum cooptari conſenſit, non cogatur interim, id eſt, quamdiu infans eſt filius, pro eo onera decurionatus ſubire, quoniam ad ea quæ ei mandari poſſunt, videtur conſenſum accommodaſſe, & fidem ſuam adſtrinxiſſe, videlicet pro tempore futuro, cùm ad legitimam ætatem filius pervenerit; nam illi quamdiu infans eſt, nihil mandari poteſt, *d. l. 1. in fin.* quæ pars eſt, *l.21.§.6. ad municipal.*

Solebant enim infantes ſeptennio minores, in
ordinem decurionum adſcribi ex indulgentia Prin- 5
cipis, ob egregiam indolem vel ſtirpem. Cujac. hic. Facit & *l. ult. Cod. De milit. teſtam. & l.13. ff. De decurionib.* quam hic exponit Amaya. Grandiores autem Senatorum liberi, curiam ingredi poterant, & latum clavum gerere, ut iſto honore aucti celerius Reipublicæ adminiſtrandæ aſſueſcerent, quamquam ijs non liceret ſententiam dicere. Illi quoque qui ex officialibus nati erant, in parentum militiam ſuccedebant. *l.1. & 2. infr. De filiis official. milit. qui in bello.* Nam ut benè Patricius *lib. De Republ. Ager committitur indigenis qui cœli ſoliſque rationem per naturam optimè callent, ita ex ſenatoribus orti, munera publica adimplere, quaſi patria avitaque diſciplina didicerunt, eorum imperium longe facilius populus omnis tolerat, nec indignum ſibi videtur*

Digitized by Google

tur filium magiſtratum gerere, cùm meminerint majores ejus eodem munere functos extitiſſe.

6 Similiter hodiè ex indulgentia Principis, ſolent, filij paternam ſequi conditionem, & in officium ſuccedere, ubi ad annos viriles pervenerunt, ſi conſtet eos eſſe induſtrios, & ad munus idoneos. Sed iſta promotionis ſpes, ſive expectativa (ut vocant) non niſi in remunerationem, & præmium paterni laboris dari ſolet, & difficulter concedi, ut inter eos qui de eadem domo ſunt, munera continuentur, aut ut duo conſanguinei, ſimul in magiſtratus ejuſdem ſocietatem admittantur, idque ideò ne colludant, & ut ſuſpiciones corruptelarum tollantur. Ludovicus Charondas *lib.3. reſp.39.*

7 Porrò ſicut inter eos, qui ex eadem domo & familiâ ſunt, ita & inter quoſlibet alios, honorum officiorumque continuatio, & reiteratio prohibita eſt, propter incommoda, quæ ex continuatione proveniunt, nam plerumque hujuſmodi homines, qui eundem magiſtratum ſæpiùs gerunt, aut continuant, inſolentiores fiunt, & diuturniore poteſtate tumidi, cæteros cives tanquàm minùs idoneos contemnunt; undè ſæpè rixæ, & lites oriuntur. Tacit. *lib.2. annal. Si homines annua magiſtratus deſignatione ſuperbiunt, quid ſi honores per quinquennium agitent? quid ſi per omnem vitam?* Quæ verba indicant ſatius eſſe majores magiſtratus annis ſingulis mutari, quam per multos juri dicundo præeſſe: quoniam diuturniores, ut dixi, ſæpè lites excitant, & conſilia ſuggerunt contra publicum ſtatum. Quod verebatur Auguſtus, quamobrem multa nova officia inſtituit, ut plures Reipublicæ partem caperent à Principe, eique magis obſtringerentur per frequentem mutationem. Hanc ſuadet Ariſtoteles in politicis, probat eam quoque *l.1.h.t.* & uſus hodiernus in urbiû magiſtratibus, & aliis officiatis, ſecus in ſenatoribus & conſiliariis regiis, eorumque miniſtris, quos convenit eſſe perpetuos, ut infrà plenius dicetur *lib.12. tit.1. n.10.*

8 Hinc apud Romanos, & eorum exemplo apud alias gentes, conſtituta ſunt intervalla temporum, in repetendis, vel aliis ſuſcipiendis honoribus, & quidem ei qui ab honore ad honorem eundem vellet aſcendere, datur quinquennij vacatio, ad diverſum honorem triennij: legatione autem perfunctis biennij vacatio conceſſa eſt, *l.2.h.t.* navicularijs autem & mercatoribus, quia magnam partem patrimonij in negotiationem ſolent conferre, quinquennij vacatio data eſt. *l.5.ff. De muner. & honor.* Excipiuntur tamen decuriones, quia etſi decurionatus honor ſit, expedit tamen Reipublicæ, ne ab aliis negotiis vacent, cùm potiùs conſilij gratiâ, & ratione oneris, honores gerant *l.5.ff. De vacat. muner.*

9 Cæterùm hoc vacationis tempus non prodeſſe aliis, niſi illis qui ad eoſdem honores denuò vocantur, reſcriptum eſt *in l.1.h.t.* & frequenter conſtitutum intervallâ temporum, quæ in unius perſonâ locum habent, fratribus decurionibus minimè prodeſſe. Quo fit ut licet illi pro indiviſo paternam hæreditatem poſſideant, non ideò frater à munere decurionatus ſuſcepto vacare debet, eò quòd alter frater jam eo munere functus ſit. *l.3.h.t.* cauſa namque civilium munerum ſingulas perſonas reſpicit ſeparatim, ita ut quælibet ſuo nomine teneatur ſubire munus, proinde cùm diverſa ſit perſona unius fratris ab alia, ita etiam eſt diverſa cauſa munerum, quam non potuit confundere communio bonorum, quæ nihil habet commune cum muneribus. *l.52. §. fratres 6.ff. pro ſocio.* Sic præſcriptio temporum, quæ honoribus repetundis, vel aliis ſuſcipiendis data eſt, apud eoſdem ſervatur, non apud alios. *l.17. §. præſcriptio 3.ff. ad municipal.*

Loquimur autem hic de muneribus perſonalibus, 10 & mixtis, non de patrimonialibus. Rurſus de perſonalibus, quæ auctoritate publicâ conſtituta ſunt, qualia ſunt omnia officia aſſeſſorum, judicum, conſulum, fiſcalium, œconomorum, ſilentiariorum, quorum pleraque annalia ſunt: non item de iis, quæ publicâ ſunt auctoritate, & privata utilitate, cujuſmodi ſunt tutela, & cura: nam qui tutor eſt, non excuſatur à munere tutelæ, niſi cauſis, de quibus *Inſt. de excuſat. tutor.* 11 * At verò qui iſtis muneribus, & officiis utilitate ſua publicis functus eſt, eadem continuare, aut alia repetere non cogitur invitus, intra præſcriptum quinquennij tempus. Dico invitus, nam volens poterit non uti ea temporis præſcriptione, cùm ſit conceſſa in favorem. Atque eò pertinet quod reſcripſit Divus Severus, intervalla temporum in continuandis honoribus, invitis, non volentibus conceſſa, dummodò non continuent eundem honorem, quia tunc neceſſarium eſt, ut aliquod intervallum interveniat. *l.18. ff. De municipal.*

Servatur & de more, hoc temporis interval- 12 lum, ita ut qui conſulatu, aut magiſtratu hoc anno functus eſt, vacet ſequenti, aut ſaltem non niſi poſt duos aut tres annos, ad eundem magiſtratum vocetur, ad diverſum tamen admittitur, etiam ad minorem, cùm vir bonus magis Reipublicæ utilitatem quam dignitatem ſpectare debeat, nec officia minora contemnere; non enim virtutibus ex dignitate, ſed ex virtute dignitati honor accedit. Ideo autem parva Reipublicæ officia, ab iis qui majoribus functi ſunt, ſuſcipiuntur, ut tantò ampliùs commendentur. Quod tamen aliqui improbant, cum omnibus innatum ſit aſcendere, non deſcendere, proindè in beneficialibus non probant conſuetudinem, ut qui in altiore gradu fuit, ad inferiorem deſcendat. Rota *deciſ. 3. de conſuet. in novis.* Franc. Marchis *q.1266.p.1.* * Id eſto in Eccleſiaſticis, in 13 Civilibus tamen muneribus non eſt quod quis putet exiſti-

exiſtimationem ſuam diminui, ſi à majoribus ad minora deſcendat, illa enim finita non ſunt, ubi ad ſupremum aliquod pervenerit, inutilis poſthac erit miniſter, ſi aliis inferioribus rurſum ſe impendere recuſet. Licet recta ratio poſtulare videatur ut una cum merito augeantur & præmia, hoc tamen caſu rationi iſti utilitas publica præferenda eſt, quando nimirum ob graves tum obſequij præſtandi, tum boni publici cauſa, non verò ex contemptu ita fieri expedit, ut inferiori aliquo fungatur munere: tunc enim ipſa negotiorum utilitas id reddit honorifi-
14 cum. * Illud autem omnes probant quod in initio dixi, neminem debere aſcendere ad majorem magiſtratum, qui non prius minorem geſſerit, *per l. 14. §. 5. ff. h. t.* neque minorem ſuſcipere, qui non ſit altiore honore dignus, & majore magiſtratu fungi poſſit. Sic enim creſcendi ſpes eum reddet fidum, ac ſedulum, cæteroſque cives accendet, majorque eorum in dies exiſtet copia, quibus in aliqua Reipublicæ parte, regimen civitatis committi poſſit. Præterea rem ſe benè geſſiſſe, in minori magiſtratu oſtendere oportet eum, qui altiorem magiſtratum aditurus eſt, ut Zeno decrevit *in l. 1. C. ut omn. judic.* Borellus *de magiſtr. lib. 1. cap. 16.*

Huc pertinet, quod quamvis aliquis ſponte &
15 volens non excludatur præſcriptione temporis, in diverſis civitatibus, in quibus eſt civis, ab honoribus & officiis publicis; tamen eodem tempore non poterit eundem magiſtratum, vel honorem in utraque civitate gerere. *l. 17. §. 4. ff. ad municip.* Nec diverſum continuare, ſiquidem honor eſt ſine ſumptu, quia incideret in l. Jul. de ambitu, *l. un. C. ad l. Jul. de ambitu.* Secus ſi adminiſtratio eſt cum ſumptu, à qua nemo volens repellitur, ut obſervat Platea & Cujacius *ad d. l. 1.* * Interdum tamen cogit
16 neceſſitas, ut quis etiam invitus ſuſcipiat civitatis regimen, idque ſæpius repetat, propterea quod aliorum civium copia deſit, aut minus ſint idonei ad munera publica exercenda, *l. 3. hic, & plura tit. 41.* Quo caſu etiam extra territorium civitatis, habitantes in ſuburbiis & pagis, eligi poſſe puto, rejecta excuſationis cauſa, quia licet ad onera advocentur, fruuntur intereà privilegiis ipſius civitatis. Quamvis contrarium judicatum fuiſſe affirmet Joan. Papon, *per §. 1. Nov. de deſert. civit.*

TITULUS XLI.

De muneribus patrimoniorum.

1. *Munerum civilium triplex diviſio.*
2. *Quæ ſint perſonalia munera, quæ patrimonialia, & quæ mixta.*
3. *Decaprotia munus patrimonij eſt, item exactio tributorum, & onus hoſpites recipiendi & equos alendi.*
4. *Quale fuerit Protoſtaſia & ſacerdotij munus?*
5. *Indictiones ſunt patrimonialia onera, quæ ſubire omnes debent.*
6. *Sunt & munera quæ ipſis rebus adhærent, & ſuſtinentur ab omnibus poſſeſſoribus etiam qui incolæ non ſunt.*
7. *Cum ſimpliciter indicitur onus, non adjiciendo ex qua cauſa, præſumitur eſſe extraordinarium.*
8. *Effectus utriuſque muneris ordinarij & extraordinarij, quod patrimoniis imponitur, & præſtatur etiam ab externis.*
9. *Patrimonialia munera non niſi nominatim remittuntur, corporalia quibus remittantur?*
10. *Philoſophi cur à muneribus patrimonij non excuſentur?*

MUnerum civilium quædam patrimonij, quæ- 1
dam verò perſonarum eſſe, refertur ab Hermogenia *in l. 1. ff. de muner. & honor.* Arcadius I. C. triplicem munerum diviſionem facit, ut quædam perſonalia ſint, quædam patrimoniorum dicantur, alia mixta, *l. 18. ff. eod. tit.* Quæ tamen omnia una ſignificatione comprehenſa, munera civilia ſeu publica appellantur.

Perſonalia munera ſunt, quæ cum corporis la- 2
bore proviſione, & ſolicitudine animi, ac vigilantia principaliter exiſtunt, & ſine aliquo gerentis detrimento pertractantur, veluti civitatis defenſio, procuratio reipublicæ, tutela, cura adulti furioſi, calendarij curatio, quæſtura tyronum ſeu equorum prodoctio, *d. l. 18.* & ſi qua alia animalia neceſſariò producenda, vel res perſequendæ ſint. Item curſus vehicularis, ſolicitudo, & angariarum præbitio, & cura emendi frumenti, & olei: nam & harum ſpecierum curatores creari moris eſt *d. l. 18. §. 5.* Quin & inter perſonalia munera numerantur in quibuſdã civitatibus, calefactio publici balnei, ſi ex reditibus civitatis curatori pecunia ſubminiſtratur: Item cura cuſtodiendi aquæ ductus, item qui ad faciendas vias eligi ſolent, perſonale munus ſuſtinent, cùm nihil de proprio patrimonio, in hoc munus conferant. Item qui rebus venalibus præſunt, quique annonam curant, ſuſcipiunt, exigunt, vel erogant, exactores quoque pecuniæ, pro capitibus, perſonalis muneris ſolicitudinem ſuſtinent, *d. l. 18. §. qui annonam.* Prout etiam illi qui eligi ſolent ad colligendos civitatum publicos reditus, cuſtodes quoq; ædium, Archiotæ, ſive archivorum cuſtodes, vel Logographi, vel Tabularij vel Xenoparochi, & Irenarchæ qui corrigendis moribus præficiuntur, & Limenarchæ, de quibus *infr. tit. 75.* Qui omnes muneribus perſonalibus adſtringuntur.

Patrimonialia munera cenſentur, in quibus ſump- 3
tus maximi poſtulantur, *d. l. 1. §. 3.* & damno adminiſtrantium expediuntur. Ut apparebit ex patrimonialium munerum diviſione infra. Mixta denique ſunt,

Digitized by Google

ſunt,quæ corporale miniſterium habent, & non ſine detrimento gerentis, adminiſtrantur, qualia hodiè ſervitia nuncupamus,olim erant munera Decaprotiæ & Icoſaprotiæ,nam decaproti,& icoſaproti tributa exigentes defectorum fiſcalia detrimenta reſarciunt. *d. l.* 18. §. *mixta.* ubi pro eo quod in Florentinis legitur *defunctorum*, legendum *defectorum*, ſiquidem & defectorum detrimenta decaproti ſarciant. Ejuſmodi detrimenta æquiſſimè noſtri Principes noluerunt in privatum quemquam rejici: quę tamen Græci juniores Imperatores Nicephorus Logotheta, & Baſilius Porphyrogoneta rejicienda in ditiores ſanxerant. Ita Cedrenus, & Zonaras *l.* 3. *annal.* Puto tamen verius decaprotiam, & indè decaprotos, quibus onus exigendi tributa imponitur, magis ad patrimonialia munera referri, quod & Ulpianus affirmat *in l.* 3. §. 10. *ff. d. t. de muner.* Hinc etiam exactionem tributorum,itemque munus hoſpitis in domum recipiendi, patrimonij onus eſſe ibidem dicit *in* §. 11. *&* 14. Quod quidem ſuſtinent etiam illi qui immunitatem munerum publicorum conſecuti ſunt *l.* 3. *h. t.* Planè & equos curiales(curules Cujacius legit) alere patrimoniale munus eſt, non perſonale. *l.* 4. *h. t.*

4 Munera quoque protoſtaſiæ,& ſacerdotij,vel decaprotiæ,patrimonij eſſe non ambigitur.*l.* 8.*h.t.*Eaque munera principales,& primipilares obire,atq; ſuo periculo exactiones,& cenſuum diſtributiones facere cogebantur. Sacerdotia hic exiſtimo accipi pro redditibus,qui pendebantur ſacra facientibus,ſicut hodiè beneficia,quæ ſacerdotibus conferuntur, *l.* 17.*ff. de muner.* & *honor.* Patrimonialia hæc munera ſunt, quia cum erogatione & ſumptu conſiſtebant. Nam & ipſi ſacerdotes ex redditibus quos accipiebant,cogebantur in ludis edendis in honorem Deorum impenſas facere, *l.* 75. *l.* 145. & *l.* 176. *C. Theod. de decurion.* Vide quæ de hiſce ſacerdotibus *ſup. de off. Comitis orientis*, ex Cujacio retuli.

5 Sunt quoque patrimonialia munera, indictiones, quæ ad tempus ex improviſo indicuntur,veluti angariæ belli tempore, aut equi, muli, veredi, *l. ult. h. t.* atque hujuſmodi obſequia, hi qui municipes & incolæ ſunt agnoſcere coguntur, *l. ult.* §. 21. *ff. de muner.* & *honor.* Item Sacerdotes & Eccleſiæ, ut faciliùs obſequiis publicis ſubveniatur, *l.* 11. *ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* * Alia ſunt munera quæ non

6 indicuntur, ſed ipſis rebus adhærent, & ideò pro omnibus rebus iſto loco ſitis præſtari debent ab ipſarum rerum poſſeſſoribus, licet non ſint iſtius loci incolæ. *l.* 6. §. *ult. ff. d. t.* & *d.* §. 22. ſic ut forma indictionis, quæ extraordinariè fit, differat ab ordinariis patrimonialibus, quia in his ſolùm æſtimantur res illius loci, quas quiſque poſſidens ibi habet, in extraordinariis verò æſtimantur res patrimonij civium, vel incolarum ubicumque ſint.

7 * Quando verò onus ſimpliciter indicitur non adjecta cauſa, magis eſt ut extraordinarium cenſeatur, à quo excuſantur illuſtres, ſenatores, & alij de quibus agit *lib.* 12. *infr. de excuſ. muner.* quod autem extraordinarium munus eſſe credatur, indicat *d. l. ult. h. t.* quæ habet poſſeſſores omnes debere ſolvere ea, quæ muneris patrimonij ſunt, ſi conſtet munera eſſe patrimonij, ac proinde cùm ex tali indictione, ubi non inſeritur certa cauſa,non poſſit conſtare onus eſſe patrimonij, quod ab omnibus agnoſci debet, judicandum eſt illud eſſe extraordinarium. * Igitur munus hoc patrimoniale extraor- 8
dinarium,quod ex improviſo imponitur,nec ſingulis annis recurrit, ut eſt collecta, tantum à ſubditis & incolis præſtatur pro facultatibus. *l.* 1. *h. t.* At onus patrimoniale ordinarium, quod poſſeſſionibus perpetuo adhæret, ab omnibus etiam non ſubditis, modò in loco aliquid poſſideant, ſuſtinetur. Item ab iis qui immunitatem meruerunt, *l.* 2. *hoc tit.* quoniam ea immunitas coarctatur quoad munera perſonalia. *l.* 3. *h. tit.* * Nam realia, itemque pecu- 9
niaria munera, quæ patrimoniis publicæ utilitatis gratia imponuntur, ut omninò remittantur, opus eſt ſpeciali Principis conceſſione. *l.* 10. & 11. *ff. de vacat.* & *excuſ. mun.* Corporalia ſæpè remittuntur, niſi ſint tutelæ, quas neceſſe eſt nominatim remitti, *l.* 17. §. 2. & 3. *ff. de excuſ. tut.* Fœminis ipſe ſexus corporalia munera denegat, quò minùs honores, aut perſonalia munia injungantur, at patrimonialia ſubeunt, ubi habent poſſeſſionem, *l.* 9. *h. t.* ibi Cujac. & *l. un. infr. tit.* 61. Hiſce quoque patrimoniorum muneribus ſubjugari ſolent etiam minores ætate. *l.* 7. *h. t.* itemque majores: nam neque ætas 70. annorum, neque plurium liberorum numerus, excuſationem præſtat à muneribus, quæ impenſas exigunt. *l.* 5. *h. t.* & *d. l.* 7. * Fruſtra proinde 10
plenam immunitatem deſiderant Philoſophi liberaliumque artium Profeſſores, cùm patrimonialia munera quæ ſumptu expediuntur, ſubire eos neceſſe ſit, etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam aſſeverationem detegunt. *l.* 8. §. *pen. ff. de vacat.* & *excuſ. mun.* eleganter hic Diocletianus cuidam Philoſopho deſideranti immunitatem, reſpondit, Profeſſio & deſiderium tuum, inter ſe diſcrepant; nam cum Philoſophum te eſſe proponas, vinceris avaritiâ,& rapacitate,& onera quę patrimonio tuo injunguntur, ſolus recuſare conaris, quod fruſtra te facere, cæterorum exemplo poteris edoceri. *l.* 6. *h. tit.* Niſi itaque nominatim conceſſa fuerit immunitas, quiſque tenetur ad ea onera quæ expediuntur ſumptu aliquo; ad corporalia verò & alia munera ſordida non obligantur Profeſſores, qui ſe frequentes, ac Reipublicæ utiles præbent, *d.* §. *pen.* quin etiam immunes ſunt ab angariis & hoſpitio militum. *l.* 10. §. 2. *ff. d. t.* ut latiùs dicetur infrà *tit. de profeſſ.* & *medic.*

TITULUS XLII.

Quemadmodum civilia munera indicuntur.

1. *Quæ ſint munera civilia & publica?*
2. *Servanda lex quæ certum ordinem in gerendis magiſtratibus præſcribit, & cavet ne unus ſæpius oneretur, utque gradatim aſcendatur.*
3. *Qui omnia munera & honores geſſit eoſdem repetere ampliùs non cogitur, niſi ſit civium penuria.*
4. *Quando non eſt copia civium, poſſunt in officiis continuari. Item ex vicis & ſuburbiis idonei advocari.*
5. *Quid in oppidis ubi dividuntur officia, inter nobiles & cives?*
6. *Ne plures ejuſdem familiæ aſſumantur ad officia, quæ habent juriſdictionem. Annua adminiſtratio Conſulum, & eorum eligendorum forma.*
7. *An electus impeditus per objectiones ſibi oppoſitas, ſi interim elabatur tempus, poſſit officio ſuo fungi?*
8. *Plura officia eodem tempore quis habere non poteſt.*
9. *Quid ſint angariæ & perangariæ.*
10. *Plures Magiſtratus nemo gerit, nec ultra modum ſumptuum oneratur in ſubeundis muneribus.*

1 HÆc omnia munera, quæ trifariam ſuprà diviſimus, una ſignificatione comprehenduntur:
nam perſonalia & patrimoniorum, & mixta munera, civilia, ſeu publica appellantur, quibus muneribus civitati, ejuſque publicæ utilitati proſpicitur;
ſuntque publica, auctoritate & utilitate, ut magiſtratus, duumviratus, decurionatus, *l. ult.* §.28. *ff. de muner. & honor.* habentque hæc munera dignitatem annexam, & honorem. *l.2. h.t.* Alia ſunt quæ utilitatem privatam concernunt, ut tutela, cura, officium ſyndici, œconomi civitatis, & alia quæ dignitatem non habent, neque de his hic agitur, nam tituli hujus ſumma eſt, docere ea quæ in indicendis, decernendiſque honoribus & muneribus ſervari debent, ut videlicet gradatim honores deferantur. * Sic ſi lege municipali caveatur,
2 ut præferantur in honoribus certæ conditionis homines, ea erit obſervenda, ſi idonei illi ſint, utque inter hos ordo is ſervabitur, ne unus ſæpiùs eundem honorem repetat, aut idem onus ſuſtineat. Ideò Præſes provinciæ curet munera, & honores in civitatibus æqualiter per vices, ſecundùm ætates & dignitates injungi, atque gradus munerum honorumque, qui antiquitùs ſtatuti ſunt, obſervari, ne ſine diſcrimine, & frequenter iiſdem oppreſſis, ſimul viris, & viribus Reſpublicæ deſtituantur, *l.3. §.15. ff. de mune. & honor. & l.1. h. tit.* Itemque provideat, ne quiſquam majorem magiſtratum gerat, priuſquam minorem ſuſceperit. *l.11. §.1. l.14. §. 5. ff. De muner. & honor.* Ideò apud Livium *l.* 32. Tribuni plebis ſe interpoſuerunt, ne T.Quintius Flaminius ex Quæſtura ad Conſulatum pertingeret. *Jam*, inquiebant, *ædilitatem præturamque faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes, nobiles homines tendere ad Conſulatum, ſed tranſcendendo ad media, ſumma imis continuare.* Nec in civilibus tantùm, ſed etiam militaribus officiis, per gradus ad honores eundum eſt. Unde Martem Gradivum Feſtus dictum cupit. Rufus *diu manipularis, dein centurio, mox caſtrenſis præfectus.* Tacitus *l. 2. & lib.* 3. de Tiberio refert, noluiſſe nepotes ſuos promovere niſi gradatim. Unde Druſo tribunitiam poteſtatem *non properè contulit, ſed per octo annos capto experimento.* Meliùs enim imperare novit expertus, & qui per gradus aſcendit ad ſummum. Videretur caſum appetere, qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus, per abrupta quærit adſenſum.

Cæterùm majoribus honoribus functus, ad mi- 3
nores deſcendere, aut iterum geſtos honores repetere non compellitur, *l. 2. h. t.* ſatisfeciſſe enim videtur qui ſe omnibus muneribus functum adſeverat, ut non debeat ad eadem munera iterum revocari, niſi in ſubſidium, ſi aliorum civium copia deſit, qui obſequiis civilibus fungi poſſint, *l. 3. h. t.* eò pertinet reſcriptum Impp. *in l. 52. ſup. de decurion.* & D.Adriani, quod habet, ut ſi alij cives non ſint idonei, qui muneribus fungantur, ex his qui jam functi ſunt, denuò creentur, *d. l.* 14. §. *ult.* * Neceſſitas enim omnem immunitatem ex- 4
cludit, & legibus derogat. Quò fit ut hodiè paſſim in minoribus civitatibus, ubi non eſt civium copia, aut ſunt minùs idonei ad regimen civitatis, ſoleant qui functi ſunt altiore honore, eundem repetere, aut ad minorem deſcendere. Quinimò ea civium penuriâ & neceſſitate premente, advocari ex ſuburbiis & vicis poſſunt ad Rempublicam adminiſtrandam idonei, cùm membra quaſi ſint iſtiùs diſtrictus, & privilegiis cæterorum civium fruantur, ut dixi *ſup. tit.* 40. *in fine.* Licet Novella Conſtitutio 15. *cap.* 1. indicet ſolùm habitatores civitatis, ad regimen eſſe aſſumendos. * Iis quoque in locis ubi 5
honores & officia dividuntur inter nobiles, & plebeios, ſi non ſit competens numerus nobilium, ut inter eos intervalla temporum poſſint cuſtodiri, ſolent iterum eligi non ſervatis temporis intervallis, aut continuari in regimine obtento priùs conſenſu regio ejuſque diplomate, ut bene obſervat Garcia *de nobilit. Gloſſ.* 35. *num.* 67.

Cavendum tamen, ne plures ejuſdem familiæ, ad 6
officia aſſumantur, quæ habent juriſdictionem annexam, qualem hodiè apud nos habent jurati, alibi ſcabini dicti, propter inconvenientia quæ inde poſſent evenire. Horum adminiſtratio ubi civium copia

copia eſt, annalis eſſe ſolet; niſi ob contumaciam, quod munus ſuſcipere ſubterfugerint, duplicetur in pœnam tempus, exemplo duum virorum Romanorum. *l.* 18. *ſup. de decurionib.* ſed rari illi ſunt, qui declinant munus, quod præeminentiam in cæteros, & utilitatem habet annexam. Solent autem iſti jurati & Conſules à concilio decurionum legitimè congregato, & convocato nominari, & certi
6 eligi, ex quibus Princeps, ejuſque Præfectus prætorio deſignat magis pro tempore utiles, aut continuat eos qui adhuc in functione iſta ſunt, non ſaltem ultra biennium aut triennium: cujus mentionem fecimus *ſup. tit.* 31. *in fin.*

Quid ſi electus impeditus fuerit fungi officio?
7 Quod fortè illegitimè ſit electus, aut non potuerit eligi, tanquam incapax, & interim lite pendente lapſum ſit totum tempus officij, non ſurrogabitur ei aliud tempus, etiamſi litem vicerit, quoniam finito tempore, alia ſucceſſit adminiſtratio, eſtque alia opera unius temporis, alia alterius. Quod procedit, ut quamvis injuſtè ab aliquo tertio fuerit impeditus, non redintegretur tempus, quia habet contra impedientem recurſum, *l. fin. ff. de eo per quem fact. erit. l.* 23. *§.* 3. *ff. ad l. Aquil.* Bart. *in l. ſi ſtipulatus eſſem ff. de verb. oblig.* quem ſequuntur Salgado *de regia protect. c.* 11. *n.* 54. Maſtrill. *de magiſtr. l.* 1. *c.* 21. *n.* 90. *& c.* 23. *n.* 56. Valaſcus *conſult.* 155. Ego quidem exiſtimo electum pendente lite, non poſſe exercere officium, *arg. l.* 8. *ff. de re mil.* ubi qui ſtatus controverſiam patitur, non poteſt interim nomen militiæ dare, quia debet eſſe ingenuus, ita & hic electus capax officij: at verò ſi miſſus jam ſit in poſſeſſionem officij, illudque cœperit exercere, nec ſtatim facta ſit oppoſitio, in poſſeſſione inchoata retinebitur, *& ne ipſi tempus regiminis inutiliter elabatur*, ut dicitur *in c. fin. ✠. de judiciis*, ab electoribus confirmabitur. Amaya *ad d. l.* 2. *Cod. de decurionib. n.* 25. *& ſeqq.*

8 Porrò ſi ipſe electus detrectet officium ſibi injunctum, ſeque non jure ad illud electum dicat, & ad nominationem alterius corporis pertinere docuerit, in cauſa vincet, quia ſatis eſt quod patriæ ſuæ oneribus reſpondeat, cui ſe attributum eſſe commemorat. *l.* 1. *h. t.* ubi is qui alterius curiæ erat, rectè detractavit munus curatoris ad colligendas angarias in loco alieno, & cui non ſuberat; non enim quis poteſt ad munera vocari in pluribus collegiis, quando exercitium, ſeu functio unius eſt impedimento exercitio alterius. *l.* 1. *§. fin. ff. de colleg. & corp. ibi DD.* * Angarias Alciatus vocat munera quę
9 incolæ ſubeunt propter carros: puta ad vehenda, revehendaque inſtrumenta bellica. Pyrrus verò angarias eſſe dicit, onera præbendi nunciis equos ad curſum publicum; noſtri hujuſmodi curſitatores, poſtas appellant. Hinc perangarias vocamus præſtationes equorum, mulorum ad res Principis in expeditionem conferendas. Itē munera ad belli uſum, quæ à militibus fieri ſolent. Vegetius *l.* 2. Gudelinus ſecutus Suidam angarias & perangarias ſcribit eſſe voces origine ſua Perſicas, coactam quandam ſervitutem denotantes. *lib.* 5. *de jur. noviſſ. c.* 3. *verſ. ſeptimus locus.* Dum aliquis cogitur ad onera per iter portanda, ſeu vehenda, ſive corpore ſuo, ſive jumento, ſive plauſtro, ſive curru. Camillus Borrellus *in additionib. ad Bellugam Rub.* 46. *in §. donum.* 39.

Igitur præſidis provinciæ eſt, proſpicere ne quis 10
alterius curiæ, ad alieni corporis munera vocetur, neve etiam provincialis aliquis, quantumvis exercitatus, uno in loco, aut in diverſis duo officia habeat aut plures ſimul magiſtratus gerat. *d. l.* 1. quandoquidem præſentia & reali miniſterio quævis functiones deſiderent; & onus iis injunctum, plus ſatis unum hominem occupent & gravent. Denique præſes curabit, ut munera & honores in civitatibus æqualiter juxta ordinem, ætates, dignitates, ac gradus munerum injungantur, ne relevatis aliis civibus, tenuiores graventur ultra modum ſumptuum faciendorum, *l.* 4. *h. t.* nam ſi modus in ſubeundis muneribus non ſervetur, tandem continget (quod initio dixi) viris, & viribus Rempublicam deſtitui, *l.* 3. *§.* 15. *ff. de mun. & honor.*

TITULUS XLIII.

De his qui ſpontè publica munera ſubeunt.

1. *Qui aliquem honorem agnovit ſpontè, immunitatem non amittit.*
2. *Qui ſe patitur decurionem creari, videtur renuntiare privilegio immunitatis.*
3. *Conſervat jus ſuum proteſtando, aut paciſcendo. In quibus actibus proſit proteſtatio, & in quibus non?*
4. *An per unicum actum contrarium ſuo privilegio, quis illud amittat.*
5. *Probatur per actum unicum privilegio contrarium non perdi privilegium.*
6. *Quantum temporis requiratur ut cum actibus privilegio contrariis, eidem derogetur.*
7. *Quod ſi immunis permittat ſe ſcribi in matricula ſolventium, nec reclamet.*
8. *Quid de eo qui in poſſeſſione eſt nobilitatis, & non ſolvendi tributa, ea tamen ſciens ſolverit?*
9. *Functio voluntariè ſuſce, ta ab exemplo, eum nec liberos obligat in futuram, ſed benè ad reddendas rationes.*
10. *Curia ſpontè ſe deferens, ſolum ſe, non liberos obligat, qui nec ad quartam curia tenentur.*
11. *At ſi naturales filios curia offerat, oneribus obnoxij manent, & tota poſteritas.*

SEcunda pars eſt de immunitate, id eſt, de vaca- 1
tione munerum, de qua id reſolvitur, quod is, qui publici muneris vacationem habet, ſi aliquem hono-

honorem, excepto decurionatu, ſponte ſuſceperit, ob id quod patriæ ſuæ utilitatibus ceſſerit, vel gloriæ cupiditate pauliſper jus publicum relaxaverit, impoſterum competens privilegium immunitatis
2 ſibi conceſſæ non amittit. *l. 2. h.t.* * Excipit decurionatum, nam ſi quis quantumvis veteranus decurionem ſe fieri paſſus ſit in patria, immunitatem amittit, *l. pen. §. ult. ff. de jur. immunit.* niſi de immunitate ſervanda pactus ſit, aut partem tantùm decurionatus agnoverit, puta ad aliquos honores ſuſcipiendos, nam à cæteris honoribus & corporalibus muneribus excuſabitur; *l. 1. h. t.* Servanda itaque conditio eſt, quâ quis dum numero decurionum
3 adſcriberetur, ſeſe obſtrinxit, *l. 1. ff. d. t.* * Itemque proteſtatio initio facta hic conſideranda, quod non intenderit miles exiſtens, aut veteranus ſibi nocere, vel præjudicium facere ſuæ exemptioni: quoniam iſta proteſtatio conſervat proteſtanti privilegium, quod habet immunitatis, ne ei videatur renuntiare, *d. l.* 1. ubi poſt Bart. Garcia *de nobil. gloſ. 5. n. 6.* & Amaya ſcribunt proteſtationem conſervare jus, in actibus meræ voluntatis, non item in coactis, cùm quis cogitur à lege, vel homine quid facere, tunc enim nihil prodeſt proteſtatio, ſed alio remedio appellationis, vel querelæ utendum eſt. Idque apertè probat textus *in l. 1. §. 2. ff. quando appell. ſit.* ubi qui ad aliquod munus vel honorem vocatur, cùm dicit ſe habere excuſationem, non aliter allegare poteſt cauſas immunitatis ſuæ, quàm ſi appellationem interpoſuerit, intra dies decem connumerandos, à die muneris impoſiti, aliàs iis elapſis conſenſu ſuo nominationem confirmaſſe videbitur, *l. 1. C. de appel.*

4 Hinc quæritur an per unicum actum contrarium privilegio, illud amittatur? Varias hic citati auctores adferunt diſtinctiones, ſed veriùs eſt aſſerere per actum unicum privilegio contrarium, non induci amiſſionem privilegij, quoad uſum futuri temporis, ſed ſolùm quoad illum actum particularem, quo contra privilegium egit: quod probatur *per d. l. 2. & 3. h. t. & l. 12. C. de excuſ. tut.* ubi is qui immunis eſt à tutela, non ob id quod ſponte eam ſuſcipiat, privilegiis ſuis derogat. Et clariùs *per l. 2. ff. de privileg. veter.* ubi privilegium immunitatis à muneribus alicui conceſſum non labefactatur, ſi voluntate ſua honorem, aut munus ſuſceperit,

5 Addit Gloſſa non labefactari; quo minùs ipſe & ejus liberi immunes perſeverent in aliis, quia nimirùm non intelligitur amiſſum privilegium in ſe, & in ſubſtantia ſua, ſed tantiſper ei derogatum quoad illum actum. Nec obſtat. *l. ult. ff. de privil. veter.* ubi veterani qui excuſantur ab aliquibus muneribus, ſi paſſi ſunt ſe in ordinem legi, muneribus fungi coguntur: quia non loquitur de aliis muneribus ad quæ electi non ſint, nec eos cogi poſſe ut iterum eligantur, ſed ſolùm teneri ſubire iſta munera, ad quæ ſe eligi paſſi ſunt. Igitur immunis qui ſuo privilegio non utitur, ſed officium aliquod oneroſum ſponte ſuſcepit, aut paſſus eſt ſe ad id eligi, cogitur etiam onus huic officio annexum implere, nec auditur ſi velit ſe excuſare ab officio antequam tempus totum effluxerit. Attamen quod contra privilegium egerit, non propterea cenſetur ei derogaſſe, niſi in eo quod actum eſt, non autem ſibi præjudicare voluiſſe in futurum.

Attamen ſi privilegiatus nihil faciat, aut opponat, quo videatur actus priores retractare, privilegium ſuum amittet etiam in futurum, legitimo interveniente tempore, quod ad præſcriptionem ſufficit. Tempus hoc regulariter eſſe ſolet decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, prout requiritur in præſcribendis juribus incorporalibus. Covarruv. *l. 1. var. 17.* Alij ut in aliis præſcriptionibus contra Eccleſiam quadraginta annorum tempus deſiderant *per c. accedentibus de privil. & c. de quarta de praſcript.* Sed verius eſt in hac præſcriptione, utpote contraria privilegio, minus tempus ſufficere *per cap. ſi de terra* ꝟ *de privileg.* ubi Pontifex tempore tringinta ſcilicet annorum contentus fuiſſe videtur; vel quia non conſideravit præſcriptionem ut puram, ſed ut conjunctam voluntariæ renuntiationi privilegij, quæ facilitare videtur præſcriptionem; vel quia per præſcriptionem contra privilegium res revertitur ad jus commune, & ideò breviori tempore fieri debet, *arg. l. 27. §. 2. ff. de pact.* Suarez *lib. 8. de legib. c. 35. per tot.* 6

Unde infertur non eſſe veram eorum ſententiam qui aſſerunt eum qui immunitatem habet à tributis, amittere ſuum privilegium, ſi cùm ſciret ſe adſcriptum matriculæ ſolventium, non reclamaverit, ſed tributa à ſe exacta ſolverit, quia hoc privilegium immunitatis, à tributis, nobilitati competens non niſi legitima præſcriptione deperditur. 7

Hinc Garcia *de nobilit. gloſſ. 6. n. 33. & ſeq.* concludit, quod qui in poſſeſſione eſt nobilitatis, & per tempus à ſtatuto præſcriptum, non ſolvit tributa, etiamſi poſtea fecerit actus contrarios, non propterea decidat ſua poſſeſſione, & jure, quod longa majorum ſerie eſt continuatum & completum, atq; ita etiamſi ſæpiùs ſciens tributa ſolverit ut plebejus, & deſcribatur in matricula plebejorum, retinebit tamen majorum ſuorum privilegium: Niſi illud reiteratis ſolutionibus per tempus legitimum triginta annorum paſſus ſit perimi, cùm enim ſolutionum actus ſint reiterabiles, ideò ſpectandum eſt tempus legitimum. Amaya poſt Garciam. *ad l. 1. h. t. n. 35.* & ante eos Bart. *ad d. l. 1.* & Alexander *conſ. 136. n. 10. l. 2.* 8

Ex prædictis colligitur, quod ſi quis conditioni non obnoxius curiali, quemlibet honorem, vel munus voluntate propria in aliqua geſſerit civitate, ex qua oriundus non eſt, non ideò ſe vel bona ſua, vel 9

poſteros

poſteros obligat in futurum, ad idem vel aliud curiæ munus ſubeundum, nec ullum præjudicium circa ſtatum ſuum ſuſtinet; ratione tamen ſuſceptæ functionis, ſi apud liberos ejus quædam remanſerit pecunia reſidua, eam reddere, ejuſque rationes conficere tenentur. *l.3.h.t.* ex qua colligitur non ſatis eſſe rationes reddere, ſed & reliqua inferre oportere.

10 * Addit inſuper Juſtinianus, liberos ejus qui ſponte ſua ſe curiæ obtulit, immunes eſſe à publicis functionibus iſtius loci, quamvis ſint procreati poſt ſuſcepta munera à patre, ſive ea de re convenerit inter patrē & decuriones, certa lege & pacto ſervandæ liberis immunitatis, ſive non convenerit. *l.4 h.t.* Neque ex hujus voluntarij curialis patrimonio, quarta pars curiæ debetur, de qua dictum *ſup.tit.34.* vel dodrans hæreditatis ſecundum *Novell.38. & 89.* Bona namque ejus non obligantur curiæ, interim hæredes illius, vel extranei, pecuniam vel quantitatem ſolvere debent, quam defunctus debuit rationibus curiæ inferre ex quacumque cauſa. * Excipit

11 Imper. filios naturales ex ingenua concubina natos, quos ſi pater curiæ ſuæ civitatis obtulerit, ſeu adſcripſerit, juſtos effici, & jura legitima in paterna ſucceſſione conſequi, jam ſupra docui *per l.3. 4. & 9. de natural. liber. & Novell. 89.* Atque iſta deditio perſonalis non eſt, ut ſuperior, ſed rem & poſteritatem tenet, ita ut non tantum ipſi filij naturales, qui curiæ patriæ ſuæ dati ſunt, ſed & eorum poſteritas maſcula, obnoxia ſit, curiæ muneribus, & maſculis non exiſtentibus quarta pars bonorum curiæ debeatur, vel non exiſtentibus fœminis, quæ curialibus nuptæ ſint, ut ad finem hujus *l. 4.* ſupplendum eſt ex ſententia *l.2. & ult. ſupr. quando & quibus quarta pars, & Novell. 38. & 89.*

TITULUS XLIV.

De his qui à Principe vacationem acceperunt.

1. *Vacatio à muneribus alia eſt perpetua, alia temporaria, utraque non niſi à Principe conceditur.*
2. *An non etiam à judice conceſſa teneat?*
3. *Non facilè à Principe concedenda vacatio, quia tendit in injuriam ceterorum.*
4. *Quibus concedatur vacatio ad tempus?*
5. *An vacationis conceſſio per Principem facta, dicatur perpetua?*

1 SUnt quædam conceſſiones Principum, quæ vacationem vel excuſationem à muneribus Reipublicæ vel municipij præbent, idque in perpetuum vel ad tempus. In perpetuum eximitur quis, etiam à muneribus patrimonialibus, ſi nominatim id Princeps in ſua conceſſione expreſſerit, *l. 11. ff. de vacat. muner.* Ad tempus conceditur reſcripto Principis vacatio ex veris & approbatis cauſis, veluti propter morbum aut inopiam. *l.unic.h.tit.* * Ab alio 2 quàm principe, ut puta à judice conceſſa immunitas illicita eſt, & nulla, niſi cauſa ob quam petitur, contenta expreſſaque ſit in corpore juris, quia tunc poterit ea allegari, & judex habitâ cauſæ cognitione, per ſuam ſententiam declarare, hujuſmodi vacationem, & immunitatem alicui competere, ut docet Piſcator *in l. nemo 14.n.1.& 2. ſup.de decurion.* Quidquid contra ſentiant Platea, & alij ibidem.

* Aliàs ſi lege expreſſa, cauſa concedendæ vacatio- 3 nis non fulciatur ne quidem ad breve tempus, aut ad civium cæterorum aſſenſu, aut Principis reſcripto, impetrata valebit, quantum ad ordinaria munera. *l. 14. 19. 28. 43. in fin. ſup. de decurionib.* Imò & quoad extraordinaria non facilè Princeps quibuſdam immunitatem concedet, quoniam id tendit in diminutionem publici ærarij, vel quod verius, in injuriam cæterorum civium, qui tantò magis gravabuntur, prout dicitur *in l.omnes Cod.Theod. de luſtr. collat. Beneficium quibuſdam datum, plebis injuria eſt.* Nihil enim pulchrius quam ut omnes ſubditi, æqualiter pro conditione, & facultatibus munera Reipublicæ ſubeant, nihil etiam utilius quàm à legum obſervatione neminem eximi, utque omnes uno ſpiritu regantur, & ducantur.

Quo fit, ut non niſi ex veris & probatis cauſis, 4 immunitatis conceſſio procedat, ut habet lex noſtra, veluti quia quis morbo detinetur, facultatibus deſtituitur, numero liberorum gravatur, aut quia Reipublicæ cauſa abeſt, aut procurat patrimonialia Principis, nam quamdiu aliquis adminiſtratione detinetur, excuſationem & immunitatem munerum habet temporalem. *infr. tit. 47.*

An non in dubio vacatio à Principe conceſſa ſit 5 perpetua? Id ex mente DD. diſputat Rebuff. *ad h. l. un.* Et ſi ſimpliciter conceſſio facta ſit, non videbitur perpetua, ſed temporalis, tanto videlicet tempore duratura, quamdia durat cauſa, ob quam conceſſio facta eſt, *l. 1. infr. de Profeſſ. & medic.* At ſi cauſa impulſiva ob quam conceditur vacatio ſit perpetua, durat conceſſio etiam ceſſante iſta cauſa, *l.2.§.ult. ff. de donat.* In dubio ſi cauſa concernat utilitatem impetrantis, præſumitur impulſiva, ſed ſi concedentis, vel tertij, finalis. *l. ſi in legatum ff. de legatis 3.*

TITULUS XLV.

De vacatione publici muneris.

1. *Vacatio ſimpliciter conceſſa, ad ordinaria non porrigitur.*
2. *Ad extraordinaria munera ſi compellatur is qui habet*

Digitized by Google

habet vacationem, appellare & ſumptus recuperare poteſt.

3. *Hodie ſumptus facere, & reficere vias ante ſuas ædes quiſque tenetur.*

1 DIctum eſt à quo concedatur vacatio, nunc quid conceſſa operetur dicendum. Reſcriptum quo ſimpliciter conceſſa eſt immunitas, tantum porrigitur ad ea quæ ad tempus extra ordinem indicuntur, non ad ordinaria munera, *l.un.h.t.* inter quæ cenſetur onus recipiendi hoſpites, milites, vel nobiles curiæ, & ſimiles, niſi ſpeciali juſſione id fit remiſſum. Oportet enim ut nominatim remittatur, quod ex-
2 preſſa lege imponitur. * Quo pertinet Papiniani reſponſum *in l.8.§.3. ff. de vacat. muner.* Qui publici muneris vacationem habet, per magiſtratus ex improviſo collationes dictas rectè recuſat, eas verò quæ à lege fiunt, recuſare non debet, nec poteſt non tantum ſi à lege, ſed & ſi Senatuſconſulto, vel conſtitutionibus Principum injungantur ordinaria munera, qualia ſunt patrimonialia. *l.2. ſup. de muner. patr.* At verò ſi ad munera extraordinaria, ut eſt munitio viarum, compellatur is qui publici muneris vacationem habet, appellatione interpoſita, poterit apud Præſidem juris rationibus protegi. *text. hic & in l.6. ff. de vacat. muner.* Et ſumptus quos hoc nomine fecit, recuperare. *l. un. infr. de ſumpt. recur. l.2. ſup. de decur.*

3 Hodiè ſumptus iſtos ferre debet, cùm quiſque teneatur in urbibus & pagis ante ſuas ædes, vias ſtratas munire, quo facit *l.1.§ 3. ff. de via publ.* Publicas verò vias, areas, forum, macellum, reficit Princeps, aut civitas, quæ de his aliquid tributi colligit. Plerumque tamen iſtos ſumptus ferunt urbes, ideoque ſolent certa vectigalia colligere, permiſſu aut conniventia Principis. Verùm Siculus Flaccus regales vias publico ſumptu muniendas reficiendaſque eſſe ſcribit, & nos plura *infra.*

TITULUS XLVI.

De decretis Decurionum ſuper immunitate quibuſdam concedenda.

1. *Decurionum decreta quomodo fiant, & cujus juſſu fiat convocatio.*
2. *Quo ordine & modo vota proferantur, & hodiè in curiis rogentur?*
3. *Quotus numerus decurionum faciat concilium, & num is qui præeſt, habeat ſuffragium?*
4. *An teneatur præſes curiæ ſequi & exequi decretum à majore parte curiæ prolatum, ſi videatur eſſe æquius quod minor pars decrevit?*
5. *Si quis ſe gravatum ſenſerit, poterit à tali decreto appellare ad eundem judicem, licet is decretum approbaſſe videatur id exequendo.*
6. *Improbantur ambitioſa decreta, quænam talia ſint?*
7. *Decuriones non poſſunt onera civitatis remittere, nec valet pactum de liberando poſſeſſore fundi à tributo.*
8. *Quibus perſonis immunitatem concedere poſſint?*
9. *Civitas concedere nequit immunitatem, nec ob benemerita, ſolus Princeps.*
10. *Si jus non reſiſtit, poteſt civitas concedere certis caſibus immunitatem ſuis civibus.*

DEcurionum decreta firma ſunt, & ſtabilia, quæ 1
ſpectant publicam Reipublicæ ſalutem, ut de conſtituendis medicis, quorum electio ordini cujuſque civitatis permiſſa eſt, non Præſidi provinciæ. *l.1. ff. de decret. ab ordi. faci.* Et quod ſemel ordo decrevit, reſcindi non poteſt niſi ob cauſam, quæ Reipubl. conducat. *l.5. ff.d.t.* Et dummodò legitimè & ſufficienti numero decuriones conveniant, *l.2. h.t.* ſiquidem lege municipali cautum ſit, ut ordo non aliter habeatur, quàm duabus partibus adhibitis, *l.3.d.t.* & convocatis juſſu Præſidis, ad ſonum tubæ vel campanæ. *l.2. ibi gloſſ. ſup. de decur.* vel voce præconis; quâ in re ſervanda eſt cujuſque loci conſuetudo, vel ordinatio.

Porrò in dicenda ſententia, hic ordo obſervaba- 2
tur in municipiis, ut qui pluribus eodem tempore ſuffragiis, decurionis jure decoratus fuerat, & plures liberos habebat, primus rogaretur ut ſententiam diceret, cæteroſque ordine præcelleret. *l.6.§. ult. ff. de decurion.* Idem ferè ubique ordo ſervatur, ut qui dignior eſt, altiore loco ſedeat, & priùs ſententiam dicat, dein ſequentes ſervato ordine, quo curiæ adſcripti ſunt. At in ſupremis curiis, ſine ordine vota rogantur, prout quiſque relatori proximus aſſidet, imò quandoque juniores ſententiam ſuam priùs proferunt: Idque viva voce, nervoſe tamen ac breviter, quia veritas in paucis conſiſtit, nec oportet prudentioribus, dicendi locum auferre, ut alibi dicit Rebuffus. Sic Romæ illuſtres Senatores viva voce ſententiam dicebant. *l. fin. ff. de Senatorib.* Inferiores magiſtratus & municipales legitimè convocati, ad interrogationem ejus qui curiæ præerat, vota ſua in cauſis majoris momenti ſcripto proferebant, in levioribus viva voce, & quod duabus curiæ partibus placuiſſet, in tabulas referebatur, eratque hoc decretum ratum, firmumque. *l.3. & 4. quod cujuſque univer. nomin.*

Hodie ſunt qui dicunt ſubſiſtere decretum ordi- 3
nis, aut concilij, etiamſi minor numerus, quàm duæ partes decurionum, fuerit congregatus, qua in re ſervanda erit loci conſuetudo. Azevedus *in curia Piſana l. 1. c. 2. n. 5.* Addit Bobadilla *l. 3. polit. c. 8. n. 170. & ſeqq.* eum qui præſidet Concilio ſuffragium

Digitized by Google

gium non habere, ſed officio ejus incumbere ut aſſiſtat, audiat, dirigat, & exequatur, ea quæ ad regimen civitatis decreta ſunt per decuriones, quorum vota ſiquidem in partes numero æquales diviſa ſint, poterit judex illi parti adhærere quæ ſententiam dixerit æquiorem. Debet, inquit Cicero *Phil. 2.* unuſquiſque rectiſſimam, æquiſſimamque ſententiam dicere, tametſi ſolus in ea ſingulariſque futurus ſit, nec enim ad eum pertinet rei exitus, ſed conſilium & ſuffragium optimum.

4 Hinc quidem exiſtimant Præſidem curiæ non teneri ex majoris partis ſententia rem decernere, ac pronuntiare, ſed poſſe quandoque, id quod à ſaniore parte decretum eſt, quodque & ipſi æquum videtur executioni mandare, *per c. 1. & 2. de his quæ fiunt à major. cap. coram de elect. ibi. quæ majori & saniori parti*, ſiquidem pars iſta, æquioris doctrinæ ratione nitatur, magiſque appoſita ſubjectæ materiæ. At cum nunc potius numerentur, quàm ponderentur ſuffragia, ea judex exequetur quæ à majori parte ſunt prolata, ſive ea concernant materiam gratiæ, ſive juſtitiæ, aut totius communitatis regimen: nam quod ad omnes ſpectat, ab omnibus convenit approbari, & curiæ Præſidem, id ſequi, & exequi quod pluribus placuiſſe conſtat, aliâs orientur diſcordiæ, & lites, quas ſopire judex debet, & curare ut omnia pacatè procedant.

5 Verùm quamvis judex, aut civitatis Prætor, approbaverit majoris partis decretum, idque executioni mandaverit, ſi contingat tamen aliquem gravari hujuſmodi decreto, poterit nihilominus coram eodem judice cauſa gravaminis ventilari in judicio, per viam appellationis, aut aliter, & judex hic decernet quod æquiùs & meliùs videbitur, & hoc in caſu appellatio habet effectum devolutivum, & non ſuſpenſivum, nec tam attenditur numerus majoris partis, quàm ſanioris ratio, & auctoritas ponderatur. Franc. Marc. *decis.* 1035. 2. *p.* & Bobadilla *d. l. num.* 180.

6 Caveat tamen judex prætextu æquitatis, ordinis ambitioſa decreta approbare, nam talia utpotè ſacris Principum conſtitutionibus improbata, nullam habent firmitatem, *l. 2. h. t.* Ambitioſa decreta eſſe dicuntur, cùm decurionum ordo quid largitur ex publico, ſine utilitate publica, aut remittit debitum gratis liberando debitorem ab ære, aut tributo quo obſtrictus eſt Reipublicæ *l. 4. ff. de decret. ab ord. fac.* ibi Bart. Pactis enim privatorum jus publicum lædi, aut forma juris fiſcalis convelli non poteſt. *l. 28. & l. 42. ff. de pactis.*

Hinc nullæ ſunt conventiones, aut promiſſiones
7 de liberando poſſeſſore fundi, ab ordinario tributo quod fundo adhæret, nam poteſt ſemper fiſcus & Reſpublica eum urgere ad ſolutionem, quâ oneratur poſſeſſio, adeò ut etiamſi fiſco ſatisfecerit, nulla competat actio poſſeſſori adverſus eum cum quo convenit, *l. 1. ſup. ſine cenſu vel reliq. fund.* Quia inutilis eſt conventio, atque eo ſolùm caſu valet, quo inter debitorem & creditorem inita eſt, ut creditor onus tributi fundi pignorati, non agnoſcat, ſed ejus ſolvendi neceſſitas ad debitorem ſpectet: nam ſi fiſcus ſolutionem tributi à creditore uti poſſeſſore exegerit prout poteſt, non obſtante tali conventione *d. l. 42. ff. de pact.* Creditor habet regreſſum ex vi conventionis adverſus debitorem, atque ab eo recuperat contributiones, quas fecit cauſa fundi pignori nexi, *l. 52. §. 2. ff. de pact.* cùm ille non proprio, ſed debitoris nomine poſſideat, qui manet uti dominus obnoxius hujuſmodi oneribus. *l. 25. §. pignus ff. De pign. act. l. 9. Cod. eod.* quæ cùm publica ſint, & Reipublicæ debita, non poterit decurionum ordo ea remittere, aut debitorem liberare.

Permiſſum quidem eſt decurionum ordini decretis ſuis, antiſtitibus liberalium artium, & medi- 8
cis, immunitatem præbere. *l. 1. h. t.* & ſalaria de publico conſtituere. *d. l. 4.* quod & in Profeſſoribus aliis litterarum, & Doctoribus legum receptum eſt, *l. 6. infr. tit. 52.* Igitur his exceptis nemini decreto decurionum immunitas, aut ſalarium tribui poteſt. *d. l. 1.* * Unde nec à tota communitate, nec à perſona in dignitate conſtituta, ob merita & 9
in compenſationem ſervitiorum, alicui immunitas concedi poteſt, cùm illius conceſſio ſit ſupremi Principis, ſine qua ex publico non licet ſalarium præbere. *l. 1. ſup. tit. 38.* nec ſtatutum facere, quod legi deroget, requirit enim id abſolutam poteſtatem, quam non habet civitas. Joan. de Platea *ad d. l. 1.*

Poteſt quidem illa induſtrium aliquem artificem, quo caret, præmio, & ſalario publico allice- 10
re, & compenſare ſervitia communitati ab aliquo præſtita, *cùm virtutum præmia tribui merentibus conveniat*, ut ait Theodoſ. Imp. *in l. fin. Cod. de ſtatutis & imag.* At verò immunitatis decretum concedere non poteſt civitas, ſed ſolus Princeps cui debentur munera, & functiones tributariæ, nemo enim de re aliena diſponit rectè. Amaya *tit. de immun. nemini conc. in fin.* Loſæus *de jure univerſ. cap.* 10. Natta *conſ.* 304. *lib.* 2. Surdus *conſ.* 419. *num.* 17. *lib.* 3. qui tamen omnes cenſent civitatem poſſe non ſolùm vacationem à perſonalibus, & ſordidis muneribus concedere perſonis in dignitate conſtitutis, juxta *l. 6. in fin. infr. tit. 52.* ſed etiam immunitatem in caſibus à jure expreſſis iis perſonis, ex quarum induſtria maxima utilitas Reipublicæ provenire poteſt, ſi nempè civitas hanc facultatem concedendi immunitatem à Principe acceperit, aut eo jure uſa ſit, immemoriali tempore. Guttierrez *lib. 1. pract. quæſt.* 85.

Digitized by Google

TITULUS XLVII.

De excuſationibus munerum.

1. *Continuatio, & quod à perſonalibus muneribus concedatur vacatio, non item à patrimonialibus.*
2. *A perſonalibus conceſſa immunitas probanda eſt, nulli ex nuda aſſertione competit; Ne quidem hydraulæ, aut artifici.*
3. *Protectores & præpoſiti laborum, qui dicantur, & de eorum privilegiis, qui hodiè tales?*
4. *Procuratores Principis interim quod ejus patrimonium procurant, excuſantur, non etiam procuratores abſentium Reipublicæ cauſa: nec illi qui nunc in Parlamentis agunt.*
5. *Advocati qui conſilio, & milites, qui patriam tuentur, excuſantur, non venatores, qui non ſunt ſimul milites.*
6. *Illuſtres, Senatores, Curiales, Notarij Principis, Rhetores, Eccleſiaſtici non ſubeunt munera extraordinaria, aut ſordida.*
7. *Emphyteutæ Principis non præſtant onera extraordinaria, ſive ad tempus ſive in perpetuum ſint conſtituti.*
8. *In emphyteuſi conceſſa à Principe poſſeſſores domini ſiunt.*
9. *Officia habentes in aula Principis eique ſervientes immunes ſunt, quales ſunt lintearij, parthicarij purpurarij, &c.*
10. *Item negotiatores qui annonam procurant & vehunt.*
11. *Conductores vectigalium fiſci excuſantur.*
12. *Tutor vectigalia non conducit, nec excuſatur à muneribus publicis.*
13. *Quæ dicantur munera ſordida.*
14. *An privilegium quo quis excuſatur à muneribus, tranſeat ad ſuos hæredes vel extraneos.*
15. *An privilegium conceſſum per viam contractus ſit irrevocabile, & tranſmiſſibile ad hæredes?*
16. *Quæ ſit diſtinctio inter privilegium conceſſum poſteris, aut alicui pro ſe & deſcendentibus.*
17. *Immunitatis privilegium alicui conceſſum, an ſit reale, vel perſonale?*
18. *Exemptio quæ datur Eccleſiaſticis non ſolvendi vectigalia perſonalis eſt, non realis, ut non tranſeat ad emptores. Dictio in perpetuum, ad vitam reſtringitur.*
19. *Juriſdictio alicui conceſſa in aliquo caſtro, an tranſeat ad hæredes.*
20. *Juriſdictio eſt de novo impetranda, niſi quæ conceſſa per modum contractus.*
21. *Excuſationes munerum publicorum, quatenus per appellationem ſunt proponendæ.*
22. *Non poteſt quis ſe liberare à munere injuncto, offerendo pretium.*
23. *Judex non poteſt indictiones imponere, aut plus ſolito exigere abſque juſſu Principis.*
24. *Item hodiè obſervatur apud nos, & in vicina Gallia.*

DIctum eſt in fine ſuperioris tituli, & *tit.* 44. & 1
aliis titulis, immunitatem à Principe concedi; nunc de cauſis, quibus ad id moveri poſſit, agitur, & quibus excuſationibus illi quibus munera indicuntur, uti poſſint, & cum triplicia ſint munera, de perſonalibus & mixtis, hic potiſſimùm tractatur, non verò de patrimonialibus, quia ab his pauciſſimi excuſantur, *l. 3. ibi gloſſ. ſup. de muner. patrim.* & non niſi ex ſpeciali Principis indulgentiâ. Ab omnibus verò muneribus aliquem excuſari, nullibi ſcriptum invenio, cùm etiam Imperator, & Auguſta, quædam talia ſubeant. *l. 2. infr. tit. ſeq. & l. 1. ſup. tit. 27.*

Imò nec tam facilè è perſonalibus muneribus 2
conceditur vacatio, neq; ex nudâ aſſertione, conceſſa præſumitur; cùm interſit Reipublicæ neminem eximi ab illis, quo fit, ut qui ſe immunem dicit, probare debeat immunitatem ſibi jure fuiſſe conceſſam, ut dicitur *in l. 4. h. t.* ubi Hydraulæ, quales ſunt, qui ingenioſo artificio, per aquam ſonum ſuavem reddunt, inſtar organi. Cujacius & Gothofredus hic (non quia aquam cuſtodiunt, & deferunt ad aulam Principis, ut voluit Accurſius & Pyrrus *in rubr. h. t.*) aſſertam allegationem immunitatis probare debent, licet videantur liberalem artem profiteri; quia non omnes qui eam profitentur, ideò obtinent immunitatem, ſed qui eam ſibi à Principe, aut lege datam, probare poſſunt. *d. l. 4. & l. 1. ſup. de immun. nemini conced.* Igitur licet ingenioſi ſint artifices, & liberalem artem, Reipublicæque utilem exerceant, oſtendere debent indulgentiam ſibi conceſſam à muneribus civilibus, & perſonalibus.

Certis quoque dignitatibus, data eſt à Principe 3
immunitas iſtorum munerum, uti his, qui ex protectoribus, & domeſticis ſunt; aut ex præpoſitis, *l. 2. h. t.* ubi intelligunt Impp. Præpoſitos laborum, qui nimirum laboribus ſuis effecerunt ut immunitate & dignitate honoraria perfruerentur. Ex quibus antiquiores ad ſimilitudinem decem primorum domeſticorum comitabantur Principem, tanquam ſacri lateris cuſtodes, atque ſtipendio & privilegiis quibus Senatores honorabantur, ut licet colligere *ex l. 4. Cod. Theod. de privil. eor. qui in ſacro pal. l. 7. & 8. Cod. Theod. de domeſtic. l. un. C. de præpoſ. labor.* Sunt etiam hodie protectores, & prætoriani milites quibus committitur cuſtodia Principis, aut Regis, & ſtipendium ex ærario ſolvitur, & immunitas aliqua conceditur, ſed iis non accedit dignitas, manet illa, eaque maxima penes illorum præfectum, quem Hiſpanicè vocamus *Capitan de la guarda del Rey, de quo infra lib. 12.*

Præter

Digitized by Google

4 Præter relatos qui induſtriâ ſuâ, aut labore, munerum vacationem ſunt promeriti, alij hic ex ordine recenſentur, qui ratione muneris, & officij ab iiſdem civilibus muneribus excuſantur, veluti procuratores Principis, ſive Cæſaris, qui actu patrimonium procurant, non qui procurarunt; hi enim muneribus quæ dignitati eorum congruunt fungi debent, *l. 1. h. tit.* cum ceſſet procuratio, ob quam immunitatem acceperunt, quo pertinet *l. athleta 6. §. gentium ff. de excuſ. tut. tribuit immunitatem à tutelâ, quoad in præſidatu ſunt.* Illi verò qui aliorum procurationem gerunt, etiam abſentium Reipublicæ cauſa, civilium munerum vacationem non habent. *l. 6. h. t.* Licet eam habeant ipſi abſentes cauſa Reipublicæ, *l. 1 infr. de profeſſoribus & medicis.* * Et
5 quamvis in ſupremis curiis procurationem ſuſcipiant, & negotia affectent, non ideò erunt immunes à muneribus, nec à tutela, quæ eſt munus publicum. *l. 1. ff. de vacat. muner. l. 15. §. 12. ff. de excuſ. tut.* Spartianus *in Gordiano* ſcribit ſummi muneris loco familiæ Gordiani tributum fuiſſe à Senatu, ut ſi ejus poſteri vellent, à tutelis vacarent. Addit Guido Papæ *q. 89. & q. 399.* Parlamentorum procuratores non excuſari à ſubſidiis, aliiſve oneribus, ſecùs advocatos, quorum munus publicum eſt & honorificum, ut conſtat ex variis Conſtitut. *ſub. tit. C. de advocat. diverſ. jud. & tit. de poſtul.* Æquum enim eſt, ut ab omnibus muneribus perſonalibus excuſentur, qui pro utilitate publica operas ſuas exhibent, *l. 5. §. 12. ff. de jure immunit.* Porrò ut advocati per aliud munus à ſuo officio avocari non debent. *l. 6. C. de advocat. div. jud.* Ita nec milites à ſuis ſignis, & ſi gravioribus implicentur muneribus, ſubeſt cauſa legitima excuſationis, niſi in eorum fraudem nomen militiæ dederint. *l. 4. §. ult. ff. de muner.* aut non tam ſint milites, quàm venatores, qui feris provincias purgant, nam hi ob hanc profeſſionem ſolam non conſequuntur immunitatem *l. 6. h. t.* Debet enim exercitium venandi, cum militia eſſe conjunctum, ut præſtet immunitatis privilegium. At ita accipienda eſt *l. ult. ff. de jure immun.* Quæ venatoribus tribuit immunitatem, qui cum tali officio etiam erant milites. Venationem enim à militibus fuiſſe exercitam colligimus *ex l. 1. C. Theod. de venat. ferar.* De qua *infra*.

Conſilio patriam defendunt & juvant Senatores,
6 conſiſtoriani quoque milites, notarij, Principis legati, allecti, ſeu deſtinati ad publicum munus, & cubicularij omnes, quorũ facultates à muneribus ſordidis, & extraordinariis relevantur. *l. 12. h. t.* Communicatum hoc privilegium etiam aliis illuſtribus perſonis. *l. ult. h. t.* Item magiſtris Scriniorum, ac iis qui epiſtolis vel libellis præſunt. *l. 11. h. t.* de quibus *infr. l. 12.* Itemque Rhetoribus, Grammaticis, & Eccleſiarum ſacerdotibus. *d. l. 12. & l. 5. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* qui nec hoſpites recipiunt, nec extraordinaria munera, aut ſordida ſubeunt; ad realia tamen vocantur, ſicut etiam Senatores, *d. l. 12.* ubi & aliis legibus recenſentur quæ ſint munera ſordida, ſeu vilia, de quibus infra agetur: quibus ſordidis muneribus non etiam occupabantur curiales, ne publica vacillaret utilitas, nec pariter ſilentiarij decuriones palatij Principis, palatini eorumque filij & adjutores, de quibus erit dicendi occaſio *infra lib. 12.*

Similiter emphyteutæ Principis, ratione bono- 7
rum quæ à Principe habent in emphyteuſim, nulla ſordida munera vel extraordinaria agnoſcunt, etiamſi ea cæteris indicantur; nec enim ſunt pari conditione, cùm etiam plus quam cæteri canonis titulo inferant. *l. 10. h. t.* Nec diſtinguendum hic utrùm ad tempus titulo conductionis, an in perpetuum ex liberalitate Principis, fundi patrimoniales ab eis teneantur, nam utrovis modo, nihil extra ordinem vel pretij nomine conferre coguntur, *l. 15. h. t.*

Obſervandum hic quod qui à Principe conceſ- 8
ſam habent emphyteuſim, ea cenſeatur alienata, dominiumque in eos perpetuò conſtitutum, *Novell. 7. c. 1. §. alienationis* ibi, *& in perpetuum extenſam emphyteuſim quæ non procul ab alienatione conſiſtit, & l. 5. infr. de diverſ. præd. urb.* ibi *cum ſufficiat poſſeſſoribus, quod apud eos dominium in perpetuum ex noſtra liberalitate permaneat, l. 1. infr. de fund. rer. priv. & l. 12. infr. de fund. patrim. cum aliis.* Quibus textibus, etiamſi Principis emphyteutæ domini veri declarentur, non debet tamen id extendi ad privatorum emphyteutas, ad quos ex locationis titulo ad longum tempus nullum transferri dominium docet Amaya *ad tit. de vendit. rer. fiſc. num. 53.*

Veſtiarij, lintearij, purpurarij, parthicarij, nego- 9
tiatores, & reliqui Principis miniſtri, qui in aula ſerviunt; vel caſtra ſequuntur, ſecundum veterem conſuetudinem, ab omni munere exempti ſunt. *l. 7. h. t.* Quamvis ab injuncto antequam ad ſervitium Principis vocati eſſent, non liberentur. *l. 5. §. 7. ff. de jur. immun.* Parthicarios vocat Alciatus pannorum venditores, Pyrrus pelliſarios. Cujacius verò hic legit negotiatores pellium Parthicarum, quas inter ſpecies ad vectigal pertinentes, Martianus comprehendit, *l. ult. §. ſpecies ff. de publican.* Lintearij ſeu linteones erant lini textores, qui conficiebant linea veſtimenta, & omnes hi negotiatores, ſuberant Comiti commerciorum, ad cujus curam pertinebant omnia, quæ ad Principis veſtitum ſpectabant, *l. 2. C. quæ res venire non poſſ. l. 1. C. de epiſc. aud. l. 1. C. de commerc.*

Cæterùm negotiatores, qui annonam urbis adju- 10
vant, item navicularij, qui annonæ vehendæ ſerviunt, non egent excuſatione à muneribus, nam ipſo jure, ab omnibus publicis functionibus immunitatem conſequuntur, quamdiu in hujuſmodi actu ſunt; remuneranda enim ſunt pericula, quæ ſubeunt quin & hortanda præmiis, *d. l. 5. §. 3.* ubi qui peregrè,

Digitized by Google

cum labore & periculo, publicis funguntur muneribus, à domeſticis vexatoribus, & ſumptibus liberantur, cùm non ſit alienum dicere, etiam hos Reipublicæ cauſa, dum annonæ ſerviunt abeſſe.

11 Conductores etiam vectigalium fiſci neceſſitate ſubeundorum munerum, non obſtringuntur, non quod id honori eorum detur, ſed ne extenuentur facultates eorum, quæ ſubſignatæ ſunt *d.l.5. §.10.* Et hinc eſt cur tutor datus nondum redditis rationibus adminiſtrationis, vectigalia conducere prohibeatur, ne videlicet fiſcus damnum ſentiat per privilegium pupilli, cujus cauſa eſt potior, & faceret ut nihil fiſco ſupereſſet ex bonis tutoris. *l.un. ſup. ne*

12 *tut. vel cur. vectig. conc.* * Porrò tutor licet publicum munus ſuſtineat, non tamen excuſatur à muneribus civilibus. *l.3. h.t.* cùm etſi tres tutelæ tutorem excuſent à quarta, non tamen ideò beneficium præſtant, ut poſſit ſe tutor excuſare à muneribus publicis. Dico munus tutelæ eſſe publicum, propterea quod auctoritate publicâ imponatur, magis tamen ad privatam rem pupilli pertinet. *l.5. & 6.*

13 *§.15. ff. de excuſ. tut* * Sordidorum munerum ſæpè hic mentio, hæc autem dicuntur cura confectionis pollinis, panis excoctio, obſequium piſtrini, paraveredorum aut parangariarum præbitio, operæ diverſorum artificum, calcis coquendæ obſequia, jumenta curare, materiam lignorum atque tabulata præbere. *l 12.h.t.* Atque hujuſmodi munera ſordida non ſubeunt illuſtres dignitates, miniſtri Principis, vel Reipublicæ aliique privilegiati, namque eodem privilegio, non quamdiu militant, & ſerviunt, ſed & quamdiu vivunt, perfruuntur. *l.14.h.t.* Latiùs infrà *lib. 12. t. 29.*

14 Ita ut ad hæredem ſucceſſoremve privilegium non tranſeat, quia non rebus ſed perſonæ, contemplatione dignitatis, atq; militiæ, indultum eſſe conſtat. *l.13.h.t.* De qua etiam infrà Eſtque ſtricti juris, ut non extendatur ultra perſonas nominatas. *c. cum perſona de privil. in 6.* ſed cum illis extinguatur. *l. 3. in fin. ff. de conſtit.* quamvis exprimatur privilegium concedi propter benemerita. *l. 1. in fin. ff. de conſtit Princip.* Peregr. *de jure fiſci l.1. tit.2. n.101.* Non obſtat quod legatum propter merita cenſetur relictum, & tamen certum ſit id tranſmitti ad hæredes. *l. un. §.1 Cod. de caduc. toll.* nam alia ratio eſt legati, donationiſve, alia privilegij immunitatis; legato enim dominium quæritur, & ideò ad hæredem tranſmittitur, privilegio immunitatis nullum dominium acquiritur, & ſic non tranſmittitur, & poteſt privilegium revocari per concedentem. Menoch. *de præſumpt lib. 3. præſump.103.*

15 Si verò privilegium deſcendat ex contractu oneroſo, ne quidem neceſſitate urgente, poterit Princeps id revocare, cùm fuerit conceſſum accepto pretio, vel aliqua obligatione, loco pretij, ut ſi ſubditus promiſerit, quid facere, aut dignum aliquod obſequium præſtiterit. Hujuſmodi namque privilegium, quod non ex liberalitate procedit, ſed ex obligatione, quâ benefacienti tenemur benefacere, tranſit in contractum, ſeu induit ejus naturam, & ideò non poteſt revocari, uti nec revocatur ipſe contractus. Peregrin. *de jure fiſci lib.1. tit.3. n.28.* Surdus *conſ.419. n.54.* latè Caſtillo *de tertiis cap.18. n.149. & ſeqq.* Gabrielius *lib. 3. comm. opin. tit. de jur. quæſito non toll. concl. 7.* Contra Alexander *conſ. 101. lib. 1. num. 7.* & quem ſequitur Boſſius *de Principe ejuſque privil. num. 13. 165. & 318.* docet poſſe Principem ex juſta cauſa, privilegium à ſe vel prædeceſſoribus ſuis, etiam non ſubditis conceſſum revocare, licet in contractum abiverit. *l. 11. §. 1. ibi gloſſ. ff. de publican. & l. 5. ff. de decret. ab ord. fac. ibi Bart.* Juſta cauſa dicitur, quæ de novo ſupervenit, aut retrò à Principe ignorata fuit. Nam privilegia intelliguntur dari rebus ſic ſtantibus: ideoque ex rerum mutatione aliud ſtatuendum. *l.8. ff. de condict. ob cauſ. dat.* Et quæ de novo emergunt, non indigent juris auxilio. Felinus & Abbas *in cap. quæ in Eccleſ. de conſtit.* Igitur ceſſante cauſa, manet privilegium conceſſum irrevocabile, atque ad hæredes tranſit, etſi de illis nihil fuerit expreſſum, quoniam hoc tacitè actum intelligitur ex natura contractus, itemque ex præſumpta affectione contrahentis, & privilegium acquirentis, qui naturali ratione cogitat etiam ſuis ſucceſſoribus prodeſſe. *l. 9. ff. de probat.* Menoch. *lib. 3. præſumt. 103. n.13. & ſeq.* hinc donatio remuneratoria facta patri, non revocatur propter filiorum nativitatem ſed iis quoque acquiſita cenſetur. Quoniam non tam eſt donatio, quam naturalis debiti, & ſervitij accepti compenſatio. Similiter immunitatis conceſſio alicui facta ex cauſa tranſactionis, tranſit ad hæredes, quamvis de illis non ſit facta mentio. Jaſon. *conſ. 217. lib. 2.* Gail. *lib. 1. obſ. 2.* Zoëſius *ff. de legib. num. 37.*

Oportet tamen meminiſſe privilegium immunitatis conceſſum generi & poſteris, ad eos qui ex fœminis nati ſunt, non pertinere, *l.1. §. fin. ff. de jur. immunit.* quod ſecus eſt ſi privilegium conceſſum ſit alicui pro ſe, & deſcendentibus in perpetuum, *l. 4. d.t.* Ratio diverſitatis eſt, quia privilegium ſub nomine poſteritatis conceſſum, tantum refertur ad nomen familiæ. *l. 13. ff. de muner. & honor.* familia vero conſiſtit in natis ex maſculis; nam qui naſcuntur, patris, non matris conditionem ſequuntur. At eo caſu quo privilegium conceſſum eſt deſcendentibus, veniunt eo nomine omnes in infinitum, tam nati ex fœminis quam ex maſculis. *l. 56. §. 1. ff. de verb. ſign.* Pinellus *ad l. 3. de bonis matern. n. 34.* Menoch. *d. præſ. 103.* & late de his Petrus Barboſa *ad l.14. ff. ſol. matr. & nos ſupra tit.25. n.16.* 16

Quæritur utrum immunitas ſimpliciter conceſſa, cenſeatur realis, vel perſonalis? Pro cujus quæſtionis reſolutione, attendenda eſt cauſa conceſſæ 17

immu-

immunitatis,utrum concedens principaliter perſonam, ejuſque merita reſpexerit, an bona; quod ſi perſonam,ea cenſetur perſonalis, *l.13.h.t.* quandocumque effectus ſive utilitas conceſſionis, debeat verificari in prædiis. At vero ſi verba concedentis referantur ad rem, ut quia bona illius cui conceditur immunitas,jubentur eſſe exempta,tunc conceſſio realis cenſetur & inſeparabilis ab ipſis bonis, & perſona cenſebitur cauſa impulſiva conceſſæ immunitatis. *l. 4. §. 3. ff. de cenſib.* Larrea *deciſ. Granat.*

18 *diſp.31.* * In dubio tamen magis eſt,ut verba conceſſionis referantur ad perſonam, utque cenſeatur conceſſio perſonalis, & conſequenter minime tranſeat ad hæredes, vel emptores iſtius privilegiatæ perſonæ,cum ab ea res amplius non poſſideatur. Gail. *lib.1.obſ.2.* Hartman. *lib. 2. obſ.27. tit. de cenſib.* Eo pertinet quod privilegium Eccleſiaſticis conceſſum,non ſolvendi gabellas, aut decimas, non ſit reale,ſed perſonale,contemplatione dignitatis illis datum,ut non porrigatur ad colonos & emptores, ut colligitur ex verbis, *d.l. 13. h.t.* Nec enim poteſt eſſe perpetuum, quod non rebus, ſed perſonis contemplatione dignitatis, atque militiæ,indulſiſſe nos conſtat.Imo ſæpe dictio,*in perpetuum*,appoſita conceſſioni reſtringuitur ad vitam poſſeſſoris, prout in contractu mandati & ſocietatis. *l.4. ff. de procur. & l.1. ff. pro ſocio.* & in conſtitutione uſusfructus qui morte finitur. *l. 16. Cod. de uſufr.* ita ut pro ratione ſubjecti, limitentur verba, quæ alias extenſionem indicant. Peregr. *de fideicom. art. 29.n.6. & ſeqq.* Barboſa *in l. qui totale n.4. ff. ſol. matr.* Larrea *alleg. fiſc. 57.n.15.*

19 At quid ſi Princeps concedat alicui juriſdictionem novæ alicujus arcis, an cenſeatur illam conceſſiſſe perſonæ,vel arci? Sunt qui exiſtimant conceſſionem hanc eſſe realem, utpote arci adhærentem,& perpetuò duraturam. Sed verior opinio eſt, hujuſmodi conceſſionem magis factam videri ob benemerita perſonæ, & ſic ad vitam ejus perdurare; unde non poterit juriſdictio ab hæredibus prætendi, cauſa conceſſionis paternæ, quæ ejus morte cenſetur extincta. Verumtamen quia filij jure ſuo ſuccedunt in arcem iſtam, etiam conſequuntur juriſdictionem illi cohærentem, *juxta l. 10. §.1. ff. de uſucap.* ita ut iſta conceſſio non cenſeatur perſonalis ſimpliciter,ſed tantum quoad effectum,ut extincta perſona, non poſſit prætendi juriſdictio ex vi conceſſionis factæ,ſed tanquam adhærens arci vel caſtro,in quod filij ſuccedunt.

20 Hinc hodie filij qui in dignitatem patris ſuccedunt, à Principe impetrare ſolent novam quaſi inveſtituram,& tituli confirmationem, quod dignius poſſint exercere juriſdictionem bonis ſuis adhærentem. Princeps enim qui fons eſt omnis imperij & poteſtatis, ita juriſdictionem concedit, & à ſe abdicat, ut nihilominus ſuperioritatem ſartam tectamque retineat. *Conſtit. de pace conſtantiæ verſ. hoc. quod nos.* Natta *conſ.487.n.14.* & alij citati à Maſtrillo *lib.4. de Magiſtrat. cap.10.*

Minus dubium eſt quando Princeps concedit alicui juriſdictionem accepto pretio,vel ſub certo annuo cenſu, nam cum talis conceſſio fiat per modum contractus,ad hæredes ejuſdem familiæ in perpetuum tranſit; imo non tantum juriſdictionis exercitium,ſed& dominium plenum.Baldus *in l qui ſe patris num.10. Cod. unde liberi.* Gail. *lib.2 pract. obſ. n. 16.* Similiter ad filios deſcendit obligatio præſtandi annuum cenſum, pro portionibus tamen, quas habent in territorio iſto, vel feudo. Molinæus *de conſuet. Pariſ. §.11. num. 16.* 21

Porro ſi is cui conceſſa eſt à muneribus vacatio, iterum ad ea ſubeunda eligatur,poterit ab iſto gravamine appellare, modò id ſtatim faciat, ne videatur electioni conſentire. Quare quamvis gloſſa hic dicat, hujuſmodi appellationem, intra dies decem interponendam eſſe. Jus Regium Hiſpaniæ reſtrinxit tempus appellandi ad dies quinque *per l.1.tit.18. Recopil.* & inchoandi appellationis cauſam, intra duos menſes, prout jure Codicis expreſſum eſt, *l.1. ſup. de tempor. appellat.* quoties appellatio interponitur à nominatione ad munus publicum. Contra vero is cui non eſt conceſſa muneris publici vacatio, fruſtra excuſationem allegat,aut appellationem interponit. Debet enim is cui injunctum eſt munus, id ſubire,& quidem per ſe,nec poteſt ſe ab eo liberare offerendo certum pretium, *l.9. h.t.* quoniam non licet adærare munus perſonale, *l.16. ff. de muner. & honor.* Male proinde Accurſius dicit, licere promiſſum eo nomine pretium exigere contra *l.12 §.1. ff. de pollicit.* ubi cum quidam ne honoribus fungeretur,opus promiſiſſet,honores ſubire cogendum, potius quàm operis inſtructionem, Divus Antoninus reſcripſit. 22

Congruit proinde bono & gravi Præſidi curare, ut omnes provinciales munera ſibi injuncta ſubeant, utque ab iis omnia penſitentur, quæ canonis inſtituti forma complectitur, vel Princeps decrevit inferenda, epiſtolis præcedentibus, vel delegatione ſolemni, id eſt, deſcriptione ad provinciales tranſmiſſa. Caveat ergo Præſes vel alius judex aliqua munera ſua auctoritate indicere, vel novas impoſitiones urgere, vel augere veteres, non facta prius relatione ad Principem, *l.8.h t.* quæ deſumpta eſt *ex l. 8. C. Theod. de extraord. ſive ſordido muner.* ubi in fine additur, quod ſi præſes vel judex alius arbitrio ſuo deſcripſerit provinciales, vel conatus fuerit aliquid ultra antiquum uſum exigere, obnoxius quadrupli repetitione teneatur, de qua pœna jam ante *tit.20.* diximus. Additur hic alia *in d.l.8.* ut ſi eorum vel gratioſa conniventia, vel ignobili diſſimulatione temeritas admiſerit curialis, eos quoque damni ſimplicis pœna caſtiget. 23

Sed

Digitized by Google

Sed Cujacius legit loco *ſimplicis*; ſimilis, *arg. l. pen. h. tit.* * Apud Belgas eſt edictum Regium *Anni* 1531.
24 22. *Aug.* quo ſubſidia, dona, collectæ à judicibus indici, & à ſubditis exigi non poſſunt, ſub pœna dupli, & arbitriæ correctionis, ſine ſpeciali Principis juſſione, petitioneve. Item in Gallia plura extant edicta, & res judicatæ, quibus inhibetur indictio, & exactio facta, aut facienda (etiam auctoritate ſupremæ curiæ) niſi intervenerit approbatio & conſenſus Regis, graviſſima pœna impoſita judicibus, quos nova onera exegiſſe, aut vetera auxiſſe comprobatum fuerit, *juxta l. 3. & 4. ſup. vectig. nov. inſt. non poſſ.* Ant. Deſpeiſſes *in ſuo tract. des tailles in princ.*.

TITULUS XLVIII.

De quibus muneribus, vel prçſtationibus nemini liceat ſe excuſare.

1. *Continuatio, & quod nullus excuſetur à comparatione ſpecierum earumve tranſvectione, belli tempore.*
2. *Jugationis nomine quid hic veniat, & cur pauperes ab iſto onere non excuſentur.*
3. *Non valet privilegium aut reſcriptum, quo Princeps aliquem eximit.*
4. *Quid ſit teneri omnes immunes ad neceſſitates Illyricanas.*
5. *Item ad angaria, perangaria, plauſtra tenentur omnes, & ad ſolita ſervitia ſuo Principi.*
6. *Nobiles debent Principem juvare, & ad bellum comitari.*
7. *An ſuo ſumptu vaſalli militare domino debeant.*
8. *An damna in bello accepta debeant ſarciri? Ruſticis ſolet collecta imponi.*
9. *Clerici in communi neceſſitate contribuere debent, etiam ſine aſſenſu Summi Pontificis.*
10. *Neceſſitate non ſubſiſtente, non poſſunt cogi Eccleſiaſtici, & pœnas incurrunt qui eos cogunt contribuere.*
11. *Hodie ultro præſtant onera impoſita, ne ſeculares retardentur.*
12. *Cives & qui in vicis habitant, tenentur ad reparationem murorum & excubias. Item clerici ſi urgeat neceſſitas.*
13. *Domus publica & carcer, & reliqua civitatis ædificia collapſa, quorum ſumptu reficienda?*
14. *Princeps prius excutere debet proprium patrimonium, quam ſubditos oneret, & contribuere faciat pro bello.*

1 SUperiore titulo actum eſt de cauſis, ob quas quis poteſt, vel non à muneribus publicis excuſari, in præſenti certa quædam munera proponuntur, à quibus nullus, quantumvis privilegio munitus, excuſari poteſt, hæc ſunt ſequentia, munus comparationis, vel emptionis frumenti, vini, aliarumque ſpecierum tempore famis, belli, vel alterius publicæ neceſſitatis, quo pertinet *l. ult. hic. & l. un. ſup. ut nemini liceat in emp. ſpecier.* ut videlicet nullus à venditione ſe excuſet, ſed quilibet ad vendendum urgeatur. Item munus tranſvectionis ſpecierum victualium, ut puta cum expeditionis tempore exercitus Principis, de una provincia in aliam tranſit, vel locum aliquem obſidet, omnes ſubditi adſtringuntur frumenta, vinum, aliaque edulia, illuc ſuis ſumptibus portare, & tranſvehere ea omnia, quæ militibus conferuntur; omnes inquam, tam divites quam pauperes ad hanc collationem vocantur pro ſuæ poſſeſſionis jugationiſque portione *l. 1. h. t.* * In ſingula juga & capita, quaternæ ſiliquæ definiuntur. *c. Theod. lib. 12. tit. 4.* Eamque penſitationem, jugationem vocant; Item prædia & fundos, ex quibus præſtabantur frumentaria tributa Principibus, & annonæ militibus. Nec eſt quod conquerantur pauperes, & infimi de onere iſto ſibi impoſito, quandoquidem id etiam ſubeant majores, quos non excuſat dignitas, aut alia prærogativa, quæ ſolet à muneribus exuere, *l. 6. §. 4. de munerib.* * Eſt enim hoc quaſi patrimoniale munus, à quo nemo poteſt ſe excuſare, nec allegare privilegium, aut ſpeciale reſcriptum, nam etiamſi tale Princeps conceſſiſſet, ut quis non teneatur expeditionis tempore iſta munera ſubire, & in commune conferre, adhuc tamen poſſet cogi, quia præſumitur hoc privilegium extortum, & ob importunitatem ſupplicantis à Principe conceſſum, propterea quod tendat in diſſipationem Reipublicæ, cui omnes tenemur ſuccurrere.

Ideo ſubjungit Imp. univerſos ſine ullo privilegio coarctari, ad neceſſitates Illyricanas, *d. l. 1. h. t.* 4
intelligit, ad anonam, & alias ſpecies, quæ conferebantur militibus in Illyrico manentibus, *juxta l. 5. ſup. de annon. & tribut.* aut pugnantibus, quoties Imp. pro utilitate ſua bellum inferebat alicui provinciæ Illyricanæ, fortaſſe rebellanti. Illyricus multas continebat Provincias, ut videre eſt apud Pancirolum *in not. Imp. orient. cap. 23.* Cum enim pacis tempore, cives omnes commoda magna ſentiant, meritò ad pacem iterum conſequendam, belli tempore, onera ſubterfugere non debent, nec poſſunt ſe excuſare, ubi agitur de ſalute omnium, in uno capite conſervanda.

Sunt & alia munera, quæ belli tempore indicuntur, veluti angaria, perangaria & plauſtra (quæ qualia ſint dixi *ſupr. tit. 42. n. 8.*) nam cum Princeps imminente belli periculo, ut hoſtes expellat, iter arripit, vel cum exercitu proficiſcitur, omnes ſubditi debent illi ſolita miniſteria exhibere, *l. 2. h. t.* ad quæ & cogi poſſunt. 5

Plane

Digitized by Google

6 Plane ubi hoſtes patriam invadunt, ad eos expellendos, poteſt Princeps ſubditis ſuis præcipere, ut ſe ad bellum ſequantur, utpote nobiles ſuis expenſis militent, quando Princeps (excuſſione facta in ſuis bonis) non habet unde ſubditis ſtipendia ſolvat, ut ex Gulielmo Benedicto & aliis obſervat Cabedo
7 *deciſ.* 44. * Itaque jure ſubjectionis obſtricti ſunt ſubditi militiæ nomen dare, dominum juvare & ſequi, exemplo vaſallorum, qui vi pacti & promiſſionis dum feudo inveſtiuntur, debent proprio ſumptu dominum ad bellum proficiſcentem comitari, *c.* 1. *§. fin. de pace tenenda.* Roland. *conſ.* 41. *n.* 30. *lib.* 4. & Roſenthal. *de feudis c.* 8. Quod procedit, ſi vaſalli facultates ſeu proventus feudi, eum ſumptum ferant, & intra territorium bellum geratur. Julius Clar. *§. feudum q.* 21. alioqui non coguntur vaſalli propriis impendiis, ſed domini militare. Bart. *in l. Mevia §. fin. n.* 5. *ff. de annuis legat.* Penna *in l.* 2. *col. antepen. Cod. ne ruſticani.* verum hac in re obſervandæ ſunt Regionum conſuetudines, quarum aliæ certum tempus vaſallis, ut pro dominis ſua pecunia militent, conſtituunt. Zoeſius *de jure feudi cap.* 14. *num.* 42.

8 At iſto caſu, quo ſuis ſtipendiis nobiles & vaſalli militant, videntur damna in quæ incidunt, vel belli cauſa illis illata ſunt, ex publico ſarciri debere, *arg. l.* 1. & 2. ibi Angel *ad l. Rhod.* aliis vero militibus qui ſtipendia accipiunt, & adſcripti ſunt militiæ, non refunduntur damna iſto bello accepta, niſi lex regionis uti Hiſpaniæ, permittat damna iis reſarciri ex prædiis. Loquor hic de vaſallis & honeſtioribus ſubditis, ex quibus melior militia componitur, non de civibus & ruſticis, nam illis bello extra provinciam exorto, quia publice intereſt mercimonia, & agriculturam non deſeri, & aliis qui per ſe Principi aſſiſtere non poſſunt, collecta imponi & exigi ſolet, ex qua ſatisfieri queat, ſtipendiis militantium. Larrea *alleg. fiſc.* 63. & Florez de Mena *lib.* 2. *variar. q.* 2.

9 Hinc etiam urgente patriæ neceſſitate, Eccleſiaſtici qui non adſtringuntur ſervire in bello, vel ſubire munera ſordida, ſolent contribuere; imo compelluntur periculo imminente, ſi non ſufficiunt laicorum facultates, etiam inconſulto ſummo Pontifice, qui tacite videtur aſſentire, id enim naturalis ratio, & publica neceſſitas exigit, quæ nulli legi ſubjicitur, imo univerſæ naturæ prævalet, ut dicebat Thales Mileſius apud Plutarchum, *lib.* 1. *de placit. Philoſ. cap.* 2. & facit licitum quod alias lege pro-
10 hibetur. * Alias namque ſi negotium moram patiatur, expectandus eſt aſſenſus ſummi Pontificis, *cap.* 4. *de immun. Eccleſ.* ibi Panormit. Lucas de Penna *in l.* 2. & 3 *h. t.* Ant. Faber *in ſuo Cod. tit. de Epiſc. & Cler. definit.* 56. Bobadilla *lib.* 2. *polit. cap.* 18. *num.* 123. & ſine tali aſſenſu aliquid ultro dantes, & recipientes excommunicantur, *cap.* 4 *eod. in* 6. licet poſtea talis excommunicatio ſublata fuerit. *Clem. un. de immun. Eccleſ.* Graviſſimæ tamen pœnæ licet incertæ, adverſus contra facientes & cogentes clericos ad contributiones, ſtatutæ fuerunt per Benedictum II. *in cap. quod olim de immun Eccleſ. in extravag. comm.*

Quamquam multis in locis indiſtincte ſpecie 11
neceſſitatis & pietatis, Eccleſiaſticis onera imponantur, nec reclamant, ne ſeculares ideo retardentur, ut ſit minus malum indebita ſolvere, quam occaſionem dare, ne alij debita non præſtent, unde tota Reſpublica in periculum incidat, & ſimul clerici majori malo involvantur, atque ſub hæreticorum dominationem redigantur. Cæterum nulli cenſentur exempti ab oneribus, quæ propter bellum, famem, aut peſtem à civitate avertendam imponuntur.

Eadem neceſſitate & communi utilitate impel- 12
lente, tenentur univerſi cives, qui domum habent propriam, aut conductam, conferre ad inſtructionem murorum pontiumque civitatis omni excuſatione ceſſante, nullaque perſonali dignitate excepta, *l. ult. h. t.* eſt enim hæc cauſa publica & utilis omnibus, quæ facit omnia privilegia quocumque titulo conceſſa, ceſſare. Adeo quidem ut etiam Eccleſiaſtici teneantur in hac communi cauſa, ad prædictam refectionem murorum, eorumque cuſtodiam, & excubias, quo magis ſe & Eccleſias ſibi commiſſas conſervent. *cap.* 2. *&* 4. *De immun. Eccleſ.* Alias citra hanc neceſſitatem non poſſunt (ut dixi) cogi Eccleſiaſtici contribuere ad muniendam civitatem, vel ad accipiendos hoſpitio milites, niſi forte domus eo onere affecta, ad eos pervenerit. Faber *in ſuo Cod. lib.* 9. *tit.* 30. *def.* 26. Choppin. *De ſacr. Eccleſ. polit. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 3. Annæus Robertus *rer. jud. lib.* 2. *c.* 3. multa in hanc rem Fragoſo *lib.* 2. *De regimine Reip. diſp.* 4. *§.* 4. Similiter eos, qui habitant in vicis & arcibus vicinis civitati, cujus pars vicus cenſetur, huic tam laudabili muneri adſcribendos cenſet Ulpianus, cum dicit refectionem murorum & conſtructionem pontium, ex communi vicinorum collatione fieri debere, quia concernit uſum & utilitatem illorum, *l.* 2. *§.* 22. *ff. ne quid in loco public.* D. Argentræus *ad conſuet. Britan. art.* 54. *per tot.* & 92.
* Reficienda quoque aut ædificanda domus publi- 13
ca & carcer, ſumptibus ipſius Reipublicæ, cujus ut intereſt delinquentes puniri, ita & eos cuſtodiri carcere idoneo, non horrido aut ſubterraneo, ut erant Gemoniæ, Tullianum, & alia loca ſubterranea Romæ, carcer enim ad cuſtodiam, non ad ſupplicium inventus, publico ſumptu reparandus eſt. Gutierrez *lib.* 1. *pract. q.* 36. Eo pertinet Conſtitutio Juſtin. *De mandatis Principum* 17. *cap.* 4. *§.* 1. *Sed etiam pro ubertate neceſſariorum, & operum civitatum diligentiam habebis, procurans ex civilibus pecuniis partes quæ valde neceſſaria ſunt operum facere, & pontium ſimiliter & viarum & portuum, in quibus omnino ſunt locis provincia,*

Digitized by Google

vinciæ, cui præſidet, portuumque & murorum curam habebis. & quidquid omnino eſt publico & civitatibus utile & cogitabis & facies. Quod dum curant, & faciunt Magiſtratus, plurimum laudis ſibi acquirunt, ſive dum communi ſumptu ædificia civitatis perfecta reddunt, ſive quæ ab aliis incœpta & imperfecta reſederant, perficiunt, *l. ult. C. de operibus public.* puto tamen prius expendenda eſſe, quæ habentur in communi arca, antequam ad collationem incolarum procedatur, Rebuff. *ad l. 3. h. t.* & Phil. Leyde *in ſuo contract. De Reipub. cura caſ. 12. & ſeqq.*

14 Hinc Princeps debet excutere vires ſui patrimonij, ut ante monui, priuſquam novam indictionem inſtituat, quia novitas ſæpe noxia eſt, & tumultus excitat. Quare ſi bellum immineat, aut illud Princeps gerat, prius ex ærario ſuo milites colligere, & illis ſatisfacere debet, quam à ſubditis auxilium poſtulet, eoſque novis oneribus gravet: niſi tamen in comitiis teſtatus fuerit Princeps, ærarium eſſe exhauſtum, & reditus ſui patrimonij non ſufficere bello gerendo, nec ſtipendiis militum, quo caſu dubium non eſt, quin ſubditi cujuſcunque ſtatus & conditionis ſint, teneantur & cogi poſſint Principi ſuo ſubſidia præbere, ac per ſe patriam ſuam defendere: nam ut ſepius dictum, immunitates, urgente cauſa publica, & quævis alia privilegia ceſſare debent, *l. 1. ſup. De indictionib. & l. 12. ſup. De excuſ. muner.* Menoch. *conſ. 32. n. 49. & caſu 721. n. 12.*

TITULUS XLIX.

Qui ætate, vel profeſſione ſe excuſant.

1. *Ætas ſeptuaginta annorum à muneribus civilibus excuſat, non etiam quinquaginta quinque.*
2. *Cur minor ætas requiratur in decurionatu, quam in tutelæ adminiſtratione.*
3. *Ætas poſt injunctum munus impleta, nihil ad excuſationem proficit.*
4. *Conſilium Senum optimum. Adoleſcentes ſolent ſe illorum præceptis conformare, & reddere dignos functionibus.*
5. *Ad munera publica non admittuntur minores 25. annorum.*
6. *Videtur id mutatum per Conſtantinum Imp. & ſufficere ætatem viginti annorum: Quid moribus?*
7. *Tempus in computanda ætate cujuſque inſpicitur.*
8. *Qui liberalibus diſciplinis operam dant, habent immunitatem à muneribus uſque ad 25. annum.*
9. *Gaudent privilegiis academiarum, qui in illis ſtudent, niſi diu abſint, ea recuperant redeuntes.*

1 HOc quoque *tit. & ſeqq.* notandæ ſunt variæ excuſationum cauſæ propter quas aliqui ſunt à muneribus immunes. Primâ eſt ætas ſeptuaginta annorum, hæc enim ſola ab honoribus, & muneribus his cohærentibus excuſationem non præſtat, ſed à muneribus tantum civilibus, veluti tutelis, officiis publicis, bellicis, aliiſque perſonalibus, *l. 2. §. numerus ff. de vacat. mun. l. 2. in fin. ff. De decur. l. 3. §. 6. ff. De muner. & honor. & l. 3. ff. de jur. immunit.* Nec adverſatur textus *hic l. 3.* ubi reſcribunt Impp. Diocl. & Max. majores quinquaginta quinque annis, invitos ad munera perſonalia vocari non poſſe, nam incuriâ typographi, inverſa & mendoſa eſt iſtius reſcripti ſeries, & loco quinquaginta quinque, legendum ſeptuaginta, quod & Cujacius ex manuſcriptis exemplaribus ſe annotaſſe ſcribit. Atque idipſum confirmat iſtius legis contextus, in verbis, *Cum itaque ſeptuagenario majorem te eſſe profitearis,* quid enim ibidem ſeptuagenarij mentione opus, ſi manifeſti juris erat quinquaginta annis majores ad perſonalia munera vocari non poſſe. Moneta *de diſtribut. p. 2. q. 7. n. 10.* Narbona *de ætate ad actus, anno ſeptuag. q. 14.*

Si quæras cur in decurionatus munere, quod perſonale eſt, ſufficiat ad excuſationem minor ætas, rationem aſſignat Amaya *in l. 3. n. 63. C. de decurionib.* quod, cum hic honor majoribus curis obnoxius ſit, & familiam totam curiæ perpetuò mancipet, functioneſque publicas implere teneatur, ideo robuſtiorem ætatem exigat, quam in adminiſtratione tutelæ. 2

Cæterùm ita demum ſeptuaginta annorum ætas à muneribus perſonalibus excuſat, ſi extreme ſit completa; non enim ſufficit quod quis eam ætatem attigerit, *l. 3. & 5. ff. de jur. immunit.* Sed debet eam exceſſiſſe, eo tempore, quo ei munus defertur, quare ſi poſt id injunctum, compleverit ſeptuageſimum annum, fruſtra ætatis prætextu, immunitatem conſequi poſtulabit, quoniam ætas, vel alia excuſationis cauſa ſuperveniens, à tutelà vel alio perſonali munere, jam delato, non liberat, *l. 2. in pr. ff. de excuſat. tut. vel cur.* ibi *exceſſiſſe oportet ſeptuaginta annos, eo tempore quo dantur tutores.* 3

Poſſunt etenim ſenes qui languidi, & inertes non ſunt, conſilio & prudentia ſua Rempub. juvare, exemplis, & præceptis cives monere, ne quid temere, periculoſe, & inconſtanter faciant, juventutem quoque inſtruere, quæ cauſa cur mereantur dein immunitatem; gaudet enim plerumque juventus ſenum præceptis propterea quod plus auctoritatis, & gravitatis, habeant. Nam ut Cicero ait: *Mens, ratio, & conſilium in ſenibus eſt, qui ſi nulli fuiſſent, nulla omnino civitates eſſent,* ſiquidem hi varia fortuna exerciti, quale quid optimum ſit longo tempore didicerunt. Ideoque probi adoleſcentes ſolent ad præceptiones ſeniorum ſtudia ſua conformare & ita vitæ rationem inſtituere, ut ſpes ſit certiſſima, eos in Reip. functionibus tales aliquando futuros, 4

quales

Digitized by Google

quales fuere ij, quorum conſiliis, & præceptis uſi
5 ſunt. * Intellige ubi jam provecti, & digni habiti ſunt, qui publicis fungantur officiis, nam qui necdum ſunt 25. annorum, in curiam adſcribi, aut decuriones fieri non poſſunt, *l.* 11. *ff. de decurion.* Neque muneribus perſonalibus, & publicis, quæ ad patrimonium non pertinent, adſtringi, niſi publica cauſa urgeat, & civium ſit inopia, ut habet *l.* 2. *h. t.*
6 *in fin.* * Verùm legibus annariis obſoletis, non ætas ſpectari cœpit, ſed voluntas Principis, qui pro ſapientia & luce dignitatis, ad munia publica provecturus eſt eos, quos vitæ probitas & diſcretio commendat. Sic Conſtantinus Imp. *in l.* 2. *§ Senatores ſup. de his qui veniam ætat. imp.* vigeſimo ætatis anno juvenibus, qui de ſuis moribus & honeſtate docent, veniam ætatis indulget, viris quoque clariſſimis, eadem ætate probata, ut in ſenatum cooptari & civilia munera obire poſſint, cum ante ad ſenatum *vix maturis ætatibus perveniretur*, ut ſcribit Caſſiodorus *l.* 3. *var. c.* 6. Firmata ætas dicitur anno 20. *l. un. C. Th. de his qui veniam ætat. imp.* Quidquid hac in re ſit, ſervanda nunc eſt cujuſque loci conſuetudo, prout dicitur *in d. l.* 11. *& l.* 8. *ff. de muner. & honorib. & l.* 5. *§.* 1. *ff. de jure immunit.* Nam paſſim videmus ante annum vigeſimum ætatis, ad Rempublicam adminiſtrandam admitti. Extat lex in Hiſpania quæ hanc ætatem, aut paulo majorem probat, Bobadilla *l.* 1. *c.* 7. *n.* 19. *& l.* 3. *polit. c.* 8. *n.* 11. ſcribit ſufficere minorem ætatem, obtento diplomate regio, eo fine ut minor 20. annis fruatur ſtipendio, & aſſueſcat negotiis Reipublicæ, audiat ſeniores, non ut ſuffragium in curia ferat, aut munus Rectoris civitatis ſuſtineat. Et certe minus æquum videtur, ut cui ob ætatis defectum, ſuorum bonorum adminiſtratio eſt interdicta, & commiſſa curatoribus; eidem cura & patrimonium Reipublicæ committatur. Niſi hunc defectum ſuppleat liberorum nume-
7 rus, & prudentia, *l.* 2. *ff. de minorib.* * Porro in computanda ætate, non eſt habenda ratio temporis, quo quis conceptus, vel animatus in utero fuit, ſed diei nativitatis. *l.* 3. *§.* 3. *ff. de minorib.* Poſſet quidem utilis eſſe ei, qui à tutela, & aliis muneribus publicis propter ætatem ſe excuſat, ſi ex eo tempore quo in utero fuit, fieret computatio. *l.* 74. *in fin. ff. ad S.C. Trebell. & l.* 1. *h. t.* Quia tamen ſæpe confuſa & incerta eſt ea computatio, placuit juris auctoribus, ad tollendas ambiguitates, ætatem à natali die metiri; & licet poſthumum retrò natum fingant, quoties de commodis ipſius partus quæritur, *l.* 7. *ff. de ſtatu homin.* Nihilominus ſi editus non fuerit, omnia ceſſant, quia ceſſat ratio ob quam partui favetur, quod ſcilicet ſperatur homo naſciturus; non autem mater abortum paſſura, *l.* 1. *ff. de ventre in poſſ. mitt. l.* 18. *ff. quando dies legati ced. l. ult. C. de poſthum. hæred.*

8 Secunda cauſa eſt, *Profeſſio* liberalium artium, veluti Rhetorices, Muſices, Grammatices, Geometriæ, Philoſophiæ, nam qui hujuſmodi ſtudiis operam dant, meritò poſtulant ne ab iis avocentur, ob munera civilia, maxime ſi civium inopia non ſit, *l.* 2. *h. t.* Convenit etiam ne minores 25. annis, à ſtudio juris civilis avocentur, aut muneribus perſonalibus adſtringantur, *l.* 1. *h. t.* Quandoquidem illi qui non dant operam liberalibus ſtudiis, quamdiu minores ſunt, non fungantur muneribus Reipublicæ, ſaltem ſecundum *d. l.* 8. * Majore favore digni ſunt, 9
qui ſtudiis ſuis prodeſſe conantur utilitati publicæ, maxime in civitate Berytiorum, *d. l.* 1. Quam civitatem legum nutricem alibi vocat Juſtinianus. Similiter qui hodie in Academiis conſiſtunt, & per legitimum tempus ſtudiis incumbunt, & audiunt publicos Profeſſores, ſuæ profeſſionis privilegiis gaudent, quæ tamen amittunt per diutinam abſentiam. In hac Lovanienſi Academia abeſſe debent ſeptennio ſtudioſi, ut amittant privilegia, quæ iterum recuperant ſi matriculæ ſe curent inſcribi, & animo repetendi ſtudia redeant, figantque domicilium. De Profeſſoribus legum, quibus privilegiis fruantur, dicam *infra tit.* 52.

TITULUS L.

Qui morbo ſe excuſant.

1. *Qualis infirmitas excuſet à muneribus.*
2. *Qui morbi perpetui excuſent, an etiam podagra?*
3. *Infirmitas patris non excuſat filios, nec omnis debilitas.*
4. *Excuſat ſenectus, omnium malorum officina.*
5. *Quid hodie ſi in ægritudinem incidat is, cui urbis regimen eſt commiſſum? & de ſalario ejus.*

Tertia cauſa eſt, *Morbus*, ſive adverſa valetu- 1
do corporis, aut mentis, modò talis ſit, quæ impediat quo minus quis rebus ſuis propriis intereſſe poſſit, quia lex noluit quempiam obligare ad id quod fieri non poteſt, atque ita perpetuam à muneribus vacationem præbet, ſi morbus eſt perpetuus, at ſi temporalis, & ſpes eſt valetudinis, temporalem præſtat excuſationem, prout de tutore ægroto expreſſum eſt *in l.* 10. *§. ult. ff. de excuſ. tut.* In cujus locum curator interim datur. Quemadmodum jure Pontificio clericis, qui propter morbum munus ſuum exequi non poſſunt, coadjutor adjungitur, qui vices eorum impleat. *tit. de cler. ægrot.*

Perpetuò à muneribus perſonalibus excuſat mor- 2
bus ſonticus, item cæcitas, ſi eâ quis ſit oppreſſus, ut utriuſque oculi aciem prorſus amiſerit, *l.* 1. *h. t.* Quin & jus canonicum inhumanum eſſe judicat, cæcum collectis affligi. *cap.* 4. *x. de cenſib.* Item excuſat à prædictis muneribus morbus articularis, *l.* 2. qui vehementior & longior eſt, quam podagricus. Poda-

 græ

Digitized by Google

græ quidem valetudo, nihil ad perſonalium munerum prodeſt excuſationem, *l. 13. ſup. de decur.* niſi talis ſit, ut quis propter eam ne quidem rebus ſuis ſupereſſe poſſit, *l. 3. h. t.* Idem dicendum putarem de muto, & ſurdo, aut alio perpetuo morbo laborante, nam quomodo aliis prodeſſe, & præeſſe poterit, qui rebus ſuis intereſſe nequit?

Debet itaque morbus eſſe perpetuus, non qui
3 tempore finitur, *l. ult. de ædil. edicto.* Item proprius, nam adverſa valetudo ſuorum, puta patris, filij, aut uxoris, non præſtat excuſationem perſonalium munerum, *l. ult. h. t.* Neque etiam quævis debilitas, ſed ea tantum quæ ex adverſa corporis conſtitutione provenit, nam tunc non diſtat ab infirmitate. Quia tamen res dubia eſt, eam arbitrio judicantis relinquendam cenſet Menoch *l. 2. arbitr. cent. 1. caſ. 60.* Neceſſitati enim parendum eſt, ne injungatur munus quod obiri non poteſt, ſine gravi incommodo ejus, cui injungitur, & damno Reipu-
4 blicæ. * Ideo monet Ulpianus provinciæ præſidem, ut ſi quem ſenio & corporis imbecillitate vexari animadverterit, dimittat, & alium conſtituat, qui muneri corporali ſufficiat, *l. 2. §. quem 7. ff. de vacat. muner.* meritò cruciatus agræ ſenectæ excuſationem præſtat. Tacitus *lib. 13. annal.* Senectus ægra ab eo dicitur, quia malorum omnium officina eſt. Pulchrè ille:

Vita vino noſtra eſt quam ſimillima;
Ubi paulum reſtat, in acetum vertitur.

D. Hieronymus *Epiſtol. Paulæ ad Marcell. Omnes pene virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cætera.* Itaque corporis debilitas ab his muneribus excuſat, quæ tantum corpore implenda ſunt; cæterum quæ conſilio prudentis viri, vel patrimonio ſufficienti obiri poſſunt, niſi certas ob cauſas & probabiles, non remittuntur, *d. l. 2. §. 7.*

Unde ſi nunc contingat in oppidis, Prætorem
5 vel alium qui negotiis communitatis præeſt, in morbum incidere, non poteſt abſque conſenſu totius ordinis aliò proficiſci morbi ſui curandi cauſa: & ſi diuturnus ſit morbus, aut ſenectus, quæ ipſa morbus eſt, rectè fecerit ſi vacationem petat, & ſalarium non accipiat, quod ſolum debetur, quamdiu quis utiliter obire poteſt munus ſibi injunctum à communitate Bart. *ad l. diem functo 2. ff. de off. aſſ. & l. diem ff. locati.* Secus autem ſi munus eſſet perpetuum & à Principe conceſſum, tunc enim licuerit valetudinario ſalarium retinere, & eo mortuo integrum totius anni hæredes poterunt exigere. *l. 15. Cod. De advocat. div. jud. l. 4. Cod. De demonſtr. & protect. lib. 12.* Bobadilla *l. 1. 2. polit. c. 9. n. 22. & cap. ult. num. 243.*

TITULUS LI.

De iis qui numero liberorum vel paupertate excuſationem meruerunt.

1. *Numerus V. liberorum à muneribus excuſat patrem & matrem. Poteſt filius major, pro patre munus obire.*
2. *Ab honoribus non excuſat iſte numerus, ſed numerus XII. & plurium liberorum ab oneribus excuſationem præſtat.*
3. *Pœna, & præmio, ad matrimonia contrahenda homines allecti.*
4. *Defenditur vulgaris lectio* l. 24. ſupr. De decurionib. *exponitur ſenſus* l. 5. §. 2. ff. De jure immunit.
5. *Qui appellatione liberorum hic contineantur, & an adoptivi, & nondum nati proſint patri, item religioſi.*
6. *Nepotes ex filio ejus locum ſupplent & avo proſunt, non item ex filia.*
7. *Si patri cum filiis detur vacatio & immunitas, an mortuo patre conſervetur in filiis?*
8. *Paupertas qualis, & quando excuſet?*
9. *Excuſatio iſta temporalis, & ceſſat auctis poſtea facultatibus.*
10. *Pauperes qui dicantur, & à quibus muneribus immunes ſint.*
11. *Differentia inter hunc titulum & titulum ſupra* lib. 5. *qui numero liberorum ſe excuſent.*

Quarta cauſa eſt, numerus liberorum, nam 1
pater, & ejus exemplo mater, quæ quinque liberos habet ſuperſtites, excuſationem impetrat à muneribus perſonalibus, eaque ſemel impetrata, in perpetuum potitur, *l. 5. & ult. h. tit.* Ex utraque hac lege notandum, mulieres etiam perſonalia munera ſubire, quæ ſexui congrua ſunt, de quibus *infr. titul. De mulier. in quo loco.* Hinc liquet vacationem à Principe impetrari poſſe, eamque tam maſculis, quam fœminis prodeſſe, qui quæve filios, vel filias quinque habuerint: Itemque poſſe filium induſtrium & legitimæ ætatis pro patre ſuo munera civilia ſubire. *dict. l. ultim.* ideò enim proprium præmium immunitatis propter filios patribus datum eſt; *l. 36. ff. h. t.* & alibi favorabilem cauſam liberorum numerus facit. *l. 7. §. ſi plures ff. de bonis damn.* * Quod autem Alexander Imp. *in l. 1. h. t.* 2
dicat numerum liberorum non excuſare ab oneribus, intelligit non excuſare ab honoribus aut muneribus, quæ honoribus cohærent, ſed ab oneribus tantum, juxta *l. 2. §. 1. & l. 18. ff. de vac. muner* Cujac. *ad d. l. 1.* Joan. à Sande *deciſ. Friſ. lib. 6. tit. 10. deciſ. 1.* Cæterum numerus duodecim aut tredecim liberorum pleniſſimam excuſationem tribuit, ab omnibus muneribus juxta intellectum, de quo ſupra *ex lib. 24.*

Digitized by Google

lib. 24. *De decurionib.* eſtque iſta excuſatio introducta ex L. Julia Papia, quæ matrimoniorum frequentationi & liberorum procreationi pœnis &
3 præmiis providit. * Pœnis namque lex cœlibes affici voluit, ne quicquam caperent ex teſtamento, ac orbos ſolidum capere prohibuit, ſi liberis in matrimonio caruiſſent. Cujac. *lib.* 9. *obſ. cap.* 17. Præmiis vero uſa lex eſt, ut matrimonia frequentarentur. Dion. *l.* 18. & Tacitus: *Non*, inquit, *legiones. non claſſes perinde firma imperij munimenta, quam numerus liberorum.* 4. *Hiſt.* Hinc pater qui liberos habebat in albo decurionum præferebatur non habenti, *l.* 9. *ſup. De decur.* Sedebat ergo prior qui pater erat, deinde qui filios non ſuſceperat; item pater prius ſententiam in curia dicebat, & præcedebat cæteros qui non habebant filios, *l.* 6. *ſ. fin. ff. De decur.* Ac ita ad procreationem homines invitabantur, & expediebat tunc maxime Reip. Romanæ, eam liberis hominibus repleri, quibus exhauſta fuerat ob bella civilia. Tacit. *l.* 2. *annal.* Suet. *in Auguſt.* & Martial. *lib.* 3. *Epigrum*, 61.

Præmia laudato, tribuit mihi Cæſar uterque,
Natorumque dedit jura paterna trium.

Quamobrem ut pater duodecim liberorum edu-
4 cationi vacare poſſet, neceſſe fuit eum quiete & libertate frui, & ab omnibus muneribus immunem eſſe, *l.* 2. *ſ.* 1. *l.* 8. *& fin. ff. De vacat. muner.* Fachin. *lib.* 3. *contr. cap.* 49. *in fine.* Perperam igitur Cujacius contra codicum auctoritatem pro *duodecim* reponit *ſexdecim*, *ex l.* 5. *ſ.* 2. *ff. De jur. immun.* nam licet ibi numerus ſexdecim liberorum ponatur, non tamen requiritur, ſed ita reipſa contigerat, ut qui libellum Principi obtulerat, ſic facti ſpeciem poſuerat, ut faciliorem eum redderet ad impetrandam immunitatem, cum eo tempore difficulter concederetur, nec adhuc conſtaret quot liberi ſufficerent, ut omnibus muneribus pater liberaretur. Baeza *De excuſat à collect. & aliis muner. propter* 12. *lib.* Amaya *ad l.* 2. *n.* 62. *C. de decurionib.*

5 Porrò liberi qui à muneribus excuſationem præſtant, ſunt naturales ſimul & legitimi, in poteſtate, ſive emancipati. Item vere adoptivi, non ficti, de quibus conqueritur Tacitus *l.* 15. *annal. quod plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios*, contra mentem legis Papiæ, *quare factum deinde ſenatuſconſultum, ne ſimulata adoptio, in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne uſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet.* Hac ratione adoptivus non venit appellatione liberorum, quoties adoptione diſpoſitio legis fieret eluſoria, ideo non proſunt adoptivi quoad tutelam, niſi in adoptionem dentur patri naturali. *Inſt. de excuſ. tut.* Non intereſt ſint maſculi, an fœminæ, dummodo ſint nati, nam non proſunt naſcituri, dum in utero ſunt, nec illi qui ab hoſtibus ſunt capti, nec dum poſtliminio reverſi. *l.* 2. *h. t.* Quod enim dicitur eum qui naſci ſperatur, pro ſuperſtite eſſe, tunc verum eſt, cum de ipſius jure quæritur, aliis autem non prodeſt, niſi natus ſit. *l.* 231. *ff. De verb. ſign.* Proſunt tamen qui pro Republica ceciderunt, ſiquidem hi in perpetuum vivere intelliguntur. *Inſt. de excuſ. tut. verſ. ſed ſi in bello.* Idem Tullius affirmat *Philip.* 9. *His*, inquit, *majores noſtri qui ob Rempublicam mortem obierant, pro brevi vita, diuturnam memoriam reddiderunt.* Hanc gloriam idem auctor pulchre deſcribit *Philipp. ult. In fuga fœda mors eſt, in victoria, glorioſa; Etenim Mars ipſe ex acie fortiſſimum quemque pignorari ſolet. Brevis autem vobis vita data eſt, at memoria bene reddita vita ſempiterna; quæ ſi non eſſet longior quam hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus, & periculis, ad ſummam laudem gloriamque contenderet?* Planè ſi qui ex filiis profeſſi ſint religionem, non deſinunt patri prodeſſe, quoad exceptionem à munere, prout ab onere tutelæ. Fontanon ad Maſuer. *t. des tuteurs* 5. *ſub. fin.* Cenſentur enim religioſi vivere ſerviendo Deo, quamvis ſint mortui mundo.

Nepotes autem ex filiis maſculis defunctis eo- 6
rum locum ſupplent, & avo prodeſſe conſueverunt quoad excuſationem munerum perſonalium, *l.* 3. *h. t.* Nepotes inquam ex filiis, quoniam ex filiabus deſcendentes, avo non proſunt, cum ejus familiam non ſequantur. Denique plures nepotes ex uno filio, pro uno filio numerantur, ſeu unius loco habentur, habita ſtirpis ratione, ut fit in hæredibus & bonorum poſſeſſionibus ab inteſtato, *l.* 2. *§.* 7. *& ſeq. ff. de excuſat. tut.* Rolandus *conſ.* 52. *in pr. & num* 3. *&* 6. *vol.* 2. Quem refert & alios Bobadilla *l.* 5. *c.* 5. *n.* 31. Et Amaya *d. loco. n.* 68.

Quæritur ſi patri una cum filiis à muneribus va- 7
catio ſit conceſſa, an mortuo patre conſervetur in filiis? Sunt qui negant, propterea quod patri principaliter facta ſit conceſſio, ut nimirum relevetur ab educatione, & onere tot filiorum, igitur eo extincto, extinguitur privilegium, nec eo gaudent filij, qui acceſſorie veniunt. *l.* 5. *§.* 4. *ff. de jur. imm.* Socinus *conſ.* 84. *n.* 2. *vol.* 3. Sed verius ſentiunt, qui affirmant privilegium mortuo patre durare, cum quia propter filios id patri datum fuit, *l. ult. h. t.* tum quia filiis æqualiter obtentum hic à patre, ut proinde eo mortuo non expiret, patet *ex l.* 6. *tit. ſeq.* ubi immunitate conceſſa patri, cum filiis, gaudent filij mortuo patre. Guido Pap. *deciſ.* 389. Non obſtat *d. l.* 5. *§.* 4. quia ibi agitur de filiis naviculariorum, ad quos non extenditur immunitas patris, quia certa forma data, hic autem lex patitur ampliari beneficium, quod interſit Reipublicæ civitatem liberis hominibus repleri. Surdus *deciſ.* 123. Contrà alio loco. Guido Pap. *qu.* 401. exiſtimat nullum hodie liberorum numerum, excuſare à muneribus, quod puto verum, ſi intelligat de patrimonialibus. *juxta l.* 5. *ſup. de muner. patrim.* De

excuſatione parentum ob numerum liberorum, videantur Ant. Theſaurus *deciſ.* 267. Menoch. *conſ.* 486. & Duarenus *lib.* 1. *diſp. c.* 40.

8 Quinta cauſa eſt *Paupertas*, non tamen quælibet, ſed tanta per quam impar quis ſit muneri injuncto, vel injungendo, *l.* 7. *& l.* 40. *§.* 1. *ff. de excuſ. tut.* Cum ergo ipſa paupertas onus miſerum ſit & grave, merito excuſationem habet à muneribus civilibus, is, qui in tantas rerum anguſtias devenit, ut vix de ſuo victum ſuſtinere poſſit, vel ob ſpem, quam de filio emancipato concepit, in eum (citra fraudem evitandorum munerum) omne ſuum contulit patrimonium donationis cauſa. *l.* 4. *h. t.* Quando quidem & ille, qui cenſum tenuiorem habet, hoc beneficio potiatur, ut ad perſonalia non vocetur obſequia. *l. ult. in fin. h. t.* Unde Plinius: publici mores: inquit *l.* 1. *epiſt.* Leges civitatis, imprimis cenſus hominum ſpectandos arbitrantur. Senec. *lib.* 1. *de clam.* Senatorium ad gradum cenſus aſcendere facit. Hinc procuratio reipublicæ non niſi locupletioribus dabatur. Sic cum in Senatu Romano ſententiæ rogarentur cuinam procuratio Hiſpaniæ mandanda eſſet, cumque multorum ſuffragiis Sulpitius Galba & Aurelius Cotta in eam rem nominarentur, dixit Scipio, *Neutram ſibi placere, unum quod nihil omnino poſſideret; alterum, quod nihil ei ſufficeret.* Negari tamen non poteſt, quin ſæpe induſtrius & prudens qui cenſu carebat, ad publica munia admiſſus, ex publico, vel à Principe juvaretur. Sic Tiberius teſte Tacito *lib.* 1. Cenſum Senatorium juvit, & honeſtam paupertatem ſublevavit innocentium. *

9 Unde quoad munera, vel honores, qui indicuntur civium deficientium facultatibus, excuſatio perpetua non eſt, ſed temporalis, nam ſi quis ex voto honeſtis rationibus patrimonij incrementum acceperit, ſuo tempore, an idoneus ſit aliquis ad ea munia, ad quæ creatus fuerit, æſtimabitur. *l.* 4. *§.* 1. *ff. de muner. & honor.* Idque arbitrio judicantis, cui proinde committitur, ut ex perſonæ, & rei qualitate dijudicet, an quis tam ſit inops; ut à muneribus excuſationem mereatur. Menoch. *lib.* 2. *arbitr. caſ.* 65.

10 Intellige à patrimonialibus, à quibus egeſtas excuſat, non item ab obſequiis, quæ corpori indicta ſubeunt etiam inopes. *d. l.* 4. *§.* 2. Quales cenſentur, non ſolum qui non habent unde vivant, ſed etiam qui non habent unde commode vivere poſſint, pro conditione ſua. Hoc inter pauperes & egenos eſt diſcrimen, quod pauperes modicum habeant in bonis, ad minus quinquaginta aureos. *l. nonnulli* 10. *ff. de accuſat.* Egeni vero & mendici nullius rei pecuniæve poſſeſſionem habent. Cujac. *lib.* 26. *obſ. c.* 3. Hodie qui nihil habent (licet non oſtiatim, ſed collatitiis clanculum eleemoſynis vivant) nulla obeunt munera, imo immunes ſunt à tributis, nec ſolvunt collectas, inanis quippe eſſet exactio, quam excludit inopia debitoris. *l.* 6. *de dolo.* Bartol. *ad hunc tit.* Lucas de Penna plurima paupertatis incommoda hic congerit. & Baeza *de inope debitore.*

Poſtremò notandum hic eſt diſcrimen, inter hunc titulum, & illum qui ſupra inſcribitur. *qui numero liberorum ſe excuſ.* Quod hic agat de excuſatione quam liberi præſtant à muneribus, quæ utilitate & auctoritate publica ſunt: Alter vero titulus loquatur de excuſatione tutelæ, & curæ, quæ quidem munera etſi publica ſunt, tamen magis publica auctoritate, & privata utilitate, à quibus excuſatur pater, qui tres liberos Romæ habet, quatuor in Italia, & quinque in provinciis, idque propter ſollicitudinem, & curam quæ ei incumbit circa regimen propriorum filiorum. *l.* 1. *ſup. qui numero lib. ſe excuſ.* ubi ea de re plura dixi. 11

TITULUS LII.

De Profeſſoribus & Medicis.

1. *Continuatio. Profeſſores ab omni functione & omnibus oneribus erant immunes. Quinam profeſſorum numero veniant.*
2. *An profeſſores fuerint immunes à muneribus patrimonialibus?*
3. *Diſtinguenda ſunt tempora, & conſtitutiones diverſæ, quibus immunitas alia Philoſophis, alia alijs Romæ docentibus.*
4. *Conſtantinus aliiſque Imperatores pleniſſimam immunitatem Profeſſoribus dederunt, etiam ab oneribus realibus.*
5. *Oportet profeſſores eſſe intra ſtatutum numerum, & judicio ordinis probatos, eoſque excellere moribus & facundia dicendi.*
6. *Præficiendi ſunt viri probi & probati, qui ſi in arte & probitate deficiant, reprobari poſſunt & removeri, oneribuſque ſubjici.*
7. *Profeſſoribus ex publico ſalarium conſtituitur, quod remuneratio laborum eſt.*
8. *Quantum ex publico ipſis ſalarium daretur, & penſaretur docentium labor.*
9. *Profeſſoribus legitime occupatis integrum ſalarium ſolvitur, pro rata vero ſi ad tempus ſint conducti.*
10. *In perpetuum conducti ſi moriantur, an tranſmittant anni ſalarium ad ſuos heredes?*
11. *Altera Tit. pars eſt de medicis, quorum ſcientia hominibus eſt neceſſaria.*
12. *Illis magiſtratus committuntur, & privilegiis decorantur.*
13. *Medici curare debent æque pauperes ac divites, illos gratis, ſi ex publico habeant ſalarium.*
14. *Si id non habeant, nec cautum ſit ſtatuto, moderatum eſt exigendum, & quando?*

15. Pa-

Digitized by Google

15. *Paſciſci non licet cum infirmo, de certa mercede, eo curato, ſi iterum in morbum reinciderit, an novum ſalarium medico debeatur?*

16. *Pro eodem ſalario medicus recidivantem curabit, ſi morbus ſit perpetuus.*

17. *Si protraxerit curam, ut eo plus ab ægroto extorqueat, punitur.*

18. *Cognoſcens mortem ægrotantis vicinam, tenetur ei denunciare. An eo mortuo poſſit medicus ab hæredibus ſalarium exigere, aut ægrotantem qui non ſolvit deſerere.*

19. *Fruuntur privilegiis qui citra numerum ſunt, & medici caſtrenſes, & archiatri, ex quorum judicio alij aſſumuntur.*

20. *Quomodo in locum aliorum fiat ſubrogatio, & quod non niſi probati admittendi ſint ad curam ægrorum:*

21. *Licet ſint promoti ad gradum, exploranda eſt eorum doctrina, quia magis nocet imperitus medicus, quam advocatus.*

22. *Graviter punitur imperitus medicus.*

23. *Non ſtatim credendum ei, qui immunitatem à muneribus ſe habere dicit: illam non habent qui primas litteras docent.*

24. *Cur Poëtæ non fruantur immunitate?*

25. *Neque Philoſophi qui ſe tales eſſe ſimulant, & habitum uſurpant, ut patria muneribus ſeſe ſubtrahant.*

26. *Profeſſoribus delati honores & ſalaria, ſed eorum numero non adſcribebantur Geometræ.*

1 QUoniam ſupra inter cauſas excuſationis recenſui profeſſionem artium liberalium, meritò hic de illarum Profeſſoribus agitur, quos ab omni functione, omnibus que oneribus publicis immunes eſſe volunt Impp. *l. ult. h.t.* cum non minus illi ſua doctrina & inſtructione provideant utilitati publicæ, quam qui armis Rempublicam defendunt, & manus in acie conferunt. Profeſſores autem hic recenſentur, Grammatici, Rhetores, Philoſophi, Medici, Doctores legum, qui omnes una cum uxoribus & filiis, nec non rebus quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omnibus muneribus, perſonalibus & ſordidis immunitatem habent, adeoque amplam, illi præſertim qui in ſacro palatio militarunt, quique comitivam primi ordinis, vel ſecundi adepti fuerunt, ut nulla municipali, nulla curialium conventione vexentur, nec in ſuis domibus ubicumque ſitis, militem ſeu judicem ſuſcipiant hoſpitio; neque in judicium ducantur, exhibeantur, aut injuriam patiantur ullam, ſed per procuratores, cauſas ſuas agant, *l.6. & ult. h.t.l. 12. ſup. De excuſ. muner.* pœna arbitraria in eum propoſita qui injuriam illis inferre præſumpſerit, *d.l.6. & l.1. Cod. Theod. eod.* aut perturbare illorum immunitatem. Menoch. *De arbitr. caſ.* 377. Gomez *in l. fin. Tauri, n. 17. & ſeq.*

Quæritur, num tam ampla hæc ſit Profeſſorum 2
immunitas, ut ne quidem munera ſeu onera patrimonialia pro profeſſionibus ſuis ſuſtinere cogantur? Diſtinguenda ſunt tempora. Olim quidem temporibus Auguſti, non niſi à muneribus perſonalibus Profeſſores immunitatem habebant, non autem à realibus. Ideoque Phavorinus apud Imp. Adrianum cauſam egiſſe videtur, ad impetrandam immunitatem à patrimonialibus, cumque dixiſſe refert Dion *in vita Adriani*, muſas conqueſtas fuiſſe de ſervitute, quæ alias ſui natura ſervitutem ſervire hominibus non debent, ſed libertatem potius ab hominibus accipere. Deinde ſub Alexandro Severo, & Antonino Pio, omnibus liberalium artium Profeſſoribus data eſt immunitas, à quibuſcumque oneribus publicis, exceptis iis quæ poſſeſſionibus, vel patrimonio indicuntur, à quibus nulla privilegia præſtant vacationem, inquit Paulus *in l.10. ff. de vacat. & excuſ. mun.* Ita ut Profeſſores ſcientiarum, onera patrimoniorum ſuſtinere cogerentur, itemque hoſpites recipere, *l.3. Cod. de muner patrim. & l.*
11. ff. d.t. *Hinc Philoſophis, qui ſe frequentes atque 3
utiles præbent, tutelas & munera ſordida corporalia remitti placuit, non ea quæ ſumptibus patrimonij expediuntur, etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt, *l.8. §.4. ff. de vacat. & excuſ. muner.* Idem reſcripſerunt Impp, Diocletian. & Maxim. *in l.6. C. de muner. part.* valde tamen diſciplinis inſtructi, & ſi ſupra numerum & in aliena patria artes exercerent, erant quoque immunes, *l.6. §.10. & ſeq. ff. de execut. tut.* ubicumque enim viri docti doceant, inſtruantque juventutem, ſplendorem adferunt patriæ ſuæ, & maxime qui Romæ ſe exercent, docentque publice, remiſſionem à tutelis aliiſque oneribus habent, ac ſi in propria patria docerent, quoniam in regia urbe, quæ & habetur, & eſt communis patria, qui juvenibus proſunt, non minus quam in propria immunes ſunt, ab angariorum præſtatione, & hoſpitis recipiendi neceſſitate, aliiſque oneribus extraordinariis & perſonalibus, *d. l. 10. §. 2. ff. de vacat. & excuſ. mun.* At vero legum Doctores in aliquo præſidiatu docentes, remiſſionem ſaltem à tutelis non habebant, niſi Romæ docerent, *l. 6. §. 12. ff. de excuſ. tut.* forte ideo quod nihil magis conveniens juriſperitis, quam aſſumere tutelam & defenſionem pupillorum & miſerabilium perſonarum.

Atque hæc ita uſque ad tempora Conſtantini 4
obtinuerunt, à quo plenior data eſt immunitas Profeſſoribus liberalium artium, legum Doctoribus, Medicis, & maxime Archiatris, una cum uxoribus & liberis indiſtincte ab omnibus oneribus, etiam patrimonialibus, per *d. l. 6. h. t.* ut falſum ſit quod Thomingus *deciſ. 55. n. 10.* Petr. Heig. *quæſt. 17.*

num.

num. 18. *& ſeq.* & alij adſtruunt, l. 6. intelligendam eſſe de ſolis muneribus perſonalibus, utpote de quibus tum temporis nullum erat dubium; faciunt in hanc rem verba immunes eſſe, *una cum rebus quas in civitatibus poſſident, & ab omni functione, & ab omnibus muneribus*, qui enim omne dicit, nihil excludit, & maxime ſi repetat verbum *omne*, geminatio namque multum operatur, ac enixam diſponentis voluntatem magis declarat. Præterea idem quod *in l. 6.* Impp. Honor. & Theodoſ. repetunt, & confirmant *in l. ult. h. t.* ibi, *ſint ab omni functione, omnibuſque muneribus publicis immunes.* Profeſſores, in præmium laborum, quos ſuſtinent docendo. Item *in l. 8. infr. de metat. & epidem.* Sunt immunes à receptione & moleſtia hoſpitum, quod onus patrimonij eſt, non perſonæ. Acceſſit his noviſſima Frederici Imp. conſtitutio *in Auth. habita*, qua privilegium immunitatis Profeſſoribus indultum, corroboratur; & pleniſſime iis conceditur, qui in Academia approbata publice docent, & ſtudioſis & clericis, qui actu ſtudent, exemplo eorum qui armatæ militiæ nomina dederunt, quibus nullum civile onus injungi poteſt, *l. 3. §. 1. ff. de muner. & honor.* Cum Profeſſores præſertim legum, militare & Rempublicam non minus quam milites armati, defendere intelligantur, *l. 14. C. de advoc. diverſ. jud.* ubi *non minus provident humano generi, quam ſi prælijs, atque vulneribus patriam parenteſque ſalvarent.* Unde eleganter Val. Max. *lib. 3. c. 2. n. 17.* eandem ait laudem mereri fortitudinem foro, atque caſtris editam. Gregorius Lopez *ad l. ult. tit. 10. part. 2.* dicit Doctores & Licentiatos legum, docentes in quatuor celebrioribus Academiis Hiſpaniæ, vel etiam advocationis munus cum laude exercentes, immunes eſſe ab omnibus oneribus & indictionibus, quamdiu vixerint, juxta *l. 14. ſupra tit. 47. & leges h. t.* Concludo igitur privilegium immunitatis ab omnibus muneribus profeſſoribus indultum, per diverſa tempora, & per diverſas Imperatorum conſtitutiones ſuccreviſſe, & tandem ad perfectionem perveniſſe: niſi quod hodie in locis ubi continuum eſt bellum, aut imminet, aut alia publica urget neceſſitas, etiam litterati & clerici onerentur, & ſæpe inviti cum ceteris involvantur.

5 Verum ut profeſſoribus juris, & medicinæ privilegium hoc immunitatis competat, oportet eos eſſe intra ſtatutum numerum, & decreto ordinis probatos, receptoſque, *l. 5. & 7. h. t.* quod ut olim, ita & hodie obſervatur: nam prius profeſſores judicio Principum probantur, & conſtituuntur, *ut ita altiore quodam honore* ſtudiis civitatum accedant, ut loquitur Julianus *in l. magiſtros & l. 7. C. Theod. de Medic. & Profeſſor.* unde non alij ad erudiendum juventutem conſtituuntur, quam qui excellunt moribus primum, deinde facundia dicendi, *l. 7. hic.* Quo pertinet quod alibi dicit Juſtinianus, prius animas, & poſtea linguas eruditas fieri oportere: prius itaque inſtruenda eſt juventus bonis moribus, ſine quibus male eloquentia diſcitur, inquit Plinius *lib. 3. ep. 3. in fin.* * Quapropter videndum quibus 6
magiſtris tener juvenum animus committatur, ne nimirum hominibus corruptis, quoniam nulla res diſcipulis tam pernicioſa, quam culpata & contumelioſa vita magiſtri. *Boet. de diſc. ſchol. quærendi igitur*, ut Plutarchus recte monet, *juvenibus magiſtri, quorum inculpata ſit vita, & mores juſtæ reprehenſioni non obnoxij*, & qui non modo ſcientiam, ſed etiam docendi, interpretandique dexteritatem habeant. *Fons enim & radix virtutis, atque honeſtatis vitæ eſt, inſtitutio proba: utque agricolæ, ſtirpibus pedamenta apponunt, probi magiſtri accuratis præceptis, admonitionibuſque adoleſcentes ſuffulciunt, ut mores recti inde germinent.* Quare ſi contingat magiſtros decreto ordinis probatos, in arte ſua, & morum probitate deficere, ſeque juvenibus minus utiles præbere, denuò ab eodem ordine, contrario decreto reprobari poſſe ſæpe conſtitutum eſt, à Gordiano *hic in l. 2.* & à Divo Pio prout refert J. C. *in l. ſed & reprobari ff. de excuſ. tutor.* quia cum deficiant, indigni ſunt privilegiis, *d. l. 6. & ult.* magiſque convenit implicentur conſuetis muneribus, prout illi qui otio vacant. Gaſpar Theſaur. *in qq. Forenſ. lib. 1. q. 99.* Galganet *de jur. publ. lib. 4. tit. 29.*

Igitur ut facilius plures docti, & probi viri invi- 7
tentur ad erudiendum juventutem in liberalibus ſtudiis, & memoratis artibus, præter recenſitum immunitatis privilegium, alia præmia & mercedes ex publico iis conſtitutæ ſunt, *l. 6. in fin. h. t.* præſertim Medicis & Archiatris regiarum urbium, non ita juris peritis, quorum ſcientia ſanctiſſima, pretio nummario æſtimari non debet, nec dehoneſtari, *l. 1. §. 5. ff. de extraord. cogn.* Profeſſoribus tamen Academicis ex ærario mercedes præbentur, & honoraria potius remunerationis cauſa, cum enim in docendo ingens labor verſetur, & inde diſcentibus præſtantiſſima accedat utilitas, & morum informatio, meritò hic docentium labor remuneratur: quamquam hodie non digna mercede. * Cum ſe- 8
cundùm ſententiam Diocletiani, ſtudiorum labor maximum mereatur præmium, *l. 1. C. de aſſeſſor.* Et antea dixerit Antoninus præmium artes nutrire; ideo per omnes Provincias Rhetoribus & Philoſophis ſalaria detulit & honores: Iis Alexander Severus Grammaticos & Mathematicos addidit, & Veſpaſianus alias Imp. parciſſimus, *Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit*, Suetonio teſte, hoc eſt, bis mille quingentos aureos annuè. Idem Medicis decem millia aureorum aſſignavit, ut ſcribit Plinius. Quin ut majore in honore profeſſores haberentur, Conſtantinus Imp. illis integrum ſalarium etiam occupatis erogari voluit, non tamen id ad exemplum trahi, nec ullis aliis ſalarium

Digitized by Google

ſalarium ex publico conſtitui, *l. un. ſup. de prab. ſalar.*

9 Hodierno tempore legitime impeditus profeſſor, ſi non poſſit munus ſuum exercere, integrum nihilominus honorarium accipit, exemplo ejus qui operas ſuas locavit, *l. 38. ff. locati.* ſecus ſi negligentia officium prætermittat, nam tempus ceſſationis ſubducitur, prout in aliis locationibus conductor ſubducit mercedem, quod culpa locatoris, non licuerit frui fructibus rei conductæ, *l. 33. ff. d. t.* Bald. *in rubr. de magiſtr.* atque ita in profeſſore ordinario obtinet; quod ſi autem ad certum tempus, conductus fuit profeſſor, eoque exacto in patriam redeat, reverſuſque de novo iterum conducatur ad legendum, certe eodem ſalario quo ante, reconductus cenſebitur. Baldus *in l. etiam in fin. C. de jure dotium, l. pen. §. uxor. ff. ſol. matr.* ubi addit idem eſſe de domo ſimpliciter conducta in annum, eoque finito ſi reconducatur, intelligitur enim reconducta eodem
10 ſalario. * Porro ſi in perpetuum profeſſor ad docendum ſit aſſumptus & in functione ſua cum laude moriatur, tranſmittet totius anni ſalarium ad ſuos hæredes, uti etiam advocatus, per quem non ſtetit, quo minus cauſam ageret, *l. 15. C. de advocat. diverſ. jud.* ſecus eſt in ſtipendiis, quæ ob laborem & operam non æque liberalem dantur famulis, mercenariis, opificibus, ut ea ſolum pro rata temporis quo operas defuncti præſtiterunt, eorum hæredibus competant, *l. 5. in fin. ff. locati.* Plura infra *lib. 12. tit. 17. n. 6. & 7.* Interim videatur Tholoſanus *l. 27. ſyntagm. jur. c. 2.* Gail. *lib. 1. obſerv. 44. n. 12.* Surdus *conſ. 42.* Menoch. *lib. 2. arbitr. caſ. 159. cent. 2.*

11 Secunda rubricæ pars agit de Medicis, qui quidem etiam Profeſſorum appellatione poſſunt comprehendi, ſive publicè medendi artem in Academia profiteantur, ſive eam alibi exerceant curando ægros. Ars hæc pulcherrima & omnino neceſſaria, quæ ſanitatem ægrotis reſtituit, & vitam omnibus conſervat; ob quam neceſſitatem monet Deus Medicum reverenter obſervandum eſſe, *Eccleſ. c. 38. 1.* & Imperator Medicos & maximè Archiatros ab omnibus muneribus, vel publicis, vel civilibus immunes eſſe præcipit, ut dictum *per l. 6. hic & l. 8. de metatis.* Variiſque honoribus & præmiis eos in Re-
12 publica ornandos cenſet, unde multis in locis Medicis pars Reipublicæ committitur, & conſularis honor defertur; Cur enim non medico committant cives urbis ſuæ tutelam, cui vitam ſuam, liberorum, conjugumque credunt? quod tamen non probo, ubi juriſperitorum copia eſt, quos in magiſtratibus, Medicis præferri velim.

13 Porro dignitatis prærogativa decoratus medicus, non deſinet artis ſuæ peritiam exercere, & pauperum caſas, æque ad divitum domos obire, cum ratione ſui muneris omnibus ſervire teneatur, Imo honeſtius pauperibus gratis ſubvenire, quam turpiter propter divitias divitibus ſervire. Unde probi Medici gratis pauperes curare ſolent (prout Hippocrates fecit) quin etiam omnes curare debent, qui ex publico ſalaria accipiunt, ut habet *l. 9. h. t. Archiatri ſcientes annonaria commoda à populi commodis ſibi miniſtrari,* ab ægrotis non diſcedant, ſed eos diligenter curent. Olim annonarum commoda Profeſſores & Medicos à populo accepiſſe conſtat, prævia cognitione Præſidis. Gutherius *de domo Aug. lib. 2. c. 14.* mercedem deinde diurnam Medicis aſſignatam fuiſſe ſexaginta ſolidorum patet *ex l. 3. ſup. commun. de legatis, & l. 1. de communi ſervo manumiſ.*

Quod ſi autem ex publico ſalaria non accipiant, 14
nec legis aut ordinis decreto cautum ſit, quantum pro ſalario exigere oporteat, moderato contenti eſſe debent: moderamen autem attenditur, conſiderata gravitate morbi, induſtria & labore Medici, ac facultatibus infirmi, cum quo turpe eſſet paciſci, durante morbo, aut ſalarium exigere, priuſquam infirmus valetudini fuerit reſtitutus, eoque pertinet *d. l. 9.* ubi dicitur *Medicos ea tantum ſalaria poſſe accipere, quæ ſani offerunt, pro obſequiis, non ea quæ periclitantes pro ſalute promittunt*, quia hujuſmodi promiſſio aut pactio magis videtur coacta, & contra bonam fidem, juxta *l. 3. ff. De extraord. cognit.*

Quid ſi Medicus pacta mercede infirmum cura- 15
verit, hic iterum in eundem morbum inciderit, utrum teneatur eadem mercede ægrum curare? Non videtur teneri, quia jam æger eo morbo liberatus fuit, & obligatio per liberationem ſemel extincta, amplius reviviſcere non poteſt, ſimiliter iſta obligatio curandi, non debet in infinitum extendi, ſaltem eadem mercede, ſi de futura ægritudine non fuerit facta mentio, nec de ea conventum. Accedit quod ſi poſt aliquod intervallum regreſſa ſit infirmitas, culpa ægroti, non obligetur Medicus pacta mercede illum curare. Attamen magis placet non videri ægritudinem receſſiſſe; quæ paulo poſt reverſa eſt, nec ſanitatem recuperaſſe, qui eam non potuit retinere. Quamobrem cum talis ægritudo non ſit diverſa à priore, ſed eadem continuata cenſeatur, æquum eſt ut Medicus eodem ſalario curare ægrotum teneatur. * Quid autem ſi ſciat morbum
eſſe perpetuum & incurabilem? Certe non pote- 16
rit plus ſolito exigere, imo ſatius foret nihil exigere, neque promittere valetudinem, quam arte & diligentia ſua dare non poteſt Tabin. *in verbo Medicus.* Sylveſter *in ſumma verb. Medicus.* * Quid ſi protraxe- 17
rit curam Medicus, ut plus pecuniæ ab ægroto extorqueat? Conqueritur de tali medico Plinius junior *in initio ſui oper.* quod dolorem quem paucis diebus, vel etiam horis poſſet repellere, in longum tempus protraxerit, ut ægrum ſuum diu haberet in reditu, Quod quia incivile eſt, Præſes provinciæ coërceat

Digitized by Google

coërceat talem medicum & pecunias extortas reſtitui jubeat, *l. 3. ff. De extraord. cognit.* Ripa *De peſte c. De remed. ad cur. peſt. pag. 33. num. 81. & ſeqq.* addit condemnandum quoque eſſe medicum hoc caſu ad damna & intereſſe *per l. 8. & l. 9. §. 1.* ibi *perſuaſum medicamentum infuderit ore vel clyſtere ff. ad l. aquil.*

18 Debet enim medicus in curatione omni diligentia, & bona fide procedere, etſi ex arte cognoſcat mortem ægrotantis vicinam, tenetur eam ei manifeſtare, quoniam licet ægrotus credatur eſſe in bono ſtatu animæ, & rerum; tamen ad utrumque proficere poterit iſta denuntiatio, magiſque ſe ad mortem diſponet. Roſella *in ſumma De caſib. conſcientiæ verb. Medicus §. utrum autem Medicus.* Dubitatur an medicus poſſit petere ſalarium ab infirmi hæredibus illo mortuo? Negat Bart. *in d. l. 9.* cum dicit non deberi ſalarium, niſi ubi ſanus eſt æger, quia vero non ſemper eſt in poteſtate medici ut æger ſanetur, verius puto medicum poſſe petere ſalarium non obſtante mortis eventu, & etiamſi æger id prohibeat: ſatis enim eſt, quod diligentiam omnem in curatione adhibuerit.

Quod autem aliqui ſentiunt medicum ob negatam aut dilatam ſibi ſolutionem poſſe infirmum divitem deſerere, *arg. l. 14. De erogat. milit. ann. lib. 12.* non id probo, cum non amore pecuniæ, aut ſpe illius obtinendæ, ſed publicæ utilitatis & muneris cauſa, operam ſuam infirmis impertire debeat.

19 Quæ cauſa procul dubio fuit cur ſtipendia ex publico itemque privilegia recenſita, medicis data fuerint, non quidem omnibus, ſed iis qui ex ſtatutorum numero eſſent, aut Reip. cauſa foris degerent, uti medicis caſtrenſibus, & legionis illius in qua eſt Princeps, *l. 1 h. t.* præcipuè Archiatris, qui in comitatu Principis medendi cura funguntur, *l. 6 h. t.* quales gloſſa *in l. ult.* medicorum principes vocat, qui ſoli de novorum ſcientia judicant, & aſſignant ordinem ſucceſſionis in locum defuncti. Nam ſi quis in Archiatri defuncti locum, promotionis meritis aggregandus eſt, non ante eorum particeps fit, quàm judicio ſeptem ex primoribus ejus ordinis ſeu collegij idoneus probetur, ita ut non in locum, quem defunctus habuit, ſtatim veniat, ſed iſtius ordinis ultimum obtineat, cæteris ad priora loca ſub-
20 vectis, *l. 10. h. t.* * Ubi addit Rebuffus, quod quamdiu ex collegio medicorum, certo in loco exiſtentium ſunt idonei, non debeant ſurrogari extranei, nec etiam præferri antiquioribus. Quod puto verum, niſi extranei in medendi arte & praxi ſint peritiores, atque decreto ordinis probati, antequam ad curam civitatis exhibeantur; quoniam invito ordine, medicos nec intra numerum eſſe, nec immunitatem habere ſæpe à Divis Impp. conſtitutum eſt, cum oporteat decreto decurionum, immunitatem eis tribui, & ſalarium aſſignari, *l. 5 h. t.*

21 Unde licet hodie à Profeſſoribus Academicis examinati, renuntiatique ſint Doctores medicinæ, non debent tamen admitti, aut cooptari in ordinem medicorum civitatis, niſi ſub aliquo Archiatro, & expertiſſimo magiſtro, praxim prius exercuerint, ne experimenta per mortes agant. Nam cum ſæpe precibus aut pretio gradus conferantur illis præſertim qui ex Italia, Galliave codicillis muniti veniunt, quid indignius, quam tales ſtatim medicos cenſeri, artem experiri per ignobiles, & illuſtres mortes? ut quod olim dictum, nunc fiat: *Soli medico, ſolique advocato, ſine pœna mortis, occidere fas eſt.* Minus tamen nocet imperitus advocatus, quia facilius error ejus cognoſcitur, & adverſarium habet, ideo nemo ſe facile arenæ committit, niſi ſpe victoriæ; at medici non item, unde ipſe ſemper in tuto, nec unquam accuſatur, licet periculo noſtro diſcat, & dubie curando occidat. Hinc pauci imperiti juris cauſas agunt, at medicorum error, non niſi deſperata vita agnoſcitur, & negligitur frequenter ab avido hærede, cui profuit medicum fuiſſe imperitum. * Hanc ego temeritatem, in bene con- 22
ſtituta Republica gravi pœna coërcendam ſentio, quæ ſi ad mortem extenderetur, non tot imperiti medici in majoribus civitatibus veluti peſtes graſſarentur, ut judicavit Menochus *arbitr. jud. caſ. 531.*

Omnis excuſatio à muneribus civilibus æquitate 23
nititur: ſed ſi prætendentibus eam ratione alicujus ſtudij, artificij aut muneris, ſtatim credatur, & prout cuique libuerit permiſſum ſit ſe excuſare, tandem non erunt qui munera neceſſaria in rebus publicis obeant. Quare etſi Profeſſores & alij de quibus egimus, à muneribus civilibus immunes ſint, & ideo excuſare ſe poſſint, illi tamen qui primas litteras docent, & in numerum allecti nondum ſunt, hac immunitate non fruuntur, ut fruſtra excuſationem allegent, quod in primariis civitatibus litteras profiteantur, *l. 1. in pr. & l. 2. in fin. ff. De vacat. & excuſ. mun.* * Hinc etiam Poëtæ nulla immunitatis præ- 24
rogativa juvantur, *l. 3. h. t.* non quod ea ſint indigni, ſed quia lex deficit, inquit Cujacius: Aut forte quod tempore Philippi Cæſaris (qui auctor eſt *d. l. 3.*) viles & abjecti eſſent Poëtæ: prout & ante, teſte Gellio *lib. 11. noct. Attic. c. 2. graſſatores vocarentur*, & convivia captarent, in quibus ſatyris & contumeliis certare, hominumque vitia deſcribere ſolerent, nec primoribus parcerent, ideoque exoſi. Licet ſub Auguſto, & aliis Principibus nobiliores Poëtæ in pretio habiti ſint, non tam utilitate aliqua quam cupiditate gloriæ, & immortalitatis, multi enim *memoria carent, quia vate ſacro.* At Amaya denegatam immunitatem Poëtis exiſtimat *ad d. l. 3.* quia cum naſcantur magis quàm fiant, divinus illorum ſpiritus, & impetus, qui *ſacra ſemina mentis habet*, tantum contentus eſt laudibus, & ſic nullum præmium aut privilegium majus dari po-

tuiſ

Digitized by Google

rit divinæ menti, quam laudes, ut enim ipſa ſibi merces virtus, ita pro mercede, ſolâ gloriâ contenta eſt Poëſis.

25 Fuerunt & alij gloriam affectantes, fucatique homines temporibus Valentiniani & Valentis Impp. (& nunc ſunt) qui ut patriæ muneribus ſeſe ſubtraherent, habitum Philoſophi indebite & inſolenter uſurpabant, affectabantque virtutem à qua erant remotiſſimi, hos patriæ ſuæ curiis reddendos cenſent iſti Impp. *in l. 8. h. t.* quia non debent privilegiis, & immunitatibus gaudere, quas lex veris Doctoribus & Philoſophis indulſit, propter laudatiſſimum munus docendi, & honorē litterarū, *l. 6. h. t. & l. 8. §. 4. ff. de vacat. mun.* Ratio optima redditur *in d. l. 8.* quia turpe eſt eos patriæ functiones obire non poſſe, qui fortunæ vim ſe ferre profitentur, quaſi dicat, ſi Philoſophorum profeſſio eſt, fortunæ ſe opponere, ejuſque injurias viriliter ſuſtinere, multo magis patriæ munera, in quibus obeundis patientia & conſtantia exercetur. Huc facit quod *ſupra tit. 41* Impp. reſcripſerunt *in l. 6.* de Philoſophis, qui ſimulatam Philoſophiam profitebantur, immunitatis, non virtutis cauſa, & clanculum contra præcepta ſuæ artis, avaritiæ & rapacitati incumbebant: quare cum poſſeſſio, & deſiderium inter ſe diſcreparet, coacti ſunt ad patriæ munera redire. Videatur Amaya *ad l. 31. De decurionibus num. 16.* ubi multa adfert de iis, qui ſimulatam Philoſophiam, & virtutem affectant, & occulte turpiſſimam vitam agunt, de quibus conqueritur Juvenalis Satyr 2. *in princ.*

26 Igitur illi ſolum qui publica auctoritate, veram, non ſimulatam philoſophiam profitentur, cæterique liberalium artium ac ſcientiarum Profeſſores, immunitate gaudent à publicis muneribus & ab hoſpitum receptione, ut dictum eſt per *l. 6. & ult. h. t.* quibus etiam honores & ſalaria decreverunt Impp. orationibus ad ſenatum miſſis, quorum numero non adſcribebantur calculatores, ſeu Geometræ, *l. 4. h. t.* quia nec à muneribus, nec à tutelis vacabant, *l. 22. ff. De excuſ. tut.* De orationibus iſtis Impp. quorum frequens mentio in pandectis, videndi ſunt Cujacius *lib. 1. obſ. c. 18.* Briſſonius *lib. 1. antiq. c. 16.*

TITULUS LIII.

De Athletis.

1. *Conceſſa immunitas Athletis, qui virtutis gratia ſe exercebant, in curſu, haſta, lucta, ſaltu.*
2. *Victores præmia referebant, ac talem honorem, ac ſi Romæ triumphaſſent. Recenſentur præmia.*
3. *Cur Olympia dicta, & Luſtrum. Quæ in hiſce certaminibus conditio propoſita.*
4. *Coronati in ſacris certaminibus immunes erant.*
5. *Quomodo intelligendum quod dicit Ulpianus Athletas infamia notari.*
6. *Quis ſit ſenſus hujus Conſtitutionis.*
7. *Exponitur quæ fuerit antiqua Græcia.*
8. *Miles qui bene ſe geſſit, & ſtudioſus qui in examine bene ſuoſtitit, præmium & gradum meretur.*
9. *Abeſſe debet omnis colluſio & corruptela. Qui corruptis ſuffragiis promovetur, non meretur præmium.*
10. *In hac univerſitate Lovanienſi qui per diutinum tempus ſcholaſtica certamina obierunt, ad doctoratum promoventur.*
11. *Præferuntur Doctores magiſtratibus civilibus.*

Quemadmodum in gratiam liberalium artium Profeſſoribus conceſſa eſt immunitas, ita etiam Athletis, qui non mercedis; ſed virtutis formandæ & oſtendendæ cauſa, in paleſtra pugnabant, & ſe & alios exercebant, curſu, lucta, haſta, diſco, pugillatu, ſaltu. * Et vincentibus in memoriam perpetuæ famæ & gloriæ, varia præmia & ſtipendia civica dabantur, inter alia corona oleagina, vel laurea, exemplo Græcorum, qui ſuis agoniſtis in certaminibus olympicis vincentibus, coronas & palmam deferebant, & glorioſius judicabant in ludis iſtis viciſſe, quam Romæ triumphaſſe. Cicer. *lib. 2. Tuſcul. n. 17.* In Olympicis quidem dabantur coronæ oleaginæ: in Iſthmiis vero pineæ, in Nemæis ex apiis concinatæ, in Pythiis autem poma proponebantur à Sacerdotibus Apollinis. Romæ quoque coronas, & præmia Athletis adjudicabant Agonothetæ, qui ſacris certaminibus præerant, inde præmia Agonothetica vocat Tertul. *in lib. ad Martyr.* & Alciatus *in l. jubemus inf. De fundo patrim.* Confert hic quod refert Vitruvius. *De architect. lib. 9. Nobilibus Athletis qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemæa viciſſent Græcorum majores, ita magnos honores inſtituerunt, ut non modo in conventu ſtantes, cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam cum revertuntur in ſuas civitates, cum victoria triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias invehantur, aque Republica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur.* * Ad hæc certamina quinto quoque anno renovari, & celebrari ſolita, undique populi confluebant, inde Olympias apud Græcos pro quinquennio accipitur, uti apud Romanos luſtrum, quod quadriennio exacto, quinto anno ineunte, luſtrum peractum eſſe intelligitur, & tributa ac vectigalia tunc exigebantur, & prædia quoque in id tempus locari olim conſueverant, *l. 4. §. 1. ff. de reb. cred.* Alciatus *diſp. 3. c. 1.* Budæus *in ann.* Erat autem de hiſce ludis lex poſita, ne ullus præmium aut coronam referret, niſi cum quocumq; in medium prodeunte, ſine diſcrimine & electione decertaſſet, non enim licebat victori aliquem eligere cum quo congrederetur, teſte Plutarcho. *De tranquil. animi.*

Aaa 2 Unde

Digitized by Google

4 Unde hac Impp. Diocletiani & Maxim. conſti-
tutione,occuritur fraudibus Athletarum,poſt adep-
tas coronas à civilibus muneribus vacationem pe-
tentium ; nam illi ſolum qui in ſacris certaminibus
coronati erant, conſequebantur vacationem mu-
nerum,& excuſabantur à tutelis, *ut hic & in l.ſi duas*
5 *6.§.Athleta 15. ff. De excuſat tut.* * Atque ad honores
& functiones militares ſibi viam ſternebant, ita ut
non obſtet quod dicit Ulpian. Athletas infamiæ
notam non evadere,qui in arena paſſi ſunt ſe hono-
rari, *l.1.§.5. verſ. & qui operas ff. de poſtul.* quia loqui-
tur de his, qui cum beſtiis certaturi in arenam deſ-
cendunt, tales enim ignominioſi fiunt, quamvis id
non ob mercedem faciant, at illi qui ſpe victoriæ
ad pugnam deſcendunt, & ſeſe cum hominibus vir-
tutis & virium exercendarum gratia exercent, ar-
tem non faciunt ludicram, neque ſi in pecuniam
ludant, infamantur, *l.2. ff. de aleator. Non projiciunt
animum projecti, & quoties ceciderunt, contumaciores re-
ſurgunt*, inquit Seneca *Epiſt.13*. Tales meritò hono-
ribus afficiuntur, atque de his intelligendus alius
Ulpiani locus *in l. 3. & 4. ff. De iis qui notantur.*
6 * Itemque conſtitutio hujus tit. quæ ita demum
Athletis ab oneribus civilibus vacationem tribuit,
ſi per totam ætatem certaſſent, coronis quoque
non minus tribus coronati fuiſſent, atque unam ex
illis Romæ,vel in antiqua Græcia reportaſſent,om-
neſque promeruiſſe conſtaret, virtute & legitimo
certamine,non æmulis corruptis, aut redemptis, *l.*
7 *un. h.t.* * Porro antiquam Græciam hic interpreta-
tur Cujacius, illam Italiæ partem, quæ major fuit
appellata, de qua Ovidius *lib. 4. Faſt. Itala nam tellus
Græcia major erat.* Alii Achaiam,& veram Græciam
fuiſſe aſſerunt, in quam provinciam ſe transfere-
bant pugnaturi Athletæ virtutis & gloriæ cauſa,
ac ſpe obtinendi ſacras coronas. De quibus Corn.
Tacitus *lib.15. annal.* ibi : *Acriore in dies cupidine age-
batur Nero, promiſcuas ſcenas frequentandi. Nam tamen
Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim quaſi Græcam ur-
bem delegit, inde initium fore, ut transgreſſurus in
Achaiam inſigneſque & antiquitus ſacras coronas adep-
tus, majore fama ſtudia civium alliceret.* Alciatus nihil
hac de re,ſed ſolum exponit eleganter de more,iſta
certamina ſacra, quæ in honorem Deorum cele
brabantur, & coronas & pancratium, & penta-
thlum umbratilem pugnam, victumque Athleta-
rum,aliaque loca reſtituit, *ad l. 10. ff. De pollicitatio-
nibus.* Videndus Joſephus Moniardus in rubrica *ut
publica lætitia vel conſuli.lib.11.* & Tiraquell. *De nobi-
lit.c.34.n.19.* * Ex his quædam ad mores hodiernos
8 applicemus, ac primum illud quod miles, qui forti-
ter,& ſtrenue ſe gerit adverſus hoſtes, & ex illis vi-
ctoriam tertio reportavit. Præfecti militiæ, aut
Ducis nomen mereatur,& præmium; illud quoque
meritò conſequitur ſtudioſus,qui in publico priva-
toque examine, cum laude ſubſtitit, & decreto or-
dinis diverſam materiam tertiò alternis diebus pu-
blice defendit,oppugnantibus eum Doctoribus, &
aliis,remota omni conferentia,colluſione,fraude :
nam ut habet lex noſtra, qui corruptis,aut redemp-
tis adverſariorum ſuffragiis vicit, non cenſetur vi-
ciſſe.Bart.Platea,&Rebuffus *ad h.tit.* qui cenſent do-
ctum præſumi,& talem haberi eum, qui in triplici
examine ſtrenue ſe geſſit, & cum laude reſpondit,
ita ut non ſufficiat unicum ejus eruditionis ſpeci-
men, nam poteſt quis caſu magis quam peritia reſ-
pondere,& proinde laudem nullam meretur : mul-
to minus præmium & immunitatem ille, qui cor-
ruptis ſuffragiis, doctoralem dignitatem, aut licen-
tiæ lauream fuit conſecutus; degradandum potius
talem cenſeo, & pœna dignum, quod in pecuniæ
corruptela ſpem victoriæ repoſuerit, *juxta l.1.ſup.
De pœna judic. qui male judic.*

Igitur exemplo generoſi Athletæ,illi qui dignita- 9
tis doctoralis titulum ambit, virtute & doctrina
contendendum eſt, & in id incumbendum, ut ipſe
titulum ornet,ac illuſtret,non ipſum titulus,alioqui
vanus eſſet ille honor,quem non virtus parit.Apud
Sinenſes nulli niſi digniſſimo ſtudiorum honor
confertur, præmiſſo triplici examine, ut refert Ni-
col. Trigautius *lib.1.* * Similiter in univerſitate Lo- 10
vanienſi, & in Salmanticenſi, nullus ſolet ad gra-
dum Doctoratus admitti, & rude donari, niſi qui
per omnem ætatem,aut ſaltem plures annos,ſcho-
laſtica certamina obierit,ſeque moribus & doctri-
na dignum omnibus oſtenderit, *juxta l.7.ſup.tit.* ta-
lis enim ſcientiæ nobilitate decoratus, & equeſtri
ordini inſertus,ab omnibus muneribus & oneribus
tributorum redditur immunis. Garzia *De nobil.gloſſ.
35.num. 4.* Gomez *ad l. fin. Tauri n.17.* Amaya *ad l.
5.* plures alij,quos refert Gaſpar Klockius *De contri-
but. cap. 15.* & ex noſtris Bobadilla *lib. 1. polit. c.4.
num.3.* * Qui dicunt nobilitatem ſcientiæ præfe- 11
rendam eſſe nobilitati generis, & Doctores ci-
vilibus magiſtratibus præponendos, quod ſapien-
tiæ excellentia major ſit,quam poteſtatis. Sic Sigiſ-
mundus Imp. cum Georgium Fiſchellum Docto-
rem equeſtris ordinis honoribus auxiſſet, & ille re-
licto Doctorum ordine cum equitibus ſederet,eum
reprehendit his verbis, *Stulte agis qui litteris militiam
præfers,nam ego milites & equites mille una die fecero, Do-
ctorem mille annis unum non fecero*, quibus oſtendere
voluit,eos qui ſcientiam docent, digniores eſſe iis,
qui illa utuntur in regimine, aut tuitione Reipubli-
cæ. Huc facit illud Heliodori apud Dion. *in Adria-
no. Poteſt Cæſar pecuniam & honores tribuere, Rhetorem
facere non poteſt*, licet omnia verbo ſolo poſſit effice-
re, *l. fin. Cod. De conſul. l. 1. Cod. de metrop.*

TITU-

TITULUS LIV.

De his qui non impletis ſtipendiis Sacramento ſoluti ſunt.

1. *Quæ ſtipendia militibus darentur, & quibus.*
2. *Sacramentum quomodo præſtari ſolitum, & quod nunc à militibus præſtetur.*
3. *Qui vicena ſtipendia compleverant, veterani & honeſte miſſi dicebantur.*
4. *Fruebantur perpetua immunitate expleto 20. anno in militia: Aliis dabatur temporalis vacatio.*
5. *Veterani agris donabantur, & ubicumque morarentur, immunitatem habebant.*
6. *Cauſaria miſſio quæ ſit, cauſarie miſſus excuſatur à muneribus, non tamen gaudet privilegiis veteranorum.*
7. *Ignominoſa miſſio quæ fuerit, qui exauctorari & ignominioſe mitti poſſent, & qua formula.*
8. *Qui ad tempus miſſi ignominia miſſi intelliguntur.*
9. *Addita cauſa ignominiæ, infames fiunt, ab honoribus removentur non ab oneribus.*
10. *Cur hodie milites qui vicena ſtipendia meruere, ſacramento non ſolvantur.*
11. *Extat conſtitutio apud Hiſpanos excuſationem præbens à militia.*

1 STipendia hoc tit. ſunt ſalaria, quæ militibus in remunerationem laboris erogantur; erant autem hæc, pecunia, frumentum, & veſtis militaris, de qua infra *lib.* 12. Cæterum nullis niſi in numeros relatis ſtipendia dabantur, nec ullis ante militare permiſſum, aut hoſtem gladio petere, quam militari ſacra-
2 mento adſcripti eſſent. * Hoc militare ſacramentum, velut inter diſciplinæ præcepta neceſſarium, & non Reipublicæ tantum, ſed & ipſis militibus utile, omnes belli Duces, Legati, Tribuni, Centuriones, Decuriones, Præfecti caſtrorum & milites præſtabant, ſingulis annis Calendis Januariis, de quo ſacramento multa Livius, Suetonius *in Galba*, & Corn. Tacitus, Jurabant autem per Deos ſolemni formula, ſe juſſu Conſulum conventuros, neque injuſſu abituros, ſeſe fugam formidinis ergo non arrepturos, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſa. Hodie juramento ſe obſtringunt milites, omnia ſtrenue & ex fide facturos, quæ præceperit eorum Dux, neque deſerturos militiam, aut evitaturos mortem.

3 Apud Romanos ſtipendiarij, qui vicena complerant militandi curricula, veterani & honeſte miſſi itemque legionarij dicebantur, *l.* 8. *§.* 6. *ff. de excuſ. tut.* Suidas, & Juſtus Lipſius *de militia Romana*, & Cotæreus *de jur. mil. lib.* 1. *cap.* 24. *& ſeq.* Illis porro à muneribus & oneribus perſonalibus vacatio ipſo jure concedebatur, ut non opus eſſet eam à Principe impetrare; ea tamen vacatione & immunitate non prius fruebantur, quam vigeſimum annum in legione, vel vexillatione complevîſſent. *l. ult. h. t.* Atque totum id tempus in militia perduraſſent, honeſtamque miſſionem fuiſſent conſecuti, *l.* 26. *ff. de teſt. mil. l.* 9. *C. quando provoc. non eſt neceſſe.* Ita ut fruſtra milites qui in cohorte, aut in vigiliis Romæ militaverant, vacationem in perpetuum flagitarent, prout deciſum *in d. l. ult. in fin.* * Nam illis, aliiſque 4
honeſtiſſimis ad breve ſolum tempus dabatur vacatio à Principe, veluti ad annum, biennium, quinquennium, ut videre eſt apud Livium, *lib.* 3. *dec.* 3. *& lib.* 9. *dec.* 3. & Tacit. *lib.* 1. *annal.* ſtatutum deinde à Theodoſio, ne quis vacationem obtineret à Principe temporalem, niſi ex juſtis cauſis, illiſque probatis. *l. un. ſup. de iis qui à Princ. vac. accep.* Quæ differebat idcirco à veteranorum vacatione, quæ erat perpetua, & privilegiis munita, *l.* 2. *h. t.* Cæterorum vero militum temporalis & ſine privilegiis.

Præterea veterani ſacramento ſoluti, ac rude do- 5
nati, cum honore in colonias mittebantur, & in remunerationem meritorum, ibi agros accipiebant, itemque pecuniam ad emenda ruri neceſſaria *l.* 3. *C. Theod. de veteran.* plenaque immunitate fruebantur nobilibus conceſſa, quocumque in loco degerent, nec eam amittebant etiamſi eorum aliqui ſua voluntate honorem aut munus ſuſcepiſſet, *l.* 2. *ff. de veteran.*

Atque iſta honeſta miſſio dicebatur. Erat & cau- 6
ſaria, utique honeſta, cum ſenecta aut valetudine adverſa, vitiove corporis minus idoneus militiæ quis renuntiabatur, *l.* 9. *C. quando provoc. non eſt neceſſ.* Æquiſſimum namque eſt homini (inquit M. Cicero) qui non ſibi ſoli ſe natum meminerit, ſed & ſuis & patriæ, eoque animo aliquot annos nihil timens, nemini cedens, ſemper invictus in militia perſtiterit, dum ſenio & tempore edaci abſumitur, perexiguam partem honeſtatis relinqui. Ob id Impp. Diocletianus & Maximianus cuidam militi reſcripſerunt, neminem ambigere honeſtam miſſionem eſſe conſecutum eum, qui ob provectæ ætatis moleſtiam ſit dimiſſus, *l.* 1. *h. t.* Cæterum ob morbum non facile quis mittebatur, niſi denuntiantibus medicis, & judice diligenter examinante vitium, & ſemel conceſſa miſſione, non ſolebat miſſus iterum admitti, prætextu recuperatæ valetudinis, *l.* 6. *infr. de re mil.* Sed ex quacumque cauſa miſſus, denuò in militiam ſine mandato Principis admitti non poterat, *l.* 2. *infr. de diverſ. offic. lib.* 12. Et quidem ex his cauſis miſſus, habebat quoque vacationem à muneribus & honoribus, quamvis non perpetuam, nec enim iis privilegiis fruebantur, quibus hi qui completis ſtipendiis miſſi fuerant, *d. l.* 2. *h. t.* Aliis tamen veteranorum privilegiis gaudebat, &

præmia veteranis conceſſa percipiebant, *l.8.§.2.ff. de excuſ. tut. l. 13. §. 2. ff. de re mil.* inter quæ, quod eorum teſtamenta tempore militiæ facta, etiam intra annum poſt miſſionem valerent, idque Juſtinianus *inſt. de teſt. mil. §. ſed hactenus*, confirmavit. Conſtat quoque eos qui cauſaria miſſione ſacramento poſt viceſima ſtipendia ſolvebantur, integram famam retinuiſſe, & habuiſſe eadem privilegia, quæ veteranis competebant, *d.l.13.§.2.* Erant enim anni viginti juſtum tempus militiæ *l. ult. h. t. & ſupra quando provocare.* Licet non ignorem ſub diverſis Principibus hoc tempus varium fuiſſe, ut videre eſt apud Juſt. Lipſium *de militia Romana lib. 5. dial. n.9.* Gothofr. *de re milit.*

7 Ignominioſa miſſio erat cum miles, vel centurio, ob delictum, vel crimen ſacramento ſolvebatur. Atque eo proprie ſolvebantur veterani, exauctorabantur autem puniendi. Exauctoritatis militibus non ſolum gregariis, ſed etiam tribunis detrahebantur inſignia, & ignominia notabantur, ac ſic notatis ad honores aditus præcludebatur nec in urbe iis conſiſtere licebat, nec alibi ubi Princeps erat, *l.1.h.t. l.13. §.3. ff. de re mil.* Quæ miſſio morte ipſa gravior, fiebat in præſentia exercitus. Sic C. Cæſar C. Anienum tribunum decimæ legionis ignominia dimiſit. *C. Aniene, quod in Italia milites populi Romani, contra Rempublicam inſtigaſti, rapinaſque per municipia feciſti, quodque mihi, reique publica fuiſti inutilis, tuaque opera militibus, tempore neceſſario Reſpublica careat, ob eas res cauſa ignominiæ, ab exercitu meo te removeo, hodieque ex Africa abeſſe, & quanto longius potes, proficiſci jubeo.* Ayala *de jure belli l.3.c.6.*

8 Porro ad tempus ſolum miſſis, eo lapſo non porrigitur infamia, *l. 1. C. de his qui in exil. dati ſunt.* Infamiam autem ab ignominia differre, ex Cicerone *pro Cluentio* conſtat. Infamia enim non niſi per ſententiam inferri poteſt, *l.7. ff. de publ. judic.* Ignominia magis infamia facti eſt, & ſine ejus mentione miſſi, nihilominus ignominia miſſi intelliguntur *d. §. 3.* Nec iterum facile recipiuntur militare volentes, licet poſt tempus fuerint abſoluti, quod
9 ſemper quædam macula remaneat. * Quoties verò Princeps dimittit, & addit ſe cauſa ignominiæ dimittere, nemo dubitat infames effici, *l.2.§.2. ff. de his qui not. infam.* Eſt enim nominatim addenda cauſa ignominiæ, ob quam milites mittantur. Atque hi licet ab honoribus jubeantur abſtinere, non tamen ab oneribus civilibus excluduntur, ſed tenentur ea ſubire, iis in locis, ubi morari eis licet, *l.1.h.t. ibi gloſſ.* Eſt autem hodie frequens hujuſmodi ignominioſa miſſio, cum publice interſit, & militaris diſciplina exigat, ut miles delinquens removeatur, & puniatur.

10 Verum honeſta miſſio, non ita in uſu eſt, vix enim ulli milites militiæ ſuæ tempus, licet ſenio confecti, & laboribus fracti compleviſſe videntur, ut merito quamdiu nihil pertimeſcunt, & Reipublicæ prodeſſe poſſunt, ſacramento ſolvendi non ſint. Imo foret iſta miſſio Reipublicæ damnoſa & gravis, ſiquidem militibus, quos viginti annis ſtipendio aluiſſet, cogeretur aſſignare agros, inſtrumenta ruſtica, animalia & pecuniam in præmium tranſactæ militiæ, quoniam ſi hæc multis annis donarentur, tandem omne ſolum ad milites rediret. * Apud Hiſpanos 11
tamen extat conſtitutio Philippi II. Regis anno *1569.* Qua veterani cenſentur, & ſtipendiis militaribus fruuntur, qui continuos viginti annos militarunt, nec coguntur inviti militare, ut obſervat Narbona *tract. de ætate ad omnes actus ann. quinquageſ. q. 8.n.7.* Et ante eum Gregor. Lopez, & Bobadilla.

TITULUS LV.

Quibus muneribus excuſentur hi, qui poſt impletam militiam, vel advocationem per provincias ſuis commodis vacantes morantur; & de privilegiis eorum, & conductoribus vectigalium fiſci.

1. *Qui dicantur impleviſſe militiam, & quibus muneribus excuſentur.*
2. *Exponitur hujus conſtitutionis contentum.*
3. *Quibus privilegiis & immunitatibus fruantur advocati, & à quibus oneribus excuſentur, impleta advocatione.*
4. *Qui in officiis ſpectabilium judicum militant, poſt exacta munia, ad ea iterum non revocantur.*
5. *Conductores fiſci ab honoribus, & muneribus vacationem habent, nec poſſunt ſua excuſationi renunciare.*
6. *Idem privilegium non habent illi qui ab his conductoribus vectigalia reconducunt.*
7. *Privilegium certa perſona conceſſum, ad alias non porrigitur.*

SUperiore titulo egimus de iis, qui non impleve- 1
runt militiam, hoc titulo de iis qui impleverunt, vel advocationem, & nominatim recenſentur munera à quibus excuſentur; cujuſmodi ſunt cura frumenti comparandi, inſpectio operum, defenſio civitatis, curatio Reipublicæ vel annonæ &c. dicuntur autem impleviſſe militiam qui viginti annos in ea perdurarunt, atque eam ob cauſam Impp. eis nulla ſordida, aut perſonalia munera indici voluerunt, & indicta recuſari ab iis poſſe, *text. hic & in l.2. infr. de re milit.* * Quoniam nihil ſordidum, 2
nihil ignobile decet milites, & maxime veteranos; qui proinde ubicumque habitent, privilegiis ſuis fruuntur, nec coguntur ultra portas Præſidibus occurrere (licet honorem eis præbere debeant) nec

ad

Digitized by Google

ad curias ſive collegia vocantur inviti, aut nominantur. Nec deſcriptiones præbent, conſuetudinum, aut ſpectaculorum nomine: unam tamen domum habere debent liberam onere ſuſcipiendorum militum ſupervenientium, iis qui in locis verſantur, dignitate aliqua præditis, ſuam immunitatem obtinentibus, *l.1.h.t.* Quæ conſtitutio græca à Cujacio reſtituta, priora beneficia veteranis conceſſa, auget, non minuit, quam proinde qui violarit, aut violari permiſerit, quinquaginta librarum auri mulctam ſuſtinent.

3\. Exemplo militum advocatis, qui per viginti annorum ſpatium advocationis officio functi ſunt, vacatio conceditur à muneribus perſonalibus, cum etiam hi militare credantur, qui civium patrimonia, vitam & poſteros defendunt, *l.14. ſup. de adv. div. jud.* Addit hæc conſtitutio poſſe advocatos poſt completam advocationem, ubi voluerint commorari, commodis & privilegiis ſuis frui, nec adſtringi aliena negotia ſuſcipere, ſed ſuis ſolummodo vacare. Inſuper advocatis illuſtrium vel ſpectabilium judicum, conceſſum reperio altera conſtitutione, ut etiam nondum impleta advocatione, nihil ſordidum, aut grave munus iis injungatur, nulla peræquatio ingeratur, nulla operis inſtructio, nulla diſcuſſio, nullum ratiocinium imponatur, nullum denique aliud eis mandetur præter arbitrium, in eo duntaxat loco ubi advocationis munus exercent, *l.6. ſup. de advocat. diverſ. judicior.* Pœna prædicta in violatores hujus legis impoſita. Quæ privilegia non gratiæ ſingulorum, ſed ipſi ordini indulta ſunt, hodie iis qui primi & ſtatuti ſunt, de quibus intelligendum quod ſupra *tit.* 47. dixi.

4\. Id vero quod armatis militibus, & togatis hic conceditur, conceſſum quoque eſt iis, qui in ſpectabilium ducum officiis militant, quos poſt completam ſuam militiam Imperatores prohibuerunt ſcholæ agentium in rebus ſociari, cum illos poſt exacta ſua munia, ad ea rurſus revocari minime deceat, *l. 3. C. de offic. mil. jud. l. 6. C. de aſſeſſ.* Alioqui in decem libras auri condemnari debent, hinc fere uſu venit, ut munera, non ſecus ac honores continuanda non ſint.

5\. Altera pars tituli eſt, de conductoribus vectigalium fiſci, qua cavetur non alios à muneribus, & honoribus vacationem habere, quam qui mancipatum ſuo nomine vectigal à fiſco conducunt, *l.2.h.t.* quæ deſumpta videtur *ex l.8.§.1. ff. de vacat. & excuſ. mun.* ubi quoque non alios fiſci vectigalium redemptores, à muneribus civilibus ac tutelis excuſari placuit, quam eos qui præſentes negotium exercent, adeo ut etiamſi maxime velint iſta munera ſubire, admittendi non ſint, quod certe non conductorum honori datum, ſed ne extenuentur eorum facultates, quæ ſubſignatæ ſunt fiſco, *l.5.§.10. ff. de jur. immun.*

Dico ipſos conductores, etiamſi ultro ſe offerant muneribus, iis non obſtringi, ut aliud obtineat in illis, qui ab his conductoribus eadem vectigalia conducunt, vel quædam alia exercenda accipiunt, ut habet hic textus. Licet conductor vectigalia alteri reconducere poſſit, & obligatio qua ejus bona ſunt obnoxia, tranſeat in iſtum conductorem, ut teneatur uſque ad quantitatem ſuæ conductionis, *l. 11.§.5. ff. de pign. act.* Tamen privilegium immunitatis competens primo conductori vectigalium, non tranſit in ſecundum conductorem, prout nec aliud privilegium competens cedenti communicatur ceſſionario, ſiquidem hoc privilegium ſolùm ei datur qui prætendit jus conductionis à fiſco, ſuo nomine, non alterius, *l.un.h.t.* * Inde infert Bartol. & Joan. de Platea hic, quod jus vendendi prædia ſingulorum, ob vectigalia non ſoluta, competens principali conductori, ſuo nomine uti ſuccedenti in jus fiſci, non competat conductori conductoris jure ſuo, nam ut habet axioma, ſocius mei ſocij, ſocius meus non eſt, *l.20. ff. pro ſocio.* Nec ſemper qui cauſam habet à privilegiato, utitur ejus privilegio. Accedit quod privilegium uni perſonæ conceſſum ad alias perſonas non extendatur, *l.13. ff. ſol. matr.* Et privilegij cauſa quieſcente, ſileat quoque ipſum privilegium. Joan. Gutierrez *de Gabell.* 17. *quæſt.* 87, *num.* 11. 6 7

TITULUS LVI.

De Libertinis.

1. *Liberti & libertini olim diverſi.*
2. *Non habent excuſationem à muneribus.*
3. *Libertus unus Senatoris excuſatur ab aliorum tutela.*

Libertos & Libertinos olim diverſos fuiſſe obſervat Suetonius *in Claudio cap.* 24. & Modeſtinus *l.1. ff. de excuſ. tutor.* Quod qui manumittebantur, liberti dicerentur, libertini qui ex manumiſſis orti erant. Sed poſtea confundi hæc nomina cœperunt, & pro his uſurpari, qui poſt juſtam ſervitutem, libertatem conſequuti ſunt, *§.1. Inſtit.h.t.* * Conditio libertinitatis, ut referunt Suetonius & Tacitus, Claudij temporibus, equitum & Senatorum ordinem gloria ſua deturbavit, imo & cæteros civitatis ordines infecit. Non tamen à muneribus civilibus tribuere potuit excuſationem, nec in ea quidem civitate, in qua domicilium libertinus habet, ut ait *l.un. h.t.* id eſt, cum obſtringit muneribus patronalis patriæ, nec exuitur oneribus civitatis, in qua domicilium conſtituit, in utroque enim loco, munera ſubire cogitur, *l.17. & l.37.§.1. ff. ad municipal.* Nec ſolus ipſe libertus, ſed & filij ejus, *d. l. 17. §. 8. & l. 22.* 1 2

Digitized by Google

l.22.27. ff. ad municip. & ſi plures ſint patroni, omnium quoque libertus ſequitur originem & domi-
3 cilium, *l.7. d.t.* * Is tantummodo unus qui patroni ſui Senatoris negotia gerit, ab aliorum tutela & curatione excuſatur, *l.13.C.de excuſat. tutor.* Quamvis aliàs ne quidem is qui jus aureorum annulorum impetravit, ſit exemptus à muneribus civilibus, ſed eodem jure cenſeatur quo reliqui ingenui, *l.43. & l.44.§.1.ff. De excuſat.tut.* Vide quæ ſupra dixi *tit.32.*

TITULUS LVII.

De Infamibus.

1. *Infames licet nequeant honores obtinere, à muneribus tamen non excuſantur.*
2. *Cur muneribus implicentur, & arceantur ab honoribus.*
3. *Quibus in cauſis rejiciantur infames.*
4. *Infamis admiſſus ad honores removetur. Sed an per eos qui eum elegerunt?*
5. *Quando poſſint viles ad officia publica admitti, & ad quæ?*
6. *Ob inopiam virorum honeſtorum poſſunt viles obtinere dignitates, ſi per ſe viles artes non exerceant.*
7. *Quæ viles artes cenſeantur?*

1 QUid ſit infamia, qui infames, & quibus ex cauſis infamia irrogetur, expoſitum eſt *ſup. l.2. tit. 12.* Hic vero traditur, quod licet infames perſonæ, nullis honoribus qui integræ dignitatis hominibus deferri ſolent, uti poſſunt, curialium tamen vel civilium munerum vacationem non habent, ſed ſolemnibus indictionibus, id eſt, patrimonialibus muneribus ob tutelam, vel utilitatem publicam ſatisfaciant neceſſe eſt, itemque perſonalibus oneribus, *l.un.h.t* à quibus ſolum eximuntur, qui ex privilegio immunitatem habent, quam prætendere aut allegare nequeunt infamia notati, ne in commodum eis cedat, quod deberet in pœnam retorqueri
2 *juxta text. in c.5. de donat. inter virum & uxor.* * Inde etiam fit ut ab honoribus & dignitatibus repellantur, ſiquidem nullus honor deberi, aut exhiberi poſſit iis, qui nihil habent quod dignum ſit cultu, imo ob ipſam infamiam viles & abjecti ſunt. Quis enim colat, aut quo cultu proſequatur à jure notatum, qui ſua turpitudine dignitatis ſplendorem obfuſcavit? Unde repugnat infamem eſſe & in dignitate conſtitutum, ut *infra de dignitat.* dicam. Non ſolùm igitur ab ea ſuſcipienda, ſed etiam à jam ſuſcepta repellit infamia, à decurionatu excludit, *l.8. & 12. ſup. De decurionib.* Removetque à poſtulando, aſſidendo, & judicando, *l.1.§.6. & 8. ff. De poſtul. l.2. ff.*
3 *De offic. Aſſeſſ. l.12.§.2.ff. De judic.* * Arcet quoque ab accuſando & teſtimonio dicendo, in quibuſdam cauſis, *l.4. & 8. ff. De accuſ. l.3. ff. De teſtib.* Denique ab omni functione publica & actu judiciali. Coſtalius *ad l. 2. ff. De Senatorib. & nos ſupra tit. ex quibus cauſis infamia irrog. n. 16.* Nec obſtat quod infamis poſſit eſſe arbiter, quodque arbitria ſint redacta ad normam judiciorum, *l. 1. & 7. ff. De recept. arbitr.* Quia non ut advocati, & judicis, ita & arbitri honorificum eſt officium & publicum, ſed privatum omnino quod quis exhibet litigatoribus, à quibus fuit electus. Quod vero arbitria ſint redacta ad inſtar judiciorum hoc procedit quoad ordinem & formam proceſſus, non quoad juriſdictionem & dignitatem.

Quæritur, an infamis ad honorem adſpirans, ſi 4
eum obtinuerit, poſſit removeri, & num per eos qui conſenſerunt electioni? Prius patet ex jam dictis, cum infamia juris contracta ipſo facto, vel per ſententiã non ſolum impediat quem promoveri ad honores, verum etiam dejiciat jam promotum, *l.12. infr. de dignit.* ubi non eſt quod de accepta dignitate ſibi blandiatur is, qui ſeipſum indignum judicaverit. Quod locum non habet in infamia facti, quia licet impediat, non tamen removet à dignitate jam obtenta, ut probatur *ex c. ſuperbis de accuſat. notat.* Abbas *in c. ſuper eo de elect.* Gregorius Lopez *ad ll regni Hiſpaniæ p.7.l.7. tit.6.* Alterum eſt, infamia juris notatum, non poſſe uti indignum removeri ab officio, cui adjuncta eſt dignitas per eos, qui ejus admiſſioni vel electioni interfuerunt, & conſenſerunt, cum initio contradicere debuerint, ut dicit J.C. *in l.13.§. ult. ff. de decurionib.* Huc facit illud, *turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes*, eſtque major nota ab obtento honore removere, quam nec dum obtentum denegare, facilius enim jus quæſitum conſervatur, quam de novo acquiritur. Unde etiam videmus multa tacito conſenſu aut conniventia tolerari, quę contradictorio judicio non permitterentur, quapropter ſi eligentes ignoverint perſonæ vilitatem, aut non tantam eſſe exiſtimaverint, ut dedecori futura eſſet officio, videtur poſſe aſſumptus in eo permanere, & tolerari, ſecus ſi ignominia, & inhabilitas ejus nota ſit, ac tanta, quæ officium, & congregationem fœdet. Bobadil. *l.3. polit. c.8. n.17.*

Interdum admittuntur viles ad officia, & munia 5
publica aſſentiente Principe, qui ideo videtur illis infamiam remittere, multo magis ſi damnatos in integrum reſtituat, *l.1.§.9.ff.de poſtul. & l.1.C.de ſent. paſſ.* Item admittuntur infames & ſpurij ad iſta officia, quæ nullam dignitatem vel honorem adjunctum habent, ad actus quoque qui publici juris ſunt, *l.3. & 6.§. ſpurios ff. de decurionib.* hinc & hæredes inſtitui, & legatum & fideicommiſſum obtinere, & teſtamentum condere poſſunt, *l. 11. & l. 27.C. de inoff. teſt.* ibi DD. Addit. Molina *lib.1. de Hiſp. primog. cap. 13. num. 7. & ſeqq.* infames poſſe ſuccedere in jus

Jus primogenituræ,etiamſi illi juri annexa ſit dignitas,quæ veniat in conſequentiam hæreditatis, *l.39. d. lib. legat.*

6 Præterea in locis ubi eſt inopia virorum honeſtorum,in ſubſidium viles admittuntur ad honores, *l.12.in fin. ff.de decur.* quia neceſſitas nulli legi ſe obſtringit. Hinc *in l.3.§.ſpurios d.t.* ob publicum favorem receptum eſt,ut deficientibus idoneis,ſpurij ad dignitates admittantur.Sic quamvis infames à teſtimonio arceantur, neceſſitate tamen urgente, deficientibus idoneis,audiuntur illi,qui alias removerentur, idque ne pareat probatio, & ne in perniciem Reipublicæ veritas occultetur. Hæc tamen quæ propter neceſſitatem, & in ſubſidium recepta ſunt,non debent in argumentum trahi, *l. 162. ff. de reg. jur.* nec etiam facile admittendi ſunt illi ad honores, qui per ſe viles artes exercent, ſecus ſi per alios, aut ipſi eas exercere deſinant, redeantque ad honeſtum vitæ ſtatum.

7 Viles artes cenſentur,quæ per leges cujuſcumque civitatis, ex conſuetudine longa, pro mechanicis reputantur, *l.1.§.2.in fin.& l.fin.§.1.ff.de muner.* eaſque exercent infimi mercatores, & ſordidi opifices,in eadem civitate,emendo merces minoris pluriſque vendendo, *d. l. fin.* ubi tamen *in §. 2.* Kalendarij *curatio,& quæſtura, in aliqua civitate inter honores non habetur,* in alia vero connumeratur.Ita ut vilitas iſta officiorum pendeat ab uſu civitatis in qua exercentur. Amaya *ad l.un. n. 79. & ſeqq.*

TITULUS LVIII.

De Reis poſtulatis.

1. *Reus criminis poſtulatus intra annum novos honores non petit.*
2. *Quos habet retinet, ſi ſe purgaverit, uti & ad tempus relegatus.*
3. *Appellatione interpoſita officium quod Reus habet exercet.*
4. *Secus hodie, ſi de mala adminiſtratione arguatur.*

1 ACtum ſupra de infamibus,& notatis,quos vilitas & ignominia ab honeſtorum cætu ſegregat; hic de reis criminis poſtulatis, qui (ut habet textus) niſi innocentiam ſuam purgaverint, novos honores appetere non poſſunt intra annum accu-

2 ſationis. * Quo pertinet Arij Menandri reſponſum *in l.4. §.4 ff. de re milit.* ad tempus relegatus, ſi expleto ſpatio fugæ,militiæ ſe dedit damnationis cauſa inquirenda eſt, ut ſi contineat perpetuam infamiam militia expellatur:ſi non perpetuam,& in ordinem redire poteſt & honores petere militiæ non prohibetur.Neque enim conceditur ut in ullo tempore ſe purgent, qui perpetua infamiæ nota inuſti ſunt,Contra poſtulati,ubi ſe purgaverint, non prohibentur honores petere,niſi per ipſos reos ſteterit quominus cauſæ intra annum expedirentur. *l. 7. ff. de muner. & hon.* Inde conſtat cauſas criminales olim anno finiendas fuiſſe. Cujac. *lib. 1. obſ.* 8. retinebant itaque rei poſtulati, interim priſtinam dignitatem,ne veluti inauditi damnarentur, *l.17.§.12. ff. ad municip.*

Multo magis lite & appellatione pendente, 3
etiamnum retinent rei honorem, & officium exercent quod habent, poſſunt & cætum participare, cum hoc ſit conſtitutum, & ſit juris, ne quid innovetur provocatione interpoſita,ſed maneat integer ſtatus appellantis *l.1.§.3.& 4. ff. nihil innovari appel.*

* Attamen ſuſpenſi ab officio per ſententiam, illud 4
exercere non ſolent,quouſque ſuperior Judex aliud definiverit, multo minus alium honorem aut munus poſſunt adipiſci,*l.un.h.tit.* Bobadilla *l.5.polit.c.1. n. 191. & ſeqq.* quod præſertim admittendum cenſet Caballus *reſolut. crimin. cent. 2. Caſu 121.* ſi Reus ſuſpenſus,aut accuſatus ſit, ob malam officij adminiſtrationem, in qua cum ſiniſtrè ſe geſſiſſe reperiatur,nec ad officium priſtinum redire,nec ad aliud aſpirare poterit, *juxta l. judices ibi DD. C.de dignitat.* Eoque ſpectat Theodoſij conſtitutio: Hi (inquit) qui in republica verſati ſiniſtrè ſunt, perpetuò ſibi omnes dignitates ſciant eſſe præcluſas; quocirca jubemus, ut illuſtris magnificentia tua, nullum qui ſuperiore tempore malæ uſæ adminiſtrationis crimen excepit,ad provincias patiatur accedere, *l.2. C. Th. ad l. Jul. repet.*

TITULUS LIX.

De his qui in exilium dati, vèl ordine moti ſunt.

1. *Continuatio, quid exilij nomen contineat, quando alij voluntarie, alij involuntarie exules fiant.*
2. *Deportatorum & relegatorum conditio quæ fuit.*
3. *Exulum pœna ante tempus in provinciam redeuntium.*
4. *Relegati ad tempus, ſi carcere detineantur, imputatur illud tempus exilio.*
5. *An relegatus ad tempus vel ordine motus, expleto tempore, adhuc remaneat infamis, & ut talis repellatur ab honoribus.*
6. *Si relegatus ſit, ex crimine, infamia perpetua manet, niſi judex graviorem pœnam, quam lex imponit, ſtatuat.*
7. *Si mitiorem pœnam imponat, non poteſt efficere ut damnatum non ſequatur infamia, & quæ ratio?*

QUi ob crimen perpetratum in exilium dati, aut 1
ordine moti ſunt,interim ab honoribus arcen-

tur. Exilium triplex conſtituit Marcianus, aut eſt, inquit, certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnia loca interdicantur præter certum locum, aut in inſulæ vinculum, id eſt, relegatio in inſulam, *l.5.ff.de interd.& releg.* Exilium non ſemper in pœnam imponitur, ad eam tamen evitandam frequenter conſtituitur, ut quis ſolum mutet, unde Cicero *in orat. pro Cæcina*, Exilium non ſupplicium vocat, ſed profugium, portuſque ſupplicij; itaque qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere, locum & ſedem mutant. Interdum voluntarie ob caſum fortuitum, *l.16.§.8.ff. de pœnis.* quales profugi magis dicendi ſunt, qui ob metum alicujus rei, patriam ſuam deſerere coguntur: frequentius involuntarie illi, qui ſententia judicis damnati in perpetuum, vel ad tempus exulare jubentur.

2 In perpetuum deportatis certa inſula, vel locus (ex quo decedere non licebat) aſſignabatur, pœnæ cauſa, eratq; hæc pœna graviſſima, & capitaliũ criminũ, nam ut dixi *ſup. de pœnis*, adimebat civitatem & bona, ita ut deportati, nec manumittere poſſent, nec teſtari, nec ab inteſtato filiis bona relinquere, ſed ea omnia fiſco applicabantur, *l. 2. 3. & 6. ff. de interd. & releg.* At relegati, ſive in perpetuum, ſive ad tempus in poteſtate liberos retinebant, & teſtamenti factionem non amittebant, neque bona omnia, ſed ea tantum quæ eis per ſententiam mulctæ nomine erepta fuerant, *l.4. & 7.§.3. & 4.ff.d.t.*

3 Porro relegati, ſive in inſulam deportati, debebant locis interdictis abſtinere: & hoc jure hodie utimur, ut, ſi ad tempus relegatus ſimpliciter, ante redeat, in inſulam relegetur: ſi is qui relegatus eſt in inſulam, eam exceſſerit, deportetur: qui deportatus evaſerit, capite puniatur, *l.4. & 28.ff.de pœnis.* Non enim licet excedere præſcriptos exilij fines, ne pœna, & judicia illudantur.

4 Qui vero certo loco ad tempus, vel in perpetuum includitur, ad carceres damnatus cenſetur, quos effringere non licet ſub pœna capitis, *l.1.ff de effractorib.* ubi capitis pœna intelligitur mors civilis, non item naturalis, qua durum foret eum plecti qui metu exitus incerti judicij carcerem effregit. Cæterum qui ad tempus eſt relegatus, ſi aliquamdiu in carcere detineatur, illud tempus exilio imputatur, adeo ut ſi pendente cuſtodia lapſum ſit tempus, non poſſit in exilium mitti, ſed carcere liberari debeat, ac ſi impleviſſet exilium, *l. 23. C. de pœnis, & l.25. ff. eod.*

5 Quæritur autem hic, ſi quis ad tempus ordine motus, vel relegatus ſit, an completo tempore, honore, vel officio priſtino fungi poſſit? Et ſiquidem motus ſit ob crimen quod infamiam non irrogat, regreſſus non ſolum priſtinum honorem reſumere, ſed & ad novum adſpirare poterit, *l.1.h.t.* ſic in ſpecie *d.l.13.§.1.ff. ad l. Corn. de falſ.* reſpondit J.C. Advocatum ordine motum decem annis ob falſi inſtrumenti recitationem, infamen non cenſeri, & ideo poſt reditum in ordinem recipi, quia in L. Corneliam de falſis, ſolum is incidit, qui falſum inſtrumentum conficit, nõ qui recitat. Obſervandum tamen quod eo caſu, quo quis ex crimine non famoſo, poſt tempus in ordinem redit, non ſtatim ad novum honorem admittatur, niſi tanto tempore ab eo abſtinuerit, quanto per fugam, id eſt, exilium abfuit, *l.2.hoc titul.* exemplo relegati qui tanto tempore non admittitur, quanto dignitate caruit, *l.15. ff. ad municip. l. 2. & 3. §. 1. ff. De decurionib.*

* At vero ad tempus relegatus, vel ordine, vel advocationis officio motus, ex crimine famoſo, finito tempore inter infames habetur, & ideo fruſtra ad honores vel militiam adſpirat, *l.5. ff. De decur. l. 6.C. quibus ex cauſis infamia l.4.§.4.ff.De re milit.& l. 5.§.2.ff.De extraord. cog.* Ex his fit quod quando pœna à lege ſtatuta imponitur delinquenti, ob crimen famoſum, licet ea ſit temporalis, infamia tamen eſt perpetua, & durat etiam finito tempore pœnæ. Bald. & Salicet. *ad d.l.6.* Bobadilla *lib. 3. cap.8. n.4.* ita in praxi Madriti ſe obſervaſſe dicit. Cæterum ſi levior cum eſſet pœna à lege, judex graviorem inflixerit, ad tempus relegando vel removendo ab ordine, licet crimen ſit famoſum, reus tamen condemnatione ejuſmodi, non ſit infamis, quia cum eo videtur eſſe tranſactum de infamia, & ideo poſt tempus recipit honores, & functiones priſtinas, *d.l.5. & l.15. ff. ad munic. l.13. §. pœna ff. de his qui not. infam.* 6

7 Si vero mitiorem pœnam judex pro arbitrio impoſuerit, non per hoc efficiet, quo minus damnatum ſequatur infamia. Rationem adfert Papinianus *in d.l.15.* quia in poteſtate judicantis quæſtio facti eſt, non autem juris auctoritas: Nam poteſt quidem judex pronunciare crimen admiſſum eſſe, vel non, at ubi pronunciavit crimen admiſſum quod jure famoſum eſt, ſuccedit pœna hujus criminis, id eſt, infamia quæ cum à lege irrogetur, non eſt in poteſtate judicantis ſua ſententia legis auctoritatem infringere, & infamiam remittere: non enim debet judex eſſe lege clementior, inquit Novel.82. *de judicib. §. ut autem omnino.* Late Amaya *ad l. un. ſup. de infamib.n.20. & ſeqq.* & Caballus *reſolut.crim. caſ.172.* ubi ex Baldo & Joan. de Platea hic plures diſtinctiones colligit, & rationem aſſignat, cur ſi minuatur pœna, non tollatur infamia, ſi vero abſque cauſa augeatur, infamia tollatur, quia per minorem pœnam non plene purgatur delictum, quod publice intereſt puniri, ut alij à delinquendo deterreantur, *l. 20. ff. de pœnis.* Quare non debet delinquens ab infamia relevari, ſed quando pœna augetur, æquum eſt ne infamis maneat, finito tempore pœnæ, cum infamia veniat ut ſequela pœnæ principalis, qua ceſſante ceſſare debet infamia, de qua plura dixi *ſup. de his qui not. infam.*

TITU.

Digitized by Google

TITULUS LX.

De filiisfamilias, & quemadmodum pater pro his teneatur.

1. *Quando pater pro filiisfamilias decurionatu, vel honore ſe obligare videatur tacite vel expreſſe.*
2. *Cur pater conſentiens filium in decurionem creari obligetur, ſecus ſi filius ſit emancipatus.*
3. *Quatenus obligetur Reipubl. in ſolidum an peculio tenus.*
4. *Pater quomodo teneatur pro tutela, quam filius magiſtratum gerens dedit.*
5. *Reipublicæ favore pater tenetur in muneribus publicis, quando conſenſit etiam tacite.*
6. *Pater pro filiofam. equite, militem ſubſtituere tenetur, qui onus ſubeat. Cum alias pro filio non obligetur.*
7. *Si filio in curiam allecto pater appellaverit, & contra eum judicatum fuerit, an ex munere à filio geſto obligetur inſolidum?*
8. *Pater non tenetur pro filio curatore nominato, ſed magiſtratus qui eum nominavit.*
9. *Filiusfam. cum patre ad idem munus non vocatur, ſecus ſi ſit emancipatus.*
10. *Pater ſolus oneri ſuſtinet, & taxatur in collectis præſtandis, non ipſe filiusfamil.*
11. *Quando pater & ejus hæredes teneantur damnum Reip. ſarcire.*

1 INdubitati juris eſt, non ſolum eos, qui honores & Reipublicæ munera gerunt, pro ſua adminiſtratione teneri, ſed etiam qui pro illis fidejuſſerunt, tacite vel expreſſe. Quomodo pater conſentiendo ut filiusfam. decurio creetur, univerſis muneribus quæ decurioni filio injunguntur, obſtrictus eſt Republicæ, quaſi fidejuſſor pro filio. Conſenſiſſe autem pater decurionatui filij videtur, ſi præſens nominationi non contradixerit, *l. 1. h. t. l. 2. ff. ad municipal.* Nam taciturnitas hac in
2 re conſenſum imitatur. * Proinde quidquid in Reipubl. adminiſtratione filius geſſerit, pater ut fidejuſſor præſtabit; quoniam Rempublicam ſalvam fore videtur promittere qui conſentit, ut filius decurio creetur, *l. 1. §. fin. ff. De magiſtr. convent.* videtur enim quaſi ipſe pater electus, & obſtrictus, cum una eademque perſona, ratione poteſtatis, cum filio eſſe cenſeatur, *l. fin. Cod. de impuber.* Facit & in hanc rem *l. 1. & 5. ſup. de decur. & l. 7. §. ult. ff. eod. tit.* quæ ratio cum in emancipato deficiat, qui ſui juris factus, omnia ſibi acquirit, & diverſam familiam conſtituit, *l. 194. §. familiæ in fin. ff. de verb. ſign.* præſentia aut taciturnitas patris in electione decurionatus eum non obſtringit, *d. l. h. tit.* Oportet enim ut expreſſe conſenſum ſuum adhibeat pater, Pichardus *in §. actiones 10. num. 88. Inſtit. de actionibus.*

At vero ſive expreſſe conſentiat nominationi filij in poteſtate ad munus publicum, ſive præſens 3
non contradicat, vel abſens non repugnet, obligatur nihilominus in ſolidum Reipublicæ, ſi male in adminiſtratione ſe geſſerit filius, ut ſi tutores dare non curaverit, vel minus idoneos elegerit, nec ſatis exegerit, quoniam pater fidejubere videtur Rempublicam ſalvam fore, *l. 2. ff. ad municip.* & expreſſius *in l. 1. C. quod cum eo qui in aliena pot.* ibi, *Quod ſi voluntate ejus filius decurio ſit creatus, & à magiſtratu tutor conſtitutus, pater in ſolidum ſatisfacere cogitur, cum id onus exemplo cæterorum munerum introductum intelligatur.* Non adverſatur textus *in l. 3. §. fin. ff. De pecul.* ubi cum filiusfam. voluntate patris factus eſſet decurio, poſtea in duumviratu exiſtens, pupillo tutorem dederit, nec curaverit caveri rem pupilli ſalvam fore, reſponſum eſt filium in ſolidum teneri, patrem vero de peculio tantum, quia pater ſolum videtur accommodaſſe conſenſum ut filius decurio fieret, ac ita Rempublicam ſalvam fore promiſiſſe, non etiam rem privati hominis, id eſt, pupilli de quo non cogitabat pater cum conſenſit creationi. Cum igitur quaſi fidejuſſor ſit pro filio decurione, ad illa tantum tenetur, quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem pertinent, id eſt, ad damna, quæ ex re male geſta per magiſtratum Reipublicæ obvenerint, non autem ad pœnam, aut mulctam, in quam magiſtratus ob ſuam negligentiam vel culpam incidit, *l. 2. §. 5. l. 17. §. fin. ff. ad municip.*

At in caſu *d. l. 1.* cum pater ad utrumque munus, 4
conſenſum ſuum accommodaverit, ſcilicet ut filius ſimul decurio & tutor fieret, meritò in ſolidum tenetur, cum utrumque ſit munus civile, & in utriuſque creatione caveatur Rempublicam, item rem pupilli ſalvam fore, ut late docet Amaya *ad d. l. 1.* & ante eum Barboſa *in l. ſi cum dotem §. transgrediamur. n. 8. & ſeq. ſol. matr.* Joan. Larrea *alleg. fiſc. 12. n. 14. & ſeqq.* qui & aliam rationem addunt, cur pater conſentiens creationi filij, ad decurionatum, obligetur ad damna ex mala adminiſtratione, quia cum filius in poteſtate nulla habeat bona, & ſi quæ acquirit, acquirat patri, congruum fuit patrem, quem ſequuntur commoda, teneri ad incommoda & damna, non quidem in ſolidum, quia id pertinet ad obligationem Remp. ſalvam fore, *d. l. 1. & l. 8. ff. de adminiſtr. rer. ad civit.* ſed quatenus vires peculij patiuntur. Ideo ſi minus recte filius magiſtratum gerens, tutelam detulerit, quia hoc damnum non ad Rempubl. ſed privati, id eſt, pupilli utilitatem pertinet, pater non ultra quam de peculio convenitur, *l. 1. §. fin. ff. de magiſtr. conven.* pecu-

Digitized by Google

peculium enim deſtinatur à patre ad filij obligationes. Donellus *lib. 16. comm. cap. 21.* Non movet *l. 7. ff. de tutel.* ubi filio tutore conſtituto, pater in ſolidum obligatur, quia id procedit quando tutelam dativam agnovit, & approbavit, quemadmodum *in d.l. 1. Cod. quod cum eo.* Alias ubi non agnovit filij tutelam, ſolum tenetur de peculio pater, & quoties conſentit filio deferri munus, quod publicum eſt auctoritate, & privatum utilitate.

Ex prædictis igitur notandum ſpeciale eſſe favore 5 Reipublicæ, ut ſi pater conſentiat filium famil. decurionem creari, aut officium aliud auctoritate & utilitate publicâ eidem deferri, ratione hujus conſenſus, in ſolidum obligatus cenſeatur, quantumcumque non teneretur conſentire, nec pro filio illo caſu ſe obligare, quæ ſpecialitas fuit inducta, ut plenius Reip. indemnitati conſuleretur. Item ſi pater ſit præſens quando hujuſmodi munus publicum aut dignitas filio defertur, & taceat, videtur conſentire, & tacite actum approbare, *l. 2. §. 1. ff. ad municip.* Attamen quando pater propter conſenſum obligatur pro filio tutelam ſuſcipiente, non ſufficit ejus præſentia, cum taciturnitate, ſed requiritur expreſſa cognitio & approbatio, *d. l. 7. ff. de tutelis.* Bart. ibi *& in l. 1. c. quod cum eo.* & alij citati à Larrea *d. loco*, ubi *n. 37.* concludit, patrem in ſolidum teneri, quando conſentit etiam tacitè dignitati filiifamil. in eis rebus quæ ad publicam utilitatem ſpectant.

Quo fit ut ſi filius dignitatem equeſtris ordinis, 6 vel militarem obtinuerit, à Rege, & propter imbellem ætatem, aut aliam cauſam non poſſit ipſe munere ſuo fungi, aut bello intereſſe, cogatur pater, ſuis ſumptibus alium pro filio ſubſtituere, quia licet pater pro debitis filij non teneatur, & multo minus quoties obligatio eſt perſonalis, qualis eſt bello intereſſe, tamen quia id publicam cauſam concernit, quæ Regi favet, pro filio equite militem ſubſtituere obſtrictus eſt pater, quaſi fidejuſſor. *l. 2. ff. ad municip. l. 17. §. 1. ff. de muner. & honor.* Non obſtat iterum, quod pater pro filio non teneatur, quodque obligatio hæc ſit propria ipſius filij, quoniam ex tacito ſuo conſenſu & approbatione obſtringitur pater, permittendo filium creari, aut nominari ad magiſtratum, aut ei dignitatem equeſtrem conferri, juxta *l. 1. h. t.* quam initio tituli expoſui, *quod conſentire etiam is videatur, qui non teſtificatur diſſentire nominationi*; videtur inquam pater conſentire in omnibus, quæ concernunt honorem & utilitatem filij, quamvis abſens fuerit, cum dignitas filio deferretur.

7 At quid ſi pater non conſenſit, ut filius magiſtratui adſcriberetur, ſed appellavit? Papinian. reſpondit patrem non teneri ex munere geſto, in ſolidum, ſed quatenus eſt in peculio, *l. 6. § 4. ff. de decurionib.* quomodo ſi nullum habeat peculium filius, pater ad nihil tenetur, *tit. C. ne filius pro patre.* Boer. *deciſ. 221* Gail. *lib. 2. obſ. 27. n. 33.* Contra Imp. hic reſcribit, patrem appellantem oſtendiſſe cauſam ad ſe pertinere, cum potuerit *nominato filio tantum conteſtari, & non conſentire oneri ei delato, l. 2. h. t.* ut non mirum quod cum ſuo nomine appellet, teneatur in ſolidum, qui alias ex perſona filij conveniretur actione de peculio. Non adverſatur reſponſum Papiniani, quia intelligitur de eo qui appellavit à nominatione filij ad decurionatum. Imp. vero loquitur de eo qui appellavit à delatione oneris, filio tanquam decurionis impoſiti. In illa ſpecie, quia pater non conſenſit decurionatui, non poteſt ob munus à filio poſtea geſtum teneri in ſolidum, quod ſi decurionatui conſenſiſſet, nihil ei prodeſſet diſſenſus, vel appellatio ab onere delato. Sic in ſpecie *d. l. 2.* non prodeſt, imo nocet appellatio à delatione oneris, quia etiamſi in hac ratione oſtendat pater ſe diſſentire, tamen hic diſſenſus eum non liberat, imo dum appellat, oſtendit cauſam eſſe propriam, cum nemini niſi in propria cauſa, aut aliena, cum intereſt, incumbat neceſſitas appellandi. Platea *ad d. l. 2.* Galganetus *de jure publ. lib. 4. tit. 46. num. 59.* & Amaya & Larrea *dictis locis.* Pacius *cent. 7. quæſt. 77.*

Porro ſi magiſtratus filium curatorem operis pu- 8 blici, vel Kalendarij creaverit, patri diſſentienti non eſt neceſſaria appellatio, nam nominator qui filium in poteſtate poſitum, non conſentiente patre ad munus advocavit, detrimento muneris obligatur, *l. ult. h. t.* verum licet filius ex voluntate patris decurio factus non ſit, reſiſtere tamen non debet quo minus patriæ obſequatur, & curator fiat filius, utque periculo nominatoris, non patris creetur *l. 14. §. 4. ff. de muner. & honor.* * Quod ſi 9 vero pater & filius in poteſtate ad munus vocetur à magiſtratu, illud uterque, eodem tempore, ſuſtinere non compellitur, eſtque filius liberandus, ne duo ex eadem domo ſimul onerentur, *l. 3. h. t.* At pater & filius emancipatus, ad idem munus recte ſimul vocantur. Domus & familia, hoc loco accipitur pro corpore, quod eſt ſub unius poteſtate, *l. 1. ſup. de muner. & honor. non contin.* ex quo textu, ſicut continuatio honorum fieri non oportet in eadem domo, propterea quod pater & filius una perſona reputentur *l. 22. infr. de agricol. & cenſ.* ita non debent ad iſta obſequia & onera vocari, *d. l. 3.* * Hinc fit quod dominus & familiæ caput cen- 10 ſeri, inſcribique debeat libro cenſuali, & unam collectam ſolvere, non autem ejus filij in poteſtate exiſtentes, ſecus ſi ſint emancipati, & à familia ſegregati; ut colligitur *ex d. l. 3.* aut patre mortuo ſint filij ſuperſtites, nam quotquot remanent, incipiunt eſſe patresfam. & bonorum poſſeſſores, ac ideo ſinguli obnoxij oneribus, *l. 195. §. 2. ff. de verb. ſing.* Platea *ad d. l. 3. in fin.*

Atque eo caſu quo pater conſenſit filium fam. decurionem creari, & munera deinde publica obire,

per

Digitized by Google

per hunc conſenſum non ſolum conveniri poſſe patrem conſtat, ſed & ejus hæredes, ſi vivo eo, filiusfam. munera iſta ſuſceperit, non ſi poſt mortem patris, *d.l.1. & 2.h.t. & l.20.§.6.ff.famil. erciſc.l.21. §.2. ad municip.* Latius infra *tit. ſeq.*

TITULUS LXI.

De periculo ſucceſſorum parentis.

1. *Pater & ejus ſucceſſores tenentur pro filio ad munus publicum electo, & quatenus?*
2. *Senſus h.l. quod quis teneatur ad ſumptus qui fiunt in ludis ad honorem Deorum, tempore quo quis Sacerdos eligitur.*
3. *Pater filio Sacerdoti tenetur providere de titulo.*
4. *Onus dignitatis filio quæſita per patrem tranſit in ſucceſſores, niſi mortuo patre filius dignitatem acquiſivit.*
5. *Quid ſi talis ſit dignitas ex qua ipſe filius, ejus hæres commodum ſit recepturus?*

1 DIctum eſt tit. ſuperiori, ſi filiusfam. vivo patre, ejus aſſenſu decurio creatus ſit, & ob aliquod munus male geſtum obnoxius fuerit Reipublicæ, non ſolum teneri patrem, ſed etiam ejus ſucceſſores; verum quomodo hi ſucceſſores conveniantur, hic titulus declarat: & paſſim Interpretes ſentiunt, ſucceſſores, ſeu hæredes defuncti patris, teneri pro portionibus hæreditariis, pro filio ad munus publicum electo, dummodo filius in vita patris tale munus gerere cœperit, ſecus ſi poſt ejus mortem, atque id maxime procedere, ſi pater in vita patrimonium ſuum obligaverit, & Reipublicæ indemnitatem promiſerit ſuo periculo, eo tempore quo filius munus ſuſcepit, *l.un.h.t. & l.1.ſup.de decurion.l.21. §.1. & ſeq.ff.ad municip. & l.15. ff. de muner. & hon. & l.7. de adminiſtr. rer. ad civit.* in quibus textibus generatim traditur in quocumque Reipublicæ magiſtratu, patrem teneri pro filio, ſi voluntate patris magiſtratum geſſerit, & juvat *l. 1. Cod. quod cum eo qui.* ibi *exemplo cæterorum munerum.*

2 Verum tamen hic ſenſus, & intellectus quamquam in ſe verus ſit, eſt tamen nimis generalis ad hanc legem unicam, quæ tantum loquitur ſpeciatim, caſu quo filius Sacerdos creëtur. Erat autem ſacerdotium provinciæ munus patrimoniale, veluti Alytarchia, & Aſiarchia, quo munere qui fungebatur, tenebatur præſtare ſumptus qui fiebant in ludis & certaminibus ad honorem Deorum, *l.8.ff. de vacat.muner.* Cujac. *ad hanc l.un.* & Pancirol. *in notitia cap.105.in fin.* De his Sacerdotibus dixi *ſup. tit. de mun. patrim. per l.* 8. Quemadmodum ergo ſi patris voluntate filius decurio creëtur, non tantum ipſe pater, ſed & hæredes ejus pro filio civilibus muneribus tenentur, *l.1.ſup.de decur.* ita ſi patris conſenſu filius Aſiarches, ſeu Sacerdos fiat, & de ſuo pater ludos, & expenſas promittat, & poſtea moriatur, ex hac promiſſione non tantum filius qui Sacerdotium meruit, obligatur pro ſua portione, ſed & omnes hæredes patris.

Hinc uſu obtinuit, ut ſi pater filium ſacrari, ſeu Sacerdotem creari voluerit, ei providere debeat de titulo, ſi interim moriatur ea obligatio hæredibus incumbit, quibus jam ante cognita erat voluntas patris. Penna & Platea *ad h.l. in fin.* & Argentræus *ad conſ. Brit. art.* 223. *gloſſ.* 5. 3

Huc pertinet quod à Papiniano *lib.13. quæſtionum* reſponſum eſt, id quod dignitatis nomine à patre impetratum eſt, vel debetur, non eſſe cogendum filium in commune conferre, hoc enim propter onera dignitatis præcipuum habere debere, ſed ſi adhuc debeatur, quod pater pro dignitate filij promiſit, hoc ſic interpretandum eſt, ut non ſolum oneretur is qui dignitatem meruit, ſed commune ſit omnium hæredum onus hoc debitum, *l. 1. §.15. ff. de collat.* quia ut idem I.C. alio loco dicit, hoc patris æs alienum fuit, quod proinde ejus hæredes in communi ſuſtinere debent, niſi filius munus poſt mortem patris ſuſcepit, ab eo enim cæteri cohæredes ſoluti ſunt, *l. 20. §.6. ff. famil. erciſ.* Neque enim fratres, morte patris effecti ſui juris, dignitates & honores mutuò ſibi debent, nec debita ſigillatim contracta diſſolvere tenentur, *l.39.§.3.ff.d.t. fam.erciſ.* * Dicit gloſſa, & Joan. de Platea *ad hanc.l.un.* quod quamvis vivo patre, eoque conſentiente filius dignitatem ſuſceperit, non videatur ſumptus in ea obtinenda obeundaque factos, poſſe fratribus ſuis pro parte reputare, ſi videlicet talis ſit dignitas, vel militia, ex qua ipſe & ejus hæres commodum ſit habiturus, qualis eſt militia quæ vendi transferrique poteſt, *l.30.§. imputari Cod. De inoff. teſt.* ſecus ſi vendi non poſſit, ut militaris, doctoralis, & epiſcopalis dignitas. Videatur quod ſupra dictum *tit. De collationibus num. 22. & ſeq. & ſup. De filiisfamil. & quemadmod. pro his pater ten.* Larrea *alleg. fiſc.* 11. 4 5

TITULUS LXII.

De mulieribus, in quo loco munera ſexui congruentia, vel honores agnoſcunt.

1. *Mulier patrimonialia munera ibi ſuſtinet, ubi bona poſſidet, perſonalia in loco domicilij mariti.*
2. *Hic tit. agit de mulieribus conjugatis, non virginibus, vel corruptis, quæ in loco originis munera ſubeunt.*
3. *Mulier domicilium mariti ſequitur, ibidem dos repetenda, movendaque actio de dote, cujus lucrum marito cedit.*
4. *Maritus tenetur ratione dotis ad onera in loco domicilij, item mulier.*

 5. An

5. *An mulier nupta extra patriam eximatur legibus ſuæ patriæ?*
6. *Mulier eo caſu quo adminiſtrationem ſuſcipit, rationes reddere tenetur.*
7. *Mulieres munera agnoſcunt congruentia ſexui. Poſſunt eſſe obſtetrices.*
8. *Earum arbitrium æſtimandum, ſi mulier prægnans ſit, non etiam an virgo ſit. Quid ſi in arte delinquat.*
9. *Poſſunt eſſe denunciatrices, & accuſatrices in certis criminibus.*
10. *Cur mulieres ab officiis publicis & civilibus arceantur? Item prohibeantur poſtulare, procurare, & argentariam exercere?*
11. *Intercedere pro aliis ne quidem domi & in loco privato poſſunt.*
12. *Data facultas patri nominandi ad munus aliquod civile hæredes ſuos, non poteſt nominare fœminas, niſi expreſſe id ei ſit conceſſum.*
13. *Recenſentur honores quorum capaces ſunt fœminæ.*
14. *Abbatiſſæ poſſunt judicare inter ſuas moniales, & beneficia conferre, tamen excommunicare, aut ſuſpendere.*
15. *Hodie ſolent fœminæ maritorum officia impetrare pro ſuis filiabus.*
16. *Permittit uſus ut reſignet pater officium in filiam, ut maritum inveniat.*
17. *Fieri debet reſignatio officij in manibus ejus, qui illud conferre poteſt, alias non vacat.*

1 HIc titulus oſtendit in quo loco mulieres, munera & honores, quorum ſunt capaces gerere, & ſubire teneantur, an videlicet in loco ſuæ originis, vel domicilij & incolatus mariti. Et quidẽ munera patrimonialia agnoſcere debent apud originẽ propriam ubi bona poſſident; nam ab hiſce muneribus neminem excuſari *ſupra tit.* 41. diximus. Perſonalia vero munera non apud originem ſuam mulieres obeunt, ſed ubi eſt domicilium matrimonij, *l. un. h. tit.* Ideo autem in loco domicilij munera ſexui congrua ſuſcipiunt, quia iniquum foret mulieres alibi, quam ubi reſident, & obſequia matris præſtant, prægravare: quæ ratio ex oppoſito ſenſu continet, ut ibi patrimonialia, ubi earum bona conſpiciuntur, ſubire debeant. * Loquitur enim Con-
2 ſtitutio hujus tituli, de mulieribus nuptis, non de deſponſatis, virginibus, concubinis, vel corruptis fœminis, quæ non excuſantur à muneribus perſonalibus, ſed ea ſubeunt in loco originis, *l. 32. & l. 37. §. 2. ff. ad municip.* ubi idem reſcriptum de mulieribus, quæ in matrimonium ſe dederunt non legitimum. * At vero mulier, quæ legitime matrimo-
3 nium contraxit, honore mariti fruitur, ejus domicilium ſemper ſequitur, ac forum ſortitur, adeò ut ſi ratione ſuæ dotis, mulier litem marito moveat, intentanda ſit actio in loco domicilij mariti, non in loco contractus matrimonij, quod Baldus obſervat habere locum in muliere repetente dotem, ſi divertat, vel in hæredibus illius ea mortua; ſecus in extraneo ſtipulante dotem, qui non domicilium mariti, ſed contractus locum ſequitur *in l. 1. C. de dot. promiſſ. colum.* 2. Item ſi ſtatutum ſit ut maritus dimidiam dotis partem lucretur, licet diverſum ſit in loco contractus, nihilominus ex beneficio ſtatuti domicilij ſui ad dimidium dotis vocabitur. Coſtal, *ad l. exigere 65. ff. de judiciis.* * Cæterum ſtante ma- 4
trimonio non eſt dubium quin ratione fundi dotalis, cujus fructus percipit maritus, teneatur ad tributum & onera, *l. 13. ff. de impenſ. in res dot. & l. 27. Cod. de jur. dot.* ſed hæc quidem præſtanda ſunt in loco domicilij ipſius mariti. Idem ſentiendum de muliere, quæ cum ex perſona mariti forum & domicilium ſequatur, uti dictum, non cogitur alio in loco munera ſubire, aut contribuere, quam ubi nupta eſt. Ant. Faber *in ſuo Cod. libr. 9. tit. 30. deſin. 11.*

An igitur mulier nupta extra originem ſuam, exi- 5
matur legibus ſuæ patriæ? Minime, quia qui origine ſemel factus eſt civis, non poteſt deſinere eſſe talis, & originem naturalem mutare, ut dictum *ſup. tit. de municip. per. l. 4. num. 5.* quam nec mutare patitur matrimonium, niſi quatenus ejus natura id poſcit. Igitur mulier civis manet, & jura ſuæ civitatis retinet, & legibus obſtringitur, ac ſolum illis liberatur, quæ ipſam impediunt uxoris munia implere, quo pertinet textus hic, dum dicit ſæpius reſcriptum fuiſſe extra patriam nuptam, munera perſonalia non ſubire, apud locum originis, quaſi ea res non caruerit dubitatione, ſiquidem ſæpius fuerit reſcriptum in eam ſententiam, quod munera perſonalia ſexui muliebri convenientia, non debeat mulier nupta in ſua patria ſubire (ex ratione jam dicta) inde tamen non ſequitur quod eximatur obligationi parendi legibus, ubi originem traxit, *l. 6. ff. ad municip. & l. 4. ſup. de municip.* Bart. *ad l. ult. §. 2. ff. ad municip.* quem ſequuntur relati ab Ant. Merenda *lib. 6. cont. cap. 30.*

Quod ſi mulier adminiſtrationis munere funga- 6
tur, in ſua vel aliena patria, prætextu minoris ætatis, aut fragilitatis ab onere reddendi rationes non liberatur, prout nec alius adminiſtrator, quamvis minor ſit ætate, dum tamen judicio polleat. Quoniam obligatio iſta præſtandi rationes velut naturalis eſt, eoque reſpicit ut ſuum cuique tribuatur, *l. 32. ff. de condit. & demonſtr.* Eſcobar. *tract. de ratiociniis, cap. 3.* Narbona *de ætate ad omnes act. ann. 25. quæſt. 82. num. 3.*

Quod ad munera publica, quæ mulieres agnoſ- 7
cere debent, talia eſſe oportet, quæ earum pudicitiam non lædant, quæque congruentia ſint ſexui, *l. un. h. t.* Poſſunt ergo mulieres probatæ artis & fidei obſtetrices eſſe, item medicæ in curandis partibus,

Digitized by Google

tibus, quas verecundia mulierum non permittit
8 viris medicis detegere. * Olim quidem induſtria, & ſcientia longe ſuperiores erant his, quæ obſtetrices hodie dicuntur, interim illis datum arbitrium legitur inſpiciendi num mulier prægnans ſit, quod multis modis deprehendi poteſt, non item an virgo ſit, eſt enim id difficile & vix fieri poteſt, ideo huic rei nuſquam legitur obſtetricibus delatum arbitrium, *l. 1. ff. De ventre inſpic. & l. 1. §. 2. ff. De extraord. cognit.* Audiuntur tamen illæ, & ut teſtes admittuntur, quæ medicam artem exercent. Unde mulieribus medicis, non minus quam maribus merces debetur, & culpa illis imputatur, ſi qua noxia medicamenta dederint, & ſuppoſuerint, *l. 9. ff. ad l. Aquil.* Cujacius *lib. 17. obſ. cap. 27.*

9 Item mulieres denuntiatrices eſſe poſſunt eorũ criminum, quæ ſæpe clam ab aliis fœminis committuntur, nec ad notitiam veniunt maſculorum, veluti in crimine abortus, quod occulte & inter mulieres fieri ſolet, vel ſuppoſiti partus. Lucas de Penna & Joan. de Platea *ad h. l.* Quod vix credibile ſit, hæc crimina ab ipſis mulieribus ignorari, aut cognita ab ipſis taceri poſſe. Similiter in crimine falſarum tabularum accuſatrices admittuntur, quando videlicet ſua intereſt, *l. 2. de accuſat.* Ac multo magis ad denuntiandas fraudes in annona commiſſas recipiuntur, *l. fin. §. fin. ff. ad l. Jul. de annon.* Quia vertitur publica utilitas, ne annona carior reddatur, *l. 6. ff. de extraord. crim.* Denique ad ſuſpecti tutoris accuſationem mulieres, quarum intereſt, admitti conſtat, ad tutelas filiorum quoque, ſed utrumque propter ſingularem affectionem contingit, quæ poteſt videri conſiliorum inconſtantiam implere, *l. 1. ff. de ſuſpect. tut. Auth. matri & aviæ C. quando mulier off. tut. fungi poteſt.*

10 Sequitur de honoribus, quos mulieres agnoſcunt: & quidem jure Romano vix ullos honores ſuſcipere poterant: erat enim Reipublicæ gubernatio penes viros prudentes, publici juris politicæque gnaros; idque indicat juris regula, quæ fœminas ab omnibus officiis civilibus & publicis removet, *l. 2. ff. de reg. jur. Non quia imbecillus & impar. laboribus ſexus, ſed quod ſi licentia adſit, ſævus ſit, & ambitioſus*, ut inquit Tacitus, & ideo regimen Reipubl. ſuſtinere, judicare, arbitrium ſuſcipere, magiſtratum gerere, in judicio poſtulare, apud Romanos nunquam potuerunt fœminæ, ne contra verecundiam ſexui congruentem, in publicum venirent, & alienis cauſis ſe immiſcerent, *l. 1. §. ſexum ff. de poſtul.* Quamvis extra judicium aliena negotia gerere, minime prohiberentur. Remotæ quoque fuerunt ab officio argentarij, quod ea opera virilis eſſet, & in publico menſas haberent id officium exercentes, ac pro aliis intervenirent,
11 *l. pen. ff. de edendo*, * Sed cur domi, fœminæ, & in privato loco intercedere non poſſunt? An quia interceſſio ſæpius in medio civium fiat? Paulus J. C. non quidem civile officium dixit eſſe quamlibet interceſſionem, ſed hanc ei comparat, dicens, ſicut moribus civilia officia adempta ſunt fœminis, ita multo magis adimendum eis fuiſſe S. C. Vellejano hoc officium intercedendi: utpote in quo non ſola opera nudumque miniſterium earum verſatur, ſed etiam periculum rei familiaris, *l. 1. §. 1. ff. ad S. C. Vellejanum.*

Adeoque ab officiis civilibus & publicis arcen- 12
tur fœminæ, ut ſi conceſſa fuerit patri facultas, pro ſe & hæredibus quibuſcumque ad munus aliquod nominandi, non poſſit tamen nominare fœminas in defectum maſculorum, niſi à principio fuerit conceſſum ſimile munus fœminæ, ut quia patri expreſſe data fuerat poteſtas nominandi filiam deficiente filio, aut renuntiandi in ejus favorem munus ſibi injunctum (ut infra dicetur) quoniam alias ad officia publica filiorum nomine non promoventur fœminæ. Bald. *in c. ad audientiam in fin. de reſcript.*

Uſu tamen comparatum eſt mulieres, illos hono- 13
res poſſe gerere, quibus nec Reſpublica damnum, nec illæ ſuæ pudicitiæ jacturam patiuntur. Hinc Comitiſſæ, & Abbatiſſæ monialium creari ſolent. Quin & ſuccedere in comitatus, ducatus aliaſque dignitates, ſi illis dignæ ſint, & ordinariam acquirere juriſdictionem, cujus vi adminiſtrare, judicare, & alios delegare poſſunt, ex conſilio tamen peritorum. Nam licet illuſtribus fœminis, conſuetudo juriſdictionem concedat, ratio tamen dictat, ut illius exercitium per viros fiat. *gloſſ. & DD. ad h. l.* Bobadilla *lib. 2. polit. c. 16. n. 224. & ſeq.* Item licet integræ opinionis mulieribus, ex compromiſſo judicare ſecundum mores, quos jus canonicum probat, *c. dilecti X. de arbitr.* Cujac. *lib.*
13. obſ. c. 23. * Conceſſum quoque Abbatiſſis judica- 14
re inter ſuas moniales, de iis quæ ad regulam pertinent, non tamen delinquentes excommunicare, aut nexibus peccatorum abſolvere, quia non eſt data ſexui hæc poteſtas. Sylveſter *in c. Abbatiſſa q. 3. n. 8.* Panormit. *in c. de monialib. de ſen. excomm.* Idem *in c. 12. X de major. & obed.* Dum dicit Abbatiſſas poteſtatem coërcendi & ſuſpendendi habere, intelligit, ſubtrahendo præbendas, & præcipiendo clericis ſibi ſubjectis, ne in ſuo monaſterio ſacra faciant, donec ſatisfecerint. Poſſunt enim Abbatiſſæ beneficia, & ſacella monaſterio incorporata, pleno jure conferre, & ſeculares clericos in iis inſtituere, ea inſtitutione quæ dat poſſeſſionem & titulum, non ea per quam datur poteſtas exercendi curam animarum, *c. 6. X de his quæ fiunt à Prælat.* Cæterum non poſſunt clericos ſuſpendere ab officio, vel interdicere, quia hoc ſub nomine cenſuræ continetur, quam imponere nequeunt mulieres defectu juriſdictionis.

ctionis Eccleſiaſticæ, *cap.* 10. ✠. *de pœnitent. & d. cap.* 12. *ibi Innoc.* Navar. *l.* 5. *conſ.* 73. *de ſent. excom.*
15 Covar. *ad cap. alma mater p.* 1. §. 11. *n.* 2. * Hæc denobilibus: itemque divino cultui dicatis mulieribus: ſequitur de iis quæ tenuioris ſunt conditionis; Hæ namque mulieres quamvis induſtriæ, non tamen defunctis maritis in eorum officia ſuccedunt, ſed ſolent ob ſervitia præſtita, eadem officia à Principe impetrare, filiabus ſuis, non ut filiæ illa exerceant, ſed viri qui eas in uxores duxerint, modo ſint habiles & apti, ad iſta munera, ideo cum cauſæ cognitione procedit hujuſmodi Principis conceſſio, quam tamen pleniſſime interpretari convenit, ut effectum ſuum ſortiatur, *l.* 3. *ff. de conſtit. princ.* Eo forſitan reſpexit Paulus in loco ante citato, dum dicit, civilia officia fœminis collata, non omnino robore carere, ſed pleraque ipſo jure non valere. *d. l.* 1. *ff. ad S. C. Vellejan.*

16 Verum conſuetudine præſertim Hiſpaniæ, obtinet iſta officiorum impetratio, eorumque deſtinatio in fœminas, quarum mariti, aut parentes bene meriti ſunt de Republica, ſæpe etiam datur licentia patri reſignandi, renuntiandique officium in favorem filiæ, quo facilius maritum inveniat. Ita Valaſcus *conſ.* 129. eſtque jure fundata *in l. ſervo* 69. §. *ſi teſtator. ff. de leg.* 1. ibi, *neque ſolum hoc caſu alius habet actionem., quam cui teſtator dari juſſit, ſed alio quocumque, veluti ſi filia nomine genero, aut ſponſo dotem dari juſſerit, non enim gener, aut ſponſus, ſed filia habet actionem, cujus maxime intereſt indotatam non eſſe.* Juvat. *l.* 77. §. 26. *ff. de leg.* 2. *& l.* 11. §. *interdum* 22. *in fin. ff. de leg.* 3. Ex quibus apparet permiſſam renuntiationem patri, eo fine ut filia officium conſequatur, eoque fungatur gener, quem pater nominarit.

17 Cæterum ut iſta renuntiatio valeat, fieri debet reſignatio in manu Principis, aut ejus qui poteſtatem habet conferendi officium cui voluerit, nam antequam ſuperior renuntiationem acceptet, non dicitur vacare officium, ſicut nec beneficium renuntiatum in manibus illius qui non habet facultatem recipiendi renuntiationem, quo modo renuntians non arcetur poſtea ab agendo, cum non abdicaverit ſe jure proprietatis. Felin. *cap. in noſtro coll.* 34. *De reſcript.*

TITULUS LXIII.

De Legationibus.

1. *Summa Tituli, Legati unde dicti, à quo & ad quem mittantur.*
2. *Alij ordinarij, alij extraordinarij, quæ ſint officij, negotij vel honoris cauſa legationes?*
3. *Quæ virtutes in legatis requiruntur?*
4. *Quales mittendi ſunt ad hoſtes?*
5. *An indigenæ & nobiles ſemper mittendi ſint?*
6. *An legatus ſine litteris credentiæ credatur, ſi aliunde de mandato conſtet.*
7. *Quid ſi ſint perſonæ illuſtres, & ſummi Pontificis legatus, ex quo tempore ejus poteſtas & facultas incipiat?*
8. *An violetur jus gentium ſi legatus non admittatur? Ob quas cauſas non ſit admittendus.*
9. *Explorabit conſilia, etiam corrumpendo miniſtros.*
10. *Legati ſunt inviolabiles, ab injuria tuti, domus illorum habet jus Aſyli, quod tamen ad ſceleratos non extenditur.*
11. *An ſi legati ipſi crimen atrox commiſerint, ſint remittendi ad ſuum dominum puniendi.*
12. *Legati hoſtium an poſſint intercipi.*
13. *Ex contractu conveniri poſſunt in loco ubi legationis tempore contraxerunt.*
14. *Item advenæ ibi conveniuntur., nec habent jus revocandi domum.*
15. *Si legati hæreditatem adierint, & ſi quaſi contrahant, non competit in eos actio. Quid ſi ipſi agant?*
16. *An legati à Principe deſignati poſſint ſe excuſare?*
17. *Pater trium liberorum à legatione excuſatur, & quod ea pendente negotia alia gerere non poſſit legatus.*
18. *Legati civitatum qui vocentur, cujus auctoritate fiant, qui eſſe crearive poſſint vel non poſſint?*
19. *Quibus inſinuentur decreta legatorum.*
20. *Legati quot & quomodo decerni poſſint à civitate.*
21. *Alij cum ſalario, alij ſuo ſumptu mittebantur.*
22. *Qui cum ſalario mittitur, ſi in legatione moriatur, aut ex alia rediens, heredes ſumptus non reſtituunt.*
23. *Hodie civitatum Syndicis ex publico ſalarium aſſignatur, tenentur deferre litteras ſuæ commiſſionis.*
24. *Prohibentur legati propria, vel aliena negotia gerere.*
25. *Excipiuntur certa negotia, quæ per legatos expediri poſſunt.*
26. *An poſſit quis plures ſimul legationes obire? Legatio transmarina bienniј vacationem à muneribus tribuit, ſecus proxima.*
27. *Quamdiu quis eſt in legatione, habet excuſationem à muneribus, licet obtinuerit ſuffragio aliam dignitatem.*
28. *Qui pretio aut precibus impetrarunt dignitatem, non habent vacationem, ſed illi qui meritis aut liberalitate ſuperioris dignitatem habent.*
29. *Aliæ legationi ſpecies, quibus ſola cura erat injuncta.*

30. *Iſta*

30. *Iſtæ legationes, aut munera publica, non uni, ſed pluribus demandantur.*

1 DE munere & officio legatorum, hoc titulo agitur, & oſtenditur, quis ab eo munere excuſari poſſit, & an legati ab aliis muneribus civilibus & publicis vacationem habeant, & intra quod tempus, & qui ac quorum conſenſu, & auctoritate legatio ſit mittenda.

Legati dicti ſunt, quod publice eligantur, & mittantur ad expedienda negotia publica, ac etiam arcana quæ litteris committere, tutum non reputatur. Et inde legationum uſus neceſſarius videtur. Legati aliquando oratores, nuntij, interpretes appellantur. Eliguntur ab eo, & mittuntur qui legandi poteſtatem habet, quia jus legationis dependet à jure Majeſtatis. Itemque ad eum mittendi ſunt legati, qui pari poteſtate, & ſuprema juriſdictione præditus eſt, nullique tributarius, hæc enim paritas, ſi inter mittentem, & eum ad quem legati mittuntur, deficiat, deficit quoque legatio. Qui enim è minoris juriſdictionis & conditionis Principe, ad majorem deſtinantur, Agentes ſeu Reſidentes appellantur.

2 Legati qui à ſupremo potenteque Principe, ad alium ſolemniter mittuntur vel ordinarij ſunt, vel extraordinarij. Ordinarij manent, donec qui mittit, eos revocet, tales quia velut exploratores ſunt eorum quæ geruntur in regno, minus grati ſunt Regibus ad quos mittuntur. Ut ſcribit Gentilis *lib. 2. cap. 12.* Extraordinarij digniores ſunt, & temporarias legationes ſubeunt, vel officij, vel negotij, vel honoris gratia. Legatio propter officium eſt, ad quæ quis obligatur, ut legatio Hiſpaniarum Regis ad Pontificem recens creatum, ratione regnorum Siciliæ & Neapolis, Guicciardinus *lib. 7.* Legatio propter negotium eſt, quæ ad matrimonium contrahendum, vel auxilium petendum ſuſcipitur. Honoris cauſa legatio eſt ad gratulandum, vel condolendum. Et licet minus neceſſaria videatur, omitti tamen non debet, ne ſimultatibus occaſio detur. Quippe ejuſmodi legatio, mutuæ amicitiæ teſtimonium eſt, uſitata potiſſimum ad novos Principes.

Eliguntur legati qui mitti digni ſunt, prudentia,
3 probitate, fidelitate, & eloquentia conſpicui. Prudentia ab ingenio præſtanti eſt, ut argute & eleganter proponant, reſpondeant, & ſolerti judicio agant omnia; ſint circumſpecti, diligenter cuncta conſiderent, tecti, aſtuti, ne ab aliis facile circumveniantur: Caveant ne per intemperantiam excedant, quia dicta aut facta legatorum, ſunt omnium judicio expoſita. Sub temperantia etiam Continentia continetur, qua fulgere debent legati. Item ſub probitate, veritas & ſinceritas, ut nihil niſi quod exploratum habeant, affirment. Denique fidelitas & modeſtia legatos maxime commendat. Eſt inquit Octavius Mag. *lib. 1. c. 2.* Legati officium *omnia fideliter & ex animo agere, cum Princeps ſe ei totum committat. Modeſtiâ quoque facilius quam pertinacia ſe quod velint impetraturos* affirmat Livius *lib. 30.* Docet & exemplis Tacitus, Principem quæ per ſe non poterat, per legatos obtinuiſſe, quia modeſti & grati, nam qui rogat, ſi diſplicet non auditur, ſi arrogans repellitur. Dorleans *in Tacit. lib. 1.*

Atque hi legati ad negotia, & ad Principes deſti- 4
nantur: Ad hoſtes vero Feciales, vulgò Heraldi, vel etiam Caduceatores mittuntur, & illi potius qui aſtu, vel rerum militarium cognitione, callida hoſtium conſilia evolvere & penetrare poſſunt. Interim ingenia illa ignea, quæ magis rebus innovandis quam componendis idonea, quæ ſimilia ſunt cultellis acutis, qui ut facile ſcindunt, ſic & hebeſcunt, mittenda non judico.

An vero peregrini mitti poſſint, quærunt politi- 5
ci? Et putant poſſe aliquando, ad eos nimirum Principes, in quorum ditionibus ipſi nati. Securius tamen fore ſi mittantur indigenæ, qui non facile promiſſis donisve pervertuntur, quique majori fide & affectu patriæ negotia gerent. Expedit quoque nobiliſſimos quoſque eſſe legatos, quorum dignitas, niſi generis ſplendorem inveniat, ſæpe vileſcit, & invidiam apud nobiles gignit, qui ſe poſtponi non ferunt. Ipſi etiam Principes externi ſe deſpici exiſtimant, quod vilem hominem in ſuo comitatu ſint recepturi. Subinde Principes, viros doctos & Juriſperitos legationibus præficiunt, quod doctrinam nobilitatis titulo cenſeant. Sic Albertus Archidux Belgarum Princeps, ad Galliæ & Angliæ Reges, viros Juriſperitiſſimos miſit.

Verùm neque legatum quantumvis illuſtrem, & 6
doctum ad ſe miſſum Principes agnoſcunt, aut excipiunt, priuſquam de more, litteras ſui Regis oſtenderit, quas fiduciæ, vulgò credentiæ litteras vocamus, nam generatim Principis legato ſine litteris non creditur, neque in iis quæ competunt jure ordinario legationis, *l. un. C. de mand. Princ.* Paſchal. *de legat. c. 59.* Maſcardus *de probat. conc. 269. n. 3. & 6. vol. 1.* Etenim ea quæ publicæ auctoritatis ſunt, inquit Sichardus, non poſſunt geri, aut fieri abſque publico inſtrumento, *ad l. 8. n. 9. C. quomodo & quando jud.* Contra Brunus *tract. de legat. lib. 1. tit. 11.* ſufficere ait quocumque modo de legationis mandato conſtet, & hoc videtur inſinuare Scævola *in l. 5. ff. h. t.* cum dicit ſi non conſtat legatus ſit, an non, Romæ prætor de hoc cognoſcat. *ad quod gloſſ. ibidem alleg. l. pen. ff. ad municip.* Quaſi legatio ſi negetur, inſtar incolatus per teſtes probari poſſit. Cardinali delegato ſummi Pontificis, ob dignitatis prærogativam ſine litteris, aut alia probatione credi ſolet; niſi tamen is poteſtatem ſuam ultrà communes juris fines extendat. * Hinc voluerunt nonnul- 7
li id poſſe extendi ad illuſtres & è prima nobilitate viros, quorum integritas & dignitas nota eſt, ut credi

Digitized by Google

di iis debeat ſine litteris, ſed hoc vix receptum. Quin imo in Hiſpania, & Belgio priuſquam Legati ſeu nuncij Apoſtolici recipiantur, illorum poteſtas ſeu facultas examinatur, ut moneri illi poſſint, quibus uti conveniat diſpenſationibus & commiſſionibus, ne quid fiat in Reipublicæ diſpendium: nam cum plerumque legati Apoſtolici ſint exteri, nec ſatis norint quæ ſint præcavenda, facile poſſent falſis ſuggeſtionibus decipi, aut abuti ſua poteſtate. Similiter in Gallia nulla eſt poteſtas legato Apoſtolico, utendi facultatibus ſuis, niſi ex die quo à Rege exceptus, promiſit ſe nihil adverſus Eccleſiæ Gallicanæ libertatem uſurpaturum, & citra limitationes quæ in curia parlamenti fieri ſolent, de quibus Maynard. *c.47. & ſeq. lib.1. qq.* Chopin. *lib.2. de ſacra*
8 *polit. t.4.n.3.* * Quid ſi litterarum exhibitione nihil deferatur, nec admittatur legatus? Certe videtur aliquo modo jus gentium violari, & Princeps à quo mittitur, contemni. Poteſt tamen ſubeſſe juſta cauſa denegandi ingreſſum legato, ſive ex parte mittentis, ſi ſpecie legationis illudat; ſive ex parte miſſi, ſi is vilis aut infamis ſit; ſive ob rationem inſidiarum, ſi ſpecie legationis ſpeculatores mittantur, aut tales qui populum concitent ad ſeditionem. Sic Romani legatos Pyrrhi quod cum auro ad corrumpendum populares veniſſent, meritò rejecerunt.

9 Affirmo tamen poſſe Legatos, ſalvo jure divino aut gentium, muneribus ac largitionibus tentare Miniſtrorum fidem, & ſi jurata ea ſit, & expiſcari, quid adverſus ſuum Principem inique machinentur alij. * Cæterum à die legationis commiſſæ, Le-
10 gati omni jure habentur ſancti, ſecuri & inviolabiles, iis ad quos mittuntur. Adeo ut impune eos offendere, contumelia aut damno afficere nemo audeat, citra pœnæ expectationem, *l.fin. ff. h.t. & l.8. ff. de rer. diviſ.* ubi violari dicitur jus gentium, dum legati violantur. Et Quintilianus, *ſi civis pulſatus eſt, actio injuriarum eſt, ſi magiſtratus, majeſtatis, ſi legatus, bello & jure gentium agitur.* Præterea omnia jura ſuperioritatis, in domo ſua, inque domeſticos habent. At hoc hodie magis ex conceſſione ejus apud quem agit legatus pendet, quia regulariter auctoritas Principis, ſignave ſuperioritatis ſeſe extra provinciam non extendunt. Penes alios ſive in alieno territorio citra gratuitam conceſſionem locum non habent. Facta & actiones legatorum, nullius inquiſitioni ſubjiciuntur, ſunt omnino liberi, & tuti in domo ſua, non tantum quam dominio, ſed etiam quam habitatione conductam tenent, adeo ut eorum domeſticis, & aliis, qui eò confugiunt, jus aſyli competat, qui ſe non legibus Reipublicæ, in qua morantur, publicæque tranquillitati non oppoſuere; etenim hæc prærogativa non ſceleratos prorſus, ſed dignos miſeratione complectitur, ideoque non ad atrocia crimina ſed ad leviora, aut imprudentia caſuve commiſſa pertinet, proinde nec obæratos excludit, niſi fraude aut prodigalitate bona ſua decoxerint, nec pugnantes in duello fovet.

Quæritur an ipſis legatis ſecuritas tam ſancta 11
competat, non ſolum contra vim injuſtam, ſed & contra vim judicialem, ſi quid deliquerint? Diſtinguunt aliqui inter crimina communia, & ea quæ ſunt contra ſtatum ejus ad quem mittuntur. Alij indiſtincte legatos à juriſdictione ejus ad quem miſſi ſunt, exemptos eſſe ſentiunt, & cujuſcumque criminis reſpectu debere remitti cum elogio ad dominum ſuum poſtulata ab eo vindicta, *per l. 6. ff. de cuſtod. reor.* ne alias Princeps ad quem miſſi in ſua cauſa judicare, & ſimul actor & judex exiſtere videatur, *l.10. ff. de juriſd. & l.17. ff. de judic.* quæ ſententia licet æquitas eam admittat, exiſtimo tamen inſpecta juris ratione, in delictis nullam dari fori præſcriptionem; ſed unumquemque ubi deliquit, & reperitur, conveniri ratione pœnæ, cui ſe delinquendo obnoxium reddidit, *l.20. ff. de judic.* nec enim ab accuſatione immunes legatos præſtat legationis dignitas, quam reatu excluſerunt, *l.un. C. ubi Senat. vel Clariſſ. l.12. C. de dignit.* ne beneficium ipſis præſtitum incipiat eſſe iniquum, & vergat in Principis & populi ad quem mittuntur, detrimentum. Recte Theodatus apud Procopium *lib. de bello Goth.* dicebat *tamdiu legatos incolumes eſſe oportere, quam diu ipſi legationis ſuæ officium ſervaverint.* Ideo legati Romæ exiſtentes, ex delictis in legatione commiſſis, coguntur judicium ibi ſubire, ne illis aut eorum domeſticis ſit impune delinquere, *l.24.§.1. ff. de judic.* & libere recedere eo quod nihil pœnæ metuant, *l.8. C. de Epiſc. & Cler.*

Multo magis legatos hoſtium, euntes ad alios 12
Reges, ut eos concilient & auxilia ab iis petant, licitum erit intercipere, prout docent exempla Athenienſium & Romanorum, illi enim interceperunt legatos Lacedæmoniorum euntes ad Regem Perſarum, ut eum ſibi adjungerent, contra Atticam civitatem. Thucydides *lib.2.* & Romani cœperunt legatos Hannibalis euntes ad Regem Macedonicum, ut recenſet Livius *lib.3. dec.3.* quæ exempla docent, poſſe Principes legatos hoſtium perferentes mandata nociva ſuæ patriæ intercipere, & detinere. Ceſſat enim in hoſte jus quod habent legati liberi tranſitus, & quod ſancti habeantur, *l.ult. ff. h.t. & l.7. ff. ad l.Jul. de vi publ.*

Item jus quod habent legati revocandi domum, 13
ſeu poſtulandi litem transferri in locum domicilij, ceſſat ſi tempore legationis contraxerint, in loco ubi miſſi, vel alio idoneo. Coguntur, inquit Julianus, ibi judicium accipere, ne alias detur poteſtas hac ſpecie transferendi domum res alienas, *l. 25. ff. de judic.* militat & in illis ratio, quæ in Senatoribus, quod huic obligationi contrahendo in provincia, ſua ſponte ſe videantur ſubjicere, *l.36.* in

Digitized by Google

In fin. ff. de judic. Recte adjectum à Juliano legationis tempore, nam legatis in eo quod ante legationem contraxerunt, jus revocandi domum ſuam habent, *l.* 2. §. 3. *&* 4. *ff. d. t.* Idque ideo ne occaſione motæ litis, à munere publico impediantur, quæ ratio obtinet quando Romæ contraxerunt, aut ibi ſe ſoluturos conſtituerunt, *l.* 8. *ff. d. t. de judic.*

14 Porro ut legati, qui Romæ tempore legationis contraxerunt, ibi conveniuntur, ita potiori ratione quilibet non legatus, Romæ ut advena contrahens, ibi poterit conveniri, quia Roma orbis Romani domicilium, & communis patria eſt, *l.* 33. *ff. ad munici.* nec habebit jus revocandi domum. Covar. *pract. q.* 1. *c. h. in fin.*

De legato autem qui durante legatione hæreditatem adijt,
15 Celſus ſcribit, quamvis Romæ adierit hæreditatem, & ejus nomine quaſi contrahat, non competere in eum actionem, propterea quod res iſta multum habeat negotij, poſſitque per eam impediri legatio, *l.* 26. *ff. de judic.* legatarij tamen & creditores hæreditarij niſi iis ſatiſdetur, mittentur in poſſeſſionem rerum hæreditariarum. *d. l.* 26. Reſtituere hæreditatem rogati cogi poſſunt Romæ adire, & reſtituere, quia res iſta levis eſt, *l.* 28. *ff. d. t.* Agentes quoque in loco legationis (etſi non facile id iis permiſſum, *l.* 8. *in fin. ff. d. t.*) in ea cauſa ſunt, ut ibi reconveniantur, uti etſi perfecta legatione ibi ſubſiſtant, ceſſat enim ratio impedimenti, *l.* 2. §. *ſed & ſi agant, & l.* 21. *ff. de judic.* Injuriam tamen ſuam aut damnum proſequentes, juri revocandi domum non præjudicant, ne alias (ut Julianus ait) impune contumeliis & damnis afficiantur, & ſit in poteſtate cujuſque pulſando eos ſubjicere juriſdictioni, dum ſe vindicant. *d. l.* 2. §. *ſed & ſi agant.*

16 At illud proprius hic quæri ſolet, an poſſint legati à munere ſuſcipiendo ſe excuſare? Et non poſſunt, ſi idonei ſint & inſtructi virtutibus. Cicero *libr.* 2. *Off.* refert Servium Sulpitium pene extrema valetudinis adverſitate laborantem, legationem ſuſcepiſſe. Reſpublica Veneta pœnam in eos ſtatuit, qui idonei à ſenatu judicati, legationis munus recuſant. Quare Ulpianus cogendos eſſe dicit ſi id detrectent, iis remediis quibus tutores ſolent cogi ad munus quod injunctum eis eſt, *l.* 9. *ff. de muneribus & honoribus*, propter damnum quod Reipublicæ inferunt, *l.* 21. *ff. ad municip.* & ſuo Principi, cui obedire & ſervire tenentur. Accedit quod munus ſuſtineant honorificum & autoritate plenum referantque majeſtatem ſui Principis, & recenſitis privilegiis fruantur, ſi rite munus injunctum obeant, quod proinde non videntur poſſe recuſare ſine incommodo Reipublicæ, & contemptu ſui Principis, qui tamen excuſantem ſe legitime non coget invitum legationem ſubire, nam ſæpe invitus infidus eſt, aut certe magis finem negotij, quàm fructum ſpectat. Legitima igitur excuſatio erit ſi quis ſe imparem muneri injuncto noverit, ſi periculis & moleſtia deterreatur, ſi minus gratus ſit Principi, ad quem mittitur, quod ejus domeſticum aut amicum publicè accuſaverit, *l.* 4. §. 3. *ff. h. t.* denique ſi minus aptus ſit ob adverſam valetudinem, ſenium, aut numerum liberorum.

Ideoque Impp. Valerianus & Gallienus reſcripſerunt, patrem trium liberorum incolumium legationibus publicis liberari, *l.* 1. *h. t.* cum tamen aliis muneribus obnoxius non liberetur, niſi majorem habeat liberorum numerum, de quo actum *ſupra tit.* 51. & apud Scriptores crebra fit mentio juris trium liberorum. Plin. *in epiſt. ad Trajan.* Oportuit enim hic patrem relevari in eo propter obſequium quod Reipublicæ præſtat legationem ſuſcipiendo, & damnum quod interea patitur in ſuis facultatibus, & propriis negotiis, utpote qui nec propriis, nec alienis, pendente legatione ſe miſcere potuit, nec aliis quam mandatis vacare, *l.* 8. § *fin. & l.* 10. *ff. d. t.* adeo illis legatus adſtrictus eſt, ut nihil facere contra poſſit, licet videatur res proſperius eventura, atque ex utilitate Principis qui mandavit. 17

Et hæc præcipue locum habent in legatis Principum, de quibus hoc titulo paucis agitur, ſed de illis, qui à civitatibus & municipiis mittuntur, nec ſemper ad Principes, ſed etiam ad privatos, quorum privilegia ejus generis non ſunt, cujus ſunt Principum legati, cum civitates publicum jus non habeant, *l.* 15. *& ſeq. ff. de verb. ſign.* niſi ſint liberæ & à majori ditione abſolutæ. Habent nihilominus magnarum civitatum legati pleraque jura & privilegia legatis Principum communia, *l.* 8. *ff. quibus cauſ. maj.* Verum eos non proprie legatos vocamus, ſed commiſſarios, deputatos & ſyndicos, qui ad Principem vel curiam ejus mittuntur, ut ibi exponant ſuæ communitatis, aut concilij deſideria. Quia vero illorum plerique ambitionis & commodi ſui cauſa hujuſmodi legationes ambiunt, ideo conſtitutum eſt, ne civitates vel municipia legatos ad Principem mittant, niſi voluntate concilij civitatis, & auctoritate interveniente magiſtratus ſuperioris, qui ei præeſt, *l.* 16. *ſup. De decurion.* ex quo concilio non ſunt expectandi abſentes, neque illi qui ægritudine, vel alia inexcuſabili neceſſitate impediuntur, *l. fin. h. t.* ſed quod majoris partis probaverit aſſenſus, ſolemnis firmat auctoritas, *l.* 5. *in fin. h. t.* conſenſus ergo & decretum ordinis, facit ut concuſſionis & ambitionis quorumdam qui in municipiis, ſibi tantum conſulunt, occaſio vitetur. Quamobrem qui legationem ambiunt ſui commodi cauſa, non creantur, *l.* 36 *&* 42. *ff. ex quibus cauſ. major.* neque debitores Reip. nec quibus interdictum eſt poſtulare, 18

 l. 4.

Digitized by Google

l.4.ff.h.t. fiſci tamen debitores poſſunt fieri legati,
d.l.4.§.2. item creari poſſunt abſentes, atque iis mit-
tuntur mandata à concilio, *l. 36. ff. ad municip.* Ro-
mani enim in munere legationis ordinem plerum-
que ſervabant, & non alias compellebatur quis hoc
munere fungi, quam ſi priores qui in curiam lecti
erant, functi legatione fuiſſent, *d.l.4.§.5.*

19 Iſta porro legationum decreta quæ à publico
concilio fiunt, provinciarũ Præſidibus inſinuanda
non ſunt, ſed Præfecto prætorio, ut is deſideriis &
precibus provincialium ſatisfaciat; ſi juſtæ ſint, &
apud Principem legationis cauſam probet, *d.l.5.h.t.*
aut Principem ipſum conſulat cum literis quas
unus legatorum deferet, & offeret, qui legationis
Princeps dicitur: Tacit. 1. *ann.* Inſinuatur vero le-
gatio quæ ab Alexandrina civitate mittitur, Præ-
fecto Auguſtali, *d.l. fin.* quod ex Philone obſervat.
Jac. Gutherus *lib. 3. de offic. domus aug. cap. 4.* ibi *De-
cretum obtulimus Præfecto Auguſtali, orantes ut quoniam
non fuit permiſſum legationem mittere, ipſe id per ſuos
nuntios tranſmitteret.* Tranſmiſſis precibus, approba-
tiſque legationibus à Præfecto, in conſiſtorio
Principis, iterum iſtæ preces, & petitiones provin-
cialium recitantur; eoque facto Magiſter memo-
riæ reſponſa dictat, quæ Princeps legationibus dat.
Civitatum preces, poſtulata, decreta urbium, deſi-
deria populorum vocant Imp. *in l. fin. C.Th. de legat.
& decret.* quæ conſultationis nomine continentur,
l.9. Cod. Th. eod.

20 Etenim concilium civitatis, ſeu ordo decurio-
num interveniente præſide, priuſquam decernat le-
gationem, ejus cauſam examinare, ac publicam ne-
ceſſitatem perpendere debet, itemque habere ra-
tionem ſumptuum qui in detrimentum civium de-
volvuntur, quorum cauſa debet legationes iſtas cir-
cumcidere, ut fecit Plinius ſecundus (referente P.
Gregorio Tholoſano *ſyntagm. jur. lib. 35. cap. 5.
num. 12.*) apud Byzantinos in legatis, qui maximo
ſumptu quotannis ad Imperatorem & ad Myſiæ
Præſidem publice ſalutandum mittebantur, quod
& probavit Trajanus. Plin. *lib. 10. Epiſt. de Byzant.*
21 *Imp. ad Trajan. Epiſt. 42. & 43.* * Hinc Veſpaſianus
edicto præcepit, ne civitas plures quam ternos le-
gatos mitteret, *l.4.§.fin.ff.h.t.* ut facilius res expedi-
rentur & ſumptibus Reſpublica levaretur. *Nam le-
gati qui ad ſacrarium Principis mittuntur, interdum,* ait
Ulpian. *viaticum quod legativum dicitur, ſolent acci-
pere. l.18.§.12. ff. de muner. & honor.* Recte dicit *in-
terdum*, quia plerumque legationem publicam ſuſ-
cipiebant ſuis ſumptibus, qui mittebantur, ut docet
Paulus *in l.11. ff. h.t.* Igitur his, qui non gratuitam
legationem ſuſcipiunt, *legativum*, ſeu ſalarium ex
publico præſtatur, & ſi ſumptus prærogarunt, reſti-
tuuntur ipſis, *l.2.§.3.ff.h.t.*

22 Quod ſi autem plures legati obeant, publicæ
cauſæ defendendæ gratia, & eorum unum decedere
contingat, aut ex cauſa recedere à legatione ſump-
tus & viatica ex publico accepta non accreſcere
collegis munus implentibus verius eſt, ſed cedere
prorata temporis hæredibus, quia ſi tenerentur
ſumptus reſtituere (quod tamen non exiſtimo) po-
tius eos Reip. reſtituere deberent, quàm collegis, *l.2.
h.tit.* Joan. Baptiſta Coſta *de rata q.64.* Idem reſcrip-
tum *in l.10. ff. eod.* Dico ſi ex cauſa neceſſaria re-
ceſſit, nam qui legationem deſerit, ſumptus accep-
tos reſtituere Reipublicæ cogitur, & removetur ab
ordine, *l.1.ff. eod.* prius tamen apud præſidem lega-
tionis deſertæ argui debet, *d.l.2. in fin. h.t.*

Hodie idem plane obſervatur: nam cum legati, 23
& ſyndici civitatum propter abſentiam à domo
ſua, multa damna negotiis ſuis inferre cogantur,
ſalarium ſeu viaticum ex publico ipſis aſſignatur,
id tamen non alias lucrantur, quam ſi in ſcriptis
adducant ſuam inſtructionem tabellionis manu
ſubſcriptam, quam etiam annotare in libris conci-
lij tabellio ex officio tenetur, & ſcribere diem, quo
à civitate legatus proficiſcitur ad curiam Principis.
Bobadilla *in ſua polit. lib. 5. c.4. num. 34.* & Amaya
ad l. ſup. de mun. & honor. n. 35. * Qui in hujus rei 24
confirmationem adferunt leges regni Hiſpaniæ,
quibus deciſum, non poſſe ſyndicum aut decurio-
nem à curia recedere, ſine juſſione ſupremi ſenatus,
quod etiam jus noſtrum probat *in l. 9. ſup. de offic.
rect. provinc.* Item non lucrari ſalarium, ſed teneri id
reſtituere Reipublicæ à qua mittitur, ſi ibidem præ-
ter negotia publica, etiam propria, vel aliena tra-
ctet, vel procuret. Amplius addunt non eſſe in con-
ſcientia tutum legatum recipiendo ſalarium, ne-
que decuriones qui id ei præſtandum judicarunt,
cum aperte lex regni inhibeat, ne quis ad curiam
delegetur, ſi ibi propria negotia habeat, cui & lex
civilis congruit, prohibens, ne is qui legatione
fungitur, alienis, aut propriis negotiis ſe interponat,
l.6.§.fin. & l.11. §.1. & l.15. ff. h. tit. * Excipiuntur 25
tamen certæ cauſæ; nam poteſt cum amico præ-
tore gratis conſilium communicare, *d. §. fin.* dam-
num & injuriam quam legationis tempore paſſus
eſt, perſequi, *l.9. & 10. ff. eod.* Item poteſt legatus
ſuorum pupillorum cauſam agere, & defendere,
licet legationi, quam ſuſcepit, needum renuntiave-
rit, præcipue cum participem officij ipſius abſen-
tem eſſe dicat, *d.l.11.§.1.* Quin etiam nondum per-
fecta legatione poteſt domum emere in propria
civitate, *l. 12. ff. eod.* ac multo magis per alium ne-
gotia ſua peragere, aut quid poſtulare à Principe
contra Rempub. cujus legatus eſt, *l.2.ff.eod.* * Eun- 26
dem porro plures legationes ſuſcipere prohibitum
non eſt, præſertim ſi & ſumptus & itineris com-
pendium ſuadeat, *l.16.ff.h.t.* ſed vix eſt ut quis pluri-
bus legationibus implicari deſideret. aut novas ſuſ-
cipere, nam licet munus ſit honorificum, graviſſi-
mum tamen eſt, ſiquidem avocetur à domo, & pro-

priis

Digitized by Google

priis negotiis, nec poſſit aliis quam mandatis vacare, & ſæpe de ſuo cogatur impendere: ut meritò lex, una legatione perfuncto, biennij vacationem concedat à civilibus oneribus, muneribusque perſonalibus, *l.... ſup. de muner. & honor. non contin. l. 7. & 13. ff. h.t.* Ita ut à legatione una, ad aliam legationem biennium intercedat: quod Diocletianus ita diſtinguit, ut ſi legatio ſit tranſmarina, biennij vacatio detur, ſecus ſi in loco proximo legatio ſit decreta. *l. 3. h.t.* Quam vacationem non proficere ei, qui pro alio vicariam obivit legationem, ſed illi pro quo obivit, reſpondit Papinianus *in l. 13. ff. h.t.*

27 Multo magis, ſine dubio, eo ipſo tempore, quo quis legatione fungitur, & obſequium Reipublicæ exhibet, vacationem à muneribus habet, imo & à tempore quo electus eſt: in quo favorabilior eſt legatio, cæteris honorariis dignitatibus Præſidiatus, & Comitatus, pretio non meritis obtentus, quæ à muneribus civilibus & perſonalibus nullam excuſationem præbent, *l. 4. h. t.* ubi ratio redditur ne ſpecie & umbra harum dignitatum ſuffragiis coëmptarum, commodis publicis officiatur: Excipit autem lex à prædictis oneribus eos, qui cum in legationibus publicis verſarentur, has dignitates adepti ſunt, aut jam ante eas obtinuerant, quarum contemplatione licet immunitatem non habeant à muneribus, eam tamen retinent, quamdiu legatione funguntur, atque ita licet privilegium ceſſet ex una cauſa, ex alia tamen durat. Joan. de Platea *ad h.*
28 *l. 4.* * Ex qua lege obſerva, quod qui pretio aut precibus, renuntiationeve alterius dignitatem impetrarunt, à muneribus non liberentur, nec plena fruantur immunitate, maxime ſi percipiant annuum ſalarium. Oportet enim meritis, non ſuffragiis comparare dignitates, & officia publica obire, *l. 1. infr. de princip. agent. in reb.* Igitur qui ſuperiorum liberalitate, & laboribus ſuis promeriti ſunt dignitates, aut officia cum dignitate, hi ſoli habent immunitatem & eam retinent quamdiu vivunt, *l. 14. & ſeqq. ſup. de excuſ. muner.* Qui vero ſine dignitate officium obtinent, non quamdiu vixerint, ſed quamdiu eo functi fuerint, immunitate gaudent. Bart. & Rebuff. *ad h. l. 4.* cum ſolum cauſa officij immunitas videatur conceſſa, ita ut ceſſet, ceſſante functione.

29 Erant & aliæ legationes, ſive miſſiones publicæ, quibus dignitas aut honor non erat adjunctus, ſed merum officium, veluti ad cenſus civitatis recipiendos, patrimonium deſcribendum, frumentum cogendum, vias publicas muniendas, & ad alia munera civitatis relata *in l. 1. §. 2. ff. de muner. & honor.*
30 * Quæ omnia non uni, ſed diverſis committebantur, & rectè: nam melius à pluribus, quam ab uno munera publica exercentur, quemadmodũ manus in plures digitos diviſa, ad negotia peragenda expeditiorem habet uſum: ſæpius enim accidere videmus, ut qui plura negotia obeunda ſuſcipit, nullum rectè peragat, duas aut plures res præſertim magnas, non modo agere uno tempore, ſed ne cogitando quidem explicare quiſquam poteſt. Cicero *Philip. 2.* ut omnino fatendum ſit, neminem poſſe ſimul duo officia rectè obire. Quod prudenter animadvertens Rex noſter, edictis mandatisque præcepit, ut qui publicum munus habet, aliud politicum, aut militare ne ſuſcipiat. Omnia non hominum pariter ſunt omnibus apta, perinde & ipſa natura non unum multis, nec multa uni, ſed unum uni deſtinat. Ariſt. 1. *Polit.* 1.

TITULUS LXIV.

De excuſationibus Artificum.

1. *Diſtinctio inter artifices & profeſſores artium.*
2. *Artium omnium uſus referendus ad vitæ neceſſitatem. Liberalium artium utilitas.*
3. *Matheſeos, Geometriæ, & Architecturæ neceſſitas.*
4. *Immunitatem habent Geometræ à muneribus perſonalibus, non à tutelis.*
5. *Quanta inter artifices & artes differentia. Qui promiſit artificem, qualem præſtare debeat?*
6. *Habent vacationem à muneribus artifices & eorum diſcipuli.*
7. *An indifferenter omnibus diſcipulis cenſeatur conceſſa magiſtrorum immunitas?*
8. *Recenſentur diverſa artificum & opificum officia, quæ hodie omnia præbent vacationem à muneribus.*
9. *Noſtri artifices ſimilem operam præſtant, ſed non habent ſcholam prout veteres, nec immunitate fruuntur.*
10. *Poſſunt cogi per magiſtratum, ut officium ſuum exerceant.*
11. *Utiliſſima artificum occupatio. Curandum ut circa res neceſſarias occupentur.*
12. *Magiſtratus poteſt cogere, & taxare numerum cauponarum, & vendentium annonam & alias ſpecies, & earum copiam curare.*

OStendit hic titulus, qui artifices artium Mechanicarum excuſationem habeant à muneribus 1
civilibus, publicis & perſonalibus. Differunt artifices à Profeſſoribus artium liberaliũ, quod illi artem mechanicam, hi vero docendo diſcendoque artes
liberales, exerceant. * Eſt tamen communis artium. 2
ſive eæ liberales, ſive manuales ſint, uſus referendus, cum ad vitæ neceſſitatem, tum vero honeſtatem publicam. Ac liberalium quidem artium magna ſemper fuit dignitas, & utilitas, cum omnium virtutum habeant quædam ſemina, noſque excitent ad bene & ſanctè vivendum, & commu-

neant quid in omni vita ſit expetendum & ubique ſperandum. Hæ enim artes quæ & ingenuæ dicuntur, omnem ætatem oblectant, res ſecundas ornant, adverſas leniunt, eiſque perfugium ac ſolatium præbent, & ut ait Cicero, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Quamobrem in omni civitate ſuperiores diſciplinas ingenio excolendas, atque in ea retinendas eſſe cenſuit Plato, cum omnibus præcepta tradant, conſtanter honeſteque vivendi, Deum colendi, ac ſuum cuique

3 tribuendi. * Sunt & aliæ artes quarum uſus honeſtus & neceſſarius eſt, veluti Mathematices diſciplina, omnino inquam neceſſaria viro civili, & militari. Geometriæ & Architecturæ æque Reipublicæ utilis uſus, illa partium diviſiones, magnitudines, & menſurationes demonſtrat; hæc vero quomodo inſignibus ædificiis ornanda ſit civitas. Quæ artes cum ingenioſæ, & liberales ſint, miror eas inter mechanicas reponi, ac recenſeri ſub *h. tit. in l.* 2. ubi Imp. Geometras, & Architectos, & eos qui aquarum ductus, & inventos modos docili liberatione oſtendunt, immunitate donat, ut magis incitentur ad docendum eos, qui docere ſuf-

4 ficiunt. * Intellige immunitatem concedere à muneribus perſonalibus, quibus non comprehenditur munus tutelæ, *l.* 3. *ſup. de muner. patrim.* ab hoc enim munere non excuſantur Geometræ, niſi à Principe curam arte illa egentem ſuſceperint, *l.* 22. *ff. de excuſat. tutor.*

5 Porrò artes mechanicæ, corporis labore ac manuum operatione & miniſterio exercentur, atque inter eas tanta eſt diverſitas, quanta etiam inter artifices, & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & inſtitutionis, cum omne artificium incrementum diſcendo, vel experientià recipiat, *l.* 31. *ff. de ſolution. l.* 65. §. 3. *ff. de leg.* 3. ut qui artificem promiſerit, vel dixerit, non utique perfectum præſtare debeat, ſed aliquo modo peritum, ut neque eum ſummæ ſcientiæ accipias, neque prorſus indoctum in artificio, ſufficit itaque talem eſſe, quales vulgò arti-

6 fices dicuntur, *l.* 19. §. 4. *ff. de ædil. edict.* * Illi autem qui *in l.* 1. *h. t.* comprehenduntur, per ſingulas civitates morantes, ab omnibus perſonalibus muneribus vacationem habent, ſi quidem in docendis diſcendiſque artibus otium ſit accommodandum, quo magis cupiant & ipſi peritiores fieri & ſuos diſcipulos erudire.

Hinc quæritur an diſcipuli fruantur iſta immunitate? Quod videtur, nam omnes hi artificum appellatione continentur, & qui docent & qui diſcunt, cum *d. l.* 1. velit, ut in diſcendis artibus otium ſit accommodandum quo magis cupiant fieri peritiores, artes enim iſtæ ſine otio, & quiete exerceri, tractarive nequeunt. Bart. *ad h. l.* 1. & ibi Platea, Garzia *de expenſ. c.* 4. *n.* 8. qui notant par eſſe ſtudium diſcendi, & docendi *ex l. ſeq.* Facit etiam quod in legato ſervorum alicujus artificij, veniant & hi qui tyrocinium adhuc exercent, & eo nomine ſunt apud magiſtrum, prout illi qui jam edocti ſunt, *d. l.* 65. §. 3. *ff. de leg.* 3.

Verum plerique ſentiunt privilegia conceſſa ma- 7
giſtris, quæque tendunt in præjudicium tertij, non communicari diſcipulis, Gloſſ. *in l.* 1. *h. t.* & citati à Barboſa *in l.* 1. *p.* 7. *n.* 55. *ff. ſol. matr.* qui poſt multa dicit privilegia conceſſa magiſtris, & Doctoribus, ratione ſcientiæ, & ſtudij, extendi ad diſcipulos de quorum ingenio, & doctrina, ſpes eſt probabilis, quod Rempublicam in partibus ſibi credendis recte ſint adminiſtraturi, Bart. *in d. l.* 65. §. 3. Quomodo privilegium conceſſum Doctori legenti, ne ejus ſtudium impediatur fabrorum ſtrepitu, communicatur ſtudioſis, quia æque publice intereſt, ne eorum ſtudiis, ſive per fabros in vicinia habitantes, ſive per ipſos ſtudioſos ſibi invicem obſtrepentes impedimentum inferatur. *l. un. infr. de ſtudiis liber. lib.* 11. Menoch. *lib.* 2. *arbitr. caſ.* 237. *n.* 4. *& ſeqq.* Aliud dicendum ſi privilegium concedatur magiſtris à publicis oneribus, nam hoc utpote ſtrictum non eſt extendendum ad diſcipulos, ſiquidem ſolis magiſtris, & Doctoribus videatur conceſſum cauſa ſcientiæ & dignitatis. Admittit enim ſtrictam interpretationem privilegium hoc quod excuſat à publicis muneribus, quoniam adverſari videtur publicæ utilitati, *l.* 19. *ſup. De decurionib.* Cum igitur publica utilitas, quæ verſatur in ſtudioſis, repugnet alij utilitati publicæ quæ conſiſtit in publicis muneribus ſe invicem excludunt, & ideo non ſit extenſio ad ſtudioſos, & multo minus ad diſcipulos artium mechanicarum; *quoniam non omnibus promiſcue qui aſſumpti ſunt in his collegiis immunitas datur, ſed artificibus duntaxat. l. fin. §. pen. ff. De jur. immunit.*

Cæterum artifices immunes recenſet Calliſtra- 8
tus *in d. l. fin.* & Auguſtus *in l.* 1. *h. t.* inter quos primo reponit Architectos quorum ſtudium magis eſt liberale. Vide Vitruvium *in lib. de Architect.* referuntur & hic *Medici*, ſed intelligendus textus de illis, qui manu operantur, uti mulomedici & chirurgi *juxta l.* 7. §. *ult. & l.* 8. *ff. ad l. Aquil.* non de illis qui liberalem artem exercerent, de quibus dictum *ſup. de Profeſſ. & Medic.* hodie Medici Phyſici appellantur. *Pictores & ſtatuarij*, qui in figurandi peritia excellunt, vocantur & picturæ profeſſores, ſi modo ſint ingenui, immunitate fruuntur, & ab hoſpitali moleſtia liberantur *in l.* 8. *infr. lib.* 12. *de metatis.* Quæ immunitas ob artis neceſſitatem, vel præſtantiam, concedi ſolet. Præſtantior & nobilior ars eſt, quæ ad ingenuas magis diſciplinas accedit. Inter opifices hic cenſentur *Lectarij*, qui lectos conficiunt aut lecticas fabricant, in quibus magnates per urbem deferuntur. *Laccarij* foſſas vel puteos fodiunt. *Clavicarij* ſive clavicularij, qui claves faciunt, aut

Digitized by Google

aut potiùs cuſtodiunt, quaſi janitores carceribus præpoſiti, à clavibus gerendis. *Quadrigarij* ſive quadratarij, qui marmora ad amuſſim quadrant, vel alios lapides cædunt in formam quadratam. Item *Marmorarij* qui non ſtatuas, ut ſtatuarij, ſed marmoreos lapides ſecant, & expoliunt; prout *Sculptores* exſculpunt ligneas effigies, & *Strictores*, id id eſt, ædificatores canales ſtructiles & muros ædificant, *l. ult. ff. de jur. immun. Muſarij* in Codice Theodoſiano Muſinarij qui emblemata, ſeu opus vermiculatum ex teſſellis marmoreis varij coloris, in homines & varias animalium formas effingunt. *Deauratores*, qui arma, vaſa, aliaque inaurant. Hos Firmicus *Bractearios* vocat, & inter honeſtos artifices reponit *lib. 4. cap. 15. invenere.* Quales etiam cenſentur *Aurifices*, qui annulos vaſaque aurea conficiunt, *l. 3. ff. De aur. & arg. leg. & Argentarij*, qui argentea. Item *Barbaricarij*, qui ex auro coloratis filis imprimunt hominum formas, & animalium, & aliarum ſpecierum. *Diatretarij* qui perforant margaritas, vel alias gemmas, alij eos eſſe dicunt *Tornatores*, qui rotas pilaſque ligneas faciunt, *d. l. 29. §. 27. Ærarij fuſores*, qui æs fundunt, & æreas imagines conflant. Viliores artifices cenſentur *Albini* qui cruſtant, & dealbant parietes, rectius vocantur *Albarij*, & ab Ulpiano tectores, *in l. 27. ff. ad l. Aquil.* & *Bracarij* qui ſericum purpura tingunt. *Libratores*, qui modum & formam in aquis educendis adhibent. *Figuli*, qui terrea vaſa formant. *Vitrarij*, qui de materia vitrum trahunt, vel fundunt. *Plumarij*, non plumbarij, qui conficiunt veſtes ex plumis avium, quo genere veſtium antiquitas delectabatur. *Specularij*, qui ſpecula, & *Eborarij*, qui ex ebore ſellas, lectos & alia faciunt. *Pelliones*, qui pelles & coria conficiunt, & tentoria quæ pellibus tegebantur, *l. 5. ff. de ſupel. leg. Fullones*, qui lavant, curant, polliuntque veſtimenta. *Carpentarij*, qui carpenta fabricant, vehiculi genus. *Trigarij* qui ex tribus rotis vehicula faciunt. *Tignarij*, qui tigna dolant, & tectis imponunt: tigni appellatione *in l. 12. tabb.* omnis materia continetur, ex qua ædificia conſtant: ſed hic de iis qui trabes dolant, & imponunt ædificiis de quibus intelligenda *l. 1. C. Theod. de centonariis & dendroph.* ubi fabri centonarij appellantur, eorumque corpori inſeruntur dendrophorij, qui ſylvam ſcindere, & cæſas arbores ad centonarios deferre in more habebant. Inter tot opifices, non fit mentio in textu agricolarum, qui tamen omnium in Republica ſunt utiliſſimi, ac maxime neceſſarij. Ideoque fovendi, privilegiis ornandi, & contra vim omnem ſtudioſa cura vindicandi.

Omnes autem dicti opifices, & artifices in certo
9 quodam loco conveniebant, proprium patronum & judicem legebant, qui eorum cauſas & jura tuerentur. Noſtri quoque artifices operam & laborem in commune conferunt, & Reipublicæ proſunt, ſuos decanos & magiſtros operum habent, quorum judicio probati, corpori inſeruntur, & ſoli judicant de perfectione operis vel artificij non conveniunt tamen in ſchola aliqua, ut illi veteres, nec ſe publice exercent, ſed quiſque domi ſuæ operarios admittit, & ſe, & eos exercet, unde non fruuntur immunitate, nec habent excuſationem à muneribus, niſi forte ex privilegio ſpeciatim conceſſo corpori ſeu alicui opificio. Sunt alij quæſtus opifices, improbitatis & libidinum miniſtri, lenones, adſentatores, ſaltatores, ganeis & popinis ſervientes, arioli, incantatores, pythones, qui ad Rempublicam admitti non debent, aut admiſſi ſtatim rejiciendi & vitandi, indigni enim ſunt bonorum civium ſocietate.

Cæterum utiles & alicujus opificij periti, & ne- 10
ceſſarij ad vitæ communis uſum, quales ſunt panifici, piſtores, caupones, muliones, macellarij, laniones (quos inter viliſſimos reponit Cicero *in Orat. pro Flacco*, & civitatis fæcem vocat) cogi poſſunt à magiſtratu civitatis, artem ſeu officium quod norunt, exercere, & alios inſtruere, tum quia incolæ ſunt, & ſubjecti ſtatutis loci in quo morantur, cum quia expedit ut ſibi & aliis proſint,
& ne utilem vivendi modum negligant. * Unde 11
Ariſtoteles negligere, inquit, non oportet utilem illam occupationem, qua plebs alitur & creſcit: nam vulgus ſi otietur, famem & inopiam patitur, hæc verò ſæpe impellit ad res novas excitandas & facinora committenda. In eam igitur curam ante omnia magiſtratus incumbat, ut cives eas optimas artes exerceant quæ ad incrementum reipublicæ faciunt, non ad luxum & laſciviam. Quot manus inutiliter ſe fatigant ut unus ſplendeat digitus: quam pauci ut corpus armis reluceat? Quam multæ occupantur in fabricandis commoditatibus ad delitias & oblectamenta oculorum, quam raræ in eruendis foſſis & mœnibus conſtruendis, quæ urbes protegant? Quam multæ in hortorum cultu, in efformandis animalibus, & avibus, quam paucæ in cultura agrorum & in mercatura exercenda, & in iis quæ ad victum ſpectant comparandis: unde fit ut civitates rebus minime neceſſariis abundent, egeant vero iis quibus vel maxime opus eſt.

Quamobrem cum labor ad civitates conſervan- 12
das adeo ſit utilis, continuo efficiat magiſtratus, ut cives omnes occupentur, ex quorum opera & mercimoniis grandia tributa colligi poſſint, numerum tamen cauponarum, non ſinat excreſcere, ſed certos diſtinctis ſtationibus conſtituat, & cogat viatoribus hoſpitia præbere, & ad victum neceſſaria vendere. Poterit autem cum macellariis, aliiſque opificibus, contractus inire, ut ſe obligent ad miniſtrandas carnes, & cætera eſculenta populo, juſto pretio, quod mutare etiam licebit pro tempore & neceſſitate occurrente, ut dictum *ſup. tit. 27. n. 5.*

Quin

Digitized by Google

quin & aucto populo, aut ſuperveniente hoſpitum frequentia, curabit magiſtratus ut ruſtici, ac mercatores frumenti, & aliarum ſpecierum plures menſuras, & piſcatores majorem piſcium quantitatem ad mercatum deferant, & alij alias merces, quas tamen non licebit minutim vendere, ſed ut vulgò dicitur, in groſſo, ne cogantur in civitate diutius hærere, & à rebus ſuis abeſſe. Joan. de Platea *in l. Colonos Cod. de agricol. & conſ.* Cabedo 1. *p. deciſ.* 74. Mexia *in tract. taxa panis concl.* 4.

TITULUS LXV.

De potioribus ad munera nominandis.

1. *An ſit juſta cauſa excuſationis electi, ſi alius potior non ſit nominatus?*
2. *Potiores qui ſint quibus injunguntur munera, & quis ordo in iis ſervandus.*
3. *Explorandi & aſſumendi digniſſimi, qui alium ſe digniorem probat, excuſatur. Ordo non ſervatur in patrimonialibus, ſed quiſque onera ſubire debet.*
4. *Ordo hodie non ſervatur in delatione officiorum, cur digni omiſſo digniore electio teneat?*
5. *Non tenetur ad reſtitutionem is qui elegit dignum omiſſo digniore. Etiamſi ab initio fuerit appellatum, valet electio.*
6. *Si indignus eligatur devolutio fit ad ſuperiorem, ſed id in officiis ſecularibus non ſervatur.*

1 QUæritur hic, an ſit juſta excuſationis cauſa, quod quis minus idoneus electus ſit ad munera civilia, omiſſo alio potiore & digniore? Et reſolvit Antoninus Imp. eum qui nominatus eſt, juſtam cauſam habere ſe excuſandi, ſiquidem alij ſint ipſo aptiores in quo transferantur munera, *l. un. h. tit.* Potiores ſunt locupletiores cives, & de Repub. benemeriti. Quare Arcadius Imp. ad patriæ munera digniſſimos meritis, & facultatibus eligi voluit *in l. 45. ſup. De decurionib.* Idem paulus cum dixit *honores & munera non ordinationi, ſed potioribus injungenda eſſe, l. 7. ff. De decurionib.* id eſt, non tam vices ſpectari, quam vires, prout in tutela nunc obtinet proximioribus deferenda, *l. 73. ff. De Reg. Jur.* Paulus *lib. 2. ſentent. tit.* 28. Hinc eſt quod artifices, & negotiatores, facultatibus abundantes, quamvis expertes litterarum, creari potuerint decuriones, *l. 12. ff. d. t. & l. 6. Cod. eod.*

2 Servatur & in aliis perſonalibus muneribus ordo, ut gradatim à minoribus ad majora munera perveniatur, epiſtola Divi Pij, eaque injungantur tam minoribus quam majoribus civibus, *l. 3. §. 15. & l. 11. ff. De muner. & honor.* quando videlicet omnes ac iſta munera reperiuntur idonei, alias ordo non ſervatur. Quid enim ſi legatio ex primoribus viris deſideret perſonas, & qui ordine vocantur, inferiores ſint? Non eſſe ſervandum ordinem D. Adrianus reſcripſit, *l. 5. §. 3. ff. de legat.* Igitur munera & honores potioribus atque ditioribus injungenda, non promiſcue omnibus: nam ut dicit Ulpianus *in l. 6. ff. de muner. & honor.* ſi ita tenues & exhauſti ſint cives, ut non modo honoribus pares non ſint, ſed & vix de ſuo victum ſuſtinere poſſint, minus utile & honeſtum eſt, talibus mandari magiſtratum præſertim cum ſint qui convenienter ei, & ſuæ fortunæ & ſplendori publico poſſint creari.

Ideo Rectores provinciæ & magiſtratus, quibus pro more regionis aliqua creationis, aut nominationis auctoritas competit, in id incumbant, ut optimos, & maxime idoneos deſignent, quibus ſe & Remp. quam maxime fidere, ejusque munera ſuſtinere poſſe exiſtument. Ideo cauſam ob quam idoneos & ſufficientes à ſe nominatos cenſeant, exprimere debent ex ſententia Pauli *d. loco tit.* 28.

Si vero nominatus cauſam rejiciat, & alium ſe 3
potiorem alleget, & probet, in cauſa vincet, & excuſabitur à judice appellationis, *l. un. h. t.* excuſatur & ille qui ſe omnibus muneribus functum eſſe adſeverat, nam ad eadem munera non revocatur, *l. 3. ſup. quemadm. civilia mun.* Atque ita procedit in perſonalibus, nam in patrimonialibus ordo iſte non ſervatur, nec eſt differentia inter tenuem & locupletem, ſed quilibet pro modo facultatum onera ſuſtinere cogitur, *l. 1. & 2. ſup. de muner. & honor.*
Hinc colligitur, quomodo ob non ſervatum mo- 4
dum & formam in electione ad munus, poſſit quis illud repudiare, ut quia alius erat ipſo dignior, aptior, locupletior, qui prius debuerat nominari, ſed hodie iſte ordo non ſervatur, & ſatis eſt ſubſiſtere electionem, & irrevocabilem manere, quod talis ad publicas functiones nominetur, qui ætate, morum honeſtate, & aliqua litterarum cognitione, approbatus eſt, & commendatus, etiamſi alius ſit dignior, qui auctoritate, dignitate, doctrina, & multarum rerum experientia præcellat, *c. 10. ꝝ de elect. ibi gloſſ. & DD.* Hoc enim requirit Reipubl. tranquillitas, quæ alias frequentibus litibus, ob digniorem omiſſum turbaretur. Præterea cum inter plures idoneos uter prævaleat, ſæpe ad amuſſim expendi nequeat, ſufficit, quo minor ſit litium materia, ut ſcribente Caſſiodoro, *dignus a multis quis meruerit approbari, uni enim acceptum fuiſſe interdum gratia eſt, multis placuiſſe judicium.* Quamquam etiam electus ab uno, cui ea eſt poteſtas, dignus & idoneus cenſeatur, adeo ut ſacrilegij inſtar ſit, dubitare an is ſit dignus, maxime ſi quem elegerit Imperator, *l. 3. ſup. de crim. ſacr.*

Unde fit ut qui elegit dignum, omiſſo digniore 5
non teneatur ad reſtitutionem ipſi digniori, quoniam nullum damnum ei eſt illatum, nec res propria ablata, nec proxime debita denegata; eſt enim

tantum

tantum debita in communi ex juſtitia diſtributiva, quæ non obligat ad reſtitutionem. Covarruvias *ad c. peccatum p.2.§.7.n.6.* Quamvis citra peccatum non ſit, ſine cauſa dignum digniori præponere. Molin. *de Hiſpan. primog. lib.2. c.5.n.46. & ſeqq.* ubi vult electionem factam de digno omiſſo digniore, etiamſi à principio fuerit appellatum, eſſe validam, donec reſcindatur, quod poſt alios ſequitur Garzia *p.7. de beneficiis c.16. num.2. & 3. & p.9. cap.2.n.226.* dicens hanc ſententiam videri magis conſonam communi ſenſui, ac praxi receptæ.

6 Porro indignum ſcienter eligenti aufertur facultas eligendi, pro ea vice, atque id locum habet in beneficiis eccleſiaſticis, ex decreto Concilij Lateranenſis, devolviturque poteſtas ad eum qui proxime præeſſe dignoſcitur *cap. cum vintonenſis 25. & ſeqq. ii de elect.* Sed in officiorum ſecularium electione, facta ſcienter de perſona minus habili, non devolvitur jus electionis ad ſuperiorem, ſed punitur in eo, quod damnum illatum Reipublicæ penſare teneatur, ut docet Bobadilla *lib.1. politic. cap.3.n.76. & lib.3.c.8.n.45. & 46.*

TITULUS LXVI.

Si propter inimicitias creatio facta ſit.

1. *Creatio ad munera propter inimicitias prabet nominatio juſtam cauſam appellandi.*
2. *Ob inimicitias recuſatur Judex & teſtis. Prudenter agendum circa inimicos reconciliatos.*

1 HOc titulo docemur, quod qui propter inimicitias ad munera civilia vocatus & creatus eſt, poteſt ſe excuſare, & à tali nominatione appellare, cum publicæ utilitatis interſit, non ex inimicitia creationes fieri, ſed æſtimatione vera, & pro commodo Reipublicæ, *l.un.h.t.* probabit itaque ſe propter inimicitiam capitalem nominatum fuiſſe, ut eo onere vexaretur, *l.6.§.pen.ff. de excuſat. tut.* Atque cauſam inimicitiæ interveniſſe eo tempore quo erat nominandus, quæ omnia æquus Judex perpendet.
2 Peregrin. *lib.3. de jur. fiſci. c.13.* * Cum & ipſum judicem ordinarium recuſandi, & teſtem repellendi, præſtet inimicitia ſuperveniens *ſup. de judic.* Platea *hic.* Quin & inimicitia quæ cum judice præceſſit, ſufficiens eſt, ut ab eo recuſetur qui inimicus fuit, ne iratus nocere cupiat, vel læſus ſe ulciſci deſideret, quia ut dicit Plautus *cùm inimico nemo citò in gratiam redit.* Ideo Seneca ſuadet, *ne fidelem habeas, quem ex inimico amicum habueris.* Quamvis enim multi ſpecioſe magis injurias beneficiis vincere, quam mutui odij pertinacia penſare ſe malle ſimulent, multi tamen ſunt in animis hominum receſſus, in quibus odium recondunt. *Quanta ſunt*, inquit Cicero, *infidelitates in amicis, quam ad tempus apta ſimulationes! Quanta timiditates! Hac eſt celeberrima virtus, hac animi ſuſpiciendi moderatio, vincere iram, & inter ſimultates quoque vincere animum.*

TITULUS LXVII.

De ſumptuum recuperatione.

1. *Qui legitimam cauſam habet, ſe excuſandi à muneribus, ſumptus recuperat.*
2. *ſum;tuum condemnatio facienda in judicio, nunc etiam in domo judicis.*
3. *Quando moderatio expenſarum petatur.*

SI ad munus publicum ſit electus, qui de jure habet munerum vacationem, vel excuſationem 1
quinque liberorum, vel aliam, & à tali nominatione appellavit, excuſatione probata, & admiſſa, ſumptus quos in lite fecit recuperat ab injuſto nominatore, *l.un.h.t. & l.1.ff. de vacat. muner.* Idem repetitur *in l.2. ſup. de decurionib. ſi conſtiterit nominari minime debuiſſe, ſumptus litis eidem à nominatore reſtitui oportebit.* Itaque ſumptus hic accipiuntur pro expenſis, quas nominatus fecit in cauſa appellationis, & recipit eas ſi adjudicatæ fuerint: nam ſi non adjudicentur ſententiâ, expenſæ non poſſunt peti, finita lite, *l.3. ſup. de fruct. & lit. expenſ.* nec taxari ſeu definiri. * Antiquitus quidem expenſæ taxari de- 2
bebant in judicio, *c. fin quod met. cauſa l.1. §. dies autem. ff. quando appel. ſit.* Hodie ex præſcripta conſuetudine fit in domo ipſius judicis, vel alibi per judicem, vocatis & auditis quorum intereſt. * Quod ſi 3
condemnatus doceat taxationem excedere quod juſtum eſt, poterit petere moderationem, vel provocare ad novam taxationem faciendam. Imbert. *l.1. inſt. Forenſ. c.52.* Item petere ut mitius ſecum agatur, propterea quod nominatus, litigaverit in loco ſui domicilij, ubi nullas pro viaticis impenſas facere cogebatur. Ant. Faber. *in ſuo C. tit. de fruct. & lit. expenſ. def.86.*

TITULUS LXVIII.

Si poſt creationem quis deceſſerit.

1. *Electus ad aliquod munus, poſt certum diem, ſi antè moriatur, hæredes ejus non tenentur eo nomine.*
2. *Niſi nominatus per contractum ſe obligaverit.*

POſt nominationem, ante diem tamen ſubeundi 1
honoris vel muneris publici, ſi pater defunctus fuerit, conveniri eo nomine hæredes ejus non oportet, *l.un.h.t.* Niſi, inquit Accurſius, dies per appellationem dilata fuerit. Vult ergo ut ſi nominatus appellaverit, & pendente appellatione deceſſerit,

rit, ejus hæredes teneantur appellationis cauſam proſequi, propter periculum & damnum medij temporis: ſecus ſi electione facta deceſſerit nominatus, & non appellaverit; quia cum muneris adminiſtrationem necdum ſuſceperit, ſed re integra deceſſerit, nullam in ſuos hæredes tranſmittit obligationem, *l. 1. ſup. de decur.* morte namque munus & honor expirarunt, *l. 4 ſup. ſi pendente appell.*

2 Excipe caſum quo nominatus, per contractum adminiſtrationem ſuſcipere promiſerit, vel conſenſerit in aliquod onus perſonale, quia tunc in vim contractus hæredes manent obligati, juxta regulam, quod non tantum nobis, ſed & hæredibus noſtris caveamus, *l. 9. ff. de probat.* Vide quæ dixi *ſup. de peric. ſucceſſ.*

TITULUS LXIX.

De Tabulariis, Scribis, Logographis, & Cenſualibus.

1. *Continuatio Tit. Tabularij & Scribæ qui ſint?*
2. *Logographi & Cenſuales qui dicuntur, & quod eorum officium?*
3. *Qui ſint Boethi, Logiſtæ, Medogrammatei, Diaſtoleæ.*
4. *Hi & eorum filij adſcripti ſunt ſuo collegio, nec liberantur obtento alio munere.*
5. *Hodie non adſtringuntur, ſed in honore habentur. Poteſt concedi facultas patri filium nominandi*
6. *Quid ſi decedat non facta nominatione quis ex filiis ſuccedet?*
7. *Si plures hæredes reliquerit, & officium habeat juriſdictionem, quis eo fungatur?*
8. *Quid juris ſi decurio fiat cenſualis, vel tabularij officium aſſumat?*
9. *Notarius de falſo damnatus, an poſſit in futurum inſtrumenta conficere?*
10. *Diſcrimen inter tabularios & tabelliones, quorum munere hodie funguntur notarij.*
11. *Tabelliones ad decurionatum aſſumpti fuerunt, ſed non poterunt utroque munere ſimul fungi.*
12. *Non vocabantur ad curias, quia ſervi, adſcripti certis miniſterijs. Prohibitum deinde ne tabulario præficiantur.*
13. *Quas qualitates habere hodie debent notarij publici & eorum ſcribæ, & quando iis credatur.*
14. *Calculatio tabularij approbatur ſententia judicis, hodiè ad artis peritos recurritur.*

1 HActenus generatim de muneribus & honoribus egimus: nunc varia ſpeciatim munerum genera recenſenda. Primi generis ſunt, Tabularij, Scribæ, Logographi, & cenſuales, de quorum functione ſigillatim diſpiciamus. *Tabularij* dicti à tabulis, quibus olim ſcriptitatum fuit, cùm nondum eſſet inventus chartæ uſus. Tabulariorum officium erat, perquirere nomina debitorum, eadem in acta referre, item rerum fiſcalium & civitatum rationes conficere & ſupputare, eaſque in publicum ærarium inferre, *l. 1. & 7. C. de exact. tribut.* Coraſ. *lib. 3. miſc. cap. 11.* unde Quæſtoribus Præfectiſque ærarij, Tabularij aderant; hos Hiſpani vocant *Contadores.*

Scribæ vero deputati erant actis conficiendis circa majores judices, qui etiam vocantur ſcriptores, notarij, libellenſes, Hiſpanicè *eſcrivanos de camera de los conſejos de audiencias.* Ad quos pertinet hodie geſta actaque judicialia conficere, dicta teſtium, allegationeſque partium, judicum decreta, & edicta conſcribere, * *Logographi* tabulariis 2 ſimiles ſunt, nam hi quoque rationibus tributorum conſcribendis occupantur, *Novell. 128. cap. 13.* Debent enim ſcribere quantum tributorum nomine à collatoribus exactum, & à debitoribus ſolutum ſit, quantum in militares erogationes expenſum, itemque deſcribere ſecuritates ſolutionis, & quidquid ad fiſci rationes pertinet: ideo etiam vocantur numerarij, & ab Hiſpanis *eſcrivanos de rentas reales*, & calculatores, qui ad calculum numerant, & chartularij; quamquam hi magis circa largitionales titulos occupentur, ut docet *l. 3. ſup. de canone largit. titulor. Cenſuales* denique ſunt qui operam ſuam accommodant magiſtro cenſus in urbe, & acta ſenatus conficiunt, *l. 18. & 23. ſup. de teſt.* & in provinciis cenſus & patrimonia deſcribunt.

Præter hos ſunt alij, qui *Boethi, Logiſtæ, Medogrammatei, Diaſtoleæ* vocantur. *Boethi* ſunt adjutores, qui rationes publicas diſcutiunt, & miniſtri quaſi ſunt Logographorum. *Logiſtæ* præſunt reddendis publicis rationibus, nam ſunt veluti curatores Reipublicæ. *Medogrammatei*, ſunt quos ſcribæ conſulunt. *Diaſtoleæ* vero ſunt fiſcalium rationum correctores, diviſores, & diſpunctores, quos Hiſpani vocant *Reveedores de quentas, de las rentas reales.* Garzia Toletanus *in ſua lucerna Rubricar. ad h. t.* 3

Horum omnium munus verſatur circa ſcribarum, de quo in *l 4 ſup. de appell.* Quod ob aliam militiam ſeu officium deſerere non licebat. Adeo enim ſuo collegio & corpori adſtricti erant Tabularij, Scribæ, Logographi, Boeti, Logiſtæ, cæterique adjutores in rationibus ſcribendis, ut nec alicujus privilegij colore excuſare ſe poſſent *l. fin. h. tit.* Quin & eorum filij veluti quadam ſucceſſione, munera iſta occupabant, nec iis liberabantur, obtenta alia militia, quantumvis palatina, necdum impleto quinquennio, *l. 1. h. t.* Sed exemplo decurionum, qui ſuas conditiones deſerebant, cogebantur eaſdem repetere, & ſubire, *l 35. & ſeq. ſup. de decurionib.* Nec mirum filios patris obligatione conſtringi, ut dicitur in *d. l. fin.* cum verſetur hic cauſa publica, & 4

poſſit

poſſit etiam privatæ patris obligationi conditio apponi, quæ conſtringat ejus ſucceſſores. Hinc Gothofredus *in gloſſ. verb. patris.* addit hæc ad filios hominum manus mortuæ, & taillabiles, utiliter transferri poſſe, ut conditionem obligationis paternæ ſubire, vel ſequi debeant.

5 Hodie tamen qui civitatibus à ſecretis ſunt Scribæ, nullis ſervilibus conditionibus adſtringuntur, ſed in honore habentur, quia eorum fidei publicæ tabulæ, periculaque magiſtratuum committuntur, ut inquit Cicero in Verrem. Papon. *in Notat. 3. de l'eſtat & dignité du ſecretaire.* Non inficior tamen quin hoc tabularij munus, quod aſſiduam ſcriptionem operamque requirit, ita concedi poſſit patri, ut in illo habeat filios ſucceſſores, eique facultas
6 dari, unum ex iis nominandi ad officium.* Hinc Cabedo *2.p.deciſ.23.* conſulit, ſi pater decedat nulla facta nominatione, cenſeri nominatum filium ſeniorem, ſicuti etiam cenſetur nominatus ad emphyteutim filius major natu, quando pater decedit nemine ad illam nominato. *DD. in l. unum ex familia §.rogo ff. de legat.1.* Caldas *de nominat.q.12.num.44.* Quod ſi non habuerit filium, ſuccedet in officium hæres ab inteſtato. Bald. *in l. cum poſt gener. ff. de jur. dot.* Et alij relati à Garzia *de magiſtrat. lib.1. cap.18. num.53.*

7 Quod ſi plures ſint hæredes? Addit Garzia *num. 54.* non poſſe dividi officium, quod habet juriſdictionem annexam, cum ea ſit indiviſibilis & pro parte expediri nequeat, *l.27.ff.famil.erciſc.* Sed probabilius eſt poſſe, quia juriſdictio poteſt à pluribus adminiſtrari alternatim, vel certis temporibus, vel poſſunt hæredes alium, qui vicariam operam in officio præſtet, ſurrogare. Nec obſtat quod munus cui annexa eſt juriſdictio, mortuo patre ſit penes hæredes in ſolidum, nam etiamſi hoc ita ſit, exercitium juriſdictionis penes omnes eſſe ſimul poteſt per tempora diverſa; argumento adminiſtrationis tutelæ, quæ dividi poteſt inter contutores, quamvis jus tutelæ pluribus hæredibus competens, ſit individuum, & remaneat penes quemlibet in ſolidum, ſic adminiſtratio officij poteſt dividi, quamvis officium ſit individuum. Rolandus *conſ. 80. numero 17. & 38. lib.1.*

8 Porro filius adſcriptus curiæ, aut quicumque decurionum ſponte ſe cenſuali miniſterio mancipaverit, vel tabularij officium aſſumpſerit, in eo manere debet, ac penitus deponere ſui ordinis dignitatem, *l. 2. h. t.* Item compellitur inſtrumenta conficere, *l. 4. §. 4. ff. de edendo.* Quod ſi vero in illorum confectione falſitatem commiſerit, tormentis ſubjicitur, *d. l. 2.* Cum tamen in memoriam priſtinæ dignitatis, qui deſiit eſſe decurio ſi deinde damnetur, torqueri non ſoleat, *l. 33. ſup. de decurionib. l. fin. ff. eod.*

9 Sed poteritne tabellio de falſo damnatus in poſterum conficere inſtrumenta? Et licet præterita non præſumantur falſa, in futurum tamen alia facere impeditur, cum ejus fides vacillet, à qua pendet veritas & auctoritas inſtrumenti, tum quia in eo deficit poteſtas per damnationem. Hinc Jaſon *in l. ſi ex falſis C. de tranſact. in fin.* Rationem reddit cur notarius de falſo convictus non poſſit conficere alia inſtrumenta, quia ſcilicet ex primo illo crimine, ſequitur conjectura illum facturum in poſterum alia falſa inſtrumenta. Idem conſiderat Alciatus *in reg.2.præſumpt.9.ad fin.*

Obſervandum autem diſcrimen quod olim fuit 10
inter tabularios, & tabelliones. Tabularij, Scribæ Logographi cæterique ſupra relati tanquam ſervi publici Reipublicæ, & fiſco erant adſcripti & deputati ad rationes conficiendas & ſupputandas, quia periti calculatores, *l.2.ſup.de jur.fiſci.* Tabelliones vero circa privatorum conventiones verſabantur, easque in inſtrumentum publicum referebant, & auctoritate donabant: prout hodie faciunt notarij publici, qui acta excipiunt, & inſtrumenta conficiunt, eaque dilatata in protocollum referunt, & apud ſe reſervant, ut ad ea recurratur ſi de fide completi inſtrumenti dubitetur, quo caſu ſolet ipſum protocollum exhiberi. *Novell.de Tabell.& l.22. ſup. de falſ.* Non autem petentibus id concedi, ſed ſolum tranſumptum. Quomodo ſi tabellio protocollum non diligenter cuſtodiat, & ex eo detrimentum creetur, tenebitur ad reſtitutionem damni. Graſſis *lib.3.deciſ.c.9.num.7.*

Tabelliones igitur erant liberi homines, & pote- 11
rant ad decurionatum aſpirare; ſed ubi nominati, non prius eos ordo ſuſcipiebat, quam fideliter rationem dediſſent perſuncti muneris, & chartas omnes depoſuiſſent, *l. 2. C. Th. de Tabulariis.* Non enim poterant ad decurionatum aſſumpti, tabellionatum ſimul exercere. Quo pertinet *l. 3. C. Th. de decurionib.* Quæ ait, univerſos decuriones volumus à tabellionum officiis temperare. Nemo autem ad decurionatum vocatus excuſare ſe poterit, eò quod fuerit tabellio, cum hujuſmodi homines ſi ſint idonei, vocari ad decurionatum oporteat. Lex enim quæ decuriones à tabellionum officiis voluit ſubmovere, ad decurionatum tabelliones vocari non prohibet. Itaque ſolum prohibet lex ne tabelliones ad decurionatum aſſumpti, utroque munere ſimul fungantur; propterea quod inconveniens ſit, ut quis plura officia ſimul exerceat, *l.5.infr.*
*qui milit.poſſ.** Cæterum tabularij qui ſervi publici 12
erant, *l.2.ſup.de adoptionib.* Tabelliones aut decuriones creari non poterant, nec aliis vacare quam ratiociniis & inſtrumentis publicis excipiendis: poſt manumiſſionem, tabulariam adminiſtrare, & rationes cum debitoribus fiſcalibus inire non prohibebantur, ex quo tamen actu ſervili, non revocabantur in ſervitutem. *l. 3. ſup. de ſervis Reip.* Statutum

Digitized by Google

deinde generaliter ab Arcadio Imp. ne ſervituti obnoxij tabulariam exercerent, ſed liberi homines, & ut ſi ſervus, vel adſcriptitius ſciente domino, adminiſtraret, ipſe quidem ſervus competentibus verberibus afficeretur, & fiſco vindicaretur, dominus vero ex adminiſtratione ſervi teneretur in ſolidum, *l. 3. h. t.*

13 Hinc hodie qui ad munera decurionatus vel tabellionatus adſpirant, integræ & incorruptæ exiſtimationis ac famæ eſſe debent. Quo circa pro magnitudine, & dignitate negotiorum, habetur delectus perſonarum, quarum explorata eſt diligentia, fides & induſtria, in concipiendis negotiis. Magna etenim fidelitas & veritas requiritur in his perſonis, quæ ſcriptura ſua, & ſubſignatione, dant rebus formam, & publicam auctoritatem. Ideo providendum ut etiam qui illis aſſiſtunt, amanuenſes & ſcribæ immunes ſint, non ſolum ab infamia, ſed etiam à ſuſpicione illius, ac fide digni, item qui interveniunt ut teſtes, ut legitimum habeatur inſtrumentum à notario confectum, & in judiciis plenam fidem faciat & probationem inducat, *l. 18. ſup. de probat.* Maſcardus *de probat. concl. 906.*

14 Cæterum computationem à tabulariis factam, noluit Imperator vim habere, niſi accederet Procuratoris Cæſaris, aut quæſtoris reviſio & approbatio, *l. 2. ſup. de jur. fiſci* nam tabularij cum plerumque eſſent ſervi, *d. l. 3.* non poterant judicare, ſed ſolum computare, & debitores fiſci compellere ad ſolvendum. Adhibebantur ergo tanquam periti calculatores, & teſtes in ratiociniis. Sic ſępe in judicio accidit, ut judex minus inſtructus, peritos in arte de qua quæſtio adhibeat, & eorum teſtimonio exquirat, priuſquam ſententiam ferat. Exempla plura congeſſit Amaya *ad d. l. 2.* in quibus declaratio ſaltem duorum teſtium, & artis peritorum requiritur, *juxta l. 9. ſup. de teſtib.* Menochius *arbitr. jud. caſ. 114. num. 27.*

TITULUS LXX.

De Suſceptoribus, Prępoſitis, & Arcariis.

1. *Quis dicitur Suſceptor, præpoſitus & Arcarius.*
2. *Quis ſuſceptor particularis, vel generalis.*
3. *Ex quo ordine & à quibus eligatur, item à quo particularis receptor, qui procurat veſtes militares. Hoc onus non incumbebat curialibus.*
4. *Tabularij & Numerarij, in quo aſſiſtebant Suſceptoribus.*
5. *In æſtimando territorio ſufficit vocare Rectores illius; At in renovatione æſtimi ſinguli poſſeſſores vocantur.*
6. *Æſtimatio fit bonorum ut ſinguli ſciant, quantum ærario ſit ſolvendum.*
7. *Certa quantitas frumenti, vini, laridi, præſtabatur in qua ne deciperentur provinciales, certa pondera ſunt conſtituta.*
8. *Menſura & pondera æqua eſſe debent, ad quem pertineat eorum cura. Hodie in civitatibus eſt menſura & libra publica.*
9. *Solidi mittebantur ad comitem ſacrarum largitionum, & in maſſa auri, quæ libram facit conſtantem 72. aureis.*
10. *Auri ſumma & reliquæ ſpecies inferebantur theſauris, nec manebant diu apud ſuſceptores.*
11. *Frumenta in horreis fiſcalibus reponuntur. Dardanarij unde dicti, qui æque ac flagellatores annonæ puniuntur.*
12. *Officium ſuſceptoris in annotandis, aſſervandiſque frumentis, & recipiendis apochis, ſi frumenta in uſum militum diſtribuantur.*
13. *Non debet collatio differri, mittendi ſunt exactores ad eam faciendam, daturque apocha ſolventibus, quæ etiam prodeſt ſuſceptoribus.*
14. *Si ſolutionem oblatam ſuſceptor nolit recipere, proteſtabitur debitor, quo facto non incidit in commiſſum.*
15. *Effectus oblationis quod conſtituatur creditor in mora, & liberetur debitor ſi res ſit perempta.*
16. *Quid ſi res non ſit perdita, ſed carior effecta, aut quid ſi fiat deterior ſpecies, & minoris valoris.*
17. *Ad nominatores ſuſceptorum in ſubſidium devenitur. Cur illis non liceat de bonis ſuſceptorum emere.*
18. *Suſceptorum munus annuum, eoque finito rationes reddere tenentur, nec ante poſſunt ad idem munus vocari.*
19. *Item non poſſunt hodie ad aliud officium promoveri, niſi ſyndicati ſint, & litteras acceperint quod recte adminiſtrarint.*
20. *Suſceptores libros rationum edere debent coram Rationalibus, illis continentur, accepta & expenſa & erogata.*
21. *Non tantum præſentis, ſed & præteriti anni debita, & reliqua recipit novus adminiſtrator.*
22. *Quid ſi ſuſceptor doloſe in rationibus reddendis verſatus fuerit, aut pecuniam retineat ultra annum.*
23. *Qui in ſuo officio deliquit nunquam ad id revertitur, etiamſi ſuper hoc impetraverit reſcriptum.*
24. *Convenit Reipublicæ paucos eſſe quæſtores & exactores publicæ pecuniæ.*
25. *Num expediat exactoribus abdicatis, ipſas provincias ſua vectigalia colligere & adferre?*

SEcundi generis ſunt, Suſceptores, Præpoſiti, & Arcarij. *Suſceptores* ſunt, qui annonis & tributis 1
recipiendis præponuntur, *l. 5. in fin ff. de cenſib.* *Præpoſiti*, qui è manibus ſuſceptoris tributa ſpecierum accipiunt, & in fiſcalibus horreis reponunt. *L. 2. h. t.* *Arcarij*, qui ab iiſdem ſuſceptoribus accipiunt aurum, argentum, aliaſque ſpecies, quas in arcam Præfecti Prætorio inferunt, *l. ult. h. t.* cujus

Digitized by Google

cujus præfecti foro ideo hujuſmodi officiales ſubjiciuntur.

2 Cæterum ſuſceptores, aut ſunt particulares, aut generales, particulares ſingulis provinciis præpoſiti ſunt, quaſi procuratores ærarij adſuſcipienda Principis tributa, quæ exactores cujuſque municipij & civitatis collecta habent. Nam ipſi ſuſceptores per ſe exigere tributa à provincialibus, eoſque convenire non poſſunt hoc jure, *l.7. ſup.de exact.tribut.l.2. ſup de canon.largit.* Quamquam apud nos inferiores ſuſceptores per ſe & miniſtros ſuos tributa recipiant. At vero generales in urbe & in curia regia, ſuſcipiendis tributis, omnibuſque largitionibus, quæ quaſve ſuſceptores inferiores tranſmittunt, præponuntur, & vocabantur etiam olim Rationales ſummarum, & ærarij procuratores, in Notitia imperij, & erant ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum largitionum, *l.6. ſup.de exact.trib.* nos illos vocamus theſaurarios, & quæſtores generales quorum ſinguli ſuos habent numerarios & tabularios.

3 Joan. Coraſ. *lib. 3. miſc. cap.* 11.* Hos ſuſceptores creat & confirmat celeberrimus decurionum cœtus, ex ſuo vel civium ordine, ſuo tamen periculo, *l. 2. h. t.* ac creationem & electorum nomina inſinuat Præſidi, *l.8.h.t.* quod non obtinet in particularibus ſuſceptoribus, quorum creatio ad curiam non pertinet, *l.9. ſup.de jure fiſci.* ſed ad Comitem rerum privatarum, & ad proconſulare officium, hujus namque intereſt hujuſmodi explorare rationem, & quærere qualitatem eorum quorum cura commodior eſſe poteſt in ſuſceptione & confectione veſtium militarium, quæ à provincialibus conferuntur pro uſu militum: Æquius itaque viſum eſt, ut iſtarum veſtium ac aliarum rerum militarium ſuſceptionem procurent ipſi milites cohortales, qui in officio Proconſulari meruerunt, vel adhuc ſunt, quam curiales, quos ne publica vacillet utilitas, humilioribus officiis. aut extraordinariis oneribus occupari minime convenit, *l.pen.h.tit.* Neque eſt æquum ut curiales ſuſceptionis onera ſubeant, officium verò lucra veſtium ſentiat. Cujac. *lib.2.obſerv. cap.8.* Rebuffus *ad h.l.pen.num.2.* ubi notat officia vilia non eſſe danda decurionibus, ſed aliis humilioribus viris & ſubditis.

4 Habent quoque particulares ſuſceptores, in ſingulis provinciis tabularios duos, *l.13.h.tit* quorum unus largitionales titulos tractat, alter arcæ Præfectorum prætorio rationes excipit. Cavere autem uterque debet, ne titulos confundat, & quod ærario debetur, permiſceat, cum iis quæ debentur arcæ præfectoriæ, *l.3. ſup.de canone largit.* convenit enim diſtincta eſſe officia ſuſceptorum, & nihil eos qui aurum largitionale ſuſcipiunt, cum arcæ ratiociniis habere commune, quod ſi tamen aliter ab iis factum eſſe contingat, & judices diſſimulando conſentiant, gravi pœna plectuntur, *d.l.13.* prout hodie etiam judices, qui pecuniam condemnationum, alteri quam fiſco, vel deputato theſaurario ſolvi jubent, contra diſpoſitionem ſtatuti, *d.l.13 & l.3.*

Porro ad munus Suſceptorum hoc imprimis pertinet, præſentibus civitatum defenſoribus, præſcribere modum jugationis cujuſque, & ſpecies ſingulas vel earum quantitatem, quam fiſco inferri oportet, *l. 10. h.t.* Sic hodie pro æſtimatione facienda univerſalis territorij, ſufficit vocare Rectores, & ſyndicos civitatis, nec eſt neceſſe quod ſinguli cives requirantur. Bart. *ad d.l.* 10. Cæterum in confectione vel renovatione æſtimi, ſeu libri cenſualis, cum fiat ad finem taxandi ſingulos cives ad hoc præciſe ut deſcriptio vel æſtimatio ipſis noceat, oportet ſingulos poſſeſſores legitime vocare, *l. 4. §.4. ff de cenſib.* alioquin iis non vocatis, deſcriptioni liber æſtimi non præjudicat Roman. *conſ.175.* Alex. *conſ.101. n 4. vol.4.* * Ut olim ita hodie fit bonorum deſcriptio, & pro quantitate eorum quæ quiſque poſſidet æſtimatio, ut unuſquiſque ſciat, quantum conferre teneatur. Quod ſi autem alicujus prædia pluris quam deceat fuerint æſtimata, poterit is intra annum reſtitui, præbendo veram æſtimationem, poſt non auditur, niſi ſit minor, vel abſens, *l.5. C. de cenſib. & cenſit.* 5 6

Præter tributa prædiis impoſita, erant alia onera, quæ provinciales præſtabant ſuſceptoribus, quæque conſiſtebant, vel in pecunia, vel in his, quæ victui erant neceſſaria, veluti in frumento, hordeo, vino, larido. Nam provinciales pendebant frumenti quinquageſimas, hordei quadrageſimas, vini & laridi viceſimas, exceptis Armeniæ populis, qui propter locorum intercapedinem, præbebant tantum frumenti & hordei quadrageſimas, vini & laridi quintas decimas, *l.9 h.t.* Ne autem ultra hanc quantitatem onerarentur ſubditi, vel deciperentur in ſolutione ſpecierum, in ſingulis civitatibus menſuræ & pondera in publico collocabantur, eratque ſub gravi pœna vetitum ponderum normam excedere, aut quid amplius exigere. Pœna autem eſt apud Modeſtinum, ut quanti ea res erit duplo condemnetur, & ex decreto Adriani in inſulam relegatio, *l pen. ff. ad l. Corn. de falſ.* Et Ulpianus refert, eos furtum committere, qui ſtateram, vel menſuram adulterinam habent. *l. 6. §. 1. ff. de extr. ord. crim.* Item menſores, qui annonam onerant, & ſtatera falſa utuntur. Debent ejus generis eſſe pondera, & menſuræ cujuſque privati, cujuſmodi ſunt publicæ. 7

Ad curiam igitur & notionem Præſidis pertinebat, ne poſſeſſores majoribus menſuris & ponderibus à ſuſceptoribus prægravarentur, *l. pen. C de defenſ. civit. & d.l.9.h.t.* Nam auri & argenti & aliorum metallorum pondera, ad Comitem ſacrarum largitionum ſpectabant. Hodie ad Rectores & magiſtratus civitatum: nam in ſingulis civitatibus ſunt 8

Digitized by Google

ſunt conſtituta pondera & menſuræ, ad quæ recurri poteſt, verum ne fraus fiat, omnes ulnæ, menſuræ atque pondera juſtę quantitatis ſigno notantur. Eſtque etiam in civitatibus locus ubi merces ponderantur libra publica, cujus reditus fiſco cedit. Bacquet *de juſt.c.27.*

9 Ad Præſidem vero pertinere Auguſtus voluit, ut aurum & argentum quodcumque à poſſeſſoribus confertur, & ad ærarium dirigitur, id ab eodem Comite largitionum reciperetur, & cuſtodiretur, & ne illorum aliquis ex aliqua ponderum iniquitate, diſpendium ſentiret, *l.ult.h.t.* Receptum quoque erat, ut ſumma ſolidorum indicta, eaque collecta in maſſam auri redigeretur, ac ita ad Comitem transmitteretur, *l.12.& ſeq. C.Theod.eod.* Conſtabat iſta auri maſſa, ſeptuaginta duobus ſignatis ſolidis, qui faciunt libram auri duodecim unciarum, *l.5.h.t.* vocant artifices hanc libram, *marcam. Covar. de ve-*
10 *ter.numiſm.coll.cap.3.in pr. n.3.* * Omnes itaque auri argentive ſummas, & reliquas ſpecies quæ ſacris largitionibus pendebantur, ſtatim ut exactio celebrata fuerat, deferri oportebat ad ſuſceptores, penes quos non etiam diu manebant, nam cogebantur ſpecies obſignatas, & quodcumque à provincialibus fuerat exſolutum, ſacris theſauris inferre, *l.7 h.t & l.1 ſup de canone largit.* ut inde ſubveniretur neceſſitatibus Reipublicæ, provideretúrque exercitibus de annona.

11 Cautum proinde ut in horreis publicis, non niſi frumenta fiſcalia reponerentur, *l.6.h.t.* Quod certe hodie eſt contra ſuſceptores, & horreorum præpoſitos, qui in annonæ caritate adſervant propria frumenta ut publicis miſceant, & contra Pantopolas & Dardanarios, qui annonam coëmptam tantiſper ſupprimunt, dum carius eam vendendi occaſio ſe offerat, vel aliò transferunt lucri cauſa; à Dardano ut quidem ajunt Mago nominati, ut ex Ulpian. *in l.6. ff. de extraord. crim. & l.37. ff. de pœnit.* Ille enim maleficis artibus annonam in ſua granaria avertere, & menſuras minuere ſolitus erat, Cujac. *lib.10. obſ. c.19.* Incidunt hi omnes (prout etiam piſtores, qui minoris ponderis panes conficiunt, lucri cauſa) in legem Jul. de annona, cum contra annonam committebant, *l.2. ff. ad l. Jul. de annon.*

12 Quamobrem boni ſuſceptoris officio incumbit, pura frumenta quæ horreis inferuntur, annotare, eaque adſervare, non in propriam, ſed publicam utilitatem: item ubi iſtius frumenti diſtribuenda venit quantitas aliqua in uſum militum, illico curare apocham aſſignationis ſibi fieri, ex qua conſtabit, quo titulo & in quem uſum illata frumenta diſtributa ſint, *d.l.6.* Quod de frumentis, idem de pecuniis cavetur, ne ſuſceptores eas in ſuos uſus convertant, aut tam diu apud ſe retineant, ut interuſurium poſſint percipere. Platea *ad d.l.6.& 7.h.* quæ forte cauſa fuit, cur impp prohibuerint penes ſuſceptores diu manere factam collationem, *d.l.5.* de qua plura dicemus *infra tit.72.& 73. num.4.*

Porro collationem nondum factam, à ſuſcepto- 13
ribus differri non oportere cenſuit Conſtantinus *in l.1.h.t.* Sed confeſtim ab iis mittendos eſſe in provincias executores & opinatores, qui tributa aliave onera colligant, collecta receptaque tranſmittant, ſub obſignatione tabulariorum, data ſolventibus apocha de receptis, ut dictum *ſup.in l.8.de apoch.* Qua reddantur ſecuri, prodeſt & illa ſuſceptoribus in ſuis rationibus. Quò pertinet Arcadij & Honorij reſcriptum ſecuritates apud acta confectas lectasque, vini aliarumve ſpecierum ſuſceptoribus imputari in rationibus reddendis, *l.11.h.t.* Ex quo etiam colligitur ſyndicorum & aliorum adminiſtratorum rationes reddi & ſupputari in concilio ratiociniorum, per auditores ordinarios. *Novell. 128. c.16. & ſeqq.* ubi qui ad publicas rationes tenentur, non coguntur coram aliis eas reddere. Ant. Deſpeiſſes *in ſuo tract. des tailles ſect.ult.num.64.*

Addit Conſtantinus ſuſceptores publicos, abſque 14
omni mora, oblati auri argentive recipere debere ſolutionem, *in d.l.1. h.t.* ne quis per hanc occaſionem ſumptus facere compellatur. Nam ſi ſolvere volens à ſuſceptore fuerit rejectus, liberabitur à pœna commiſſi, quàm lex iſta imponit differenti ſolutionem, poteritque proteſtari coram teſtibus, quod ſine cauſa ſolutio non fuerit acceptata, & pecunia oblata amiſſa, quo facto collatori dabitur apocha, perinde ac ſi revera ſolviſſet; & damnum fiſco ſuſceptor ſarcire tenebitur, in duplum, judice id jubente, vel ipſe judex, ſi neglexerit id à ſuſcepto-
re exigere, *d.l.1.* * Hinc quædam obſervatione 15
digna notanda ſunt. Primum quod ſola oblatio debiti impediat futuram pœnam, & liberet à publicis debitis, ſi opportuno tempore & loco fuerit ſolutio celebrata, & oblata illi, qui habebat poteſtatem recipiendi, *l.9.ſup.de ſolut.* Quare ſi debitor ſpeciem, vel pecuniam obtulerit ſuſceptori, & ille ſine juſta cauſa accipere recuſarit, deinde eam debitor ſine ſua culpa perdiderit, doli mali exceptione poterit ſe tueri, quamquam aliquando interpellatus non fuerit. Non enim æquum eſt à debitore pecuniam amiſſam denuò ſolvi, quam ſuo tempore oblatam ſuſceptor potuit accipere. Quare pro ſoluto id in quo creditor accipiendo moram fecit, oportet eſſe, *l.73. ff. de ſolutionib.*

Quid ſi res non ſit perempta, ſed carior effecta? 16
certe ſi per moram creditoris carior res efficiatur, poterit ſe debitor liberare, ſolvendo ęſtimationem, quæ fuit tempore oblationis, vel obligationis contractæ; & hic caſus eſt, quo aliud pro alio ſolvi poteſt, æſtimatio videlicet pro ſpecie, propter moram non recipientis, *juxta l.3. §. pen. ff. de act. empt.* Mora enim ſoli moroſo nocet, quomodo ſi ſpecies

Digitized by Google

res oblata poſtea fiat deterior, & minus valeat, tunc ob moram non recipientis, cedet ei debitæ periculum, minoriſve valoris, in damnum creditoris, cui etiam perit pecunia oblata, aut depoſita, ſi tempore opportuno eam non receperit, *l.* 5. ibi Coſtal. *& alij ff. ſi certa pet.* ſecus dicendum ſi oblatio facta non fuit, nec res per moram reddita deterior, nam tunc res ipſa præſtanda erit in ſpecie, aut valor qui eſt tempore acceptationis. Rebuff. & Lucas de Penna *ad d. l.* 1. *h. t.*

17 Porro ſi in ſuo officio recipiendi ſpecies, & aurum quod à Provincialibus confertur, negligentiores ſint ſuſceptores, poterunt à nominatoribus urgeri & moneri ſi quidem hi in ſubſidium conveniantur ſi ſuſceptores fiant minus idonei, *l.* 2. *h. t.* Facit *& l.* 8. *eod.* ibi *& animadvertant quicumque nominaverint, ad diſcrimen ſuum univerſa quæ ſuſceptores geſſerint, redundare*, non prius tamen quàm excuſſi, & ſolvendo non fuerint ſuſceptores eorumque fidejuſſores, *l.* 1. §. 11. *ff. ad municip.* Hi autem nominatores ſunt procuratores rei dominicæ, *l.* 6. *ſup. de jure fiſci.* quibus non licet ex bonis nominatorum & officialium, quidquam emere per ſe vel per alium, *d. l.* 2. quod certe eſt ſingulare, ejuſque ratio, quia Reipubl. intereſt ipſos ſuſceptores, qui prius debent conveniri, eſſe ſolvendo. Nam cum nominatores nominatos idoneos eſſe præſtare debeant, cum iis contrahendo, quo minus ſint idonei, efficerent.

18 Quoniam vero nominati ad ſuſceptoris munus fieri poſſent diuturnitate temporis minus utiles, & abuti poteſtate exigendi, vexando cives, atque ab iis rigidius debita onera extorquendo, ideo conſtitutum, ne ſint perpetui, ſed ut annis ſingulis mutentur, niſi conſuetudo civitatis per biennium eſſe compellat. Imo quamvis hoc tempus lapſum ſit, non poſſunt qui eo munere perfuncti ſunt, ad idem munus redire, vel ad majus adſpirare, niſi ſe prius vinculo ſolicitudinis ſuperioris abſolverint, id eſt, niſi prioris adminiſtrationis rationem reddiderint, reſidua ſolverint, & expoſuerint in ratiociniorum concilio, quibus titulis ſuſcepta diſperſerint, *l.* 4. *h. t.* quæ deſumpta eſt *ex l.* 11. *C. Th. h. t. de ſuſcept.* Bobadilla *lib.* 3. *polit. c.* 8. *n.* 61.

19 Hinc communi uſu receptum ut nullus officialis qui aliquo fuit functus officio, ad aliud promoveatur: niſi prius rationem reddiderit officij & negotij quod geſſit, *juxta d. l.* 4. Quod de facto ſervari inquit Bart. & jure initi conſtat *ex l.* 6. §. *debitores ff. de muner. & honor.* ubi Ulpianus ſtatuit debitores Reipublicæ ad honores evehi non poſſe, niſi prius refundant & ſatisfaciant, id quod debent Reipublicæ. Ideo multis in locis mittitur ſyndicator, ad inquirendum an Rectores ſuſceptoreſque recte & rite munus injunctum geſſerint, qui abſoluta inquiſitione litteras accipiunt, ex quibus conſtat de fideli functione, redditaque ratione officij, & niſi haſce litteras demonſtrent, non aſſumuntur ad altiora officia, quaſi iis indigni, qui minoribus non recte functi. Et contrario qui probe & fideliter, ratio poſtulat, ut ad majora promoveantur, & adminiſtrationis optime profunctæ præmia conſequantur. Bald. *in Auth. habita not.* 2. *C. ne filius pro patre.*

Etenim Suſceptores munere ſuo optime perfuncti fuiſſe dicuntur, ſi coram Rationalibus libros rationum ediderint, & in iis accuratam ſuæ adminiſtrationis diligentiam oſtenderint; nam non ante cenſentur rationes redditæ, quàm in libros fuerint relatæ, & exhibitæ. Et poteſt, inquit Baldus, contra ſuſceptores recuſantes libros edere in litem jurari, cum præſumantur eſſe in dolo *conſ.* 152. *vol.* 3. & Camillus Borellus *conſ.* 25. *& conſ.* 31. *n.* 24. *&* 26. *cent.* 1. Oportet autem libros rationum continere omnia ſuſcepta & erogata, nec ſufficit confuſe, ſed ſigillatim ac diſtincte deſcribere debent ſuſceptores ſpecies fructuum, reditus & quantitates pecuniarum, quas receperunt, & à quibus debitoribus; item exprimere quibus creditoribus ſolverint, & ex qua cauſa id fecerint, *l.* 5. *ſup. de exact. tribut.* & in quos uſus reſiduam pecuniam diſperſerint *d. l.* 4. *h. t.* 20

Porro ſi quid prærogaverint, aut de ſuo ſolverint debitorum nomine, id ab iis exigere poterunt, etiam cum alius in adminiſtratione ſucceſſit, *l.* 7. *ſup. de exact. tribut.* Quanquam novus ſuſceptor conſtitutus, non tantum præſentis anni debita recipiat, ſed etiam reliqua anni præteriti; ita ut interpellare poſſit ad ſolvendum eos, qui remanſerunt debitores ſuo prædeceſſori, *l.* 3. *h. t.* atque hunc quoque cogere, ut reſiduas pecunias aut ſpecies, quarum eſt debitor, præſtet. Ex qua lege collegit Bartolus ei debere ſolvi qui eſt receptor tempore ſolutionis, non ei qui fuit tempore quo fieri debuit ſolutio. Quod ſi negligens fuerit in exigendis anterioribus debitis novus receptor, aut quos invenerit debitores non convenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur, tenetur ipſe hoc damnum civitati ſarcire. *l.* 15. *ff. de adminiſt. tut.* Bobadilla *lib.* 3. *c.* 4. *num.* 79. 21

Cæterum ſi poſt adminiſtrationis rationem redditam, & apocham receptam, appareat ſuſceptorem quædam doloſe occultaſſe, pœnâ amputationis manus punitur. *Novell.* 17. §. *coges.* Interdum capitali *juxta* §. *item lex Julia peculatus Inſt. de public. jud.* quam mores commutarunt in pecuniariam, ut Hiſpani in pœnam tripli, *l.* 18. *tit.* 5. *lib.* 9. *recopil.* Larrea *alleg. fiſc.* 38. 22

Hoc jure quoque ſi convictus ſit ſuſceptor non quidem pecuniam occultaſſe, ſed eam ultra annum penes ſe retinuiſſe, in tertiam partem amplius quam debet mulctatur; ita ut quod debet fiſco inferat, & inſuper tertiam partem debitæ quantitatis ſuperaddat, juxta diſpoſitionem legis Juliæ de reſiduis,

id l. 4.

Digitized by Google

in l.4. §.3. l.9. §.fin.ff.iſto tit. Nonnunquam etiam in
duplum damnatur, maxime actuarius, qui celat, &
minus ſcribit quam accepit, *l. 9. infr. de erogat. mil.
ann.* Tabularius quoque convictus in ſuo munere
aliquid evertiſſe, aut decoxiſſe, pro gravitate ad-
23 miſſi punitur, *l.12. h.t.* * Et generatim quivis offi-
cium publicum habens, ſi in eo deliquiſſe convin-
catur, & condemnatus fuerit, non poterit id rurſus
officium gerere, etiam ſi proferat Principis re-
ſcriptum, quia obreptitia ſupplicatione impetra-
tum cenſetur, *d.l.12.* eoque pertinet *l.2.C.de palat.
ſacr. largi.* ibi *nullus theſaurenſis, vel officialis comitis
theſaurariorum ſemel deprehenſus everſor, quocumque pa-
cto, aut repetat militiam ſuam aut aliam.* Minuitur enim
exiſtimatio, quando quis ab officio removetur, ut
nec illud repetere, nec aliud petere poſſit. Platea *in
d.l.12. &* Capit.*deciſ.121.n.17. &* 18.

24 Claudo hunc titulum hac monitione, utilius eſſe
Reipublicæ ſi minuatur numerus ſuſceptorum,
Quæſtorum, & coactorum, qui miſero populo
magnas moleſtias faceſſunt, & gravius damnum
accipit ex illorum collectione & exactione, quam
ex ſolutione ſortis, ſentit & damnum ærarium, quod
non ſtatim in id deferantur exactæ pecuniæ, quas
quandoque Quæſtores in ſuos uſus convertunt. Sa-
tius itaque foret in ſingulis provinciis, unum eſſe
Quæſtorem qui curam publicæ pecuniæ ſolvendæ
haberet, & apud quem coactæ pecuniæ depone-
rentur; vel certe civitates ſingulæ aut provinciæ,
ad præſtitutum diem, ſuis ſumptibus & integra
fide, onera, & vectigalia ſua colligerent, & ad ſum-
mum Quæſtorem deferrent, ſic omnis occaſio dif-
ferendæ ſolutionis tolleretur, nec pecuniæ per tot
privatorum manus diſſiparentur.

25 Quod ſæpe à provinciarum ordinibus propoſi-
tum fuit Regi noſtro (uti & à rege Galliæ Henri-
co ſecundo) exemplo Romanæ Reipublicæ, quæ
ob ingens cogendarum pecuniarum onus, præce-
pit ut abdicatis exactoribus, ipſæ provinciæ ſua ad-
miniſtrarent & inferrent tributa, nec intermiſit
magiſtratus in officio continere, ut ſine avaritia &
crudelitate collectio illa fieret, teſte Tacito, *lib. 4.
annal.* Non defuere tamen conſiliarij qui ob ratio-
nes quaſdam veriſimiles id diſſuaſerint, quod eo
pacto auctoritas regia imminui videretur, ſi Regi
tutoris loco regnum eſſet & hanc ipſam poteſta-
tem cum periculo conjunctam eſſe, quod nempe
quaſi precario neceſſaria regno ſubſidia à populo
acciperet.

TITULUS LXXI.

De ponderatoribus, & auri illatione.

1. *Aurum quod à collatoribus præſtatur, æqua lance pon-
derari debet, ne illi incommodum ſentiant.*
2. *In ſingulis civitatibus præficitur auri Ponderator,
ut ſi de valore & quantitate quæſtio oriatur, eam
dirimat.*
3. *Apud nos eſt ponderator & probator auri, & qui de
vaſis argenteis judicat & æſtimat.*
4. *An dicto æſtimatoris ſtandum ſit?*
5. *Poſſunt alij in eadem arte periti produci, qui Æſtima-
toris judicium improbent.*

Conſueverant collatores tributorum illationem 1
facere, aut in ſpeciebus, veluti frumento, vino,
aut in quantitate auri argentive; atque hoc aurum
quod tributorum nomine ærario inferebatur, vel
fiſco ſolvebatur, ſive in materia, vel maſſa, ſive in
ſolidis vel pecunia conſiſteret, non numerabatur,
ſed appendebatur. Donatus *in Phormione verb. uncia-
tim. Cum,* inquit, *expenſa pecunia ferretur, more vete-
rum, non ut nunc, annumerabatur. Sic pondus argenti,
l.30. §. certis.ff.ad l. falcid. l.1.§.ult. & l.19. ff. de auro
& arg. leg.* Et apud Plinium *l. 33. c. 3.* poſt multa
oſtendit, libram interpoſitam, in emptionibus quæ
mancipi ſunt, & in militum ſtipendiis, illationibus
tributorum, dictoſque fuiſſe ponderatores Libri-
pendes, qui æqua lance, juſtiſque libramentis au-
rum argentumque ita ponderabant, ut duobus di-
gitis ſummitas lini retineretur, tribus reliquis emi-
nentibus, ne illi aliquid ponderi adderent, magno
provincialium incommodo, *l.1.h.t.* * Hinc in ſin- 2
gulis civitatibus, unus erat publicus auri pondera-
tor conſtitutus, quem Græci *Zygoſtaſtem* appellant,
Hiſpani *Contraſte*, Galli *Eſſayeur de la monoye*; ut ſi
forte inter ſolventes, aut recipientes aurum, dubita-
tio de ejus valore & qualitate orta fuiſſet, ipſe pro
ſua fide & induſtria contentionem dirimeret, &
pecuniam non ex impoſitione ſola externoque va-
lore, ſed ex juſto pondere, & bonitate intrinſeca
æſtimaret, *l.2.h.t.* Tenebatur quoque ſigna nummis
imprimere, & pondus legitimum notare, ex edicto
Juſtin. 11. Quod munus hodie obeunt monetarum
magiſtri publica auctoritate conſtituti, qui mone-
tam formant cuduntque. * Eſt etiam in celebriori- 3
bus civitatibus unus aut alter ponderator, itemque
aurifaber, qui omne pecuniæ genus, vaſa argentea
& aurea inſpiciat, & inciſa parte auri argentive,
eaque excocta probet, an æris quippiam admixtum
habeat; ne fraus fiat his, qui ab aurifabris hæc vaſa
emunt. Hunc alij Argirognomon, & probatorem
vocant, non ponderatorem, cum non tam de pon-
dere, quam de auri argentive qualitate diſcernat.

Quæritur an judicio iſtius Æſtimatoris ſtandum 4
ſit? Quod videtur, ubi ſolus eſt conſtitutus publica
auctoritate, aut acceptus ex conventione, approba-
tiſſimus enim teſtis judicatur, *in l.2. hic, qui pro ſua
fide atque induſtria neque fallat, neque fallatur, & conten-
tionem dirimat,* ut proinde ſtandum ſit ejus ſolius
arbitrio in definienda ſolidorum æſtimatione,
ita

Digitized by Google

Ita Bartol. aliique Interpretes ſentiunt; nec ab iis diſſentio, ſiquidem talis ponderator, & inſpector monetæ, publica auctoritate ſit approbatus, ad probandam vel improbandam qualitatem monetarum
5 & vaſorum. * Attamen non nego quin poſſit aurifaber cujus aurum argentumve damnatur, alios iſtius artis peritos producere, quibus judicium æſtimatoris aut ponderatoris deſtruat, quia unius teſtimonium nunquam ſufficit ad condemnandum aliquem, neque ita prævalet, ut contrarios teſtes non admittat. Garſia *tract. de expenſis c. 24. n. 12.* & Gomez *tom. 2. c. 9. in fin.* Addunt ſolere judices in judicando ſequi judicium peritorum illius artis, quoties circa eam dubitatio aliqua movetur, modo illi ex fide, & interpoſito prius jurejurando experimentum fecerint; plurium autem, non unius depoſitionem requirunt, ut mirer in multis civitatibus ubi plures aurifabri ſunt, unius aſſertioni de auri argentive valore, fidem adhiberi, & unius medici aut chirurgi judicio, ubi de vita, aut vulnere agitur, contra textum *in l. 6. C. de re milit. infr. lib. 12.* Chriſtinæus *ad h. t. deciſ. 57. num. 20.*

TITULUS LXXII.

De auri publici Perſecutoribus.

1. *Aurum publicum recipiebatur à ſuſceptoribus, & ab iis tranſmittebatur ad Comitem ſacrarum largitionum.*
2. *Perſecutores non debent pecuniam acceptam diu retinere penes ſe, & abſque licentia in maſſam redigere.*
3. *Suſceptores habere debent pecuniam promptam, nec poſſunt ex ea lucrum facere,* plenius hac de re tit. ſequ.
4. *An poſſint unam ſpeciem pecuniæ pro alia dare creditoribus, & ex ea lucrum facere.*
5. *Non licet paciſci de aliquo lucro, pro anticipanda ſolutione, neque pro expectanda à debitoribus fiſci.*
6. *Si congruo tempore Suſceptor non ſolvat creditoribus, tenetur damnum ſarcire.*

1 QUolibet quinquennio tributa in auro exacta fuiſſe conſtat *ex tit. ſup. de Indict. & Cod. The. de annon.* Aurum hoc, publicum dicebatur, quia ad ærarium fiſci pertinebat, vel ad largitiones Principis, atque illud deputati exactores à provincialibus exigebant, tranſmittebantque ad Præpoſitos, Suſceptoreſque particulares, quorum munus erat tributa omnia è manibus exactorum recipere, eaque protinus ad generalem Suſceptorem in curia Cæſaris commorantem remittere, qui Comes ſacrarum largitionum appellatur, apud nos Theſaurarius generalis, *ut dictum ſup. de ſuſcept. & de Canone largit.* * Quoniam vero ſæpe contingebat, 2
ut particulares iſti Suſceptores, quos hic textus vocat perſecutores, penes ſe diu retinerent aurum, quod ſtatim ubi collectum & ſupputatum ſub tabulariorum obſignatione tranſmittendum fuerat; ideo Impp. Honorius & Theodoſius prohibent, ne deinceps illi præſumant aurum publicum ſine perſecutoria, id eſt, licentia Comitis ſacrarum largitionum exigere; & exactum diutius apud ſe retinere aut ſumere coquendum, *l. un. h. t.* Non decoquendum, ut legit Accurſius, quia non de decoctoribus lex loquitur, qui pecunias abſumunt & intervertunt, ſed de perſecutoribus, qui ſolidos obryſiatos, puroſque in maſſam redigunt, nec aurum prout acceperunt, ad Comitem tranſmittunt, quod tamen ſtatim facere deberent, *d. l. un. & l. 7. ſup. de ſuſcep.* Aurum & argentum dividunt noſtri in factum & infectum. *l. 19. §. ult. & l. 27. §. 1. ff. de auro & arg. leg.* Factum eſt, quod fabricatum in vaſa aut imagines, vel quod ſignatum. Hinc Seneca *Libentius donabo argentum factum, quam ſignatum. 1. de benefic.* 11. Infectum autem rude eſt, & in maſſa cum laminis. Plinius *lib. 33. c. 11.* & Virgil.

—— argenti eſt mihi pondus,
Infecti, factique ſimul. ——

Sæpe collatores aurum tam factum quam infectum penes ſe habebant, quibus proinde conceſſum conſtitutionibus Principum, ut pro maſſa auri, ſolidos aureos, & è contrario ſolvere poſſint, *l. 5. ſup. de ſuſceptor.* id tamen denegatum ſuſceptoribus, quibus minime licet ſolidos in maſſam redigere ſine facultate ſupremi Theſaurarii; aut ea habita aurum exactum apud ſe retinere. * Hinc oportet receptores 3
pecuniam ſemper paratam habere in neceſſitatem futuram, ita ut non poſſint ex ea pecunia lucrari, & ſi inde lucrati fuerint, totum lucrum cedit fiſci ærario, ſed quia ea res plenius examen requirit, dicam *tit. ſeq.* & quibus pœnis coërceantur pecuniam publicam retinentes, & ex ea lucrum facientes.

Porro ut ex pecunia publica lucrari prohibitum 4
eſt, ita etiam illam permutare in aliam ſpeciem, aut formam, cum pecunia collecta, ſit Reipublicæ, & parata eſſe debeat ejus uſibus, *d. l. un.* ibi Bart. *ut proficiat ab initio in quibus deputata eſt operibus. Novel. 128. c. 16.* Quod ſi tamen pecunia ſit deſtinata ſolutioni creditorum fiſci, videtur poſſe ſuſceptor eam in aliam monetæ ſpeciem tranſmutare lucri ſui cauſa, & ex viliori ſpecie creditoribus recipientibus ſolvere, ſiquidem hi nullum damnum ſentiant; ita Raphael Cumanus *conſ. 178. in 2. dub. & alii.* Sed vix fieri poſſe puto, ut id non ſentiant, quare non probo iſtam monetæ commutationem, neque permittendum ullum lucrum ſuſceptori cenſeo, abſque licentia & approbatione Comitis ſacrarum largitionum, quandoquidem nullum contractum cum

ſubditis illius provinciæ, ſine ſpeciali reſcriptione iniri queat, *l. 1. ſup. de contract. judic.*

5 Quo fit ut à debitoribus fiſcalibus ob dilatam ſolutionem, ſuſceptor aliquid interuſurij nomine accipere non poſſit, neque etiam à creditoribus quippiam exigere, vel accipere propter promptam, vel anticipatam ſolutionem, niſi ratione veri intereſſe excuſetur ſuſceptor, quia tunc uſurarius non eſt cenſendus. Molina *de juſt. & jur. diſp.* 313. Navarr. *in manuali cap.* 17.

6 Quod ſi contrà creditoribus regiis, aut militibus, debito tempore ſolvere differat, ac inde iis damnum aliquod obveniat, cogetur ſuſceptor id ſarcire: maxime ſi pecuniam quam habet paratam, in ſuos uſus converterit. Quoniam tunc ob dilatam ſolutionem miles carius emere, & creditores, ſive annonæ Præfecti, Regi carius omnia vendere coguntur. Si vero ſuſceptor omnibus non poſſit plene ſolvere, & creditorum nullus ſit alteri præferendus, dividendæ ſunt inter eos pecuniæ, quas habet ſuſceptor, habita ratione cujuſque debiti. Fragoſo *de regimine Reip. 1. lib. 7. diſp.* 22. *n.* 11.

TITULUS LXXIII.

De his quę ex publica collatione illata ſunt, non uſurpandis.

1. *Summa Tit. itemque Tit. de his qui ex publicis rationibus.*
2. *Pecunia publica non poteſt ab adminiſtratore vel judice dari aut accipi mutuo aliove titulo.*
3. *Qua pœna puniantur qui pecuniam publicam in ſuos uſus convertunt.*
4. *An ſuſceptor fiſcalis qui intra certum tempus tenetur pecunias reſtituere, poſſit cum illis pecuniis interea lucrari.*
5. *Illi qui non habent certum tempus ad ſolvendum, & habent pecunias promptas, non poſſunt ſibi lucrari.*
6. *Lucri percepti uſuras tenentur præſtare, prout alij.*

1 SUpra *tit.* 6. prohibetur quis ex publicis rationibus mutuam pecuniam accipere: In hoc titulo generaliter, & mutuo dare, & accipere, ac quovis modo pecuniam publicam invadere, *l. 1. h. t.* Quia pecunia ad alias neceſſitates quam ad eas ad quas eſt deſtinata, non eſt transferenda vel impendenda, *l. 3. h. t.* Eſt enim veluti ſacra hæc pecunia, adeo ut ſacrilegij & peculatus crimen committere dicatur, qui pecuniam ærario deſtinatam intercipere, ac in ſuos uſus convertere audet, *l. 1. & 9. ff. ad l. Jul. pecul.*

2 Caveant proinde Quæſtores, ſuſceptores cæterique rei fiſcalis adminiſtratores, pecunias publicas, vel alias ſpecies ex collatione illatas, & in publicis horreis reconditas uſurpare, vel aliis mutuo dare ſine facultate ſuperioris, *l. 2. h. t.* Item ex iis quæ privato ærario inferuntur, vel ex eo quod hujuſmodi titulis contigerit, ad alios uſus transferre, niſi malint graviſſima ſeveritate ſuam licentiam coërceri. *d. l. 3.* quæ repetita eſt *in l. ult. infr. de collat. fund. patrim.* & pœna deportationis impoſita, *l. 3. ſup. de condict. in publicis horreis, & ex l. Jul. de reſiduis l. 2. & 4. §. l. Julia ff. de reſiduis.* Item pecuniaria in duplum in exactores, pecuniam in ſuos uſus retinentes, *l. 7. verſ. quod ſi ſup de exact. trib.*

Addit Eſcobar de ratiociniis *c. 14. n. 29. & ſeqq.* 3
apud Hiſpanos coërceri adminiſtratores pecuniam regiam retinentes animo lucrandi, pœna tertiæ partis pecuniæ; corporali ſi omnino pecuniam uſurpent, & peculatum committant; niſi tamen pecuniam exegerint ſuo periculo, & de ea rationem reddere teneantur. Idem Gregorius Lopez *ad l.* 18. *petit. 6. tit.* 14. tradit ſecutum Joan. Fabrum, ſi expreſſe ſuſceptores regiæ pecuniæ ejus periculum in ſe ſuſceperint, & reddito computu maneant debitores, ideo non puniendos eſſe, modo fateantur debitum, & promittant, ſe id exſoluturos intra annum, *l. 9. §. cum eo ff. ad l. Jul. pecul.* quia non videntur convicti intercepiſſe pecuniam, propterea quod illis fortaſſe adhuc debeatur.

Ad quid ſi ſuſceptores non teneantur niſi intra 4
certum tempus, omnes pecunias collectas ærario inferre? Videntur poſſe interea lucrum ſibi facere, quamvis id negare videatur Bartolus propter generalem prohibitionem textus *in l. 1. tit. ſup. & l. 1. hujus tit. ne ullus judicum quod à Republica ex collatione ſuſceperit, mutui interventione oppoſita invadat, vel conetur invadere,* unde infert omne lucrum inde perceptum debere eſſe publicum, & fiſcum illud repetere poſſe. Quare ſi ſuſceptor non poſſit pecuniam fiſcalem mutuam dare, nec ex collecta ſibi lucrari. Contra tamen quia in propoſito caſu non retardatur ſolutio, nec fiſcus aut Reſp. damnum ſentiunt, videntur ſuſceptores ex pecuniis collectis lucrum facere poſſe, nec illud fiſco cedere, quod durante adminiſtratione, induſtria ſua ſibi quæſiverunt, etiam ex bonis fiſci, *l. 7. ſup. de jure fiſci.* dummodo enim officiales accuratam ſuæ adminiſtrationis rationem reddant, non præſumuntur lucrari ex bonis domini. Non obſtat quod Gloſſ. *in d. l. 7.* contrarium dicat *per Auth. licentiam C. de Epiſc. & cler.* quia iſta Authentica locum habet in adminiſtratoribus perpetuis, qui non ſolent reddere rationes, prout ſunt Prælati; ſecus in ſuſceptoribus & depoſitariis ad tempus electis, quos omnino excuſat diligens adminiſtratio à ſiniſtra ſuſpicione, ut proinde lucrum magis induſtria ſua acquiſitum, quam ex pecunia fiſcali, non debeat fiſco cedere, nec ab eo exigi, vel à quæſtoribus

cum

Digitized by Google

cum iſti ſuſceptores ſint obſtricti pecunias reddere intra certum tempus, ut eo nondum finito, non cenſeantur eſſe in mora, *juxta l. lecta §. ſed cum fortis ff. ſi certum pet.*

5 Secus dicendum de ſuſceptoribus, quibus non eſt ſtatutum tempus ad ſolvendum, & pecunias exactas retinent, aut uſurpant, quas prompte inferre tenentur ærario, aut ſaltem paratas habere pro uſu Reip. ut dicitur *in l. 1. tit. ſup.* ad quos ſuſceptores referendæ ſunt Conſtitutiones *hujus tit. & l. 7. De jure fiſci.* ne penes ipſos maneat facta collatio, ſed ut ſtatim quodcumque à provincialibus fuerit exſolutum, ſacris theſauris inferatur, *l. 1. ſup. de canon. largit. tit.* nam ſuſceptores retinendo pecuniam, ſunt in mora. & lucrum quod ex illa faciunt, non poſſunt ſibi acquirere, ſed cedit fiſco & Reip. ad cujus uſum parata ſemper eſſe debet pecunia col-

6 lecta. * Ut non mirum ſi hujuſmodi ſuſceptores præter pœnas quas incurrere dixi, variis conſtitutionibus, cogantur inſuper præſtare uſuras lucri percepti, quandoquidem ex pecuniis publicis ſua commoda promoverint, exemplo depoſitarij, mandatarij, tutoris, curatoris, negotiorum geſtoris, qui pecuniam domini in ſe transferentes in uſuras condemnantur. *l. 24. cum ſeqq. ff. depoſiti*, *l. 10. ff. mandati. l. 38. §. ſed quas ff. de negot. geſt.* Iniquum enim judicatur ut qui tenentur habere paratam pecuniam, ex ea lucrum percipere, ſibique acquirere, cum nec publicis neceſſitatibus ſubveniri ex ea pecunia poſſit, niſi ſpecialiter id Princeps jubeat, *l. 3. h. t. & l. 4. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.* ex quibus liquet non ſolum theſaurariis prohibitum eſſe negotiari pecunia, ſed etiam eam transferre in alios quam deſtinatos uſus, etiam Principis, ſecundum *l. 3. ibi* Joan. de Platea *ſup. de canon. largit.* Eſcobar. *de ratiociniis cap. 14.* Felicianus de Solis *tract. de cenſib. cap. 3. n. 13.* Limitantur prædicta infra *ad l. 2. de frum. urbis Conſtant.*

TITULUS LXXIV.

De auro coronario.

1. *Aurum coronarium triumphantibus offerebatur.*
2. *Laureæ coronæ, dein aureæ oblatæ gratulationis cauſa, Item aurum ipſum.*
3. *Hoc aurum à Judæis præſtitum ſuis Patriarchis, nunquam à Romanis coactè exactum, ſed ab iis ſponte oblatum.*
4. *Conſtitutio hujus Tituli vult neminem teneri ad collationem auri, niſi conſuetudine id ſit receptum.*
5. *Hodie oblatio voluntaria & extraordinaria præſtatio tranſit in legis neceſſitatem.*
6. *Conſuetudo in collectis tam imponendis, quam exigendis, eſt attendenda.*
7. *Conſuetudo vel præſcriptio immemorialis ſufficit, ut vaſalli oblationes, quæ alias gratioſè offeruntur, in futurum præſtent.*
8. *Non jure domini à vaſallis prætendunt munera, nec illis imponunt ſerviles operas.*
9. *Diu coxiſſe in furno alieno non obligat.*
10. *An poſſit prohiberi ne quis ædificet furnos & molendina, vel ne utatur vicini furnis, ſed dominorum?*

De Evictis hoſtibus, inter oblationes, quas ad decorandum triumphum Imperatoribus ſuis offerre conſueverant ſociæ civitates, & confœderati Reges, fuit *aurum coronarium*, id apud Suetonium, Plinium, alioſque bonos auctores dicitur corollarium, quod ex eo coronæ conficerentur & bene certantibus dono darentur. Coronæ erant inſignia triumphantium, ut docet Bulenger. *de triumpho c. 17.* & probat Cicero in Piſonem, *Mitto aurum coronarium quod lex & decerni, & accipi vetat niſi decreto triumpho.* * Prius autem iſtæ coronæ fuerunt laureæ, deinde aureæ, creſcente luxu urbis, & potentia populorum. Ita Aulus Gellius *lib. 5. noct. c. 6.* ubi affirmat aurum coronarium, eſſe ipſas coronas aureas, quæ Ducibus exercituum ob victoriam obtentam, vel rem fœliciter geſtam, offerebantur, quas ipſi peracto triumpho Diis & Deabus, ſuis manibus conſecrabant. Sic Manlius in triumpho tulit, teſte Livio, coronas aureas ducentas, duodecim pondo, ita ut ſingulæ fuerint librales. Sed & alias miſſas minoris numeri faciamus, Flaminio, Scipioni, & aliis Romanis Impp. donatas, Appianus Cæſari dono datas bis mille octingentas viginti duas, eaſque pondo viginti millium quadringentorum quatuordecim profert. Et Tertullianus *de corona mil.* inquit. Sunt & provinciales aureæ, imaginum jam, non virorum, capita majora quærentes. Bene provinciales, quia ab iis datæ. Nec ſolum coronas, ſtatuas, ſimulachra, ſed aurum ipſum purum oblatum fuiſſe indicat, *l. 4. C. Theod. h. t. Quæ diverſarum ordines curiarum, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſpere geſtis, admoniti in aureis coronis, ſigniſque diverſis obtulerint, in quacumque fuerint oblata materia, in ea ſuſcipiantur.* * Inde tamen ne inferas, coactos fuiſſe provinciales, aurum hoc tributi nomine pendere, quia nulla lege imperatam oblationem invenio, ſed bene remiſſam, ac plane ſublatam conſtitutione hujus tituli, de qua mox. Verum quidem eſt Judæos pro tributo coronas Principibus tribuiſſe, ut patet *ex lib. 1. Machab. c. 10. verſ. 29.* Item primates Palæſtinæ ob jus Synedrij, id eſt, concilij ſeu congregationis conſueviſſe aurum coronarium præſtare Patriarchis occidentalibus, qui in locum ſuorum Pontificum fuere ſuffecti, ex qua conſuetudine ſolvendi jus introductũ, quod ſibi Impp. 1 2 3

 Theod.

Digitized by Google

Theod. & Valent. vindicarunt, & aurum hoc in ærarium ſuum inferri juſſerunt, *l. 17. ſup. de Judæis, & l. ult. C. Theod. eod. t.* in odium forte perfidæ gentis. Pet. Gregor. *lib. 3. ſyntagm. c. 7. n. 5.* Cæterum ab aliis Romano Imperio ſubjectis, nunquam hoc aurum fuit extortum, ſed ſponte ab iis oblatum, ex qua oblatione voluntaria, licet coronarium jam quaſi debitum videretur, illud ſæpius Auguſtus, & alij Cæſares remiſerunt, nec ob id obligari provinciales voluerunt, ſolum enim ſatrapas & decuriones pro devotione Imperij adſtrinxerunt ad offerendam coronam, *l. 2. l. 4. & ult. C. Theod. hoc tit.*

4 Lata deinde hujus tituli conſtitutio, in qua Impp. Gratianus, Val. & Theod. non ſolum auri coronarij collationem remiſerunt, ſed eam omnino ſuſtulerunt, præcipientes ut nullus ad offerendum cogeretur; niſi conſuetudine eſſet receptum, *l. un. h. t.* prout apud Judæos *per d. l. 17.* Ratio ſumenda eſt *ex l. 4. C. Th. h. t.* ne id quod ex voluntate à provincialibus offertur occaſione obryzæ incrementi neceſſitatis injuria inſequatur. Amaya *ad l. un. h. t.* & Garzia
5 Toletanus. * Verum licet placuerit neminem eſſe cogendum ad oblationem, promiſſam tamen in obligationem tranſire videmus, ita ut quod initio ex voluntate, & benevolentia cœperat, nunc in neceſſitatem cadat, *arg. l. 5. ſup. de oblig. & act.* exigaturque jure & quaſi debitum, cum tamen nec Princeps nec privatus ullum jus acquirat, ex actu qui à mera voluntate pendet, *l. 51. ff. de acquir. poſſ. dixi ſup. tit. 24. in fin.* Hinc extraordinaria onera olim ſponte oblata, nec taxata, nunc in neceſſariam legis auctoritatem tranſire, & magno cum ſubditorum incommodo, continuari videmus, ſimiliter ſubſidia & precarias, quæ ſolo nominis ſono, à contributionibus ordinariis differunt, neceſſitatem præſta-
6 tionis ſecum trahunt. * Atque ex iſta exactionis, & penſitationis continuatione, conſuetudo introducitur, quæ in omnibus vectigalibus, & præſtationibus annuis ſpectari ſervarique ſolet, *l. 4. §. fin. ff. de public. & vectig.* habet enim illa vim legis, & quandoq. ipſa lege potior eſt, *l. 32. §. 1. ff. de legib.* Facit in eam rem textus hic, qui auri coronarij præſtationem prohibet, præter illam quæ jam ex conſuetudine eſt recepta. Igitur præſtationes annuæ, & illæ quæ jure familiaritatis, & benevolentiæ, à ſubditis, dominis ſolent exhiberi, longa conſuetudine, aut præſcriptione firmantur, ac titulum juſtum ac ſufficientem inducunt, ut in futurum præſtari debeant. Felinus *ad c. cum M. Ferrarienſis n. 7. de conſt.* Alexander *conſ. 124. lib. 4.* Coſtal. *ad l. 6. ff. de uſuris.* Belluga *in ſpeculo princip. Rub. 46. in verſ. ſunt & alia munera*
7 *n. 2.* * Quoniam vero pro ſubditorum libertate vehemens eſt præſumptio; per violentiam & oppreſſionem hujuſmodi præſtationes à dominis extortas eſſe; ideo jus ad earum acquiſitionem firmandam requirit immemorialem præſcriptionem vel uſum. Inſuper lex Regia Hiſpaniæ exigit, ut probent domini, vaſallos ſponte, & non per vim ea onera exhibuiſſe & ſolviſſe, alioquin ut recte affirmat Covarruvias non videntur tuti domini in conſcientia, *ad c. poſſeſſor. p. 2. §. 4. num. 1. de reg. jur. in 6.* Imo Joan. Guttierrez *lib. 1. pract. qq. q. 92.* concludit etiam in foro externo non ſufficere ſententiam latam in favorem dominorum, neque litis pendentiam, niſi libera voluntate, & gratuito, abſque ulla coactione, iſtæ oblationes præſtitæ fuerint dominis, à ſubditis, in remunerationem beneficij in eos collati, quæ opinio eſt juſta, niſi conſuetudo, & præſcriptio immemorialis in acquirendo hujuſmodi jure, quod alias domino à vaſallis minime debetur, præſumptionem violentiæ & oppreſſionis excludat. Covarr. *d. loco num. 5.*

Unde damnantur indictiones, & exactiones, qui- 8
bus onerantur vaſalli, ut munera præſtent dominis, aut eorum filiis initio anni, & gratis eorum agros colant, aut quandoque currus & equos rebus vehendis ſubminiſtrent, hoſpitio advenas accipiant, aliaſve operas ſerviles præbeant pro dominorum arbitrio. * Damnantur & illæ prohibitiones, qui- 9
bus vaſalli coguntur ad dominorum molas, & furnos, frumentum molendum & panes coquendos deferre, ſoluta ordinaria mercede, nec eis licet proprios furnos vel molas habere, vel extruere. Nam quod vaſalli pro commoditate ſua aliquamdiu fecerunt, non debet trahi ad neceſſitatem debiti & obligationis. Quod Cæpolla pluribus proſequitur, *lib. de ſervitutib tit. de furno.* Beſoldus *conſ. 118. vol. 3.* Quinimo etſi prohibitionibus dominorum aſſentientes, ad eorum molas perpetuò acceſſerint, & non ad alias, non poſſunt ullo modo cogi à dominis, ſed abſolvendi ſunt omnino vaſalli, hujuſmodi onere & ſervitutis ſpecie. Covar. *d. loco.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 16. num. 117.* Amaya *ad h. l. n. 34.* & Larrea *Alleg. 69.* docent hujuſmodi dominorum prohibitiones eſſe odioſas & proinde reſtringendas, niſi à ſupremo Principe dominis ſpeciatim conceſſum fuerit jus prohibendi alios furnos & molas ædificare, quo caſu adhuc exiſtimo poſſe vaſallos ad proprios furnos & molas, aut alterius privati accedere, & iis uti, nec id poſſe à Principe, aut ſtatuto communitatis prohiberi. Albert. Brunus *conſ. 131. & 198.* Congruit bono Principi curare, ne ſubditi graventur, & cauſam det ut ejus decreta illudantur. Facit quod actus iſte accedendi ad furnum vel molam alicujus, mere pendeat à voluntate accedentium; in his autem quæ ſunt meræ facultatis, nulla cadit conſuetudo, aut præſcriptio. * Non inficior 10
tamen quin plurimum operetur præſcriptio immemorialis, hæc autem per teſtes idoneos probanda eſt, quales non ſunt ipſi vaſalli, quia iis non credetur adverſus dominum, item non debet eſſe interrupta hæc præſcriptio, quia ſi interrumpatur poſ-

ſeſſio

ſeſſio non procedet, *l. 5. & l. 19. in princ. ff. de uſucap.* Argentræus *ad conſuet. Britanniæ art. 277. num. 15. verſ. Accouſtumé.*

TITLUUS LXXV.

De Irenarchis.

1. *Qui ſint Irenarchæ, cur ita nuncupentur, à quibus eligantur, & quod eorum munus.*
2. *Illis ſuberant Limenarchæ, curioſi & ſtationarij milites.*
3. *Horum munus erat latrones & delinquentes apprehendere, & eorum delicta Præſidi denunciare.*
4. *Irenarchæ, modò ſublati, modò reſtituti, prout etiam Biocolytæ.*
5. *Quibus officiis hodie aſſimiletur Irenarchæ munus.*
6. *Limenarcha cuſtos eſt portuum, à quibus eligatur & conſtituatur.*
7. *In ejus locum ſucceſſit Portulanus, qui curat ne frumenta aliò vehantur.*

1 INter perſonalia munera refertur Irenarchæ munus, quod animi proviſione, & corporalis laboris intentione, ſine aliquo gerentis detrimento, aut patrimonij diminutione peragitur, *l. ult. §. 7. ff. de muner. & honor.* ubi dicuntur Irenarchæ diſciplinæ publicæ & corrigendis moribus præfici. Et in hac noſtra lege Honorius Auguſtus. Irenarchæ, inquit, ſunt qui ad provinciarum tutelam. quietis ac pacis per ſingula territoria faciunt ſtare concordiam, à decurionibus idonei nominati, probantur judicio præſidis, *l. un. h. t.* Quandoque curioſi dicti, quoniam præcipuum eorum officium erat delinquentes capere, & ideo ſe ſuoſque ſtationarios in limitibus aliiſque locis collocabant, ut latrones conquirerent, & apprehenderent, criminaque patrata Præſidi indicarent, *l. 1. §. 12. ff. de offic. Præf. urbi.*

2 Præter ſtationarios milites habebant Limenarchas, ſpeculatores homines, quos Hiſpani vocant *Soplones que acompañan à los Juezes y les dan noticia de lo que paſſa.* Bobadilla *in ſua polit. l. 2. c. 21. n. 16.* quia inſpiciunt & referunt quid ubique agatur. Quibus tamen mandatum erat ſub pœna capitis, ne ſuperexactionem facerent, neve apud ſe carcerem, vel perſonam in cuſtodia haberent, *l. 1. C. de cohortal. lib. 12. & tit. de curioſis.* Niſi quod fugitivos deprehenſos in carcerem detrudere poſ-
3 ſent. *l. 4. ff. de ſerv. fugit.* * Similiter horum Præfecti Irenarchæ ubi latrones & in viis delinquentes apprehenderant, ſolum eos interrogare poterant de ſociis & receptatoribus, & interrogationes reſponſaque cum indiciis, & probationibus mittere, vel ipſi perducere ad Præſidem: Apud quem, qui cum elogio mittebantur, iterum audiendi erant, & ſi quid Irenarcha malignè interrogaſſet, vel non dicta retuliſſet, ipſe ſeveriſſime in exemplum puniebatur, ne quid aliud poſt moliretur, *l. 6. ff. de cuſt. reor.*

Quia vero contemptis pœnis, Irenarchæ nominis & muneris ſui obliti, rapinas ſæpe exercebant, pacemque publicam turbabant, ideo ab 4
Honorio & Theodoſio Impp. aboliti fuerunt. *l. 1. Cod. Theod. de Irenarchis.* Sed eorum verbis in contrariam ſententiam detortis, à Juſtiniano reſtituti ſunt Irenarchæ, & injunctum ut munera Reipub. ſubirent, ſed non diu, nam ob corruptos illorum mores (ut antea Honorius) eos è medio ſuſtulit idem Imperator, ut apparet ex Conſtitutionibus ſuis noviſſimis *in Novell. 8. c. 13. Novell. 17. §. eor 10. Novell. 128. & 134.* in quibus legitur Biocolytas, qui locorum ſunt ſervatores, & latronum expulſores, abolitos fuiſſe, & locorum curam demandatam defenſoribus & judicibus; prout & alia quæ ad popularium quietem ſpectant.

Similes Irenarchis, & Latrunculatoribus hodie 5
ſunt, quos Hiſpani vocant *Alcaldes de la Hermandad*, Galli *Prevoſt des mareſchaux*, Belgæ *Præfectos ſatellitum & Droſardos*, qui per civitatum territoria ad perquirendos reos obequitant, & in civitatibus commiſſa crimina denuntiant, & nominantur à Principe.

Præterea ut in pleriſque civitatibus, & earum 6
territoriis, qua iter frequentius erat, ſtationarij milites conſtituebantur, ita & in portibus ad quos frequentius naves commeabant, cuſtodes locabantur, qui eorum curam haberent, & ab hoſtium aut piratarum incurſionibus naves tuerentur, latrones caperent, fugientes ſervos retinerent, oleum, vinum, aut liquamina, vel ferrum ad Barbaros imperij hoſtes, perferri non permitterent, *l. 1. & 2. Cod. quæ res export. non deb.* His Limenarcha præponebatur, quaſi portus Præfectus, & quemadmodum Irenarcha, ita & Limenarcha ab ordine decurionum eligebatur, & non niſi liber homo, vel nominatus à Republica, illum honorem conſequebatur, qui liberorum hominum proprius erat, *l. 38. Cod. de liber. cauſ.* adſtringebaturque muneribus perſonalibus, *l. ult. §. 10. ff. de muner. & honor.* * Hodie in locis maritimis, ubi publica ſunt frumentorum horrea, ſimilis Limenarcha conſtituitur, qui Portulanus dicitur, eſtque ejus magna 7
auctoritas in iſtis locis, ſine qua non licet aliò frumenta vehere, & extra Regnum tranſportare, ſine licentia regiæ curiæ, & gubernatoris provinciæ. Maſtrillus *de Magiſtr. lib. 5. cap. 9. num. 141.*

Digitized by Google

TITULUS LXXVI.

De argenti pretio quod theſauris infertur.

1. *Omnis auri & argenti ſumma quæ Principi pendebatur, conſignabatur Præfecto theſaurorum.*
2. *Pro argento aurum recte ſolvitur, libra auri quanti æſtimetur.*
3. *Quando ſubrogatio in pecunia unius pro altera admittatur.*
4. *An quis liberetur ſolvendo fiſco in quavis moneta etiam ærea?*

1 QUoniam exactores magis propriis commodis, quam publicæ utilitati ſtudent, ideo variis legibus proviſum, ne aurum vel argentum quod ſacris largitionibus penditur, & exactum jam eſt, apud ſe retineant, ſed ſtatim in arcas fiſcales deponant, & theſaurorum præpoſitis conſignent, *l. 1. ſupr. de can. largit. lib. 7. de ſuſce;* & *l. un. de auri publ. præf.* Hi Theſaurienſes quandoque vocati ſunt, & ſuberant imperio Comitis ſacrarum largitionum, ut conſtat ex Notitia Imp. Orientalis, ibi Pancirol. & Amaya *ad. d. l. 2.* unde theſaurus ſub hoc titulo arcam fiſcalem ſignificat, in qua reponuntur & cuſtodiuntur ea tributa, quæ fiſco in auro, vel argento præſtantur à provincialibus, *d. l. 7. & fin.*
2 *ſup. de ſuſcept.* * Præterea ſtatutum ut provinciales hiſce tributis obnoxij, quique argentum inferre debent, poſſint pro argento, aurum ejuſdem valoris ſolvere, ſi velint, ita ut pro ſingulis argenti libris, quinos ſolidos auri inferant, nam argenti libra æſtimatur quinque ſolidis, ut auri libra ſeptuaginta duobus ſolidis, *l. un. h. tit. & l. 5. ſup. de ſuſceptorib.* & viginti æris libræ uno ſolido, *l. un. ſup. de coll. æris.* Pancirollus *l. 1. var. c. 66.* Petr. Gregor. *l. 36. ſyntagm. c. 2.* & Covarruv. *de veter. numiſ. pot. c. 3. §. 1.* Georg. Agricola *de pretioſ. metal.* * Ex 3
his obſervo promiſcuum uſum unius monetæ pro alia admiſſum fuiſſe, ut pro ſumma argentea quam quis ærario Principis tributorum nomine, aut debiti, inferre tenebatur, poſſet auream ſolvere vel è contrario. Quæ & nunc uſitatiſſima ſubrogatio eſt, & jure commerciorum admiſſa, quod longe majorem utilitatem adferre videatur argentum, quod communius eſt, quam aurum, quod rarius. Ne tamen inde inferas in obligatione contracta ad certam ſpeciem monetæ, poſſe debitorem etiam diverſam deterioris materiæ ſolvere, dummodò eandem quantitatem ſolvat, quia non cogitur creditor eam accipere ſi damnum inde ſit paſſurus, *l. 99. ff. de ſolut.* quod vix eſt ut non patiatur, ſi pro aurea vel argentea quam mutuo dedit, ærosa reddatur, cũ non ſit ejuſdem bonitatis, nec poſſit cum argentea conferri, præſertim hoc ſeculo, quo ærea pecunia tota vilior facta eſt & inquinata, & ad tranſportandum difficilior. Leoninus *conſil. 31. n. 5. & ſeqq.* Larrea *ad decif. Granat. diſp. 21.* Ita ut *l. un. h. t.* loquatur de proportione & qualitate inter metalla, & obligatione civili, qua tenentur provinciales aurum vel argentum inferre, non de obligatione ex mutuo orta. * Etenim ea ceſſante, poterunt 4
nunc ſubditi liberari ſolvendo fiſcale debitum in quavis monetæ ſpecie, modò proba, non diminuta vel ærosa ſit, propterea quod non poſſit fiſcus improbare monetam auctoritate ſui Principis ſignatam, niſi lex aut conſuetudo certum metalli genus præſcribat, quo ſolvenda ſint tributa fiſco (ut *ſup. tit. 29.*) quæ maxime attendenda eſt in hac cauſa. Sic ut non videatur probandum arreſtum Senatus Pariſienſis, cujus meminit Petr. Rebuffus, quo decretum fuit, ut pro auro liceret duplos, vel liardos, Hiſpani maravedinos vocant, ſolvere, quoniam hanc ſolutionem multa incommoda conſequuntur, *l. 4. §. ult. ff. de in diem add.*

FINIS LIBRI DECIMI.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONI PEREZI J.C.

IN LIBRUM UNDECIMUM

CODICIS JUSTINIANEI

PRÆLECTIONES.

TITULUS PRIMUS

De Naviculariis, ſeu Naucleris publicas ſpecies tranſportantibus, & de tollenda luſtralis auri collatione.

1. *Diviſio hujus & ſequentis libri, itemque Tituli præſentis.*
2. *Quid luſtrum ſignificet, & quod ſingulis luſtris præberetur aurum luſtrale.*
3. *Aurum luſtrale à tenuioribus etiam præſtabatur, dicebaturque aurum negotiatorium quod à mercatoribus dabatur.*
4. *Nimia pecuniarum exactio, ſæpe regnorum everſio.*
5. *A quibus ſuſciperetur aurum luſtrale, ſublata dein ejus præſtatio.*
6. *Qui ſint navicularij, quale fuerit illorum collegium & officium.*
7. *Hodie etiam publicas & privatas ſpecies transferunt, & navigantes omni ſecuritate gaudent.*
8. *An privilegiatæ naves teneantur publicanis oſtendere merces?*
9. *Merces vetitæ una cum licitis & permiſſis exportari, in commiſſum cadunt, & navis quoque.*
10. *Dominus navis ignorans merces prohibitas exportari, non amittit navem quam elocavit.*
11. *An ſtatutum quod vetat res exportari ſub certa pœna, comprehendat omnes etiam ignorantes & quoad publicationem navis & inſtrumentorum.*
12. *Omnium rerum quæ exportantur, fieri debet inſpectio, nec eam impedire poſſunt clerici, alias cadunt in commiſſum.*
13. *Pœna non profitentis merces, eadem eſt quæ non ſolventis, nec eam effugit ignorans.*
14. *Ut hæc pœna incurratur, opus eſt declaratoria ſententia.*
15. *An ſecuritas data ad eundem, cenſeatur eadem data ad redeundum?*
16. *Ad quas perſonas extendatur ſalvus conductus.*
17. *Item ad quas res. An extendatur ad revehendum merces hoſtiles,*
18. *Quæ pœna afficiatur frangens ſecuritatem publicam, & ſpolians navicularios.*
19. *An id quod in quadruplum venit, totum ſit pœna, & quæ illorum qui tempore naufragij bona rapiunt.*
20. *Duplex pœna hic proponitur, una quæ fiſco applicatur, altera ei qui periculum ſuſtinuit & rapinam paſſus eſt.*
21. *Si navicularij certæ regionis nequeant ſpecies publicas tranſportare navium inopia, alij vicini nautæ tenentur hoc onus implere.*
22. *Si numerus navium certo loco deſtinatus ad transferendas merces deficiat, ſuppleri poteſt ex locis vicinis.*
23. *An præfectus militiæ poſſit ad expeditionem ex vicino loco militem cogere, invito Duce?*
24. *Defectus unius civitatis ſuppletur per aliam ſibi vicinam.*
25. *In Inſulis Orientis & Alexandria erat claſſis ad tranſvehendas merces quas nautæ in ſua commoda convertere non debent.*
26. *Species intra annum inferre, & de ſolutis ſecuritates recipere jubentur.*
27. *Hic commiſſarij & alij qui tenentur negotium aliquod expedire, intra præfixum tempus id facere debent & referre litteras peracti negotij.*
28. *Qui breviori tempore expediunt negotium, an poſſint pro longiore tempore aſſignatum ſalarium retinere?*
29. *Cur hic annus navigationi præſcriptus, cum alibi dimidius ſufficiat.*
30. *Milites qui commeatum faciunt & annonam deferunt ne excedant tempus ſtatutum, aut alibi morentur.*
31. *Nautæ per tempeſtatem in devia loca delati, excuſantur & jure ab illis vectura peti poteſt.*
32. *Sin ſua culpa frumenta ad exercitum vehere diſtulerint, & eadem ementes dolo malo capite puniuntur.*
33. *Nautæ deputati ad vehendum frumentum ad aliquem locum, ſi illud alio deferant quæ pœna puniantur.*

34. Nautæ

34. *Nauta ſi de via quærat, ſuſpectus habetur, ſi ut non ſolvat vectigal punitur.*
35. *Nauta qui propter illicitas exactiones publicanorum, Navigationis curſum mutat, immunis eſt à pœna.*
36. *Qua pœna puniatur nauta qui moratur in portu ſavente vento, & judex connivens.*
37. *Cur ob culpam judicum puniantur municipes, qui naves detinent?*
38. *Cogi poſſunt nautæ ad navigandum, uti & caupones hoſpites recipere.*
39. *Navi & re alia ad communem uſum parata, quis uti poteſt, & cogere ſocium ſi id recuſet.*
40. *Navi reverſa ad portum à quo egreſſa eſt, & non perficiente iter propter adverſam tempeſtatem, an reſtituendum ſit pretium datum pro loco.*

1 HOc Libro, & ſequenti, explicantur jura urbi, & municipibus communia, quæ ad quatuor capita referri poſſunt, primum *de corporibus*, ſecundum *de cenſibus*, tertium *de dignitatibus*, quartum *de apparitoribus*; duo priora declarantur hoc libro, reliqua duo, libro ſequenti. Quocirca ut hujus libri duæ ſunt partes, quarum prior eſt *de corporibus & univerſitatibus*, poſterior *de cenſibus*, ita præſens titulus in duas partes dividitur, prior eſt *de navicularijs publicas ſpecies tranſportantibus*, poſterior *de tollenda luſtralis auri collatione*. Hæc pars in aliquibus codicibus ſolet eſſe prior, ut notat Cujacius hic, licet illius nulla fiat mentio in legibus hujus tituli, niſi quod ipſe aliquot Anaſtaſij leges Græcas Latinitate donaverit, & expoſuerit qualis quantaque fuerit iſtius luſtralis auri collatio, de qua nos aliquid attigimus *ſupr. tit. de indictionibus lib.* 10.

2 Luſtrum enim quinquennij ſpatium ſignificat, locationi, & conductioni tam publicæ quam privatæ rei præſtitutum, ut apparet *ex l.* 9. *§.* 1. *l.* 13. *§.* 11. *l.* 24. *§.* 2. *ff. locati.* Briſſonius ad verbum *luſtrum*, & Iſidor. *lib.* 5. *etymol. c.* 37. Hîc luſtrum pro quodam tributo accipitur, quod olim Imperatoribus de luſtro in luſtrum, id eſt, quolibet quinquennio, à provincialibus præbebatur, quatuor autem præcedentes anni cujuſque luſtri deſtinati ad iter faciendum, & tranſvectiones propter longa interſtitia itineris Româ in provincias. Primo itaque luſtro, aurum præbebatur, in ſymbolum dominationis; Secundo argentum, ad ſtipendia militum; Tertio æs & ferrum ad armorum reparationem.

3 * Ad hanc auri luſtralis collationem, ſeu ſolutionem tenebantur etiam tenuioris fortunæ provinciales, quique victum corrogata ſtipe ſibi comparabant, item meritoriæ puellæ, & lenones & fœneratores. Zoſimus *libr.* 2. & Cujacius *hic*. Ac multo magis aurariam penſionem pendebant mercatores ſive per ſe, ſive per ſuos negotiarentur, *l.* 3. *&* 6. *Cod. Theod. De luſtral. coll.* Guterius *de domo Aug. lib.* 3. *c.* 23. ubi docet mercatores aurum & argentum negotiandi cauſa venale habuiſſe, quod & indicat *l.* 22. *§.* 4. *ff. de aur. & argent.* atque ob id à Lampridio in Alexandro dicitur *aurum negotiatorum*, quia id præſtabant annis ſingulis negotiatores, nec illius collatione exonerabantur, quin etiam ſiliquaticum, & monopolium ab illis exigebatur, illud in nundinis ob venditionem, hoc cum ipſis à Principe monopolium exercere erat permiſſum, quod deinde à Zenone Cæſare abrogatum, *l.* 1. *ſupr. De monopol.*

Itaque ſubjecti omnes, ex omni re pecuniam 4
pendebant, & hinc in Republica ingens erat pecuniarum copia, & cauſa cur laſciviret populus, nam ubi nimia pecunia, ibi luxus; ubi luxus, ibi vitia; ubi vitia, ibi imperiorum lapſus. Unde recte Plinius dicit *argentum venenum rerum omnium*, *l.* 33. *c.* 6. *& aurum peſtem ac ſaniem. Non erat ſatis unam inveniſſe peſtem, niſi etiam auri ſanies acceſſiſſet.* Neceſſaria quidem pecunia, ſed periculoſa nimia collatio & extorſio. Nam cum putarent Rempublicam ſuam augere, egentiſſimam reddiderunt. Et hodie nihil toto orbe, quod Reges, Principes & Reſpublicas gravius affligat, & concutiat, quam nimiæ pecuniæ exactiones, quæ, ut à Romanis olim, variis nominibus colorantur.

Sed ut ad luſtrum redeamus, fuere in Republica 5
duo conſtituti Suſceptores & Nummularij, qui aurum luſtrale reciperent, & deſcriberent in tabulis ſummam auri & argenti, quam colligebant, collectam & conſignatam deinde ſacris theſauris inferebant, *l.* 13. *ſup. de ſuſcep.* Verum Anaſtaſius Imp. ut populum ſibi devinciret, quem videbat aliis exactionibus oppreſſum, hanc auri argentique collationem ſuſtulit, ut Evagrius & Zonaras teſtantur, & Cujacius hic affirmat utramque conſtitutionem *h. tit.* eſſe Anaſtaſij.

Altera pars Tituli ad navicularios ſpectat, quos 6
vocamus naucleros, navium dominos, Græci Navarchos dicunt, teſte Vegetio, qui ſingulis navibus præſunt, *lib.* 4. *De re mil.* habentque ſub ſe exercitores, remiges, nautas, meſonautas, & hujuſmodi homines qui deſcribuntur *tit. ff. nautæ, caup. ſtab.* fuit olim naviculariorum certum corpus & collegium, *l.* 5. *§.* 6. *& fin. ff. De jur. immun. & l.* 1. *Cod. De hæred. decur.* in urbe & in provinciis, uti in Africa & in Hiſpania, *l.* 8. *Cod. Theod. eod. tit.* quorum officio & curæ incumbebat privatas ſpecies quocumque tranſvehere, & popularibus ſervire; item per vices publicas ſpecies in frumento, hordeo, vino, oleo, pecunia conſiſtentes, à ſuſceptoribus per provincias diſpoſitis, recipere, & eas ad urbem, vel ad caſtra, ad militum ſuſtentationem navibus propriis vel conductis deferre, & tranſportare, Azo, Accurſ. & Cujacius *hic*

Hodie

Digitized by Google

7 Hodie etiam aliquod quaſi corpus eſt naviculariorum, & caput capitaneum, vel admiralium vulgus vocat, cujus juſſu annonam & alias ſpecies ad Rempublicam pertinentes trans mare vehunt ad alias regiones; Item arma juſſu Principis, milites quoque & ipſum Principem ducunt, & reducunt ejuſque legatos, cum omni ſecuritate, *l.* 1. *h.t.l.* 3. & 8. *ſup. de vectig.* quæ ſecuritas in eo conſiſtit quod navigantes ob publicam cauſam, & navicularij qui commeatum ad exercitum ferunt, nullam vim, nullam concuſſionem, nullum denique in perſona aut rebus incommodum ſentiant, adeo ut nec arreſtari (ut dicunt) nec detineri, nec ad vectigalium ſolutionem compelli poſſint, modo ſine fraude rem gerant, *l.* 6. *in fin. Cod. de vectigal.* Bart. & *alij ad d.l.* 1. tametſi profiteri merces debeant, eaſque publicanis oſtendere, ut mox dicam. *l. fin. ff. De public. & vectigal.*

8 Quid ſi conſtet navem ab omni vectigali eſſe exemptam? obtinuit ſententia, naucleſum non teneri publicanis oſtendere merces immunes, quibus ſi quæ aliæ non privilegiatæ ſint adjunctæ, & ob fraudem vectigali factam in commiſſum hæ cadant, pœnam ad immunes non porrigi, ſi navicularij fraus abſit, quæ alioquin integras merces in commiſſum trahat, *l.* 4. §. 1. *in fin. ff. d.t.* Peckius *ad h.l.* 1. *n.* 6. quem ſequitur Chriſtinæus *ad h.t. deciſ.* 58. *num.* 13. meminit ibidem auctor ſufficere quod naves exemptæ dum loca tranſeunt, indicium aliquod faciant ut in commiſſum non cadant. Si tamen edictum prohibeat arma exportari, frumentum evehi, aliaſve merces vetitas efferri, ob publicum intereſſe, jure ſtationarius vel publicanus poterit inſpe-
9 ctionem petere. * Hinc notandum, ſi nauta vel auriga merces aliquas exportari prohibitas, navi, aut currui impoſuerit, iiſque alias non vetitas adjunxerit, idque ſciens, ſi quidem ad ipſum pertineant, in commiſſum una cum navi aut curru cadere, *l.* 11. §. 2. *ff. de publican.* Idem ſentiendum ſi vectores ſciente domino navis, tales merces permixtas navi impoſuerint, uti alias judicatum in Belgio dicit Peckius, & ejus obſervator Chriſtinæus in ſuis deciſ.
10 Belgic. * Dico ſciente, nam ſi abſente domino navis, vel eo ignorante merces exportari prohibitæ ſint impoſitæ navi, quam locavit vel commodavit alicui nautæ, hic punitur commiſſis mercibus, ſed navis domino reſtituitur, *d.* §. 2. quia de jure is ſolum qui ſcit, & aſſenſum præbuit, obligatur, non ignorans, *l.* 3. *ſup. de tabular.* Præſumitur autem dominus ignorare, ſi ſcientia non probetur, proinde qui dicit, probare ſcientiam debet. *gloſſ. in l. verius ff. De probat.* & ſi in probatione deficiat, ſtatur juramento ipſius domini. Bobadilla *lib.* 4. *Politia cap.* 5. *num.* 53.

11 Quod ſi tamen ſtatutum, aut lex municipalis ipſas res afficiat, eaſque exportari vetet, contravenïens ſtatuto, ſive ſit incola ſive advena, ſciens aut ignorans, præter res, etiam naves, currus, equos, & inſtrumenta evectioni idonea, amittit, & publicantur; quoniam licet non ſint de mercibus prohibitis, tamen tanquam acceſſoria etiam in commiſſum cadunt, habet tamen illorum dominus ignorans regreſſum contra conductores, qui ſi non ſint ſolvendo, poterit implorare auxilium reſtitutionis adverſus ſtatutum, ex generali clauſula, quæ ſententia fuit Bartoli, Romani, Imolæ, Alexandri, *ad d.l.* 11. §. 2. eſt tamen æquior, quæ excuſat ignorantem cum in nullo delinquat. Caſtillo *ad l.* 1. *Tauri.* Bobadilla *lib.* 4. *polit. cap.* 5. *num.* 31. Caballus *reſolut. crimin. caſu* 129. *num.* 8.

Procedere igitur oportet bona fide, & omnium 12
rerum, quæ navi exportantur, fieri inſpectionem, ut ſciatur quænam merces ſint licitæ, aut vetitæ, immunes aut vectigales. Item quodnam vectigal pro iis præſtari oporteat, cum varium hodie ſit pro mercium æſtimatione. Quod ſi in navi ſint clerici, eſto ſint immunes, profiteri quoque debent res quas deferunt, & emerunt, ſi id non faciant, cadunt in commiſſum, reſque ipſas à vectigali exemptas amittunt, *l. fin.* §. 3. ibi Bart. *ff. De public. & vectig.* Si autem cæteri res ſuas profeſſi fuerint apud publicanum, non tamen vectigal ſolverint, diſſimulante publicano, res in commiſſum non cadunt, cum poſſit ſatisfieri fiſco ex bonis ipſius publicani vel fidejuſſoris, *d. l. fin.* §. 12. * Alias pœna omittentis 13
profeſſionem mercium, eadem eſt quæ non ſolventis vectigal, ut videlicet locus ſit commiſſo, ac ne prætextu ignorantiæ hanc pœnam effugere quis poteſt, niſi juſtus ſit error, ſeu culpa vacans, quod ex conditione perſonæ aliiſque circumſtantiis æſtimandum eſt, *d. l. fin.* §. 5. Quin etſi culpa nonnulla intervenerit, ſed modica, remitti ſolet commiſſi pœna, mitiore irrogata, veluti dupli vectigalis, *d. l. fin.* §. 10.

Porro quamvis pœna commiſſi ipſo jure irroge- 14
tur, & mercium dominium amittatur, pro quibus vectigal ſolutum non eſt, attamen in earumdem auferenda poſſeſſione, ſententia declaratoria opus eſſe videtur, *arg. l.* 7. *ſup. De jur. fiſci.* Contra nihilominus ſunt, qui ſentiunt fiſcum in caſum defraudati vectigalis, poſſe propria auctoritate apprehendere poſſeſſionem. Joan. Koppen *in deciſ. q.* 50. Peregrinus *De jure fiſci, lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 30. & *ſeqq.*

Dixi paulò antè ſummam ſecuritatem datam eſſe 15
naviculariis, qui ſpecies publicas deferunt, & trans mare vehunt. Hinc quæritur an ſecuritas liberaque facultas data intelligatur etiam aliis perſonis non ſolum eundi, ſed etiam redeundi? Affirmat id Fredericus Imp. de ſcholaribus, quibus cum rebus ſuis tuto ire, & redire licet. *Auth. habita Cod. ne filius pro patre.* Idem de aliis omnibus quibus ſpeciatim eſt conceſſa ſecuritas, cenſet Conſtantinus *in l.*

Digitized by Google

1.*h.t.* cũ ait, *Venientes ac remeantes omni ſecuritate potiantur, mulcta decem librarum illis impoſita, qui eos inquietare tentaverint.* Alias enim non diceretur ſecure veniſſe, cui non liceret tutò recedere, ſaltem illa vice. Ideo Abbas *in cap. quia diverſitatem num. 6. De prab.* dicit tempus acceſſus, manſionis & regreſſus pariter judicari, & Rebuffus *ad d. l.* 1. Alexander *conſ. 16. lib. 4.* Mynſing. *cent. 1. obſ.* 82. Addit Nellus *in tract. De bannit. part. 3. ſecundi temporis quaſt. 17. n.* 18. quod quando ſecuritas datur ſine adjectione certi temporis tunc intelligatur tantum ſemel conceſſa, ſecus vero ſi concedens conſtituat tempus, quo durante, perdurat ſecuritas. Igitur licet ſecuritatis conceſſio ſeu ſalvi conductus benigniore interpretatione adjuvari debeat, quia emanat à Principe, *l. fin. ff. De conſtit. Princip.* tamen adverſus ejuſdem mentem & ordinationem nunquam debet extendi, & ideo ſecuritas ſimpliciter conceſſa eundi, intelligitur data redeundi, illa vice tantum, niſi facta ſit conceſſio ad certum actum expediendum, quia tunc habenda eſt ratio negotij & temporis, ut poſſit is qui agit, ire & redire quoties expedit, donec iſte actus fuerit impletus, *arg. l.* 137. §. 3. *ff. De verb. oblig.* Platea *hic.*

16 Ex dictis infero ſecuritatem datam certæ perſonæ eundi & redeundi non extendi ad alios qui ſunt in ejuſdem comitatu, aut ejuſdem profeſſionis & conditionis, niſi in litteris nomina eorum exprimantur, quia poſſent ſe plures conjungere qui non ideo cenſendi ſunt ſocij. Quo fit ut ſecuritas data militi, non protegat ducem, qui licet ſit cohortis Dux, non tamen habetur nomine militis, quamquam Imperator blandiendi cauſa, milites ſuos commilitones appellet. In vulgari enim ſermone non veniunt perſonæ magnæ, notabiles & dignæ, quarum proinde facienda erit ſpeciatim mentio in ſalvo conductu. Albericus Gentilis *De jure belli lib. 2. cap.* 4.

Quod in perſonis, idem & in rebus obtinet, ut
17 verborum proprietas attendatur, ſic ſi data ſit ſecuritas Præfecto arcis qui arcem dedidit, ut ei liceat tutò cum ſuis ſociis, & cum ſuis bonis abire, non extendatur ad bona ſociorum, Florianus *in l. loci corpus ff. ſi ſervit. vind.* Item conceſſio ſalvi conductus ad certum genus mercium evehendum in patriam hoſtilem, non protrahetur ad revehendum alias merces, quæ hoſtium ſunt, debet enim Principis conceſſio ſtricte accipi & interpretari, atque ex uſu ſpeciatim in litteris ſalvi conductus peti & exprimi *ad revehendas merces hoſtiles.* Nam ordinationis poteſtas in utramque partem eſt prohibitiva, & pœnalis, atque ita relaxata una parte prohibitionis, perdurat ejus vis in altera parte, propter legis poteſtatem prohibitivam. Quamobrem facultas evehendi certas merces, nullo modo extenditur ad revehendas res hoſtiles, quæ ſunt prohibitæ, & licet eas cuivis capere, alioquin ſi tam laxa interpretatio admitteretur, fraus fieret bellicis ordinationibus. *DD. ad l. 1. h. t.* Joan. Wameſius *cent. civil. 2. conſ.* 86. & Pet. Belli *tract. De re mil. p. 9. num. 21. & ſeqq.*

Porro data ſecuritas navigantibus ſervari debet, 18
non violari, nam qui publicam ſecuritatem violat, & infringit, ut reus criminis læſæ Majeſtatis pœna capitali punitur, *l. 1. ff. ad l. Jul. Majeſt.* quam tamen ex cauſa poteſt judex temperare, *l. 13. ff. De pœnis.* Ita ante Bartolum cenſuit Cuneus in *tract. ſecuritatis num.* 32. ſequitur ac probat. Franc. Herculanus *in
tract. De caut. non offendendi cap. 10. n.* 2. * Publice 19
quoque intereſt ne navicularij qui vitam ſuam maris periculis exponunt, in bonis ſuis & mercibus damnum ſuſtineant, & tutò navigent, ideo contra prædones res naviculariorum diripientes ſtatutum ut rem eis & indemnitatem præſtent, & extra rem pœnam quadrupli, *l. 3. h. t.* ibi Cujac. Alij volunt ipſam rem in quadruplo computari juxta §. 1. *Inſt. de vi bonor. rapt.* Peckius *ad l. 1. De incendio, ruina, naufr.* reſpondendum cenſet raptorem furti nec manifeſti actione teneri, ſi deprehenſus ab aliis non fuerit, ſic ut hoc caſu actio furti, ita cum actione hac concurrere videatur, uti ſi furti prius agatur, non tollatur actio de bonis raptis ut ſaltem in eo quod amplius eſt, conſequatur; ſic contra tollitur furti nec manifeſti actio. Quod ſi in rapina deprehendatur, non ideo furti manifeſti adverſus eum agetur, quia prætor ita pœnam edixit, ut non niſi in quadruplum raptor conveniri poſſit, & cur hoc caſu non niſi tripli pœna mulctetur, fur autem manifeſtus quadrupli, petenda eſt ratio ex his quæ dixi *ſup. de vi bonor. rapt.* Loquitur *d. l.* 3. quando rapina eſt facta à naviculariis, aut cum illis extra caſum naufragij, nam qui tempore naufragij rem aufert, aut ſervatum à viris bonis rem rapit, intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum tenetur, *l. 1. §. 5. ff. de incend.
ruin. nauf.* atque illud parti læſæ applicatur. * Non 20
obſtat *l. 1. h. t.* ubi mulcta decem librarum auri imponitur his, qui nautas inquietare tentaverint, nam hæc mulcta fiſco non parti applicatur. Si dicas etiam quadruplum applicandum eſſe fiſco, quia quoties in cauſis fiſcalibus & publicis commiſſa eſt rapina, Reipublicæ debet acquiri pœna, *l. 43. §. 5. ff. De ædil. edicto.* Diſtinguo, aut ad tertium pertinet res quæ alteri aufertur ejuſque rei periculum & ratio poſtulat, ut illi pœna applicetur, aut ad injuriam paſſum pertinet periculum, & tunc iſti mulcta acquiritur, ut innuit *l. 3. h. t.* ibi, *eorum commodis ſatisfieri.* Idem dicendum ſi plures ſint perſonæ, namque illis convenit ſatisfieri, non autem privatorum jus diminui propter publicum intereſſe, *l. fin. ſup. De his qui à domin. manumiſſ.*

Præter ſecuritatem, habent & patrimoniorum 21
cæterorumque onerum immunitatem navicularij

Orien-

Digitized by Google

Orientis, ac præcipuæ illi qui annonæ urbis ſerviunt, & occupantur in conquirendis navibus, quarum ſi tanta ſit inopia, ut non poſſint navigationis tempore Alexandriâ annonam & alias ſpecies transferre, licet eis ne pœnam incurrant, implorato auxilio Præfecti Auguſtalis, procurare ex aliis vicinis provinciis naves & nautas, eoſque cogere certa mercede, tranſvectionis onus ſuſcipere, *l.* 4. *h.t.* Hinc quando certarum mercium coëmptio & tranſvectio, quæ publice utilis eſt, fieri debet per homines iſti functioni deſtinatos & certos, nec poteſt ob penuriam illorum expediri, compelli poterunt alij vicini certa mercede numerum ſup-
22 plere. * Plane ſi ex claſſe quæ in portu eſt, certum navium numerum ad ſpecies publicas vehendas Princeps producere mandarit, deficientibus ſine culpa navarchi, aut Præfecti iſtius loci aliquot navibus, compelli poterunt viciniores naucleri ex ſuis navibus numerum ſupplere, præſtito iis ſalario ex publico, data & aliquando tributorum immunitas hiſce naucleris, qui aliis ſuæ conditionis plus nimio occupatis vicariam operam præſtabant, *l.* 17. *&* 22. *Cod. Theod. h.t. l. pen. §. negotiatores & ſeq. ff. De jure immun.* Quod eſt ſingulare; nam regulariter tributa Principi debita non remittuntur, ex *d. l.* 4. Pancirol. *in Notitia Imp. cap.* 86. dicit hanc immunitatem iis datam fuiſſe, qui naves duorum millium modiorum capaces habuiſſent, propter onus quod ſentiebant.

Hinc inferre licet, quod ſi mandatum ſit Præfe-
23 cto militiæ, ut ex certo loco ſelectos quoſdam milites tranſmittat ad aliquam expeditionem, ſi illic deſint, poterit vicinum Præfectum, ſi in eum habeat imperium, cogere ut milites mittat, quod ſi non fecerit, periclitabitur, *l. fin. Cod. De canon. largit.* Pyrrus *ad d. l.* 4. Id tamen non ſemper obtinet. Quid enim ſi ad conſervationem loci ex quo milites petuntur, ibidem ſint neceſſarij, aut numerus illorum ſit exiguus? quid ſi hoſtis immineat, aut periculum aliud ſubſit? Certe non poterit cogi inferior juſſu ſuperioris Præfecti, militem è ſuo in auxilium alterius mittere, prout obſervari videmus; Hinc qui auxilium vicinis populis promiſit, excuſabitur quamdiu domi periculum fuerit, & propriis copiis opus habet, cum non debeat quis ſuo incommodo aliis ſubvenire.

Ac ita intelligendum quod *ad l.* 4. *h.t.* notant
24 Interpretes, civitatem vicinam teneri auxilium præbere alteri, quando id abſque incommodo facere poteſt; Itemque ſupplere defectum alteriùs civitatis, quando ibi hominum penuria eſt, qui opera publica faciant, aut privatorum curam ſuſcipiant. Sic ſi idonei non ſint in civitate qui poſſint eſſe tutores, officio magiſtratus incumbit perquirere ex vicina civitate honeſtiſſimum quemque qui poſſit tutoris munere fungi, *juxta l.* 24. *ff. De tut. & cur. dat.* Alias ſi in loco originis pupilli, reperiatur idoneus tutor, non eſt ex alio loco quærendus, uti nec præficiendus Eccleſiæ clericus ex alio vico, vel Eccleſia, quamdiu in propria reperitur idoneus, *l. in Eccleſ.* 11. *ſup. De Epiſc. & cler.* Platea *in d. l.* 4. *in fin.*

Colligi præterea poteſt ex *d. l.* 4. quod Navarchi, 25
& Summates Orientis, claſſem navalem ſemper paratam habuerint Alexandriæ, & in inſulis Carpatiæ, Cycladum, & aliis, ad tranſvehendas ſpecies publicas, & præcipue annonam in Italiam, & urbem; Itemque ad caſtra militum: quia vero non ſemper erat opportunum tempus navigandi, nec illud erat præſcriptum hujuſmodi ſpecies deportandi, ſolebant naucleri eas in negotiationis emolumenta convertere, *l.* 2. *h.t.* * Ideo ibi decernit Imp. 26
ut intra annum ſpecies quas ſuſceperint, inferant, & ſecuritates reportent; quæ etiam diem illationis edoceant, id eſt, apochas de ſoluto, quas intra alium annum referre iis debent à quibus ſpecies acceperunt, ut illis conſtet ſuſcepti oneris ratio, & naviculariorum fides & diligentia. * Facit hoc Imp. re- 27
ſcriptum pro iis, qui mittuntur in certum locum ad negotium expediendum, nempe illos intra tempus ſtatutum, illic ſe debere præſentare, & litteras ſuæ diligentiæ referre, quod hodie obſervant luſtratores, vulgò Commiſſarij, quibus etiam promiſſum aut conventum ſalarium pro illo tempore debetur, non ultra, etſi diutius morentur.

Si tamen negotium expediverint breviori tem- 28
pore, puta quatuor diebus quod ſolitum erat expediri decem, & pro quolibet die habuerint commiſſarij decem florenos, reor duplicandum eſſe ſalarium diebus correſpondens, quos inſumpſere expediendo negotio & redeundo. Gloſſ. & Dynus *in l. eos ff. De falſis.* Paris de Put. *De ſyndic in parte Judex in officio f.* 183. *num.* 5.

Sed cur in hac lege datur annus ad finiendam na- 29
vigationem, cum alioqui dimidius ſufficiat, *in l.* 3. *in fin. C. de naufragiis.* Forte quia tempore hyemis navigatio eſt periculoſa & incerta. Scribit Vegetius *De re milit. lib.* 4. *cap.* 39. ex die tertio Iduum Novembris, uſque in diem ſextum Iduum Martiarum maria claudi, *Nam lux minima, noxque prolixa, nubium denſitas, aëris obſcuritas, ventorum imbri, vel nivibus geminata ſævitia, non ſolum claſſes à pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbat.* Ideo hyemis tempus hic remittitur, niſi tamen quis navigationem ſuo periculo velit hyeme ſuſcipere, *l.* 6. *ſup. De offic. rect. prov. l. fin. infr. De nauf. l.* 1. *§. idem juris ff. ad l. Rhod.* aut conſuetudo navigationem hyemis tempore permittat, cui ſtandum. Stracha *De nau. p.* 3. *n.* 1. Sic milites dicuntur hyemare, ſeu hybernare, propterea quod hyeme rarò pugnent, inde & hyberna locus ipſe ubi milites ſtationem faciunt. * Quia nihilominus hyemis tempore milites

 ſæpe 30

Digitized by Google

ſæpe commeatum faciunt, & comitantur anno-
nam quæ ad præſidia defertur, cavere debent ne
tempus ſtatutum excedant, & alibi morentur, quia
habebuntur emanſorum loco: habenda tamen hic
ratio dierum, quibus tardius reverſi ſunt, item
temporis navigationis vel itineris, nam ſi probent
ſe valetudine impeditos, vel à latronibus fuiſſe de-
tentos, ſimilive caſu moram paſſos, meritò à pœna
excuſantur, *l. 14. de re mil.*

Quod de militibus, idem ſentio de nautis, qui ſi
31 ſtatuto tempore publicas merces vehendas ſuſce-
perint, & in devias regiones per tempeſtatem ſine
ſua culpa delati, ſuo die mandatis ſatisfacere non
potuerint, in pœnam incidere non debent. Quini-
mo amiſſa navi, vecturam etiam petere poſſunt.
Nihil enim intereſt naufragio à deſtinato curſu
nautæ prohibeantur, an tempeſtate aliò deferan-
tur. *arg. l. 15. §. cum quidam ff. locati.* Proinde nau-
clerus eos etiam dies quibus adverſa tempeſtate
progredi non potuit, numerabit, perinde ac ſi ad
præſtitutum tempus in locum deſtinatum merces
vexiſſet. Addit J. C. generalem rationem, ſervire
nobis intelliguntur etiam hi, qui cupientes nobis
ſervire, per adverſam valetudinem impediuntur,
l. 4. §. 5. ff. De ſtatu liberis. Accedit quod caſus fortui-
tus in nullo bonæ fidei judicio præſtetur. Et appo-
ſite Seneca *Epiſt. 85. Gubernator tibi non fœlicitatem
promiſit, ſed fidelem operam, hac eo magis apparet, quo
illi magis aliqua fortuita vis obſtitit.* * At vero ſi ſua
32 culpa, nautæ contempta recta navigatione ſtato
tempore, littora devia ſectati, publicas ſpecies,
annonam & frumenta ad exercitum deducenda di-
ſtulerint, capitali pœna plectentur, *l. 5. h. t.* eadem
quoque emptores puniuntur, cum tam illi quam
venditores ſint in dolo, ſuo contractu avertentes
frumenta militaria & alia quæ exercitui deſtinan-
tur. Sanè quamvis de deportatione capitalem hanc
pœnam Latini Interpretes intelligant, Accurſ.
Joan. de Platea & alij *hic*, Græci non de capite, nec
de capiti proxima, ſed de quadruplo juxta *Novel.
Leonis 62.* Cujac. *hic.* Ego tamen de mortis pœna
ſi inferiores humilioreſve perſonæ ſint, intelligen-
dam conſtitutionem exiſtimo, juxta *l. ult. Cod. quæ
res vendi non poſſ.*

Caveant proinde nautæ deputati vehendo fru-
33 mento in provinciam, illud in aliam exportare, &
viliori pretio vendere, quia incurrent in dictam
pœnam capitis, & meritò, nam ſi hodie pœnam
mortis ſubeunt, qui privatis furtum faciunt, ex
Conſtit. Frederici Imp. *De pace ten. §. fin.* magis hi,
qui Rempub, coëmpta annona defraudant. * No-
34 tant *ad d. l. 5.* Bart. & Rebuff. vectorem repertum
cum copia frumenti aliiſve rebus vetitis, in via non
recta, & inſueta ſuſpectum haberi, quodque aliò
intenderit eas res exportare. Quo fit ut is qui portat
merces licitas ſi declinet pontem conſuetum tran-
ſire, & aliam viam quærat, fraudandi vectigalis er-
go, à ſolutione ejuſdem minime liberatur. Quia
& à pleriſque traditum eſt, res integras in commiſ-
ſum cadere. DD. paſſim & Peckius *in d. l. 5. in fin.*
& Bald. *in l. 3. Cod. De nautic. fœnore.* Cujus ratio
imputatur præcipiti avaritiæ nautæ.

Unde ceſſante hac cauſa, meritò nauta excuſa- 35
tur, qui navigationis curſum immutat, aut vector
iter declinat, propter audaciam publicanorum exi-
gentium vectigalia, quæ ipſis non debentur, quare
cum hoc faciat cauſa conſervandi jus ſuum, quia
vectigal erat illicitum, nullam meretur pœnam, eſt
enim hoc conſilium, non avaritia, quia nemo te-
netur ſua ſubjicere. Unde ſi Princeps vectigal mo-
deratum ob tranſitum exigat, & ſingulis ſarcinis
imponat, publicani vero duplum exigant, licitum
erit manus eorum fugere, cum prædones ſint, ut
meritò omne detrimentum quod contingit fiſco,
penſari reficique debeat à publicanis, quorum
fraude & culpa hæc eveniunt, *l. igitur §. fin. ff. De
liberal. cauſa.* Bald. & Salicet. *ad d. l. 3.* ubi excuſant
quoque nautam, qui rectum curſum non ſervavit,
propterea quod navis erat reficienda, & pericu-
lum ſuberat ne ſi tempeſtate undæ penetrarent,
merces corrumperentur. Item cū metus eſt pirata-
rum, ut ſi inter navigandum nauta piratas vidiſſet.
* Alias ubi cauſa non ſubeſt ſecundùm hanc *lib. 5.* 36
deportationis pœnam ſuſtinet nauta, qui naviga-
tionis curſum mutat, viam inſolitam accipit, aut
navigationem differt, remanens in portu alio, ſine
cauſa, in quo forte navis ob infidam ſtationem
frangitur, merces pereunt, aut deteriores fiunt,
quo caſu mercatoribus cogitur ſarcire damnum,
l. 4. ff. ad l. Rhod. De jact. Hinc etiam eſt quod por-
tuum Præfecti, & judices ſi tempore ad navigan-
dum idoneo, cum proſperior flatus invitat, ſub præ-
textu hyemis onuſtas naves in portu detineant, aut
nautas immorari permittant, una cum municipi-
bus & corporatis, id eſt, negotiatoribus ejuſdem
loci fortunarum propriarum feriantur diſpendiis,
l. ult. h. t. * At cur ob conniventiam & culpam judi- 37
cum, puniuntur municipes, contra *text. in l. 1. Cod.
ut nullus ex vicanis?* Dicendum non ob culpam ju-
dicum, ſed ob propriam puniri hic municipes (qui
de corpore naviculariorum ſunt) ſiquidem ipſi na-
ves retinuerint una cum rebus, nec paſſi fuerint
eas ſecundo vento è portu recedere, ſic cum in pa-
ri culpa, aut negligentia ſint, pari etiam pœna
ſunt puniendi; quam ut evitent, curare debent ju-
dices, ut nautæ vento proſpero navigationem ſuſ-
cipiant, & ſi eam detrectent, eos omnibus modis
compellant & abigant ubi cauſa publica urget.
* Ut enim caupones poſtquam hoſpitiū aperuere, 38
cogi poſſunt hoſpites accipere, Bart. *in l. 5. §. 1. ff.
nau. caup.* ita & nautæ navigare. Eſt enim juris ma-
nifeſti, navem navigatum mittendam eſſe, licet
nau-

Digitized by Google

fragij periculum ſit: navis etenim ad hoc paratur, ut naviget, non ut in portu hæreat, *l. 12. §. 1. ff. De uſufructu.*

39 Hinc argumentum ſumpſit Accurſius, ut diceret ſocium invito ſocio, navi, & re alia communi uti poſſe; proinde ſi duo ſint Navarchi ac domini navis, & unus congruo tempore vult navem trans mare mittere, alter contra mavult eam adhuc in portu hærere. præferendus erit is qui re ad communem uſum parata uti vult, & utiliter aget adverſus ſocium qui recuſat, *arg. l. 25. §. 15. ff. famil. ercif.* Ex quo paſſim Interpp. inferunt, ubi negotium eſt tale, ut ex parte expediri non poſſit, ſocium invito ſocio, ſi utiliter agit, re communi uti poſſe, ad rem paratam. Stracha *de nautis p. 2. n. 6.*

40 Concludo titulum hac facti ſpecie, & quæſtione, cum navis ad navigationem longinquam parata eſſet, & quidam in ea locum alterius, mercibus ſuis reponendis conduxiſſet, certo pretio, accidit ut in itinere vi ventorum agitata navis, iterum in portum fuerit reverſa, unde quærebatur, an poſſit conductor loci pretium repetere? Exiſtimarunt aliqui, hunc non conductorem, ſed emptorem magis eſſe, ad quem proinde periculum rei venditæ, etiam nondum traditæ, pertinere conſtat, nec poſſe ſolutum pretium repetere, *l. 8. ff. de periculo & com. rei vend.* urgebat is qui uſum loci vendiderat, quod jam navis navigare cœpiſſet, ac fere tanto tempore quo potuiſſet in conſtitutum locum pervenire, niſi vi ventorum coactus fuiſſet navis magiſter, portum repetere; itaque cum ipſe venditor non impediverit iter, nec fecerit quo minus emptor loci eo uteretur, & caſus non contigerit in loco conducto, nec ipſe caſum ſuſceperit, ſi navis iter non perficeret, non videtur teneri pretium reſtituere. Verum quia hic non de ipſa navi transferenda aut vendenda agitur, ſed tantum de uſu cellæ, aut cubiculi ad reponendas merces, ideo verius puto locationem eſſe, & loci conductorem ad pretium jure agere, per expreſſum textum *in l. ex conducto 15. §. item cum quidam 6. ff. locati.* ubi propter amiſſam navem, vel caſum in ea contingentem, cum quis munere vehendi functus non ſit, poteſt vecturam petere. Quidni & hic conductor repetere pretium datum, aut medietatem pretij, juxta conſuetudinem patriæ, quæ in contractu locationis attenditur, *l. 18. C. locati. l. 31. §. 20. ff. de ædil. edicto.* Eſtque in eo, id plerumque receptum, ut ſi contingat caſus in re locata, ita ut impediatur ejus uſus, fiat remiſſio pro parte, ſi in parte, vel in totum, ſi in totum uſus impediatur, *l. 9. ff. locati.* Non urget quod dicant contractum hic eſſe venditionem, nam & in hac æque ac in locatione, ubi ſequuta non eſt navigatio, aut impedita per tempeſtatem, reſtituendum eſſe pretium ſentio cum Valaſco *conſult. 75.*

TITULUS II.

De prædiis, & omnibus rebus naviculariorum.

1. *Bona naviculariorum obligantur pro publicis ſpeciebus quas vehendas ſuſcipiunt.*
2. *Si navicularius rem vendiderit, tenetur emptor pro modo portionis comparatæ onus ſubire, etiam id ad Principem tranſit, ſi res ad eum perveniant.*
3. *Quamvis emptor omnes agnoſcat, non ideo ſit navicularius, ut univerſum ejus patrimonium tributo obnoxium ſit.*
4. *Quod ſi emptor domum aut rem melioravit, an ob melioramenta augeatur onus, aut tributum, quod antea præſtabatur.*
5. *Ratio, quare tributum domus quæ ob meliorationem nunc pluris valet, non augeatur?*
6. *An jus Hypothecæ extendatur ad melioramenta à poſſeſſore, vel creditore facta in re Hypothecata.*
7. *Onus ſequitur ipſum poſſeſſorem, nec valet pactum huic juri derogans.*
8. *Si tempore alienationis erat idoneus emptor, non tenebitur venditor; quid hodie juris?*

NAvicularij cum annonam, & alias publicas 1
ſpecies vehendas acciperent, contrahere ſolebant cum fiſco, ejuſque ſuſceptoribus particularibus, atque iis promittebant, iſtas ſpecies ſuis navibus vecturos in locum deſtinatum, ex qua conventione ſive expreſſa, ſive tacita, res omnes naviculariorum titulo pignoris vel hypothecæ fiſco obligatæ erant, *l. 1. & 2. ſup. in quib. cauſ. pign.* Ad hoc quidem ut ſi culpa eorum ſpecies publicæ quas navibus ſuis vehebant, perirent, aut deteriores fierent, navicularij collegij & ſocietatis contributione damnum ſarciretur, *l. fin. infr. de naufr.*

Hinc ſi navicularius rem aliquam vendidiſſet, 2
emptor pro rata portionis comparatæ, tenebatur naviculariam functionem ſubire, & onus reale agnoſcere, nam cum res eſſet ipſo jure obligata, tranſibat in emptorem & quemcunque ſucceſſorem, *l. 2. h. tit.* Adeò ut ſi res ad eum qui è domo Principis erat, perveniret, eo onere non liberaretur, *l. 1. h. t.* Inde inferunt Interpp. etiam domum Principis pro rata prædiorum acquiſitorum, debitam functionem agnoſcere, & ipſum Principem ad quem pervenerunt bona privati, ex cauſa confiſcationis, ut alia, teneri pro portione, & quantitate iſtorum bonorum ad onera, *juxta l. 8. ſup. de exact. tribut.* Niſi aliqua ſint extraordinaria, quibus Princeps ſolutus eſt. Rebuffus & Chriſtinæus *ad h. t. n. 11.*

Digitized by Google

3 Cæterum licet is qui fundum navicularij juris emerat, teneretur pro modo iſtius fundi onus agnoſcere, non tamen ob hanc cauſam fiebat navicularius, nec reſiduum ejus patrimonium reddebatur iſti oneri obnoxium. Emens quoque domum eiſdem conditionis, tantum præſtabat navarchici operis nomine, quantum illa elocari ſolebat venditionis tempore, ita ut non haberetur ratio temporis poſtea ſecuti quo pluris æſtimari domus cœperat; *dict. l. 2. & 3. h. tit.*

4 * Ex quibus concludunt Interpp. res pro certa penſione fiſco ſubjectas, poſſe quovis titulo alienari, ita tamen ut penſio iſta (quæ vel eſt quota pars fructuum, vel definita quantitas) non diminuatur nec augeatur, ſed ea præſtetur quæ tempore alienationis percipiebatur. At quid emptor rem, aut domum iſtam pro penſione obligatam refecerit, & meliorem reddiderit, an propter meliorationes augeatur penſio? Et ait Imp. eam minime augeri, ſed ſolvendam eſſe inſpecto emolumento quod res ipſa pendebat eo tempore quo à naviculario alienata fuit, ita ut non habeatur ratio cultus hodierni (qui induſtria animoſi emptoris acceſſit,) ſed potius vetuſta loci ſpecies, & penſio cogitetur, *dict. l. 2.* Quaſi diceret penſionem non augeri ex meliorationibus, nec ad eas, aut ea quæ poſtea acceſſerunt, extendi functionem ſeu obligationem naviculariam.

5 * Quod ſpeciale circa res, & domos naviculariorum: hi enim cum ob publicam navigationem, domos ſuas cogerentur relinquere, ut alij ad eas emendas meliorandaſve invitarentur, ſtatutum fuiſſe exiſtimo, ut ſi domus eſſet obligata fiſcali tributo, id penderetur juxta tempus antiquum, neque haberetur ratio quod domus ob meliorationes ſit pretioſior facta, & pluris nunc valeat. Ratio ſpecialitatis conſiſtit in cura, quam habebant Romani circa ædificiorum ornatum & cultum domorum, ne illarum ruinis publicus civitatis aſpectus deformaretur, *l. 7. ff. de offic. præſ. l. 2. cum aliis C. de ædif. privat. & l. 5. cum aliis C. de oper. publ.* Facit & *l. 2. h. tit.* ibi *domus quarum cultu decus urbium potius quam fructus adquiritur.*

6 * Dico eſſe hic ſpeciale; nam alias emptor qui domum pignori obligatam emit, & reſtauravit, itemque creditor cui res eſt pignorata ſi ſuo ſumptu rem meliorem reddiderit, jus quod habet pignoris, ſe extendit ad meliorationes, ita ut augmentum in re factum eodem jure cenſeatur, *l. 16. in pr. ff. De pignor.* ubi ſi fundus hypothecæ datus ſit, & alluvione major ſit factus, totus remanet obligatus. Facit & *l. 18. §. 1. ff. de pign. act.* ubi Paulus inquit, ſi nuda proprietas pignori data ſit, uſusfructus qui poſtea accreverit, pignori erit, eadem cauſa eſt alluvionis; quæ jura extendit Bart. ad tertium poſſeſſorem ut melioramenta ab eo facta, tacitæ hypothecæ obligata cenſeantur. Contra ſuſtinet Garcia de expenſis *cap. 18. num. 75.* Videatur Covarruv. *lib. 1. var. reſp. cap. 8. num. 3.* & Amaya *ad l. 1. numer. 58. & ſeqq. Cod. De annon. & tribut.* Gregor. Lopez *ad l. 15. tit. de los peños 13. p. 5.*

7 * Ex his obſerva onus reale quo res eſt affecta, uti afficit ipſam rem, ita & quæ ipſi rei accedunt afficere. Sentiunt autem hoc onus rei poſſeſſores, ſed hi qui fundos naviculariæ functioni adſcriptos à naviculariis acceperunt quovis titulo, veterem fundi opinionem, id eſt, cenſum & profeſſionem agnoſcere tenentur nec valet pactum in præjudicium fiſci, & juris publici, inter emptorem & venditorem navicularium, ut ipſe venditor non emptor functionem naviculariam agnoſcat, & ut fundus in emptorem tranſeat ſine onere: quia nihilominus emptor tanquam poſſeſſor rei fiſco obligatæ convenitur, & cogitur præſtare æſtimationem quæ erat tempore contractus, *l. 3. h. tit. & dict. l. 2. eod. & l. 1. ſupr. ſine cenſu vel rel.*

At ſi emptor non reperiatur idoneus, ſeu deſinat 8
eſſe ſolvendo, tunc onus navicularium ad venditorem recurrit. Itaque primo convenitur poſſeſſor, deinde in ſubſidium devenitur ad venditorem; quem tamen ab hoc onere Gloſſa *hic in l. 3.* eximit, ſiquidem tempore alienationis rei emptor erat idoneus, & poſtea caſu fortuito lapſus eſt facultatibus. Hodie cum bona publicis functionibus obligata, non poſſint alienari ſine decreto; judicis eſt examinare num emptor ſit idoneus & ſolvendo, & ſi repererit ipſum minus idoneum, caveat bona eidem addicere, etiamſi venditor apud acta in ſe ſuſcipiat onus tributorum. *Auth. ſed & periculum ſup. ſine cenſu vel rel. gloſſ. hic in verbo pactione.*

TITULUS III.

De navibus non excuſandis.

1. *Continuatio, & ſumma Tituli, & quod nullæ naves excuſentur ab onere, ſi ſe excuſent, publicantur.*
2. *Senatoribus non fuit permiſſum habere, vel ædificare naves, nec negotiari cum provincialibus.*
3. *Privatis naves habere permiſſum, modò non evitent publicas neceſſitates.*
4. *Nullæ naves prætextu alicujus privilegij, vel dignitatis excuſantur.*
5. *Publice utilis eſt uſus navium, excuſatio punitur, ſi ante fœlicem embolam fiat.*
6. *Communicanda non eſt immunitas ſpecialiter conceſſa.*
7. *Damnatur deceptio illorum, qui corrumpunt privilegiatos, ut furtive utantur eorum immunitate.*
8. *Improbatur illorum temeritas, qui potentiorum inſignibus utuntur, ut navigationem evitent, & publica onera ſubterfugiant.*

9. Pri-

Digitized by Google

9. *Privati poſſunt cogi naves ſuas accommodare fiſco. Datur facultas à ſolo Principe armandi navigia.*

10. *Agricolæ compelli poſſunt equos ſuos & currus præſtare ad vehenda victualia. Item Forenſes ſoluta mercede.*

11. *An teneatur Princeps damnum ſarcire ruſticis, & nautis, qui currus & naves amittunt, dum annonam vehunt ad exercitum.*

12. *Non tenetur Princeps ſarcire damnum conductori vectigalium.*

13. *Caſus fortuitus & bellum, non tribuit remiſſionem penſionis, commercio non prohibito.*

14. *Commercio à Principe impedito, ſolum fit remiſſio penſionis conductori, non etiam ei præſtatur intereſſe.*

1 NAvicularij navibus propriis vel conductis, transvehere tenebantur annonam & alias ſpecies; item arma & milites ad exercitum, vel urbem, quia vero ſæpe aut navium numerus deficiebat, aut domini navium ſe transvectioni ſpecierum ſubtrahebant, ideo permiſſum hoc Tit. naves omnes occupare, ſi frumenti inopia Reſpublica laboraret. Itaque privatis naves habere, & navigia exercere fuit permiſſum, dummodo id fieret ſine fraude Reipublicæ *l.* 1 *h.t.* * Exceptis Senatoribus, quibus inter-
2 dicit lex Julia naves habere, & eas ædificare Præſidibus, in provincia quam adminiſtrant, *l.* 46. *§.* 2. *ff. de jur. fiſci.* & *l.* 3. *ff. de vacat. & excuſ. mun.* Quæ lex primo lata à Q. Claudio Tribuno plebis, referente Livio *l.* 31. Ne Senator maritimam navem quæ pluſquam trecentarum amphorarum eſſet, haberet, nam ſatis eam advehendis ex agris fructibus viſum fuit, cum quæſtus omnis alius indecorus patribus viſus eſſet. Patricius *lib.* 3. *De Republ. titul.* 3. ſcribit prohibitum fuiſſe ne Senatores navigarent, & mercimonia exercerent in provinciis cum provincialibus. Quæ prohibitio etiā obtinet Conſtitutionibus Hiſpaniæ, quas refert Bobadilla *lib.* 2 *polit. cap.* 12. *n.*
3 36. Et limitat multis caſibus. * Verum civili interdictioni derogatum fuiſſe puto, tempore Imperatorum, ut indicat *dict. l.* 1. ubi Arcadius & Honorius Impp. inquiunt *privatos quoſque non prohibemus habere navigia*, quibus verbis Senatores, & alij in dignitate conſtituti videntur comprehendi. Verum licet privatos naves habere Impp. non prohibeant, ſi tamen affixis potentiorum titulis & nominibus, naves proprias præbere recuſaverint, ut publicas neceſſitates evitent, naves ipſæ publicantur; ſecus ſi non domini eas tentaverint excuſare, quia tunc his non nocet, nec naves publicantur, coguntur tamen earum indemnitatem fiſco præſtare, ut vult Gloſſa *in l.* 2. *h t.* & quod obſervat Mornacius *ad l. un. C. qui potent nomine titul.*

4 Cum igitur omnes in commune, ſi neceſſitas exegerit, conveniat utilitatibus publicis obedire, & ſubvectionem celebrare, *ut ait d. l.* 1. nullæ naves etiamſi veteranorum, aut perſonarum in dignitate poſitarum ſint, aut Eccleſiæ, excuſantur, ſi ultra duo millia modiorum capiant, *l.* 2. *h.t.* quo facit *l.* 10. *ſupr. De ſacroſ. Eccleſ.* & Theodoſij & Valent. *Novell.* 15. *de navibus ultra duorum millium modiorum capacitatem non excuſandis.*

Cæteræ autem naves quæ minus capiunt ad 5
transvehendum, non cogebantur de quibus Anton. Auguſt. *lib.* 2. *emendat. cap.* 11. *num.* 10. Pertinet inquit Ulpianus ad ſummam Reipublicæ utilitatem uſus & exercitium navium, *l.* 1. *§.* 20. *ff. de exerc. act.* Et ideo non valet reſcriptum quo uſus iſte impeditur, aut privilegium conceditur navium dominis ſe excuſandi à fœlici Embola, ſic dicta ab injecto nimirum ſeu impoſito navibus frumento, ſive à transvectione publicæ annonæ, neceſſitatis tempore, *dict. l.* 2. *hoc tit.* ibi Cujacius, & plura alibi Briſſonius de fœlici Embola explanavit. Quæ fuerit publicarum ſpecierum & annonarum transvectio quotannis delata, ait Aurelius Victor. *Auguſto imperante ex Ægypto, urbi ducenties centena millia frumenti inferebatur,* ſcilicet modiorum. Itali viginti millia vocant. * Si tamen motu pro- 6
prio Princeps aliquem eximeret ab annonaria transvectione, & ſumptu, qui pro ea in communi confertur, non debet is cui hæc immunitas eſt conceſſa, eam aliis communicare, & ſub tutela ſui nominis alium eximere. Etenim quod contra rationem juris alicui ſpecialiter eſt indultum, non oportet producere, aut aliis concedere, *l.* 14. *& ſeqq. ff. De legib.* Facile enim communicando privilegium non privilegiatis, illud amitteret.

Unde notabili correctione puniendos cenſet 7
ſtudioſos Petr. Peckius *ad d. l.* 1. qui cum in Academiis immunes ſint, interpoſito ſuo nomine, aliis non privilegiatis, vina aliave procurant, ut fiſcum ſuis juribus defraudent. Perinde hic damnatur & punitur fraus eorum, qui pecunia corrumpunt, aut blandis verbis inducunt privilegiatos, ut perſonam ſuam interponant emptioni, & immunitate furtive utuntur. * Non minus impro- 8
batur & coercetur illorum temeritas, ſive nautæ ſint ſive mercatores, qui potentiorum inſignia & titulos ſuis navibus aſſigunt, ad evitandam profectionem, vel jam ſuſceptam, ad ſubterfugienda onera publica: ut merito præter pœnam hic decretam, eam ſuſtineat ſi merces ablatæ aut deteriores factæ fuerint, quod dominis mercium damnum ſarcire teneantur, *l.* 27. *§. fin.* ibi, *illicitis inſignibus uſus ff. de falſis.* Non enim debet incivilis nautæ audacia, & culpa obeſſe dominis mercium. *DD. ad l.* 3. *Cod. de naut. fœnore.* Stracha *de nautis part.* 3. *num.* 23.

Ad

Digitized by Google

9 Ad mores noſtros quoque facit, privatos qui naves habent, ea eſſe conditione, ut neceſſarium fiſco auxilium præſtare teneantur, neque principali reſcripto liberentur. Hinc in dies obſervamus ſiſti naves, quorumcumque ſubditorum, & in bellicas Principis neceſſitates trahi, una cum naucleris & nautis: Itemque naves bellicas inſtrui, & armari à privatis juſſu Principis, ut mare ejuſque littora à piratis & hoſtibus tuta ſint.

10 Porrò ex altera hujus tituli conſtitutione receptum eſt, hodie poſſe compelli agricolas, & cæteros cives, ut equos ſuos, currus & naves accommodent ad vehendam annonam, & reliquas victûs ſpecies, in urbem, etiam diebus feriatis & tempore agriculturæ, quoniam annonæ proviſio eſt magis privilegiata, & neceſſitas publica ceſſare cogit omne privilegium. Quo fit ut non tantum incolæ, ſed etiam advenæ compelli poſſint equos, & currus ſuos ſubminiſtrare, ad annonam vehendam, etiam ad exercitum, aut ad loca periculoſa, & infecta. Ripa *de peſte tit. de remed. præſerv. numer.* 123. & 190; & *ſeqq.* Quod intellige erogata illis mercede, nam quod quibuſdam videtur incolas teneri miniſteria exhibere proprio ſumptu, id tunc obtinet, quando Princeps non habet media, & imminet neceſſitas quæ jus ordinarium ſolvit. *DD. in l.* 11. *ſupr. De ſacroſ. Eccleſ.* Rebuff. *ad h. t.* & Lucas de Penna, & citati à Maſtrillo *lib.* 3. *de Magiſt. cap.* 10. *n.* 29. & *ſeqq.*

11 Quod ſi ruſtici, vel cives, naves, vel currus ſuos amittant, cum annonam deferunt ad exercitum? Sunt qui putant Rempubl. aut Principem teneri id damnum ſarcire, quoties de publica utilitate agitur. At verius Principem non teneri ubi certa mercede, naves aut currus ſuos illi locarunt; quoniam tenentur ſatisfacere conventioni ex lege ſibi impoſita, & damnum æquo animo ferre, ſi quod eveniat fortuitò, ut obtineat regula, quæ vult rem domino perire. Lucas de Penna *ad l.* 2. *h. t. in fin.*

12 Ex quo profluxit, quod non teneatur Princeps ſarcire damnum mercatoribus in mari illatum, nam quamvis obligetur liberum & tutum reddere maris uſum, *l. un. infr. De littor. cuſt.* vix tamen poteſt tam immenſum ſpatium tueri ab incurſu hoſtili, & avertere quæ caſu fortuito contingunt. Hinc quæritur an impedita navigatione à piratis, excuſetur vectigalium conductor à præſtatione penſionis conventæ? Reſpondeo non excuſari, quandoquidem hic conductor, prout etiam locator equorum ad uſum exercitus, ſoleant dum contrahunt renuntiare caſibus fortuitis, & in ſe ſuſcipere omne periculum, ita ut Princeps immunis reddatur, maxime ſi tempore contractus, iſti caſus prævideri potuerint, ut quia jam bellum erat, aut imminebat cum

13 hoſte. * Debet enim ſibi imputare conductor quod non providerit ſibi etiam in caſum inſolitum. Ita in ſimili facti ſpecie rejectum à petitione ſua conductorem dicit Larrea, fiſci patronus *allegat. fiſcal.* 19. Qui propter maris periculum, & piraticam quam hoſtes noſtri Regis exercent, remiſſionem penſionis petebat, cum ſolum excepiſſet illum caſum, quo impedimentum univerſale eveniret navigationi. Igitur particulare impedimentum piratarum, & incurſus hoſtium, non eximit conductorem ab obligatione præſtandi penſionem, maxime cum non renuntiaverit contractui, ſed ſpe lucri in eo permanſerit; eò ſpectat quod notavit Menochius *conſil.* 671. *numer.* 6. Commercio non prohibito à Principe cum hoſte, negotiatorem ſi damnum ſuſtineat, vel caſu in hoſtes incidat, ſuæ temeritati adſcribere debere, cum bellum non omnino tollat lucrum, imo ſæpe illud augeat, quod non contingit ſublato commercio.

Contrà vero ſi Princeps impediret commercium 14
earum rerum quarum vectigal conductum eſt, aut quid faceret, diminutis vectigalibus, quo aperte conductionis pretium diminueretur, non eſt dubium quin teneatur penſionem, aut ejus partem remittere: non item debet præſtare ſumptus quos ſe feciſſe allegat conductor pro vectigalium conductione, aut intereſſe, ob lucrum quod facere omiſit, quia ſolum ad ſumptus & intereſſe tenetur locator, quando eſt in mora & culpa, ut quia ante finitum tempus conductionis prohibet uſum rei locatæ, *l.* 9. & *l.* 15. & *aliis ff. locati.* Hic autem non conſideratur culpa Principis locatoris, ſed publica utilitas, & neceſſitas, quæ ipſum impulit bellum indicere, & commercium prohibere, ex quo ſi minuantur vectigalia, imputare hanc jacturam ſibi debet conductor, qui legem ſcivit, & caſum fortuitum ſuſcepit, ex quo non amplius petere poteſt, quam penſionis remiſſionem, quæ reſpondeat impedimento, ut *dict. l.* 19. & *l.* 33. *ff. locati*, & *aliis* notavit D. Alexandr. Ludoviſi *deciſ.* 234. & Larrea *allegat.* 20.

TITULUS IV.

Ne quid oneri publico imponatur.

1. *Navicularij portantes publicas ſpecies, non debent recipere privatorum ſarcinas, & ſi privati eas imponant puniuntur.*
2. *Naufragium factum cenſetur propter ſuppoſitum onus, ideo damnum ſuſtinet & caſum præſtat, qui onus impoſuit, vel nauta, qui illud ſuſcepit.*
3. *Excuſatur nauta à damno & caſu, & quando non.*
4. *Non auditur ſi dicat ſe ignorare capacitatem ſuæ navis.*

5. Vi

Digitized by Google

1. *Ut naves nimium onerare non oportet, ita nec animalia. Corrumpens equum conductitium, æſtimationem præſtat.*

1 SIcut enim in fiſcalibus horreis, non niſi fiſcalia frumenta conſtitui oportet *l. 9. ſup. de ſuſcept & arcar.* Ita navibus oneratis publicis ſpeciebus, onus alienum imponi non debet; quia vero id remiſſius obſervabatur, & promiſcue mercatores & alij privati oneri publico ſolebant ſarcinas ſuas imponere, & permiſcere merces alias, quibus naves onerabantur: ideo Impp. Arcadius & Honorius juſſerunt, ne impoſterum aliquis audeat naves onerare, & portitores annonæ publicæ ad ſuſcipiendum ultra onus compellere, alioquin & diſpendio naufragij, & publicæ coërcitionis experietur condemnationem, *l. un. h. t.* id eſt, non tantum fiſco indemnitatem præſtabit, ſed & criminaliter extra ordinem coërcebitur.

2 Unde ſi ex nimio onere naufragium navis paſſa fuerit, vel ut maneret incolumis, factus ſit jactus mercium, quæ navem onerabant, damnum quod inde obvenit, & fortuitum caſum, præſtabit qui onus impoſuit, quoniam ejus culpa caſum præceſſit. Nec diſtinguo, utrum ſit privatus, an nauta, qui accepta mercede onus impoſuit, quia nec privatus debuit onerare navem ſine voluntate naucleri, nec nauclerus onus recipere, cum non habeat jus recipiendi, ſed ſolum tranſvehendi publicas ſpecies, cujus proinde conſenſus nihil faciet ad exonerationem privati. *l. 122. §. 1. ff. de verb oblig.* *

3 Excuſandus tamen nauta qui coactus fuit privati ſarcinam accipere, aut moderatam minoriſve ponderis recepit, ex quo nullum ſuberat naufragij periculum. Joan. de Platea *ad h. l. un.* Contra vero excuſari non poteſt nauta, navem habens multis ſarcinis oneratam, ſi ad portum aliquem veniens, ſpe lucri aliorum mercatorum ſarcinulas navi imponat & plus juſto oneret, adeo enim tenetur, ſi ex hoc novo onere naufragium factum ſit, merceſque perierint, aut deteriores ſint redditæ, ut non audiatur nauta, cum in ipſius arbitrio fuerit navem non ita onerare, & potuerit ab eo provideri ex nimio onere ſubſecuturum fore naufragium, *l. 30. §. 3. l. 31. cum alijs ff. ad l.*

4 *Aquil.* * Non eſt quod ſe ignorare dicat, poſt damnum acceptum, calculum modiationis navis, id eſt, quantæ menſuræ & capacitatis eſſet, *l. 32. C. Theod. de navicul.* Olim enim modiorum numero amplitudo oneris navis menſurabatur, vel ex culeis, ut hodie ex doliis ſeu tonellis. Mandatum proinde navicularix functioni obnoxiis, ut naves ad conſuetum & neceſſarium modum ædificarent, ne illum excederent, neve onerarias naves plus juſto onerarent, propter naufragij periculum, quod ex nimio onere factum procul dubio cenſetur, ut inquit Lucas de Penna *in l. un. hoc tit.*

Atque hinc Bartolus argumentum ſumpſit contra eos, qui plus juſto onerant animalia, & equos 5
conducunt ad vecturam, iiſque graviſſima imponunt onera, ut ſi aliquod membrum rumpi, aut equum deteriorem fieri contingat, teneantur Aquilia interdum ex lato ſi ultra conventum pondus oneratus fuerit equus, *l. 27. § 23. ff. ad l. Aquil. & l. 30. §. 2. ff. locati.* Oportet igitur conſuetum modum ſervare, non excedere in navibus & animalibus onerandis, ut enim equus minus oneratus velocius currit, ita etiam navis minus onuſta citius progreditur, minuſque obnoxia periculo eſt. Addit Joan. de Platea *in h. l.* conductorem qui equum nimium onerat, flagris & fuſtibus cedit, aut inſolita agitatione debilitat, teneri ad ſolutionem equi, ac damni æſtimationem, quia non niſi calcaribus, & debito modo equus conductitius regendus cogenduſve eſt, *lib. 1. infr. de curſu publ.* Alex. *ad l. ſi ut certo, in pr. ff. commodat.*

TITULUS V.

De Naufragiis.

1. *Continuatio Tit. unde dictum naufragium, cenſetur id factum propter ſuppoſitum onus.*
2. *Nauta ex ſola immiſſione tenentur, cur puniantur etiam ſine culpa ſua.*
3. *An ad eos pertineat caſus fortuitus?*
4. *Nauta qui impetu aquarum, aut vi ventorum obruitur, non tenetur de naufragio.*
5. *Producendi ſunt teſtes, & probandus caſus intra annum.*
6. *An* l. 2. *deciſio pertineat ad omnes nautas.*
7. *In judicio de naufragio ſummarie proceditur, teſtes recipiuntur lite non conteſtata, & audiuntur parte non citata.*
8. *Teſtimonia recepta in loco naufragij fidem faciunt, finienda eſt quaſtio intra biennium, ejus dilatio nocet judici.*
9. *Feſtinandum in deciſione hujus cauſa, audiendi ſunt teſtes, qui melius veritatem ſcire poſſunt.*
10. *Submerſis omnibus an uni teſti, qui fortuito emerſit, fides ſit adhibenda?*
11. *Per quos probetur mors naufragorum?*
12. *Quando nautis de naufragio deponentibus non ſint credendum, ſed vectoribus.*
13. *Magiſter navis præſtare debet omne damnum naufragio incurſum, ſi ipſe aut ejus nauta in culpa ſint.*
14. *Quid ſi proteſtetur ſe nolle periculum præſtare?*
15. *Inquiri ſolet de navi ſubmerſa, adverſus nautam.*
16. *Tributa ſoluta ſi caſu perierint, non debentur iterum.*
17. *Si aliqua ſpecies perierint, & culpa id acciderit, omnes qui ſunt de corpore naviculariorum tenentur.*

Digitized by Google

18. *An etiam nunc nautæ ex delicto ſuo noceant collegio nautarum?*
19. *Intellectus* l. ult. hujus t. & l. 5. infra de fabricenſib.
20. *Quiſque ex facto ſuo tenetur, nec unus civis pro alio convenitur, aut moleſtari poteſt.*
21. *Spoliati, an poſſint eos quorum bona ſalva ſunt, convenire, ut pro rata fiat diviſio? Qua pœna puniantur piratæ, qui primi navigationem hyberno tempore agitarunt?*
22. *De contractu aſſecurationis, qui frequens eſt in locis maritimis, & periculum mercium ſuſcipitur.*
23. *Quid ſi tempore quo celebrabatur contractus, navis ſeu merces jam deperdita erant?*
24. *Ob naufragij periculum ſi jactus mercium fiat, ut farciatur à nautis & vectoribus.*
25. *Pro rata portionis facienda eſt contributio, tam pro rebus æſtimatis quæ perierunt, quam pro ſalvis.*
26. *Merces quæ levandæ navis cauſa, in mare projiciuntur, dominorum manent, nec fiunt apprehendentis, nec uſucapiuntur.*
27. *Non poteſt fiſcus bona naufraga, tanquam vacantia occupare, abrogato jure veteri, quo id licebat.*
28. *Non valet conſuetudo in contrarium, ſed licet privato naufragium ſuum impune colligere. Datur ſalarium urinatoribus.*
29. *Hodie bona ſervantur dominis, ſi intra annum compareant, poſt annum acquiruntur fiſco.*
30. *Qua pœna puniantur ſurripientes bona naufraga?*
31. *Improbatur conſuetudo quæ iſta bona concedit dominis locorum, ex quibus nec vectigal debetur.*
32. *Navis & bona ad littus ejecta, ſi ſint infidelium hoſtium, efficiuntur capientium.*

1 QUoniam navicularij propter aliena onera, quandoque patiuntur naufragium, ideo de eo hic ſubjicitur, diciturque naufragium quaſi navis fragium, id eſt, navis fractura, ſæpe enim illa frangitur dum naufragium patitur, ut hic Accurſius obſervat. Ac illud plerumque accidit propter impoſitum onus, ut dictum *tit. ſuperiore.* unde ad illum qui privatum onus navi publica annona oneratæ impoſuit, naufragij periculum pertinet, non ad navicularium, qui compulſus fuit onus accipere, & oblatam mercedem rejecit.

2 Eſt quidem ſingulari jure receptum, & in merum odium naviculariorum & nautarum conſtitutum, quod illi ex ſola immiſſione rerum etiam expreſſe non aſſignatarum teneantur, cenſeanturque ipſo facto (dum patiuntur res in navem imponi) cuſtodiam rerum recipere, & ſalvas fore promittere *l. 1. §. ult. & l. ſeq. ff. naut. caup. ſtab.* At vero naufragij periculum, aut piratarum vim non præſtant, uti nec caupones & ſtabularij vim majorem, & recte; nam fortuitis caſibus humana infirmitas reſiſtere non poteſt, *l. 18. ff. commod.* Quod autem nautæ etiamſi ſine culpa ſua res perierit, aut damnum datum ſit, puniantur, ratio eſt in edicto Prætoris, quod contrahendo, & recipiendo res in navem conſentire videantur, ut illæ res ſalvæ omni reſtituantur: accedit & alia ratio, quod genus hoc hominum, ut plurimum impuriſſimum eſſe ſoleat, quorum improbitatem reprimi, maxime Reipublicæ interſit, itaque licet in locato conducto culpa levis, in depoſito dolus dumtaxat præſtetur; in hoc tamen recepti genere, res quæ periit etiam abſque culpa reſtituenda eſt, niſi quid damno fatali contigerit. *l. 3. §. 1. ff. nautæ, caup.* * Cum illud 3
cuivis patrifam. etiam diligentiſſimo poſſit accidere, niſi tamen ſpeciatim naufragij periculum ſuſceptum ſit, *juxta l. 6. Cod. De pign. act.* ubi aliàs quæ fortuitis caſibus accidunt, cum prævideri non poſſint, à nemine præſtari debent. Caſibus iſtis annumerantur aquarum impetus, inundationes, & vis ventorum, *l. 23. ff. De reg. jur.* * Hinc cum quidam 4
nauclerus naufragium feciſſet, obruto navigio in oſtio fluminis, propterea quod aquarum impetum ſuſtinere non poſſet, abſolutus fuit à ſenatu Luſitano, referente Ant. Gamma *in ſuis deciſ.* 154. quod id magis caſu fortuito, quam culpa naucleri accidiſſet, ſiquidem viam ſolitam elegerat, & ab aliis frequentatam. Itaque ut ille qui vi ventorum & fluctuum navem ſuam in aliam impegerit & obruerit, non tenetur de damno, *l. 29. §. 3. ff. ad l. Aquil.* ita & qui altitudine & impetu aquarum obruitur, nihil eſt quod ejus culpæ imputari queat, dummodo caſum legitimè probet. Santerna *De ſponſ. mercat. p. 3.* *Nam quiſquis navigat ſemper naufragio propinquus eſt, eoque magis quo audacius navigat.* Nazianz. *orat.* 27.

Quam ob rem navicularius qui naufragium ſe 5
paſſum affirmat, judicem illius loci in quo naufragium factum eſſe dicetur, adire debet, & apud eum id probare per teſtes, intra annum, *l. 2. h. t.* quo facto, probatoque naufragio, quodque non ejus aut nautarum culpa factum fuerit, ſed fortuito caſu, dominum petentem merces, innocuæ amiſſionis exceptione repellet. *l. fin. ff. ad l. Rhodiam.* * Lo- 6
quitur *d. l. 2.* de nautis qui publicas ſpecies vehunt, ut non videatur ad alios extendenda ejus deciſio, ſiquidem major exactiorque probationis exactio requiratur in cauſa publica, quæ negligentius peragitur, & ſæpe improbi nautæ vendita cum rebus publicis nave, neſcio quale naufragium proponant. In cæteris vero nautis non videtur defenſionis auxilium conſtringi debere. Quo fit ut privatis exceptiones & defenſiones perpetuo competant, *l. 5. in fin. ff. De doli except.* nec illis præſcriptum anni tempus ad probandam amiſſionem mercium, prout fiſci ſuſceptoribus & navicula-

riis,

Digitized by Google

tis, niſi tamen, ut hic monet Peckius, velint privati nautæ ob merces ſuas illicitè ejectas & raptas, agere intra annum ad quadruplum. Igitur quod Bartolus hoc loco concludit, mercatorem, qui in ſe ſuſcepit mercium periculum, debere nuntiare intra annum damnum quod propter naufragium paſſus eſt, alioquin poſt annum non audiri, id alij recte improbarunt, quia ut dictum *l. 2.* loquitur de nautis vel mercatoribus, qui ſpecies à fiſco ſuſceperunt. Angel. *ibi.* Rebuffus *De mercat. art. ult. gl. un. n. 19.* Straccha *De contract. mercat.* Tulden. *tit. C. De commod. num. 4.*

7 Porro in hoc judicio de naufragio multa ſingularia occurrunt; I. quod levato velo de caſu adverſo cognoſcatur, adeaturque judex loci, ubi naufragium factum eſſe dicitur, *l. 5. h. t.* II. quod depoſitiones teſtium quæ aliàs lite conteſtata recipiuntur, hic etiam ante conteſtationem recipiantur, audianturque teſtes ad perpetuam rei memoriam. *d. l. 2.* III. quod ad teſtium examen procedatur, etiam parte non citata, contra *l. 47. ff. De re jud.* quantumvis de ejus præjudicio hic maxime agatur. Bart. *ad d. l. 2.* Capella Thol. *deciſ.* 448. Maranta *De ord. judic. p. 4. diſt. 6. num. 71. & p. 6.*
8 *tit. De inquiſ. num. 146.* * IV. quod teſtimonia in loco naufragij ſummariè recepta, fidem faciant coram judice competenti, qualis eſt Præfectus prætorio, Præfectus urbi, annonæ Præſes, hodie Almiraldus ejuſque aſſeſſores, ad quos inſtructa cauſa & teſtimonia deferuntur, ut iis cognitis & virtute relevata, quæſtio de naufragio finem accipiat intra annum, *d. l. 2.* At ſi non ſummariè, ſed libello exhibito, liteque cum adverſario conteſtata, judicium ſuſcipiatur, protrahitur definitio cauſæ ad biennium, intra quod ſi per judicem ſteterit, quo minus quæſtio finem accipiat; & hoc tempus fuerit elapſum, præjudicium nocet judici, adeo ut à naviculario periculum transferatur in ipſum judicem, & ejus officiales, *l. 5. h. t.* Sic ut naviculario ab obſervatione judicij abſoluto, judex propter neglectam vel denegatam juſtitiam puniatur, refertione medietatis damni actoris, & alia medietate ejus officiales, qui ſæpius debebant monere judicem, ut cauſam præſcripto biennij tempore definiret.

9 Eſt enim durum afflictionem addere afflictis, & luctuoſum naufragos & in aliam regionem ejectos prolixa lite detinere; quare judex in cognitione, & deciſione cauſæ naufragij feſtinabit, teſtes audiet, ac eorum teſtimonia recipiet, in quorum notitiam id de quo quæritur, facilius venire potuit. Igitur cum naufragij originem, rerum ſuſceptarum qualitatem, & ſi quæ ſint ſimilia, nemo melius ſcire potuerit, quam nauta qui res vehendas ſuſcepit, ejus potiſſimum teſtimonium valet, ſi ſuper amiſſarum rerum qualitate controverſia moveatur. Quin & magiſtri navis teſtimonium prævalet, cum quo contractum inire ſolent, qui in remotas regiones merces avehere nituntur. Atque ideo hunc magiſtrum, cui eſt ſcientia plenior, cenſet Imp. diligentius eſſe interrogandum. *l. 3. h. t.* ubi addit, nautis magiſtriſque deficientibus, & omnibus naufragio peremptis, inquiſitionem tranſire ad alios, puta ad nautarum liberos, ut hi referant ſi quas viderint inferri merces in navem, & ſi quid intellexerint de parentis interitu, quem præſumi facit diuturnitas temporis, cum aliàs aſſueviſſet parens certo & conſueto tempore redire.

Quid ſi ſubmerſa navi, ſubmerſiſque omnibus 10
quæ in ea erant, unus ſolus fortuito emerſerit? Quamvis hujus teſtimonium de naufragio, quia unicum & ſingulare, ſufficientem probationem inducere per ſe non videatur, *l. 9. §. 1. C. de teſtib.* adjunctis tamen aliis adminiculis, quæ partim ex evidentia rei, partim ex fama vicini loci deprehenduntur, huic teſti etiam ſoli plenam fidem adhibendam eſſe exiſtimo; nam licet ſit unicus, à judicis auctoritate pendet concurrentibus aliis adminiculis, & conjecturis ei fidem adhibere, *l. 3. §. 2. ff. de teſtib.* præſertim cum de facto proprio deponit; prout hic de naufragio quod paſſus eſt, cujus probatio ſecum trahit probationem eventus hujus periculi. Joan. Wameſ. *conſ. 24. cent. 4. ad jus civile, & nos ſup. de teſtib. num. 17.* * Fateor unius teſtimo- 11
nium in quacumque cauſa non facilè admitti. *d. l. 9. §. 1.* ſed in hoc lugubri & funeſto caſu, ubi omnes tempeſtatis violentia obruti ſunt, audiendus ſaltem erit is, qui emerſit, etiam inidoneus, & quicumque de jure à teſtimonio removetur, *l. 6. C. de teſtib.* Unde quod obruta vel ſubmerſa fluctibus navi, magiſter & nautæ qui ſuperſunt audiantur, *l. 3. hoc tit.* hoc ideo puto, quia plerumque notitiam habent potiorem eorum quos vehendos ſuſcipiunt, & certius referre poſſunt de eorum interitu, tum quia non alia ſe offert probationis facultas, vel occaſio. Straccha *Deciſ. Genua 36. num. 5.*

Contra ſi ex vectoribus aliqui emerſerint, aut ex 12
littore plures periculum obſervaverint, hi potius audiendi ſunt; rejiciendique nautæ & ſocij, ſi modo adverſus eos probare poſſint, nullum tempeſtatis periculum fuiſſe, neque ullam aliam fatalem calamitatem contigiſſe, qua navis obruta eſt, ſed culpa & vafricie ipſius magiſtri, intempeſtivo tempore navigando, *d. l. 3. in fin.* & derelicto recto curſu, deflectendo, navem in terram adactam eſſe. * Quod ubi probatum fuerit, condemnabitur navicularius præſtare omne damnum quod ex mercibus & aliis rebus amiſſis obvenit, ob ſuam culpam & malam fidem, nec revelabitur ſi dicat id eveniſſe culpâ nautarum, quia æque magiſter reus eſt, quod opera malorum hominum fuerit uſus, quorum

Digitized by Google

34. *Nauta ſi de via quærat, ſuſpectus habetur, ſi ut non ſolvat vectigal punitur.*

35. *Nauta qui propter illicitas exactiones publicanorum, Navigationis curſum mutat, immunis eſt à pœna.*

36. *Qua pœna puniatur nauta qui moratur in portu ſavente vento, & judex connivent.*

37. *Cur ob culpam judicum puniantur municipes, qui naves detinent?*

38. *Cogi poſſunt nautæ ad navigandum, uti & caupones hoſpites recipere.*

39. *Navi & re alia ad communem uſum parata, quis uti poteſt, & cogere ſocium ſi id recuſet.*

40. *Navi reverſa ad portum à quo egreſſa eſt, & non perficiente iter propter adverſam tempeſtatem, an reſtituendum ſit pretium datum pro loco.*

1 HOc Libro, & ſequenti, explicantur jura urbi, & municipibus communia, quæ ad quatuor capita referri poſſunt, primum *de corporibus*, ſecundum *de cenſibus*, tertium *de dignitatibus*, quartum *de apparitoribus*; duo priora declarantur hoc libro, reliqua duo, libro ſequenti. Quocirca ut hujus libri duæ ſunt partes, quarum prior eſt *de corporibus & univerſitatibus*, poſterior *de cenſibus*, ita præſens titulus in duas partes dividitur, prior eſt *de naviculariis publicas ſpecies tranſportantibus*, poſterior *de tollenda luſtralis auri collatione*. Hæc pars in aliquibus codicibus ſolet eſſe prior, ut notat Cujacius hic, licet illius nulla fiat mentio in legibus hujus tituli, niſi quod ipſe aliquot Anaſtaſij leges Græcas Latinitate donaverit, & expoſuerit qualis quantaque fuerit iſtius luſtralis auri collatio, de qua nos aliquid attigimus *ſupr. tit. de indictionibus lib.* 10.

2 Luſtrum enim quinquennij ſpatium ſignificat, locationi, & conductioni tam publicæ quam privatæ rei præſtitutum, ut apparet *ex l.* 9. §. 1. *l.* 13. §. 11. *l.* 24. §. 2. *ff. locati.* Briſſonius ad verbum *luſtrum*, & Iſidor. *lib.* 5. *etymol. c.* 37. Hîc luſtrum pro quodam tributo accipitur, quod olim Imperatoribus de luſtro in luſtrum, id eſt, quolibet quinquennio, à provincialibus præbebatur, quatuor autem præcedentes anni cujuſque luſtri deſtinati ad iter faciendum, & tranſvectiones propter longa interſtitia itineris Româ in provincias. Primo itaque luſtro, aurum præbebatur, in ſymbolum dominationis; Secundo argentum, ad ſtipendia militum; Tertio æs & ferrum ad armorum reparationem.

3 * Ad hanc auri luſtralis collationem, ſeu ſolutionem tenebantur etiam tenuioris fortunæ provinciales, quique victum corrogata ſtipe ſibi comparabant, item meritoriæ puellæ, & lenones & fœneratores. Zoſimus *libr.* 2. & Cujacius *hic.* Ac multo magis aurariam penſionem pendebant mercatores ſive per ſe, ſive per ſuos negotiarentur, *l.* 3. & 6. *Cod. Theod. De luſtral. coll.* Guterius *de domo Aug. lib.* 3. *c.* 23. ubi docet mercatores aurum & argentum negotiandi cauſa venale habuiſſe, quod & indicat *l.* 22. §. 4. *ff. de aur. & argent.* atque ob id à Lampridio in Alexandro dicitur *aurum negotiatorum*, quia id præſtabant annis ſingulis negotiatores, nec illius collatione exonerabantur, quin etiam ſiliquaticum, & monopolium ab illis exigebatur, illud in nundinis ob venditionem, hoc cum ipſis à Principe monopolium exercere erat permiſſum, quod deinde à Zenone Cæſare abrogatum, *l.* 1. *ſupr. De monopol.*

Itaque ſubjecti omnes, ex omni re pecuniam pendebant, & hinc in Republica ingens erat pecuniarum copia, & cauſa cur laſciviret populus, nam ubi nimia pecunia, ibi luxus; ubi luxus, ibi vitia; ubi vitia, ibi imperiorum lapſus. Unde recte Plinius dicit *argentum venenum rerum omnium*, *l.* 33. *c.* 6. *& aurum peſtem ac ſaniem. Non erat ſatis unam inveniſſe peſtem, niſi etiam auri ſanies acceſſiſſet.* Neceſſaria quidem pecunia, ſed periculoſa nimia collatio & extorſio. Nam cum putarent Rempublicam ſuam augere, egentiſſimam reddiderunt. Et hodie nihil toto orbe, quod Reges, Principes & Reſpublicas gravius affligat, & concutiat, quam nimiæ pecuniæ exactiones, quæ, ut à Romanis olim, variis nominibus colorantur. 4

Sed ut ad luſtrum redeamus, fuere in Republica duo conſtituti Suſceptores & Nummularij, qui aurum luſtrale reciperent, & deſcriberent in tabulis ſummam auri & argenti, quam colligebant, collectam & conſignatam deinde ſacris theſauris inferebant, *l.* 13. *ſup. de ſuſcep.* Verum Anaſtaſius Imp. ut populum ſibi devinciret, quem videbat aliis exactionibus oppreſſum, hanc auri argentique collationem ſuſtulit, ut Evagrius & Zonaras teſtantur, & Cujacius hic affirmat utramque conſtitutionem *h. tit.* eſſe Anaſtaſij. 5

Altera pars Tituli ad navicularios ſpectat, quos vocamus naucleros, navium dominos, Græci Navarchos dicunt, teſte Vegetio, qui ſingulis navibus præſunt, *lib.* 4. *De re mil.* habentque ſub ſe exercitores, remiges, nautas, meſonautas, & hujuſmodi homines qui deſcribuntur *tit. ff. nautæ, caup. ſtab.* fuit olim naviculariorum certum corpus & collegium, *l.* 5. §. 6. *& fin. ff. De jur. immun. & l.* 1. *Cod. De hæred. decur.* in urbe & in provinciis, uti in Africa & in Hiſpania, *l.* 8. *Cod. Theod. eod. tit.* quorum officio & curæ incumbebat privatas ſpecies quocumque tranſvehere, & popularibus ſervire; item per vices publicas ſpecies in frumento, hordeo, vino, oleo, pecunia conſiſtentes, à ſuſceptoribus per provincias diſpoſitis, recipere, & eas ad urbem, vel ad caſtra, ad militum ſuſtentationem navibus propriis vel conductis deferre, & tranſportare, Azo, Accurſ. & Cujacius *hic* 6

Hodie

Digitized by Google

7 Hodie etiam aliquod quaſi corpus eſt naviculariorum, & caput capitaneum, vel admiralium vulgus vocat, cujus juſſu annonam & alias ſpecies ad Rempublicam pertinentes trans mare vehunt ad alias regiones; Item arma juſſu Principis, milites quoque & ipſum Principem ducunt, & reducunt ejuſque legatos, cum omni ſecuritate, *l. 1. h. t. l. 3. & 8. ſup. de vectig.* quæ ſecuritas in eo conſiſtit quod navigantes ob publicam cauſam, & navicularij qui commeatum ad exercitum ferunt, nullam vim, nullam concuſſionem, nullum denique in perſona aut rebus incommodum ſentiant, adeo ut nec arreſtari (ut dicunt) nec detineri, nec ad vectigalium ſolutionem compelli poſſint, modo ſine fraude rem gerant, *l. 6. in fin. Cod. de vectigal.* Bart. *& alij ad d. l. 1.* tametſi profiteri merces debeant, eaſque publicanis oſtendere, ut mox dicam. *l. fin. ff. De public. & vectigal.*

8 Quid ſi conſtet navem ab omni vectigali eſſe exemptam? obtinuit ſententia, nauclerum non teneri publicanis oſtendere merces immunes, quibus ſi quæ aliæ non privilegiatæ ſint adjunctæ, & ob fraudem vectigali factam in commiſſum hæ cadant, pœnam ad immunes non porrigi, ſi navicularij fraus abſit, quæ alioquin integras merces in commiſſum trahat, *l. 4. §. 1. in fin. ff. d. t.* Peckius *ad h. l. 1. n. 6.* quem ſequitur Chriſtinæus *ad h. t. deciſ. 58. num. 13.* meminit ibidem auctor ſufficere quod naves exemptæ dum loca tranſeunt, indicium aliquod faciant ut in commiſſum non cadant. Si tamen edictum prohibeat arma exportari, frumentum evehi, aliaſve merces vetitas efferri, ob publicum intereſſe, jure ſtationarius vel publicanus poterit inſpe-
9 ctionem petere. * Hinc notandum, ſi nauta vel auriga merces aliquas exportari prohibitas, navi, aut currui impoſuerit, iiſque alias non vetitas adjunxerit, idque ſciens, ſi quidem ad ipſum pertineant, in commiſſum una cum navi aut curru cadere, *l. 11. §. 2. ff. de publican.* Idem ſentiendum ſi vectores ſciente domino navis, tales merces permixtas navi impoſuerint, uti alias judicatum in Belgio dicit Peckius, & ejus obſervator Chriſtinæus in ſuis deciſ.
10 Belgic. * Dico ſciente, nam ſi abſente domino navis, vel eo ignorante merces exportari prohibitæ ſint impoſitæ navi, quam locavit vel commodavit alicui nautæ, hic punitur commiſſis mercibus, ſed navis domino reſtituitur, *d. §. 2.* quia de jure is ſolum qui ſcit, & aſſenſum præbuit, obligatur, non ignorans, *l. 3. ſup. de tabular.* Præſumitur autem dominus ignorare, ſi ſcientia non probetur, proinde qui dicit, probare ſcientiam debet. *gloſſ. in l. verius ff. De probat.* & ſi in probatione deficiat, ſtatur juramento ipſius domini. Bobadilla *lib. 4. Politiæ cap. 5. num. 53.*

11 Quod ſi tamen ſtatutum, aut lex municipalis ipſas res afficiat, eaſque exportari vetet, contravenies ſtatuto, ſive ſit incola ſive advena, ſciens aut ignorans, præter res, etiam naves, currus, equos, & inſtrumenta evectioni idonea, amittit, & publicantur; quoniam licet non ſint de mercibus prohibitis, tamen tanquam acceſſoria etiam in commiſſum cadunt, habet tamen illorum dominus ignorans regreſſum contra conductores, qui ſi non ſint ſolvendo, poterit implorare auxilium reſtitutionis adverſus ſtatutum, ex generali clauſula, quæ ſententia fuit Bartoli, Romani, Imolæ, Alexandri, *ad d. l. 11. §. 2.* eſt tamen æquior, quæ excuſat ignorantem cum in nullo delinquat. Caſtillo *ad l. 1. Tauri.* Bobadilla *lib. 4. polit. cap. 5. num. 31.* Caballus *reſolut. crimin. caſu 129. num. 8.*

Procedere igitur oportet bona fide, & omnium 12
rerum, quæ navi exportantur, fieri inſpectionem, ut ſciatur quænam merces ſint licitæ, aut vetitæ, immunes aut vectigales. Item quodnam vectigal pro iis præſtari oporteat, cum varium hodie ſit pro mercium æſtimatione. Quod ſi in navi ſint clerici, eſto ſint immunes, profiteri quoque debent res quas deferunt, & emerunt, ſi id non faciant, cadunt in commiſſum, reſque ipſas à vectigali exemptas amittunt, *l. fin. §. 3.* ibi Bart. *ff. De public. & vectig.* Si autem cæteri res ſuas profeſſi fuerint apud publicanum, non tamen vectigal ſolverint, diſſimulante publicano, res in commiſſum non cadunt, cum poſſit ſatisfieri fiſco ex bonis ipſius publicani vel fidejuſſoris, *d. l. fin. §. 12.* * Alias pœna omittentis 13
profeſſionem mercium, eadem eſt quæ non ſolventis vectigal, ut videlicet locus ſit commiſſo, ac ne prætextu ignorantiæ hanc pœnam effugere quis poteſt, niſi juſtus ſit error, ſeu culpa vacans, quod ex conditione perſonæ aliiſque circumſtantiis æſtimandum eſt, *d. l. fin. §. 5.* Quin etſi culpa nonnulla intervenerit, ſed modica, remitti ſolet commiſſi pœna, mitiore irrogata, veluti dupli vectigalis, *d. l. fin. §. 10.*

Porro quamvis pœna commiſſi ipſo jure irroge- 14
tur, & mercium dominium amittatur, pro quibus vectigal ſolutum non eſt, attamen in earumdem auferenda poſſeſſione, ſententia declaratoria opus eſſe videtur, *arg. l. 7. ſup. De jur. fiſci.* Contra nihilominus ſunt, qui ſentiunt fiſcum in caſum defraudati vectigalis, poſſe propria auctoritate apprehendere poſſeſſionem. Joan. Koppen *in deciſ. q. 50.* Peregrinus *De jure fiſci, lib. 6. cap. 5. num. 30. & ſeqq.*

Dixi paulò antè ſummam ſecuritatem datam eſſe 15
naviculariis, qui ſpecies publicas deferunt, & trans mare vehunt. Hinc quæritur an ſecuritas liberaque facultas data intelligatur etiam aliis perſonis non ſolum eundi, ſed etiam redeundi? Affirmat id Fredericus Imp. de ſcholaribus, quibus cum rebus ſuis tuto ire, & redire licet. *Auth. habita Cod. ne filius pro patre.* Idem de aliis omnibus quibus ſpeciatim eſt conceſſa ſecuritas, cenſet Conſtantinus *in l.*

Digitized by Google

1.h.t. cũ ait, *Venientes ac remeantes omni ſecuritate potiantur, mulcta decem librarum illis impoſita, qui eos inquietare tentaverint.* Alias enim non diceretur ſecure veniſſe, cui non liceret tutò recedere, ſaltem illa vice. Ideo Abbas *in cap. quia diverſitatem num. 6. De prab.* dicit tempus acceſſus, manſionis & regreſſus pariter judicari, & Rebuffus *ad d. l. 1.* Alexander *conſ. 16. lib. 4.* Mynſing. *cent. 1. obſ. 82.* Addit Nellus *in tract. De bannit. part. 3. ſecundi temporis quæſt. 17. n. 18.* quod quando ſecuritas datur ſine adjectione certi temporis tunc intelligatur tantum ſemel conceſſa, ſecus vero ſi concedens conſtituat tempus, quo durante, perdurat ſecuritas. Igitur licet ſecuritatis conceſſio ſeu ſalvi conductus benigniore interpretatione adjuvari debeat, quia emanat à Principe, *l. fin. ff. De conſtit. Princip.* tamen adverſus ejuſdem mentem & ordinationem nunquam debet extendi, & ideo ſecuritas ſimpliciter conceſſa eundi, intelligitur data redeundi, illa vice tantum, niſi facta ſit conceſſio ad certum actum expediendum, quia tunc habenda eſt ratio negotij & temporis, ut poſſit is qui agit, ire & redire quoties expedit, donec iſte actus fuerit impletus, *arg. l. 137. §. 3. ff. De verb. oblig.* Platea *hic.*

16 Ex dictis infero ſecuritatem datam certæ perſonæ eundi & redeundi non extendi ad alios qui ſunt in ejuſdem comitatu, aut ejuſdem profeſſionis & conditionis, niſi in litteris nomina eorum exprimantur, quia poſſent ſe plures conjungere qui non ideo cenſendi ſunt ſocij. Quo fit ut ſecuritas data militi, non protegat ducem, qui licet ſit cohortis Dux, non tamen habetur nomine militis, quamquam Imperator blandiendi cauſa, milites ſuos commilitones appellet. In vulgari enim ſermone non veniunt perſonæ magnæ, notabiles & dignæ, quarum proinde facienda erit ſpeciatim mentio in ſalvo conductu. Albericus Gentilis *De jure belli lib. 2. cap. 4.*

17 Quod in perſonis, idem & in rebus obtinet, ut verborum proprietas attendatur, ſic ſi data ſit ſecuritas Præfecto arcis qui arcem dedidit, ut ei liceat tutò cum ſuis ſociis, & cum ſuis bonis abire, non extendatur ad bona ſociorum, Florianus *in l. loci corpus ff. ſi ſervit. vind.* Item conceſſio ſalvi conductus ad certum genus mercium evehendum in patriam hoſtilem, non protrahetur ad revehendum alias merces, quæ hoſtium ſunt, debet enim Principis conceſſio ſtricte accipi & interpretari, atque ex uſu ſpeciatim in litteris ſalvi conductus peti & exprimi *ad revehendas merces hoſtiles.* Nam ordinationis poteſtas in utramque partem eſt prohibitiva, & pœnalis, atque ita relaxata una parte prohibitionis, perdurat ejus vis in altera parte, propter legis poteſtatem prohibitivam. Quamobrem facultas evehendi certas merces, nullo modo extenditur ad revehendas res hoſtiles, quæ ſunt prohibitæ, & licet eas cuivis capere, alioquin ſi tam laxa interpretatio admitteretur, fraus fieret bellicis ordinationibus. *DD. ad l. 1. h. t.* Joan. Wameſius *cent. civil. 2. conſ. 86.* & Pet. Belli *tract. De re mil. p. 9. num. 21. & ſeqq.*

Porro data ſecuritas navigantibus ſervari debet, 18
non violari, nam qui publicam ſecuritatem violat, & infringit, ut reus criminis læſæ Majeſtatis pœna capitali punitur, *l. 1. ff. ad l. Jul. Majeſt.* quam tamen ex cauſa poteſt judex temperare, *l. 13. ff. De pœnis.* Ita ante Bartolum cenſuit Cuneus in *tract. ſecuritatis num. 32.* ſequitur ac probat. Franc. Herculanus *in tract. De caut. non offendendi cap. 10. n. 2.* * Publice 19
quoque intereſt ne navicularij qui vitam ſuam maris periculis exponunt, in bonis ſuis & mercibus damnum ſuſtineant, & tutò navigent, ideo contra prædones res naviculariorum diripientes ſtatutum ut rem eis & indemnitatem præſtent, & extra rem pœnam quadrupli, *l. 3. h. t.* ibi Cujac. Alij volunt ipſam rem in quadruplo computari juxta §. 1. *Inſt. de vi bonor. rapt.* Peckius *ad l. 1. De incendio, ruina, naufr.* reſpondendum cenſet raptorem furti nec manifeſti actione teneri, ſi deprehenſus ab aliis non fuerit, ſic ut hoc caſu actio furti, ita cum actione hac concurrere videatur, uti ſi furti prius agatur, non tollatur actio de bonis raptis ut ſaltem in eo quod amplius eſt, conſequatur; ſic contra tollitur furti nec manifeſti actio. Quod ſi in rapina deprehendatur, non ideo furti manifeſti adverſus eum agetur, quia prætor ita pœnam edixit, ut non niſi in quadruplum raptor conveniri poſſit, & cur hoc caſu non niſi tripli pœna mulctetur, fur autem manifeſtus quadrupli, petenda eſt ratio ex his quæ dixi *ſup. de vi bonor. rapt.* Loquitur *d. l. 3.* quando rapina eſt facta à naviculariis, aut cum illis extra caſum naufragij, nam qui tempore naufragij rem aufert, aut ſervatum à viris bonis rem rapit, intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum tenetur, *l. 1. §. 5. ff. de incend. ruin. nauf.* atque illud parti læſæ applicatur. * Non 20
obſtat *l. 1. h. t.* ubi mulcta decem librarum auri imponitur his, qui nautas inquietare tentaverint, nam hæc mulcta fiſco non parti applicatur. Si dicas etiam quadruplum applicandum eſſe fiſco, quia quoties in cauſis fiſcalibus & publicis commiſſa eſt rapina, Reipublicæ debet acquiri pœna, *l. 43. §. 5. ff. De ædil. edicto.* Diſtinguo, aut ad tertium pertinet res quæ alteri aufertur ejuſque rei periculum & ratio poſtulat, ut illi pœna applicetur, aut ad injuriam paſſum pertinet periculum, & tunc iſti mulcta acquiritur, ut innuit *l. 3. h. t.* ibi, *eorum commodis ſatisfieri.* Idem dicendum ſi plures ſint perſonæ, namque illis convenit ſatisfieri, non autem privatorum jus diminui propter publicum intereſſe, *l. fin. ſup. De his qui à domin. manumiſſ.*

Præter ſecuritatem, habent & patrimoniorum 21
cæterorumque onerum immunitatem navicularij Orien-

Digitized by Google

Orientis, ac præcipuæ illi qui annonæ urbis ſerviunt, & occupantur in conquirendis navibus, quarum ſi tanta ſit inopia, ut non poſſint navigationis tempore Alexandriâ annonam & alias ſpecies transferre, licet eis ne pœnam incurrant, implorato auxilio Præfecti Auguſtalis, procurare ex aliis vicinis provinciis naves & nautas, eoſque cogere certa mercede, tranſvectionis onus ſuſcipere, *l.4. h.t.* Hinc quando certarum mercium coëmptio & tranſvectio, quæ publice utilis eſt, fieri debet per homines iſti functioni deſtinatos & certos, nec poteſt ob penuriam illorum expediri, compelli poterunt alij vicini certa mercede numerum ſup-
22 plere. * Plane ſi ex claſſe quæ in portu eſt, certum navium numerum ad ſpecies publicas vehendas Princeps producere mandarit, deficientibus ſine culpa navarchi, aut Præfecti iſtius loci aliquot navibus, compelli poterunt viciniores naucleri ex ſuis navibus numerum ſupplere, præſtito iis ſalario ex publico, data & aliquando tributorum immunitas hiſce naucleris, qui aliis ſuæ conditionis plus nimio occupatis vicariam operam præſtabant, *l.17. & 22. Cod. Theod. h.t. l. pen. §. negotiatores & ſeq. ff. De jure immun.* Quod eſt ſingulare; nam regulariter tributa Principi debita non remittuntur, ex *d. l.4.* Pancirol. *in Notitia Imp. cap. 86.* dicit hanc immunitatem iis datam fuiſſe, qui naves duorum millium modiorum capaces habuiſſent, propter onus quod ſentiebant.

Hinc inferre licet, quod ſi mandatum ſit Præfe-
23 cto militiæ, ut ex certo loco ſelectos quoſdam milites tranſmittat ad aliquam expeditionem, ſi illic deſint, poterit vicinum Præfectum, ſi in eum habeat imperium, cogere ut milites mittat, quod ſi non fecerit, periclitabitur, *l. fin. Cod. De canon. largit.* Pyrrus *ad d. l. 4.* Id tamen non ſemper obtinet. Quid enim ſi ad conſervationem loci ex quo milites petuntur, ibidem ſint neceſſarij, aut numerus illorum ſit exiguus? quid ſi hoſtis immineat, aut periculum aliud ſubſit? Certe non poterit cogi inferior juſſu ſuperioris Præfecti, militem è ſuo in auxilium alterius mittere, prout obſervari videmus; Hinc qui auxilium vicinis populis promiſit, excuſabitur quamdiu domi periculum fuerit, & propriis copiis opus habet, cum non debeat quis ſuo incommodo aliis ſubvenire.

Ac ita intelligendum quod *ad l. 4. h. t.* notant
24 Interpretes, civitatem vicinam teneri auxilium præbere alteri, quando id abſque incommodo facere poteſt; Itemque ſupplere defectum alterius civitatis, quando ibi hominum penuria eſt, qui opera publica faciant, aut privatorum curam ſuſcipiant. Sic ſi idonei non ſint in civitate qui poſſint eſſe tutores, officio magiſtratus incumbit perquirere ex vicina civitate honeſtiſſimum quemque qui poſſit tutoris munere fungi, *juxta l. 24. ff. De tut. & cur. dat.* Alias ſi in loco originis pupilli, reperiatur idoneus tutor, non eſt ex alio loco quærendus, uti nec præficiendus Eccleſiæ clericus ex alio vico, vel Eccleſia, quamdiu in propria reperitur idoneus, *l. in Eccleſ. 11. ſup. De Epiſc. & cler.* Platea *in d. l. 4. in fin.*

Colligi præterea poteſt ex *d. l. 4.* quod Navarchi, 25
& Summates Orientis, claſſem navalem ſemper paratam habuerint Alexandriæ, & in inſulis Carpatiæ, Cycladum, & aliis, ad tranſvehendas ſpecies publicas, & præcipue annonam in Italiam, & urbem; Itemque ad caſtra militum: quia vero non ſemper erat opportunum tempus navigandi, nec illud erat præſcriptum hujuſmodi ſpecies deportandi, ſolebant naucleri eas in negotiationis emolumenta convertere, *l. 2. h. t.* * Ideo ibi decernit Imp. 26
ut intra annum ſpecies quas ſuſceperint, inferant, & ſecuritates reportent; quæ etiam diem illationis edoceant, id eſt, apochas de ſoluto, quas intra alium annum referre iis debent à quibus ſpecies acceperunt, ut illis conſtet ſuſcepti oneris ratio, & naviculariorum fides & diligentia. * Facit hoc Imp. re- 27
ſcriptum pro iis, qui mittuntur in certum locum ad negotium expediendum, nempe illos intra tempus ſtatutum, illic ſe debere præſentare, & litteras ſuæ diligentiæ referre, quod hodie obſervant luſtratores, vulgò Commiſſarij, quibus etiam promiſſum aut conventum ſalarium pro illo tempore debetur, non ultra, etſi diutius morentur.

Si tamen negotium expediverint breviori tem- 28
pore, puta quatuor diebus quod ſolitum erat expediri decem, & pro quolibet die habuerint commiſſarij decem florenos, reor duplicandum eſſe ſalarium diebus correſpondens, quos inſumpſere expediendo negotio & redeundo. Gloſſ. & Dynus *in l. eos ff. De falſis.* Paris de Put. *De ſyndic in parte Judex in officio f. 183. num. 5.*

Sed cur in hac lege datur annus ad finiendam na- 29
vigationem, cum alioqui dimidius ſufficiat, *in l. 3. in fin. C. de naufragiis.* Forte quia tempore hyemis navigatio eſt periculoſa & incerta. Scribit Vegetius *De re milit. lib. 4. cap. 39.* ex die tertio Iduum Novembris, uſque in diem ſextum Iduum Martiarum maria claudi, *Nam lux minima, noxque prolixa, nubium denſitas, aëris obſcuritas, ventorum imbri, vel nivibus geminata ſævitia, non ſolum claſſes à pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbat.* Ideo hyemis tempus hic remittitur, niſi tamen quis navigationem ſuo periculo velit hyeme ſuſcipere, *l. 6. ſup. De offic. rect. prov. l. fin. infr. De nauf. l. 1. §. idem juris ff. ad l. Rhod.* aut conſuetudo navigationem hyemis tempore permittat, cui ſtandum. Stracha *De nau. p. 3. n. 1.* Sic milites dicuntur hyemare, ſeu hybernare, propterea quod hyeme rarò pugnent, inde & hyberna locus ipſe ubi milites ſtationem faciunt. * Quia nihilominus hyemis tempore milites

 30

Digitized by Google

fragij periculum ſit: navis etenim ad hoc paratur, ut naviget, non ut in portu hæreat, *l. 12. §. 1. ff. De uſufructu.*

39 Hinc argumentum ſumpſit Accurſius, ut diceret ſocium invito ſocio, navi, & re alia communi uti poſſe; proinde ſi duo ſint Navarchi ac domini navis, & unus congruo tempore vult navem trans mare mittere, alter contra mavult eam adhuc in portu hærere. præferendus erit is qui re ad communem uſum parata uti vult, & utiliter aget adverſus ſocium qui recuſat, *arg. l. 25. §. 15. ff. famil. erciſ.* Ex quo paſſim Interpp. inferunt, ubi negotium eſt tale, ut ex parte expediri non poſſit, ſocium invito ſocio, ſi utiliter agit, re communi uti poſſe, ad rem paratam. Stracha *de nautis p. 2. n. 6.*

40 Concludo titulum hac facti ſpecie, & quæſtione, cum navis ad navigationem longinquam parata eſſet, & quidam in ea locum alterius, mercibus ſuis reponendis conduxiſſet, certo pretio, accidit ut in itinere vi ventorum agitata navis, iterum in portum fuerit reverſa, unde quærebatur, an poſſit conductor loci pretium repetere? Exiſtimarunt aliqui, hunc non conductorem, ſed emptorem magis eſſe, ad quem proinde periculum rei venditæ, etiam nondum traditæ, pertinere conſtat, nec poſſe ſolutum pretium repetere, *l. 8. ff. de periculo & com. rei vend.* urgebat is qui uſum loci vendiderat, quod jam navis navigare cœpiſſet, ac fere tanto tempore quo potuiſſet in conſtitutum locum pervenire, niſi vi ventorum coactus fuiſſet navis magiſter, portum repetere; itaque cum ipſe venditor non impediverit iter, nec fecerit quo minus emptor loci eo uteretur, & caſus non contigerit in loco conducto, nec ipſe caſum ſuſceperit, ſi navis iter non perficeret, non videtur teneri pretium reſtituere. Verum quia hic non de ipſa navi transferenda aut vendenda agitur, ſed tantum de uſu cellæ, aut cubiculi ad reponendas merces, ideo verius puto locationem eſſe, & loci conductorem ad pretium jure agere, per expreſſum textum *in l. ex conducto 15. §. item cum quidam 6. ff. locati.* ubi propter amiſſam navem, vel caſum in ea contingentem, cum quis munere vehendi functus non ſit, poteſt vecturam petere. Quidni & hic conductor repetere pretium datum, aut medietatem pretij, juxta conſuetudinem patriæ, quæ in contractu locationis attenditur, *l. 18. C. locati. l. 31. §. 20. ff. de ædil. edicto.* Eſtque in eo, id plerumque receptum, ut ſi contingat caſus in re locata, ita ut impediatur ejus uſus, fiat remiſſio pro parte, ſi in parte, vel in totum, ſi in totum uſus impediatur, *l. 9. ff. locati.* Non urget quod dicant contractam hic eſſe venditionem, nam & in hac æque ac in locatione, ubi ſequuta non eſt navigatio, aut impedita per tempeſtatem, reſtituendum eſſe pretium ſentio cum Valaſco *conſult. 75.*

TITULUS II.

De prædiis, & omnibus rebus naviculariorum.

1. *Bona naviculariorum obligantur pro publicis ſpeciebus quas vehendas ſuſcipiunt.*
2. *Si navicularius rem vendiderit, tenetur emptor pro modo portionis comparatæ onus ſubire, etiam id ad Principem tranſit, ſi res ad eum perveniant.*
3. *Quamvis emptor omnes agnoſcat, non ideo ſit navicularius, ut univerſum ejus patrimonium tributo obnoxium ſit.*
4. *Quod ſi emptor domum aut rem melioravit, an ob melioramenta augeatur onus, aut tributum, quod antea præſtabatur.*
5. *Ratio, quare tributum domus quæ ob meliorationem nunc pluris valet, non augeatur?*
6. *An jus Hypothecæ extendatur ad melioramenta à poſſeſſore, vel creditore facta in re Hypothecata.*
7. *Onus ſequitur ipſum poſſeſſorem, nec valet pactum huic juri derogans.*
8. *Si tempore alienationis erat idoneus emptor, non tenebitur venditor; quid hodie juris?*

NAvicularij cum annonam, & alias publicas ſpecies vehendas acciperent, contrahere ſolebant cum fiſco, ejuſque ſuſceptoribus particularibus, atque iis promittebant, iſtas ſpecies ſuis navibus vecturos in locum deſtinatum, ex qua conventione ſive expreſſa, ſive tacita, res omnes naviculariorum titulo pignoris vel hypothecæ fiſco obligatæ erant, *l. 1. & 2. ſup. in quib. cauſ. pign.* Ad hoc quidem ut ſi culpa eorum ſpecies publicæ quas navibus ſuis vehebant, perirent, aut deteriores fierent, navicularij collegij & ſocietatis contributione damnum ſarciretur, *l. fin. infr. de naufr.* 1

Hinc ſi navicularius rem aliquam vendidiſſet, emptor pro rata portionis comparatæ, tenebatur naviculariam functionem ſubire, & onus reale agnoſcere, nam cum res eſſet ipſo jure obligata, tranſibat in emptorem & quemcumque ſucceſſorem, *l. 2. h. tit.* Adeò ut ſi res ad eum qui è domo Principis erat, perveniret, eo onere non liberaretur, *l. 3. h. t.* Inde inferunt Interpp. etiam domum Principis pro rata prædiorum acquiſitorum, debitam functionem agnoſcere, & ipſum Principem ad quem pervenerunt bona privati, ex cauſa confiſcationis, ut alia, teneri pro portione, & quantitate iſtorum bonorum ad onera, *juxta l. 8. ſup. de exact. tribut.* Niſi aliqua ſint extraordinaria, quibus Princeps ſolutus eſt. Rebuffus & Chriſtinæus *ad h. t. n. 11.* 2

Digitized by Google

3 Cæterum licet is qui fundum navicularij juris
emerat, teneretur pro modo iſtius fundi onus ag-
noſcere, non tamen ob hanc cauſam fiebat navi-
cularius, nec reſiduum ejus patrimonium reddeba-
tur iſti oneri obnoxium. Emens quoque domum
ejuſdem conditionis, tantum præſtabat navarchici
muneris nomine, quantum illa elocari ſolebat ven-
ditionis tempore, ita ut non haberetur ratio tem-
poris poſtea ſecuti quo pluris æſtimari domus cœ-
4 perat; *dict. l. 2. & 3. h. tit.* * Ex quibus concludunt
Interpp. res pro certa penſione fiſco ſubjectas,
poſſe quovis titulo alienari, ita tamen ut penſio
iſta (quæ vel eſt quota pars fructuum, vel definita
quantitas) non diminuatur nec augeatur, ſed ea
præſtetur quæ tempore alienationis percipiebatur.
At quid emptor rem, aut domum iſtam pro pen-
ſione obligatam refecerit, & meliorem reddide-
rit, an propter meliorationes augeatur penſio?
Et ait Imp. eam minime augeri, ſed ſolvendam
eſſe inſpecto emolumento quod res ipſa pendebat
eo tempore quo à naviculario alienata fuit, ita ut
non habeatur ratio cultus hodierni (qui induſtria
animoſi emptoris acceſſit,) ſed potius vetuſta loci
ſpecies, & penſio cogitetur, *dict. l. 2.* Quaſi diceret
penſionem non augeri ex meliorationibus, nec
ad eas, aut ea quæ poſtea acceſſerunt, extendi fun-
5 ctionem ſeu obligationem naviculariam. * Quod
ſpeciale circa res, & domos naviculariorum: hi
enim cum ob publicam navigationem, domos
ſuas cogerentur relinquere, ut alij ad eas emendas
meliorandaſve invitarentur, ſtatutum fuiſſe exiſti-
mo, ut ſi domus eſſet obligata fiſcali tributo, id
penderetur juxta tempus antiquum, neque habere-
tur ratio quod domus ob meliorationes ſit pretio-
ſior facta, & pluris nunc valeat. Ratio ſpecialita-
tis conſiſtit in cura, quam habebant Romani circa
ædificiorum ornatum & cultum domorum, ne
illarum ruinis publicus civitatis aſpectus deforma-
retur, *l. 7. ff. de offic. præſ. l. 2. cum aliis C. de ædif. pri-
vat. & l. 5. cum aliis C. de oper. publ.* Facit & *l. 2. h. tit.*
ibi *domus quarum cultu decus urbium potius quam fru-
6 ctus adquiritur.* * Dico eſſe hic ſpeciale; nam alias
emptor qui domum pignori obligatam emit, & re-
ſtauravit, itemque creditor cui res eſt pignorata ſi
ſuo ſumptu rem meliorem reddiderit, jus quod
habet pignoris, ſe extendit ad meliorationes, ita
ut augmentum in re factum eodem jure cenſeatur,
l. 16. in pr. ff. De pignor. ubi ſi fundus hypothecæ
datus ſit, & alluvione major ſit factus, totus re-
manet obligatus. Facit & *l. 18. §. 1. ff. de pign. act.*
ubi Paulus inquit, ſi nuda proprietas pignori data
ſit, uſusfructus qui poſtea accreverit, pignori erit,
eadem cauſa eſt alluvionis; quæ jura extendit Bart.
ad tertium poſſeſſorem ut melioramenta ab eo
facta, tacitæ hypothecæ obligata cenſeantur. Con-
tra ſuſtinet Garcia de expenſis *cap. 18. num. 75.* Vi-
deatur Covarruv. *lib. 1. var. reſp. cap. 8. num. 3.* &
Amaya *ad l. 1. numer. 58. & ſeqq. Cod. De annon &
tribut.* Gregor. Lopez *ad l. 15. tit. de los peños 13.
p. 5.* * Ex his obſerva onus reale quo res eſt affe- 7
cta, uti afficit ipſam rem, ita & quæ ipſi rei ac-
cedunt afficere. Sentiunt autem hoc onus rei poſ-
ſeſſores, ſed hi qui fundos naviculariæ functio-
ni adſcriptos à naviculariis acceperunt quovis
titulo, veterem fundi opinionem, id eſt, cen-
ſum & profeſſionem agnoſcere tenentur nec va-
let pactum in præjudicium fiſci, & juris publi-
ci, inter emptorem & venditorem navicularium,
ut ipſe venditor non emptor functionem navi-
culariam agnoſcat, & ut fundus in emptorem
tranſeat ſine onere: quia nihilominus emptor tan-
quam poſſeſſor rei fiſco obligatæ convenitur, &
cogitur præſtare æſtimationem quæ erat tempore
contractus, *l. 3. h. tit. & dict. l. 2. eod. & l. 1. ſupr. ſine
cenſu vel rel.*

At ſi emptor non reperiatur idoneus, ſeu deſinat 8
eſſe ſolvendo, tunc onus navicularium ad vendito-
rem recurrit. Itaque primo convenitur poſſeſſor,
deinde in ſubſidium devenitur ad venditorem;
quem tamen ab hoc onere Gloſſa *hic in l. 3.* eximit,
ſiquidem tempore alienationis rei emptor erat ido-
neus, & poſtea caſu fortuito lapſus eſt facultatibus.
Hodie cum bona publicis functionibus obligata,
non poſſint alienari ſine decreto; judicis eſt exami-
nare num emptor ſit idoneus & ſolvendo, & ſi re-
pererit ipſum minus idoneum, caveat bona eidem
addicere, etiamſi venditor apud acta in ſe ſuſcipiat
onus tributorum. *Auth. ſed & periculum ſup. ſine cenſu
vel rel. gloſſ. hic in verbo pactione.*

TITULUS III.

De navibus non excuſandis.

1. *Continuatio, & ſumma Tituli, & quod nullæ naves excuſentur ab onere, ſi ſe excuſent, publicantur.*
2. *Senatoribus non fuit permiſſum habere, vel ædificare naves, nec negotiari cum provincialibus.*
3. *Privatis naves habere permiſſum, modò non evitent publicas neceſſitates.*
4. *Nullæ naves prætextu alicujus privilegij, vel dignitatis excuſantur.*
5. *Publice utilis eſt uſus navium, excuſatio punitur, ſi ante fœlicem embolam fiat.*
6. *Communicanda non eſt immunitas ſpecialiter conceſſa.*
7. *Damnatur deceptio illorum, qui corrumpunt privilegiatos, ut furtive utantur eorum immunitate.*
8. *Improbatur illorum temeritas, qui potentiorum inſignibus utuntur, ut navigationem evitent, & publica onera ſubterfugiant.*

9. Pri-

9. *Privati poſſunt cogi naves ſuas accommodare fiſco. Datur facultas à ſolo Principe armandi navigia.*
10. *Agricolæ compelli poſſunt equos ſuos & currus præſtare ad vehenda victualia. Item Forenſes ſoluta mercede.*
11. *An teneatur Princeps damnum ſarcire ruſticis, & nautis, qui currus & naves amittunt, dum annonam vehunt ad exercitum.*
12. *Non tenetur Princeps ſarcire damnum conductori vectigalium.*
13. *Caſus fortuitus & bellum, non tribuit remiſſionem penſionis, commercio non prohibito.*
14. *Commercio à Principe impedito, ſolum fit remiſſio penſionis conductori, non etiam ei præſtatur intereſſe.*

1 NAvicularij navibus propriis vel conductis, tranſvehere tenebantur annonam & alias ſpecies; item arma & milites ad exercitum, vel urbem, quia vero ſæpe aut navium numerus deficiebat, aut domini navium ſe tranſvectioni ſpecierum ſubtrahebant, ideo permiſſum hoc Tit. naves omnes occupare, ſi frumenti inopia Reſpublica laboraret. Itaque privatis naves habere, & navigia exercere fuit permiſſum, dummodo id fieret ſine fraude Reipublicæ. *l.* 1 *h.t.* * Exceptis Senatoribus, quibus inter-
2 dicit lex Julia naves habere, & eas ædificare Præſidibus, in provincia quam adminiſtrant, *l.* 46. §. 2. *ff. de jur. fiſci, & l.* 3. *ff. de vacat. & excuſ. mun.* Quæ lex primo lata à Q. Claudio Tribuno plebis, referente Livio *l.* 31. Ne Senator maritimam navem quæ pluſquam trecentarum amphorarum eſſet, haberet, nam ſatis eam advehendis ex agris fructibus viſum fuit, cum quæſtus omnis alius indecorus patribus viſus eſſet. Patricius *lib.* 3. *De Republ. titul.* 3. ſcribit prohibitum fuiſſe ne Senatores navigarent, & mercimonia exercerent in provinciis cum provincialibus. Quæ prohibitio etiã obtinet Conſtitutionibus Hiſpaniæ, quas refert Bobadilla *lib.* 2 *polit. cap.* 12. *n.*
3 36. Et limitat multis caſibus. * Verum civili interdictioni derogatum fuiſſe puto, tempore Imperatorum, ut indicat *dict. l.* 1. ubi Arcadius & Honorius Impp. inquiunt *privatos quoſque non prohibemus habere navigia,* quibus verbis Senatores, & alij in dignitate conſtituti videntur comprehendi. Verum licet privatos naves habere Impp. non prohibeant, ſi tamen affixis potentiorum titulis & nominibus, naves proprias præbere recuſaverint, ut publicas neceſſitates evitent, naves ipſæ publicantur; ſecus ſi non domini eas tentaverint excuſare, quia tunc his non nocet, nec naves publicantur, coguntur tamen earum indemnitatem fiſco præſtare, ut vult Gloſſa *in l.* 2 *h. t.* & quod obſervat Mornacius *ad l. un. C. qui potent nomine titul.*
4 Cum igitur omnes in commune, ſi neceſſitas exegerit, conveniat utilitatibus publicis obedire, & ſubvectionem celebrare, *ut ait d. l.* 1. nullæ naves etiamſi veteranorum, aut perſonarum in dignitate poſitarum ſint, aut Eccleſiæ, excuſantur, ſi ultra duo millia modiorum capiant, *l.* 2. *h.t.* quo facit *l.* 10. *ſupr. De ſacroſ. Eccleſ.* & Theodoſij & Valent. *Novell.* 15. *de navibus ultra duorum millium modiorum capacitatem non excuſandis.*

Cæteræ autem naves quæ minus capiunt ad 5
tranſvehendum, non cogebantur de quibus Anton. Auguſt. *lib.* 2. *emendat. cap.* 11. *num.* 10. Pertinet inquit Ulpianus ad ſummam Reipublicæ utilitatem uſus & exercitium navium, *l.* 1. §. 20. *ff. de exerc. act.* Et ideo non valet reſcriptum quo uſus iſte impeditur, aut privilegium conceditur navium dominis ſe excuſandi à fœlici Embola, ſic dicta ab injecto nimirum ſeu impoſito navibus frumento, ſive à tranſvectione publicæ annonæ, neceſſitatis tempore, *dict. l.* 2. *hoc tit.* ibi Cujacius, & plura alibi Briſſonius de fœlici Embola explanavit. Quæ fuerit publicarum ſpecierum & annonarum tranſvectio quotannis delata, ait Aurelius Victor. *Auguſto imperante ex Ægypto, urbi ducenties centena millia frumenti inferebatur*; ſcilicet modiorum. Itali viginti millia vocant. * Si tamen motu pro- 6
prio Princeps aliquem eximeret ab annonaria tranſvectione, & ſumptu, qui pro ea in communi confertur, non debet is cui hæc immunitas eſt conceſſa, eam aliis communicare, & ſub tutela ſui nominis alium eximere. Etenim quod contra rationem juris alicui ſpecialiter eſt indultum, non oportet producere, aut aliis concedere, *l.* 14. *& ſeqq. ff. De legib.* Facile enim communicando privilegium non privilegiatis, illud amitteret.

Unde notabili correctione puniendos cenſet 7
ſtudioſos Petr. Peckius *ad d. l.* 1. qui cum in Academiis immunes ſint, interpoſito ſuo nomine, aliis non privilegiatis, vina aliave procurant, ut fiſcum ſuis juribus defraudent. Perinde hic damnatur & punitur fraus eorum, qui pecunia corrumpunt, aut blandis verbis inducunt privilegiatos, ut perſonam ſuam interponant emptioni, & immunitate furtive utuntur. * Non minus impro- 8
batur & coercetur illorum temeritas, ſive nautæ ſint ſive mercatores; qui potentiorum inſignia & titulos ſuis navibus affigunt, ad evitandam profectionem, vel jam ſuſceptam, ad ſubterfugienda onera publica: ut merito præter pœnam hic decretam, eam ſuſtineant ſi merces ablatæ aut deteriores factæ fuerint, quod dominis mercium damnum ſarcire teneantur, *l.* 27. §. *fin.* ibi, *illicitis inſignibus uſus ff. de falſis.* Non enim debet incivilis nautæ audacia, & culpa obeſſe dominis mercium. *DD. ad l.* 3. *Cod. de naut. fœnore.* Stracha *de nautis part.* 3. *num.* 23.

Ad

9 Ad mores noſtros quoque facit, privatos qui naves habent, ea eſſe conditione, ut neceſſarium fiſco auxilium præſtare teneantur, neque principali reſcripto liberentur. Hinc in dies obſervamus ſiſti naves, quorumcumque ſubditorum, & in bellicas Principis neceſſitates trahi, una cum naucleris & nautis: Itemque naves bellicas inſtrui, & armari à privatis juſſu Principis, ut mare ejuſque littora à piratis & hoſtibus tuta ſint.

10 Porrò ex altera hujus tituli conſtitutione receptum eſt, hodie poſſe compelli agricolas, & cæteros cives, ut equos ſuos, currus & naves accommodent ad vehendam annonam, & reliquas victûs ſpecies, in urbem, etiam diebus feriatis & tempore agriculturæ, quoniam annonæ proviſio eſt magis privilegiata, & neceſſitas publica ceſſare cogit omne privilegium. Quo fit ut non tantum incolæ, ſed etiam advenæ compelli poſſint equos, & currus ſuos ſubminiſtrare, ad annonam vehendam, etiam ad exercitum, aut ad loca periculoſa, & infecta. Ripa *de peſte tit. de remed. praſerv. numer.* 113. *&* 190; *& ſeqq.* Quod intellige erogata illis mercede, nam quod quibuſdam videtur incolas teneri miniſteria exhibere proprio ſumptu, id tunc obtinet, quando Princeps non habet media, & imminet neceſſitas quæ jus ordinarium ſolvit. *DD. in l.* 11. *ſupr. De ſacroſ. Eccleſ.* Rebuff. *ad h. t.* & Lucas de Penna, & citati à Maſtrillo *lib.* 3. *de Magiſt. cap.* 10. *n.* 29. *& ſeqq.*

11 Quod ſi ruſtici, vel cives, naves, vel currus ſuos amittant, cum annonam deferunt ad exercitum? Sunt qui putant Rempubl. aut Principem teneri id damnum ſarcire, quoties de publica utilitate agitur. At verius Principem non teneri ubi certa mercede, naves aut currus ſuos illi locarunt; quoniam tenentur ſatisfacere conventioni ex lege ſibi impoſita, & damnum æquo animo ferre, ſi quod eveniat fortuitò, ut obtineat regula, quæ vult rem domino perire. Lucas de Penna *ad l.* 2. *h. t. in fin.*

12 Ex quo profluxit, quod non teneatur Princeps ſarcire damnum mercatoribus in mari illatum, nam quamvis obligetur liberum & tutum reddere maris uſum, *l. un. infr. De littor. cuſt.* vix tamen poteſt tam immenſum ſpatium tueri ab incurſu hoſtili, & avertere quæ caſu fortuito contingunt. Hinc quæritur an impedita navigatione à piratis, excuſetur vectigalium conductor à præſtatione penſionis conventæ? Reſpondeo non excuſari, quandoquidem hic conductor, prout etiam locator equorum ad uſum exercitus, ſoleant dum contrahunt renuntiare caſibus fortuitis, & in ſe ſuſcipere omne periculum, ita ut Princeps immunis reddatur, maxime ſi tempore contractus, iſti caſus prævideri potuerint, ut quia jam bellum erat, aut imminebat cum

13 hoſte. * Debet enim ſibi imputare conductor quod non providerit ſibi etiam in caſum inſolitum. Ita in ſimili facti ſpecie rejectum à petitione ſua conductorem dicit Larrea, fiſci patronus *allegat. fiſcal.* 19. Qui propter maris periculum, & piraticam quam hoſtes noſtri Regis exercent, remiſſionem penſionis petebat, cum ſolum excepiſſet illum caſum, quo impedimentum univerſale eveniret navigationi. Igitur particulare impedimentum piratarum, & incurſus hoſtium, non eximit conductorem ab obligatione præſtandi penſionem, maxime cum non renuntiaverit contractui, ſed ſpe lucri in eo permanſerit; eò ſpectat quod notavit Menochius *conſil.* 671. *numer.* 6. Commercio non prohibito à Principe cum hoſte, negotiatorem ſi damnum ſuſtineat, vel caſu in hoſtes incidat, ſuæ temeritati adſcribere debere, cum bellum non omnino tollat lucrum, imo ſæpe illud augeat, quod non contingit ſublato commercio.

Contrà vero ſi Princeps impediret commercium 14
earum rerum quarum vectigal conductum eſt, aut quid faceret, diminutis vectigalibus, quo aperte conductionis pretium diminueretur, non eſt dubium quin teneatur penſionem, aut ejus partem remittere: non item debet præſtare ſumptus quos ſe feciſſe allegat conductor pro vectigalium conductione, aut intereſſe, ob lucrum quod facere omiſit, quia ſolum ad ſumptus & intereſſe tenetur locator, quando eſt in mora & culpa, ut quia ante finitum tempus conductionis prohibet uſum rei locatæ, *l.* 9. *& l.* 15. *& aliis ff. locati.* Hic autem non conſideratur culpa Principis locatoris, ſed publica utilitas, & neceſſitas, quæ ipſum impulit bellum indicere, & commercium prohibere, ex quo ſi minuantur vectigalia, imputare hanc jacturam ſibi debet conductor, qui legem ſcivit, & caſum fortuitum ſuſcepit, ex quo non amplius petere poteſt, quam penſionis remiſſionem, quæ reſpondeat impedimento, ut *dict. l.* 19. *& l.* 33. *ff. locati, & aliis* notavit D. Alexandr. Ludoviſii *deciſ.* 234. & Larrea *allegat.* 20.

TITULUS IV.

Ne quid oneri publico imponatur.

1. *Navicularij portantes publicas ſpecies, non debent recipere privatorum ſarcinas, & ſi privati eas imponant puniuntur.*
2. *Naufragium factum cenſetur propter ſuppoſitum onus; ideo damnum ſuſtinet & caſum præſtat, qui onus impoſuit, vel nauta, qui illud ſuſcepit.*
3. *Excuſatur nauta à damno & caſu, & quando non.*
4. *Non auditur ſi dicat ſe ignorare capacitatem ſuæ navis.*

Ut naves nimium onerare non oportet, ita nec animalia. Corrumpens equum conductitium, æſtimationem præſtat.

1 SIcut enim in fiſcalibus horreis, non niſi fiſcalia frumenta conſtitui oportet *l. 9. ſup. de ſuſcept & arcar.* Ita navibus oneratis publicis ſpeciebus, onus alienum imponi non debet; quia vero id remiſſius obſervabatur, & promiſcue mercatores & alij privati oneri publico ſolebant ſarcinas ſuas imponere, & permiſcere merces alias, quibus naves onerabantur: ideo Impp. Arcadius & Honorius juſſerunt, ne impoſterum aliquis audeat naves onerare, & portitores annonæ publicæ ad ſuſcipiendum ultra onus compellere, alioquin & diſpendio naufragij, & publicæ coërcitionis experietur condemnationem, *l. un. h. t.* id eſt, non tantum fiſco indemnitatem præſtabit, ſed & criminaliter extra ordinem coërcebitur.

2 Unde ſi ex nimio onere naufragium navis paſſa fuerit, vel ut maneret incolumis, factus ſit jactus mercium, quæ navem onerabant, damnum quod inde obvenit, & fortuitum caſum, præſtabit qui onus impoſuit, quoniam ejus culpa caſum præceſſit. Nec diſtinguo, utrum ſit privatus, an nauta, qui accepta mercede onus impoſuit, quia nec privatus debuit onerare navem ſine voluntate naucleri, nec nauclerus onus recipere, cum non habeat jus recipiendi, ſed ſolum tranſvehendi publicas ſpecies, cujus proinde conſenſus nihil faciet ad exoneratio-
3 nem privati. *l. 112. §. 1. ff. de verb oblig.* * Excuſandus tamen nauta qui coactus fuit privati ſarcinam accipere, aut moderatam minoriſve ponderis recepit, ex quo nullum ſuberat naufragij periculum. Joan. de Platea *ad h. l. un.* Contra vero excuſari non poteſt nauta, navem habens multis ſarcinis oneratam, ſi ad portum aliquem veniens, ſpe lucri aliorum mercatorum ſarcinulas navi imponat & plus juſto oneret, adeo enim tenetur, ſi ex hoc novo onere naufragium factum ſit, merceſque perierint, aut deteriores ſint redditæ, ut non audiatur nauta, cum in ipſius arbitrio fuerit navem non ita onerare, & potuerit ab eo provideri ex nimio onere ſubſecuturum fore naufragium, *l. 30. §. 3. l. 31. cum alijs ff. ad l.*
4 *Aquil.* * Non eſt quod ſe ignorare dicat, poſt damnum acceptum, calculum modiationis navis, id eſt, quantæ menſuræ & capacitatis eſſet, *l. 32. C. Theod. de navicul.* Olim enim modiorum numero amplitudo oneris navis menſurabatur, vel ex culeis, ut hodie ex doliis ſeu tonellis. Mandatum proinde navicularіæ functioni obnoxiis, ut naves ad conſuetum & neceſſarium modum ædificarent, ne illum excederent, neve onerarias naves plus juſto onerarent, propter naufragij periculum, quod ex nimio onere factum procul dubio cenſetur, ut inquit Lucas de Penna *in l. un. hoc tit.*

Atque hinc Bartolus argumentum ſumpſit contra eos, qui plus juſto onerant animalia, & equos conducunt ad vecturam, iiſque graviſſima imponunt onera, ut ſi aliquod membrum rumpi, aut equum deteriorem fieri contingat, teneantur Aquilia interdum ex lato ſi ultra conventum pondus oneratus fuerit equus, *l. 27. § 23. ff. ad l. Aquil. & l. 30. §. 2. ff. locati.* Oportet igitur conſuetum modum ſervare, non excedere in navibus & animalibus onerandis, ut enim equus minus oneratus velocius currit, ita etiam navis minus onuſta citius progreditur, minusque obnoxia periculo eſt. Addit Joan. de Platea *in h. l.* conductorem qui equum nimium onerat, flagris & fuſtibus cedit, aut inſolita agitatione debilitat, teneri ad ſolutionem equi, ac damni æſtimationem, quia non niſi calcaribus, & debito modo equus conductitius regendus cogenduſve eſt, *lib. 1. infr. de curſu publ.* Alex. *ad l. ſi ut certo, in pr. ff. commodat.* 5

TITULUS V.

De Naufragiis.

1. *Continuatio Tit. unde dictum naufragium, cenſetur id factum propter ſuppoſitum onus.*
2. *Nauta ex ſola immiſſione tenentur, cur puniantur etiam ſine culpa ſua.*
3. *An ad eos pertineat caſus fortuitus?*
4. *Nauta qui impetu aquarum, aut vi ventorum obruitur, non tenetur de naufragio.*
5. *Producendi ſunt teſtes, & probandus caſus intra annum.*
6. *An* l. 2. *deciſio pertineat ad omnes nautas.*
7. *In judicio de naufragio ſummarie proceditur, teſtes recipiuntur lite non conteſtata, & audiuntur parte non citata.*
8. *Teſtimonia recepta in loco naufragij fidem faciunt, finienda eſt quaſtio intra biennium, ejus dilatio nocet judici.*
9. *Feſtinandum in deciſione hujus cauſa, audiendi ſunt teſtes, qui melius veritatem ſcire poſſunt.*
10. *Submerſis omnibus an uni teſti, qui fortuito emerſit, fides ſit adhibenda?*
11. *Per quos probetur mors naufragorum?*
12. *Quando nautis de naufragio deponentibus non ſint credendum, ſed vectoribus.*
13. *Magiſter navis præſtare debet omne damnum naufragio incurſum, ſi ipſe aut ejus nauta in culpa ſint.*
14. *Quid ſi proteſtetur ſe nolle periculum præſtare?*
15. *Inquiri ſolet de navi ſubmerſa, adverſus nautam.*
16. *Tributa ſoluta ſi caſu perierint, non debentur iterum.*
17. *Si aliqua ſpecies perierint, & culpa id acciderit, omnes qui ſunt de corpore naviculariorum tenentur.*

18. *An etiam nunc nautæ ex delicto ſuo noceant collegio nautarum?*

19. *Intellectus* l. ult. hujus t. & l. 5. infra de fabricenſib.

20. *Quiſque ex facto ſuo tenetur, nec unus civis pro alio convenitur, aut moleſtari poteſt.*

21. *Spoliati, an poſſint eos quorum bona ſalva ſunt, convenire, ut pro rata fiat diviſio? Qua pœna puniantur piratæ, qui primi navigationem hyberno tempore agitarunt?*

22. *De contractu aſſecurationis, qui frequens eſt in locis maritimis, & periculum mercium ſuſcipitur.*

23. *Quid ſi tempore quo celebrabatur contractus, navis ſeu merces jam deperdita erant?*

24. *Ob naufragij periculum ſi jactus mercium fiat, ut ſarciatur à nautis & vectoribus.*

25. *Pro rata portionis facienda eſt contributio, tam pro rebus æſtimatis quæ perierunt, quam pro ſalvis.*

26. *Merces quæ levandæ navis cauſa, in mare projiciuntur, dominorum manent, nec fiunt apprehendentis, nec uſucapiuntur.*

27. *Non poteſt fiſcus bona naufraga, tanquam vacantia occupare, abrogato jure veteri, quo id licebat.*

28. *Non valet conſuetudo in contrarium, ſed licet privato naufragium ſuum impune colligere. Datur ſalarium urinatoribus.*

29. *Hodie bona ſervantur dominis, ſi intra annum compareant, poſt annum acquiruntur fiſco.*

30. *Qua pœna puniantur ſurripientes bona naufraga?*

31. *Improbatur conſuetudo quæ iſta bona concedit dominis locorum, ex quibus nec vectigal debetur.*

32. *Navis & bona ad littus ejecta, ſi ſint infidelium hoſtium, efficiuntur capientium.*

QUoniam navicularij propter aliena onera,
1 quandoque patiuntur naufragium, ideo de eo
hic ſubjicitur, diciturque naufragium quaſi navis
fragium, id eſt, navis fractura, ſæpe enim illa frangitur
dum naufragium patitur, ut hic Accurſius obſervat.
Ac illud plerumque accidit propter impoſitum
onus, ut dictum *tit. ſuperiore.* unde ad illum
qui privatum onus navi publica annona oneratæ
impoſuit, naufragij periculum pertinet, non ad
navicularium, qui compulſus fuit onus accipere, &
oblatam mercedem rejecit.

Eſt quidem ſingulari jure receptum, & in merum
2 odium naviculariorum & nautarum conſtitutum,
quod illi ex ſola immiſſione rerum etiam expreſſe
non aſſignatarum teneantur, cenſeanturque ipſo
facto (dum patiuntur res in navem imponi) cuſtodiam
rerum recipere, & ſalvas fore promittere
l. 1. §. ult, & l. ſeq. ff. naut, caup. ſtab. At vero naufragij
periculum, aut piratarum vim non præſtant,
uti nec caupones & ſtabularij vim majorem, &
recte; nam fortuitis caſibus humana infirmitas
reſiſtere non poteſt, *l. 18. ff. commod.* Quod autem
nautæ etiamſi ſine culpa ſua res perierit, aut damnum
datum ſit, puniantur, ratio eſt in edicto Prætoris,
quod contrahendo, & recipiendo res in navem
conſentire videantur, ut illæ res ſalvæ omni reſtituantur:
accedit & alia ratio, quod genus hoc
hominum, ut plurimum impuriſſimum eſſe ſoleat,
quorum improbitatem reprimi, maxime Reipublicæ
interſit, itaque licet in locato conducto culpa
levis, in depoſito dolus dumtaxat præſtetur; in
hoc tamen recepti genere, res quæ periit etiam
abſque culpa reſtituenda eſt, niſi quid damno fatali
contigerit. *l. 3. §. 1. ff. nautæ, caup.* * Cum illud 3
cuivis patrifam. etiam diligentiſſimo poſſit accidere,
niſi tamen ſpeciatim naufragij periculum ſuſceptum
ſit, *juxta l. 6. Cod. De pign. act.* ubi aliàs quæ
fortuitis caſibus accidunt, cum prævideri non poſſint,
à nemine præſtari debent. Caſibus iſtis annumerantur
aquarum impetus, inundationes, & vis
ventorum, *l. 23. ff. De reg. jur.* * Hinc cum quidam 4
nauclerus naufragium feciſſet, obruto navigio in
oſtio fluminis, propterea quod aquarum impetum
ſuſtinere non poſſet, abſolutus fuit à ſenatu
Luſitano, referente Ant. Gamma *in ſuis deciſ.* 154.
quod id magis caſu fortuito, quam culpa naucleri
accidiſſet, ſiquidem viam ſolitam elegerat, & ab
aliis frequentatam. Itaque ut ille qui vi ventorum
& fluctuum navem ſuam in aliam impegerit &
obruerit, non tenetur de damno, *l. 29. §. 3. ff. ad
l. Aquil.* ita & qui altitudine & impetu aquarum
obruitur, nihil eſt quod ejus culpæ imputari queat,
dummodo caſum legitimè probet. Santerna *De
ſponſ. mercat. p. 3.* *Nam quiſquis navigat ſemper naufragio
propinquus eſt, eoque magis quo audacius navigat.*
Nazianz. *orat. 27.*

Quam ob rem navicularius qui naufragium ſe 5
paſſum affirmat, judicem illius loci in quo naufragium
factum eſſe dicetur, adire debet, & apud eum
id probare per teſtes, intra annum, *l. 2. h. t.* quo facto,
probatoque naufragio, quodque non ejus aut
nautarum culpa factum fuerit, ſed fortuito caſu,
dominum petentem merces, innocuæ amiſſionis
exceptione repellet. *l. fin. ff. ad l. Rhodiam.* * Lo- 6
quitur *d. l. 2.* de nautis qui publicas ſpecies vehunt,
ut non videatur ad alios extendenda ejus deciſio,
ſiquidem major exactiorque probationis exactio
requiratur in cauſa publica, quæ negligentius peragitur,
& ſæpe improbi nautæ vendita cum rebus
publicis nave, neſcio quale naufragium proponant.
In cæteris vero nautis non videtur defenſionis
auxilium conſtringi debere. Quo fit ut privatis
exceptiones & defenſiones perpetuo competant,
l. 5. in fin. ff. De doli except. nec illis præſcriptum
anni tempus ad probandam amiſſionem
mercium, prout fiſci ſuſceptoribus & naviculariis,

Digitized by Google

tis, niſi tamen, ut hic monet Peckius, velint privati nautæ ob merces ſuas illicitè ejectas & raptas, agere intra annum ad quadruplum. Igitur quod Bartolus hoc loco concludit, mercatorem, qui in ſe ſuſcepit mercium periculum, debere nuntiare intra annum damnum quod propter naufragium paſſus eſt, alioquin poſt annum non audiri, id alij rectè improbarunt, quia ut dictum *l. 2.* loquitur de nautis vel mercatoribus, qui ſpecies à fiſco ſuſceperunt. Angel. *ibi.* Rebuffus *De mercat. art. ult. gl. un. n. 19.* Straccha *De contract. mercat.* Tulden. *tit. C. De commod. num. 4.*

7 Porro in hoc judicio de naufragio multa ſingularia occurrunt; I. quod levato velo de caſu adverſo cognoſcatur, adeaturque judex loci, ubi naufragium factum eſſe dicitur, *l. 5. h. t.* II. quod depoſitiones teſtium quæ aliàs lite conteſtata recipiuntur, hic etiam ante conteſtationem recipiantur, audianturque teſtes ad perpetuam rei memoriam. *d. l. 2.* III. quod ad teſtium examen procedatur, etiam parte non citata, contra *l. 47. ff. De re jud.* quantumvis de ejus præjudicio hic maxime agatur. Bart. *ad d. l. 2.* Capella Thol. *deciſ.* 448. Maranta *De ord. judic. p. 4. diſt. 6. num. 71. & p. 6.*
8 *tit. De inquiſ. num. 146.* * IV. quod teſtimonia in loco naufragij ſummariè recepta, fidem faciant coram judice competenti, qualis eſt Præfectus prætorio, Præfectus urbi, annonæ Præſes, hodie Almiraldus ejuſque aſſeſſores, ad quos inſtructa cauſa & teſtimonia deferuntur, ut iis cognitis & virtute relevata, quæſtio de naufragio finem accipiat intra annum, *d. l. 2.* At ſi non ſummariè, ſed libello exhibito, liteque cum adverſario conteſtata, judicium ſuſcipiatur, protrahitur definitio cauſæ ad biennium, intra quod ſi per judicem ſteterit, quo minus quæſtio finem accipiat; & hoc tempus fuerit elapſum, præjudicium nocet judici, adeo ut à naviculario periculum transferatur in ipſum judicem, & ejus officiales, *l. 5. h. t.* Sic ut naviculario ab obſervatione judicij abſoluto, judex propter neglectam vel denegatam juſtitiam puniatur, refertione medietatis damni actoris, & alia medietate ejus officiales, qui ſæpius debebant monere judicem, ut cauſam præſcripto biennij tempore definiret.

9 Eſt enim durum afflictionem addere afflictis, & luctuoſum naufragos & in aliam regionem ejectos prolixa lite detinere; quare judex in cognitione, & deciſione cauſæ naufragij feſtinabit, teſtes audiet, ac eorum teſtimonia recipiet, in quorum notitiam id de quo quæritur, facilius venire potuit. Igitur cum naufragij originem, rerum ſuſceptarum qualitatem, & ſi quæ ſint ſimilia, nemo melius ſcire potuerit, quam nauta qui res vehendas ſuſcepit, ejus potiſſimum teſtimonium valet, ſi ſuper amiſſarum rerum qualitate controverſia moveatur. Quin & magiſtri navis teſtimonium prævalet, cum quo contractum inire ſolent, qui in remotas regiones merces avehere nituntur. Atque ideo hunc magiſtrum, cui eſt ſcientia plenior, cenſet Imp. diligentius eſſe interrogandum. *l. 3. h. t.* ubi addit, nautis magiſtriſque deficientibus, & omnibus naufragio peremptis, inquiſitionem tranſire ad alios, puta ad nautarum liberos, ut hi referant ſi quas viderint inferri merces in navem, & ſi quid intellexerint de parentis interitu, quem præſumi facit diuturnitas temporis, cum aliàs aſſueviſſet parens certo & conſueto tempore redire.

Quid ſi ſubmerſa navi, ſubmerſiſque omnibus 10
quæ in ea erant, unus ſolus fortuito emerſerit? Quamvis hujus teſtimonium de naufragio, quia unicum & ſingulare, ſufficientem probationem inducere per ſe non videatur, *l. 9. §. 1. C. de teſtib.* adjunctis tamen aliis adminiculis, quæ partim ex evidentia rei, partim ex fama vicini loci deprehenduntur, huic teſti etiam ſoli plenam fidem adhibendam eſſe exiſtimo; nam licet ſit unicus, à judicis auctoritate pendet concurrentibus aliis adminiculis, & conjecturis ei fidem adhibere, *l. 3. §. 2. ff. de teſtib.* præſertim cum de facto proprio deponit; prout hic de naufragio quod paſſus eſt, cujus probatio ſecum trahit probationem eventus hujus periculi. Joan. Wameſ. *conſ. 24. cent. 4. ad jus civile, & nos ſup. de teſtib. num. 17.* * Fateor unius teſtimo- 11
nium in quacumque cauſa non facilè admitti. *d. l. 9. §. 1.* ſed in hoc lugubri & funeſto caſu, ubi omnes tempeſtatis violentia obruti ſunt, audiendus ſaltem erit is, qui emerſit, etiam inidoneus, & quicumque de jure à teſtimonio removetur, *l. 6. C. de teſtib.* Unde quod obruta vel ſubmerſa fluctibus navi, magiſter & nautæ qui ſuperſunt audiantur, *l. 3. hoc tit.* hoc ideo puto, quia plerumque notitiam habent potiorem eorum quos vehendos ſuſcipiunt, & certius referre poſſunt de eorum interitu, tum quia non alia ſe offert probationis facultas, vel occaſio. Straccha *Deciſ. Genua 36. num. 5.*

Contra ſi ex vectoribus aliqui emerſerint, aut ex 12
littore plures periculum obſervaverint, hi potius audiendi ſunt, rejiciendique nautæ & ſocij, ſi modo adverſus eos probare poſſint, nullum tempeſtatis periculum fuiſſe, neque ullam aliam fatalem calamitatem contigiſſe, qua navis obruta eſt, ſed culpa & vafricie ipſius magiſtri, intempeſtivo tempore navigando, *d. l. 3. in fin.* & derelicto recto curſu, deflectendo, navem in terram adactam eſſe. * Quod ubi probatum fuerit, condemnabitur navicularius præſtare omne damnum quod ex mercibus & aliis rebus amiſſis obvenit, ob ſuam culpam & malam fidem, nec revelabitur ſi dicat id eveniſſe culpâ nautarum, quia æque magiſter reus eſt, quod opera malorum hominum fuerit uſus, quo-

Digitized by Google

rum fidem & induſtriam rei nauticæ non prius exploraverit, *l. fin. §. hac autem actione ff. nautæ, caup. ſtab.* Sic & ſi merces in aliam navem minus idoneam tranſtulerit, tenebitur damnum præſtare, ſi navis perierit, & invito domino navigaverit, *l. 13. §. 1. ff. locati.* Arguit hic textus temeritatem navicularij, atque adeo imperitiam innoxiam ei eſſe non oportere. Quin & ex quaſi maleficio eum teneri viſum eſt, ſi ab illis quorum opera utitur damnum datum eſt vectoribus intra navem, non extra, nec etiam de damno dato ab ipſis vectoribus, *l. 6. §. in factum. ff. d. tit. & l. 1. ff. furti adverſus navig.* Quæ leges hoc in caſu intelligendæ ſunt, ne alias adverſentur, *l. 1. & l. 2. in fin. ff. naut. caup.*

14 At vero ita demum tenetur dominus navis, niſi prædixerit ut unuſquiſque vectorum res ſuas ſibi ſervaret, ſe periculum cuſtodiamque rerum non recepturum, neque præſtaturum damnum, & vectores huic proteſtationi conſenſerint. *d. l. fin. in princ.* videntur etiam conſenſiſſe, ſi res ſuas in navi reliquerint, aut non in aliquo facto diſſenſum indicaverint. Præterea cum nullum jus quæſitum ſit vectoribus, antequam in navem ſuſcepti ſint, in ipſa ſuſceptione, facta proteſtatio navis dominum à periculo rerum liberat; eſſet enim contra rationem cogi eum, & perſonas & res ſuſcipere invitum, ut teſtatur Ulpianus, cum in ipſius arbitrio ſit, ne quem recipiat *l. 1. ff. nautæ, caup.* Sed ubi recepit, proteſtatio poſt receptionem facta non relevabit proteſtantem. Bart. *in d. l. fin.* Straccha *de nautis p. 3.* ubi caſus varios recenſet, qui culpę nautæ adſcribuntur.

15 Solet autem judex inquirere de navi ſubmerſa, ſeu in ſcopulos illiſa, culpa nautarum, quamvis contra eos nulla aliquorum hominum fama exiſtat, quaſi ſufficiens oriatur ſuſpicio ex voce populi, *d. l. 3. h. t.* Quemadmodum fit inquiſitio de domino occiſo contra ſervos, ſi reperiatur mortuus, & neſciatur auctor *juxta l. 1. ff. ad S.C. Silanianum.* Navar. *in rubr. de judiciis, num. 95.*

16 Interdum fiſcus periculum naufragij ſolus agnoſcit, non collatores qui ſemel ſuo munere functi ſunt, annona præſtita & navi impoſita, *l. 4. h. t.* Quo fit ut hodie qui fiſcalia tributa præſtare tenentur, ſive Senatores ſive privati ſint, ſi illa jam ſolverint, & in navem illata, naufragio aut alio caſu perierint, non cogantur iterum ſolvere, ſiquidem culpa ipſis imputari nequeat.

17 Quod ſi autem culpa naviculariorum, ex annona publica, vel ex ſumma tributorum navibus impoſita, aliquid deperierit, non ad fiſcum, neque ad collatores, ſed ad eos qui de corpore, & collegio ſunt naviculariorum pro rato periculum pertinet, *l. ult. h. t.* Idem de fabricenſibus reſcriptum *in l. 5. infr. tit. 9.* ut quod ab uno committitur, id totius numeri periculo delinquatur, ea ratione ut conſtricti nominationibus, ſuis ſociorum ſuorum actibus quandam veluti ſpeculam gerant, & ſic unius damnum ad omnium tranſeat diſpendium. Itaque æquiſſime ſtatutum & maxime in naviculariis, cum altero ex eis demortuo, huic naviculariorum corpus ſuccedat, & fiſcum in ſucceſſione ab inteſtato deficientibus liberis, promiſcue ſucceſſoribus, excludat, *l. 1. ſup. De hered. decur.* ita ut incommodum, quod ex eo corpus habet quod fiſco pro damnis ac detrimentis retineatur obnoxium, penſetur ſolatio ſucceſſionis. Nec mirum videri debet onus & periculum ad univerſum naviculariorum corpus tranſire, etiam dum vivit is navicularius qui culpam commiſit, cum ſalva & libera adverſus eum maneat collegio actio. Luc. de Penna & Joan. de Platea *ad d. l. ult.*

Hinc quæritur an commune periculum, quod 18
hic à naviculariorum corpore præſtatur, transferatur ad omnes nautas, omniaque naviculariorum collegia, quæ per civitates paſſim habentur, atque ad omnis generis merces? verius eſt utramque conſtitutionem, *l. ult. h. t. & d. l. 5. De fabricenſ.* non eſſe generalem, ſed conſtringi atque concludi loco & cauſa, ſic ut tantum obtineat utraque conſtitutio ſuo caſu. De fabricenſibus quidem in collegiis fabricenſium, non quæ paſſim in ſingulis civitatibus & municipiis, ut & aliorum artificiorum habentur, ſed quæ armis publicis conficiendis addicta ſunt, *d. l. 5.* * Similiter conſtitutio ul- 19
tima *h. t.* reſtringenda ad navicularios Orientis, ut ſi eorum culpa, navigandi opportunitate tranſacta, ex annona quæ deferebatur in Italiam & urbem aliquid tempeſtate maris deperierit, hęc jactura à toto collegio reſarciatur, quia hoc collegium periculo ſuo fiſcales ſpecies ſuſceperat deportandas, *l. 4. & 7. ff. De navicul.* non qualvis alias privatorum merces, & quod de annona ſoliſque ſpeciebus publicis, quæ ad uſum Reipublicæ Romanæ comparantur, & tranſvehuntur, conſtitutio intelligenda ſit, indicat id quod ibidem de calculo modiationis proponitur. Accurſ. & Cujac. *ad l. ult.* Quare cum utraque conſtitutio, contra tenorem rationis propter utilitatem publicam, auctoritate conſtituentium ſit introducta, *l. 14. cum ſeqq. ff. De legib.* concludenda erit intra ſuos terminos, non extendenda ad corpus, quod hodie conſtituunt nautæ in municipiis, ſiquidem illud magis utilitatem privatorū reſpiciat, & deſerviat tranſvehendis cujuſcumque generis mercibus. Facit etiam quod inter noſtros nautas nullo caſu ſit jus ſucceſſionis, ut proinde ceſſante cauſa juris ſcripti in caſu ſpeciali, illius quoque diſpoſitio non obtineat. * Sed 2
firma maneat regula quod qui commodum ſentiunt privatim elocando operas ſuas, periculum quoque ſuſtineant, ſi ſua culpa naufragium fecerint;

Digitized by Google

ſint; eſſet enim alias grave & æquitati contrarium ex alterius facto, aut obligatione, alium teneri, aut conveniri, aut ad ſolutionem alieni debiti urgeri, *l. pen. & ult. Cod. ne uxor pro mar.* adeo ut nec via actionis, nec jure pignorationis unus civis pro alio, unus vicanus pro alio homine ejuſdem vici, moleſtari debeat, *l. 1. Cod. ut nullus ex vicanis.* & per conſequens nec magiſtratus Reip. vel collegij, nomine collegiatorum; quod fuſius oſtendit Joan. Wameſius *cent. 4. conſ. 26. & ſeq. ad jus civile.* & ante ipſum Leoninus *conſ. 17.* quem ſequitur Chriſtinæus *ad h. l. ult. per tot. deciſ. 66. vol. 5.*

21 Quod ſi contingat merces aliquas à piratis abripi, quaſdam vero ſalvas ad portum pervenire, induſtria nautæ; non poſſunt hi qui rebus ſuis ſunt ſpoliati, convenire eos quorum merces ſunt ſalvæ, ut eas pro rata dividant & in contributionem veniant, quia non eſt ratio ut commune periculum ſubeant, qui de eo non convenerunt, *l. 2. ff. ad l. Rhod.* ibi Paulus de Caſtro, & Mornatius *ad h. l.* dicit judicatum fuiſſe collationi locum non eſſe, ſed quidquid mercium piratæ abſtulerunt, perire illud ſolis earum dominis. Solent ubi capiuntur prædones & maritimi iſti venatores cogi in ſolidum reſtituere quæ rapuerunt, fide facta ab exercitore, aut navis magiſtro, ex ſolis ſuarum rationum libris: Item damnari ultimo ſupplicio; cùm maria quæ libera eſſe debent, infeſtent, graviſſimaque nautis & aliis damna inferant. *Pirata*, inquit Plinius, *primum coëgero mortis periculo, in mortem ruere & hyberna experiri maria, nunc idem avaritia coëgit, lib. 2. cap. 47.* Nam avara mens, opum gratia vitam negligit, & pauper vivit, ut dives moriatur.

22 Quoniam vero in locis maritimis ſæpe ſolent aliqui inſolita pericula ſuſcipere, & tempore quo mare piratæ infeſtant, inire contractum aſſecurationis, de eo proinde aliquid dicamus. Imprimis obſervare convenit, quod is qui ab initio, tempore quo navis navigatura erat, aut portu exitura, mercium periculum ſuſcepit, & merces aſſecuravit, teneatur damnum incurſum præſtare, quamvis merces negligentia aut culpa naucleri perierint, aut navis ſpoliata fuerit à piratis, qui maria quotidie infeſtant. Eſt enim contractus aſſecurationis uſu receptus, bonæ fidei, nam accedit contractui emptionis & venditionis, quia fit certo pretio convento, quo æſtimantur merces poſtea ſolvendæ, videtur enim is qui aſſecurationem facit, quaſi eventum periculi emere, *l. 5. ff. de nautico fænore l. 12. ff. de act. empti.* quod ſi autem merces nullæ erant, navi impoſitæ, nullus eſt contractus, nulla aſſecuratio, nam deficiente materia præexiſtentis contractus, corruit conſenſus contrahentium, cum non ſit aliquid in quo conſiſtat. *inſtit. de inutil. ſtip. in pr.* Quod ſi merces ſint impoſitæ navi, quarum æſtimatio non excedit mille, & contractus aſſecurationis fiat in duplum iſtius pretij, non ſubſiſtet niſi in mille. Gamma *deciſ. Luſit. 181.*

At quid ſi tempore hujus contractus, jam merces 23
erant direptæ, aut navis ſubmerſa, an ſuſceptor periculi teneatur? & ſane, ſi aſſecuratus ſpoliatas aut deperditas merces eſſe ignorabat, omnino ſubſiſtit aſſecuratio, cùm quia ſuſcepta de omni periculo, etiam præterito, quodque forte jam contingit; tum quia nullo dolo, aut fraude cenſetur inita: maxime quando periculum quod ſuſcipitur eſt diurni temporis & remoti itineris; quod nullo modo ſciri poteſt, quando damni caſus accidet: licet tacite cogitare potuerint contrahentes, accidiſſe. Dico, ſi ignorabat, nam ſi ſciebat aſſecuratus navem jam eſſe naufragium paſſam, non valet contractus ab initio, cùm in eo ſubſit dolus, ex quo non debet lucrum capere, *l. 1. ff. de dolo.* & videtur non diſſimilis ei qui ſcit edictum exiturum ſuper taxatione frumenti, & properavit ſua grana vendere carius, emptore non monito, in quem proinde tanquam ſtellionatus criminis reum animadverti ſolet, *l. 3. in fin. ff. de crim. ſtell.* latius hac de re Santerna *de aſſecurat. mercat.* & Valaſcus *conſ. 64.* quo pretio præmiove merces aſſecurare poſſint edicta Principum præſcribunt, quæ examinat Grotius *Iſagoge jur. Hollandia l. 3. p. 24.*

Sed unde digreſſi, redeamus. Etenim ſæpe con- 24
tingit, ut orta in mari tempeſtate, navis adverſus vim fluctuum erigere ſe non poſſit, & neceſſario ſit ſubmergenda, niſi exoneretur jactu mercium, recte ideo cautum *l. Rhodia*, ne dominus navis hoc damnum ſolus ſubeat, ſed omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt, *l. 1. ff. ad l. Rhod.* Igitur laborante nave, ob nimium onus; ſi jactus factus eſt, amiſſarum mercium domini, ex conducto cum magiſtro navis actionem habent; is deinde cum reliquis quorum merces ſalvæ ſunt, ex locato, ut detrimentum pro portione communicetur, agere poterit, ſiquidem non levi ſed juſto metu jacturam fecerit, aliàs contributio non præſtatur. Quare priuſquam jactus mercium fiat, à magiſtro proponi debet vectoribus commune & ingruens periculum. Commodius tamen erit merces, ſi quas ibi vectores habent, retinere, donec damni portionem præſtiterint *l. 2. §. 1. d. t.* ubi notant Interpretes locationem pro conductione uſurpari, atque ita promiſcue veteres uſos fuiſſe indicat *l. 19. & 20. ff. De act. empti.* æquiſſimum enim eſt commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum, conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſalvas haberent.

Quo fit ut nullo perſonarum reſpectu, omnes 25
quorum intereſt jactum fieri, conferre oporteat: adeo ut etiam navis dominus pro portione obligatus ſit, cum ejus interfuerit navem exonerari, & ſalvam eſſe. Cæterum jacturæ ſummam pro re-

Digitized by Google

rum pretio diſtribui oportet, corporum liberorum excepta æſtimatione, quæ nulla ſit, portio autem pro æſtimatione rerum quæ ſalvæ ſunt & earum quæ amiſſæ ſunt, præſtari ſolet, ita ut in æſtimatione facienda rerum amiſſarum, habeatur ratio damni, non lucri, id eſt, æſtimetur quanti emptæ ſint, non quanti vendi potuiſſent. At in his rebus quarum nomine conferendum eſt, æſtimatio haberi debet, non quanti emptæ ſunt, ſed quanti venire poſſunt, *d. l. 2. §. portio & ſeqq.* quod accipiendum de vera & communi æſtimatione, non de immoderata, quæ per ſtolidum forte emptorem offerri poſſet, *l. 63. ff. ad l. falcid.* ſi autem res quæ remanſerint deteriores factæ ſint, æſtimandæ erunt ſecundùm præſens pretium, ne in contributionem ut meliores veniant, *l. 4. §. cum autem & §. fin. ff. d. t. ad l. Rhod.* ubi late Petr. Peckius & Petrus Greg. Tholoſanus *lib. 29. ſyntagm. cap. 10. & ſeqq.*

26 Ex his notandum vectores & mercatores qui levandæ navis gratia res ſuas in mare projiciunt, non hanc mentem habere, ut eas pro derelicto habeant, ſed ut mortis mariſque periculum effugiant, *l. 8 ff. d. t. & l. 7. ff. pro derelicto. l. 9. §. ult. de acquir. rer. domin.* unde non poteſt quis res iſtas uſucapere, quia non ſunt pro derelictis, ſed pro deperditis, interim quod dominus naufragium colligat, *l. 21. §. 1. ff. De acquir. poſſeſſ.* licet enim quis poſſit uſucapere res pro derelicto habitas, aliud tamen hic eſt, quia non habentur res derelictæ, ſed deperditæ, & ex naufragio expulſæ. Cujacius *ad d. §. 1.* Amaya *lib. 2. obſerv. cap. 7. num. 28.* Igitur qui hujuſmodi res fluctibus expulſas, lucrandi animo abſtulerit, furtum committit: Item quamdiu res ſupernatant, & ſuperſint, non poteſt dici eſſe animus eas derelinquendi, ideoque non fient eorum qui forte dum jaciuntur ſcapha excipiunt, ſed ſunt reſtituendæ domino, *d. l. 2. in fin.* nec obſtat *l. 43. §. 11. ff. De furtis.* ubi dicitur plerumque credendum quod dominus animo derelinquendi jactaverit, cum ſciat res perituras, quia intelligendus §. *iſte* de iis rebus quæ nulla neceſſitate jaciuntur, quo caſu non poteſt ſumi alius animus quàm derelinquendi, ſecus eſt ſi alia cauſa ſubſit.

27 Manent itaque res jactæ dominorum, nec fiunt apprehendentis: ſimiliter navis, & tabulæ quæ poſt naufragium ad littus pervenerunt, dominis aſſervantur, prout & navigantibus bona integra, ſublata penitus locorum conſuetudine contraria. *Auth. navigia ſup. De furtis.* nec enim continuo ſi res in altum jacta eſt, derelicta cenſeri debet, cum non raro inde emergat fluctibus ejecta, *arg. §. ult. inſt. De rerum diviſionibus.* Hinc cum nimis durum eſſet, ut naufragio facto, navis, aut res ad littus expulſa tanquam vacans fiſco acquireretur, & per eum publicanis *l. 9. ff. ad l. Rhod.* placuit Antonino Pio, navem & rem priſtinis dominis ſervari, adeoque fiſcum & publicanos inde arceri. *Quod enim jus,* inquit, *habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur? l. 1. h. t.*

Quamobrem ſi quæ conſuetudo, aut mos marinus huic conſtitutioni adverſetur, nec ſi Rhodia lex ſit, vim obtinet *d. l. 9.* ſed licet unicuique privato naufragium ſuum impune colligere, prout idem Imperator alio loco reſcripſit, *l. 12. De incendio ruina.* Qui quamvis mundi dominum, legibuſque ſolutum ſe eſſe affirmet, patitur tamen legem Rhodiam eſſe maris dominam, ut ſecundum eam de rebus quæ in mari acciderunt judicetur, quatenus tamen nulla lex Romana ei adverſatur, quæ non fert ut fiſcus cum damno ſubditorum præferatur, ſed æqua lance, privato & fiſco juſtitia adminiſtretur. Alciat. *lib. 2. diſpunct. cap. 5.* Joan. Seldenus *De dominio maris lib. 1. cap. 25.* Placuit itidem ſalarium urinatoribus præſtari, per quos merces extractæ ſunt. Hi enim neceſſariam operam nautis præbent, dum ſubtus aquas merces quærunt & ſcrutantur, de quibus Statius *l. 1. Sylv. 3.* 28

Æquioris exportant prædas, & rapta profundo
Naufragia, atque imas avidi ſcrutantur arenas.

& Calliſtratus *in l. 4. §. ſed ſi navis ff. ad l. Rhod.*

Atque ita Carolus V. optimus Imperator fiſco 29
ſuo & privatis conſulere volens, juſtiſſime ſanxit, ut bona naufraga è mari vindicata, nemo auferat, vel occupet, ſed quamprimum nunciet. Queſtori proventuum aut officiario loci, qui ei pro opera digne ſatisfaciat; qui ſecus fecerit, puniatur: ciſtæ clauſæ, onera colligata non referentur, ſed bona inventa ſerventur mercatoribus & dominis, qui ſi intra annum non compareant, & dominium probent, fiſco acquiruntur. Interea tamen ne bona iſta deteriora fiant, ſolent à quæſtore ſubhaſtari, & pretium domino aut fiſco ſervari, illi quidem intra annum venienti, fiſco eo elapſo acquiſitum cenſeri declarat edictum anni 1547. 10. *Decembris,* quod videatur dominus res ſuas deſerere, qui intra iſtud tempus eas non repetit, aut vindicat. Simile ſtatutū ſervari in locis maritimis Galliæ refert Car. le Bret. *De la ſouveraineté du Roy lib. 2. cap. 11.* ut ſi intra annum dominus bona naufraga non repetat, vindicetque ſolutis impenſis recuperationis & ſervationis, illa acquirantur fiſco regio, pro parte dimidia, pro altera domino Admiralio ſeu maris Præfecto: forte ideo quia cura & defenſio maris & fluminum contra vim piratarum, & incurſum hoſtium, ad Principem tanquam dominum pertinet. cujus proinde ſollicitudinem & impenſam æquum eſt penſari aliquo præmio. Idem fere in Hollandiæ locis maritimis obſervari dicit Joan. vander Graeff *in ſyntagm. jur. publ. cap. 48.** Cæterum quæ ſit pœna 30
hoc jure ſtatuta in eos qui res tempeſtate ejectas rapiunt, dictum eſt *ſup. tit. 1. & tit. De furtis, num. 24.*

Digitized by Google

num. 24. Hodie gravior eſſe ſolet animadverſio,& quandoque capitalis referente Petr.Peckio *ad tit. De incend. ruina, naufr.* Quin & jure canonico major eſt excommunicatio, à qua ne quidem Papa retinentes hujuſmodi res abſolvere poteſt, ut tradit Navarrus *conſ. 39. tit. De ſent. excomm. lib.5.* & Gail. *lib.1. obſervat.*18.

31 Improbat conſuetudinem locorum quæ res ob tempeſtatem è navi ejectas, addicit domino loci, cujus eſt flumen, maximè ubi conſtat de domino vero; cum ne quidem vectigal illi debeatur. Hinc notat Bart. & Joan. de Platea *ad l. 1. hoc tit.* Quod navis tempeſtate delata ad aliquem portum, non debeat præſtare vectigal, vigore ſtatuti diſponentis, quod de mercibus delatis illud præſtetur, quia debet intelligi de ſponte delatis, non de ejectis vi aut tempeſtate adverſa.

32 Poſtremo addenda dictis eſt limitatio,niſi navis tempeſtate in littus jactata, ſit infidelium aut hoſtium fidei Catholicæ, adverſus quos juſtum bellum geritur,aut piratarum, qui in mari piraticam exercent, tunc enim tam navis quam merces efficiuntur capientium, prout etiam res mobiles bello captæ, *l.5. §.2. ff. de captivis.* quæ dominis non reſtituuntur. Covar. *ad reg. peccatum p. 2. §. 11.* Tacite enim euntes ad bellum cenſentur eas res quas ſecum ferunt pro derelictis habere,ac multo magis illi,cum quibus nobis nec amicitia, nec fœdus amicitiæ cauſa initum eſt. *d. §. 2.*

TITULUS VI.

De Metallariis, & Metallis, & Procuratoribus Metallorum.

1. *Metalli appellatio quid comprehendat.*
2. *Quid ſint metallarij: Huic conditioni obnoxij, non poſſunt eam deſerere, ulla temporis præſcriptione.*
3. *Corpus ſeu collegium faciebant metallarij, quibus præſiciebantur procuratores ad exigendum canonem, nec ante poterant ſe ſubtrahere.*
4. *Ex quibus provinciis metalla fodiuntur, & ubi procuratores metallorum conſtituebantur.*
5. *An fodinæ ex quibus metalla fodiuntur, ſint juris publici?*
6. *Permiſſum privatis in proprio fundo metalla quærere, ſibique acquirere, & quatenus id liceat fructuario?*
7. *In locis deſertis aurum inventum,inventori cedit.*
8. *Hodie Principes ſibi fodinas inventas reſervant, præſertim auri, quod ſemper in pretio habitum, licet argento uterentur veteres.*
9. *Permiſſum privatis effodere metalla, & aurifodinas eruere, ſic ut fiſco metallicum canonem ſolvant.*
10. *Hic canon diverſus erat pro diverſitate locorum, ac ita conciliantur quæ diverſum præſcribunt.*
11. *Augebatur decima fiſco debita, quæ quandoque domino fundi præſtabatur.*
12. *Reſiduum ſibi reſervabat metallarius, ſub conditione id ipſum debito pretio fiſco offerendi.*
13. *An colonus etiam fructus ex agro conducto perceptos, domino vendere teneatur.*
14. *Neceſſitatis tempore frumentum exteris venditum revocari poteſt à civibus.*
15. *Et ſtatutum fieri ne frumentum extra territorium exportetur.*
16. *Diverſæ ſunt conſtitutiones hodie de fodinis, quæ ſi argenteæ & aureæ ſint, fiſco cedunt, conceſſa parte inventori.*
17. *In Hiſpania acquiruntur Regi venæ cujuſcumque metalli, quovis in loco inveniantur. Item in Germania.in Gallia ſervatur Regi decima.*
18. *An fodinæ repertæ in fundo feudali acquirantur domino feudi!*
19. *An domino invito ejus fundum ingredi liceat, & ibi metalla fodere?*
20. *An permiſſum ſit pretioſos lapides in aliena lapidicina cædere,invito domino?*
21. *Sub ædificiis fodere non licet ob periculum ne ruant, ſed tantum in ſuperficie ſoli.*
22. *Domino nolente in ſuo fundo, ſi ei juſto pretio refuſo, alij metalla eruere velint, quis eorum erit præferendus?*
23. *Quid ſi plures concurrant, nec ab aliquo facta ſit præventio?*
24. *An qui jus fodiendi habet, & venam metallicam invenit, quæ ſubtus fundos vicini excurrit,poſſit eo invito, eam perſequi.*
25. *Vena inventa efficitur inventoris, nec in eam domino fundi jus competit.*

Metalli appellatio latiſſima eſt, comprehendit
enim ſua ſignificatione metallicas ſpecies 1
omnes,& tam rariores quam viliores. Ad rariores pertinet aurum, argentum, æs; ad viliores ferrum, electrum, ſtannum, plumbum. Inter metalla quoque recenſentur ſaxa, marmora, lapidicinæ, *l. 3.*
& 6. h. t. & l. 3. in fin. ff. de reb. eorum qui ſub tut. * 2
Qui vero hujuſmodi metalla, & ſaxorum venas laborioſis effoſſionibus perſequuntur, perquiſitas à viſceribus terræ deducunt,& in materiam lucidam redigunt, metallarij dicuntur *d. l. 3. h. t.* Hiſpanice *Deſcubridores y regiſtradores de minas de oro, plata, y otros metales.* Horum alij ſponte ſua metallorum exercitium ſuſcipiebant, ut ſibi & Reipublicæ, in aliquo ſaltem prodeſſent, *l. 1 h. t.* Alij erant huic conditioni obnoxij, adeoque metallis adſtricti, ut inibi perpetuò ſervire cogerentur, cenſerenturque ex corpore metallariorum cum uxoribus.

Digitized by Google

bus & tota ſobole, & ſi aliò migraſſent ſine ulla temporis præſcriptione, ad propriæ originis ſtirpem, laremque una cum ſua progenie revocabantur, *l ult. hoc tit.* atque fiſco reſtituebantur, etiamſi privatorum facti eſſent adſcriptitij coloni. Dicit nulla præſcriptione temporis adjuvari metallarios, intelligit, præterquam annorum 40. quia generaliter Anaſtaſius definivit perimi quæſtionem omnem præſcriptione 40. annor. *l. 4. 5.*
3 *& 6. ſup. de præſcr. 30. vel 40. ann.* * Origine autem ſua metallarij liberi homines erant; prout hodie ſunt monetarij qui metalla tractant & ſignant, quorum peritia certa eſſe debet & fides, unde & corpus olim faciebant & collegium, cui præficiebantur procuratores metallorum ex ordine & periculo curialium electi, ut per eos metallici canonis fieret exactio, qua necdum fideliter completa, ad aliam dignitatem non conſcendebant, nec procurationem dimittebant ob aliquem ſimulatum
4 metum, *l. 4. h. t.* * Ubi mentio fit trium provinciarum Illyrici tractus, Macedoniæ, Daciæ mediterraneæ, & Myſiæ ſeu Dardaniæ, quæ metalla proferunt, & ex quibus provinciis ſolebant hi procuratores ordinari & deſtinari ad exigendum canonem à metallariis, quem deinde tranſmittebant ad Comitem metallorum in Illyrico commorantem, abundat enim iſta regio metalli fodinis, & ideo ibi frequens metallorum commercium, *l. 7. & 8. C. Th. h. t.* Cujac. *ad d. l. 5.* Atque hæc de metallorum operatoribus, ſequitur de ipſis locis & metalli fodinis.

5 Et primo quæritur an fodinæ ex quibus metalla promanant, ſint juris publici? Et juris eſſe privati, ac in libero privatorum uſu indicat Ulpianus *in l. 7. §. 13. ff. ſol. matr.* ubi marmor & alij lapides qui renaſcuntur, quales ſunt in Italia, Gallia, & Aſia, item cretifodinę, argentifodinæ, vel auri, vel alterius materiæ, utique in uſu eſſe cenſentur, atque ideo ſi in fundis dominorum inveniantur, eorum ſunt, prout quævis aliæ res in illorum fundis natæ, *l. 2. & 6. ff. de acq. rer. dom. & §. 19. Inſt. de rer. diviſ.* Cohærent enim fodinæ & venæ fundo tanquam ejus partes, ita ut qui eſt dominus fundi, cenſeatur quoque dominus partium cohærentium, *l. 44. ff. de rei vind.*

6 Uſufructuario quoque permiſſum venas metallorum inquirere, fodinas inſtituere, & removere ea quæ rem iſtam impediunt, ne tamen inde oriatur quid corruptionis, *l. 13. §. 5. & ſeq. ff. de uſufruct. & quemadm. quis ut.* neve etiam deteriorem faciat rem domini, quam meliorem reddere debet, *d. l. 13. §. 4.* Item metalla poſt uſumfructum legatum inventa, legato contineri, alio loco reſpondit Ulpian. *in l. 9. §. 3. ff. d. t. de uſufr.* Facit & *l. 3. §. fin. & l. 4. 5. ff. de reb. eor. qui ſub tut.* Ex quibus locis concludit Cujacius *lib. 15. obſ. 21. in fin.* etiam privatis auri, argenti & ferri fodinas poſſidere licere, quamvis ferrum facere non liceat cuilibet ſine permiſſu Principis, *l. ult. §. 11. ff. de publ. & vectig.* ſicut nec arma fabricare, ut dicetur infra *tit. 9.* * Hinc detectas fodinas in locis deſertis, & 7
aurum ibidem detectum, tanquam fortunæ donum inventori acquiri, & illum ex eo fructum facere placuit, ac ſi in proprio fundo inveniſſet. Aurum enim & alia nobiliora metalla, non niſi in deſertis terris & ſub montium molibus reperiuntur, ut cecinit Poëta:

——— *Habita deſertis montibus aurum.*

In ſumma tellure ſub principatu Neronis in Dalmatia inventum eſt aurum, ſingulis diebus etiam quinquaginta libras fundens, cum jam inventum in ſummo ceſpite, ait Plinius. *& lib. 30. c. 4.* tribus modis aurum inveniri, *Fluminum ramentis, ut in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraicæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ: alio modo ſcrobibus puteorum effoditur, aut ruina montium.* In fluminis licet præſtantiſſimum dicatur, vix tamen invenitur, aut potius à privatis non quæritur, vel illis deeſt induſtria ſcrutandi, vel facultas. * Quod verius, nam 8
iſto jure fodinas perſcrutandi, Imperatorum conſtitutionibus, & generali regnorum conſuetudine receſſum eſt; cum nec metallorum fodinas privatis poſſidere liceat, citra Principis placitum, neque deſertos agros, aut etiam cultos fodere, aut in propriis cuniculos auri quærere: & quibus id conceſſum certum pretium Principes præſtari & quandoque integras auri fodinas ſibi ſervari voluerunt. Forte ob metalli raritatem, & puritatem. Tanta enim eſt auri puritas, ut ignis violentiæ reſiſtat, adeo inquit Plinius, *ut non rubigo, non ærugo, non aliud ex ipſo quod conſumat bonitatem minuatve pondus,* ut meritò hunc igneum calorem, (aurum inquam) tanquam de cælo derivatum, non Romani tantum ſed & alij populi ſemper amaverint, & aliis metallis prætulerint; licet Romani magis argento uſi fuerint, *non quod minor eſſet apud eos auri, quam argenti copia, ſed quia in varios liquationum & fuſionum uſus magna vis auri deperiret.* Vopiſcus in Aureliano.

Itaque aurileguli & metallarij, quibus ſingulari- 9
ter cauſa publicæ utilitatis conceſſum erat metalla eruere, & aurum colligere, fiſcum uti ſuperiorem cogebantur agnoſcere, eique præſtare metallicum canonem, qui pro locorum conſuetudine diverſus erat; nam aliquo in loco pro qualibet auri libra, quatuordecim uncias ballucæ ſingulos inferre oportebat, *l. 2. h. t.* Cum tamen libra obryzæ duodecim tantum unciis conſtaret, ut ibi notat Cujacius, Alio loco ut in Macedonia & Dacia, ſinguli pro qualibet uncia inferebant octo ſcrupulos, ſeu duas ſexulas, in balluca, id eſt, in auro puro arenato. *l. 1.*
h. t. * Sic enim minutas arenas auri Hiſpani *bellu-* 10
chas, alij *palacranas* vocant. Budæus *De aſſe lib. 4.*

In

In Pontica verò & Aſiana diœceſi ſeptem ſolum auri ſcrupulos annis ſingulis, metallarij inferre tenebantur, ut patet ex *l. 5. hoc tit.* Quandoque etiam amplius, ſi eorum aliquis in ſuo ſolo cuniculos auri quærendi cauſa effodiſſet, nam tunc præſtabat fiſco decimum auri, ſi vero in alieno fundo, non ſolum fiſco decimam, ſed & aliam decimam domino fundi, *l. 3. h. t.* non tanquam decimam, ſed quaſi pro certo intereſſe.

11 Porro ex fodinis privatorum, quidquid præter decimam fiſco dominove fundi debitam, erat reſiduum, id totum ſibi reſervabat matallarius, ob induſtriam & laborem, & quaſcumque marmorum venas fuiſſet perſecutus, hæ enim venæ ſunt ejuſdem conditionis, prout venæ pretioſorum metallorum, ut tradit Caſtrenſ. *in l. 7. §. 13. ff. ſol. matr. & in ſuis conſil. 3. & 4. & 23. vol. 2.* quem ſequitur Mattheus
12 de Afflictis *deciſ. Neap. 321.* * Intellige præter decimam reliquum inventoris fuiſſe, ea conditione, ut id prius fiſco offerret, à quo viciſſim juſtum pretium ex largitionibus accipiebat, ſic ut fiſcus in emptione iſtius reſidui omnibus aliis proximioribus etiam agnatis potior eſſet, *l. 1. hoc tit.*

13 Ex qua lege obſervant Interpretes colonum volentem diſtrahere fructus, quos ex agro conducto percipit, cogendum eſſe eos vendere domino agri, potius quam alteri, juſto quidem pretio, ac ita potiorem eſſe dominum in emendis fructibus ex re locata perceptis, & prælationem habere, prout eam habet fiſcus emendi metalla à metallariis volentibus ea vendere, juſto pretio. Sed alia ratio eſt fiſci, alia privati coloni, ille enim nititur publica cauſa, ut metalla penes Principem ſint, cujus conceſſione cum metallarij jus habeant fodiendi metalla, eaque expurgandi, non mirum ſi cogantur eadem fiſco vendere æquo pretio, *juxta d. l. 1.* ad quod non tenetur colonus, ſed liberum ei eſt, prout cuivis alteri fructus quos ex fundo percepit, & ſuos fecit, vendere & locare cui velit, ex regula generali *in l. 14. C. de contr. empt.* cum conductor etiam in fructibus neminem agnoſcat. Facit textus *in l. 12. §. 2. & 13. & l. 67. ff. de uſufruct.* ubi liberum eſt uſufructuario fructuum perceptionem vendere, nec adſtringitur dominum fundi aliis præferre; Ita ut non obſtet emphyteutam teneri dominum præferre, eique vendere meliorationes, modò is ſolvat pretium quod ab alio offertur, *l. ult. ſup de jur. emphyt.* Nam cum ſpeciale jus ſit in re emphyteutica, & in meliorationibus ejuſdem rei, ſequitur non idem obtinere in fructibus ab eadem re perceptis, quos colonus & fructuarius libere poſſunt cui velint vendere, & ita uſus obtinuit, quem probat Valaſcus *de jur. emphyt. q. 24. n. 3.* & Covar. *lib. 3. var. reſol. cap. 14.*

14 Qui licet improbent illationem Bartoli, Angeli & Joan. de Platea *in l. 1. h. t.* quoad prælationem domini in fructibus perceptis à Colono, tamen admittunt frumentum natum ex agris unius urbis, diſtribuendum prius eſſe inter cives illius. nam ut recte Cicero, nobis potiores ſunt cives quam peregrini. Quamobrem urgente neceſſitate frumentum etiam venditum exteris, poterit à civibus retineri, & multo magis impediri, ut nondum venditum exportetur extra urbem. * Nam quamvis commercia 15
non debeant impediri, *l. 34. de verb. oblig. l. 9. C. de judic.* & unuſquiſque rei ſuæ moderator ſit & arbiter, *l. 21. C. mandati*, nihilominus in communem utilitatem, poteſt ſtatuto, aut decreto magiſtratus prohiberi, ne frumentum extra territorium vendatur, & extrahatur. Verum ceſſante iſta neceſſitate, irritum hoc fuerit decretum, quo prohibetur extrahi frumentum extra territorium emptum, & aſportatum in locum vetitum extrahi, ſi dominus illius, illum locum tranſiverit, *arg. l. 1. ſi quis poſt hanc §. ſi quis autem C. de ædif. privat.* Alex. *conſ. 86. vol. 4.*

Hodie diverſæ ſunt conſuetudines, & regnorum 16
leges de fodinis in privato loco repertis, nam in publico, Principi reſervari dixi *ſup. n. 8.* Quin etiam in privato loco inventæ, auri argentive fodinæ, legibus Hiſpaniæ, Regi acquiruntur, tanquam regni bona, aliqua parte data inventori, & ſolutis impenſis foſſoribus & metallariis, item domino fundi portione aliqua aſſignata, *l. 2. & 4. tit. 13 lib. 6. ordinat.* Ibi Azevedo. Etenim publice intereſt rudem auri argentiq; materiam privatis non communicari præſertim in regionibus ubi difficilis eſt metalli hujus acquiſitio, ut inde moneta cudi, & aſſervari publicis neceſſitatibus poſſit. * Addunt plerique non tan- 17
tum auri, argentique fodinas, ſed & ferri, æris & cujuſlibet alterius metalli venas Principis eſſe, nec ideo poſſe ab eo alienari tanquam regalia, nituntur lege Caſtellæ *5. t. 16. p. 2.* & id clarius patet *ex d. l. 2.* Ex qua non videntur numerandæ venæ inter bona quæ domino carent, quæ ubicumque inventæ fuerint, fiſco regio cedunt. Quamvis inſpecto jure gentium dominium ſit eorum quorum ſunt fundi, in quibus venæ iſtæ inveniuntur, cum ſint partes illorum. Eſt itaque ſingulare in regnis Hiſpaniarum, ut venæ metallorum ipſi regi addicantur, tanquam naturæ divitiæ, ex quibus ærarium ſuum augere poſſit ad publica onera ſuſtinenda, & ſublevandos à gravi tributorum onere ſubjectos. Cabedo *2. p. deciſ. 55.* Barboſa *ad l. divortio §. ſi vir ff. ſol. matr.* Molina *diſp. 54.*

In Germania quoque non tantum auri, argenti- 18
que fodinæ, ſed & aliorum metallorum quovis loco repertæ, fiſco acquiruntur, juxta conſtitutionem Friderici Cæſaris *in c. un. quæ ſint regal. in uſib. feud.* Dubitatur an etiam in loco feudi repertæ? Roſenthal *de feudis tit. de regal. c. 5. concl. 88. n. 5. & ſeqq.* conatur oſtendere metalli fodinas non totas fiſco vel Principi acquiri, ſed manere in dominio & uſu priva-

Digitized by Google

privatorum ſervata Principi, ſuperioritatis titulo, decima, aut alia portione. Sed verius ei plenum jus competere, in fodinas etiam in feudali fundo inventas, ut proinde vaſallus quamvis omnibus feudi emolumentis fruatur & inveſtitus ſit, non tamen jus habeat metalla ſibi vindicandi, niſi id expreſſe in feudi inveſtitura ei fuerit conceſſum, quia ut dictum, cenſentur inter regalia, quæ tantum privilegio, aut præſcriptione immemoriali hodie acquiruntur. Weſenbec. *conſ.* 60. Jac de S.Georgio *De feudis verbo cum mero aut mixto. num.* 16. & 18. Ruin. *conſ.* 111. *num.* 2. *vol.* 5. In Gallia vero ſervatur Regi decima, vel alia portio, niſi conſuetudo aut ſtatutum provinciæ aliud diſponat, prout Andegavenſis conſtitutio, vult aurifodinas quovis loco repertas, fiſco regio acquiri, reliquas dominis locorum aut habentibus altam juſtitiam, ut vocant, le Bret *De la ſouverainité du Roy lib.* 3. *cap.* 6.

19 Quæritur an domino invito liceat ejus fundum ingredi, & ibi metalla quærere? Jura vetant alienum fundum ingredi, etiam venandi, aucupandive gratia (quamvis feræ & volucres ſint nullius, antequam occupentur) & ſi quis ingrediatur, poteſt à domino prohiberi, & conveniri injuriarum, *l.* 3. *De acq. rer. dom.* & *l.* 13. §. *fin. ff. De inj.* Facit quod metalla inter fructus habeantur, unde ſolius domini fundi ſunt, qui ſi tamen propter nimios ſumptus effodiendis metallis impendendos, ea metalla in ſuo fundo quærere recuſet, tunc poterunt alij fundum ingredi, & ibidem metalla fodere, modo præſtetur pretium domino, & ſuperficies non corrumpatur, ſic enim neque publica utilitas intercluditur, neque privata domino adimitur, *l.* 13. §. *ſi conſtat ff commun. præd.* Cæpolla *De ſervit. ruſt. præd. cap.* 22. *num.* 4. *circa fin.* Contrà alij putant, poſſe quemvis in fundo alieno metalla quærere, & fodere invito domino cauſa publicæ utilitatis, ſecuti *gloſſam in l.* 3. & 6. *h. t. Nam ſi aurum quærere per bella nefas eſt, per mare periculum, per falſitates opprobrium, ſaltem in ſua natura quærere, juſtitia erit,* ut dixit Caſſiodorus de Atalarico Rege. Cum ergo in uſum hominum jure terra id hominibus debeat, quod in ſe reconditum habet, licere debet iis
20 aurum & alia pretioſa metalla perſcrutari. * Quin & lapides pretioſos in lapidicina aliena excidere invito domino. Nec repugnat *d. l.* 13. §. *ſi conſtat*, quia loquitur de lapidibus qui paſſim inveniuntur, quos quærere non licet invito domino fundi, nec inventos ſuos facere, *l.* 11. *ſup. De ſervit.* Secus dicendum de lapidibus pretioſis, qui paucis in locis inveniun-
21 tur. Peregrinus *De jure fiſci lib.* 4. *c.* 2. *num.* 13. * Non obſtat *l.* 6. *h. t.* ubi perquirendi venas, fodiendique copia denegatur, ſi periculum ſit ne vicinarum ædium fundamenta labefactentur, quia aliud eſt quando ſimpliciter læditur ſuperficies ſoli: poteſt quoque intelligi *d.* §. *ſi conſtat.* de lapidicina jam aperta per dominũ fundi, ita ut non ſit opus aliqua inquiſitione, nam tunc ea lapidicina indiſtinctè domini eſt, nec eo invito ex illa quis poteſt cædere lapides. Quod ſi vero aperta non ſit lapidicina, perſcrutari ejus venas licebit, modò ut dictum eſt ædium fundamenta non lædantur, *l.* 2. §. 16. *ff. ne quid in loco publ.* aut venæ vicini putei obſtruantur, *l.* 24. §. *fin. de damno infect.*

Cæterum eo caſu quo dominus in ſuo fundo metalla quærere recuſat, & plures ſunt qui eidem re- 22
cuſo juſto pretio, metalla eruere deſiderant, dubitatur quis eorum ſit præferendus? Quoniam in hujuſmodi foſſione publica verſatur utilitas, exiſtimo ad judicem eſſe recurrendum, ab eoque cauſa cognita ponderatiſque circumſtantiis determinandum, num qui cæteroſque prævenit, præferri debeat. Præveniſſe autẽ cenſetur qui prius cœpit venas quærere, & in perquirendo laborare. Cæpolla *d. loco.* Quid ſi in illo timeatur negligentia, aut abuſus? Quid ſi videtur fodinas deſerturus, aut non poſſe ferre ſumptus? Satius erit alium magis idoneum à judice præferri.

Quod ſi plures concurrant, nec ullus eorum præ- 23
venerit; ſiquidem omnes operam & impenſas in fodinas conferre, adeoque ſocietatem contrahere velint, omnes admittendos eſſe ſentio, cum Sixtino *tract. de Regal. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 28. nam fodinarum & ſalinarum ſocietatem contrahi poſſe indubitatum eſt, *l.* 1. *in pr. ff. quod cujuſque unius nomine.* At ſi communio locum habere non poſſit, ſed alius alij præferri cupiat, hoc caſu judex partes ſuas interponat potius, quam ſorti res committatur, *arg. l.* 84. §. *fin. ff. de leg.* 1. ibi Bart & Bald. *n.* 1. & *in l.* 2. *C. quando & quibus quarta pars n.* 6. Qui dicunt non eſſe admittendum judicium ſortis, niſi in caſibus à jure expreſſis, & maxime ubi damnum tertio poſſet obvenire, nimirum Principi, quem conſtat jus habere in hæc regalia.

Poſtremo dubitatur, num is qui jus fodiendi ha- 24
bet, & venam metallicam invenit, quæ in fundum vicinum excurrit, poſſit eam invito ejus fundi domino perſequi? Affirmandum videtur, cauſa publicæ utilitatis, dummodo ipſe fundi dominus non impeditur in fundo ſuo arare, ſerere & fructus colligere. Facit ad hanc ſententiam textus, *in l.* 3. & 6. *h. t.* ubi ad metalla inquirenda ſcrutandave, cuilibet licitum eſt fodere ſub prædiis alienis, modo non noceat dominis illorum. Nam *in l.* 6. cauſa prohibitionis eſt illa, ne ſcilicet alienarum ædium fundamenta labefactentur (uti ſupra dictum) cum igitur ea ceſſet, hoc caſu quo nec ruina ſuperficiei timetur, nec in aliquo ipſius domini reditus minuuntur, merito quoque ceſſare debet ipſa prohibitio. * Præ- 25
terea non potuit dominus impedire vicinum, quo minus in ſuo aut alieno metalla quæreret, & foderet & ſi potuit impedire ne inventam venam ſubtus proſequeretur, debuiſſet initio id impedire, & jure ſuo

Digitized by Google

ſuo uti, quod cum non fecerit, ſed vicinus prævenerit, ſumptus fecerit, ſuamque pariter ac publicam utilitatem promoverit, in proſequenda vena, non poteſt domino in ea jus aliquod competere, cum præventione & apprehenſione jam ſit effoſſoris effecta. Caſtrenſ. & Barbo *l. divortio*, *§. ſi vir. n. 24. ff. ſol. matr.* Concludunt ejus qui prævenit, venam metallicam eſſe, etiamſi extendatur in fundos alienos, nam cum propter continuationem una cenſeatur, occupato principio, tota videtur occupata. *arg. l. 3. ff. de acq. poſſ.*

TITULUS VII.

De Murilegulis, & Gynæciariis, & Procuratoribus Gynæcij, & Monetariis, & Baſtagariis.

1. *Continuatio, qui dicantur Murileguli, unde Tyria purpura, dibapha, & conchilium.*
2. *Baphi ſunt tinctores, murileguli piſcatores, quorum navem functioni ſuæ deputatam, nemo uſurpabat.*
3. *Murileguli retrahuntur ad conditionem ſuam, & res alienatæ per eos revocantur, niſi emptor voluerit eandem conditionem ſubire.*
4. *Filij ſequuntur eum parentem, qui eſt huic conditioni obnoxius.*
5. *Vidua retinet & exercet artificium mariti per ſervos.*
6. *Filij ex matre nobili & patre ignobili procreati fiunt ignobiles & onera ſubeunt, ac ſolvunt pro terris quas emunt à nobilibus.*
7. *Gynæciarij qui, & quid gynæcium? Vile opificum, non tamen erant ſervi qui operabantur.*
8. *Gynæciarij & Baphij non erant ſervi, ſed addicti texturæ.*
9. *Officium emere quis prohibetur & punitur qui illud emit animo malefaciendi.*
10. *Puniuntur quoque textores & tinctores qui male in ſuo officio verſantur.*
11. *Qua pœna puniantur qui corruptas merces vendunt, & qui occultant aliquem ex textoribus.*
12. *Præpoſiti veſtibus Principis non debent à tinctoribus, niſi lotas & puras ſpecies recipere, ex quibus veſtes conficiantur.*
13. *Procuratores Gynæcij & Baphij, qui ſint, & quod eorum munus.*
14. *Baphia Romani Imperij, ejuſque procuratores.*
15. *Procuratores hi adminiſtrationem non prius ſuſcipiebant, quam ſatisdarent, nec probatorias accipiebant.*
16. *Adminiſtratores Reipublicæ tenentur ſatiſdare.*
17. *Monetarij Principis monetam cudunt, & alij ex privilegio, & qui illorum nomine hodie cenſeantur.*
18. *Monetariorum conditio certa, quam dignitate mutare non poſſunt, multas fraudes invehebant circa monetam.*
19. *Fabricantes falſam monetam committunt crimen læſæ majeſtatis & varie puniuntur à majoribus judicibus.*
20. *Monetam falſam percutientes nec abſolventes, quomodo puniantur.*
21. *Corpori monetariorum plures fuerunt officinatores adſcripti, qui ſuberant procuratoribus monetæ, & hi Comitibus ſacrarum largitionum.*
22. *Non adſpirabant ad honores, ſed manebant in ſua conditione, quam & ſequebatur mulier nubens monetario, itemque adſcriptitia.*
23. *An valeat ſtatutum aut pœnalis ſtipulatio, qua matrimonium conſtringitur, aut infirmatur.*
24. *Hodie honeſtæ ſunt conditionis & gaudent immunitate monetæ artifices.*
25. *Quale juramentum præſtent, antequam admittantur ad officium.*
26. *Baſtagariis incumbebat vectura rerum fiſcalium, quam propriis equis faciunt, excepto quinto, qui à fiſco præbetur.*
27. *Præpoſiti Baſtagarum quid curabant, quid item Baſtagarij: non licebat iis ad aliam militiam tranſire.*
28. *Ruſtici hodie equos auxiliares præbent, ad tranſportandas ſarcinas militum belli tempore, non alio.*
29. *Artifices qui hic recenſentur, non poterant à corpore liberari, niſi dato ſubſtituto idoneo.*
30. *Liberatio patris non porrigitur ad filios, nec ad illius bona.*
31. *An ſubſtitutus ſi male verſetur in officio, ſit prius conveniendus quàm ſubſtituens.*

QUemadmodum naviculariorum, & metallariorum certum erat corpus, ſeu collegium, ita etiam murilegulorum, & aliorum opificum qui domui Auguſtæ ſervitium exhibebant, in officiis & miniſteriis Imperatori, ejuſque aulæ neceſſariis. Quinque hic diverſi corporis officiales referuntur. Primo *Murileguli* quales ſunt qui legunt murices, & conchilia, ex quibus Tyrius color conficitur, Unde & muricileguli, & conchilijleguli dicuntur. Tyria ut refert Plinius *lib. 5. c. 19.* fuit quondam inſula conchilio & purpura abundans, & inde Tyria purpura & dibapha dicta, quoniam in iſta inſula erat maxima piſcatio, & copia rerum omnium quæ ad inficiendas veſtes pertinent. Dibapha erat bis tincta purpura Principibus, & Senatoribus tantum peculiaris. Sunt porro varia conchiliorum nomina, purpura, murex, buccinum, ex quorum humore & ſanguine tingebantur Regum & Cæſarum veſtes, conficiebanturque ex purpura lana & murice, de cujus colore Caſſiodorus *lib. 1. var. ep. 2. Color nimio labore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea regnantem diſcernit, dum conſpicuum* 1

Digitized by Google

ſpicuum facit & præſtat humano generi, ne de aſpectu Principis poſſit errari. Plinius *lib.9. cap.36.*

2 Cæterum murileguli, & conchiliolegeuli, alij erant à Baphiis, hi enim ſunt tinctores, illi vero piſcatores, addicti huic muneri originis & condionis jure: nemo proinde alius naviculam functioni muricis, & legendis conchiliis deputatam poterat uſurpare, ſub mulcta duarum librarum auri, *l. 9.*
3 *h.t.* * Adeoque addicti huic conditioni erant murileguli, ut non poſſent ad ullam militiam vel dignitatem adſpirare *l. 11. h.t.* & ſi adſpiraſſent, ad propriam conditionem revocabantur, reſtituebanturque eis bona ſi quæ alienaſſent, niſi exteri ea poſſiderent, qui mallent eidem ſe conditioni ſubjicere, quam bona reſtituere: quo facto fiebant murileguli, & futura deinceps cogebantur onera agnoſcere, & præterita reliqua poſt emptionem bonorum fiſco perſolvere, *d. l. 11. in fin.* videntur enim poſſeſſores cum fiſco contrahere, ut non poſſint opponere venditores eſſe ſolvendo, quodque prius conveniri debeant; nam fiſcus & Reſpublica pro oneribus ſibi debitis ſemper ſequuntur bonorum poſſeſſorem, *l.5. in fin. ff. de cenſib. l. 2. & 3. ſup. de præd. navic.*

Sufficiebat autem ſolum patrem, aut ſolam ma-
4 trem eſſe huic conditioni obnoxiam, ut etiam filij cenſerentur murileguli, *l. pen. h. t.* Similiter qui ex filiabus murilegulorum, & alienæ originis patribus fuerant procreati, jura maternæ conditionis cogebantur agnoſcere, *l. 12. h. t.* Ac ita obtinebat in publicis iſtis muneribus ac exercitiis, ut filij ſequerentur eum parentem qui eſſet iſti conditioni annexus. Sic in dignitatibus & honoribus regulariter filius ſequitur conditionem patris, at quoad ſtatum libertatis, ſervitutis, aut conditionis matri annexæ, ſequitur matrem, *l. 7. ſup. de rei vind.* juxta *cap. fin. 32. q. 4. quod eſt.* D. Iſidori *lib. 9. etymolog. cap. 5. ſemper qui naſcitur deteriorem partem ſumit:* id eſt, debiliorem, qualis eſt fœmina.

Hinc judicatum in Senatu Pariſienſi viduam re-
5 tinere conditionem & exercere poſſe artificium mariti defuncti per filios, aut ſervos idoneos, etiam in iis artificiis, in quibus nullus niſi probatus & juratus admitti ſolet. Coſtal. *in fin. l. 8. ff. de Senatoribus.* * Cum quo etiam ſentio matrem nobilem
6 amittere dignitatem, ſi nubat plebejo, nec eo mortuo illam recuperare, adeo ut filij ab ipſis procreati habeantur ignobiles, teneanturque ad tributa & onera, quæ ſolis ignobilibus imponuntur. Guido Papæ *in decis. q. 370.* Et ſi terras aut poſſeſſiones nobilium emerint, nihilominus jura perſolvunt ut ignobiles, nec habetur ratio quod terræ fuerint nobilium, aut quod ipſorum mater fuerit nobilis, cum (ut dictum) nobilitatem amittat nubendo viro inferioris ordinis, qui artem mechanicam exercet, *l. 1. ſup. de incolis & l. 3. h. t.* cujus exemplum mox ſubjiciam.

Secundo referuntur *Gynaciarij*, & reliqui Gy- 7
næcij artifices, addicti contexendis conficiendiſque veſtibus imperialibus; proprie ſunt textores, uti Baphij tinctores. Gynæcium enim, textrinum eſt, ubi arguto pectine ſolidanda fila decurrunt, *l. 4. tit. ſeq.* & ut Virgilius loquitur:

Arguto conjux percurrit pectine telas.

Eſt enim muliebre quoque opus, & ideo Græce *Gynæcium* dictum, ex eo quod eò conventus fœminarum ad opus lanificij exercendum conveniat. Iſidor. *lib. 15. c. 6.*

Accipitur & pro illo loco in quo opera textoria 8
& muliebria conficiuntur, & Gynæciarij, & Baphiarij dicti aſcriptique iſti opificio & contexendis tingendiſque veſtibus purpureis Imperatorum, & miniſtrorum imperialium, quorum officium demonſtrat eos fuiſſe viles homines, Joſephus *lib. 7. de bello Judaico cap. 57. Tranſgreſſus*, inquit, *ad eos eſt Jonathas, homo nequiſſimus, arte Gynæciarius.* Coraſius *in l. lex natura, ff. de ſtatu homin.* Verum licet adſtricti huic conditioni, non tamen erant ſervi, nam olim pecunia ſolebant comparare hujuſmodi functiones, & ſuffragia ambire, ut ad eas aſſumerentur, quod non feciſſent ſi facti fuiſſent ſervi, quis enim pecuniam dediſſet, ut fieret ſervus?
* Quia tamen vix unquam fit, ut comparatum mu- 9
nus, vel artificium ſordibus careat, ideò præcipit Imp. Conſtantinus, ut deinceps ſuffragiis abſtineant, id eſt, ne pretio aut patrocinio memorati artifices munia iſta & officia adipiſcantur, vel ſi contra hoc fecerint, ultimum ſupplicium ſuſtineant, *l. 2. h. tit.* Sæpe enim avaritia domeſticorum, & officialium Principis, privatam ejus ſubſtantiam extenuat, & qui officium obtinuerunt pretio, conantur id recuperare modis illicitis. Hinc
ſucceſſit. *Auth. ut judices ſine quoque ſuffr. fiant.* * Qua 10
ſuffragium officiorum prohibetur, ita ſuadente publica utilitate, dum ait, *& ſic uno principio illicito dato, plurimas neceſſe eſt manus circumire eum, qui donationem facit, & hoc non de ſuo forte præbere, ſed mutuatum, & ut mutuare poſſit, damnificatum: & computare apud ſe; quia convenit eum tantum ex provincia accipere.* Qui textus licet de dignitatibus loquatur, & judicum corruptione, poteſt etiam ad artifices extendi, quales hic notantur textores, & tinctores, qui pannos viles conficiebant, inficiebantque, modica, aut adulterina tinctura, ut ſic pecuniam quam pro artificio dederant, recuperare poſſent, uſurpando, & retinendo veram purpuram, & tincturam ſolius Imperatoris veſtibus deſtinatam, quæque pretioſior erat. Quæ ratio fuit prohibendi ſub gravi pœna hujuſmodi corruptelas. Addit Platea *ad d. l. 2.* id quoq; procedere contra pictores, qui adulterinis coloribus pingunt, & mercatores, qui corruptas merces vendunt, atque hos domino teneri de omni damno, & in-
ſtellio-

Digitized by Google

ſtellionatum incidere *lib. 3. §. ult. ff. de crimin. ſtellion.*

11 Item qui textrino adſcriptos occultant, mulctantur tribus auri libris, *l. 6. h. t.* Quinque vero qui aliquem ex familia Gynæcij fugientem celant, *l. 5. h. t.* Quia gravius delinquunt receptantes aliquem è collegio Gynæciariorum deputatum ſervitio Principis tam veſtiario, quam lanificio. Qua autem pœna plectantur ſervorum ſeductores & occultatores, dixi *ſup. lib. 5. tit. 1. num. 4. & 5.*

12 Præterea ut circa veſtes Imperiales corruptio abſit, præcipit Arcadius Imp. impoſterum lotas ſericoblattæ & metaxæ hujuſmodi ſpecies inferri, viginti librarum auri condemnatione propoſita, his qui ad ſervandis Principis veſtibus ſunt præpoſiti, *l. 10. h. t.* Qui proinde non debent à tinctoribus pannorum ſericorum ſpecies ipſas pannorum recipere, niſi elotas & mundas, nam tunc melius cognoſcitur an metaxæ (Hiſpani vocant *madejas*) ex quibus panni conficiuntur, ſint perfectæ tinctæ, nec ne; ſericoblatta ſunt fila ſerica in purpureum colorem converſa, aptaque texendis telis, plane diverſa à ſerico rudi, quod necdum tinctum, nec in fila deductum eſt.

13 Tertio loco adjunguntur Gynæciariis & Baphiis, *Procuratores Gynæcij*, & textrinorum, *ut in l. 14. h. t.* Item præpoſiti Baphiorum, quorum curæ commiſſi erant textores, lanifici, tinctores, lympharij, ſeu lotores pannorum, cæterique in Gynæcio, aut Baphia, ſeu officina laborantes circa pannos & purpuram in uſum Imperatoris. Prout autem variæ erant officinæ diverſis in locis diſpoſitæ, ita & varij procuratores conſtituti, qui huic officio intenderent, & præcipue curarent, ut recte ſericum, aut lana tingeretur, mox in fila diducta texeretur, neque enim ex foliculis aqua calida immerſis ſerici fila eo tempore in rhumbum evolvebantur, ſed depecti foliculi in metaxam redigebantur, mox nebantur. Pancirolus *in notit. cap. 74.* Atque ita tinctam confectamque purpuram tranſmittebant ad Comitem rerum privatarum, à quo & pecuniam quam numeraverant, repetebant, *l. 5. in pr. C. ad l. Jul. repetund*

14 *& l. fin. C. Theod.* * Erat itaque procurator ſeu præpoſitus Baphij Tarentini, Calabriæ, Dalmatiæ. Procurator Baphij Ciſſenſis, Venetiæ, & Hiſtoriæ. Procurator Baphij Syracuſani, Siciliæ. Procurator Baphiorum omnium per Africam, item provinciæ Tripolitanæ. Itemque procurator Baphij inſularum Baliarium in Hiſpania, & in Gallia procurator Baphij Telonenſis & Narbonenſis, ut apparet ex notitia utriuſque imperij, Pancirol. & Gutherius *de do-*

15 *mo Auguſt. l. 3. c. 20. & ſeq.* * Verum non ante hi procuratores & præpoſiti ad hanc adminiſtrationem accedere poterant, quam ſatiſdationibus dignis, id eſt, datis idoneis fidejuſſoribus caverent, rem ſacri ærarij ſalvam fore, in his quæ ad ſuum munus pertinerent: & quo minus ita ſatiſdarent, fruſtra poſtulabant ſacras perſecutorias, id eſt, litteras, approbatorias, quibus ſcilicet laudarentur & approbarentur, *d. l. 14. h. t.* Nam nec poſt geſtum officium, hujuſmodi litteras impetrare poterant officiales, & adminiſtratores Reipublicæ, priuſquam conſtaret eos idoneè caviſſe, & ſatisfeciſſe primæ adminiſtrationi, juxta reſcriptum divorum fratrum *in l. 6. §. 1. ff. de muner. & honor. & l. 1. infr. de debit. civ.*

Hinc quæritur an qui adminiſtrationem Reipublicæ ſuſcipiunt, teneantur ſatiſdare? Et non minus 16
eos qui adminiſtrationem ſuſcipere fuerunt compulſi, quam qui eam ſponte agnoverunt, cavere debere iidem Impp. reſcripſerunt, *in l. fin. in fin. ff. ad municipal.* Quamvis alio loco dicant, à curatore calendarij cautionem exigi non debere, cum à Præſide ex inquiſitione eligatur, *l. fin. §. 7. ff. de adm. rer. ad civit. pertin.* Moribus etiam noſtris non ſemper ab omnibus adminiſtraturis officium publicum, exigitur ſatiſdatio, licet juramentũ præſtent ex fide omnia geſturos, & pro juſtitiæ ratione injunctam ſibi ſollicitudinem peracturos, *juxta l. 16. infr. de erogat. mil. ann.* unde etiam qui conſtituti ſunt à Principe, non ſolent ſatiſdare (niſi functio talis ſit quæ id exigat) quoniam eorum fides ſatis videtur approbata, ſimiliter qui locupletes ſunt, & fundos poſſident, *ut infr. de fundis patrim. l. quicunque ad emphyt.* Bart. *ad l. 14. hic & ibi* Pyrrhus.

Quarto ordine agitur de *Monetariis*, qui Principis 17
monetam cudunt, ejuſque juſſu: nam jus cudendi monetam & valorem ponendi ſolius Principis eſt, *c. 1. quæ ſint reg. in feud.* Quod tamen ſolet aliquibus concedere; uſurpant & jus cudendi monetam civitates liberæ, & in id habent monetarios, & monetæ magiſtros, & alios rei monetariæ deputatos, quos Hiſpani dicimus *oficiales y obreros de la caſa de la moneda.* de quibus extat integer *t. 20. lib. 5. nova collect. Regia*, quorum præfecti *Alcaldes y Theſoreros* nuncupantur, olim in Imperio Romano Triumviri monetales, *l. 2. §. deinde ff. de orig. jur.*

Monetariorum conditio quamvis ita vilis fuerit, ut à dignitatibus prohiberentur, neque eam 18
facile mutare poſſent, *l. 1. h. t.* Tamen corpus eorum & officium late diffuſum fuiſſe argumento eſt bellum ſub Aureliano ab iis ſuſcitatum, in quibus comprimendis multa militum millia interempta fuiſſe, Aurelianus ipſe quadam epiſtola apud Vopiſcum profitetur. Cum itaque diffuſum valde eſſet monetariorum corpus, vix coërceri poterant fraudes, quæ ab iis committebantur in cudenda moneta. Unde non mediocria damna Reipubl. & privatis infligebantur. Nam præterquam quod auri puritatem vitiarent, conflarentque adulterinos nummos, interdum etiam eos contra verum uſum & valorem impoſitum vendebant, ac mercis loco habebant, quoſque proinde opifices monetæ,

æque

æque ac alios falſam monetam fabricantes, lege Cornelia de falſis maxime comprehendi arbitror, in cujus legis pœnam dicuntur incidere nummorum emptores ac venditores, *l. 9. ff. ad l. Corn. de*
19 *falſ.* * Impp. deinde Valentinianus & Theodoſius falſæ monetæ reos, quos vulgo paracharactas vocari dicunt, majeſtatis crimine & pœna teneri obnoxios ſtatuerunt *in l. 8. C. Th. de falſ. mon.* Quin & Conſtantinus voluit eos qui nummos falſa fuſione formarent, flammarum exuſtionibus mancipari, eorumq; bona fiſco addici: ſi tamen opus perfeciſſent. *l. 1. & 2. C. de falſa moneta.* Proinde quia jus cudendi ſolius eſt Principis, & in Principem committitur dùnummi adulterini conflantur, vindicta tanti criminis ad ſolos magiſtratus pertinere placuit, non ad inferiores judices, neque ad dominos locorum.

20 Notandum quod ſubjungit Pyrrhus in notis *ad l. 1. h. t.* Eum qui falſam monetam percuſſerit, ſi eam in totum non formaverit, ſuffragio juſtæ pœnitentiæ abſolvi, quod & textus *in l. 19. ff. ad l. Corn. de falſ.* probat. Extat & alia conſtitutio Conſtantini Cæſaris, quæ pœnam pro diſcretione ſexus & conditionis delinquentium ſtatuit, *in l. 1. de falſ. mon. C. Th. t. 21.* de qua *ſupr. de falſ. mon. lib. 9.*

21 Cæterum ut occurreretur falſitatibus monetariorum, conſtituti ſunt procuratores monetæ, tanquam inſpectores, qui curarent ut moneta omnis legitima fuſione functioneve cuderetur. Ideoque illis obſequebantur varij officinatores, veluti optiones & exactores, qui urgebant monebantque operarios, ut probam monetam conficerent, item ſuppoſtores & malleatores, illi metalla parabant & ſubjiciebant, hi paratam argenti maſſam cudebant. Fluctuarij ignem excitabant, æquatores verò monetam ponderabant, & alij alia officia obibant, quos optime deſcribit Virgilius *lib. 7. Æneid.*

——Alij ventoſis follibus auras
Accipiunt, redduntque, alij ſtridentia tingunt
Æra lacu, gemit impoſitis incudibus antrum:
Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt.
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.

Hi inquam omnes in Republica ſuberant Tribuno æris & Triumviro monetali. Pompon. *in l. 2. de or. jur.* & Plin. *lib. 33. c. 2.* Sub Impp. Procuratori rei nummariæ, & Præpoſito theſaurorum, apud quos moneta legitime cuſa, referebatur in eorum rationes, deponebaturque apud Rationalem. Atque hi Præpoſiti in dignitate erant, & viam ſibi ad ho-
22 nores parabant. * Cæterum Monetarij non poterant ſe ab officio & conditione liberare, ullo dignitatis privilegio, nec illis aditus ad honores patebat, ut paulo ante dixi, per *l. 1. h. t.* & facit *l. 6. infr. de dignitat.* Adeoque vilis illorum conditio cenſebatur, ut nullæ ingenuæ mulieres iis nubere auderent, & ſi nupſiſſent, nec poſt factam denuntiationem receſſiſſent, ſuorum maritorum conditioni erant obnoxiæ, ſive fiebant monetariæ, *l. 3. h. tit.* uti & gynæciariæ, quæ ſe gynæciariis junxerant, exemplo J. C. Claudiani, cujus meminit Pichardus *ad interpretat. d. l. 3. n. 36.* Quod ſi verò adſcriptitiæ colonę ſe monetariis junxiſſent, ſciente vel ignorante domino, monetariæ fiebant, niſi dominus earum admonitus, eas quamprimum revocaſſet, ſi autem id facere neglexiſſet, repetendi facultatem ſilentio ſuo perdebat. Item ſicut ingenuæ mulieres monetariis nubere prohibebantur, ita ex monetariis ſuſceptæ, non copulabantur ingenuis, & copulatæ retrahebantur, *l. 7. h. t.*

Cum ergo Imp. prohibeat filiam monetarij ex- 23
traneo copulari *in d. l. 7. in fin.* poſſet quæri an valeat ſtatutum prohibens matrimonium inter homines diverſæ ſectæ ac ſtatus? & valere colligi poteſt *ex d. l. 7.* ſed contrarium verius, non valere ſtatutum, quod aufert libertatem contrahendi matrimonij, quod eſſe debet liberum, undè nec pœna adjecta debetur, *c. 29. X. De ſponſal. & matr.* Huc facit quod dicit Paulus J. C. *in l. 134. ff. de verb. obl.* quia inhoneſtum viſum eſt vinculo pœnæ matrimonia obſtringi, ſive futura, ſive jam contracta: nec intereſt qualiſcumque pœna etiam modica ſtatuatur. Covar. *De ſponſal. p. 2. c. 3. n. 7.* ſufficit enim vel minima ſuſpicio conſtringendæ libertatis matrimonialis. Quo fit ut non valeat ſtatutum quod facit irritum matrimonium, cum ſit juris Eccleſiaſtici, ſuper quo ſtatutum diſponere non poteſt, *c. 2. X. De judic.* ibi Panorm. & Platea hic *in d. l. 7.* multo minus ſtipulatio pœnalis inter contrahentes adjecta, infirmum reddet matrimonium jam contractum; cum illa non ponat juſtum metum, *c. 14. X. De ſponſal.* ſed ſolum efficiat ut qui non paret ſtipulationi in ipſam pœnam incidat. Poſſet tamen conditio legato apponi, ut niſi mulier contraxerit intra ſuam ſectam, aut ſtatum, careat legato, ſiquidem illa commodè & honeſtè nubere poſſit, aliàs non. *l. 63. ff. De condit. & demonſtr.* * Igitur ho- 24
die diſpoſitio *d. l. 7.* non tenet; nam noſtri monetæ artifices honeſtæ ſunt conditionis, & expedit tales habere, non ſolum artis peritos, ſed & fidos, undè magiſtri monetales ac filij eorum, ad conſortia honeſtiſſimorum artificum admittuntur, & promoventur ad munia & honores civitatum, cum ingenuis mulieribus contrahunt, gaudent & magnis privilegiis, de quibus videndus Choppinus *de doman. Franc. l. 2. tit. 17.* nam paſſim immunes ſunt ab excubiis; & aliis civitatum oneribus unà cum uxoribus. Guido Papæ & Soz, & alij quos refert Ren. Rudelius *de monet. & re nummaria l. 1. c. 24. n. 32. deciſ. 402. & 803.*

Priuſquam tamen magiſtri fabricæ, cæterique 25
monetarij ad officium admittantur, debent coram domino, vel præfecto monetali, qui eos recipit, juramentem præſtare, ſe ordinationes monetarias

Digitized by Google

tarias obſervaturos, formas ferreas quibus monetis character imprimitur ſervaturos apud ſe, & finito opere recepturos, & ponderaturos monetas debito pondere conflatas, deinde eas tradituros magiſtro monetali, nec cum illo pactum inituros de corrumpenda moneta: lucri ſui cauſa, ſed omnia ex fide acturos juxta ordinationes regias ipſis prius prælegendas.

26 Poſtremò hic quæritur de Baſtagariis, quibus incumbit vectura rerum ad fiſcum pertinentium, quas propriis jumentis vehunt, non omni tempore, ſed occurrente caſu & mortalitate animalium, ita ut quintum, animal è fiſco præberetur, *l.4 h.t.* cum decimum tantum animal Baſtagariis antea pro reparatione daretur, *l.4.C.Th.eod.* horum munus baſtagæ ſollicitudo dicitur, quod perſonale eſt *l.3.C.Th. de cohortal.* equorum enim productio, & ſi qua alia animalia neceſſario producenda, vel res provehendæ ſive proſequendæ ſint, vel pecuniæ fiſcalis, ſive annonæ vel veſtis, perſonam reſpiciunt, *l fin. ff. de muner. & honor.* Pichardus in diſp. *l.2. & 7.h.t.n.32.*

27 Habebant Baſtagarij ſuos præpoſitos, penes quos erat cura traſmittendi ſpecies neceſſarias ex Oriente, ut Pancirolus obſervavit in Notitia Imperij, & Gutherius *de domo Aug. lib.3.c.22.* Erant & variis in locis baſtagarij conſtituti ad deferendas veſtes & pannos Principis, item arma, annonam & ſarcinas militum: Adeò adſtricti huic muneri, ut iis non liceret illud deſerere, nec militiæ armatæ nomen dare, antequam expleviſſent munus ſibi injunctum, *l.8.h.t.*

28 * Hinc qui munus aliquod obit, & ſuſcepit certa mercede, non poteſt pro arbitrio id deſerere, & aliud officium ſuſcipere. ſed debet in priore perdurare uſque ad tempus ſibi præfixum, intra quod ſi animalia amiſerit, tenetur alia ſurrogare, atque ita hodie ruſtici belli tempore, non ſufficientibus Principis equis, coguntur ſuis tranſportare annonam, arma, & ſarcinas militum, & eo ſolum tempore.

29 Porrò non tantum hi, ſed & omnes qui ſunt è corpore murilegulorum, gynæciariorum, linteariorum, monetariorum, cæterorumque artificum ad divinam ſeu Principis domum pertinentium, non poterant abſque ſacra probatoria in corpus adſcribi, *l.ult. h.t.* nec ubi adſcripti, munus ſuſceptum deſerere, vel dignitatis cujuſcumque privilegio, conditione ſua & corpore liberari, *l.1. & l.13. h.t.* Interdum tamen ob cauſas obtento principali reſcripto liberabantur, modò non quemcumque, ſed idoneum conditioni, judicio Comitis largitionum probatum ſubſtituerent.

30 * Verum ea liberatio, non ultra perſonam impetrantem beneficium porrigebatur, quoniam liberi & bona impetrantis, in eadem conditione permanebant, *d.l.13. in fin.* ibi Platea. Rebuff. Dynus, qui colligunt beneficium conceſſum patri, non prodeſſe filio, contra *l. medicos ſup, De profeſſ. & med.* ſed hic eſt ſpeciale favore Reip. ne privilegium patris extendatur ad filios, ut aliàs *in l.35. & ſeqq. ſupr. De decurion.* intereſt enim Reip. ne functiones & conditiones iſtorum opificum pereant, ſed conſerventur in illorum proſapia.

Hinc familia tota, & bona liberati manent obnoxia, pro ſubſtituti adminiſtratione, ſic ut ſubſtitutus munus exerceat periculo ſubſtituentis, eodemque jure utatur: prius tamen debet ſubſtitutus quam ſubſtituens conveniri ratione malæ functionis, ut notat Platea *in dict. l. 13.* Contra Pyrrus exiſtimat prius conveniendum eſſe ſubſtituentem, quia cum uti proprietarius, & principalis in munere ſubſtituat, videtur quaſi fidejubere pro ſubſtituto, & periculum omne in ſe recipere, *l. 11. § ff. ad municip. & l. 1. ff. De magiſtr. conv.* Id tamen poſſet limitari, caſu quo ſubſtitutio fit cum approbatione ſuperioris, ut hic, ut tunc mala electio magis obliget ſubſtitutum, aut eum qui illum approbavit, & ad munus exercendum admiſit; Item ſi ſubſtitutio fiat ex neceſſitate; quæ impellat officium adminiſtrari per ſubſtitutum, quia tunc de mala illius adminiſtratione non tenebitur ſubſtituens. *arg. l.67. §. ſi de Falcidia ff. de leg. 2. & l. 8. §. cum quidam ff. De rebus dubiis,* quæ enim ex neceſſitate fiunt, non comprehenduntur legis generali diſpoſitione, ut docet Amaya. *ad l.60. C. De decur. num. 47. & ſeqq.* 31

TITULUS VIII.

De Veſtibus holoberis, & auratis, & de tinctione ſacri muricis.

1. *Continnatio, & quæ ſint veſtes holobera, holobriza, aurata & conchiliata.*
2. *Quæ fuerint præcipuæ veſtes, quæ purpureæ, tyreæ, hyacinthina, janthina, fucina, quæ ſericoblattæ. Quid blatta, & qui his veſtibus uterentur.*
3. *Veſtibus ex purpura ſenatoribus uti licuit, quanti pretij fuerit purpura.*
4. *Veſtis purpuræ & ſericæ uſum interdixere Impp. tam viris quam fæminis, ſancita pœna mortis.*
5. *Item purpura nundinas fieri vetat à privatis. Phœnices purpura optima prohibetur, & cautum ne vendatur.*
6. *Mulieres vario veſtium ornatu gaudent, ipſis veſtes ſericæ & auratæ conceduntur. Quid lex Oppia prohibuerit.*
7. *Viris tantum, non mulieribus auratæ veſtes & paragaudæ ſeu fimbriis aureæ intertextæ, niſi ſint in miniſterio Principis.*
8. *Edicta plura emanarunt adverſus luxum veſtium, quæ ſatius foret, non publicari.*
9. *Moribus noſtris prohibetur uſus veſtium ſericarum, & omnis luxus.*

10. Per-

Digitized by Google

10. *Per uſurpationem ſumptuoſi & peregrini habitus, ſequitur morum & ſtatus everſio.*
11. *Peregrina veſtis religionem peregrinam redolet.*
12. *Magiſtratibus ornatiores veſtes datæ ſunt, & quales illæ, & quæ promiſcue aliis ſint permiſſæ.*
13. *Omnibus dignitatibus & officiis proprium veſtis genus dare cur intenderet Imperator Alexander.*

1 Superiore titulo de Gynæciariis & Baphiis actum eſt, quorum munus erat veſtes Imperiales conficere & tingere, nunc de ipſis veſtibus quæ variæ erant, aliæ holoberæ, quas Accurſius ex ſolido auro contextas interpretatur, rectius ex puro ſerico, holobrizas ex puro auro confici dixiſſet. Obrizum aurum eſſe puriſſimum, ex quo obriziati nummi fiunt, indicat *l. fin. infr. De veter. num. poteſt.* & obriziati ſolidi, *l. un. infr. De oblat. votor.* Tiraquell. *in l. 3. connub. gloſſ. 1. p. 3. num. 16.* Aliæ ſunt veſtes auratæ ex auro & ſerico contextæ, poſſent & aliæ auratæ dici, quibus nullum intexitur aurum, ſed ita artificioſe tinctæ ſunt murice & conchilio, ut appareant aureæ, tales veſtes conchyliatæ vocabantur, eo quod elegantia & ſumptu reliquas ſuperarent, de harum veſtium pretio ac colore vario, conſulendus eſt Plinius *lib. 9. c. 35. Conchylia*, inquit, *& purpuras omnis ora aſterit, quibus eadem mater luxuria, paria etiam penè margaritis*
2 *pretia fecit.* * Et *lib. 21. c. 8. Animadverto tres eſſe principales* (loquitur de coloribus veſtium ex florum ſimilitudine) *unum in cocco, qui roſis micat; gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras Tyrias dibaphas, ac Laconicas*; alium in Amethyſto, qui in viola, & ipſe in purpureum, quemque *janthinum* appellamus. Horatius 2. *Epiſt.*

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Tyriam purpuram vocamus *eſcarlate rouge.* Hiſpani *grana*, ex cocco quod granum eſt, vulgo *cochinille*, aut ex murice & conchylio. Et veſtis quæ ex conchylio purpura marina appellatur, *l. 1. Machab. c. 4.* Martialis utramque purpuram jungit, *l. 5 Epig. 24.*

Non niſi vel cocco, madida vel murice tinctâ
Veſte nites, & te ſic dare verba putas?

Erant quoque veſtes hyacinthinæ coloris cœleſtis, pretio cum aliis certabant: Item veſtes fulcinæ à fuco dictæ, genus herbæ, qua tingebantur: fucum marinum lactucæ ſimilem eſſe putat Plinius quo colore tinctores utuntur. In pretio quoque erant ſericoblattæ, ob pretioſam purpuræ tincturam, qua inficiebantur. Blatta enim ad ſericum & lanam refertur propter muricis purpuram quæ miſcetur. Refert Fulgoſius *l. 4. c. 1.* Alexandrum Imp. ne quidem conjugi ſuæ permiſiſſe uſum prætioſæ & auratæ veſtis, eum cum quidam viliore amictu contentum admirarentur, reſpondit: *Imperatoriam majeſtatem virtute conſtare, non corporis cultu.* Et Lampridius ſcribit, quod cum uxor Aureliani Cæſaris petiiſſet ut unico pallio Blatteo ſerico uteretur, reſpondit Cæſar, *Abſit ut auro fila penſentur.* Libra enim auri, tunc libra ſerici fuit. Conceſſit tamen ut Blatteas matronæ tunicas haberent. *Vopiſc. in Aureliano*, quod de Blattis laneis intelligit Gutherius *de domo Aug. l. 3. c. 21.* nam byſſus lini genus ſubtiliſſimi murice tingebatur. * Veſtibus au- 3
tem purpureis & toga prætexta, non niſi ſenatores qui in magiſtratu erant, utebantur, erat enim purpura pretioſiſſima, eaque maxime quam dibapham, id eſt bis tinctam Romani nominabant, ita Plinius *d. l. 9. c. 39. Nepos Cornelius qui divi Auguſti Principatu obiit, me inquit juvene, violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat, nec multo poſt rubra Tarentina huic ſucceſſit, dibapha, quæ in libras denariis mille emi non poterat.*

Cum itaque tanti pretij eſſet purpura, ejus uſum 4
Impp. ſibi retinuerunt, juſſeruntque ut univerſi, cujuſcumque eſſent ſexus, dignitatis, artis, profeſſionis, & generis ab hujuſmodi ſpeciei poſſeſſione, quæ ſoli Imp. conveniebat, ſe temperarent, & quæ tincta conchylio eſſent, nullius alterius permiſtione contexerentur, *l. 4. h. t.* Prohibuerunt quoque vellera adulterino colore tincta, rurſus murice tingi, ad conficiendam veſtem ſuperiorem, *l. 3. h. tit.* ubi quoque vetant tinctum prius ſericum Rhodino ſeu roſeo colore, alio poſtea fucari, & lanas colore ſimili colori muricis tingi, cum de albo, omnium colorum tingendi copia non denegetur, pœna capitis impoſita in illicita tentantes, *d. l. 3. in fin.* Itemque publicationis bonorum in vendentes inficienteſque veſtes purpura, quæ blatta, vel oxyblatta, atque hyacinthina dicitur. *l. 1. ſup. quæ res venir. non poſſ.*

Denique purpuram à commercio & nundinatio- 5
ne hominum prorſus exemerunt Impp. Theodoſ. & Valentin. *in l. fin. h. t.* quæ tamen de purpura Phœnices intelligenda eſt; cum enim in Baphiis Phœnices ſæpe clam uſibus privatorum purpura tingeretur; conſtituitur ut quotannis ad ea baphia mittantur ex ſcrinio exceptorum ſeptimus, ex ſcrinio canonum ſextus, ex ſcrinio tabulariorum quintus, quorum interventu fraus omnibus ſubmoveatur. Quod ſi hi ire & intervenire deſinant, ſtipendia longo ſudore quæſita amittunt, & inſuper viginti librarum mulcta coërcentur. De Baphiis Phœnices videatur Plinius *lib. 5. cap. 19.*

Cæterùm licet difficultas conquirendi muricis, & 6
immenſum purpuræ pretium mulieres avocarit ab uſu & luxu veſtium, magis quam ſevera prohibitio, non potuit ea tamen mulierum ingenium mutare, quod vario ornatu & cultu gaudet; ſic ſenſim receperunt uſum veſtium ſericarum honoratiores dominæ; atque matronis Romanis, quo formam ſuam concinniorem efficerent, conceſſum, ut purpureis veſtibus, & ſegmentis aureis uterentur. Valer. Max. *lib. 2. cap. 1.* Per ſegmenta intelligit Cujacius limbos alliue-

Digitized by Google

inſutos veſtibus; *ut in l. veſtis* §. 2. *ff. de auro & argen. leg. lib.* 12. *obſ. c.* 24. Servius in I. Æneidos ad illum locum *colloque monile Baccatum*, dicit eſſe *ornamentum gutturis, quod & ſegmentum dicunt.* Indicat id vetus lex Oppia belli Punici tempore lata, quæ fœminas nec veſte varij coloris uti, nec ſegmentis (ſive gutturis ornamentis) nec auri plus ſemiuncia habere permittebat, ut facilius poſſent cives ſuppetias ferre.

7 At poſteriores Cæſares, ut ipſe Juſtinianus non fœminis, ſed viris interdixere uſum ſericarum & auratarum veſtium, ita enim *in l.* 1. *h. t. Auratas ac ſericas paragaudas, auro intextas viriles privatis uſibus contexere conficereque prohibemus*, de his Plinius *lib.* 2. *c.* 22. *& lib.* 11. *c.* 23. Ulpianus *in d. l. veſtis* §. 2. *muliebria vocat veſtimenta, quibus vir non facile ſine vituperatione uti poteſt.* Quamobrem *ne veſtis ſerica viros fœdaret*, inquit Tacitus *lib* 2. *annal.* vetita fuit, ut hic à Valentiniano. At fœditas non modo veſtis, ſed & odoris, & coloris, apud ſobrios & frugi viros. Vide Lipſium & Dorleans in locum illum Taciti. Cæterum paragaudas fuiſſe veſtes auro contextas in fimbriis, patet *ex l.* 2. *eod.* ubi Gratian. & Theodoſ. Impp etiam prohibent, ne viri deauratas habeant, aut in tunicis, aut in lineis paragaudas, niſi hi tantummodo quibus hoc propter imperiale miniſterium eſt conceſſum. Conceſſerat & Aurelianus *militibus paragaudas veſtes*, inquit Vopiſcus, *cum ante non niſi rectas purpureas accepiſſent, & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, uſque ad pentalores, quales hodie lineæ ſunt.* Porro Imp. Gratianus tantum aulicis, & qui in miniſterio ſunt Principis, auratæ veſtis uſum ideo concedit, quia decet illos in Principis honorem ornatiores incedere, non alios inferioris ordinis; ornatus enim ille potius mulierum eſt, quo viris placeant.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Abeſſe itaque à cultu aulicorum ea omnia debent, quibus effœminari quis poteſt, certum enim eſt

8 illud, *qui corpori ſtudet nimis, negligit animum.** Moribus hodiernis ſeverior illa pœna in uſu eſſe deſiit, forte quia vilior effecta purpura & byſſus: remanſit tamen prohibitio, eaque ſæpe reiterata, veluti lex ſumptuaria, quæ indicit, ne viri veſtium luxu abſumant, quod Reipublicæ debetur; quorſum aurata fræna, balthea, calcaria, thoraces intertextum veſtibus aurum & argentum? Intereſt enim Principis locupletes habere ſubditos, neve quis re ſua male utatur, & materia numinis ſubtrahatur. Qua ratione Carolus V. Imp. in Hiſpania, Germania, & Belgio, uſum ſericæ veſtis certis tantum perſonis, habita cenſus & honorum ratione permiſit, ipſe lanea & plebeia veſte utebatur. Edicta plura lata refert Zypeus *in not. jur. Belg.* Extat in Hiſpania *l.* 8. *tit.* 1. *lib.* 4. *nova recopil.* ibi Azevedo, & pragmatica ſanctio Philippi III. Regis. In Gallia quoque ſæpius ſimilia edicta emanarunt, adverſus ſericas veſtes, & præcipue regnantibus Philippo Pulchro, Carolo IX. Henrico II. & Henrico IV. qui & omnem auri uſum interdixerunt, quo jam impune luxuria ad decorandas ornandaſque veſtes uti ſuaſit. Charond. *Sur le Cod. de Henry lib.* 10. *tit.* 22. *art.* 1. *& tit.* 24. *art.* 1. iidem edixerunt, ne in nuptiis aliiſque conviviis plus quam tria fercula apponerentur, ſub pœna 20. librarum Pariſienſium.

Dubito an ſatius foret diſſimulare, & luxum moderatum permittere, quam tot edicta & ſanctiones pragmaticas proponere, quæ ſæpe cum contemptu excipiuntur, & vix unquam executioni mandari poſſunt. *& hoc aſſequantur Principes, ut palam fiat quibus flagitiis impares ſint, ſubjectis vero ſi prohibita impune tranſcenderint, neque metus ultra, neque pudor eſt*, Tacitus *lib.* 3. *annal.* 9

Quod hodie paſſim videre eſt, ubique ſunt vitia remediis fortiora, ut loquitur Plinius *lib.* 2. *epiſt.* 20. atque edictis contemptis eo luxuriæ deventum eſt, ut etiam proletarij cives, & eorum filiæ holoſerica veſte, auratiſque ſegmentis utantur, ut verendum ſit, ne ſi opes defecerint, ad facinora incendantur, ex quibus ſubſequi ſolet mutatio & everſio ſtatus publici. Quod prædixit Ariſtoteles *lib.* 5. *polit. Fiunt in Republica*, inquit, *mutationes, cum homines ſua conſumunt. prodige viventes, hi etiam tales res novas quærunt.* Exemplis hoc politicum dogma illuſtrat Joan. Chockier *in ſuo theſ. pol. lib.* 5. *c.* 19. Addit Fragoſo *de regimine Reip. lib.* 1. *diſp.* 2. §. 10. *n.* 5. acerbe Deum reprehendiſſe Iſraëlitas, quod peregrinas veſtes induerent. Conſtat *ex Sophon.* 1. *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina*, ſive externa, quia quando peregrinæ veſtes placent, mos ac vitia peregrina non diſplicent, neque etiam religio. Quamobrem oportet peregrinos mores, externaſque veſtium formas reſpuere, & odio habere, ne ex peregrina veſte, religionis contemptus inducatur. Satius inquit Juſtinianus, retinere mores fideliſſimæ vetuſtatis, *l.* 18. *C. de teſt*, & patrias veſtes, quam externas quærere, cum diminutione ſæpe patrimonij. Præterea veſtes proprio ordini & dignitati convenientes gerere oportet, *l.* 15. §. 1. *ff. de uſufr.* ut per decentiam & moderationem veſtis extrinſecæ, morum honeſtatem intrinſecam quiſque oſtendat. Etenim ut in aliis rebus mediocritas, ita & in veſtitu placet. Seneca *epiſt.* 9. *Non fulgeat veſtis, ſed neque ſordeat.* 10

Potiſſimum autem magiſtratibus, & judicibus decens veſtium ornatus convenit, ad tuendam ſuam dignitatem, conciliandamque auctoritatem, quæ minuitur, ſi in veſtibus ſordeat. Ariſtot. *6. polit.* Et hic ſenſus populi Romani fuiſſe videtur, qui teſte Plutarcho, infenſus fuit Catoni, quod Prætor renuntiatus, jus diceret indutus abjectis & laceris 11

ceris veſtibus, quaſi illo quotidiano & nimis obſoleto cultu, præturam deprimeret. Inde fortè effectum ut Prætoribus cæteriſque magiſtratibus, Romani diſtinctum veſtium genus, & inſignia tribuerint, & Imperatores viris virtute bellica claris dari juſſerint, virtutis amictum, trabeam & militiæ cingulum, Senatoribus latum clavum, quo quidem uſi fuere uſque ad tempora Alexandri Severi, de quo *l.4. de teſtam. mil.* Nec potuerunt militarem habitum uſurpare intra urbis mœnia, ſed chlamydis terrore depoſito, Senatores quieta colaborum ac penularum induere veſtimenta oportebat, ut ait *l.1. C. Theod. tit. de habitu quo uti oport. intra urb.* Sed Juſtinianus Senatoribus pro ſtemmate ſuæ dignitatis etiam cingulo uti permiſit, *Novell.* 82.*c.*1.§.1.

Porro cæteris uſum Zangarum, & bracharum intra urbem uſurpare non licebat, *l.2. C. d. t.1.* Officialibus vero per quos neceſſaria peraguntur, uti penulis erat permiſſum, atque talium veſtium genere ſe contegere, quo conditionis ſuæ neceſſitatem teſtarentur. *d.l.1. & 2.*

13 Quomodo Alexander Imp. non officialibus tantum, ſed & omnibus veſtem cujuſque dignitatis propriam dare in animo habuit, ut veſtitu à privatis dignoſcerentur, ſed hoc Ulpiano & Paulo diſplicuit, dicentibus, *plurimum rixarum fore, ſi faciles homines eſſent ad injurias. Tum ſatis eſſe conſtituit, ut equites Romani à ſenatoribus clavi qualitate diſcernerentur.* Ita Lampridius *in Alex.* Meminerant iſti Juriſconſulti, quod ſcribit Livius *l. 33. omnia talia diſcrimina quibus ordines diſcernerentur, & concordiæ, & aqua libertatis minuenda eſſe.*

TITULUS IX.

De Fabricenſibus.

1. *Qui dicantur Fabricenſes, varia armorum genera recenſentur, & Fabrica.*
2. *Arma ſignum vocale præliorum fuiſſe & eſſe oſtenditur.*
3. *Ex meliori materia ferri arma conficiebantur, nec fieri poterat commutatio, aut oblatio pecuniæ, pro ferri ſpecie.*
4. *De fabrica, & Fabricenſium ordine, item de magiſtro officiorum, qui per chartularios curabat ne privati arma facerent.*
5. *Reponebantur arma in armamentario, & à Ducibus belli tempore diſtribuebantur.*
6. *Cura armorum deinde fuit penes Patres civitatum, antea penes Primicerium, & protectores, quibus data immunitas, & jus adorandi purpuram.*
7. *Conſultum nunc foret ut fabrica protectores eligerentur, & arma ſemper parata aſſervarentur.*
8. *Ut aliquis in fabricenſem eligeretur, docere debebat ſe non eſſe curialem.*
9. *Fabricenſium brachia ſignabantur, ut agnoſcerentur latitantes.*
10. *Non poterant ſuam militiam deſerere, & filij eorum æque erant adſtricti, & delictum unius tenebat omnes.*
11. *Coram quo judice conveniantur, privilegium datum mariso, uxori & liberis prodeſt.*
12. *Qua pœna puniantur Fabricenſes procurationem, aut agriculturam ſuſcipientes.*
13. *Facienda tranſvectio armorum ex publico, præſtitis Angariis.*
14. *Tarditatis & negligentiæ pœna in tranſmittendis armis, & quam periculoſa illa ſit, belli tempore.*
15. *Item avaritia præfectorum qui pro conſervatione arcis, non exponunt pecuniam.*

Fuit quoque certum corpus Fabricenſium, qui 1 in publicis fabricis ſeu officinis arma bellica fabricabant, aut militibus arma procurabant, de his ſcripta eſt Novella Juſtiniani 85. ad Baſilidem ſacrorum officiorum Magiſtrum, quæ varia armorum genera continet, arcus videlicet, ſagittas, enſes, machæras, ſpathas, rompheas, frameas, contos, lanceas, & quæ vocantur zabæ, ſive loricæ, & apud Iſauros monocopia, miſſilia, aſpides. Arma vero quibus ſe muniebant milites Romani & ad bellum progrediebantur, erant galeæ, loricæ, clypei. Galeâ caput tegebant, loricâ pectus (nam à tergo nullus erat metus) clypeo totum corpus. Contrà Germani, *vix uni, alterive, caſſis, vel galea. Lanceis majoribus utuntur, & frameis, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel comminus vel eminus pugnent.* Tacitus *de morib. Germanor.* Conficiebantur Loricæ in loricaria officina ex corio crudo, nunc ex ferro: in Clibanaria, thoraces ferrei, & omnis cataphractorum militum, & equorum armatura: In Baliſtaria baliſtæ, & in Scutaria ſcuta parabantur, hæc ex viminibus, ad formam ſcapharum fiebant, ventre lato & anguſtis extremitatibus, ut ancilia, & ea maxime ad excipiendos ictus, tegendumque corpus ſerviebant, & aliquando, ad trajicienda flumina, quaſi lintres.

Nec illud indicare prætermittam, apud Romanos 2 arma ſignum vocale præliorum fuiſſe. Ij enim orta ſeditione, quoties capeſſenda arma erant, conclamabant, ad arma. Quæ vox aliquando à Germanis militibus male intellecta, in vocem Barbaram, & vulgarem illis mutata eſt, lerma, Tacitus *lib.* 18. Conſueverunt namque cantu truci, & more patrio prælia ineuntes, clamare, lerma, lerma. Nos autem alarma, quaſi ad arma conclamamus.

ſunt

Sunt inſuper arma ſigna non vocalia. Nam Romani milites ſolebant, referente Ammiano Marcell. *lib.* 15. cum volebant proſperitatis ſignum oſtendere. ſcuta genibus illidere. Cum vero haſtis clypeos feriebant, ſignum maximum erat iræ & doloris, ſi milites clypeis capita ſubjiciebant, erat deditionis ſignum. Ubi vero in acie clypeos clypeis, enſes enſibus, arma denique armis conjungebant, indiſſolubili nexu colligatos & paratos ſe eſſe demonſtrabant. Nunc de fabrica.

Hęc arma ex nobiliori ferri materia cudebantur,
3 quæ nimirum facile ignibus liqueſceret. Hinc illi qui tenebantur certas ferri ſpecies fabricenſibus præſtare, ipſas abſque dilatione inferre debebant, neque liberabantur ferri æſtimationem, ſeu pecuniam dando pro ſpeciebus, quia data fuiſſet occaſio vitiatum ferrum comparandi. *l. 1. h. t.* Unde non valet reſcriptum ſuper hujuſmodi tranſmutatione ſpecierum, & ut poſſit aliquis ſolvere fiſco unam ſpeciem pro alia ordinarij canonis, *l. fin. De canon frum. urb. Romæ.* * Erant in Romano Impe-
4 rio publicæ fabricæ, in Illyrico quinque, in Italia ſex, in Gallia octo, in aliis locis aliæ, relatæ à Jacobo Gutherio, *De off dom. Aug. l. 13. c. 12.* & Pancirolo *in notitia utriuſque Imperij.* atque omnes ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum, prout & ipſi fabricenſes, qui operabantur in fabricis, & chartularij à Juliano ſcriniarij dicti, qui ſolùm militum arma procurabant, & conquirebant eos, qui privatim arma fabricaſſent, nam nemini privato licebat arma fabricare, nec alio in loco quam deſtinato; erant namque tales officinæ ſacræ devotiſſimæ ſcholæ & referente Juſtiniano, numero undecim, forte ſuo tempore *l. ult. ſup. De locato.*

Quin & ipſi fabricenſes arma nulli privato ven-
5 dere poterant, ſed ſi quæ nova fabricaſſent, cogebantur ſtatim deponere in armamentario publico (quale fuit Romæ, cujus meminit Cicero pro Q. Rabirio) ex quo belli tempore, arma ſumebantur non à quovis, ſed eorum fiebat diſtributio per Duces & Conſules, qui certam pecunię vim, pro quantitate ac qualitate armorum deſideratorum in ærarium publicum deferre tenebantur. Eo pertinet Ciceronis elogium, *Eo tempore ex ædificiis armamentariiſque publicis arma populo, C. Mario Conſule diſtribuente, data, ut Imperium populi Romani Majeſtasque conſervetur.* Poſtmodum armamentarij cura, & inſpectio fuit penes Patres civitatum, qui & aliorum operum publicorum curam habebant, ſub Juſtiniano ut patet *ex d. Novell.* 85. * Nam ante ejus tempora aliis
6 imperantibus inſpectio, & cura omnis fabricenſium & armorum erat penes Primicerium, qui exacto biennio in præmium immunitatem adipiſcebatur à muneribus publicis, & tutelæ, & ſimilium, non autem realium, à quibus nemo excuſabatur niſi ſingulari privilegio: Item inter protectores quaſi veteranus honorem obtinebat, & jus adorandi purpuram ſacram. *l. 2. h. t.* maximus namque hic honos erat poſſe Principem ſalutare *l. 1. & 2. infr. de domeſt. & protect.* Protectores autem fabricæ, eos fuiſſe puto, quibus fabricæ tuitio & conſervatio annorum commiſſa. *l. 27. Cod. Th. De erogat. mil. annon.* qui tribunatus dignitatem deinde conſequebantur. *l. 2. d. t. De domeſt. & protect.*

Optimum quoq; foret, ut hodie artificum aliqui 7
tanquam fabricæ protectores eligerentur, qui peritos artifices ab imperitis diſcernerent, arma proba, ingenioſè compoſita, rejectis inconcinnis ac inutilibus, eligerent, & quibus reliqui fabricenſes parerent, cum Reipub. intereſt optimos habere artifices, & arma ſolerter fabricata, ad ſui ſuorumq; civium tuitionem: Arma, inquam, omnis generis & ad varios uſus parata, promptaque in armamentario, adverſus quamcumque vim, & repentinas hoſtium incurſiones. Nam ut ait Lipſius *lib. 5. polit. cap. 6. ſubito illa ægre parantur, & ſemel parata non ſolum in bellum valent, ſed ne ſit bellum.*

Cùm itaq; inter artifices magna eſſet differentia, 8
non niſi peritiſſimis armorum confectio committebatur, quibus ſuberant ſcholares arma ad miniſterium Principis, & Reipublicæ fabricantes, qui tamen in ordinem & collegium fabricenſium recipi non poterant, niſi prius his quorum intereat convocatis, armorum ſtudioſus acta conficeret, ſeſeque doceret curiali conditione liberum, id eſt, non avo, non patre curiali progenitum, nihil ordini civitatis debere; nullique civico muneri obnoxium. *Atque ita demum geſtis confectis, vel apud moderatorem provinciæ, vel ſi is abſit, apud defenſorem civitatis, ad militiam quam optaverat, ſuſcipiebatur. l. 4. h. t.* Quod ſi abſque hac obſervatione quiſpiam in fabricenſium conſortium irrepſiſſet, ad ordinis cui erat adſtrictus, patriæque ſuæ munera retrahebatur, nulla obſtante præſcriptione temporis, nec ſtipendiorum prærogativa. *d. l. 4. & l. 55. ſup. De decur. & l. 8. Cod. Theod.* * Cautione iſta præſtita fabricen- 9
ſium in numerum, ſtigmata, hoc eſt nota publica ejus brachiis ad imitationem tyronum infligebantur. *l. 3. h. t.* ut ſi cæterorum artificum eſſet in Republica confuſio, horum tamen eſſet aliquod diſcrimen, quo periti ab imperitis diſcernerentur; Item ut hac nota poſſent latitantes agnoſci, & fabricæ reſtitui qui aliam militiam affectaverant. * Adeo enim ſuæ militiæ erant adſtri- 10
cti fabricenſes, ut non poſſent pro arbitrio eam deſerere, ſed cogerentur una cum ſobole ſua, eidem conditioni ſervire & adhærere. Denique quod amplius eſt, unius delictum conſtrigebat omnes è corpore fabricenſium, & damnum ab uno datum, ad omnium tranſibat diſpendium, *l. 5. h. t.* Idem receptum in naviculariis *ſup. de naufragio,* ea ratione, ut ſtricti nominationibus ſuis

ſociorum actibus quandam velut ſpeculam & cuſtodiam gererent: quæ res non mediocrem fiſco utilitatem adferebat. Non movet quod nemo debeat ex alterius facto prægravari, quia ſpeciale hic eſt favore fiſci, & gravamen quod ex unius facto plures fabricenſes ſentiunt, penſatur commodo ſucceſſionis, nam ſibi mutuo ſuccedebant, & fiſcum ab inteſtato deficientibus liberis, cognatis, & uxore, excludebant. Bart. & Lucas de Penna & Joan. de Platea *ad d. l.* 5. Huc facit *l.* 3. *ſup. de hæred. decur.* quod fabricenſes inter ſe collegarum ſuorum ſolatiis perfruerentur.

11 Præter hoc ſucceſſionis privilegium, aliud habebant fabricenſes & uxores eorum, ac liberi qui itidem ex eodem collegio cenſebantur, quod non poſſent, ſuper civilibus vel curialibus muneribus, coram alio judice quam magiſtro officiorum conveniri, ne quidem poſt expletum officium. *l.* 6. *h. t.* Unde colligitur finito munere perdurare privilegium dignitatis, ac illud prodeſſe uxori & liberis, ſiquidem datum ſit familiæ, & poſteritati, ſecus ſi reſtrictum ſit ad perſonam privilegiati. *l.* 13. *ſup. tit.* 7. Platea *ad d. l.* 6.

12 Cæterùm durante officio (nam quandoque erat temporarium, ut colligitur *ex d. l.* 6.) fabricenſes ne diſtraherentur, interdicta iis fuit alienarum rerum conductio, procuratio, & agricultura *l. ult. h. t.* ut & ante militibus, *l.* 31. *ſup. de locato. l.* 5. *ſup. de condictionib. ob cauſ. dat.* pœna amiſſionis, rerum dominis ſcientibus, impoſita, fabricenſibus perpetui exilij, poſt facultatum ſuarum amiſſionem. *l. ult. h. t.*

13 Subjicitur in eadem lege, de tranſvectione armorum, ut priuſquam fiat, magiſter officiorum litteras dirigat ad Præfectum prætorio, quibus numerum, & locum ex quo transferenda ſunt indicet, ut continuo convocatis provinciæ Rectoribus, ſecundum miſſam notitiam, naves vel angariæ ex publico præbeantur. Angariæ late continent jumentorum, curruum, navium præſtationem; opus enim eſt animalibus, plauſtris, navibus ad tranſvectionem armorum, & aliarum rerum. Cujacius *hic in l. ult. & in tit. de curſu publ. & nos ſup. tit.* 3. *num.* 8.

14 Quod ſi aliqua tarditas, vel negligentia datis litteris interceſſerit, ex parte Præfecti, aut Rectorum, & ideo transvectio armorum fuerit impedita; tam ipſi quam eorum officia, apparitores videlicet & exactores, quinquaginta libris auri mulctantur, eaque ſumma ſtatim ubi exacta, fiſco applicatur. *d. l. ult. in fin.* Tarditatis enim varia eſt æſtimatio, atque in bellicis negotiis nulla eſt negligentiæ venia, ut ait Vegetius *lib.* 3. *c.* 5. Quod ſæpe cauſa fuerit cur multi res magnas non confecerint. Hannibal unius diei mora victoriam corrupit. Labitur ſæpe occaſio, ſi miles & arma præſto non ſint. Quæ cauſa ut varia ſit pœna pro diverſitate negotiorum: Unde tempore belli gravior iis imponitur, quibus cura & ſollicitudo arma procurandi. & tranſmittendi credita eſt, ut fruſtra allegent, ſe non eſſe monitos à præfectis, cum muneris illorum ſit, iſta ex publico procurare. Ideo in publicis negligentia latæ culpæ tribuitur. Argentræus *ad conſuet. Britan. art.* 31. *des juſtices not.* 2. *n.* 6. * Confertur & iſta culpa in 15
Præfectos, qui arma, pulverem nitratum cæteraque ad locorum defenſionem neceſſaria, in tempore non comparant, etiam propria pecunia, quam recuperare ex publico poterunt: præſtat enim pecuniæ partem prærogare, quam locum & famam amittere, ita ut nulla hic excuſatio ſit admittenda, ſed punienda avaritia & cunctatio Præfectorum, qui ſæpe inopes munus ſuſceperunt, ex quo pauco poſt tempore opulenti evadunt.

TITULUS X.

De veteris numiſmatis poteſtate.

1. *Moneta, nummi, & pecunia appellatio promiſcua: pecunia à pecore, moneta à monendo dicta.*
2. *Nummi lege conſiſtunt, quæ eorum forma & materia?*
3. *Æris nummus in uſu, prohibetur plumbeus, & coreaceus.*
4. *Solius Principis eſt monetam cudere, & imagine ſua ſignare.*
5. *Qui hoc jus uſurpat, reus eſt majeſtatis, etiamſi probam monetam cudat.*
6. *Quanta apud veteres monetæ veneratio & cura.*
7. *Nec reſcripto competere alicui poterat jus cudendi monetam, quibus id nunc competat?*
8. *Nummorum pretia certa & figurata eſſe oportet.*
9. *Quæ fuerit antiquorum numiſmatum vis, & poteſtas.*
10. *Quid ſit ſolidus, quo tempore diviſus in ſemiſſes & tremiſſes, & quare?*
11. *Bonitas monetæ alia intrinſeca, alia extrinſeca. Liga eſt ſpecies mixtura.*
12. *Auri bonitas ad quot caracta aſcendat. Hæc quot habeant grana. De marca auri & argenti ſuri ejuſque pondere.*
13. *Sine conſenſu populi, & juſta cauſa monetæ mutatio eſt illicita.*
14. *Monetam abrogare, vel detrahere aliquid adulterato metallo non licet, niſi urgeat neceſſitas publica.*
15. *Princeps ſuum ærarium ne augeat ex opibus ſubditorum, vel vicinorum monetam corrumpendo.*
16. *Id agat ut pecuniæ ſuus conſtet valor, & poteſtas.*
17. *Si pecunia augeatur, augentur & rerum venalium pretia, ſicut itidem ſi minuatur mandato Principis, minuuntur.*

Titulo VII. De monetariorum corpore actum, 1
in hoc de monetæ valore & poteſtate agitur. Monetæ, nummi, & pecuniæ appellationes fere hodie

die promiſcuæ ſunt, ac ſono tantum vocis diſtinguuntur. Sed tamen nomen aliud alio antiquius. Et enim pecuniæ appellatio, ante nummi & monetæ uſum uſurpata fuit, ac nomen à pecore deductum eſſe docet Varro, quia pecudis notam principio referebat à Servio Rege, & quidem imitatione Græcorum ſignata fuit. Plinius *lib. 15. cap. 3. & lib. 33. c. 3. Servius Rex primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ* Timeus tradit. *Signatum eſt nota pecudum, unde & pecunia appellata.* Fortaſſe quia opes olim in pecudibus conſiſtebant, & quidquid unuſquiſque poſſidebat, pecuniæ vocabulo fuit, *l. 178. & l. 222. ff. de verb. ſign.* Irrepſit poſtea monetæ appellatio, à monendo dicta, quod moneat fraudem à pecunia abeſſe debere. Iſidorus *lib. 15. c. 7.* * Et à lege ſeu
2 ſanctione dictus nummus quaſi νόμος, inde numiſma, quod non natura, ſed lege conſiſtat, ut dicit Ariſtot. *lib. 5. Polit. cap. 5.* nam licet ante monetæ uſum & nummorum percuſſionem, homines permutatione rerum commercia exercerent, poſtea tamen lege, uſus nummorum vel numiſmatum introductus fuit. *l. 1. ff. de contrah. empt.* Æris appellatione nummus ſubinde ſignificatur, quia priſcis temporibus æs tantum in uſu erat. Et grave quidem æs dicebatur à pondere, quia dein aſſes ſinguli pondo libræ efficiebant denarium, ab hoc ipſo numero dictum inquit Feſtus. Semper itaque gravior fuit æreus nummus, quam argenteus aut aureus: levior coreaceus, vel papyraceus, quem apud Spartanos vel Siculos commutationum neceſſitas aliquando induxit; Plutarch. *in Lycurgo.* Seneca *lib. 5. de benef. c. 14.* * Æris appellationes coreaceos num-
3 mos comprehendi affirmat, *æs,* inquit, *alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod uſum numeratæ pecuniæ præſtat.* Id quoque apud Gallos factitatum fuiſſe tempore Joannis Regis, auctor eſt Guido Papæ *deciſ. 443.* Hodie tantum ex ære, argento, & auro nummi cuduntur, ſtannei & plumbei penitus ſunt prohibiti, & quidem *l. Cornelia* damnati. *l. 8. & 9. §. 2. ad l. Corn. de falſ.* Eâdem quoque vetitum fuit, ne fabri argento plumbum admiſcerent, ut ille ad quem Plautina perſona in Moſtellaria:

Tace tu Faber, qui cudere ſoles plumbeos nummos.

4 Cum igitur omnes populi uſum æris, argenti, & auri accepiſſent, & placuiſſet omnia jura in Principem transferri, ſimiliter hoc jus nummorum ſummæ poteſtati reſervaſſe videntur, eoque conſuetudo rem perduxit, ut non alia quam publica auctoritate nummi cudantur, & conſtituantur; ita ut nummus dici non poſſit priuſquam ſigilla publica metallis imprimantur, & id à ſupremo Principe mandetur, cui ſoli competit jus nummi percutiendi, imagine ſua ſignandi, ejuſque valorem & poteſtatem conſtituendi. Quo poſt legem, in Republica nihil magis neceſſarium videtur, unde etiam imperij ſalus tota pendet. * Ideo Imperator Valenti- 5
nianus nummos non alios quam ſua imagine formatos, tradi, ac ſuſcipi ab ementibus jubet, *l. 1. h. t.* ut nummis ſua conſtet auctoritas, & veneratio, quæ Principi debetur, ejus imagini exhibeatur, juxta illud *Matth. 22.* cujus enim imago eſt, ejuſdem eſt ſuperſcriptio, quam uſurpare privatis non licet. Læditur ob id majeſtas Principis, & ideo Commodus Imperator Pereninum familiarem ſuum pœna capitis affecit, quod nummos publicos ſua imagine ſignaſſet. Sic ut majeſtatis, & peculatus crimine teneatur, puniaturque ſeveriſſime qui circa monetam peccat, aut dum in ea operatur extrinſecus ſibi ſignat pecuniam forma publica, vel ſignatam furatur, *l. 6. §. 1. ff. ad l. Jul. pecul.*

Ideo forte tollendi criminis occaſione ſancitum 6
fuit, ut Triumviri monetales, aurum, argentum, æs publicum ſignarent, & in æde Junonis monetalis moneta percuteretur. Et Carolo Magno tam ſanctum hoc jus cudendæ monetæ fuit, ut nullibi quam in ipſo Palatio eam cudi voluerit, ejus exemplo ſequentes Imperatores & Reges domos publicas nummis conficiendis deſtinarunt, & certis perſonis hanc facultatem cudendi monetam dederunt, aliis prorſus inhibita.

Ac ſub imperio Theodoſij, Valent. & Arcadij 7
tanta veneratione tractata fuit moneta, ut nullus Principe inferior eam cudere potuerit, *l. 2. C. De falſa moneta. In monetis tantummodo noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentari volumus, & l. fin. eod. tit.* Generaliter prohibetur ne quiſquam ſuper cudendo ære, vel ex reſcripto, vel annotatione Imperatoris ſibi arripiat facultatem. Tandem hoc jus privilegiis & præſcriptionibus inferiores Principes uſurparunt, atque in imperio penes Electores, ſtatus imperij & liberas civitates remanſit; ſed certa tamen lege quoad formam & materiam monetæ; quam excedere, aut mutare non licet. Eadem prærogativa gaudent hodie Principes Italiæ, retinentque idem jus Reſpublicæ liberæ. Et hinc tam diverſæ hodie inſcriptiones & imagines monetarum. Laudenſ. *de monet.* Mynſinger. *cent. 4. obſ. 24.*

Merito Principes ſupremi hoc jus ſibi reſervant, 8
quod interſit Reipublicæ, nummorum pretia eſſe indubitata, & conſtare materia & forma proba, non adulterina, ut ait Leo Imp. in ſua *Novell. 51.* Sic cum ante dubitaretur de veteris numiſmatis poteſtate, quaſi deſiiſſet cum ipſis Principibus, conſtitutum eſt ut vetera numiſmata gemmarum vicem obtinerent in quæſtione uſusfructus, non quod gemmæ ſint, aut lapilli, ſed quia in uſufructu relicto aut conſtituto, gemmarum locum occupant, & iis pro gemmis utamur, *l. 28. ff. De uſufructu l. 19. & l. 27. § 1. ff. De auro & arg. leg.* * Ubi auri vel argenti legati ap- 9
pellatione, venire antiqua numiſmata docet Ulpianus,

Digitized by Google

nus, cum purum ſit aurum numiſmatum & ſignatum, ſimiliter Valentinianus, veteri numiſmati; ſive ſolido ſuam reddi voluit poteſtatem, modo debiti ponderis, & materiæ probæ eſſet. *l. 1. h.t.* ſolidum intelligit, non quod ex ſolido purove auro excuſus eſſet, ſed quod eſſet integer, nihilque ei deeſſet. Sic Iſidorus ſcribit, *ſolidum integrum veteres dixiſſe, & totum.* ac ita in variis legibus ſumitur, ut in *l. 4. §. 11. ff. de fideicom. l. 14. §. 1. ff. ad l. falcid. l. 78. ff. De leg. 2. l. 85. ff. de ſolut.* Hic igitur ſolidus Alexandri Severi tempore, appendebat quartam unciæ partem, ſub Conſtantino ſextam, ita ut *96.* grana haberet, auctore Alciato. Cœpit dein dividi in partes, & per-
10 cuſſi fuere, aurei nummi, ſemiſſes, & tremiſſes.* Semiſſes dimidia ſolidi, ſive integri aurei parte conſtabant; tremiſſes tertia ejus parte quam vectigalibus obnoxij pendebant. Cogitaverat quidem Alexander Severus, ſcribente Lampridio, quartarium inducere, atque hoc nummo vectigal definire, quod ſub Heliogabalo ad ſolidum increverat, verùm hanc mutationem ratio ærarij paſſa non eſt; Itaque cum per ærarij anguſtias, & publicas neceſſitates non poſſet vectigalia contrahere, ſaltem hoc effecit, percuſſione nova ſemiſſium, & tremiſſium, ut qui ante puta decem aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam auri partem deinceps præſtarent, hoc eſt triceſimam partem. Covar. *De veter. numiſmat. poteſt. cap. 3. §. 2.* Gulielmus Budæus. *De aſſe.* Alciatus Gregorius Agricola *lib. De pretioſ. metallo.* & alij ſuperioris ſeculi auctores, ſolidum aureum viginti quinque denarios argenteos valuiſſe affirmant, qui totidem ſunt regales noſtræ monetæ, ita ut decem aurei faciant 250. denarios. Quemadmodum apud veteres infinitæ erant nummorum ſpecies, ita & varia eorum poteſtas, quam dicti auctores proſequuntur, nos quæ ad uſum magis pertinent, his addemus.

11 Improbatur moneta; cui deeſt ſuum pondus & bonitas. Bonitas duplex eſt; una intrinſeca, alia extrinſeca. Intrinſeca dicitur ſubſtantia ipſius metalli; tam in bonitate, quam pondere. Extrinſeca vero bonitas conſiſtit in valore impoſitio, ſeu æſtimatione. Bart. *in l. cum quid. 3. n. 16. & ſeq ff. de reb. cred. & DD. in l. Paulus ff. de ſolut.* Aliter Molinæus *de commerc.* Bonitas metalli, *liga* eſt, quam ita Hiſpani, Galli, *Alloy* vocant. Eſt autem liga ſpecies mixturæ, vel gradus metalli propter admixtionem vilioris materiæ, quæ mixtio certa eſt & ob commodiorem durabilioremque uſum, & ſumptuum monetalium penſationem, definita. Nam ex lege publica huic ligæ certa qualitas & quantitas, nimirum bonitas interior, ejuſque legitimum pondus aſſignatur. Auri bonitas ſeu æſtimatio aſcendit ad 24. gradus, nec fieri humana induſtria perfectius poteſt. Gradus appellantur caracta, quæ *Quilates* Hiſpani vocant. Sic artifices marcam in 24. caracta, ſeu caratia ſeu ſiliquas dividunt. Siliqua namque cum caratio idem eſt, Columella *lib. 3.* Unde non recte Accurſius ſiliquam pro ſolido accipit *in l. un. De impon. lucrat. deſcript.* Eſtque illud aurum quod 24. caratiis conſtat, adeo purum ut obrizum vocetur *in l. 3. tit.* id eſt ſumme bonum, quodque nullam prorſus mixturam alicujus metalli habet.
* Quod ſi marcæ auri ſit admixta 24. æris vel ar- 12
genti pars, dicetur aurum iſtud 23. caractorum, ſic ſi in auri marca, ſit 12. portio argenti vel æris, dicetur aurum hoc 22. caractorum, atque hanc auri bonitatem facillime deprehendunt Zygoſtates, itemque aurifices lydio lapide aurum probantes. Igitur unumquodque caractum 4. grana habet, quodlibet granum tres grenas, atque ita quælibet marca auri 288. grenas conficit. Regulariter in jure marca pro 72. aureis ſumitur, nunc 68. ducati Hungarici marcam faciunt, ſed argenti marca conſtat 8. unciis, ſeu 16. ſemunciis, id eſt, lotonibus, ſive 12. denariis, ad quos argenti bonitas exſurgit. Marca autem argenti cuſi mixturam habet, & puri argenti tantum 14. latones, 4. grana continet. Semunciæ ſive latones ſinguli continent 4. drachmas. Duæ vero marcæ conficiunt libram Regiam. Quomodo vero marcæ variarint, eleganter docet Tileman. *lib. 4. c. 7. & ſeq.* Marca argenti jure civili 5. aureis proportione ad aurum habita æſtimabatur, ut dixi *ſup. l. un. de argenti pretio.*

Quæritur an poſſit Princeps valorem monetæ mutare? videtur non poſſe per *l. 1. ff. de contr. empt.* ubi electa ſemel monetæ materia, publica ac perpetua ejus eſt æſtimatio, uſum ſui præbens, non tam ex ſubſtantia, quam quantitate. Idem per *l. 3. ff. de in litem jur. & l. 3. ff. de eo quod certo loco.* certa, perpetua & ubique eadem eſſe dicitur pecuniæ æſtimatio, adeo ut eam reſpuere non poſſint ementes vel diſtrahentes ſub gravi pœna. *l. 1. h.t.* unde videtur olim raro potuiſſe mutari moneta. Contra vero mutatam ſæpe fuiſſe innuit Modeſtinus *in l. 9. ff. de auro & argento leg.* cum ait, *auri vel argenti pondus legatum eſt, ſi non ſpecies deſignata ſit, non materia, ſed pretium præſentis temporis, præſtari debet.* Ideo dicit præſentis temporis, quod frequens eſſet mutatio valoris monetarum. Scribit & Plinius frequenter Principes auri pondus imminuiſſe. Confirmatur id ex *l. 2. h. t.* ubi Impp. volunt, imminuta pecuniæ æſtimatione, ſimiliter minui pretium rei pecunia illa æſtimatæ, de qua infra.

Dicendum itaque poſſe Principem monetæ va- 13
lorem minuere vel augere, ſi accedat conſenſus eorum quibus præjudicium ex mutatione fieri poſſit, & juſta ſit cauſa mutandi, ut quia materia facta eſt vilior, vel pretioſior, communi hominum æſtimatione, aut quia non habet juſtum valorem ſervata proportione materiæ. Covarr. *de vet. numiſm. cap. 7. in fine,* ubi plures DD. refert. * Alias non licet pro- 14
bam juſtamque æſtimationem ita mutare, ut à

ſuo

Digitized by Google

ſuo valore & metalli bonitate intrinſeca diſcrepet: multo minus monetam uſu receptam eo fine abrogare, ut ex auro alterius metalli mixtione corrupto, moneta aurea vilior cudatur, vel ut aliquid, non mutato valore, de pondere detrahatur, niſi extrema neceſſitas ſit (quippe ſemper excepta intelligitur) quæ ubi ceſſat, adulterandi licentia tollenda eſt. Quoniam propter pecuniæ pravitatem plerumque commercia ceſſant, & odio populares in Principem conſurgunt, Ideo Bodinus *de Republ. lib. 3. cap. 3.* ait. *Principi non magis licere improbam monetam cudere, quam occidere, quam graſſari, nec à jure gentium, quo quidem auri & argenti pretium conſtitutum eſt, diſcedere, niſi Regis nomen ac ſplendorem amittere, & falſa moneta fabricator, quam Princeps appellari malit.* Quare audiendi non ſunt aulici, qui illud ſuggerunt Principi conſilium, ut ſubditorum nummos ad ſe recipiat, ex iis aliquid detrahat, vel immutet, atque ita diminutos vel mutatos æquali prorſus valore reſtituat, unde ærarium augeatur.

15 Bonus Princeps id non admittat, nec in ſuum ærarium inferri opes ſuorum ſubditorum patiatur; Neque jubeat vicinorum Principum monetam auream, deferri in officinam monetariam, in hoc dumtaxat, ut monetariæ utilitates creſcant, ead emque materia corruptior in populum proferatur, alia tantum imagine ſignata. Curandum enim ut veterum ac recentiorum numiſmatum pretia, ubique eandem æſtimationem ac poteſtatem retineant, *l. ult. h. t.* ubi capitali pœna plectuntur, qui juſſa Principum avaritiæ cœcitate contemnunt, & audent ejuſdem numiſmatis valorem viliorem reddere, cum ſoli Principi urgente cauſa id licere dixerim.

16 Quamquam hoc ſemper Princeps debeat agere, ut ſuus pecuniæ conſtet valor intrinſecus. & poteſtas, ne ullus in commerciis damno afficiatur, & quæſtoribus, monetariis, & mercatoribus ad fraudes via aperiatur, à quibus ſæpe etiam Principis conniventia, pecunia augetur; quæ præſentiſſima Reipublicæ peſtis eſt, nam miſere à mercatoribus decipiuntur cives, fallaci illo pecuniarum augmento, cum annonæ caritas, & mercium omnium pretia illo creſcente creſcant, mercatores enim carius vendendo recuperare conantur, quod de pecuniæ bonitate detractum eſt.

17 Si vero Principis auctoritate creſcat pecuniæ augmentum (non privatorum avaritia & dolo) æquum fuerit pari proportione creſcere rerum venalium pretia, quæ eadem moneta emi ſolent, & ſi minuatur æſtimatio, ſeu pretium monetæ, minuenda eſſe rerum pretia, *juxta l. 2. h. t.* cujus frequens uſus in contractibus, hoc præſertim tempore, quo pene quotidie nummorum pretia mutantur. Quare ſi res ſit vendita 20. aureis, & ante numerationem pretij ordinatione Principis, imminuta fuerit aureorum æſtimatio, minuendum erit, proportionaliter rei venditæ pretium, & datis 20. aureis emptor liberabitur, licet aurei tanti nunc non valeant, quanti dum contractus iniretur. Cujacius *ad d. l. 2.* At Ant. Faber *de nummariis ſolut. cap. 6.* exiſtimat *tum rerum omnium pretia decreſcere, eo caſu quo vere & effectualiter æſtimatio auri extrinſeca diminuitur, hoc eſt ſubſiſtente retentaque eadem aureorum & monetarum inferiorum bonitate intrinſeca.* Aliter Molineus *de uſuris n. 715.* & Larrea *ad deceſ. Granat. diſp. 11. & ſeqq.*

TITULUS XI.

Nulli licere in frenis, & equeſtribus ſellis, & baltheis margaritas & ſmaragdos & hyacinthos aptare, & de Artificibus Palatinis..

1. *Prohibitum ſellis & frenis equorum gemmas inſerere. Expedit Reip. ne quis re ſua male utatur.*
2. *Privatis interdicitur veſtium ornatus, & cucurnia, cujus varia ſignificatio.*
3. *Permittitur fibula aurea, non gemmata, baltheus & chlamys militaris, quæ non ſit purpurea. Quæ dona militibus darentur.*
4. *Mulierum veſtibus & annulis virorum gemmas licuit apponere, & quare?*
5. *Sub prætextu offerendi Principi munus gemmatum, non licet illud conficere.*
6. *Qua pœna puniatur qui gemmata veſtimenta facit, quæ per ſolos palatinos in aula ſunt conficienda.*
7. *Artifices tenentur exercere artes ſuas in officinis, non privatim, vaſa aurea & argentea ad privatum uſum parare licet.*
8. *Qui ſpecie boni publici aliquid faciunt contra jura puniuntur, & apparitor qui ſine mandato clericum trahit ad judicem ſecularem.*
9. *Quid ſi clericus reus ſit alicujus criminis & monitus non ſe corrigat.*

QUemadmodum veſtes ſericas, aut intextas privatis habere aut conficere non licet, *ſ. p. 1.* 8. ita nec illis permiſſum eſt, in frenis, ſellis, baltheis, margaritas, ſmaragdos, & hyacinthos aptare, vel inſerere, *l. un. h. t.* Reſervant enim ſibi Principes ſplendidum in equis & ſellis equeſtribus apparatum, ac in veſtibus ornatum, quo privatos uti non decet. Expedit enim Reip. ſubjectos habere locupletes, & ne divitiis ſuis male utantur. Nam luxus & nimia pompa, non tantum res diminuit, ſed & ſenſim totam ſubſtantiam exhaurit. Unde ſæpe fit ut nobiles qui patrimonium abſumpſerunt, novas res moliantur, bella ſuadeant, ex quibus ſugant, quod patrimonio ſurrogent. Ariſt. *lib. 5. polit. c. 6.*

Ut

Ut igitur privati, cujuſcumque dignitatis, pro-
2 feſſionis & generis à veſtium ſumptu, & qualiumcumque gemmarum ornatu ſe temperent, præcipit hic Leo Imp. *ac de cucurniis omnem gemmarum habitum ſubmoveri*, id eſt, ut gemmæ nullæ iis inſerantur. Cucurniam vocat Accurſius, alij Curcumiam, illam videlicet partem freni, quæ ori equi imponitur, & vulgo morſus equi appellatur, Hiſpanicè *el bocado del freno del caballo.* Aliis videtur vox Chaldaica quæ ſandalium ſignificat. Cujac. *lib.* 11. *obſ. c.* 20. à quo diſſentit ejus obſervator Dionyſ. Gothofredus, qui curcumam genus pharetræ eſſe dicit. Pyrrhus vero culcurnas legit, alij cucumas, quas Gallicè burſetas dicimus. Adeo varia eſt cucurniæ ſignificatio, ut quæ verior ſit non liqueat, magis tamen placet Accurſij interpretatio, quam Azo & Alciatus probant. Eoque pertinet conſtitutio Philippi III. Hiſpaniarum Regis anno 1600. 2. Junij lata, cujus meminit Garſia Tolet. *ad h. t.* quæ agit de ornamentis equorum, ſive *de los Jaezes y caparazones de las ſillas de los caballos, y de la forma que ſe ha de tener en ellos o no, oro, aljofar, ó perlas.*

Præterea prohibet Imp. ne privati, chlamydibus
3 purpureis, ſoli Principi debitis, gemmatiſque fibulis utantur, ſed iis ſolum quæ auro & arte pretioſæ ſunt. Veteres ut militum virtutem donis accenderent, equitibus donabant frenos aureos, & vexilla, quale fuit cæruleum, quo donatus eſt ab Auguſto Agrippa. Quandoque balthea, torques, annulos, coronas, aliaque militaria dona in milites alios diſtribuebant in præmium. Tacitus *lib.* 2. *annal.* ornabantur quoque chlamyde, cingulo, & aurea fibula. Livius *lib.* 1. *Tum puero annulum aureum tunicam lato clavo cum Hiſpano ſagulo, & aurea fibula, ornatum donat equumque.* Chlamys pallio brevior erat & ex una tantum parte induebatur, eaque ut Iſidorus ſcribit, fibulis infrenabatur aureis, ſine ulla gemma, hanc qui fibulis apponeret, quinquaginta libris auri mulctabatur. *text. h. in princ.* cum antea ad ſimilitudinem læſæ Majeſtatis, pœnæ periculum ſuſtineret, *l.* 4. *ſup. tit.* 8. nam Majeſtatem lædere videtur, qui ſimilem Principi habitum gerit.

Denique vetat ne quis privatus, ex auro vel
4 gemmis aliquid conficiat, quod ad cultum & ornatum Imperatorium pertinet: exceptis ornamentis muliebribus, & annulis virilibus, quibus gemmas licet inſerere: Quod autem annulis, potius quam veſtibus id liceat, ratio eſt, quod per hoc non aſſimilatur privatus Principi, neque diminuitur ejus ſubſtantia, quam conſervare publicè utile eſt, & nimium luxum coërcere, moderatus gemmarum ornatus illuſtribus fœminis permiſſus eſt, quia illarum veſtes diſſimiles ſunt veſtibus imperialibus. Petr. Rebuffus *ad h. t.*

5 Adeo gemmarum ornatus prohibetur, ut ne quidem ſpecie volentis munus aliquod gemmatum Principi offerre, id liceat conficere, quoniam pietas Principis hujuſmodi donum non admittit, nec patitur regium à privatis ſibi cultum offerri: ſubeſſe etiam poteſt aliquis timor, ne ſub velamine veſtis Principi oblatæ, ut Herculi maleficio veſti inſito, inſidiæ ſtruantur. Hinc ut veſtis oblatio privatis vetita, ita & ſublata collatio auri coronarij, quod conferebatur ad ornatum, & coronam Principum conficiendam *ſup. lib.* 10. *tit.* 74. Si quis aliquid con- 6
tra vetitum hujuſmodi ſanctionis feciſſet, & ornamenta regia auro gemmiſque decorata auſus fuiſſet parare, centum librarum auri condemnatione mulctabatur; imminebat & ultimum ipſi ſupplicium, ſi perſtitiſſet regia ornamenta facere, quæ ſolis Palatinis artificibus, & argentariis in ipſo Palatio conficere jus erat. Dicit regia, nam vaſa quæ non accedunt ad regium cultum, & pocula aurea argenteaque ad uſum neceſſaria, in privatis domibus, & ab artificibus confici licebat. Quod alter Leo videtur permiſiſſe *in Novell.* 81. & ante eum Aurelianus, *Vopiſcus Aur.* Hinc artifices qui ex ſtatuto 7
loci, opificia & artes ſuas in publicis officinis exercere tenentur, non debent occulte, & in privatis domibus operari, multò minùs illi, qui nedum in numerum artificum ſunt cooptati, clandeſtinè artem exercere: mulcta iis impoſita, quæ à decanis opificij exigi ſolet, ſic nec omnibus promiſcue, qui aſſumpti ſunt ad opificia, immunitas datur, ſed peritis artificibus, quique legitime artem diu exercuerunt. *l.* 5. *§. gen. ff. de jur. immun.*

Porro definitam ſuperius mulctam, officiales Co- 8
mitis ſacrarum largitionum exigebant, ſacro ærario inferendam, *juxta l. ult. ſup. de diſcuſſor.* & *Novell.* 117. neque ab iſta mulcta immunes erant artifices, qui ſpecie offerentium donaria Principi, ea contra legem audebant præparare, prout nec illi nunc qui ſpecie boni publici attentant quid prohibitum facere, ut ſi apparitor auctoritate propria, nulloque præcedente judicis mandato aliquem in jus ducat, aut in carceres rapiat, aut quid aliud exequi audeat, impune ei reſiſti poteſt, tametſi judicis nomen & auctoritatem oſtendat. *l.* 5. *ſup. de jure fiſci.* Ita ſi laicus executor, clericum, quem talem eſſe conſtat in carceres conjecerit, licitum eſt eum inde extrahere. *l.* 33. *§.* 6. *ſup. de Epiſc. & Cler.* ubi executoribus omnibus diſtincte prohibitum eſt, ne clericos ullis vexent contumeliis, aut impulſionibus moleſtent. At ſane ſi deliquit qui clericum vi rapit, non tamen deliquit qui exemit. *l.* 1. *in fin. ff. ne quis eum qui in jus vocat eſt ut eximat.*

Sed quid ſi conſtet hunc clericum reum eſſe ali- 9
cujus criminis? Nihilominus non licet laico eum apprehendere, multò minùs punire, eo prætextu quod publice intereſt delicta puniri, tradere eum debet judici ſuo, quia incideret *in cap. ſi quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4. ſi dolo malo id fecerit, niſi tamen fugæ periculum

Digitized by Google

culum immineat, aut ſit contumax clericus, ut à ſuo judice capi non poſſit, aut ter monitus non ſe corrigat,& abſtineat. Videatur Zypæus *De juriſdict. Eccleſ. lib. 1. cap. 32.* Hæc & alia congerit Lucas de Penna, ad textum noſtrum minus apta, cum in eo tantum agatur, de illo, qui rem prohibitam facere audet,& ut pœnam quam incurrit, evitet, prætexit aliquem colorem obſequij in Principem, aut boni publici.

TITULUS XII.

De Claſſicis.

1. *Continuatio, qui ſint claſſici milites, incenſiti & & accreſcentes.*
2. *Navalis militia vilis apud Romanos, quorum claſſes duæ, quæ Italiam tuerentur.*
3. *Romani rerum domini, varias claſſes in Oriente habuerunt quæ hic deſcribuntur.*
4. *In Occidente erant etiam diverſæ claſſes, omnes ſub cura Præfecti prætorio.*
5. *Congruit bono præfecto purgare mare malis hominibus.*
6. *Augendus & complendus numerus claſſicorum ex incenſitis. Exponitur ſenſus h. leg.*
7. *Præfecto prætorio Orientis ſimilis eſt hodie Almiraldus; cui conceſſa juriſdictione, non eſt ea adempta judici ordinario.*
8. *Reges maris dominium hodie ſibi vindicant.*
9. *Item jura & leges navigantibus ferunt, vectigalia imponunt.*
10. *Maris defenſio ad Regem pertinet: qui commoda percipit, tenetur & ſuo ſumptu parare claſſes ut tutò navigare liceat.*
11. *Conducunt claſſes maxime ad ſervandas ditiones quas Princeps diſſitas & remotas habet.*
12. *Caſus fortuiti præfecto maris non ſunt imputandi.*
13. *Claſſium cura nunc committitur Almiraldo; quæ ejus juriſdictio, & quid ei præſtetur.*
14. *Conſtituit milites pro cuſtodia, item idoneum ſubſtituit. Quid hic ſubſtitutus poſſit?*

1 Dictum ſupra de naviculariis, nautis, aliiſque hominibus deputatis, ad transferendas ſpecies,arma,aliave onera publica, hic de claſſicis militibus,adſcriptis ad claſſes ipſas reducendas defendendaſque ab incurſu hoſtium,agitur quoque de incenſitis & accreſcentibus, qui remigum filij erant deſtinati mari purgando, & aliis neceſſitatibus. *text. hic.*

2 Erant autem hi claſſici milites plerumque exteri,non cives, ut ex Tacito de claſſe Ravenate loquente *lib. 4. annal. Ambiguos,* inquit, *militum animos quod magna pars Dalmatæ Pannoniique erant.* & ex Tabula quæ Venetiis adſervatur,conſtat.Legitur enim in ea ita ſcriptum, *Hadrianus Imp. in iis qui militaverant in claſſe Prætoria Miſeni, ſex & viginti ſtipendiis. Emeritis.* DIMISSIS. *Honeſta miſſione. Ipſis liberis poſterique eorum civitatem dedit.* ita ut ante cives non fuerint, ſed viles & abjecti, ſemperque vilis navalis militia apud Romanos extitit, & crevit imperante Auguſto,hic enim ut Italiam tueretur, duas claſſes conſtituit,unam Miſeni,alteram Ravennæ in Adratico littore. Suet. *in Auguſt.* Et clarius Vegetius: apud Miſenum & Ravennam ſingulæ legiones cum claſſibus ſtabant,ne longius à tutela urbis abſcederent, ut cum ratio poſtulaſſet ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes pervenirent.

At ubi Romani facti ſunt rerum domini,variis in 3 locis claſſes collocarunt, imprimis in Oriente XI. aut XII. quibus præerat Præfectus prætorio Orientis.Inter eas inſignis erat claſſis Seleucena in flumine Orontis in Syria ad uſum comitis Orientis, nec mirum, quia ſub ejus diſpoſitione Syriam fuiſſe conſtat,ex notitia Imperij, fit etiam mentio Seleucæ civitatis in actis Apoſtol. *cap. 13.* ut dicit hic de Penna *in l. un. h. tit.* Alia claſſis erat in Ponto Euxino navium quadraginta, ut ait Hegeſippus de excidio urbis Hieroſolymitanæ *lib. 12. c. 10.* Tertia à Trajano in mari rubro conſtituta fuit.Sextus Ruffin. Quarta in Alexandria. Quinta in Carpatia, per Carpatium mare excurrens. *l. 4. ſup. De navicul.* Alias ſex in Danubio Notitia recenſet, & unam Theſauricenſium cujus meminit Leo Imperator. *l. ult. infr. De diverſ. offic. lib. 12.* * Fuerunt quoque in Occidente claſſes 4 diſpoſitæ, per diverſa flumina & maria, ac præſertim in fluvio Rhodani in Gallia,Padi in Italia,Avari in Scythia Europæa,qui fluvius in Iſtrum influit; Iſtrica quoque claſſis erat in Iſtria Illyrico contermina, & diviſa Arſia flumine. Alibi aliæ claſſes, prout hodie in Oceano plures;omnes autem ad officium Præfecti prætorio pertinere volunt hic Impp. Valentinianus & Valens. Ita ut ejus præcipue cura ſit,bene inſtructas habere naves & paratas ad bellica obſequia, & in auxilium Comitis Orientis, qui procurabat ſpecies omnes in Italiam tranſmittendas, item in tutelam & ſecuritatem navigantium, ne eorum res à piratis diriperentur, & coërcerentur crimina quæ ſæpe à peſſimis hiſce hominibus in mari fluminibusque committuntur. * Ut 5 enim congruit bono & gravi præſidi curare,ut pacata atque quieta ſit provincia quam regit, ita & optimo Præfecto curare,ut mare ſit liberum & tutum,quod non difficile obtinebit ſi ſollicite agat, ut malis hominibus mare careat, eoſque conquirat, qui illud infeſtant, *l. 13. ff. de offic. præſidis.*

Placuit proinde numerum claſſicorum militum 6 augeri, eumque compleri ex incenſitis vel ad creſcentibus,quos eſſe dixi remigum filios,aſſuetos rei nauticæ,qui licet inopes, non ſunt tamen colonariæ conditioni adſcripti, aut cenſiti, de quibus eſt tit.

Digitized by Google

tit. infra de agricol. & cenſitis. hos itaque deputari conſtat ad purgandum mare, & bellum inferendum iis, qui parere nati ſunt, nec volunt ab armis & deprædationibus deſiſtere, non ut hic Cujacius, ejuſque obſervator Dionyſius Gothofred. exiſtimat milites hos deputari navibus amnicis, purgandorum fluminum cauſa inſtructis, quoniam ea ſolum cura non eſſet digna Præfecto prætorio, ad quem lex hujus tituli dirigitur, & cui claſſem Seleucenam aliaſque univerſas obſequi dicit, & Seleucenam mitti in auxilium purgandi Orientis, aliaſque neceſſitates, quæ diſtant longè à curis dumtaxat amnicis, ut rectè obſervat Zypæus *in not. juris Belgici tit. ult.*

7 Porrò Præfecto prætorio Orientis ſimilis eſt hodiè Archithalaſſus, quaſi ſalſuginis & maris Præfectus, dicitur & Almiraldus, ſeu Admiralius ex Græco *ἅλιος* quod marinum ſignificat. Hiſpani eum vocant *Almirante de la mar*; cujus juriſdictioni & imperio poſt Principem omnes qui maritimas incolunt oras obtemperant, dum de re nautica agitur, aut de delicto commiſſo in mari ſuo territorio adjacenti: ubi proindè ſuos habet aſſeſſores, & concilium maritimum, per quod tamen non adimitur juriſdictio magiſtratui. & concilio provinciæ, quia poteſt prævenire & cognoſcere de iis quæ in toto ſuo territorio vicino mari contingunt. Non enim poteſt extraordinaria juriſdictio derogare ordinariæ, ſed debet quiſquis inferior eſt judex, agnoſcere ſuperiorem, ſic ut ſuperior poteſtas ſemper emineat. *l. 1. Cod. De offic. Præf. urbi.* Quin & in dubio an Princeps velit dum dat ſpecialem judicem, excludere ordinarium, exiſtimat Angelus utrumque judicem de cauſa poſſe cognoſcere, *in l. teſtamenta Cod. de teſtam.* Baldus *in Auth. habita col. 7. Cod. ne filius pro patre.* licet enim mare non ſit in alicujus territorio vel domino, eò quòd jure gentium diviſum non ſit, ſed omnibus ejus uſus pateat, eſt tamen ſub imperio & juriſdictione populi adjacentis. *l. 3. ff. ne quid in loco publico.* ita ut ad ordinarium ejus civitatis judicem quæ proxima eſt mari, ſpectet juriſdictio, & coërcitio criminum inibi commiſſorum, *juxta l. un. hoc tit.* ibi Bartolus & Platea, Lopez *p. 2. tit. 9. l. 24. num. 6.*

8 Hodiè Reges & ſupremi Principes, paſſim jus gentium ſubegerunt, adeò ut nec in flumine quidem publico piſcari, neque in agris liberè venari, aut aucupari permittant. Cujacius *lib. 4. obſ. cap. 2.* vindicant quoque ſibi flumina & maria ſuis territoriis regniſque adjacentia. Sic Hiſpaniæ & Galliæ Reges, Oceani & Miditerranei maris; Angliæ, Britannici ſinus; Daniæ, Baltici, Veneti Adriatici æquoris dominium retinent, ac diuturna poſſeſſione, ex communi, publicum fecerunt, & proprium, quod inſpecto jure naturali erat nullius. Alberic. Gentil. *De æq. maris.* Joan Seldenus *De mari clauſo lib. 1. cap. 24.* & paſſim omnes ſequuti Bartolum *ad l. ult. ff. De uſucapionibus*, dicunt in iis quæ maria & fluvios ſpectant, poſſeſſionem jure ſcripto eſſe potiorem.

9 Hinc vi iſtius poſſeſſionis, & dominij, quæ in proxima maris loca Principes habent, leges & jura condunt, de re nautica, jure, auctoritate & juriſdictione Præfecti maris, de inſtructione navium bellicarum, de deſcenſu in mare, de præjudiciis maritimis, ſalvis cōductionibus, commeatibus. Prohibent quoque, ne ſine venia nautæ militent externo Principi, ne quid efferant in alias regiones, quod navibus ædificandis vel inſtruendis ſerviat; ſimiliter ne mercatores merces vetitas, veluti pulverem nitratū, arma, ſalpetram, tranſmittant ad hoſtes, ſub pœna corporis & bonorum, de quibus varia extant edicta Regis noſtri hic in Belgio, relata à Zypæo *in not. juris Belgici cap. ult.* 10 * Præterea navigantibus per maria & flumina publica, itemque tranſeuntibus per vias publicas Principes vectigalia imponunt, ea non ſolventibus pœnam commiſſi irrogant, & rectè, quia cùm viarum reparatio, & protectio, nec non fluminum & maris defenſio, ad Principes pertineat, ratio naturalis ſuadet, ut emolumenta quæ inde proveniunt, eorum quoque ſint. Bartol. *in rubr. de flum. publ.* Peregrinus *de jure fiſci in princ. num. 17.* Ideò Bart. Lucas de Penna & alij *ad h. l. un.* ſentiunt Principem debere ſuis ſumptibus, quandoquidem vectigalia à navigantibus percipiat, parare claſſes, quibus à pyratarum & hoſtium incurſionibus libera ſint commercia, navigantes tutò navigent, & ad portum perveniant extra aleam prædæ. Garzia *tractatu de expenſ. cap. 12. num. 34.*

11 Addo ego non tantum navigantium cauſa, ſed maximè ad defenſionem provinciarum, quas plures & diſtinctas longo maris intervallo, Princeps habet, oportere eum claſſes inſtruere, quibus eas conſervet, & adverſus hoſtes, quos illi invidia aut fortuna excitat, tueatur. Per has enim claſſes, diverſis in portibus, dominia ſua disjuncta, conjunget, & pertinget imperando, quo cæteri adſpirare aptando non auderent. 12 * Etenim Princeps qui terra, marique potens eſt, omnes terret, neminem timet, dummodò domi bona ſint conſilia, & in mari ſupremum habeat Præfectum armorum & rei navalis peritum, penes quem pro occaſione nata ſit conſilium, qui norit applicare media finibus accommodata, & caſus maris fortuitos in utilitatem convertere. Quod ſi facta bona hujus præfecti electione, eventus optatus non reſpondeat, ne pœniteat principem, quin potius conſtanter ferat, non enim à caſu conſilia metienda ſunt, ſed à prudentia; eventus fortuiti qui provideri aut caveri non potuere, non ſunt præfecto imputandi, modò is pro auctoritate ſibi conceſſa, debita adhibuerit media.

13 Summa autem huic maris Præfecto, hîc in Belgio,

&

& vicina Gallia, eſt juriſdictio, & auctoritas, undè pro honorario jus decimæ omnium quæ capiuntur ex hoſtibus, & prædis illi debetur. Similiter jus petendi ſalarij competit, ad tutum commeatum, & comitatum militarem, quem præſtare tenetur belli tempore mercatoribus regionis, vel aliis fœderatis. Item facultas ei eſt exigendi jura excubiarum, ab incolis tempore pacis, ſicut & tempore belli cogendi eos ad vigilias & excubias, utque ex ſpeculis ſignum dent vigiles, interdiu fumo, noctu igne; denique conſtituendi ſtationarios milites ad piſcatores cuſtodiendos, ne ab hoſtibus invadantur. Charondas *lib. 1. pandect. cap.*
14 *24.* * Subſtituit etiam exigente cauſa alium peritum rei navalis, ſi quandoque pars claſſis extra provinciam ad expeditionem aliquam mittenda eſt, qui Viceadmiralius dicitur, ejuſque mandatis parere tenentur omnes navigantes, nautæ, remiges, & milites claſſici, de quibus hic textus loquitur. Hinc obſerva eos qui illuſtrem dignitatem ſunt conſecuti, ut Præfecti Prætorio, magiſtri officiorum & militum, poſſe munus ſuum per ſubſtitutum obire. *l.60.in fin. ſup. de decurionib.* Idem dicitur *in l.21. ſup. de Epiſc. & cler.* Modò ſit æquè idoneus, & tam bonis moribus præditus, quàm ſcientia peritiaque rerum inſtructus.

TITULUS XIII.

De Curialibus urbis Romæ.

1. *Declaratur qui ſint curiales, & quod eorum munus.*
2. *Conveniuntur coram ſui collegij judice.*
3. *Collegia approbata habent ſuos judices, quos eligunt ipſi collegiati, & confirmat Princeps.*
4. *Extra negotiationis cauſam, ex aliis cauſis judex ordinarius cognoſcit: concurrit & in cauſis collegij, cum ſpeciali judice.*
5. *Judex habet juriſdictionem tantùm in perſonas ad collegium pertinentes, etiamſi negotiari deſierint.*
6. *Judex curialium privilegia tueri debet & curare ne illi injuriis afficiantur.*
7. *Si privilegia ſunt deperdita, vel antiquata, petitur illorum renovatio à Principe.*
8. *An privilegia ad ſui validitatem requirant confirmationem ſucceſſoris?*
9. *An requirant ſcripturam privilegia, quomodo probentur amiſſa, & confirmentur.*
10. *Confirmatio privilegiorum non extenditur ad ea, quæ lædere poſſent jura & bona Principis.*

QUemadmodum Romæ Senatores Reipublicæ negotiis præerant, ita in municipiis decuriones, qui & curiales à curia vel cura dicti, publica negotia curabant. *ſup. de decurionib. & Novell. 38.* Erat enim in urbe Roma collegium curialium, vel decurialium, viri dicendi ſcribendique periti (de quibus hic titulus) planè adſcripti negotiis curiæ, & fori, nam illi ſoli acta Senatus ſcribebant, auctoritates excipiebant, mandata exequebantur, ſcrinia cuſtodiebant. Caſſiodor. *lib. 5. var. cap. 21. & ſeq.*

His qui præerat vocabatur Rector decuriæ, vel 2 Judex, qui de cauſis decurialium judicabat, & ideò *l.1. h.t.* ait eum qui velit cum decuriali agere de auferendis privilegiis ei jure conceſſis, judicem decuriæ adire debere, ſic definitum generaliter ab Anaſtaſio eos qui negotiationes aliquas exercere noſcuntur, conveniendos eſſe coram judice, ad quem eorum negotiationum cura pertinet. *l fin. ſup. de juriſd. omn. jud.*

Hinc uſu receptum, quod collegia approbata 3 poſſint habere peculiares judices, de negotiis ad illa pertinentibus, vel eorum occaſione contractis juriſdictionem habentes. Atque iſtos judices eligunt atque conſtituunt ipſi collegiati in univerſum, vel potior eorum pars, quod tamen juris rationi repugnat, quæ non permittit juriſdictionem cuiquam tribui à privatis hominibus. *l. 3. C. de juriſd.* unde multis in locis electi à collegio judices à ſuperiore poteſtate confirmantur, & ſimul juriſdictio illis confertur, ac pœnæ civilis erogatio, per conſequentiam, quia juriſdictio ſine modica coërcitione, nulla eſt. *l. fin. ff. de off. ejus cui mand. eſt juriſdictio.* Accurſ. *ad d. l. fin.*

Verumtamen iſta judicum à collegio electorum 4 juriſdictio, circumſcripta eſt negotiis dumtaxat civilibus, & ad artificium illius collegij pertinentibus, ſive illa ſunt publica, id eſt, univerſum collegium, ſive privata, ſingulos concernentia. Nam cognitio de cauſis aliis civilibus, itemque criminalibus, ad ordinarium judicem pertinet, quin etiam de cauſis collegij ordinarius cognoſcet, ſi priùs aditus ſit, eſt enim in arbitrio actoris, vel coram ordinario, vel ſpeciali collegij judice adverſarium convenire, adeò ut conventus forum declinandi, vel ad judicem alterum revocandi poteſtatem non habeat, utcumque ſpeciali aliquo privilegio, ob militiam aut aliam dignitatem munitus *d. l. fin.* ibi Azo, Accurſ. & Sichard. *n. 2.* ubi exemplum ponit de pellione, cui pelles quis vendidit, hic contractus negotiationis ipſius initus, ad juriſdictionem judicis collegij pellionum pertinet, ut is pellio conveniri poſſit vel coram illo judice, vel coram alio, at ſi eidem pellioni quis domum vendat, jam hic contractus non eſt negotiationis pellionum proprius, ſed communis cum aliis, ita ut ſi pellio differat ſolutionem, coram judice ordinario conveniendus ſit. Unde Bald. *ad d. l. fin.* rectè ſcripſit, perſonam quamlibet alicui collegio adſcriptam,

Digitized by Google

dupliciter poſſe conſiderari, nempe vel ut artifex eſt, & tunc apud judicem artificij & negotiationis cauſam agitari poſſe, vel ut Titius mercator per ſe, & tunc debere parere judici ordinario, nec poſſe coram alio conveniri, niſi cauſa talis ſit, quæ admittat præventionem.

5 Eſt autem juriſdictio judicum, adeò circumſcripta perſonis illius collegij, vel negotiationis, ut judices illi non niſi inter collegiatos actorem & reum facultatem habeant judicandi, non inter alios non collegiatos, niſi aliquando fuerint, & dum eſſent collegiati, mercimonia exercuerint, ex quibus poſteà conveniantur. *arg. l. fin. Cod. ubi De ratiociniis.* ubi miles ſacramento militari abſolutus adhuc tenetur reſpondere, coram judice militari conventus de facto aliquo, quod eo tempore, cùm eſſet miles, perpetravit, eoque facit *l. 4. §. etiam ff. de edendo.*

6 Ut autem collegia artificum ſuos habeant judices, & milites magiſtros militum *l. 6. & l. fin. Cod. De juriſdict. omn. jud.* Scholares Rectorem Academiæ, *Auth. habita Cod. ne filius pro patre.* Senatores Præfectum prætorio, aut urbis. *l. 2. Cod. ubi ſenat. vel clariſſ.* ita etiam curiales urbis Romæ ſuum habebant judicem, qui ſtatuta & privilegia eorum tueretur, hæc enim erant maxima ut dixi *ſup. De decurionibus.* Item curabat, ne qua ex cauſa corporalibus afficerentur injuriis, ſuiſve commodis & immunitatibus privarentur, niſi delictum aut cauſa ſubeſſet, de qua priùs cognoſcebat, *l. 2. h. t.* ubi Impp. Arcad. & Honor. & Theodoſ. huic curialium collegio antiquam privilegiorum prærogativam ſervari volunt, & leges à majoribus ſuis in favorem hujus collegij latas cuſtodiri.

7 Quò fit ut ſi caſu, aut diuturnitate temporis privilegia ſint deperdita, vel conſuetudine inumbrata, peti poſſit à Principe renovatio, & confirmatio privilegiorum, & inſtrumentorum. Joan. de Platea *in l. ne caſu ſup. de diſcuſſ. num. 2.*

8 Hinc quæritur, an privilegia omninò requirant confirmationem ſucceſſoris? Tiberius Cæſar beneficia à ſuperioribus Principibus conceſſa, niſi ſequentes ea confirmaſſent, ac veluti novo quodam beneficio conceſſiſſent, rata minimè illa eſſe cenſuit: veriùs tamen confirmationem privilegiorum potiùs eſſe conſilij, quàm neceſſitatis. Bald. *conſ. 117. n. 7. vol. 1.* Alex. *conſ. 33. vol. 5.* Surdus *conſ. 419. n. 26.* qui dicunt totum quidem eſſe à ſucceſſore obtinere privilegij confirmationem, quam etiã ſine injuria non poteſt denegare; confirmationis tamen omiſſionem non inficere privilegium ſemel validè conceſſum, nec extingui morte concedentis; ſunt enim perpetua natura ſua privilegia, & cũ dignitate principali quæ eſt perpetua, perdurant, adeò ut, quando contingit ea confirmari, confirmatio iſta nihil relevet, aut renovet, ſed tantùm fiat cauſa dubitationis tollendæ vel ad abundantẽ cautelam. * Conſtabit autem de privilegio & gratiâ Principis, 9
etiam vivâ voce factâ per ſcripturam, cui mandari ſolet. *l. 1. De mandat. Princip.* & ſi priuſquam ſcriptis mandetur, contingat Principem concedentem mori, non ideò cenſetur privilegium extinctum: Quinimò tenetur ſucceſſor factâ mentione de diſpoſitione prædeceſſoris id confirmare, & jubere litteras in forma expediri. Molina *de Hiſp. primog. lib. 2. cap. 7. num. 63. & ſeq.* ubi ſubjungit ita procedere, ubi gratia Principis perfectum quid contineret: ſecùs autem quando datur ut priùs aliquid fiat, tunc morte concedentis non expeditis litteris expirare, & *cap. 8. num. 8.* concludit, privilegium ſive gratiam Principis, per verbum *fiat*, non aliter probari quàm litteris. Ego tamen puto generatim gratiam probari poſſe etiam teſtibus, qui jurato affirment ſe legiſſe & vidiſſe privilegij inſtrumentum non vitioſum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, quodque poſteà caſu fuerit deperditum; quo probato, poterit Princeps denuò privilegium concedere, aut prius conceſſum confirmare, juxta *text. in l. 2. h. t.* ubi Impp. beneficia à prædeceſſoribus ſuis collata ſua auctoritate confirmant Sic hodiè Princeps in auguratione, & felici ſuo ingreſſu in patriam, privilegia, maximè quæ ſunt juſta, confirmat, renovatque vetera & deperdita caſu aliquo violento.

Obſervandum autem hanc Principis confirma- 10
tionem procedere ex certa ſcientia, & prævia cauſæ cognitione, auditoque procuratore fiſci, an aliqua fraus, vel damnum Principis, patrimonio, per hujuſmodi confirmationem ſubeſſe poſſit. *arg. l. 39. ff. de adoptionib.* ubi generaliter DD. docent, quando gratiæ impetrantur, earumve confirmationes, debere intervenire eos, qui per eas lædi poſſent, ibi *adhibitis his qui contradicerent, id eſt, qui læderentur confirmatione adoptionis.* Valaſc. *conſ. 20.* & Larrea *alleg. fiſc. 73.* ubi multis oſtendit confirmationem Principis, non extendi ad ea quæ ejus patrimonium lædere, aut minuere poſſent. Quò pertinet, quod ſupra dixi, donatione caſtri facta privato, non cenſeri Principem ſibi ademiſſe jus percipiendi ex eo vectigalia, quia ſunt ex regalibus. *lib. 13. de bon. vacantib.* & licet paſſus fuerit donatarium quaſi ex donatione vectigalia percipere, & caſtrum poſtea vendatur, venditioque à Principe poſteà confirmetur, nullum jus novum ex iſta confirmatione acquiri, quia referenda eſt ad primævum donationis titulum, quo non continebatur perceptio iſtorum jurium, ſed nuda territorij donatio à Principe facta. Præter citatos videantur Gail. *lib. 2. obſ. cap. 1.* & Klockius *de collect. c. 3. n. 171. & cap. 20. num. 111. & ſeq.*

Digitized by Google

TITULUS XIV.

De Privilegiis corporatorum urbis Romæ.

1. *Qui dicantur incorporati.*
2. *Incorporati urbis Romæ gaudent privilegiis civium nec patiuntur nova onera.*
3. *Corporati & curiales non poterant mutare domicilium, & ſi id feciſſent, revocabantur in urbem.*
4. *An qui recens venerant habitatum in aliquam civitatem, teneantur præterita debita ſolvere?*
5. *Si collegis alicujus loci quid legetur, & illorum numerus poſtea augeatur, an extendatur legatum ad eos qui poſtea ſunt incorporati?*

1 Corporati appellantur qui ſunt ex corpore alicujus collegij, vel ſocietatis, quorum multiplex genus erat olim in urbe, multaque collegia, & conventus opificum idem munus exercentium, prout etiam nunc ſunt in quavis benè conſtituta civitate, ut probè magis exerceantur opificia, ut collegium ſuariorum, figulorum, fabrorum, piſtorum, naviculariorum & ſimilium. *l. fin. ſup. de navicul. & tit. ſeq. aliiſque hujus libri.* Eſt enim inter hos quædam velut ſocietas & corpus artis, nimirum & commercij, non habitationis, nam quiſque ſeorſim habitat, merceſque ſuas venales habet, & exponit in commodum & uſum Reip. ſeu civitatis cui eſt adſcriptus, ſi alienigena, vel originarius, ſi ibidem natus.

Sic corporati urbis Romæ de quibus *hoc tit.* in-
2 ter cives cenſentur, referunturque in corpus & unitatem populi Romani, eo ipſo quò albo incolarum ſunt inſcripti, & ibi domicilium fixerunt, quamvis alibi ſint nati, gaudent proindè privilegiis, & jure civium Romanorum; nec nova onera in urbe ſuſtinent, aut iis imponi poſſunt, *l.un. h.tit.* Singulis autem artificiis unus rector ſive decanus præeſt, qui ea quæ ad artificium & ejus uſum ſpectant rectè conſtituat, & ordinet, ne quid indè civitas detrimenti capiat.

Præterea quamvis liberum cuivis ſit mutare, &
3 aliò transferre domicilium, *l. 1. ſup. de mun. & orig.* Id tamen prohibitum eſt incorporatis, qui obnoxij ſunt ſuæ civitati, ſicut curiales curiæ, *l. 17. & 26. ſup. de decurionib.* Et ſi de facto in peregrina loca ſe transferant, cura & juſſu Præſidum ad urbem redire coguntur, ut ſerviant functionibus, quas jam ante ſuſceperant, prout cæteri cives obire tenentur, *dict. l.un. in fin.* Intereſt enim Reipublicæ ne deſtituatur, ſed augeatur liberis hominibus, & ne incorporati aliò ſe transferant, ne officij ſuſcepti, aut impoſiti, fiant deſertores. Quod maximè curavit Valentinianus Imp. qui curiales ad munera, & cives Chriſtianos ab eremo ad urbem revocavit. *d. l. 26.* Quamquam id non amore Reipublicæ fecerit, ſed odio Chriſtiani nominis, quo flagrabat, nam quamdiu imperavit, perſecutus fuit Chriſtianos, & innumeros Gothis objecit occidendos, & Epiſcopos ad ſe miſſos legatos, cum navibus incendit, ut ſcribit Sozomenus *lib. cap. 14.*

Sunt & in aliis urbibus incorporati, ſed non ita privilegiis muniti, ut qui Romæ incolæ facti, nam 4
hi à capitatione, noviſque indictionibus excuſantur, *l. 1. infr. de capit. crim. cenſ.* Hinc quæritur an qui recens venerunt habitatum in aliquam civitatem, teneantur præterita debita ſolvere? Quod quibuſdam videtur, quia privilegiis iſtius civitatis utuntur, & incolæ facti ſunt, *l. 35. ff. ad municip* Subjectique non tantum municipali juriſdictioni in iſto loco, verùm etiam obnoxij omnibus publicis muneribus juxta *l 29. ff. eod. tit.* Igitur etiam debitis ante eorum adventum contractis obſtringuntur. At his repugnat quod dicit Julianus Imp. *in l. 23. ſup. de decurionib. providendum eſt novitati decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne præteritis debitis ſuſceptorum onerentur.* undè Bart. & Platea inferunt advenas, recens in numerum civium receptos, non poſſe cogi ad collectas, quæ ad vetera debita ſolvenda imponuntur; neque eum qui corpori ſeu collegio adſcribitur, teneri contribuere, ſi quod novum vectigal imponatur ad diſſolvenda præterita debita: eſt enim hâc de re recepta regula, inſpiciendum eſſe ſcilicet tempus cauſæ, ob quam debita contracta fuere, ad quæ diſſolvenda indicta collecta; non autem tempus exactionis illius. Quod ſi tamen ſint debita contracta ad conſervationem privilegiorum, aut utilitatem communitatis, v.g. ſi mutuum acceperit civitas, ut ſubveniret communi neceſſitati, exiſtimo incolas & habitantes illo in loco, vel etiam alio, eo tempore quo contrahebatur hoc mutuum, ad illud ſolvendum teneri, & onerari poſſe quouſque diſſolutum ſit, ut dixi *ſup. lib. 10. tit. 30. in fine.* atque ita judicatum affirmat Charond. *lib. 11. reſp. 67.*

Item ex hac lege, quæri ſolet, ſi legatus ſit colle- 5
gio alicujus loci uſus nemorum, & augeatur poſteà numerus collegarum, an etiam ad recens adſcriptos collegio, legatum extendatur? & inſpiciendum hic eſſe monet Pyrrus, quibus verbis illud fuerit conceſſum, utrùm verbis ſingularibus & diſtributivis, ut tunc attendatur numerus qui erat tempore conceſſionis, *l. 41. § teſtam. ff. de leg. 3. l. 7. ff. de auro & argento leg* ibi quia præſens tempus ſemper intelligitur, ſi aliud comprehenſum non ſit: aut verbis univerſalibus, & tunc omnes ſine diſcrimine, dicit idem auctor comprehendi, cùm omnes ſint collegio incorporati. *l. 20. §. 1. ff. De annuis legat.* maximè ſi fuerit cauſa cur eorum numerus augeretur; tantùm enim operatur incorporatio, ut aucto numero collegarum, per modum confuſio-

 nis.

Digitized by Google

nis, omnium par ſit ratio participandi legatum, tanquàm unius corporis membra. Poſſet & hic aptari argumentum ex lege noſtra, quæ ut *incorporatis indulta ſuffragia* ſeu privilegia obſervari præcipit; ita & illis legata relicta omnibus in unum corpus redactis; & eidem adſcribendis, deberi inſinuat.

TITULUS XV.

De Piſtoribus.

1. *Collegia opificum abſque ſuo decano non conveniunt.*
2. *De piſtorum origine & collegio.*
3. *Piſtores ad dignitatem vel aliud officium prohibentur aſcendere, mulcta iis impoſita, ſi id ambiant.*
4. *Reſcriptum contra hoc impetratum non valet.*
5. *Quiſque conditionem ſuam agnoſcere debet, nec adſpirare ad dignitatem, qua eſt indignus.*
6. *Honeſti mercatores capaces ſunt officiorum, nomine mercatorum non veniunt piſtores.*
7. *Quibus oneribus excuſentur piſtores, ubi conveniantur; & quando nulla injuria ſunt afficiendi.*
8. *Ubi deliquerint, puniuntur à ſuo judice, quis ille ſit?*
9. *Quæ cavere oporteat piſtores in venditione panis, & emptione frumenti.*
10. *Qui officia adminiſtrant, ſi comparent ut cariùs vendant, puniuntur.*
11. *Quid ſtatutum in Belgio circa panis & cerviſiæ coctores.*

1 DIctum ſuperiore titul. de incorporatis, populi Romani generatim, hoc tit. & ſeqq. ſpeciatim tractatur, de incorporatis, qui olim Romæ, & nunc omni in loco officinas habent, & artis ſuæ collegia, quibus decani præſunt, ut ea quæ ad officium & uſum artis ſpectant, rectè conſtituant, quæve utilia ſunt collegio, ordinent; convocatis cæteris qui ejuſdem opificij ſunt, ad certum locum; nam ſine rectore legitimo multitudinem in unum coire antiquitas vetuit, itemque habere conventicula, & monopolia, propterea quod in iis factiones & ſeditiones concitarentur. Bart. *in l. fin. ff. De colleg. illic.* Poteſt & huc referri *Novella. De quæſtore cap.* 5. ubi dicuntur fuiſſe Conſtantinopoli, præpoſiti collegio piſtorum, item eorum miniſtri plures, & menſores, qui menſuratum frumentum piſtoribus tribuebant, unde Lucillius:

> *Frumentarius eſt, modium heic ſecum atque rutellum unà adfert.*

Ut autem de tam neceſſario annonæ publicæ mi-
2 niſterio nihil nos fugiat, obſervandum eſt piſtores olim non modo panes coxiſſe, ſed etiam grana moluiſſe, ac ſubegiſſe, Cujac. *l. 16. obſ. c. 5.* ubi addit fuiſſe Conſtantinopoli qui molenda etiam frumenta animalibus farinaſque comportarent, dicti ex eo Catabolenſes, quod comportare eſt. Romæ quoque cum necdum eſſet molarum uſus, ipſi viri, libertini & ſervi piſtrinis deſtinati, frumenta pilis, molis, aliiſque machinis contundebant, minuebantque. Manſit inde piſtrini nomen, quod paſſim accipitur pro officina piſtoria, in qua delicatiores panes placentæque fiunt. Calepin. *verbo piſtrinum.* Hinc panifices & pinſentes panes, piſtores dicti, quorum alij panes civiles conficiebant, qui omnibus civibus, per ſcholas diſtribuebantur, *l. 1. Cod. de frumento urbis Conſtant. & tit. ſeqq.* Alij in palatio panes Cæſaris coquebant, omneſque mancipes dicebantur, quia piſtrino & pani civili conficiendo obnoxij, ſubjectique diſpoſitioni Comitis horreo-
rum, *l. un. h. t.* * Verum laborioſa hæc opera præ- 3
mium ſuum habuit, nam cum maximum indè lucrum piſtores conquirerent, auſi ſunt ex iis aliqui Senatoriam dignitatem appetere, & ambire, *l. 4. C. Theod. h. t. & l. un. infr. de perfectiſſimatus dignitate.* Ita ut tandem ex iſta procedendi libidine, & quia à ditioribus deſerebatur miniſterium publicum, in piſtrina ſua ſucceſſionis jure adacti ſunt poſteà liberi panificum, ut conſtat *ex lib. 3. C. Th. eod. tit.*
* Poſtmodum Leo Imp. *in l. un. h. t.* Mulctandos 4
piſtores viginti auri libris cenſuit, redireq; ad antiquum denuò conſortium, juſſus eſt quiſquis dignitatem & officium vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, ſeu quolibet alio modo aſſecutus fuiſſet, non obſtante reſcripto Principis contra hoc impetrato; videtur enim id ſubreptitiè obtentum, quod contra jus & utilitatem publicam impetratur. Etenim non ſolet Princeps aliquem eximere à miniſterio ſuæ artis, contra commoda & jura communitatis. Eoque pertinet quod dicit Pyrrhus hic, non valere reſcriptum, quo Princeps eximit aliquem à ſtatutis ſuæ civitatis, niſi ex certa ſcientia, & juſta cauſa expreſſa id fecerit. *l. 2. infr. de diverſ. offic. l. 1. ſup. ſi quacumque præd. poteſt.*

Obſervandum præterea ex hac lege, unumquem- 5
que agnoſcere debere ſuam conditionem, nec adſpirare ad dignitatem, quâ eſt indignus. *l. 1. ſup. de murileg.* Vileſceret enim Senatoria dignitas, ſi ſordidis miniſteriis & artificiis adſcripti, ad eam conſcenderent. *l. 6. infr. de dign.* Cicero in oratione pro Roſcio Amerino, inter viles & ſordidos artifices, piſtores redegit, uti etiam Julius Firmicus *lib. 3. cap. 12.* & eſt textus *in l. 12. §. ſordidorum ſup. de excuſ.*
* Hinc mercatores infimi, & qui ſua induſtria vi- 6
ctum quærunt, ad officia civitatis non promoventur, ſi honeſtiorum hominum copia ſit, quorum numero cenſentur mercatores, qui venales merces non exponunt, ſed rariores ex longinquis partibus ſuo periculo deportari curant, ut indigentiam ſublevent, & Reipublicæ neceſſitatibus ſubveniant,

niant, quales digni ſunt præmio, & altiore promotione. Hiſce mercatoribus planè diſſimiles ſunt piſtores, quia licet annonã remotè advehi procurent, ut ex ea in farinam redacta panes coquant, & vendant popularibus, non ideò tamen mercatores cenſendi ſunt, ſed artifices, & quicumque induſtria ſua operantur. Atque ita conſuluit Petrus Surdus *deciſ.* 313 ubi ſtatuit diſcrimen inter mercatores, & artifices, quod illi res emant, ut integras & immutatas vendendo lucrentur; hi verò res comparent, ut in aliam formam ſua opera & induſtria redactas, venales exponant. Præterea mercatores propriè intelliguntur qui mercaturam exercent, & proprium habent collegium, & ſyndicum: piſtores non mercaturam ſed artificium exercent, & eorum collegium, quod licitum eſſe tradit Ulpianus *in l. ultim. ff. De excuſ tut.* hodiè non niſi regio indulto, vel ſupremi ſenatus auctoritate comprobatur.

7 Porrò huic collegio adſcripti, à tutelis aliiſque oneribus excuſantur, ſi modò per ſe piſtrinum exerceant, non per alios; urbici autem piſtores, à collegarum quoque filiorum tutelis excuſantur. *d. l. ult.* Et palatij piſtores non conveniuntur coram alio quàm Procuratore Cæſaris, vel Præfecto urbi, ſub cujus cura erant. *l. 6. & 7. ſup. ubi cauſ. fiſc.* Poteſt quoque cauſa piſtoria ubi veneunt panes feriato tempore tractari, *l. 5. ſup. de feriis.* Quia ut ibi optimè Gloſſa, *omni tempore pane egemus.* Quæ ratio fuit fovendi piſtorum corpus & collegium; tanquam ſummè neceſſarium vitæ humanæ. Hinc quia piſtores ſæpè ab urbanicis, id eſt, apparitoribus præfecti urbi percuti ſolebant, cautum eſt ſpeciali edicto, urbanicanum ſi quis concuſſiſſet piſtorem, piſtorum corpori, perpetuoque panificio addici oportere. *l. 2. infr. de apparitorib. præf. urbi.*

8 Hodiè extra ordinem coërcentur officiati injuriam inferentes piſtoribus, quos tamen ubi deliquerint, comprehendere debent, & ſuo judici ſiſtere, qui apud nos eſt prætor, vel magiſtratus urbis, apud Gallos. quod miror, eſt *le grand panetier*, Panificij magiſter in aula regia, hunc in omnes piſtores totius urbis Pariſienſis juriſdictionem habere dicit Anton. Mornatius *ad l. 2. Cod. ubi & apud*
9 *quem cognitio in integr.* * Ut igitur mulctas & injurias evitent piſtores, videant ne conſtitutum panis pretium excedant, minuantque pondus, aut panes minus coctos & purgatos vendant, vel ut ponderoſiores fiant, liquamine aliquo inungant. Item ne plura frumenta, quam neceſſitas poſtulat, in nundinis emant, aut alio in loco quam in foro, & non niſi ſtatutâ horâ; nam debent prius incolæ ſibi neceſſariam annonam comparare. Poſſunt quidem piſtores triplicis generis panes venales exponere in ſuis officinis, ſed non debent revenditoribus eos vendere, quo carior annona reddatur in Reipublicæ diſpendium.

Obſervanda hic lex Julia annonaria, quæ pœnam ſtatuit in eos, qui ſocietatem ineunt ut annona carior fiat, *l. 1. ff. ad l. Jul. de annon. l. 6. ff. de extraordin. crimin.* ubi coërcentur Dardanarij, ſeu revenditores, qui annonam vel res alias venales comparant, ut cariùs poſtea eas vendant, gravi cum Reip. damno. Prohibetur preſertim his qui officia publica adminiſtrant, annonam vexare, vel revendere alias res. Menoch. *arbitr. caſ.* 384. *cent.* 4. Ad evitandam porrò hanc annonæ caritatem, prohibitum eſt, hic in Belgio ne rure albus panis coquatur, & ne venalis cerviſiæ coctores tritico, aut ſiligine utantur, ſed tantùm hordeo & avenâ, ſimilibuſque granis, ita Zypæus *in not. jur. Belgici.* §. *De annona.* quod ſanè poſtremùm diligenter obſervant, miſcentque plerumque inſalubres & noxias herbas vice tritici, nec tamen deſinunt idem pretium pro cerviſia exigere, aut augere, licet granorum valor diminutus ſit. Sed iſte uſus coquendi cerviſiam ex hordeo & avena ſolùm, obſolevit. Hodiè uti olim apud Romanos ex hordeo & tritico cerviſia coquitur, cujus ſit mentio *in l. 9. ff. de tritico, vino & oleo leg.* 10

TITULUS XVI.

De Suariis, & Suſceptoribus vini, & cæteris corporatis.

1. *Qui ſint ſuarij & porcinarij.*
2. *Suillam vendere tenebantur ad pondus.*
3. *Cura vendendi carnes & piſces juſto pretio, pertinet ad Præfectum urbi.*
4. *Hodiè ad magiſtratum urbis. Tacitè permitti videtur, ut in privatis majoribuſque familiis pecora mactentur, pro victu miniſtrorum.*
5. *Suariis permiſcentur alij pecorum cuſtodes.*
6. *Quibus conceſſum privilegium fori, & immunitatis à muneribus.*
7. *Eadem immunitas data Suariis Judæis, & quare?*
8. *Corporati & ſuſceptores vini, qui dicantur.*
9. *Caupones vina vendunt, & hoſpites ſuſcipiunt, de quorum facto non tenentur.*
10. *Vinum ſit purum, & juſta menſura vendatur.*
11. *Cur prohibeatur frequentatio popinarum?*

Receníentur hoc tit. alij corporati urbis Romæ; 1
ut ſuarij, ſive porcinarij, & illi ſuillam carnem à collatoribus ſuſcipiebant, ad victum civium Romanorum: hi verò porcos paſcendos agebant in paſcua publica, unde textus hic *in l. 1.* non eſt intelligendus de cuſtodibus porcorum privatis, ſed publicis, quod indicat verbum *urbis æternæ.* Itaque Suarij & porcinarij tenebantur popularibus affatim ſuillam præbere, quandoque gratis, nam ut ſcribit Vopiſcus.

Vopiſcus in Aureliano, oleum, panis, & porcina caro, populo Romano ſæpè gratis præbebatur; rarò vinum, reliqua pecora in macello vendebantur à lanionibus. * Cœpit & à Suariis vendi porcina
2 ſub exagio, id eſt, trutina, atque id à Præfecto quodam urbi inſtitutum refertur, *in l. 4. Cod. Theod. h. tit. & ut Suariis æſtimandi licentia denegetur, pondusque porcorum trutinæ examine, non oculorum libertate quæratur.* * Hinc eſt quod ad curam Præfecti urbis per-
3 tineret, ut omnis caro juſto prætio venderetur, & ideò forum ſuarium, & cæterorum pecorum ſub ejus curâ fuiſſe tradit Ulpianus *in l. 1. §. cura carnis, ff. De off. præf. urbi.* certum quoque piſcibus pretium impoſitum à Theodoſio Cæſare *in l. un. Cod. Theod. De pretio piſcis.* ut per vicena pondo piſcis primæ qualitatis (qualis erat ſpatangius) ſolidus miniſtraretur adminiſtris piſcium Principis. * Hodiè
4 quoque in quavis civitate ſtatutum carnes, piſces, reſque alias victui neceſſarias, certo pretio æſtimari debere, ſive ut dicitur taxari per Prætorem aut Magiſtratum, ad quem publica diſciplina, & politiæ conſervatio pertinet. Nec adverſatur ſtatuto, aut magiſtratus decreto, quod in familia alicujus magnatis, itemque in religioſis domibus, pecora mactentur, ad victum famulorum & aliorum adſcriptitiorum, quibus loco mercedis diurnæ, certa carnis portio ponderata ſubminiſtratur, quoniam ſtatutum tantùm prohibet, privatam venditionem, non verò commutationem aut lucrum moderatum; prout cuivis permittitur pro neceſſitate domus ſuæ porcos & oves privatim occidere: verùm ſi cum famulis conventum ſit, ut ſalarium in pecunia accipiant, non poterunt ex ea carnes & vinum ab œconomo domus ſibi comparare, quia cederet id in præjudicium ſuariorum & lanionum, quibus ſolis permiſſum vendere, itemque defraudarentur collectores, qui ex rebus annonariis vectigal accipiunt. * Porrò ſuariis miſ-
5 cebantur vaccarij, & caprarij, ſive paſtores vaccarum, caprarum, & bubulci. Boum cuſtodes, quos artem habere dicit Ulpianus, & tanquam artifices, ſi peccaverint, teneri ex imperitia, quæ culpæ annumeratur, *l. 10. §. Celſus 5. ff. locati l. 18. §. De bubulco ff. De inſtructo vel inſtr.* cogebantur autem hi quintum animal præbere, ad augendum gregem Principis, quoties illius diminutio & interemptio contingebat. *arg. l. 4. ſup. De muril.* Platea *hic in fin. l. 1.* * Quia verò ſuarij pervigilem la-
6 borem populi Romani commodis exhibebant, ideò ipſis indultum ne ſordidis muneribus ſubjacerent. *l. 1. h. t.* Itemque conceſſum his, & quibuscumque ex corpore ſuariorum, ſive agant in judicio, ſive conveniantur, ut coram urbis Prætore lis ventiletur & peragatur. *l. 2. h. t.* quoniam hic ſolus judex eſt competens in cauſis civilibus, non in criminalibus, cùm enim talis exceptio ſit contra jus commune, reſtringi debet Rebuffus, quem ſequitur Chriſtinæus *ad hoc tit.* * Simile privilegium datum Judæis ſuariis, propter onera alendi porcos in uſum præſidiariorum militum externorum, quibus caro ſuilla permiſſa, non verò Judæis, ne lepra inficerentur, cui præ cæteris nationibus erant obnoxij.

Poſterior tituli pars eſt, *de cæteris corporatis*, ſeu 8
adſcriptis alicui collegio, quibus annumerat Cujacius ſuſceptores vini, qui nimirum vina fiſcalia ſuſcipiebant, & vendebant incolis urbis Romæ, inſtitutum deindè ab Alexandro Imp. corpus & collegium vinariorum, qui negotiationem vini in urbem vehendi exercerent, & ne quid peccaretur, Rationalis vinorum additus fuit, referente Lampridio. Erant itaque adſtricti, vina quæ à fiſco accipiebant, aut aliunde advecta, juſtoque pretio empta, pura revendere in tabernis, ut ſuarij carnes ſuas in macello, & ideò iiſdem quibus hi privilegiis fruebantur. * Horum exemplo hodiè re- 9
cepti ſunt inter corporatos civitatis caupones, quorum alij vina vendunt vaſatim, alij poculatim, alij eſculenta parant & vina ſubminiſtrant viatoribus, & alios cives hoſpitio accipiunt, præſcriptâ mercede, à Magiſtratu, quam vix ſervant, ſed pro arbitrio ſuo exigunt, in quos graviter animadvertendum, quin etiam factum eorum quos habitatores deligunt, præſtant, non viatorum, ſi quid ab iis factum nocitumve ſit: niſi ſalvam fore rem polliceantur, id eſt, niſi eam cuſtodiendam ſuſceperint. *l. 6. §. 3. ff. naut. caup. ſtab. l. 1. §. caupo ff. De furt. adverſ. naut.* * Vinum autem quod caupo- 10
nes vendunt, purum eſſe oportet, non tinctum, aut aliquo liquamine mixtum, item vetus, quia novum à menſe tantum Novembri vendi poteſt. *l. 10. infr. De erogat. mil. ann.* menſuram publicâ auctoritate conſtitutam obſervare, & pretium non excedere, ſi ſecùs fecerint, pœnam luent, *ut in l. 9. ſupr. De ſuſceptoribus.*

Conſtitutionibus Principum noſtrorum, prohi- 11
bentur popinæ, in quibus alea luditur, compotationibus exhauriuntur pecuniæ, & ad libidinem ſternitur via. Nam ſæpè vini dulcedine illecti, & ineſcati artifices, & mechanici, non tantùm politiæ leges tranſgrediuntur, ſed & rem domeſticam obliviſcuntur, & una atque altera hora in popina conſumunt, quod tota hebdomada in officina ſummo labore ſunt lucrati. Atque inde ſæpè benè poti audaciores ad ſcelera prodeunt, quæ antequam committant, ex popinis extrahendi, in carcerem publicum detrudendi, & pane doloris & aqua triſtitiæ tractandi, ut ſic tandem ad bonam frugem redeant, & bono publico, & familiæ ſuæ reſipiſcant.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XVII.

De Collegiatis, Chartopratis, & Nummulariis.

1. *Collegiati qui, cum collegia privata fuerint prohibita, etiam militibus.*
2. *Quibus pœnis coërceantur qui illicita collegia uſurpant.*
3. *Collegia inſtitui & approbari debent à Principe.*
4. *Collegia Religionis cauſa licita, non tamen exempta ſunt à juriſdictione ſeculari.*
5. *Opificum collegia quam ſint Reipublicæ utilia. Collegæ cenſentur qui incorporati ſunt collegio.*
6. *Nemo in duobus collegiis eſſe poteſt, & qui ab uno recedit, partem communem petit, non item ex eo quod collegio legatur, aut debetur.*
7. *Suſcipiendi in collegium qui ſunt ejuſdem artis quam exigit collegium, qui eam non exercet, removetur & alius ſurrogatur, ubi probatus.*
8. *Sunt alia corpora nobiliora ſecretariorum, notariorum curiis adſcripta, quæ privilegiis gaudent.*
9. *An illis quoque gaudeant ſupra numerum aſſumpti ad collegium, item juribus, quæ reſervata ſunt ordinariis?*
10. *Principis reſcripta potiùs impropriè accipi debent, quam ut eorum contextus præjudicium aliis adferat.*
11. *Verba reſcriptorum flectenda in eum ſenſum, ut minimum lædant.*
12. *Quo remedio ſubveniatur illi, qui conceſſione Principis, ſe læſum probat.*
13. *Lucra debentur ordinariis collegiatis, excluſis extra ordinem aſſumptis.*
14. *Collegium non mutatur mutatis perſonis, illius jus in uno reſidet & conſervatur: tres collegium faciunt.*
15. *Poterat collega cum licentia ſuperioris à collegio recedere, & chartam vendere, cujus emptor, Chartopratus dicitur.*
16. *Quis ſit Nummularius, & an ejus munus ſit publicum?*
17. *Conceditur argentariis & nummulariis ut de bonitate & valore pecuniæ cognoſcant.*
18. *Collegiati poſſunt ſtatuta facere, quæ ipſos ligent, non alios.*
19. *Item Decanum eligere, qui de mercibus & cauſis circa eas cognoſcat. Quid ſi concurrat ordinarius?*

1 Dictum eſt ſpeciatim de quibuſdam corporatis, certo collegio adſcriptis, nunc generatim de collegiatis, qui ex diverſis corporibus eligebantur, ut publicis neceſſitatibus ſubvenirent. Quia verò ſpecie publicæ cauſæ, & negotiationis, multi improbi adverſus leges, & ordinum concordiam, conventus collegiaque conſtituere conabantur & de facto uſurpabant, ideò primùm Senatuſconſulto, dein Principum conſtitutionibus, præceptum Præſidibus provinciarum, ne patiantur eſſe collegia, ſodalitia, conventicula, neve milites in caſtris collegia habeant, *l. 1. ff. De colleg. illic. & in l. 1. ff. quod cujuſque univerſ.* propter imminens periculum conjurationum, & proditionum quæ in hujuſmodi collegiis & congregationibus conflari ſolent, *l. 3. ff. De colleg.* * Unde Julius Cæſar collegia plurima clauſit, Auguſtus 2 iterum aperuit, Nero nova removit, antiqua retinuit, *Suet. in Octav.* Claudius nominatim vetuit illicitos conventus, non tam ob factionum metum, quàm intemperantiam, quod in iis commeſſationes & compotationes plerumque fierent, ex quibus alia infanda incommoda orirentur, *Dion. lib. 60.* pœna dein vis publicæ, aut alia arbitraria iis impoſita, qui hujuſmodi illicitos cœtus uſurparent, ex Divorum fratrum conſtitutione *l. 1. & 2. ff. d. t.* Item Arcadius & Honorius conventicula prohibent proſcriptionis domus periculo imminente, ſi dominus ejus in ea nova, aut tumultuoſa conventicula celebrantes ſuſceperit. *l. 15. Cod. De Epiſcopis & clericis.*

Hinc quoque moribus & ſtatutis prohibitum, 3 ne congregationes & confratriæ artificum fiant ſine auctoritate Regia, quamvis ad bonum finem videantur inſtitui, ita enim cavet lex Hiſpaniæ *tit. 14. lib. 8. nova recopil.* & in Gallia edictum Franciſci I. de tollendis artificum collegiis, & vitandis ergo laborum monopoliis, de quibus eſt etiam lex Zenonis *ſup. De monopol.* Cujac. *lib. 7. obſ. c. 30.* Carolus V. Gandavenſibus in ordinem redactis collegiorum omnium jura ſuſtulit. * Religionis 4 tamen cauſa coire prohibitum non eſt, dum tamen ſpecie pietatis & ſolvendi voti cœtus illiciti non habeantur. *d. l. 1. §. 1. & l. 2. ff. De extraord. cog.* Verùm ut licitè congregationes piæ inſtituantur, intervenire debet auctoritas Apoſtolica, & ordinaria Epiſcoporum, ut conſtat ex nova Clementis VIII. Conſtitutione, edita anno 1604. In his autem ſodalitiis, quamvis pia opera exerceantur, & ab ordinario viſitari ſoleant, non ideò ſodales à juriſdictione ſeculari ſunt exempti, cùm ſint laici, uxores ducant, aut ducere poſſint, mercimonia exerceant, ac Reipublicæ munia ſubeant. Bart. *ad l. ult. ff. De coll. licit.* Gutierrez *lib. 1. canon. qq. cap. 35.*

Accedente itaque Principis auctoritate, nihil 5 Reipublicæ ad retinendos cives in officio utilius excogitari poteſt, quam hujuſmodi mercatorum & opificum collegia. Nam cùm cogenda eſt pecunia, tributa colligenda, aut gravia Reipublicæ negotia ſunt expedienda, meliùs cum univerſis, quàm cum

Digitized by Google

ſingulis agitur, & faciliùs conſenſus obtinetur. Ipſi quoque opifices ubi inter ſe conveniunt, de rebus ad ſe & opificia ſua pertinentibus prudentius agunt, & ſtatuunt. Undè fit ut opificia magis vigeant & floreant, ad ſplendorem & utilitatem Reipublicæ, ubi plures ejuſdem artificij collegialiter agunt. Dico collegialiter, quia hi qui incorporati non ſunt, ſed plures ut ſinguli in aliquo loco morantur, non dicuntur conſtituere collegium, neque collegij more convenire, nec ſigillum commune habere, niſi id longo tempore, aut privilegio acquiſiverint, Coſtalius *ad l. 1. ff. quod cujuſque univerſ. nomin.* Connan. *lib. 1. comm. cap. 10. num. 1.*

6 Porrò duobus collegiis neminem inſcribi poſſe conſtat; ſi adſcriptus fuerit, reſcriptum eſt à Divis fratribus eligere eum oportere cujus eſſe malit, accepturum ex eo collegio à quo recedit, id quod ei competit, ex ratione rei aut negotiationis quæ communis fuerit. *l. 1. §. ult. ff. De collegiis.* Idque Gloſſa ibi ita exponit; quòd, quando collegium aliquid habet proprium, & eſt ſingulorum, ut tunc quicumque recedit, poſſit partem ſuam petere, ſcilicet cùm ex collatione ſingulorum habet aliquid commune; ſed quando quid collegio vel ſocietati legatur, non legatur niſi iis qui in collegio remanent, & ejus collegij ſunt, ita ut is qui recedit partem non vindicet, quia non eſt ſingulorum, ſed collegiatorum. Similiter quod collegio debetur, non ſingulis, ſed communitati debitum intelligitur, ne, quod collegium debet, ſinguli debere dicantur. *l. 7. §. ſi quid ff. quod cujuſcumque univerſ. nomin.*

7 Præterea debet quis tale collegium eligere, in quo poſſit commodè officium vel artem ſuam exercere, & cujus gratia inſtitutum eſt collegium. *l. 9. ſup. De ſacroſ. Eccleſ.* Cui ubi quis adſcriptus eſt, ſi officium aut munus, non ut oportet, impleat, iſtius collegij privilegiis non fruitur, imò ab eo removetur, atque in ejus locum alius ſurrogatur, quod fit auctoritate primorum iſtius collegij, & probatoria, ſeu explorata prius illius aptitudine. *l. un. in princ. hoc tit.* Bartol. *in l. ſemper, §. quibuſdam ff. De jure immunit.*

8 Præter opificum collegia, & eorum qui artes liberales exercent, ſunt alia nobiliora corpora, curiis & conſiliis Principum adſcripta; nimirum ſecretariorum, notariorum, aliorumve agentium in rebus, qui munus ſuum actu exercent, ac *neceſſariam operam utilitatibus publicis exhibent*, ut ait Calliſtratus *in l. 5. §. pen. ff. De jure immun.* ob quam privilegiis & juribus utuntur. *d. l. un. §. 1.* ibi Platea *num. 4.*

9 Hinc quæritur, an ultra numerum aſſumptus ad collegium, particeps fiat jurium, quæ ſolis collegiatis ſunt conceſſa, & diuturno uſu ſervata? Reſpondeo eum non aliter cenſeri aſſumptum, quam ſalvo & illibato jure ordinariorum, adeò ut quamvis ille nitatur nova Principis conceſſione, hæc tamen ita ſit temperanda, ut jura & emolumenta, quæ ob laborem collegiatis præſtantur, minimè auferat aut imminuat. *l. 1. §. ſi quid à Principe ff. ne quid in loco publico. l. nec avus C. De emancipat. c. quamvis D. reſcript. in 6.* * Ex quibus locis docent Interpretes, Principum reſcripta eâ humanitate eſſe accipienda, ne cuiquam injuriam inferant, adeò ut reſcriptorum verba potiùs impropriè ſint interpretanda, quàm ut eorum contextus in alterius præjudicium accipiatur, Omphalius *De Principis funct. lib. 1. cap. 9. in fine ubi plures DD. refert.* nam ut Principis mens & intentio, legibus & rationi naturali conformis eſſe exiſtimatur, ita & reſcriptum ex ipſius mente & ratione hanc admittit interpretationem, ne alteri jus quæſitum auferatur, vel minuatur; quocirca in hac facti ſpecie, ea fuit mens concedentis gratiam, aut locum in aliquo collegio, ne per acceſſionem ſupernumerarij, præjudicium generaretur ordinariis, qui hactenus ſoli juribus & privilegiis uſi ſunt, & fruuntur emolumentis collegij, tanquam præmiis ſuorum laborum, cùm ſoli collegium facere, & repræſentare dicantur. Ita in ſimili quæſtione reſcribit Innoc. 3. *in cap. cum olim* ✠ *De conſuet.* præcentorem in Eccleſia Londinenſi recens aſſumptum contentum eſſe debere dignitate & ſeſſione quam ſine præjudicio alieno poterit obtinere, item reditibus ſibi conferendis. Etenim quoties reditus officij alicui dari aut reſtitui jubentur, ſolùm comprehenduntur provenientes ex ipſo officio, non vero ex perſonali labore, quia in hujuſmodi proventibus, ſolum exercitium & uſus receptionis debet attendi. *l. 1. infr. De re milit.* Bartol *ad l. fin. ff. De colleg illicit. num. 22.* 10

Hinc quoties novi indulti verba in ſpeciem jus collegiatis quæſitum lædere videntur, ea tum in ſenſum improprium flectenda eſſe docemur, ne in propria ſignificatione accepta, præjudicent. Jaſon *in l. ex facto ff. De vulgari num. 5. & 13.* quoniam hujuſmodi indulta & litteræ quæ impetrantur cum præjudicio alterius, magis per importunitatem extorqueri à Principe, quàm ejuſdem libera voluntate concedi ſolent. Felin. *in cap. cum olim* ✠ *de re jud.* Imò quamvis liberè & motu proprio concederentur, quia tamen jus alterius lædunt, non valent. *gloſſ. in l. originarios infr. de agricol. & cenſ.* 11

Quo igitur remedio utetur is qui ſe conceſſione aliqua Principis læſum oſtendit? Duplici, I. Actionis, quam vocant condictionem ex lege, per quam concludet ad principalis gratiæ revocationem, idque ex defectu intentionis Principis, in quem finem multas ſuggerit conjecturas. Felinus *in cap. ſuper litteris* ✠ *de reſcript.* II. Exceptionis, quæ agenti ad gratiam conſequendam obſtat. 12

Quo remedio utentur ordinarij, quorum jus ordinationibus Principum eſt firmatum, & diuturna conſuetudine munitum, ut illi ſoli tan- 13

Digitized by Google

tanquam è numero, negotia ſui collegij expediant, privilegiis gaudeant, ſibique lucra & proventus adſcribant, excluſis ſupernumerariis, cum utriſque commoda collegij non ſufficiant, & licet ſufficerent, non debent tamen diminui emolumenta illorum qui ſerviunt, & jus quæſitum eſt in hiſce lucris, quæ ex exercitio muneris proveniunt, & ſua natura ut diſtributiones, quæ ſolùm iis qui interſunt, & actu ſerviunt, conceduntur. *c.1.de cler.non reſid. in 6.* Rebuff. *ad l.Gallia tit.de ſalariis.* quem & refert & ſequitur Maſtrillus *lib.1. de magiſtr.c.21.n.35.*

14 Habet autem hanc ſpem extra ordinem aſſumptus, quod in locum decedentis ordinarij ſuccedat, ſi collegiatorum judicio idoneus probetur, mutatione tamen ordinariorum aliquorum, non mutatur collegium; ſed idem remanet. *l.7.§.2.ff.quod cujuſque univ.nom.* Quod ſi ad unum recidit, poteſt hic potiori jure convenire & conveniri, cùm & per unum jus communitatis retineatur, & conſervetur, quamquam ab uno collegium non conſtituatur. Neratius tres collegium facere dixit, & hoc magis ſequendum eſt. *l. 85. ff. De verb. ſignif.* ſicuti nec unus ſolus appellatione familiæ continetur, nec duo familiam faciunt. *l. 40. §. 3. ff. d. t. De verb.ſignif.*

15 Cæterum collegium mutare, aut pro arbitrio ab eo recedere collega non poteſt, eſt enim collegio obſtrictus, ut decurio curiæ ſuæ, poteſt tamen obtenta facultate Principis, à munere & functione ſe eximere, & jus matriculæ, ſeu chartam alicui idoneo vendere, atque is qui chartam hanc emit, Chartopratus dicitur, & ſubrogatur in locum ſtatuti collegiati, vel decani, qui vacationem obtinere potuit, & ut ordine & munere fungitur, ita & privilegiis gaudet. *l. un. § fin.h t.ibi gloſſ.* Lucas de Penna, Joan. de Platea & Pyrrhus, à quibus diſſentit Cujacius Chartopratis chartarum fiſcalium vendi-

16 tionem commiſſam dicens. * Non argentariis ad quos noviſſimè tranſlata fuerat chartæ venditio, & argentaria negotiatio, ut etiam nummulariis, qui pecunias ſuas fœnori dant, permutant, diſtrahunt, & ideò in publico menſas habent, actus ſui rationes conficiunt, & quod per hos geſtum eſt, tanquam fide publicâ conſignatum habetur: tenentur quoque rationes ſubducere, nec diſtinguo quis ab argentariis editionem poſtulet, dum tamen is poſtulet, cujus intereſt rationes edi, *l. 4. 9. §.2. l.10. ff De edendo,* quia verò eorum miniſterium publicam fidem apud veteres habuit, ideò ſunt qui dicunt argentariorum officium eſſe publicum, ſed non rectè, cùm etiam ſervi illud exercuerint, *d.l.4.§.3.* non poteſt tamen negari, quin hoc officium publici commodi cauſa ſit inſtitutum, & ejus uſus ſummè neceſſarius. *l.8.ff.de poſiti.*

17 Hinc cœpit Princeps, penes quem ſumma Reipublicæ eſt, officij hujus exercendi, fœnerandique gratiam ſuo diplomate quibuſdam concedere. Atque ad hos tanquam peritiſſimos nummorum æſtimatores ſolent recurrere, qui ambigunt de valore & bonitate pecuniæ, puta quanti ſit nummus, ex quo auro, probato an improbato. Nec hujuſmodi argentariis inutilis eſt iſte labor. Cujac. *lib.10.obſ. c.14.*

Nam retinent collegiati, itemque nummularij, 18
quædam privilegia, ob laborioſum munus quod ſuſtinent, ſiquidem de his quæ ad artem ſui collegij ſpectant, poſſint ſtatuta facere, ſeque viciſſim illis alligare, modò talia ſint, quæ non conſtituant novum jus inter alios, neque lædant leges priores à fundatoribus collegij latas, in quas jurarunt: Item modò præjudicium non inferant aliis, ut ſi monopolium ſapiant, vel ambitioſa ſint decreta. Bart. *ad l.ult.ff.hoc tit.* per *l.1.Cod.de monopol.* Alciatus *ad l.85. ff. De verb.ſignif.*

Præterea poſſunt collegiati ſibi judicem ſeu De- 19
canum eligere, qui judicet de opificum operis & artificiis, item mercibus quas venales exponunt, ne ignara plebs earum emptione decipiatur. Eſt autem iſtius Decani, ſeu Judicis jurisdictio circumſcripta perſonis ſui collegij dumtaxat, ut de negotiatione cognoſcat, non de alio contractu, negotio, vel crimine; Item tantùm inter exercentes, vel diſcentes negotiationem, quandoque etiam inter eos qui aliquando fuerunt collegiati, ſi poſtea conveniantur de negotiatione anteà geſta. Habet autem hic judex ſive Decanus collegij, & Magiſtratus quoad cauſas iſtas mercimoniorum juriſdictionem concurrentem; ille quidem ex privilegio, hic verò ex generali ſibi conceſſa poteſtate, & uter priùs de cauſa iſta aditus fuerit, cognoſcit, nec impediri poteſt ab altero, nec à convento declinari, prætextu alicujus privilegij. Non ſolet hic tamen quid circa merces decernere, niſi auditis iis, qui ejuſdem ſunt opificij. Sichard. & Vultejus *ad l.7.Cod. de juriſdictionib.omn. jud.* vide quæ *ſup. tit.13.* dixi.

TITULUS XVIII.

De Studiis liberalibus urbis Romæ, & Conſtantinopolitanæ.

1. *Continuatio. Academiarum, & Præceptorum uſus in Republica maximus.*
2. *Diverſis in locis cœpit erudiri juventus, quod magis foris quam domi ad ſtudia & bonos mores excitetur.*
3. *Peregrinatio utilis, quæ ſcientiâ & prudentia cauſa inſtituitur.*
4. *Profeſſores ubi docerent, privatim docere iis non licebat, ſecùs illis qui non erant ex ordine.*
5. *Numerus certus Profeſſorum conſtituitur, aſſignan-*

tur iis certa ſchola, ita diſtantes, ne ſe invicem impediant docentes.

6. *Prohibentur ſtudioſi ſibi invicem obſtrepere. Item fabri malleare juxta ſcholas.*

7. *Quid ſi ſtrepitum facere non deſinant, poteruntne expelli?*

8. *Præterquam Romæ & Conſtantinopoli, in aliis urbibus liberales ſcientiæ hodiè docentur.*

9. *Solvitur ex publico Profeſſoribus, nulli gratis munus ſuum obire tenentur.*

1 INter collegia licita, ac ſpeciali privilegio ſubnixa, eſt collegium artium liberalium & Doctorum, quod in hujus tituli inſcriptione vocatur ſtudium, & accipitur pro Academia, & Univerſitate, in qua Magiſtri, Doctores & Profeſſores diverſarum ſcientiarum congregantur, & ibidem juvenes virtutibus, bonis litteris diſciplinisque inſtituunt, & ad laborem excitant. Quo fit ut illi qui prima jecerunt Reipublicæ fundamenta, ſemper fuerint ſolliciti de erigendis ſtabiliendiſque Academiis, quod crederent nullum florentem Reipublicæ ſtatum comparari, aut retineri poſſe ſine litteris, & bonâ juventutis inſtitutione. Ariſtot. *lib. 5. pol. cap. 9.*

2 Atque haſce publicas Præceptorum ſcholas, primum Græci bonarum ferè omnium artium auctores, induxiſſe videntur, qui cum aliis in locis tum Athenis publicè magno ſtudioſorum concurſu, diverſas profiteri artes, certoque pretio docere cœperunt. Pòſt liberalitate Principum diverſis in locis viri docti conducti ſunt, ad erudiendam in variis ſcientiis juventutem, ut dixi *ſup. de Profeſſor.* exiſtimabant enim non poſſe eam commodè domi inter privatos parietes erudiri & inſtrui, cùm, quia parentum indulgentia facilè liberos corrumpit, tum quia domi ea ſola poſſunt diſcere, quæ ipſis præcipiuntur, in ſcholis verò publicis etiam ea quæ aliis, ut ait Quintilianus *lib. 1. inſtit. cap. 2.* ibi, *audiunt multa quotidiè probari, multa corrigi, ſic ut proderit alicujus objurgata deſidia, proderit laudata induſtria, excitabitur juvenis laude commilitonis, & præmio ſtudiis deliro:* namque accenſi juvenes, atque amore ſcientiæ excitati, peregrinari, novas Academias, & Profeſſores adire conſueverunt.

3 Et hic certè optimus eſt peregrinationis fructus & finis, ſcientiam & prudentiam quærere. Item nō tantùm luſtrare urbes, ſed illarum leges & inſtituta retinere, regimina dignoſcere, ut ea notitia in Reip. utilitatem deinde convertatur, ut monet Lipſius in Epiſt ad Lanoyum. Rectiùs itaque maturiores juvenes faciunt, qui ad eos populos divertunt, qui cultioribus ſunt moribus, & Academias perluſtrant celebriores, Profeſſoreſque publicâ auctoritate ad docendum conſtitutos audiunt, ex quibus aliquid utile diſcere, & referre poſſint.

Olim quidem legum Profeſſores alibi quàm Romæ in Capitolio, & Conſtantinopoli, & Beryti docere non poterant, erantque hi judicio Principis, & decreto ordinis probati, recepti que. Uſurpantes verò ſibi nomina Profeſſorum, ac publicè docendi auctoritatem, infamiæ notam ſubibant, & urbe pellebantur. *l. un. h. t. & in procemio digeſtor. §. hac autem 7.* Attamen qui verè magiſtri erant, nondum tamen ex ordine Profeſſorum, intra privatos parietes ſtudia ſua exercere, & ſtudioſos inſtruere non prohibebantur, nam tantum illis qui intra Capitolium erant ad docendum conſtituti, interdictum erat privatim docere & diſcipulis vacare, & ſi ſecùs feciſſent, nil penitùs ex privilegiis conſequebantur, quæ eorum ordini erant conceſſa, *d. l. un. §. illos.* 4

Præſcribunt prætereà Impp. Theod. & Valent. in hac ſua conſtitutione, certum numerum Profeſſorũ, nimirùm tres oratores, quos Romanæ eloquentiæ doctrina, & docendi dicendique facundia commendat, Grammaticos decem, ſophiſtas, ſive dialecticos quinque, quibus unum adjungi volunt, qui Philoſophiæ arcana rimetur, duos verò Profeſſores qui juris ac legum voluntates pandant & interpretentur, non excludunt proptereà cæteras artes liberales, quarum mentionem facit Conſtantini conſtitutio, *ſup. de excuſ. artif.* Sed tantùm ad ſuperiores iſtas ſcientias tradendas in tribus dictis urbibus iſtum conſtituunt numerum Profeſſorum, quibus etiam ſingulis, certa loca & ſcholas deputari jubent, quæ inter ſe aliquam diſtantiam habeant, ne diſcipuli ſibi invicem poſſint obſtrepere, neve linguarum confuſio permixta, vel vocum omnium ſtrepitus docentes & audientes impediat, & à ſtudio litterarum mentes avertat. Atque hoc adverſus novos ſtudioſos, qui ſuo ſtrepitu & plauſibus auditorium turbant, ubi non intelligentes tædet audire, ſui commodi negligentes, alieni invidos. 5

Porrò quemadmodum ſcholares prohibentur ſibi invicem obſtrepere, ne impedimentum ſtudiis inferatur, *d. l. un.* Ita etiam fabri juxta ſcholas & domos Profeſſorum ſtrepitum facere, quoniam publica utilitas, quæ replet civitatem ſapientibus, præfertur. *gloſſ. hic.* & Platea. Quod ſi dicant ſe eſſe fabros publicè conſtitutos, & arma fabricare pro Republica, cujus cauſa æquè privilegiata eſt, debet illis à magiſtratu commodus locus in civitate aſſignari, citra ſtudiorum incommodum. Cùm magiſtratus ſit curare, ut pacata atque quieta ſint loca, in quibus ſtudia liberalium artium, & divina miniſteria exercentur. *arg. l. 13. ff. de offic. præſ.* quorum cauſa ſemper potior viſa eſt, licet fabri, & artifices partem civitatis non minimam faciant, ut inquit Ariſtoteles *lib. 2. polit.* 6

Quid ſi fabri moniti, non deſinant obſtrepere? Nonnullorum opinio eſt, non poſſe eos expelli, quia licitum eſt cuilibet in ſuo facere quod lubet, etiam 7

etiam cum alterius incommodo, *l.8.§.5.ff.ſi ſervit.*
vind. l.1.§. idem ajunt: ff. de aqua pluvia. arc. At Me-
nochius *lib.2. arbitrar. cent.3. caſ.237.* exiſtimat fa-
bros ſi prævenerint Doctores, vel ſtudioſos, qui
poſſunt commodè alibi habitare, ob præventionis
privilegium, non poſſe expelli: ſecùs ſi concurre-
rint eodem tempore ad habitandum, vel ſe poſt
contulerint, ad locum in quo conſueverunt Docto-
res ſtudia exercere. Sed ego puto fabrorum privile-
gium minus eſſe, ac proinde cedere debere majori,
quo nituntur Profeſſores liberalium artium, & le-
gum, quarum ſcientia totus illuminatur orbis, &
conſervantur Reſpublicæ; præterea leges armis
præferri, & arma togæ cædere fatentur ſcriptores,
& noſtri *in proœmio inſtit.* Nec perpetuò verum illud
eſt, licere cuilibet in ſuo facere quidquid velit, ſiqui-
dem inde præjudicium paſſura ſit communitas. Quo
fit, ut non liceat domino fundi quippiam facere
quo impediatur publicus navigationis uſus, *l. 1. in*
pr.ff. de fluminibus. Item ſi poteſt ipſi domino domi-
nium rei ſuæ auferri, ob publicam cauſam, potius
inhiberi poſſunt fabri ne turbent ſuo ſtrepitu, licet
proprio in loco, & ab eo expelli, ſi id magiſtratui
viſum fuerit, vel prohiberi ne eo tempore quo Do-
ctores docent, fabrilia tractent tali ſtrepitu, ut do-
centes diſcenteſque impediant. Pyrrus *ad h. l. un.*
Bartol. & alij *ad l.1.ff. ſol. matr.*

8 Quod autem conſtitutio hujus tit. ſolummodò
duarum civitatum in quibus ſtudia exercerentur,
mentionem faciat, ratio eſt, quia in aliis urbibus
nondum omnes ſcientiæ, & liberales artes præle-
gebantur, aut ad docendum publica auctoritate, &
ſalario Doctores certi erant conſtitui, poſtmo-
dum ut Romæ & Conſtantinopoli, ita & Beryti,
Pariſiis, Bononiæ, Salmanticæ, Coloniæ, Lo-
vanij. & in aliis provinciis aliæ Academiæ ere-
ctæ ſunt, & Profeſſores ex publico ibidem do-
tati. Idque laudabiliter conſtitutum; non decet
enim publicè docentes egere nam exiguitas ſtipen-
dij animos alienat à munere docendi, atque mul-
tos ea cogit tractare, at quæ minùs ſunt idonei. Ita-
que optimè tenuiorum ſtudiis conſulitur, & major
eſt docentium libertas & aſſiduitas, ubi ipſis ex
ærario digna meritis & induſtriæ, merces præſta-
9 tur. * Unde olim pro mercede publicæ in docendo
operæ, Profeſſoribus actio extra ordinem dabatur.
l.1.ff de extraord. cogn. De Philoſophis tamen, juriſ-
que Profeſſoribus reſponſum ab Ulpiano, *quadam*
tametſi ab iis honeſtè accipiantur, inhoneſtè tamen petun-
tur. Quia primùm profiteri illos oportuit, mercenariam
operam ſpernere, petendus ab his honos, non pretium. d.l.1.
§.4.& 5. Sed mos ille deſiit, honeſtè enim petun-
tur ſalaria, ſine quibus omnis friget functio, nec
eæ omnibus ſunt facultates, ut gratis obire munus
ſuum queant, neque Profeſſores tam humanos
habent diſcipulos, quales habuit Sabinus, cui cùm
res anguſta domi eſſet, ab iis fuit ſuſtentatus *l. 2. §.*
ergo Sabin. ff. de orig. jur.

TITULUS XIX.

De honoratorum vehiculis.

1. *Olim carrucis nemo uti poterat, qui in dignitate non eſſet conſtitutus.*
2. *Nondum electi in Senatorum ordinem, uti & judices inferiores pedibus ibant.*
3. *Viri honorati & illuſtres carrucis vehebantur ad aulam; dabanturque iis equi & currus profecturis ad provinciam adminiſtrandam.*
4. *Hodie etiam abjecti cives carrucis utuntur, ideo revocanda in uſum conſtitutio Regis noſtri.*
5. *Rhedis mercenariis omnibus uti licet.*

SEquitur de urbis privilegiis & primo proponi- 1
tur *hoc tit.* de privilegio quod habet urbs Roma,
ne quis in ea vehiculis, & carrucis utatur, niſi qui
præditus ſit aliqua dignitate, civili vel militari, aut
honore aliquo cum adminiſtratione jam perfun-
ctus fuerit, veluti ſi præfectus prætorio, Magiſter
militum, Præfectus urbi, Prætor, Conſul extiterit.
l.un.h.t. Quibus adjungi poteſt Senator, nam & huic
uſum carrucæ argenteæ permiſit Severus Impera-
tor, & Aurelianus etiam aliis, qui ſine adminiſtra-
tione publica, dignitate tamen palatina aut alia ho-
noraria erant decorati. * Nondum autem in Sena- 2
torum ordinem lecti, aut à Principe aſſumpti ad
dignitatem aliquam, tamdiu pedibus ibant in cu-
riam, Gell. *l.3 c.18.* Inde fortè pedanei judices, niſi
malis eos ideò pedaneos appellare, quod in Senatu
verbis ſententiam non dicerent, ſed in alienam
ſententiam pedibus irent, aut ſuam potiùs profer-
rent in ſubpedaneis, & minoribus ſubſelliis, ut dixi
ſup. De pedan. jud.

Appellat autem vehicula dignitatis, quia ob dig- 3
nitatem, ita in publicum prodire urbis honoratis &
illuſtribus perſonis permiſſum erat, ipſum quoque
palatium Imperatoris ingredi, carrucâ, vel equo,
prout vellent, ſed carrucam ſuo ſumptu ornabant,
& ſellam geſtatoriam, qua per urbem, à ſervis ge-
ſtabantur. Bulengerus *De Imper. Romano, lib.1.c.24.*
tantum enim Præſidibus & Proconſulibus profe-
cturis in provinciam ex publico carrucæ, equi &
annona præbebantur. Sic Juſtinianus Prætoribus
ſuis Pyſidiæ, & Licaoniç dedit ſellas curules, aureas,
ſecurem conſularem & faſces. *Novel.24.* At vehicu-
la & ſellæ curules conſulū ex ebore altiores erant,
Præſidum provinciæ & Senatorum omnium hu-
miles. Symmachus *l.1.epiſt.15.& 95.* Refert Julius
Capitolinus Alexandrum Imperatorem more vete-
rum inſtruxiſſe magiſtratus, quos in provincias mit-
tebat, ita ut Præſides acciperent argenti pondo vi-

Digitized by Google

cena, phialas ſenas, mulos & equos binos, currus, & alia quæ recenſet; finitâ tamen adminiſtratione, mulos, equos, muliones & cocos reddebant, cætera ſibi oblata retinebant, ſi ſe bene geſſiſſent, ſin malè in quadruplum ea reddere tenebantur; meminit Bobadilla *lib.5. polit. c.7. n.17.* & Petrus Gregor. *lib.47. ſyntagm. cap.32. n.28.*

4 Hodiè etiam abjecti cives, rhedis & vehiculis in urbe regia, & aliis utuntur, quamobrem ad coërcendam eorum inſolentiam & luxum, æquum foret vectigal aliquod rhedarum equis imponere, & in uſum revocare pragmaticam ſanctionem Philippi ſecundi Regis noſtri, ne ullus (præter honoratos & illuſtres) utatur carrucis, ſeu rhedis, niſi quatuor equis ad vehendum junctis

5 Conductitiis rhedis intra & extra urbem omnibus cujuſcumque conditionis uti licet, præſtita mercede, ea enim conſtituta, ut hodie, ita & olim licuit ciſiis, vehiculis & rhedis uti. Valerius Maximus *lib. 9. c. 1.* dummodò mularum (quibus, non equis, ad vehicula veteres uſos exiſtimat Coraſius, *lib.2. miſcel. c.20.*) juga oneri ſuffectura adhiberentur. Invectus quoque uſus ciſiorum, à Pannoniis, à quibus & rei quoque nomen factum fuerat, ut ſcilicet ciſia dicerentur *coches* verbo Pannonico, & noſtro ut notant Nicotius & Budæus.

TITULUS XX.

De Privilegiis urbis Conſtantinopolitanæ.

1. *Conſtantinopolis nova Roma à Conſtantino eſt appellata & reparata, omnibuſque Romæ veteris privilegiis donata.*
2. *Gaudet prærogativa juris Italici, eſtque immunis à tributis, & nunc quævis urbs regia.*
3. *Ut Roma, ita Conſtantinopolis communis patria, & domicilium commune ſubditis, exceptis illis qui habent jus revocandi domum.*
4. *An idem jus domicilij communis datum ſit aulis regiis.*
5. *Aulici & in obſequio Principis utuntur jure Romano, & aulæ jus ſequuntur.*
6. *Tranſlata imperij ſede Conſtantinopolim, remanſit in vetere Roma Principatus Eccleſiæ, & Pontificis Romani ſedes, quia prima eſt omnium Eccleſiarum.*
7. *Conſtantinopolis deſtituta ſuis privilegiis & imperio, eoque tranſlato in Carolum Magnum, dein in Saxones.*
8. *Orientale imperium extinctum. Quando id Turca invaſerit.*

1 SEcundo agitur hoc tit. de privilegiis quæ habet urbs Conſtantinopolitana, hæc olim Byzantium dicta fuit, in Thracia à Pauſania Spartano primùm condita, ut auctor eſt Juſtinus *ex Trogo lib. 4.* Quia verò reparata & illuſtrior reddita ab Imperatore Conſtantino, ſubinde dicta fuit Conſtantinopolis, & ſæpè alibi nova Roma, ad differentiam veteris Romæ, in qua prius erat ipſius Imperij & Imperatorum ſedes & habitatio, ut indicat, *l. un. h. t. l. 5. C. de operib. pub. l. 52. in fin. C. de Epiſc. & Cler.* In notitia Imp. Pancirol. *cap.35.* & Cæſar Bulengerus *de Romano imp. lib.1. cap.3.*

2 Huic urbi eadem privilegia tributa ſunt, quæ antiquæ Romæ, gaudet enim ut hæc juris Italici prærogativa, atque exempta ab extraordinariis & temonariis oneribus, *l.6. C. Theod. de extraord. muner. & in l.3. C. Theod. de collat. donatar. poſſeſſ.* Ibi *exempta ſcilicet æterna urbe, quam ab ejuſmodi munere, reverentia propriæ majeſtatis excuſat:* ſic etiam hodiè civitatis regiæ cives & incolas à ſuperindicti oneris pondere excuſat Principis habitatio, ut de Pariſienſibus civibus refert Le Bret *en ſes plaidoyez. 20.** Præterea 3 ut Roma communis noſtra patria fuit, ita ut debuerint debitores forenſes ſe ibi defendere, ſi ibi invenirentur, convenirenturque *l.33. ff. ad munic. l.28. §.4. ff. ex quib. cauſ. major.* Exceptis illis qui legationis vel appellationis, vel teſtimonij, vel tutelæ reddendę, vel ſimili aliqua cauſa Romam veniſſent, quippè his revocandi domum jus fuit. *l.2. & paſſim ff. de judiciis.* Similiter hoc jus communis domicilij datum urbi Conſtantinopolitanæ, itemque jus revocandi inde domum legatis, aliiſve qui ob neceſſariam cauſam eo venerant. *Novel.123. cap.24.*

An hodiè jus iſtud communis domicilij urbibus 4 regiis ſeu aulicis communicetur? Veriùs eſt non communicari, atque id præſertim obtinere in Belgio docet Zypæus *in conſultat. canon. lib.3. de ſucceſſ. ab inteſt. conſ.1.* Propterea quod ibi multæ ſint provinciæ ſui atque abſoluti juris, niſi quod à Carolo V. in mutuam defenſionem perpetuò ſint connexæ: Adeò ut Belgij Princeps nullam propriam aulicam urbem habeat, ſedemque Imperij, ſed ſingulis provinciis atque urbibus ſua manent jura & privilegia, & Princeps ubi vult ſedem conſtituit, plerumque in civitate Bruxellenſi, quaſi in meditullio Belgij, unde commodiùs mandata in omnes deferantur, neque ipſa civitas aliquid præcipui juris ex eo in ordinibus Brabantiæ, ſeu aliàs ſibi vindicat. * 5 Aulæ tamen jus non ideò cenſeri debet extinctum; conſtat enim id competere omnibus aulæ adſcitis, & qui in obſequiis Principis ſunt, & officia aulæ perpetua habent, & ibi domicilium, quamvis non perpetuò fixum conſtituiſſe cenſeantur, & utuntur jure Romano & privilegiis qualia data ſunt iis, qui in Roma veteri, aut nova, aut in comitatu Imperatoris, credita ſibi officia obibant. Bona tamen illorum immobilia & reditus hypothecati ſemper ſequuntur conditionem ſitus ſive fundi. Burgundus. *tract. 2. contr. conſuet. n.29.*

Cæte-

6 Cæterùm quamvis tranſlata imperij ſede Conſtantinopolim, eadem prærogativa honorum ei urbi, quæ veteri Romæ, data fuerit, *l.un.h.t.& l. 6. ſup. de ſacroſ. Eccleſ.* nequaquam tamen primatum Eccleſiæ ſortita eſt, manſit enim ille ſemper Romæ, ex Salvatoris noſtri, & divi Petri ordinatione, atque id ipſum ſacri canones docent *diſt.* 22. & Juſtinianus variis locis declarat, cùm vocat ſanctitatem Romani Pontificis caput omnium Eccleſiarum, jubens omnes ſacerdotes non modò Occidentis, verùm etiam Orientis, ei eſſe ſubjectos, *l.8.§.credentes C. de ſumma Trinit.* Idem in noviſſimis ſuis conſtitutionibus ſanxit, aſſerens ſecundum definitiones quatuor primorum Conciliorum, ſanctiſſimum Romæ Papam, primum eſſe omnium ſacerdotum, ac præcedere Conſtantinopolis reliquarum ſedium Archiepiſcopos: Nec non ut legum originem anterior Roma ſortita eſt, ita & ſummi Pôtificatus apicem, vocaturque fons ſacerdotij, atque adeò præcipuis privilegiis eſt decorata, ut adverſum eam non niſi centum annorum ſit præſcriptio. *Novel.* 123. *§.1.& Novel.9.in pr.* quo privilegio Conſtantinopolitana, non aliæ Eccleſiæ gaudent, *ut dixi ſup. de ſacroſ.Eccleſ.*

7 Verùm alia privilegia urbi Conſtantinopolitanæ conceſſa, planè ſuppreſſa, & abolita ſunt, poſtquam ibi eſſe deſiit imperij ſedes, & Conſtantinus Imp. ejuſque filius recuſarunt auxilium præſtare Eccleſiæ Romanæ, ab Aſtulpho Rege oppreſſæ. Eccleſia confirmavit tranſlationem imperij in perſonam Caroli magni, in cujus familia remanſit ad mortem uſque Ludovici Balbi Regis Galliarum, poſt cujus obitum tranſlatum eſt in Saxones Allemannos, penes quos jure ſucceſſionis à patre in filios pervenit, uſque ad tempora trium Othonum, quorum poſtremus, veneno dato, à Romanis, Romæ mortuus eſt. Qua ratione Gregorius V. natione Saxo, qui pulſo ab Othone Antipapa Joanne XVII. dicto, reſtitutus in ſedem erat, ut Imperij dignitas apud ſuos Germanos maneret, ſynodo congregata ſanctionem tulit, de Imperatore eligendo, quæ etiam hodiè obſervatur, electoribus Germanis conſtitutis, tribus Eccleſiaſticis, & quatuor ſecularibus Principibus. *cap.34. ꝟ de elect.* Zoann. *De Romano Imp. numer.* 243. Petr. Gregor. *lib.* 18. *ſyntagm. jur. cap.* 2. *num.* 23.

8 Extinctum dein Orientale imperium, cùm Turca Chriſtiani nominis hoſtis, anno 1420. Bizantium crudeliſſimè invaſit, & ex Oriente toto duodecim regna, & pluſquam ducentas urbes Chriſtianis ademit, & in æternam redegit ſervitutem. Vocant nunc Turcæ Conſtantinopolim, Cæſarundum, quaſi olim Cæſarum domicilium.

TITULUS XXI.

De Metropoli Beryto.

1. *Berytus eſt Metropolis, una cum Tyro, nec huic per hoc quicquam detrahitur.*
2. *In una provincia plures metropoles eſſe poſſunt, ſic ut, ſcindatur in duas partes, & duos habeat Primates.*
3. *Summi Pontificis & Principis conſenſu fieri poteſt metropolis, & provincia dividi, & uniri.*
4. *Unio non aliter fit, quam jure privilegiisque ſalvis.*
5. *In Belgio facta eſt provinciarum unio.*

Tertiò tribuitur hic Beryto privilegium, quod 1 Roma & Conſtantinopolis ſortita fuit, ut imposterum ſit Syriæ Phœnices Metropolis, prout Tyrus, civitas ejuſdem provinciæ maxima. Phœnicem à Syria ſejunxit Hadrianus, à quo ut Tyrus eſſet Metropolis, Paulus Tyrius Sophiſta impetravit, & Phœniciæ provinciæ conſularis factus eſt. Ipſa deinde à Thedoſio & Valentiniano diviſa in duas provincias atque ſecundæ Metropolis & caput Berytus fuit. Hæc civitas ob multas juſtasque cauſas, hanc dignitatem conſecuta eſt, ut quæ nutrix erat legum (ut habet proœmium digeſtorum, *§.hac autem 7.*) conveniebat eſſet & mater reliquarum civitatum, & Eccleſiarum in eadem provincia conſtitutarum, *l.un.h.t.* Neque enim per hoc Tyro quicquam derogabatur, cùm priſtinam dignitatem & nomen Metropolitanum retineret; Quinimò jus provinciæ & ſplendor duplici Metropoli augebatur. * Quod novum non eſt: poſſunt enim, inquit 2 Juſtinianus, in una provincia duæ aut plures eſſe Metropoles, *Sic tamen ut neque alteri nomen Metropolis detrahatur, in Novel. De moderat. Helenoponti.* ubi Pontica Amaſiam & Neocæſariam habuit, Cappadocia Cæſaræam & Tianam, idem repetit *in Auth. De Pratore Paphlagonia, ut una fiat provincia plures habens Metropoles, id quod & in aliis quibuſdam noſtris extitit provinciis.*

Itaque auctoritate Principis, ex juſtis cauſis divi- 3 di poteſt provincia, & una, aut altera civitas conſtitui Metropolitana, cui unus præſit, non duo, quia oſtentum foret, ut in uno corpore eſſent duo capita. *l.38.ff. De verb.ſign.* At ſub uno capite & Præſide duæ eſſe poſſunt provinciæ, & ut dividi, ita & uniri, commodioris adminiſtrationis gratia.

Unionem facit Princeps qui non agnoſcit ſupe- 4 riorem, ſubditis enim non eſt permiſſum ſe unire, aut dividere ſine cauſa. Bart. & Platea *h.n.4.* quin & ea urgente, talem Princeps unionem faciat, per quam non extinguantur jura alterius corporis, uniti cum altero, nec ſtatus unitorum mutetur.

Huc

Hinc in regnis Hiſpaniæ ſæpius conſociatis & diſſociatis, retenti fuere omnium tituli, arma, & ſigilla ex iis mixta.

5 In Belgio ſunt ſeptemdecim provinciæ, quarum duæ civitates Metropoles, una Mechlinienſis, altera Cameracenſis. Hæ provinciæ à Carolo V. Cæſare fuere unitæ, ſed ſingulis ſingula relicta ſunt ſua jura, privilegia & libertates. Imò civitates & pagi retinent ſuas conſuetudines longo uſu receptas, quarum, ut reor, varietas & innata Belgis libertas, impedimento fortè fuit, quò minùs iſtæ provinciæ in unum regnum erigerentur; tentarunt id quidem ſæpè Principes, ſed irrito conatu, atque ita ſub uno capite, retentis ſuis privilegiis, manſerunt ex provinciæ conjunctæ, & etiamnum aliquæ manent in mutuam defenſionem, contra communem hoſtem, quæ verò publicum ſtatum ſpectant, tributa, vectigalia, nervos Reipublicæ, ſimul tractant, ſed extra has cauſas, quælibet provincia res ſuas ſibi habet, & Princeps titulos, inſignia ſingularum.

TITULUS XXII.

De canone frumentario urbis Romæ.

1. *Provinciæ frumentarias ſpecies conferebant, quarum nomine comprehenduntur omnia ad victum neceſſaria.*
2. *Frumentum civibus præſtabatur, quo ne carerent, magna cura, vendebant interdum teſſeram ſuam frumentariam.*
3. *Nautæ profitebantur ſe ſpecies incorruptas accepiſſe.*
4. *Optima ea probatio, quæ fit per inſpectionem ocularem: Notarij videre debent quæ ſcribunt, & pecuniam numerari.*
5. *Non valet reſcriptum quo inferendi canonis remiſſio conceditur; vel ut una ſpecies pro alia ſolvatur.*
6. *Sterilitas vel difficultas ſolvendi in tritico an excuſet debitorem, & ſatis ſit ſi ſolvat pretium tritici?*
7. *Graviſſimè puniuntur magiſtratus & officiales retinentes & uſurpantes canonem frumentarium.*

1 HOc titulo, & aliquot ſequentibus tractatur de frumento, & frumentario canone pertinente ad urbem Romanam, vel ad Conſtantinopolim, quæ eſt nova Roma, vel ad Alexandriam. Quod ad Romanam attinet, provinciæ imperio ſubjectæ, Ægyptus, Sicilia, Gallia, Africa frumento abundantes, tributi nomine Imperatori præſtabant annonarias ſpecies, eaſque quotannis Romam mitte-
2 bant ad alendum ibi populum, & in Italiam. * Tacitus *lib. 12. annal.* oſtendit quantam curam habuerit Claudius Imp. ne frumenta Romæ deficerent. Sanè urbs illa plerumque illo morbo vexata fuit, ac mirum populi Romani vitam in poteſtate fuiſſe exterarum gentium, ut quæritur Tiberius. *Idem lib. 3.* Specierum autem appellatione hic continentur omnia ad victum neceſſaria; ut frumentum, oleum, ſuilla, bubula caro, vinum quoque, ſed hoc rarò ut Vopiſcus ſcribit *in Aureliano*, populo præſtabatur, & frumentum tenuioribus civibus, aut qui tales effecti eſſent manumiſſione, & tribu accepta. Ideò Cicero pro Corn. Balbo ait, *tribum illi conceſſam.* Conabantur & ſæpè eunuchi liberti irrumpere in tribus civium, ut frumentum ex publico acciperent. Claudian. *in Eutropium.* Quandoque ipſi cives teſſeras ſuas frumentarias, ac nomen ſuum alteri vendebant, quod probare videtur textus *in l. 87. ff. de legat. 3.* ubi Titia Sejo juſſit emi teſſeram frumentariam, quam cùm aliundè Sejus ex cauſa lucrativa haberet, damnatur hæres æſtimationem teſſeræ præſtare, quoniam tale fideicommiſſum magis in quantitate, quam in corpore conſiſtit. Facit *& l. 49. §. 1. ff. eod.*

Hunc frumentarium canonem, & reliquæ anno- 3
næ commeatum, Præfecto urbi & annonæ curante, advehebant navicularij, ſive nautici, qui tamen prius apud Præſidum vel magiſtratuum acta confitebantur integras & incorruptas ſpecies ſuſcepiſſe, eorumque etiam apud quos deponebatur iſta confeſſio & atteſtatio, atque præſens aſpectus probabat, nihil in iis eſſe vitij, *l. 1. h. t.* Indè obſervant ſcriptores validam eſſe illam atteſtationem, quæ fit
coram judice, eoque inſpiciente res præſentes *juxta* 4
l. 8. §. 1. ff. fin. regund. * Etenim ex inſpectione, & exteriori viſu ſpecierum decernit intellectus de interiori integritate, aut vitio illarum, an ſint corruptæ vel integræ, ut hic patet in frumento. Caveat proinde notarius ſcribere, res eſſe incorruptas & integras, quas nunquam vidit, & debitorem recepiſſe pecuniam, quam non recepit, nec vidit numerari, quia incidet in pœnam falſi. Quamobrem Pyrrhus *hic*; creditori mutuanti cònſulit, ne illi exceptio non numeratæ pecuniæ objiciatur, ut mutuam det, numeretque pecuniam præſentibus teſtibus & tabellione, ejuſque rei ab eo actam exigat.

Quoniam verò ſæpè debitores frumenti, vel olei 5
urbicarij, canonis remiſſionem petebant, & eam ſuperiores Principes indulgebant propria facilitate, vel ſupplicantiũ importunitate, ideò non valere hujuſmodi reſcripta contra publicum commodum elicita, Arcadius & Honorius Impp. declarant *in l. 2. h. t.* Item in duplum teneri eos, qui poſtulant commutationẽ canonis, ut videlicet ipſis liceat unam ſpeciem pro alia inferre, puta duplum hordei, vel olei pro tritico, quia talia reſcripta adverſantur utilitati & juri publico. *l. 3. hoc tit. & l. 2. ſup. de navib. non. excuſ.* facit quoque *l. 30. Cod. Theod.*
de

de annon. & tribut. ubi cum in privatis cauſis quæ contra leges fiunt, elicita caſſentur, rectiùs in publicis negotiis, quæ adverſum vetera decreta extorta ſunt, ſubmoveri debent. Nam putatur Princeps deceptus, qui talia reſcripta contra veterem legem concedit *juxta tit. ſi contra jus vel util. publ.* niſi expreſſa clauſula deroget huic legi. Platea & Rebuffus hic; ſpecialis enim legis prohibitio, ſpecialem
6 derogationem poſtulat, *l. 35. ff. de reg. jur.* * Undè infero adminiſtratorem aut œconomum qui tenetur triticum diſtribuere ex depoſito civitatis, vel ex fundatione deſtinata civibus, vel pauperibus alicujus parochiæ, non poſſe triticum illud commutare in aliam ſpeciem, vel pro eo dare pretium, quoniam aliud pro alio, invito creditori ſolvi non poteſt, quamvis offeratur pretium, juxta taxam granis impoſitam. Item non valere reſcripta, quibus eximatur debitor ab obligatione ſolvendi triticum tempore ſterilitatis, cùm illud paratum ſemper habere debeat in horreis publicis, nō in utilitatē ſuam convertere. Quo pertinet opinio Bartoli, difficultatem comparandi frumenti, minimè extinguere obligationem ad genus, quod perire per naturam rerum non poteſt; tametſi extinctio rei obligationem ad ſpeciem perimat, & à mora & pœna excuſet. *in l. 137. §. illud ff. de verb. oblig. & in l. 72. eod. tit. q. 9. DD. ad l. 5. ff ſi cert pet. & in l. 10. §. idem juris ff. ad L. Rhod. de jactu.* Igitur præſens ſterilitas, aut difficultas inveniendi in loco frumenta, non excuſabit debitorem ab obligatione ſolvendi triticum, quod ſervare potuit, & ex officio debuit. Covarruv. *ad cap. quamvis p. 2. §. 5.* Bobadilla *in ſua politica, l. 3. c. 3. n. 72.*

7 Hinc graviſſima pœna hodiè decreta in curatorem rei frumentariæ, de qua dictum *ſup. l. 10. t. 26. num. 15.* Eadem coërcentur vicarij, & Præſides provinciarum, & eorum officia, ſi quid ex commeatu populi Romani, & frumentario canone ſibi ſumpſerint & uſurpaverint. *l. 3. in fin. h. t. & l. 6. C. Theod. eod. tit.* Quin & augetur pœna in capitalem, ſi primates officiorum in hoc ſcelere perſeverent.

TITULUS XXIII.

De ſrumento urbis Conſtantinopolitanæ.

1. *Frumentaria largitio, publicè & gratis populo facta.*
2. *Ea deficiente tumultum excitabat populus.*
3. *Hunc Cæſar annona corrupit, ut imperio poteretur.*
4. *Specie recuſantium, ambiunt Principes miris artibus imperium.*
5. *Auguſtus initio ut populo placeret, gratis annonam dedit, dein adimere tentavit: Conſtantinus eam reſtituit.*
6. *Et praſtituit in pane cocto, loco frumenti, ut ſic averteret querelas populares.*
7. *Cur diſtributio fieret in pane cocto, non in frumento.*
8. *Providere debet magiſtratus de frumento & ut juſto pretio vendatur.*
9. *Item cavere ne minuatur quantitas ſtatuta, ad emptionem frumenti, neve in alios uſus convertatur.*
10. *Adminiſtrator vel depoſitarius an poſſit pecunia depoſita uti, vel frumento depoſito.*

DE frumento magis eſſe debent ſolicitæ benè inſtitutæ civitates, ideò olim Conſtantinopoli & Romæ, publicâ pecuniâ frumenta emebantur, condebanturque in publicis horreis, ſive locis ſubterraneis, & horridis, *titul. de condit. in publ. horreis*, ut emergente fame, aut belli neceſſitate popularibus ſubveniretur, itemque militibus, ſed his frumenta magis tanquam debita ſubſidia erogabantur. *lib. 6. & 16. infr. de erogat. mil. annona.* * Poſteà non tantùm frumenta, ſed & reliquæ ſpecies annonariæ, vini, laridi, & olei, militibus dari cœperunt, & frumenta popularibus, idque gratis, ut magis in obſequio plebei homines continerentur, qui deficiente frumentaria largitione, plerumque tumultus excitabant; referente Suetonio *in Claud. cap. 18* contingit enim frequenter ut populus ob inopiam turbetur. * Unde Caſſidorus *lib. 4. epiſt. 5. Fames*, inquit, *totum ſolet contemnere, ut ſuam neceſſitatem poſſit expellere, neceſſitas moderamen non diligit, neque jejuni populi leges poſſunt obſervare.* Undè initio Cæſar, ejuſque exemplo Auguſtus, ad tuendum populum Romanum, eumque capiendum, *annona, & dulcedine otij pellexit*, Tacit. *lib. 1. annal.* Populus, uti feræ omnes, eſcarium & cupedinarium affectat, & ita capitur. *Multa*, inquit Livius *lib. 2. blandimenta plebi per id tempus à Senatu data, annona imprimis habita cura, & ad frumentum comparandum miſſi.* * Et Dion de Auguſto, cum dictatura ei offerretur, ſcribit ſcidiſſe veſtem, & ſolam annonæ procurationem recepiſſe. Illorum Principum præcipua ars erat, ſpecie recuſantium imperium ambire, & largitionibus populum pellicere. * Ita Auguſtus apud Tacitum *lib. 1. annal.* & Tiberius apud Suetonium, *quaſi coactus, & querens miſeram & oneroſam ſibi injungi ſervitutem, recipit imperium, nec tamen aliter, quam ut depoſiturum ſe quandoque ſpem faceret*; & apud eundem Ottho, *quaſi raptus è publico, & ſuſcipere imperium vi coactus, geſturuſque.* Quæ diſſimulatio accendit plebem, ut impenſiùs deferat honores ei, quem credit invitum, & juſtiùs imperare, qui rogatus eſt, quam qui ambit. Quamobrem electus Princeps debet hunc populi erga ſe affectum fovere, & exemptione aliqua, aut annona penſare, Roma-

(right margin numbers: 1 at "DE frumento", 2 at "Poſteà", 3 at "Unde Caſſidorus", 4 at "Et Dion", 5 at "Ita Auguſtus")

Digitized by Google

Romanorum Principum exemplo, qui, cùm populus antea frumenta emeret, & in ſingulos modios ſemiſſem æris, ac trientes perſolveret, ut gratis dein ea acciperet, juſſerunt. Sic Germanicus referente Tacito, *lib. 2. apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata uſurpavit*, & Auguſtus dum annonam procuravit, ſuo ſumptu annonæ plurimum erogavit. Dio *lib.* 55. At ubi rerum ſumma potitus in eo totus fuit, ut frumentationes omnes,& leges in eam rem latas tolleret, eo colore, quod earum fiducia, cultura agrorum ceſſaret,populus in otio viveret,quem convenit eſſe occupatum artificiis & mercimoniis, ne negotiationis & agriculturæ ſtudium negligatur. Verùm populus ſuperior evaſit, & conſuciam frumentationem obtinuit, eaque uſque ad Conſtantinum Magnum continuata fuit, dataque teſſera frumentaria, de qua mentio habetur *in l.52.§.1.ff.de judic.* Poſtea idem Conſtantinus Imp. nulli amplius frumentum ex publicis horreis pro annona præberi voluit, ſed ut integer canon piſtoribus daretur, qui ex iſta annona panes coctos conficerent, ut populo ſuccurreretur, *l.1.h.t.*

6 Ad illud exemplum reliqui Principes in pane cocto annonam diſtribui,& illius augmentum ſervari voluere. Caſſiodorus *lib.11.ep.5.* Cujac. *ad d.l.1.* Sed cum ſiligineus ſordiduſque hic panis eſſet, Valentinianus mundos panes ſex unciarum dari juſſit, & ut menſores ducenta millia modiorum frumenti integri atque intemerati, levioribus pretiis cogerentur vendere piſtoribus, *l. 1. & 5. C. Th. de canone frum. urb. Romæ.* Quod non aliam ob cauſam factum, quàm ut ſuccurreretur inopiæ, & ſatisfieret querelis populi, qui ut dicit Juvenalis *ſat. 10. Duas tantum res anxius optat, panem, & Circenſes.*

7 At cur in pane cocto diſtributionem fieri placuit? Ne ſi in frumento facta fuiſſet diſpergeretur, aut in alium uſum converteretur, quàm in panes, & ſic in dies creviſſet annonæ caritas, & inopia, ob quam denuò Comites horreorum, & magiſtratus ſeu præfecti urbi, & annonæ, cogebantur frumenta emere, quæ aliis vendere potuiſſent, ſi modus diſtributionis obſervatus fuiſſet, *l.1.h.tit.ibi gloſſ.*

8 Ne igitur Reſpublica careat annona, & alimenta deſint, debent magiſtratus attendere ad futuram populi neceſſitatem, & Reipublicæ providere de maximo commeatu,& habere publica horrea frumentis plena, ut creſcente penuria, populo ſubveniri queat: ſi frumenta publica deficiant, aut pecuniæ, poterit ditiores cives etiam invitos cogere ad vendenda ſua frumenta, ne iis abſconditis, major inopia ſequatur, item ſtatuere juſtum pretium ex quo lucrum aliquod percipiant vendentes, ne ſi nullum ſit,frumenta aliò devehant. Vide quæ ſupra dixi *lib.10.tit.27.*

9 Porrò ſi ad coëmptionem frumentorum aliqua fuerit auri quantitas ſtatuta, & in ærario aſſervata, non oportet ex ea aliquid minuere, vel à Præfecto urbi ſummam iſtam in alios uſus convertere, alioquin tenebitur Præfectus in duplum, & in id quod illa pecunia lucratus fuerit. Placet etiam ſcriptis mandare quantum pecuniæ mutui nomine detur piſtoribus,ad coëmptionem frumenti, & viciſſim quantum ab iiſdem frumenti reddatur,atque totum reponi in publicis horreis, *l.2.h.t.* unde colligitur pecuniam non poſſe mutuam dari aliis, quàm piſtoribus,nec ab his aliter impendi quàm in emptionem frumenti,& confectionem panis.

Quid ſi præſens non urgeat neceſſitas, licitumne erit adminiſtratori, vel depoſitario ea pecunia uti? 10
Id quidam affirmant, dum aliam indilatè reddendam habeat, quia tunc eadem pecunia exiſtimatur, & quaſi ſurrogata videtur. *l.34.ff. de pignorib.* Adeò ut quamvis per modum mutui pecuniam iſtam in alium locum transferat, ſecurus ſit ſimilem quantitatem reſtituendo, cùm non teneatur ad eadem corpora, quamvis pecuniæ ſubeat periculum, ſi contingat eam mutari, vel amitti, *l.9.§.4.ff. ad l. Jul. pecul.* Similiter receptum eſt frumento & re alia fungibili uti poſſe depoſitarium, & ſatisfacere tantundem reddendo ejuſdem menſuræ & bonitatis,quia nullum incommodum publicis horreis irrogatur,imo id cedit in publicum commodum, ſiquidem poſſit diuturnitate frumentum corrumpi aut minui, & nihilominùs manet id ſalvum Reipublicæ, aliàs ipſi periturum. Molina *de Juſt. & Jur. diſp.* 524. Larrea *alleg. fiſci. cap.73.* Non obſtat quod dictum ſup. *tit. 73. lib. 10.* Prohibitum eſſe theſaurariis & ſuſceptoribus, uti, & negotiari pecunia publica,quia id procedit in iis qui ſuo munere abutuntur, nec paratam habent, aut habere poſſunt aliam pecuniam,ad coëmptionem granorum: ſecùs eſt in perpetuis adminiſtratoribus & comitibus horreorum, quibus pecuniæ copia in promptu eſt, aut eſſe poteſt,qua uti iis licet citra crimen peculatus. *l. 1. ff. ad l. Jul pecul.* ſiquidem aliam paratam habere poſſint exoriente neceſſitate & periculum pecuniæ præſtent. Molina *diſp.659. num.18.* Menoch. *de arbitr. caſ. 586. num. 14.* Ego tamen exiſtimo utiliùs fore pecuniam in arca aſſervari, nec licere depoſitarium ea uti, quò ex improviſo obvenienti neceſſitati ſubveniri poſſit.

TITULUS XXIV.

De Annonis civilibus.

1. *Continuatio, & cur annona civilis dicta, & panes civiles & gradiles.*
2. *Per certos gradus quos mutare prohibitum, panes populo dabantur.*

3. Ma-

3. *Magna in pauperes & alios cives beneficia panum civilium.*
4. *Magnis viris cura rei frumentariæ olim demandata. Hodie cenſori regio, cujus juſſu fieri ſolet elocatio.*
5. *Sextarius quid? & Quibus nunc ſimiles iſti panes civiles?*
6. *Panes hi alienari, aut in alium transferri non poterant, quod emendat Imperator, & eos diſtrahi permittit, & quare?*
7. *Annona & fructus Eccleſiaſtici beneficij, decedente beneficiato, an transferantur in ejus hæredes, vel dividantur cum ſucceſſore beneficij.*
8. *Superior augere debet eloëmoſynas relictas pauperibus civibus.*
9. *An alimenta relicta pauperibus civibus, etiam forenſibus debeantur?*

1 DUobus præcedentibus titulis actum de annona, quæ ſingulis domibus diſtribuebatur, hoc titulo de annona civili, quæ civilibus viritim erogabatur ſingulis diebus, & ideo civilis annona, interdum popularis & civica dicta, *l.* 12. *Cod. De hæred. inſtit.* Atque in ejus locum ſucceſſerunt panes, ut Lipſius *in Electis ſuis* docet, qui civiles vocabantur, ad differentiam palatinorum, qui ex palatio petebantur, dabanturque quibuſdam ſcholaribus, *l.* 2. *h. t.* Civiles panes in dotem promiſſos fuiſſe meminit Imp. *in l. ult. §. ult. ſup. De jure dot.* Erant quoque panes fiſcales, qui à fiſco, & panes gradiles, quod è gradibus, qui in unaquaque regione Romæ erant ad piſtrina, cuique de populo præſtarentur. *l.* 3. *&* 4. *Cod. Theod. De annon. civicis & pane gradili.* Panciról. *in Notitia Imp. cap.* 26. Bulengerus. *De vectigal. cap.* 9. De his Valentinianus Imperator. *Ne quid*, inquit, *ſuper gradili pane fraudis oriatur, juſſimus omne illud quod populo penditur, palam in gradibus, non clam à piſtoribus miniſtrari.*
2 * Erant igitur ſuæ cuique tribui gradus deſtinati, quos mutare non licebat, nec alter ad alterius gradum tranſire poterat, idque officiales Præfecti annonæ prohibebant. Idem Imp. *in l.* 2 *Cod. Theod. eod. Panis*, ait, *gradilis in alium gradum tranſlatio inhibetur, & cognoſcat officium Præfecti annonæ, ſeveriſſima ſibi imminere ſupplicia, ſi alterius tranſlatione per gradus permiſerit communicari.* Unde in numiſmatibus Trajani & Adriani gradus viſuntur, per quos populus aſcendebat panes accepturus. In ſummo erat Scriba, & alius cum teſſera, qui panes dividebat.
3 * Refert Lipſius numerata fuiſſe nunc ducenta, nunc centum & ſexaginta millia modiorum frumenti; Verum non omnes Principes eandem liberalitatem exercuerunt: Trajanus quinque tantum millibus pauperum alimenta decrevit, Plinius *in Panegyr.* eorum numerum auxit Aurelianus, ut ait Vopiſcus. Poſt Conſtantinus anno quo Conſul fuit panem inter cives diviſit, quibus etiam carnem, vinum & oleum dedit, & per multos annos obſervatum fuit octuaginta millia panum eum quotidie pauperibus elargitum. Pancirolus *d. cap.* 26. Theodoſius autem hic; Item Arcadius & Honorius centum viginti quinque modios frumenti præter ſolitum canonem, per ſingulos dies ex horreis publicis Conſtantinopolitanæ urbis diſtribui jubent, atque id denuntiari Præfecto prætorio Orientis, ut eandem modiationem in perpetuum ſervet, & inter cives diſtribui faciat. *l.* 2. *hoc tit.* * Hinc obſerva magnis viris, utpote Præfecto 4
prætorio, Præfecto urbi, annonæ curam domi militiæque demandatam fuiſſe, creatumque dein Præfectum annonæ, cui commiſſa cura, & horreorm cauſa. Hodie in exercitu noſtro apud Belgas, hanc rei frumentariæ curam, agnoſcit Regius Cenſor, qui ſolet eam elocare minus exigenti, ſeu viliſſimo pretio licitanti, ex quo magna ſequuntur incommoda, in eroganda militari annona, & pane conficiendo, qui ſæpe aquoſus, & ſemicoctus, iſque nigerrimus, & plane terreus militibus diſtribuitur, cum Rex mandet ut triticius & bene coctus detur. * Romæ panes 5
mundi melioriſque farinæ fiebant, diſſimiles iis quibus nunc utimur, nam erat ſextarius, ſeu unciarum ſexdecim, ut declarat Alciatus *lib.* 1. *parerg. cap.* 25. Cui congruit Horatianum illud in tenui & parco victu: *Panis ematur, olus, vini ſextarius.* Parum differre videntur panis iſti civiles, ab iis penſionibus, quas hodie Principes aſſignant militibus, honeſtè miſſis, aut aliis bene meritis. Similes & illis quas conſtitutiones feudales vocant feudum *ſoldatæ.* Solent quandoque ſuæ liberalitati adjicere clauſulam, dum nobis ita viſum fuerit, quaſi nihil ſint profutura merita, etiam illius qui tota vita militaverit, multo minus tranſitura ad hæredes penſio, ni acceſſerit expreſſa Principis voluntas. * Placuit iiſdem Impp. panes civiles 6
ex Conſtantini liberalitate, ſcholis ſcutariorum, ſagittariorum, armaturarum, & aliis numero undecim (ut ait *l. ult C. de locato*) dari ſolitos, in poſterum iiſdem ſcholis conferri, & diſtribui pro uniuſcujuſque meritis, non habita ratione dignitatis aut tituli. Hinc cum hi panes certis ædibus, certiſque ſcholaribus ſemper darentur, adeo ut neque alienari, neque in hæredem ab his tranſmitti poſſent, *l.* 8. *&* 9. *Cod. De annon. civicis.* Theodoſius alienationem iſtorum panum à multis ſcholaribus factam confirmat, *& ut maneat quod geſtum eſt, vel hæreditatis merito, vel alienationis arbitrio, l.* 1. *h. t.* atque ita permittit deinceps ſcholaribus certas ædes habitantibus, promeritam annonam in ſuos hæredes tranſmittere, vel pro arbitrio eam vendere, ſimiliter ut venditis ædibus, panes ſequantur emptorem; quo annonæ emolumento, ac veluti

Digitized by Google

præmio excitati fuere cives Conſtantinopolitani, ad extruendum amplificandumque ædificiis ſuam urbem *l.* 1. 11. 12. 13. *C. Th. De annon. civicis.* Hujus juris aliquod obſervare eſt veſtigium in civitatibus, in quibus multæ ſunt domus hujuſmodi dotatæ privilegiis, quas habitantes, ſoli poſſunt certa munia obire, veluti cerviſiam & panem coquere, quamvis ſint alterius opificij.

7 Occaſione ejus quod hic dicitur, annonarum ſcilicet emolumenta tranſmitti poſſe in hæredes, quæri poſſet, an non etiam fructus omnes anni cœpti, nondum præteriti ad hæredes beneficiati tranſmittantur? Idque multi affirmant, non ſine ratione & exemplis, ſic enim diem functo, legato Cæſaris, comitibus ſalarium non modo præteriti, ſed & reſidui temporis præſtari debet. *l.* 4. *ff. De off. aſſeſſ. l.* 19. §. *fin. ff. loc.* Idemque in legatis alimentorum cauſa debitis obſervatur, ut fructus omnes illius anni cedant legatario ejuſve hæredibus, etſi annus cœptus ſit, ſed nondum præterierit. Ideoque ſi quis uxori decem annua legaverit, uxor autem per quinquennium & quatuor menſes vixit, Modeſtinus reſpondit integri ſexti anni legatum ejus hæredibus deberi. *l.* 5. *ff. De annuis leg.* Sed verior opinio eſt, & æquior, eorum qui dicunt fructuum percipiendorum pro rata portione anni diſtributionem fieri inter defuncti beneficiati hæredes, & eum qui in beneficio ſucceſſor eſt. Exemplo mariti qui fructus conſequitur pro rata portione temporis, quo onera matrimonij ſuſtinuit. *l. divortio*, §. 12. *ff. ſol. matrim.* Item ſervi fructuarij, qui operas ſuas locaverat, penſio operarum pro rata temporis dividitur. *l.* 25. § *ſi operas.* 12. *& l.* 26. *ff. De uſufructu.* Diviſionis hujus æquitas, juris regula nititur, ut qui onus ſentit, correſpondens commodum ſentire debeat, & qui altari ſervit, pro modo ſervitij de altari vivere; beneficium enim datur propter officium. Cum itaque proventus iſti beneficiato aſſignentur non jure aliquo dominii, vel uſusfructus præciſo, ſed propter operam & officium præſtitum, æquum eſt, habita ratione officij ab eo præſtiti, hoc ei concedi, ut tantundem lucri ex beneficij ſui præbenda, ſive reditu ad hæredes tranſmittat, quantū laboris & operæ deſerviendo beneficio vivus impenderat. Sic enim poſt obitum ejus, qui militiā ſecutus fuerat, ſi quid annonæ debebatur, vel ſi quid quovis titulo acquiſitum fuerat, lex hoc omne ad hæredes pervenire æquiſſimum judicavit. *l.* 14. *infr. de erog. mil. ann.* Prout hic lex noſtra reſiduum annonę civilis ſcholarium laboribus debitum, eorum hæredibus acquiri vult. *l.* 1. *h. t.* Atque ita judicaſſe Pariſienſem Senatum refert Annæus Robert. *lib.* 3. *rer. jud. cap.* 4. Et cenſit impoſterum pro certo jure obſervari debere, ut inter beneficiarij hæredes & ſucceſſorem, fructuum ſive perceptorum, ſive percipiendorum diviſio fiat, pro rata anni parte. Quando & à quo tempore annus incipat, ſub finem tractat, & ad mores Belgij Eccleſiarum plura Zypæus *in conſult. canon. lib.* 3. *cap.* 4. & nos ſupra *Tit. De Epiſ. & Cler. num.* 15. videatur quoque Covar. *lib.* 1. *var. reſol. c.* 15. *n.* 13. *& ſeqq.*

Porrò exemplo Theodoſij, Martianus Imp. auget hic canonem frumentarium, eumque civibus conferri jubet, & panes inter eos diſtribui in perpetuum *l.* 2. *h. t.* Sic hodie ſuperior cui incumbit ſollicitudo diſtribuendi panes inter pauperes alicujus parochiæ, vel communitatis, debet hoc opus pium non tantum per ſe aut ſuos exequi, ſed etiam ex privato patrimonio augere, ſi ita expedire videatur, quia omnis immenſitas donationis in causā piam, & Eccleſiam dicitur optima menſura. *Novell.* 7. *c.* 2. Quin ut ait Plinius, *Pauperibus una educandi ratio, bonus Princeps*: ejus enim eſt egenis proſpicere, ut de publico alantur, ac dare operam ut pauperibus civibus alimenta non deſint, eadem augendo potius, quam minuendo *l.* 12. *Cod. De ſacroſ. Eccleſ.* 8

Dico pauperibus civibus alimenta deberi. *d. l.* 2. *h. t.* Non forenſibus aut peregrinis: quoniam quiſque magis cenſetur diligere ſuos cives quam exteros. Ideò ſi teſtator inſtituat ſimpliciter pauperes, illi ſoli intelliguntur qui ſunt illius domicilij etiamſi extra domicilium fuerit teſtatus. *cap.* 1. *verb. pauperes de teſtam. in* 6. *l.* 28. §. 1. *Cod. De Epiſc. & Cler.* Covar. *ad cap. cum tibi. num.* 21. *de teſtam.* ubi dicit id non procedere in executore teſtamentario, cui teſtator dedit pauperum electionem, quaſi liberum ei ſit eligere quoſvis pauperes. Quam opinionem multorum DD. eſſe affirmat, ſed concludit ei ſtandum temerè non eſſe; cum in hac pauperum electione mens teſtatoris refragari videatur, juraque jam relata pauperibus domicilij teſtatoris patrocinentur. Idem *l.* 3. *var. reſ. c.* 14. *n.* 6. Adducit exemplum coloni volentis vendere fructus, quos ex agro conducto ſibi percepit, ut potius domino & ſuis, quam extraneis eos vendere teneatur, facit & in hanc rem *l.* 1. *ſup. de metall.* ubi fructus aut frumentum venditum exteris, poteſt avocari à civibus, exiſtente neceſſitate. Imò etiamſi copia ſit frumenti, ſemper præferendos cenſeo pauperes civitatis, in cujus diſtrictu natum eſt frumentum, *juxta l. fin. Cod. De off. prætor. ſed hi tantummodo admittendi ſunt, qui hic domicilium fovent.* Surdus *de alimentis tit.* 1. *quæſt.* 93. *n.* 13. *& ſeqq.* 9

TITLUUS XXV.

De Mendicantibus validis.

1. *Continuatio Tit. & qui dicantur validi, & qui debiles mendicantes.*
2. *Sacris litteris, & jure oſtenditur pauperibus & vere miſeris ſubveniendum eſſe.*

3. *Diſpo-*

Digitized by Google

3. *Diſponit conſtitutio hujus titul. ut inſpiciantur mendicantium corpora: qui ſi validi ſint & robuſti, addicuntur ſervitio ejus qui eos prodiderit.*
4. *Quare inſpicienda ſint corpora mendicantium?*
5. *Quibuſcumque Judicibus permiſſa inſpectio & de his cognitio.*
6. *De otioſis & mendicantibus validis inquirebant Athenienſes, & magiſter cenſus apud Romanos.*
7. *Item Quæſtor à Juſtiniano creatus, conquirit & coërcet mendicantes validos, otioſos & vagos.*
8. *Mirum coercitionis genus.*
9. *Qua pœna hodie coercentur inertes & otioſi, in Hiſpania, Gallia, Belgio.*
10. *Operibus publicis applicantur in Batavia.*
11. *Coërcita olim variis legibus mendicitas, & diffuſa prodigalitas.*
12. *Lapſis, & iis qui caſu fortuito lapſi ſunt facultatibus, æquum eſt ſubvenire.*
13. *Religioſis ex voto permiſſum eſt mendicare.*
14. *Non etiam clericis, qui ſi titulum Eccleſiaſticum non habeant, non promoventur ad ordines.*

REcte hic titulus ſuperiori ſubjicitur, quia eo tendit ne mendicantibus validis annonæ civiles præbeantur.

1 Mendicantes appellantur omnes inopes, pauperes, & nihil habentes, unde vivere poſſint. Horum duplex genus: quidam enim ſunt validi & robuſti, alii debiles & miſeri. Validi mendicantes ſunt, qui omni infirmitate corporis carentes, malunt mendicare oſtiatim, quam honeſto labore paupertatem repellere. Debiles qui debilitate, & vitio corporis, aut ſenectute impediti, laborare non poſſunt, nec neceſſarium victum quærere, *l. 49. §. ubi autem ſup. De Epiſc. & Cleric.* * Atque in hos pauperes divitum liberalitas
2 exercenda eſt, commendatur & illorum neceſſitas in ſacris litteris. *Deuter 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* Præcipit itaque Dominus Deus porrigendam eſſe manum miſeris. Et per Iſaiam Prophetam *cap. 58.* dicit: *Frange eſurienti panem & egenos vagoſque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Matth. cap. 25.* ubi Dominus eos benedictos & regni ſui poſſeſſores nominat, qui in egenos, opes ſuas contulerint, hoſpiteſque collegerint. Ideò Paulus *ad Romanos* 14. nos adhortatur ut res noſtras, atque opes communicemus cum Sanctis, eorumque neceſſitatibus ſubveniamus & hoſpitalitatem ſectemur: quam non ſolum ſacræ litteræ, ſed & jura ſuadent, ubi pium ac glorioſum eſſe dicunt egenis ſubvenire, & de alimentis illis proſpicere, ne ulla urgeantur neceſſitate mendicandi. *l. 12. Cod. De ſacroſ. Eccleſ. cap. gloria 12. q. 2.* & recte, in bene enim conſtituta Republica, nullus egere debet.

Quamobrem Valentinianus annonam popula- 3
rem mendicantibus invalidis dari jubet, non robuſtis & qui validis ſunt lacertis. Ideò cunctorum mendicantium integritatem corporum & robur animorum explorari voluit, atque inertibus validis pœnam irrogari, ut ſi ſervilis conditionis ſint, ejus dominio mancipentur qui eos detulerit, ſalva manente actione dominis eorum adverſus corrumpentes eos, & ad mendicitatem inducentes, ſi autem liberi fuerint, eorum perpetuo colonatu fulciatur, quiſquis hujuſmodi lentitudinem prodiderit ac probaverit. *l. un. h. t.* per lentitudinem intelligit ignaviam, & inertiam. Fuit enim lentitudo in vitio, Cicero in Tuſcul. *Stoici eam quam nos lenitatem dicimus vitium lentitudinis appellant*, cujus fuit propria actio, de qua *in Novell. 80.*

Quoniam vero ex inſpectione corporum, com- 4
prehendi poteſt ſanitas, vel infirmitas, ideo vult
lex membra mendicantium inſpici, idque uſu obſer-
vari docent hic Bart. & Platea ut palam conſtet,
verane ſit, an ficta membrorum contractio, ocu-
lorum evulſio, & tumefactio, corporis totius tre-
pidatio. Nam multi otioſi, & errones, ut ventrem
paſcant, & laborem ſubterfugiant, debiles ſe ſimu-
lant, cum ſint validi & robuſti; Imò ut ægri videan-
tur, apponunt, inquit Gloſſa herbam; intelligit ca-
taplaſma aliquod per quod membra tumeſcant. *De*
his mille merentur, qui eis dat quod edant aut bibant; Nam
& illud quod dat, perdit, & illi, producunt vitam ad mi-
ſeriam, ut dicit Comicus. * Ideò adverſus hos, ju- 5
dicibus quibuſcumque, jus inſpectionis eſt, & no-
tionis de hujuſmodi impoſtura, idque ſingulari pri-
vilegio. Tholoſanus *in Syntagm. jur. lib. 39. cap. 6.*
numer. 13. permittitur quoque officiatis, & etiam
privatis inſpicere & inveſtigare tactu, vel alio ex-
perimenti genere, an mendicorum infirmitas ve-
ra ſit, an ſimulata. Ripa *De peſte titul. de remediis*
præſervat. num. 176.

Athenis celeberrimum fuit inſtitutum, ſed à So- 6
lone, ut Herodotus ait, traductum ex legibus
Ægyptiorum, quo ſingulis annis cives adeſſe co-
ram magiſtratu tenebantur, reſponſuri qua arte,
quibusve opibus ipſi ſuique vitam tranſigerent.
Romæ quoque conſtitutus fuit magiſter cenſus, qui
ſingulis menſibus in judicium vocaret ignotos ci-
ves & peregrinos, atque ab his unde oriundi eſſent,
quid in urbe agerent, qua arte viverent, inquire-
ret, otioſos in ſuam patriam remitteret, incolas
validos ad opus cogeret. * At Juſtinianus hujus rei 7
curam committit quæſtori à ſe creato, data ei po-
teſtate inquirendi in peregrinos, & cauſas adven-
tus eorum, item coërcendi mendicantes validos,
errones, & vagos cujuſcumque conditionis, eoſ-

que in patriam ſuam remittendi vel ſi ejuſdem patriæ & incolæ fuerint, agriculturæ aliiſque operibus tradendi; in quibus ſegnes laborent, & ſimul alantur, atque ad meliorem frugem revocentur. *Novell.* 80. ubi Imperator mitius mendicantes validos coërcere videtur, quam ſtatuerat Valentinianus *in l.un. h.tit.* *
8 Ubi mirandum illud genus coërcitionis, ut ingenuus ſine præſcriptione & ſolennitate efficiatur colonus perpetuus ejus, qui ignaviam prodiderit, & ſi ſervus ſit, dominum mutet & delatori acquiratur, ſed quod magis mirum eſt, agriculturæ ſtudium, quod tanto in pretio fuit apud veteres Romanos, ut ab aratro Conſules & dictatores accerſirentur, id ſupplicij cauſa mandari ſervis, de quo conqueritur Plinius *lib.* 18. *cap.* 3.

Hodie mendicantes validi, otioſi, decoctores,
9 qui invalidis & egenis panem præripiunt, & res alienas gratis, ut mures exedunt, jubentur quantocius provincia excedere, *ut omnino mundus ſit ab hujuſmodi animalibus*, ut dicit Plato *lib.* 11. *De legib.* Si denuo, unde expulſi redeant, virgis cædi, vel ad triremes damnari ſolent in Hiſpania, ut notat Peguera *deciſ. crim. cap.* 4. Bobadilla *in polit. libr.* 2. *cap.* 13. *num.* 32. In Gallia extat Conſtitutio Henrici II. à Thuano relata, qua Rex mandat Decurionibus, *ut publicis operibus mendicos validos exerceant, nullibi in publico ad ſtipem flagitandam permittantur*, cæteri qui morbo impediuntur, aut mutilo corpore ad labores ſunt inhabiles, Xenodochiorum ſubſidio ſuſtententur. Pariſienſes, robuſtos & valentes mendicos ad publica opera urgent; eorum inſtitutum, ut & alia multa imitantur Belgæ, apud quos diligenter inquiritur in mendicantes validos, & etiam non mendicantes otioſos, unde vivant, & niſi apte reſpondeant, carceri includuntur, & ſi crimen aliquod confiteantur, pro merito plectuntur, & recidivi ſemper ſeverius: ſi minus deliquerint, & exteri fuerint, è provincia ejiciuntur: incolæ vero extra fines loci ubi habitant virgis interdum probe cæſi ablegantur. Damhaud. *in praxi crim. cap.* 110. *num.* 55. Zypæus *in not. jur. Belg. & de judice lib.* 3. *cap.* 10. *
10 Ubi obſervat in Batavia nullum conſpici mendicum, nam magiſtratus cujuſcumque civitatis infirmis & debilibus neceſſarias Eleëmoſynas procurat, validos in loca deſtinata cogit, quorum præfecti ſingulis victum præbent, ac in dies penſa præſcribunt, pro artis ſuæ peritia; iis qui nullam artem norunt, alia imperant, quæ levi artificio expediuntur, aut eos publicis operibus addicunt. Sic enim opera iſta minimo ſumptu perficiuntur, & otioſorum vitia minuuntur. * Quod
11 Reipublicæ maxime intereſt, nam mendicitas, ut etiam prodigalitas, lerna eſt malorum, ſcelerum origo, pernicioſa ac periculoſa Reipublicæ. Ideo Romani varias leges tulerunt, Fanniam, Liciniam, Corneliam, Antiam, ad coërcendos & ablegandos mendicantes validos & otioſos decoctores, qui res alienas male exedunt, & ſuis abutuntur, qui canibus objiciunt unde multi jejuni ventres ſaturari poſſent. De iſtis legibus Gellius *lib.* 2. *Noct. Atti.* Macrobius Satur. *lib.* 4. *cap.* 4.

Atque hæc de validis mendicantibus, nam invalidi & læſi corpore aut ætate confecta, citra moleſtiam manere poſſunt in civitate, unde oriundi, ex publico, piiſve Eleëmoſynis alendi, ſi ptochotrophia deſint. Item illis, qui aliqua accepta fortuita clade lapſi ſunt facultatibus & mendicare palam erubeſcunt, ſubveniri æquum eſt: non enim iſti artes & dolos exercent quos validi mendicantes, neque inertia factove ſuo in id malum inciderunt. *cap. conſideranda diſt.* 86. quare commiſeratione digni ſunt, qui ex divitibus facti ſunt pauperes, repentino aliquo caſu. Nam major eſſe non poteſt infælicitas quam fuiſſe felicem, nobilem eſſe & in paupertatem incidiſſe. 12

Sunt in Chriſtiana Republica validi mendicantes viri Religioſi, qui relictis patrimoniis in uſus pauperum, ſeu alios pios voluntariam mendicitatem religionis cauſa profitentur, ut ſic liberius Dei miniſterio inſerviant, & ſuæ ſaluti inſudent. Vocantur mendicantes à divitiarum & rerum ſecularium contemptu, quod deſignat tonſuræ ſymbolum. *cap. duo ſunt genera* 12. *quæſt.* 1. Horum quatuor ſunt ordines approbati, receptique, videlicet Divorum Auguſtini, Dominici, Franciſci & Carmelitarum Fratrum, quorum inſtituta eo meliora quo ſtrictis paupertatis votum obſervant: pejora, quo proprietatibus rerum & bonis inhiant; deteſtanda, ſi negotiationibus & uſuris intendant. *cap. un.* §. *ſane, De Relig. domib. in* 6. * Cæteros clericos, 13 qui paupertatem non voverunt, oſtiatim ſtipem 14
petere non decet, ſed potius ſibi victum, & veſtitum comparare artificio aliquo, exemplo Divi Pauli, vel agricultura. *cap.* 2. & 3. *diſt.* 81. Sed hodie utiliter proſpectum clericis, nam quibus patrimonium deeſt, aut beneficium, ad ordines ſacros non promoventur, & ſi Epiſcopus promoverit, eos alere cogitur, dum illis proviſum fuerit. *cap.* 2. 16. ✠. *De præbend.*

TITULUS XXVI.

De nautis Tyberinis.

1. *Continuatio, qui habet navem Tyberinam onus publicum ſuſcipere cogitur, nec ullo privilegio excuſatur.*
2. *An neceſſarius hic ſit titulus, cum quod in eo proponitur.* ſup. titul. de navib. non excuſ. *fuerat jam conſtitutum.*

3. Ut

3. *Ut intelligatur, quod hic dicitur, nullam dignitatem excuſari à navium præbitione.*
4. *Frumenta ex Ægypto claſſibus deferebantur, & importabantur minoribus navibus. Quæ dicerentur Caudicariæ naves, & meretriciæ.*
5. *Alvei Tyberis curator conſtitutus ab Auguſto, & tribunus rerum nitentium.*

1 DIctum ſupra de annona, quæ navibus defertur, item generatim de navibus non excuſandis, ſed quia dubitari poterat an naves Tyberinæ non aliquo privilegio excuſarentur, ideo de illis ſubjicitur. Prius tamen obſervandum fuiſſe in portibus Tyberinis horrea & annonæ menſores, portuenſes dicti, quibus jungebantur caudicarij, ſeu frumentarij nautici, quorum hic mentio, *l. un. h. tit.* ubi reſcribit Valens Imp. neminem habentem navem in Tyberi, excuſari, à ſubvectione publicarum ſpecierum, & canonis frumentarij populi Romani. Licet enim nautæ ſint immunes à muneribus perſonalibus, quamdiu navigant, *ſupr. de navicul.* & Romæ plures ſint cives privilegiis decorati, quicumque tamen Tyberinas naves poſſident, onera Reipublicæ neceſſaria agnoſcere debent, nec ullius privilegij prætextu excuſare, aut ſubtrahere uſum navium ſuarum eas conſtituendo extra alveum fluminis, quia ſive in eo inveniantur, ſive extra, ſemper coguntur ſolita obſequia ſubire, & frumenta vehere. *dict. l. uni.* atque ideo Arcadius Imp. privatis omnibus permittit habere naves, modo Rempublicam non defraudent utilitate invectionis & evectionis ſpecierum. *l. 1. ſupr. De navib. non excuſ.*

2 At dices quid opus hoc titulo, ſiquidem quod in eo proponitur, jam fuerat ab Arcadio conſtitutum, *d. l. 1. De navib. non excuſ.* huic objectioni reſpondeo, primo illum titulum comprehendere naves maritimas, & quæ ſunt capaces duorum millium modiorum frumenti, ut ait *l. 2. Cod. d. t. De navib. non excuſ.* præſentem verò titulum agere de minoribus navibus quæ in alveo Tyberis ſupernatant. Deinde quia Romanæ urbis gratia, iſtæ naves exemptæ videbantur, & earum poſſeſſores tanquam incorporari & cives Romani immunes ab operibus publicis; idcirco Imp. ne prætextu ſuorum privilegiorum ſe excuſarent à præbitione ſuarum navium, ſpecialem legem condidit, qua declarat neceſſitatem publicam omnia privilegia ſuperare, cunctoſque privilegiatos & in dignitate conſtitutos, debere hoc onus ſubire, utpote Reipublicæ maxime neceſſarium. *l. un. h. tit.* * At
3 cur afferit nullam dignitatem ab hoc onere excuſari, quandoquidem illi qui erant in dignitate, naves habere non poſſent, ut Senatores, & Præſides dum provinciam adminiſtrabant, vetante lege Julia repetundarum? *l. 3. §. fin. de vacat. muner. l. 4. §. 2. ff de jure fiſci.* Reſpondet Cujac. *lib. 6. obſ. cap. 38.* ut quæſtus & deprædationes cohiberentur, interdixiſſe legem Juliam naves maritimas, non etiam fluviatiles, quales erant Tyberinæ. Verum iſta reſponſio non tollit difficultatem, niſi dicamus prohibitionem iſtam ante tempora impp. obtinuiſſe, iis vero imperantibus, ac præſertim tempore Theodoſij & Valentiniani privatum quemque ac in dignitate conſtitutum potuiſſe habere ac fabricare naves. *dict. l. 1. ſupr. De navib. non excuſ.* modo tamen prætextu dignitatis aut privilegij, eas præbere non recuſarent, ut indicat *l. un. h. t.* Et quod apud Ulpianum in fragmentis legimus, ad L. Viſelliam, quæ ſub Claudio lata, Libertos cives Romanos fieri potuiſſe, qui fabricaſſent aut habuiſſent naves, quibus frumenta in urbem induxiſſent. * Etenim ex Egypto, Sicilia, Sardinia, 4
& aliis provinciis frumenta claſſibus advecta, imponebantur minoribus navibus in Tyberi conſtitutis, & per eas deferebantur in urbem, ideo Valerius Maxim. benigniſſimas iſtas provincias & urbis nutrices vocat, *l. 7. c. 6.* Quoniam vero annonariis copiis invehendis ſæpe non ſufficiebant caudicariæ naves, ſuas in publica hac neceſſitate tenebantur præbere privilegiati, nec poterant vi ſui privilegij, aut dignitatis hoc miniſterium recuſare. Caudicariæ naves, & inde Caudicarij (ut initio dixi) qui per Tyberim annonam vehebant *l. 1. C. Theod. de canone frum. urb. Rom. & l. 2. C. Theod. de piſtorib.* Erant & meretriciæ naves, quæ per Tyberim non merces, ſed quoſvis homines mercede prius data vehebant. Nam ut meretrix omnes accepta mercede recipit, ita etiam navis meritoria. Sic Julia filia Auguſti, nobile ſcortum & dicax, dicebat, *ſe non niſi lintre plena vectorem accipere.* Macrob. *in Saturnal.* Omnes naves ſua inſignia & nomina habebant, vel à materia, vel à velocitate, vel à Diis, quorum tutelæ erant commiſſæ. Ut ſcribit Dorleans *in lib. 6. annal. Taciti in verb. ſeu navis inſigne fuerit.*

Magna ſemper apud Romanos fuit cura alvei, &
riparum Tyberis, ne ullis ſordibus vitiarentur, at- 5
que in eum finem datus ab Auguſto curator, prout etiam aliis rebus civitatis tribunus, qui ejus munditiem & nitorem curaret, ita ut quod ſingulis Præfectis commiſſum antea fuerat, per unum diligentius curari cœperit, ſeu ut Tranquill. notat, *cap. 43. quo plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit,* & ſingulos diverſis curis diſtraxit. Solet & apud nos unus aut alter Præfectus deſignari, quibus omnis alveorum & riparum cura commiſſa; & naves privatorum plures, pro Reipublicæ neceſſitate, oneribus publicis, & militibus tranſvehendis occupari.

TITULUS XXVII.

De frumento Alexandrino.

1. *Quæ & qualis Alexandria civitas.*
2. *Ancta quantitas frumenti ſingulis diebus diſtribui ſolita, in egenos cives Alexandriæ.*
3. *Teſſeræ & menſuræ ſignantur publico ſigno, & nomen ejus qui domos pias extrui curavit, illis inſcribitur.*
4. *Diſcrimen inter canonem frumentarium & frumentum publicum.*
5. *Magiſtratus curare debet ut ſit copia frumenti, & vendatur publice, atque pauperibus diſtribuatur.*
6. *Item curabit æſtimari & advehi frumenta, atque hoc munus aſſignabit certis officialibus, non item curialibus.*
7. *Frumento ſuſcipiendo & admetiendo præerant duo Præfecti.*
8. *Solet Princeps approbare, quæ Præfecti circa rem annonariam recte diſpoſuerunt.*

1 AGitur hoc titulo, de frumento Alexandrino, ex quo deſumebatur canon frumentarius, qui ab Imperatoribus gratis dabatur civibus Alexandriæ, præſertim egenis ad eorum victum *l. 2. h. t.* Alexandria civitas Ægypti eſt, Africæ contermina, ut ſcribit in ſua geographia Pomponius Mela *libr. 1. cap. 9.* Juſſu Alexandri magni ædificata, celebris ob civium & ſtudioſorum frequentiam, ædificiorum elegantiam, aëris temperiem & inſigne emporium, quo Indicæ merces Arabico ſinu, & Nili variis foſſis excipiuntur, & in omnes mediterranei orbis oras diſtribuuntur. Tholoſan. *lib. 15. Syntagm. jur.*
2 *cap. 6.* * D. Gregorius Nazianzenus hanc urbem omnium civitatum verticem appellat, Stephanus per excellentiam Metropolim vocat, quod in ea Patriarcha conſtitutus ſacra curaret, & indutus purpura gauderet patriæ honore. Strabo *libr. 17.* Fuit hæc urbs in populum Romanum valde liberalis & promptiſſima ad mittenda frumenta. Lego apud Senecam *epiſt. 77.* habuiſſe Alexandriam præcoces naves, tabellarias nuncupatas, quæ expanſis velis nunciarent annonam adventare. Nam aliæ peregrinæ naves, ſubmiſſis velis appellebantur, excepta navi Alexandrina, quæ frumento juvabat Italiam. Dorleans *in Tacitum l. 3.* Ideò multa privilegia huic civitati Cæſares dederunt, Theodoſius & Valentinianus canonem frumentarium ad centum & decem modios in ſingulos dies pro alimoniis miſerorum civium dictæ civitatis auxerunt, eo addito, ut nemo privaretur ea diſtributione panis, aut frumenti, quam nec uſque percepit: Item ut periſſocheriæ, id eſt, ſupererogationis nomen penitus amputaretur, neve impoſterum appellaretur largitio Imperatorum, ſed eſſet quaſi debitum ſubſidium, & teſſeræ ſignatæ dandæ iis, quibus gratis frumentum hoc diſtribuendum, *d. l. 2. h. tit.* Peritteumata vocat Martianus, uſque ſuæ pietatis nomen inſeri jubet. *l. 2. ſup. de annon. civil.* prout hic Theodoſius teſſeras ſignari.

Hodie quoque ſymbolum ſignatum datur, ut ſi- 3
ne fraude procedat diſtributio publici panis aut frumenti, vel erogatio annonæ militaris. Decian. *lib. 7. c. 22. num. 29.* Signantur & menſuræ frumentariæ nota publica. Quin & nomen illius qui alimenta pauperibus reliquit, aut ptochotrophia, & domos religioſas extrui curavit, illis inſcribi & cum elogio inſculpi ſolet, ut iſto honore ſemper memoria liberalitatis notetur, & cæteri excitentur ad ſimilem donationem, & inſtructionem faciendam. *l. 4. in fin. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.*

Notandum autem diſcrimen inter canonem fru- 4
mentarium & reliqua frumenta, quod ille gratis detur egenis civibus utrinſque Romæ & Alexandriæ: hæc vero publica pecunia empta & condita in publicis horreis, æquo pretio omnibus indigentibus vendatur tempore neceſſitatis, nam gratis præterquam mendicantibus invalidis, non dantur frumenta publica. *arg l. un. ſup de mend. valid.* Bart. *in l. 2. h. t.* & Garzia Toletanus *ad hunc tit. num. 7.*

Ideoque curare debet magiſtratus, ut ſit annonæ 5
abundantia, quæ periſſea dicitur, & ſupplet defectum aliarum rerum quæ ad victum neceſſariæ, utque frumenta publicè quolibet die vendantur, pro alimoniis civium, ex publico vero dentur pauperibus, qui ſibi ſua induſtria ſuoque labore non poſſunt victum comparare. Si civitas tam ſitonerata, ut nec ſibi, nec egenis ſubvenire queat, poſſunt ditiores ibi commorantes, itemque Eccleſiaſtici compelli ad diſtribuendas Eleëmoſynas pauperibus. Vide quæ dixi *tit. ut nemini liceat à coëmpt. ſpecier. ſe excuſ.* Jus Pontificium opus hoc alendi & veſtiendi pauperes Epiſcopis demandavit *can. non omnis 5. q. 5. Gloſ. in can. 1. in verb. non poſſunt 82. diſt.* Theodoſ. idipſum commmendat Patriarchæ Alexandrino, atque ideo ſub illo erant ſexcenti viri ad debilium ægra corpora curanda, dicti parabolani *l. 17. & 18. Cod. De Epiſc. & Cleric.*

Ut autem poſſit commodius magiſtratus ſol- 6
licitudinem debitam implere, ac rei frumentariæ proviſionibus intendere, peritos & probos habere debet miniſtros & officiales, per quos frumenta incorrupta advehantur & æſtimentur. Ideo Alexandriæ, ut Curialibus prædæ & extorſionis auferretur occaſio, ad hujuſmodi ſollicitudinem accedere prohibitum fuit, ac ſolis præfectianis à Præfecto prætorio deſignatis, probatiſque conceſſum frumenta æſtimare, ſuſcipere, & aſſervare, *l. 1 in fin. h. t.*

Præerant his duo præfecti; unus qui *κριθολόγος* appel-

appellatur, annonæ rationem procurans, nam εὐλό-γος rationalis dicitur, & ἄλογος qui rationes reddere non tenetur, alter qui ponderationis ſeu menſurationis munere fungebatur, ζυγοστάτης hic vocatur: zygoſtateo eſt idem, quod pondero. Alciat. & Cujacius hic. Omne igitur frumentum quod ex tota Ægypto Alexandriam vehebatur, curabat Præfectus ibi menſurari, & annotari, ne quid nautæ id Romam ſubvehentes, ex eo uſurparent, vel ne quid ex ea re ſubirent diſcriminis, dùm fortè vel non tale frumentum vel ampliorem modum ſuſcepiſſe inſimulantur. Debet enim nautis ſufficere ſalarium, quod pro labore & opera annonariæ transvectio-
8 nis ipſis à Præfectis aſſignatur.* Hinc obſervandum quod quamvis non poſſit alicui ex ærario, ſine juſſu Principis ſalarium conſtitui, *l. un. ſup. de prab. ſalar.* Tamen permittitur urgente neceſſitate, Præfectis provinciæ ſalarium ex ærario aſſignare iis, qui operam impenderunt comparando & transvehendo frumento publico; quod ſubinde Princeps ſe confirmare illis reſcribit, prout hic facit Theodoſius Imp. ſua ſubſcriptione corroborans quæ Anthemius præfectus Auguſtalis in re annonaria prudenter diſpoſuerat. *d. l. 1. h. t.* Interdum etiam ad juridicum Alexandriæ dirigebantur reſcripta, quod penes eum eſſet illius civitatis ſumma poteſtas, & à ſolo Principe conſtitueretur, ut dictum *ſup. lib. 1. tit. ult.* PanciroL *in notitia Imperij c. 121.*

TITULUS XXVIII.

De Alexandriæ Primatibus.

1. *Corporati Alexandriæ liberantur ab onere purgandi Nilum, & in ejus purgationem 400. ſolidi impenduntur ex vectigali.*
2. *Vix pluit in Ægypto, ſed Nilatica aqua agros irrigat & fertiles reddit.*
3. *Flumen publicum eſt commune omnibus: Principis eſt quoad proprietatem, & curam purgandi, & auferendi impedimenta.*
4. *Inferiores quoque domini id faciunt ſi vectigal recipiant.*
5. *Aliàs tenentur ſubditi ad purgationem fluminis, & putei vicini.*
6. *Non licet in flumine publico conſtituere molas abſque licentia Principis.*

1 UT frumentum Alexandrinum, de quo ſuperiore tit. vehi commodius poſſet, Nilus repurgandus erat, ut profundior & aptior navigationi fieret: hujus repurgationis onus olim corporatis Alexandriæ incumbebat; ſumma vero cura Primatibus ejuſdem urbis, qui & Summates ordinis Alexandrini vocantur *in l. 57. ſup. De decurionib.* Sed Theodoſius Imp. eos hac & cura & ſollicitudine liberat, ac corporatos & incolas onere expurgandi fluminis, & contribuendi viritim in illius purgationem: ideóque in eam rem quadringentos ſolidos ex dinummio Alexandriæ vectigali accommodari jubet, ita ut id ex titulo naulorum compenſetur & impleatur, *l. un. h. t.* ubi Platea & Pomponius Mela *in ſua geographia lib. 1. cap. 9.** Dicunt hanc Ægypti re- 2
gionem imbrium expertem, terramque pluviis omnibus deſtitutam eſſe, ſed mirum in modum certo anni tempore Nilum augeri, atq; per totam Ægyptum diffundi, & ſuis aquis alveum egredientibus agros omnes irrigare, fœcundiſſimoq; limo obducere. Cauſas incrementi Nili vide ad Lucanum *lib.* 10. Unde aggeres diſſolvere continentes aquam Nili, chomata rumpere, rivulos alio derivare, graviſſime vindicatur. *tit. ſup. De Nili aggeribus non rupt.*

Etenim flumen publicum eſt, & commune om- 3
nibus quoad uſum, ita ut navigare & piſcari, *l. 1. §. 3. De fluminib.* ac liberè eo uti liceat, ſed non abuti, & aquam alio ducere, aut quid in flumine facere, quo navigatio impediatur. Quoad proprietatem vero Principis eſt, cui proinde maris, fluminum, littorum, viarum, ac omnium eorum quæ publica ſunt, tutela atque defenſio incumbit. Hinc jure ſupremæ poteſtatis, modum piſcandi & tempus conſtituit, vectigal imponit, atque utilitatem ex curſu fluminis fiſcus capit, aut is qui navigationi præpoſitus eſt. Quare cum æquum ſit, ut qui commodum percipit, onera ſuſtineat, Principis eſt curare ut per peritos artis nauticæ, & alios ſpectabiles viros, littora & ripæ muniantur, flumina ſuis limitibus contineantur, ſuo tempore purgentur. Item ut omne impedimentum ex iis auferatur: pecunia vero quæ in ſumptus purgationis & reparationis impenditur, & deſumitur ex vectigali Principi aut civitati debito, facile refundi poterit ex transvectione mercium, & naulo navigantium. Olim, ut indicat hæc lex, dinummium ſive duo nummi à quovis pendebantur.

Similiter domini inferiores, quibus jus eſt perci- 4
piendi vectigal aliquod ex publicis viis, tenentur eas ſuo ſumptu reficere, quod ſi nullum accipiant, id præſtare debent ſubditi, prout etiam haurientes aquam ex puteo vicini contribuere, ad illum purgandum, & reficiendum, quod ſi faciant, non poteſt illis uſus putei prohiberi. Quid ſi vicinus aquæ uſui renuntiaverit? non propterea collatione liberabitur. *l. 7. ſup. De oper. publ.*

Quoniam vicinus obſtrictus eſt viciniæ quam- 5
diu in ea habitat. Imo cũ cæteris vicinis culpandus eſt, quod permiſerit puteum ſordibus, vel luto oppleri, nec eum tempore idoneo purgari curaverit. Accedit favor publicæ utilitatis, quam aſpernari vel detractare nemo privatus debet. Specul. *tit. De extract. 3 p. operis.* Platea *hic in fine.*

6 Quoniam vero Lex hujus tit. repurgari jubet flumen, & omne impedimentum ex eo auferri, hinc liquet non licere privatis molas illis imponere, quia publici juris eſt, tam quoad alveum, quam quoad aquam profluentem, in quo proinde præter conſenſum publicum nihil agitur, non magis quam ſi in aliena terra quis ædificaret. *l.29.§.1.* ibi *DD. ff. ad l. Aquil.* non obſtat quod mola fluvio nociva non ſit, quia ſufficit quod tali ædificio particula Reipublicæ, inſcio Principe, occupetur, quod ſine injuria fieri non poteſt. *l.1.& 2.ff. ne quid in loco publ.* Igitur ut in loco publico privatus quid efficere poſſit, id à Principe vel libera Republica impetrare debet, ut evitet damnum quod ex facto injuſto ſentire poſſet.

TITULUS XXIX.

De jure Reipublicæ.

1. *Continuatio, quid ſit Reſpublica & quæ publica res?*
2. *In quibus rebus & cauſis, civitates & municipia inter ſuos cives gaudeant jure quo civitas Romana.*
3. *In quibus non habeantur jure privatorum?*
4. *Publica bona quæ dicantur & eorum diſtinctio.*
5. *Reſpublica aliquando utitur jure communi, aliquando jure ſingulari.*
6. *Sententia lata contra Rempublicam indefenſam eſt nulla, quemadmodum contra minorem.*
7. *Limitatur ſi juſſerit Judex ut civitas defenſorem conſtitueret, & non fecit.*
8. *Si quis vult citare Rempublicam, an ſufficiat ejus ſyndicum citare?*
9. *Reſpublica tenetur conſtituere ſyndicum.*
10. *Poteſt per eum, ſi habeat ſpeciale mandatum, reſtitui in integrum.*
11. *Adminiſtrator non poteſt alienare, ſine conſenſu curialium.*
12. *An civitas habeat tacitam hypothecam in bonis ſui adminiſtratoris?*
13. *Poteſt facere ſtatutum quod præferatur creditoribus.*
14. *Valet ſtatutum quo aufertur dominium rei ſuæ privato.*
15. *Et quo cavetur ut ſi quis non reparet ædificium collapſum, id efficiatur civitatis.*
16. *Servanda erit forma in venditione rerum civitatis, quæ ſi neglecta fuerit in uno puncto, tota concidet.*
17. *Liberæ civitates quæ jura habeant?*

1 ANteceſſit tractatio de juribus & privilegiis utriuſque Romæ, & Alexandriæ civitatis, ſequitur de juribus aliarum civitatum, nam Reſpublica hic pro civitate accipitur, differt alias à Republica, quod civitas ſit quaſi materia, in quam Republica tanquam forma inducitur, quo ſenſu Iſocrates Rempublicam vocat civitatis animam, & Ariſtot. *3. pol. c.3.* Rempublicam choris & harmoniis, civitatem perſonis & numeris comparat. Eſt autem Reſpublica civium multitudo, ac rerum inter eos communium, poteſtate, rectaque ratione moderata. D. Auguſt. *De civitate Dei lib.19.* Cicero *De Republ.* ſicut enim Reſpublica ſine civibus, & perſonis publicis ſtare nequit, ita nec ſine rebus publicis. Publicæ res ſunt, quæ non in privato alicujus patrimonio, ſed dominio Reipublicæ ſunt.

Etſi enim abuſive res civitatis & municipij publicæ dictæ ſint, propterea quod civitates privatorum loco habeantur. *l.15. ff. De verb. ſignif.* præter Romam, penes cujus populum ſummum fuiſſe imperium, & auctoritatem Reipublicæ, ex Cicerone, Livio & aliis Scriptoribus notum eſt, ſi quas tamen res civitates, & municipia habeant ſuæ civitatis vel municipij jure communes, eæ inter publica habentur. *l. 17. ff. d. t.* ut iiſdem gaudeant privilegiis, cum his, quæ populus Romanus inter ſua bona publica refert. Unde quemadmodum populus Romanus habuit ærarium, in quod deferebantur pecuniæ publicæ, quas nervos belli apte vocat Cicero *in orat. pro L. Manil.* Ita civitates & ſingula municipia habent res communes, arcamque communem, *l.1. §. 1. ff. quod cujuſque unius nom.* & ut bona populi Romani uſucapi nequeunt, ita nec civitatum. *l.9. ff. de uſucap.* Poteſt quoque civitatibus & corporibus licitis legari, *l. 122. ff. de leg. 1. etiam quod ad honorem ornatumque illius pertinet. Ad ornatum puta quod ad inſtruendum forum, theatrum, ſtadium legatum fuerit. Ad honorem puta, quod ad munus edendum, venationemve, ludos ſcenicos, ludos circenſes fuerit relictum.* Atque hæc legata civitatibus relicta, eodem jure gaudent, quo ea quæ populo Romano, Eccleſiiſque relicta ſunt, & non minore quam centum annorum ſpatio amittuntur, *l. 23. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* Edicto quoque de publicanis, non ſolum illi qui vectigal populi Romani conduxerunt, obnoxij ſunt, ſed etiam hi qui publice à civitatibus redemerunt, *l. 13. §. 1. ff. de publican. & vectig.* Quoniam hoc edictum latum eſt, non ut exactiones augerentur, ſed ut nimia publicanorum avaritia & temeritas refrænaretur. *l. 1. ff. d. t. de publican.* Nam reliquas civitates ad anguſtiarum civium ſolatia, vectigalia moderata imponere atque exigere poſſe, indicat Imp. in *l. 10. ſup. de vectigal.* & plura ante diximus *tit. de indictionibus.* * Ut inde appareat 3
civitates diſtingui à privatis, & privatorum loco non abſolute haberi, ſed in iis ſaltem quæ majeſtatis ac imperij ſunt, in reliquis pari jure gaudere maximè inter ſuos cives, Hinc cum lex Julia peculatus, ad eos qui pecuniam populi Romani, non civitatum aliarum ſubtraxiſſent, pertineret. *l.38. ff. de furtis.* utiliter conſtitutione Trajani & Adriani, extenſa

Digitized by Google

extenſa eſt, ad res quoque muncipales. *l.* 4. *ff. ad l. Jul. pecul.* Duarenus *lib.* 2. *diſp.* 26.

4 Habent itaque civitates & municipia res quaſdam, aliquo ſenſu publicas, quia ſunt in uſu publico, ut forum, curia, domus religioſæ, ſacræ, flumina, littora, quas res mos ſeu inſtitutum civitatum proprietate & commercio humano exemit. *l.* 6. *&* 34. §. 1. *ff. de contrah. empt.* Ideoque cura & tuitio iſtarum rerum magiſtratibus locorum incumbit. unde tot interdicta quibus uſum earum rerum tueantur. *tit. ff. ne quid in publ.* Quin etiam nemine conquerente defenſorum civitatis, & ædilium eſt tollere, quæ publico uſui obſtant. *tit. ff. ne quid via publ. & l.* 2. *ff. de fluminib.* Sed magiſtratuum cura & poteſtas in his, eſt ſecundaria & inferior, Principis vero primaria & ſuprema, quia caput eſt totius Reipublicæ: ſunt & aliæ res quaſi publicæ, conſiſtentes in pecunia communi, & publica, ut prædia, agri vectigales, paſcua, ſilvæ, lacus, ſtagna, molæ, portoria, quæ in reditu publico, & civitatum ſunt, nec enim iſta in uſu ſunt ſingulorum, nec ullus privatus ea attingit, ſed civitatum uſibus deputantur, elocanturque publicè. Gloſſ. *in l.* 17. *ff. de verb. ſign. l.* 14. *ff. de acq. rer. dom. l.* 1. *ff. ſi ager vectig. & tit. ff. de admin. rer. ad*

5 *civit.* * Porro ejuſmodi res ſolent magiſtratus civitatum tueri, aut jure communi, quo cæteri privati cives utuntur, aut jure ſingulari & ſpeciali, ut docent conſtitutiones *h. tit.* Quarum prima circa jus commune illud definit, ſententiam latam contra Rempublicam indefenſam ipſo jure non valere. *l.* 1. *h. tit.* comparatur hac in re adoleſcenti non habenti curatorem, contra quem ſententiam latam nullam eſſe reſpondit Paulus, *in l. acta* 45. *in fin. ff. de re judic.* ibi *contra indefenſos minores tutorem vel curatorem non habentes nulla ſententia proferenda eſt.*

6 Quoniam illi ſtare in judicio ſoli non poſſunt, ideo Præſes nullum minoribus præjudicium fieri curabit, ubi ſe minores & indefenſos affirmaverint, ut dicit *l.* 4. *C. ſi adverſ. rem jud.* Indicat enim verbum *indefenſos*, minores curatorem non habere, ſimiliter hic indefenſam fuiſſe civitatem, defectu defenſoris ſive ſyndici, atque ideo nihil actionibus ejus præjudicatum eſſe reſcribit Antoninus Imp. *in l.* 1. *h. t.* ex qua conſtat civitatem caruiſſe defenſoribus, aut quia creati non fuerant, aut quia placuit ne crearentur, ob liticulam forte motam, quare cum nulliter ſententia fuerit prolata, non opus eſt remedio reſtitutionis. Franciſc. Caldas *ad l. ſi curatorem in pr.* ubi plures

7 auctores refert, inter eos Bart. *ad l.* 1. *h. t.* * Ubi obſervat id procedere quando non juſſit judex ut civitas conſtitueret defenſorem ad litem. Nam ſi id juſſerit, & civitati non placuit defenſorem deſignare, non poteſt ſententia adverſus eam tanquam indefenſam dici nulliter prolata, quod ſi enim exſpectandus eſſet defenſor, in poteſtate civitatis foret mora aut contumacia ſua, eludere judicium, non conſtituto ab ea ſyndico. Pro hac opinione facit quod communiter Canoniſtæ reſolvunt, præcedente legitima prælati in jus vocatione, ſententiam contra Eccleſiam latam validam eſſe, idque probant per *cap.* 5. ✠ *De in integr. & c. fin. ne ſede vacante.* imputare enim ſibi debet Prælatus quod legitimè citatus non comparuerit, aut deſignaverit procuratorem qui cauſam Eccleſiæ defendendam ſuſciperet. * Idem dicendum de Re- 8
publica, cujus adminiſtratores citare ſufficit, ut defenſorem ſeu ſyndicum conſtituant, per illos enim proprie res communitatis geruntur & reguntur. *l.* 97. *ff. De condit. & demonſtr.* ſit tamen in jus vocatus ſyndicus, compareat, tenet ſententia contra civitatem quaſi defenſam lata. Platea *ad l.* 1. *num.* 2. & Jacob Rebuff. *ibi num.* 1. ſimiliter ſi ab initio intervenerit, defenſioni cauſæ, & poſtea eam deſeruerit, utroque caſu Reſpublica læſa, in integrum reſtituitur, perinde ac pupillus, minor, & Eccleſia. *l.* 3. *hoc tit.* nam iiſdem privilegiis fruuntur, ac extra ordinem juvantur.

Eſt tamen inter minorem, & civitatem diſcri- 9
men, quod minori invito, poſſit judex ad lites curatorem conſtituere. *l.* 1. *Cod. qui pet. tutor.* non item civitati invitæ; illa enim per adminiſtratores ſuos defenſorem creat, qui cauſas ſuſcipiat ac tueatur. Atque ita in Republica, communis regula obtinet, quod non teneatur invita defenſorem ſuſcipere, prout nec Eccleſia, ſed ſi monita, Prælatus, vel Reipublicæ adminiſtrator ſyndicum non conſtituat, ſententia prolata tenet, licet fuerit indefenſa Bart. *d. l.* & Petrus Gregor. Lopez *p.* 3. *l.* 1. *tit.* 25. Caldas *d. loco num.* 13.

Conſtitutus autem defenſor ſive ſyndicus, ſi ſpe- 10
ciale mandatum non habeat, non poteſt nomine Reipublicæ reſtitutionis auxilium implorare, adverſus contractum, vel ſententiam quæ tranſivit in rem judicatam Gloſſ. & DD *in l. ult. Cod. etiam per Proc. cauſ. reſt.* Covar. *lib.* 1. *variar. c.* 6. Idem de minore deciſum, cujus jure Reſpublica utitur, *d. l.* 3. *h. t. & l.* 5. *ſup. quibus ex cauſ. maj.* Eſt tamen moribus & juri conſona diſtinctio, ut ſi incidenter reſtitutio in integrum poſtuletur, non ſit opus ſpeciali mandato, cum ſub generali contineatur id quod conſequens eſt: ſecus ſi principaliter reſtitutio petatur, *l.* 25. *ff. De minor.* Mynſing. *conſ.* 56. *decad.* 6. Caldas *ad d. l. ſi curatorem verb. implorandum num.* 4.

Cæterùm ſyndicus bona civitatis alienare, aut 11
actiones movere, & ſuperiis tranſigere, nequaquam poteſt, ſine conſenſu adminiſtratoris, neque hic conſentire alienationi, niſi ex decreto & aſſenſu curialium *l. fin. infr. tit.* 31.

Digitized by Google

12 Porro civitatem in bonis adminiſtratoris,nomine adminiſtrationis,tam pro male geſtis,quam omnino non geſtis, tacitam habere hypothecam plerique ſentiunt, ea ratione moti, quod deciſum ſit civitatem eodem jure uti quo minores, quos tacitam habere hypothecam in bonis curatorum conſtat *ex l.4.C. quibus ex cauſis major.* facitque quoque *l.2.verb.obnoxiis infr.tit.32.* ibi gloſſa dicit obnoxia cenſeri corpora,quæ quoquo modo ab adminiſtratore alienata, ita ut jure hypothecæ à quocumque poſſeſſore vindicari valeant.Neguſant.*tract.De pign. membr.4.* Eſcobar. *De ratiociniis c.39.num.6.* quibus adverſatur aperte *text. in l 2.h.t.* ubi privilegium tacitæ hypothecæ non habet quælibet Reſpublica, niſi quæ id accepit nominatim à Principe, *l.10.ff. ad municip.* aut quæ talis eſt, ut ſuperiorem non agnoſcat, qualis fuit Romana, donec monarchia ſtatum ejus mutavit. *l.Antiochenſium 37.& l.38.§.1.ff. De reb. auct. jud. poſſ. & privil. cred.* At vanderanus *tract.De privil.credit.c.10.* dicit aliam eſſe ſententiam *d. l. 2.* cum enim ait cauſam Reipublicæ, non ſeparari à cæteris creditoribus, qui perſonalem habent actionem, eos non indubie intelligi voluit, quibus & perſonalis actio, & perſonale privilegium competeret; cum enim de pignore quæſitum eſſet, ab hypothecariis Rempublicam ſepa-
13 raſſe Imperatori viſum eſt ſatis. * Quidquid ea in re ſit, non eſt dubitandum, quin poſſit civitas ſtatutum facere inter ſuos cives, quo derogetur legi civili, & inducatur, ut privilegium habeat tacitæ hypothecæ, præferaturque creditoribus chirographariis & privilegio vallatis. *d.l.37 ff. De reb. auct. jud.* non illis creditoribus quibus expreſſa hypotheca competit: eſſet enim durum,imo iniquum,eos privari jure ſuo per ſtatutum,quod nõ
14 debet adimere, id quod non dedit. * Unde fit ut non poſſit ſtatutum civitatis auferre jus alicui ex civibus quæſitum; multo minus legem tollere ſuperioris, in caſibus nominatim jure prohibitis, aut ſpeciatim ſoli Principi reſervatis, neque enim per inferiorum ſtatuta ſuperioris dignitati derogari poteſt. *cap. 2. de major. & obed.* Attamen urgente cauſa publica, ſi pax & quies inter cives aliter obtineri nequeat,poteſt civitas privato rei ſuæ dominium auferre, prout etiam ejus domum demoliri,ſi ſic mœnibus cohæreat, ut ex ea inſidiæ hoſtiles reformidari queant, quoniam contra ſtatuta temere ibi ædificavit. *l.ædificia Cod.de oper publ.l.ſi cui Cod. De ædif. privat.*

15 Eadem publica cauſa poſtulat, ſi dominus juridice monitus, domum ſuam reficere, aut ruina collapſam ædificare detrectet, ut area fiſco addicatur, aut publice vendatur. Sic ſi ſumptu publico à curatore Reipublicæ domus refecta fuerit, eam jure vendet ſi dominus domus intra quatuor menſes pecuniam cum uſuris reſtituere noluerit. *l.46.§.1. ff. De damno infecto.* publice enim intereſt ne ruinis publicus civitatis aſpectus deformetur, atque eo pertinet reſcriptum Diocletiani & Maximiani, jure curatorem civitatis, ruina collapſis ædificiis diſtraxiſſe aream. *lib. 4. hoc tit.* cur enim dominus ædificium non refecit, aut ſumptum civitatis in id factum non reſtituit? qua ratione Veſpaſianus vacuas areas occupare, ſi poſſeſſores ceſſarent, cuicumque permiſit, auctore Suetonio. Idque in pœnam negligentium res ſuas, & ad vindicandum à ruinis ornatum civitatis *l.20.§.10.ff. De novi oper. nunt.* pertinet enim ad decus urbium, ædificia non derelinqui, quapropter ſi mos, aut lex ſit civitatis, ut area ruinoſi ædificij publice vendatur,nihil contra hujus legis tenorem Pręſes Provinciæ fieri patietur. *d.l.4.in fin.* * Sed ſervari curabit formam in 16
hujuſmodi alienatione rerum civitatis præſcriptam. Forma autem eadem eſt ei,quæ in venditione rerum pupillarium deſideratur.*l.3.h.t.*In qua notum eſt decreta requiri, cognatis auditis & cum magna cauſæ cognitione. *l.22.ſup.de admin.tutor.* Alioquin alienatio rerum communitatis, infirma erit, *niſi apud acta totius vel majoris partis ordinis, intercedente decreto ineundi contractus, cauſa probetur, ut dicitur in* l. 2. ſup. de præd. decur.

Hæc & alia jura ſunt civitatum municipalium, 17
quæ vero ſuperiorem non agnoſcunt, jus gladij habent, ſeu ſummum imperium, cum regalibus huc ſpectantibus, jus ſtatuendi, jus primæ atque ſecundæ inſtantiæ, jus creandorum magiſtratuum, nemine alio interveniente, aut confirmante, jus indicendi vectigalia, cudendi monetam, pœnas infligendi & remittendi. Denique eadem jura habent & uſurpant civitates liberæ, quæ ſupremi Principes. Barr. *l. item veniunt. §. item ſenatus ff. de pet. hæred.* Ideoque ut illi non niſi quadraginta annorum præſcriptionibus excluduntur, ut docet Argentræus ad conſuet.Britanniæ *art. 266. cap. 23. num.6.*

TITULUS XXX.

De Adminiſtratione rerum publicarum.

1. *Fundi Vectigales dati in emphyteuſim non revocantur.*
2. *Neque auferuntur ab emphyteuta, ſolvente penſionem.*
3. *Perpetuo conductori fundi vectigalis, actio in rem accommodatur: cogitur titulum ſuæ poſſeſſionis exhibere.*
4. *Adminiſtratori incumbit agros Reipublicæ retrahere, & exigere cautionem fideicommiſſi Reipub relicti.*
5. *Si officio ſuo non ſatisfecerit, tenetur præſtare intereſſe.*

6. *Curabit legatum relictum ad novum opus, in veteribus reficiendis erogetur.*
7. *Nomen legantis in opere extructo inſcribendum, non alterius.*

1 DIctum eſt ſuperiore tit. quaſdam eſſe res proprietate publicas, communique uſui deſtinatas, ita ut ſingulis incolis iis uti liceat, ſunt & aliæ res quas nullius privatus attingit, ſed Reipublicæ uſibus deputantur, elocanturque publicè, aut in emphyteuſim dantur, veluti fundi vectigales.

Hi enim ea lege, ab adminiſtratoribus elocantur, ut dum pro iis conſtituta penſio Reipublicæ penditur, ipſis qui conduxerint, & iis qui in eorum locum ſucceſſerint, auferri non poſſint, *l. 1. & ſeqq. ff. ſi ager vectigal.* Iſtorum fundorum locatio & conductio, emphyteuſis dicitur à prima cauſa & conceſſione, qua non niſi inculti, & ſteriles fundi civitatum, itemque privatorum ſic conceduntur, ut excolendo fructiferi fiant, & emolumentum omne percipiant conductores, pacto præſtandi annuam penſionem, hæc autem penſio, quæ civitatibus ſolvitur, vectigal dicitur, ac inde agri vectigales, ex locatione vero privatorum canon appellatur, daturque in recognitionem dominij.

2 Igitur quamdiu emphyteuta vectigal ſolvit, non poteſt ipſi ager vectigalis auferri *l. 1. h. t.* Modo ſolvat debito tempore, nam poſt triennium Reipublicæ committitur, cum tamen qui à privato rem in emphyteuſim habet, ob non ſolutum canonem non cadat jure ſuo, priuſquam dominus ſe declaret. *l. 2.* ibi Bart. & Jaſon. *C. de jur. emphyt.* Mynſing. *cent.*
3 6. *obſerv.* 83. * Solent plerumque fundorum vectigalium conductores eſſe perpetui, ſi videlicet ſuis quibuſcumque temporibus, debitas quantitates ſolvant, ut ait *d. l. 1.* & ideo eis actio in rem accommodatur, quamvis non efficiantur domini, *l. 1. §. 1. ff. ſi ager vectigal.* Nam ſi per longum tempus ſolverint, & Reipublicæ adminiſtrator ſibi reproduci petat inſtrumentum conductionis factæ, tenentur illud exhibere, cum non ſint domini, ſed ex re aliena emolumenta percipiant, & non ſufficiat ſola penſionis præſtatio, ad inducendum poſſeſſionis titultum, ejuſve probationem, ſed oporteat illum oſtendere. Platea & Pyrrhus *ad h. t.* Sic quando præſumptio eſt contra poſſeſſorem, cogitur dicere titulum ſuæ poſſeſſionis: Quo modo clericus, qui plura beneficia incompatibilia ſe juſte & canonice poſſidere affirmat, titulos exhibere, & ſcripto probare debet. *c. 3. de off. ordin. in 6.* Ant. Faber. *in ſuo C. tit. de ſacroſſ. Eccleſ. deſin.* 83. Similiter laicus qui decimas poſſidet, titulum dicere, & probare cogitur. Angel. *in l. cogi 11. C. de pet. hæred.* Ex diuturnitate tamen temporis, videtur etiã non oſtenſo titulo, poſſe & debere in poſſeſſione manuteneri. Chriſtin. *ad h. t. n.* 40.

Ad officium itaque adminiſtratoris pertinet, de- 4
cernere ut tituli poſſeſſionum exhibeantur. Item retrahere agros Reipublicę, licet à bonæ fidei emptoribus poſſideantur, cum poſſint ad auctores ſuos recurrere. *l. ult. §. 2. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.* Itemque exigere ab hærede cautionem fideicommiſſi conditionalis civitati relicti, & ſi eam petere adminiſtrator neglexerit, quanti Reipublicæ intereſt conveniri poteſt, ſi interea hæres efficiatur non ſolvendo. *l. 2. h. t.* Idem ab iiſdem Imp. reſcrip-
tum eſt. *in l. ult. ſup. ut in poſſ. legat.* * Sed qua 5
actione convenitur? Utili negotiorum geſtorum, exemplo magiſtratus cautionem non exigentis à curatore adulti. *l. fin. ff. de magiſtr. convent.* At ſi hæres ſit ſolvendo, Reſpublica ut pupilla, cui æquiparatur, *l. 3. tit. ſup.* electionem habet agendi contra hæredem, vel adminiſtratorem, qui cogetur de ſuo reſarcire damnum & intereſſe quod Reſpublica patitur, & rationem reddere adminiſtrationis, ſecundum fidem acceptorum & datorum. *l. 2. §. 2. & l. ult. §. pen. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pertinent.*

Denique omnia ſarta tectaque ſervare debet ad- 6
miniſtrator, quare ſi ad novum opus pecunia ſpecialiter legata non ſit, vetera ædificia ex hac reficere curabit. *l. 4. & 5. §. 1. ff. d. t. de adminiſtr. rer.* Idem dicendum ſi ſatis operum civitas habeat, & non facile ad ea reficienda pecuniam inveniat. Nam & hoc caſu pecuniam in opera nova legatam, potius in tutelam eorum operum quæ de facto ſunt, convertere debet, quam in novum opus erogare, *l. 7. ff.*
de oper. publ. & Bart. *in d. l. 4.* * Curabit etiam ut in 7
opere noviter extructo, munificentia ejus qui legavit, inſcriptione notetur, non ipſe ſuum nomen, aut alterius ambitioſi inſcribat, *d. l. 4. in fin.* In quo tamen ſæpius peccatur, nam deſtruuntur antiqua opera, & illis renovatis, vel aliis eodem in loco conſtructis, deleta priorum auctorum memoria, ambitioſorum hominum nomina, & inſignia, in novo opere leguntur, non ſine publico incommodo, quod retrahit multorum animos à munificentia, *l. 16. ff. de uſufr. legat.* Galg. *de jur. publ. lib. 4. t. 33. in fin.*

TITULUS XXXI.

De vendendis rebus civitatis.

1. *Differentia rerum civitatis, quas fruſtra privatus emit à privato.*
2. *An civitas poſſit res publicas vendere?*
3. *Quæ ſolemnitas requiratur in venditione rerum ad civitates pertinentium?*
4. *Quatenus emptori cautum ſit, & quid ſi ſolemnitas hic requiſita non fuerit obſervata?*
5. *Legi praſcribenti certam formam actui, ei renuntiari*

non poteſt, nec derogari niſi per ſtatutum.

6. *In alienatione rerum civitatis, neceſſaria Principis licentia, & in conſtitutione redituum.*

7. *Perfecta venditione non habet locum adjectio, ſecus in cauſa fiſcali.*

8. *Locatio perfecta non revocatur. In perpetuum facta nec à fiſco infringitur.*

1 REpetendum hic quod ſupra attigimus, quaſdam eſſe res civitatis publicas, quod publico communique uſui ſint deſtinatæ, ut forum, baſilicæ, flumina, fontes, viæ publicæ, plateæ, & aliæ id genus: alias eſſe res ipſius civitatis proprias, non item in uſu ſingulorum è populo; ſed in hoc deſtinatas, ut earum proventus & reditus, in Reipublicæ utilitatem neceſſitatemve impendantur, & cedant: tales res ſunt quas civitas titulo legati, fideicommiſſi, donationis aliove acquiſivit. *l. 6. ff. De contr. empt. l. 17. ff. De verb. ſignif.* Porro res publicis uſibus deſtinatas, fruſtra quis emit, & ſi per ignorantiam emerit, cum putaret eſſe juris privati, actionem habet ex empto ad id quod ſua intereſt, adverſus venditorem à quo deceptus fuit. *l. 62. §. 1. ff. De contr.*
2 *empt.* * Sed an ipſa civitas poſſit has res vendere, dubitatur? & ſiquidem ſuperiorem non agnoſcat, non eſt dubium valere venditionem, ſufficereque auctoritatem ſenatus, qui vicem Principis gerit. *l. 7. §. 1. ff. De captivis.* Si vero ſuperiorem habeat, eo inconſulto non valere reſpondit Caſtrenſis *in l. 137. §. cum quis ff. De verb. oblig.* Contra Zaſius valere alienationem affirmat, etiam inconſulto Principe, dummodo civitas quæ res publicas vendit, ſtatuta condere poſſit, nec eſſe neceſſarium ſtatutum de re vendenda præcedens, ut exiſtimavit Bartolus, quandoquidem contractus ipſe venditionis in ſe, vim ſtatuti habeat. Verior itaque opinio Zaſij, non opus eſſe ad hanc rerum venditionem aſſenſu Principis, cum ab eo jam antea civitati conceſſum ſit jus ſtatuendi, & per conſequens libere de rebus ſuis diſponendi, *l. 3. §.*
3 *plane ff. quod vi aut clam.* * Verum ſi civitas publicam rem vendat, quæ ſtatuta condere nequit, certe ex opinione Caſtrenſis conſenſus Principis neceſſarius erit, & ſine eo facta alienatio erit irrita. Confirmatur iſta opinio *per l. ult. h. t.* ubi Leo Imp. prohibet prædia, panes civiles, aut quælibet ædificia, vel mancipia quæ ſunt utriuſque Romæ, vendi, ſine permiſſu & auctoritate Principis: In provinciis vero præſentibus omnibus, vel majori parte tam curialium, quam honoratorum & poſſeſſorum civitatis, cujus dictæ res ſunt, præpoſitis Sacroſanctis Evangeliis, inſinuatoque decreto apud acta Præſidis Provinciæ, quo conſtet utilem fore civitati ejuſmodi venditionem. Denique pretium ex iſta venditione collectum in opera publi-
4 ca inſumi placuit. * Non tamen neceſſe eſt emptorem probare pretium in hujuſmodi opera, aliamve Reipublicæ neceſſitatem fuiſſe verſum. Alciat. *in l. civitas ff. ſi cert. pet.* ſatis enim ipſi cautum eſt, interventu decreti, ejuſve recitatione, in provinciali judicio facta, ut ait *d. l. ult. in fin.* Quod ſi hujus legis ſolemnitates, non fuerint obſervatæ, aut eas obſervare adminiſtrator civitatis neglexerit, irrita erit venditio, illarum vel minima omiſſa, ut de alienatione rerum minorum dicitur, *tit. de prædiis & aliis reb. minor.* poteritque civitas bona alienata repetere una cum fructibus, adminiſtrator vero venditioni conſentiens tenebitur de evictione. gloſſ. *in d. l. ult.*

Etenim obſervationi hujus legis formam ſolem- 5
nitatemque præſcribentis, & irritantis actum, non poteſt privata conventione renuntiari. Platea *his num. 4.* neque ei derogari, niſi per ſtatutum civitatis, quæ id concedendi poteſtatem impetravit, uti dictum, ut non recte quidam ſentiant, dictam ſolemnitatem, hodie in praxi non ſervari. Avendaño *De exequend. mand. lib. 1. cap. 12.* Lopez *ad ll. Hiſpan. p. 5. t. 5. l. 15.* * Nam contrarium affirmat Bobadilla,
lib. 3. polit. cap. 8. n. 83. & Zevallos *qq. comm. contra* 6
com. q. 749. tom. 3. bona civitatibus incorporata, acquiſitave titulo legati, fideicommiſſi, donationis, vel quovis alio non poſſe alienari, aut permutari, abſque licentia Regis; Eademque opus eſſe, ut bona iſta hypothecæ obligentur, & ſuper iis reditus conſtituantur, tenet Joan. del Caſtillo. *De uſufructu cap. 54. num. 48.* quia ratio prohibitæ venditionis, abſque ſolemnitate, favore civitatum introducta, ad quamlibet alienationis ſpeciem ſe extendit. *d. l. ult.* igitur neque hodie procedet alienatio, aut redituum conſtitutio, ſine licentia Regia & decreto Præſidis, habitaque utilitatis vel neceſſitatis cauſæ cognitione. Ac ita judicatum fuiſſe refert Amaya, *ad l. 2. De præd. decur. num. 4.* Utilis enim & neceſſaria ſæpe eſt rerum civitatis venditio, atque ubi decreta, primo fieri debet rerum mobilium quæ ſervando ſervari non poſſunt, dein immobilium pro reparatione murorum, inſtructione pontium, conſervatione molarum, purgatione fluminis fontiumque civitatis, *tit. De oper. publ.* Satius tamen priuſquam decernatur bonorum venditio, excutere debitores, quos civitas ſibi habet obligationis atque hypothecæ nexu obſtrictos, niſi eorum executio ſolutiove non ſit futura prompta, & periculum immineat, differendo prædictas refectiones. Rebuff. quem obſervat Chriſtinæus *ad h. t.*

Porro ubi jam decreta eſt venditio, eaque per- 7
fecta, revocari non poteſt, etiamſi alius, augmentum pretij offerat, *l. 1. h. t.* quoniam adjectio pretij non admittitur, licet admittatur in cauſa fiſcali; civitates enim privatorum jure utuntur, & minus eis jura favent, quam fiſco, ut notavi *ſup. De fide inſtrum.*

Digitized by Google

ſtrum. & jure haſtæ fiſc. per l. 4. Cui conſonat *l. 21. §. fin. ff. ad municip.* ubi Scævola reſpondit, ſi civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis, non poſſe recedi à venditione locationeve prædiorum publicorum jam perfecta; tempora enim adjectionibus præſtituta ad cauſas fiſci pertinere.

8 Itaque meliori conditione fiſcus utitur, quam civitas, nam fiſco licet rem priori auferre, & poſteriori meliorem conditionem offerenti addicere; civitati non licet, niſi privilegio ſpeciali, quo ſi careat, non poterit venditionem, nec locationem perfectam infirmare, quamvis incrementum conductioni factæ publici prædij videatur offerri. *l. 2. hoc tit.* Nam nec etiam fiſco locationi perpetuæ addicere licet, ut vult gloſſ. *hic* & Platea: quia per locationem perpetuam tranſit utile dominium in accipientem, & cenſetur iniri contractus emphyteuſeos, ut agri meliores fertilioreſque reddantur. *l. fin. ſup. De emphyt.* non ut penitus alienentur. Unde propter electionem induſtriæ, adjectio non admittitur, quæ ratio non obtinet in locatione temporali, quæ non ſic datur meliorandi fundi cauſa, ſed ſufficit ne deterior fiat. Platea *hic in l. 2. num. 2.*

TITULUS XXXII.

De debitoribus civitatum.

1. *Debitores idonei apud quos collocata ſunt publica pecunia, inquietari non debent, ſiquidem uſuras quotannis præſtent.*
2. *Curator Reipublicæ, in exigendis uſuris ne ſit nimis acerbus, quia videbitur non exigere, ſed extorquere.*
3. *Debitore civitatis excuſſo conveniuntur poſſeſſores qui ab illo bona emerunt, & ea poſſident pro rata bonorum.*
4. *Quæritur qua actione conveniantur?*
5. *Limitatur, niſi civitas expreſſe convenerit de hypotheca, aut ex ſtatuto vel privilegio eam habeat.*
6. *Debitor civitatis qui majorem partem diſtraxit, cogitur quoque minorem alienare.*
7. *An poſſit fiſcus uti hypothecaria actione, adverſus quemlibet poſſeſſorem rerum ſibi obligatarum in ſolidum.*
8. *Prius conveniendi ſunt debitores, quam poſſeſſores rerum obligatarum.*
9. *Si debitores bona diſſipaverint, ut non appareat eorum poſſeſſor, civitas hoc damnum ſuſtinet.*
10. *Quinam magis idonei habeantur poſſeſſores?*
11. *Qui emit à fiſco bona debitoris vendentis ut ſua, non poteſt conveniri.*
12. *Debitores civitatis non poſſunt in ea honores gerere, nec vectigalia conducere, aut legatione fungi, niſi prius civitati ſatisfecerint.*
13. *Alia ratio eſt debitorum qui à civitate mutuum acceperunt.*

Poſtquam de vendendis locandiſve rebus civitatis actum eſt, ſequitur de illarum debitoribus & emptoribus. Et quod ad debitores attinet, ſtatuit Conſtantinus, ſi conſtet eos habere facultates, & eorum hæredes incolumia retinere patrimonia, ut apud illos ſortes ſeu pecuniæ ſub uſuris collocatæ perſeverent, ſic tamen ut iſtas uſuras ſuo tempore, id eſt, annuatim exſolvant: rationem addit, quia utile eſt Reip. retinere idoneos debitores, & ipſis quoque commodum debiti cumulum minime nutriri, *l. 2. in pr. h. t.* nam minutæ quantitates ſimul cumulatæ augent ſummam principalem, cujus poſtea ſolutio ſolet eſſe difficilis. Quare ſatius eſt cum ſolvendo ſunt debitores quotannis uſuras ſolvere. Ad quorum exemplum cæteri ſuſceptores & quæſtores publicæ pecuniæ, annuè rationes accepti, & dati ſubducant oportet, ne nimia dilatione intricentur & confundantur. 1

Huc etiam ſpectat quod dicit Ulpianus *in l. 33. ff. De uſur.* ſi bene collocatæ ſint pecuniæ, ob ſortem inquietari debitores civitatis non debere, maxime cum præſtent uſuras quotannis, quarum ſolutione, ſatis Reipublicæ ſecuritati proſpectum eſt; item curatorem Reipublicæ monet, ne in exigendis uſuris nimium acerbus ſit, ſed moderatus: Nam qui ſe nimis acerbum exactorem præbet, videtur potius extorquere uſuras, quam exigere, & incurrit magno ſuo damno in indignationem popularem, *l. 7. ff. ad l. Jul. de vi.* offendit enim Rempublicam, etiam qui vim infert privato. Unde optime Cæſar dixit, ne putes ſolum vim eſſe ſi homines vulnerentur, nam vis eſt, & tunc quoties id, quod deberi ſibi quis putat, non per judicem modeſte repoſcit. 2

Præterea, quia nefas eſt, obnoxiis corporibus alienatis, circumſcribi civitates, placuit ſi quis debitor civitatis quippiam ex eo patrimonio quod habuit, cum Reipublicæ pecuniam ſumeret, donaverit & diſtraxerit, ita ut fiat minus idoneus, & non ſolvendo, ipſo excuſſo conveniri poſſeſſores bonorum pro rata ejus quod quiſque ex debitoris facultatibus poſſidet. *d. l. 2. verſ. & quia nefas.** Sed qua actione? Cujacius ſequutus Accurſium docet, actione perſonali adverſus hujuſmodi poſſeſſores agi oportere, non item hypothecaria, quoniam hypothecaria actio non competit civitatibus, niſi de hypotheca ſibi proſpexerint, aut ſpeciali privilegio, ut dictum ſupra *ex l. 2. De jur. Reipubl.* Contra Merenda conatur defendere, hypothecaria agi, eo quod textus hic loquatur de iis qui fœnebrem pecuniam à civitatis adminiſtratoribus acceperunt, atque ita actum de obligatione, quæ ex mutuo oritur, cui frequenter pignus vel hypotheca accedere ſolet, *l. 5. in pr. ff. De pignor.* 3 4

Verius

Digitized by Google

Verius tamen textum verbis iſtis, *obnoxiis corporibus*, nolle ſignificare bona debitoris Reipublicæ eſſe pignori obligata, ſed eſſe hujuſmodi ut ad ea pro debito perveniri poſſit, ſi non ſatisfecerit debitor, nam poſſeſſores vel emptores in ſortem & uſuras pro rata bonorum, quæ à debitore civitatis emerunt, & poſſident, conveniuntur, non hypothecaria actione, quæ contra quemlibet poſſeſſorem in ſolidum datur, ſed actione perſonali, condictione nempe ex lege Bart. Joan. de Platea *ad d. l. 2.* quos ſequitur Cujacius *ibi & lib. 2. obſ. 24.* & hunc Loyſeau *tract. Du deguerpiſſement. lib. 3. tit. 5. n. 13.*

5 Quod ſi enim civitas haberet bona debitoris expreſſe obligata, vel tacite principali privilegio, vel ſtatuto, tum quidem agere poſſet hypothecaria in ſolidum adverſus poſſeſſores, & ab iis poſſeſſionem avocare, prout creditor qui rem avocat in ſolidum, ex vi ſuæ hypothecæ: niſi ſit legatarius, qui tantum pro quantitate ſui legati avocat. *l. fin. in C. comm. De legat.* Similiter cum duo de hypotheca paciſcuntur, pro parte debiti pignus habere cenſentur obligatum, *l. 16. §. ſi duo ff. de pignor.* Cæterùm poſſeſſores pro eo quod ſolverunt, liberant debitorem principalem, ſed adverſus ipſum agere poſſunt perſonali actione, *d. l. 2. h. t.* ubi præterea *in verſ. ab eo autem.* *
6 Dicitur debitor civitatis, qui bonorum ſuorum partem maximam diſtraxit, etiam reliquam portionem quæ apud eum reſederit, compelli diſtrahere. Quo fit ut qui poſſidet modicam rem, juxta confinia habentium magnam poſſeſſionem, cogatur eandem ei vendere, ſi inde commodum civitate accedat, idque uſus admittit, prout etiam retractum ratione partis rei venditæ, quodque præferatur is, qui majorem partem obtinet.

7 Quæritur de fiſco, an excuſſo debitore principali, poſſit uti hypothecaria actione adverſus poſſeſſores rerum ſibi obligatarum pro rata, an vero quemlibet poſſeſſorem in ſolidum convenire? & quemlibet in ſolidum convenire poſſe, docent Bart. *ad l. 47. ff. de jur. fiſc.* Corneus *conſ. 135. lib. 1. & conſ. 237. lib. 3.* & alij relati à Covar. *lib. 3. var. reſo. c. 7. n. 7.* nituntur auctoritate *d. l. 47.* ubi in ſimili facti ſpecie, reſpondit Paulus æquum eſſe, ut prius hæredes conveniantur, deinde in reliquum poſſeſſores omnes, etiamſi hi non ſint hæredes, nec ſucceſſores illius, qui actione perſonali tenebatur. Contra alij intelligunt, omnes poſſeſſores, qui non ſunt debitoris hæredes conveniri poſſe pro parte poſſeſſa, ſive pro rata, ut ajunt, quorum opinionem maximam habere æquitatem fatetur Covarruvias, nihilominus priori ſententiæ, uti magis communi adhæret, receptamque in curiis Galliæ aſſeverat Guido Papæ *q. 432.* pro qua facit *d. l. 47.* quæ dicit debere fiſcum convenire omnem poſſeſſorem, id eſt, quemlibet in ſolidum, id enim importat dictio *omnis*, quæ utpote ſingularis numeri cuilibet in ſolidum actum tribuit. Non nego tamen quin durum videatur, in unum judicio experiri, & ab eo conſequi quod à pluribus rerum obligatarum poſſeſſoribus pro rata obtineri facile poteſt, per miniſtros quos peculiares habet fiſcus. At contra abſurdum eſſet id denegari fiſco, quod privatis conceditur. Puto tamen in poteſtate eſſe fiſci, omiſſa actione hypothecaria ad utile Salvianum confugere. Merenda *lib. 6. contr. c. 36.* * Potior itaque cauſa 8
fiſci, quam civitatis, ſed in eo par utriuſque cauſa, ut neutri permittatur adverſus poſſeſſores rerum obligatarum agere, niſi excuſſis debitoribus, qui ubi inidonei, & non ſolvendo ſunt, conveniuntur idonei. *l. 46. in fin. & l. 47. ff. De jur. fiſc.* quod tamen non erat olim obſervandum à privatis. *l. 24. C. de pignor. & l. fin. C. de obligat. & act.* * Quod ſi por- 9
ro contingat debitores bona ſua diſſipaſſe, nec apparere eorú poſſeſſorem, dicit Conſtantinus *in fine d. l. 2.* id debitum ad diſpendium Reipubl. pertinere, non ad adminiſtratores, qui pecuniam mutuam nomine civitatis dederunt: quamobrem illorum eſt curare, ut apud idoneos rerum immobilium poſſeſſores, pecuniæ publicæ collocentur, alioquin ipſi tanquam patres civitatis reſpondere tenebuntur. * Unde conſtat magis idoneos cenſeri 10
prædiorum ruſticorum colonos, quam urbanorum, quia urbana prædia majoribus ſubjacent periculis. Itemque ſola mobilia poſſidentes idoneos non cenſeri, eoſque compelli poſſe ſatiſdare. *l. 15. ff. qui ſatiſdare cogant.* licet aliàs interdum magis expediat habere bona mobilia, quam immobilia, propterea quod illa portari quolibet poſſint. *Novell 4. c. 3. §. rerum verò.*

In eo quoque potior cauſa fiſci, ut ſi ob ceſſa- 11
tionem publicæ functionis, ſeu vectigalis, fiſcus bona ſui debitoris occupaverit, & diſtraxerit, etiamſi fuerit contracta hypotheca perimetur, & emptor ſecurus erit, ita ut perſonali actione nequeat convenire. *l. 2. verſ. quod ſi quiſpiam h. t.* multo minus fiſcus, qui jure ſuo utitur, & antiquior in hypotheca bonorum cenſetur. *l. 7. ſup ſi propt. publ. penſit.* Diverſum eſt ſi fiſcus debitoris Reipublicæ hæreditatem, quaſi vacantem vendiderit, eo enim caſu emptor conveniri poteſt à creditoribus hæreditariis. *l. 1 ſup. de hæred. vel act. vend.* Nec proficiet ei conſtitutio Zenonis, quæ emptorem de proprietate, vel hypotheca interpellari vetat, non de debito hæreditario.

Etenim non tantum Reipublicæ, ſed & ipſis de- 12
bitoribus commodum eſt, ne debitorum cumulus augeatur, differaturque ſolutio. Ideoque non prius debitores civitatis, honores in ea ſuſcipere poſſunt, quam debita ex adminiſtratione vel pollicitatione contracta exſolverint, *l. 1. h. t.* Imo nec ullum

Digitized by Google

nullum aliud munus ante ſubire, aut vectigalia conducere, quam civitati ſatisfecerint, prioraque debita diſſolverint, *l. 7. ff. de publican.* Hinc multis in locis, qui vectigalia aut alia bona civitatis conduxerunt ad officia publica non aſſumuntur, aut qui iis jam funguntur, nihil eorum quæ civitatis ſunt, poſſunt conducere, *arg. auth. minoris C. qui dare tutor. vel cur. poſſ.* ubi minoris debitor vel qui minoris res tenet, ab adminiſtratione prohibetur, minori autem comparatur Reſpublica, & extra ordinem juvatur, *l. 2. ſup. de jur. Reip.* Unde etiam debitores Reip. legatione non funguntur, quamvis fiſci debitores non prohibeantur. *l. 4. §. 2. ff. de legat.* Chriſtin. *vol. 5. de-*
13 *ciſ. 81. n. 3.* * verum cum Imperator dicit debitores Reip. ad honores invitari non poſſe, intelligit eos, qui ex adminiſtratione ſunt debitores, nam qui mutuam pecuniam à civitate acceperunt, non ſunt ab honoribus publicis arcendi. *l. 6. §. 1. de munerib.* cum ſolvere cenſeantur, qui pignoribus, aut idoneis fidejuſſoribus cavent, quod plerumque faciunt hi qui mutuam pecuniam à civitate accipiunt.

TITULUS XXXIII.

De periculo nominatorum.

1. *Electio magiſtratus ad Principem pertinet, interveniente judicio Præfecti prætorio.*
2. *Libera Principis electio interdum nominationi adhæret.*
3. *In civitatibus Duumviri ſolent ſucceſſores nominare, ex qua nominatione obligantur Reipublicæ ſi ſint inidonei ſucceſſores.*
4. *Quid ſi non ſatis exegerint aut dixerint aliquem eſſe idoneum?*
5. *Si tempore depoſiti officij ſolvendo ſint nominati, non tenentur creatores, etiamſi ab illis non ſatis exegerint.*
6. *Damnum Reipublicæ præſtabant adminiſtratores, quorum culpa tardius ab eis rationes ſunt exactæ.*
7. *Nominati ſucceſſoris periculum nominatorum nominantis non tenet. Cur pater pro filio teneatur?*
8. *Hodie magiſtratus, & qui nominat non tenetur de facto ſucceſſorum, deberet tamen ab iis qui pecunias civitatis recipiunt, cautio exigi & præſtari.*

1 QUæritur hic, an ut adminiſtratores Reip. ita etiam qui eos crearunt, conveniantur? quare prius inſpiciendum qui ad officia Reip. creare poſſint. Olim florente Romana Republica, populus ad munia, & publica officia optimos quoſque nominabat; tranſlata deinde in Principem poteſtate, ille ſolus creare cœpit magiſtratus, & conferre officia *Novell. 8.* prout hodie pleraque confert, & antequam id faciat, ſolet Princeps judicium requirere Præfecti prætorio, quod etiam jus deſiderat, *in l. ult. ſup. ad l. Jul. repetund. Rectores*, inquit, *provinciarum amplitudinis ejus teſtimonio ſolent promoveri*, itemque tres nominari Principi, in locum demortui officiati (ac præſertim ſi promovendus quis ſit ad munus Judicis) ex quibus ille, cui libitum fuerit gratificatur, neque enim nominationi à concilio aut populo factæ, Princeps ad-
ſtringitur. * Sic olim Romæ collegium Dialium 2
vacante loco aliquo, tres populo ſacerdotes nominabat, unum ex iis populus eligebat. Tacit. *lib. 4. annal.* ſæpe tamen Princeps, ſi id uſu obtineat, vel expediat, unum ex nominatis creat.

In civitatibus & municipiis magiſtratus aliqua 3
populi nominatione conſtituuntur, non tamen ſine judicio & approbatione Principis, vel Præfecti prætorio, vel officialium Principis, qui mittuntur, ut electioni interſint, *l. 59. ſup. de decurionibus, & Novell. 15. in pr.* Interdum Duumviri & decuriones deſignare ſolent ſucceſſores, item Officiales, Quæſtores, actuarios depoſitarios, œconomos nominare, ex qua nominatione Reipublicæ obligantur, ſi ſucceſſores nominati tempore depoſitæ adminiſtrationis non ſint ſolvendo. *l. 1. hoc. tit.*

Cum enim ipſi jus habeant nominandi, æquum 4
eſt ut ſuſtineant periculum ſuæ nominationis, ſi videlicet minus utiles Reipublicæ perſonas elegerint, nec ab eis ſatis exegerint. Quanquam regulariter non ſe reddat periculo obnoxium, qui aſſerit aliquem eſſe divitem vel idoneum, niſi expreſſe affirmaverit, ſe in ſubſidium teneri. *l. 24.* ibi *fide & periculo meo ff. de fidejuſſ.* ibi Bart. & DD. *in l. 1. C. quod cum eo.* Attamen favore minoris & Reipublicæ receptum eſt, eum qui affirmavit ſimpliciter aliquem eſſe idoneum, perinde teneri, ac ſi jure legitimo ſtipulatio interpoſita fuiſſet. *Eadem* Ulpianus *cauſa videtur affirmatorum, qui cum tutores idoneos eſſe affirmaverint, fidejuſſorum vicem ſuſtinent. l. 4. §. fin. ff. de fidejuſſor. & nominator.* Sic qui affirmat tanquam teſtis aliquem eſſe idoneum, pro quantitate, quæ ab eo exigitur, videtur pro eo fidejubere, ut Bobadilla *in polit. lib. 5. c. 8. n. 52.* & Ant. Faber. *tit. C. de fidejuſſ. tut. definit. 1. n. 7. in alleg.* Ita judicatum fuiſſe aſſerunt.

Dixi ſi eo tempore, quo conveniri poſſunt, id 5
eſt, tempore depoſiti officij nominati non fuerint idonei; nam ſi reperiantur idonei & ſolvendo eſſe, electores periculo non fiunt obnoxij, ex eo quod caſu aliquo ab iis nominati, poſtea lapſi ſint facultatibus, *l. 1. h. t.* ſufficit enim ipſo fuiſſe idoneos tempore depoſiti muneris, atque id probare poſſe nominatores *l. 3. ſup. de probat.* Quo facto purgatur culpa, ſi quæ ipſis poſſet imputari, quod non egerint aut non exegerint fidejuſſores. Eoque

pertinet reſponſum Ulpiani ſi eo tempore quo nominatus eſt idoneus, poſtea lapſus facultatibus damnum debitis Reipublicæ dederit, quia fortuitos caſus nullum humanum conſilium providere poteſt, nominator ſive creator hoc nomine nihil præſtare debet, *l. 2. §. 7. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.* Neque magiſtratus tenetur fortuitos caſus, & fortunam pupillo præſtare, *l. 1. §. 11. ff. de magiſtr. conv.* Si modo quem dedit tutorem, in diem uſque finitæ tutelæ idoneum fuiſſe conſtiterit. *l. 53. & l. 55. ff. de adminiſtr. tut.* Cum itaque finito Magiſtratu, nominatus idoneus fuerit, in eum qui nominavit, actionem dari non oportet, quamvis lapſus ſit facultatibus nominatus, *l. 15. §. 1. ff. ad municipal. & d. §. 11.*

6 Sed ceſſationi ſuæ Conſules vel adminiſtratores Reipublicæ, id debent imputare, damnaque (ſi quæ ob eorum culpam Reſpublica paſſa eſt) ſarcire, qui, cum nomine publico, rationes exigere, nominatoſque ſtatim finito officio convenire poſſent, id facere ſuperſederunt. *l. 1. in fin.* Nam ſciunt muneris ſui eſſe prævenire pericula, quæ poſſunt accidere: Ac turpe viris in dignitate conſtitutis, jus in quo verſantur, ignorare. *l. 2. §. Servius autem Sulpitius ff. de orig. jur.* & quod Valer. Max. *lib. 7. cap. 2. exemplo 2.* dixit, *Turpe eſſe in militia dicere non putabam*, idem in togata, non advigilare & ſervare fines mandati, quod eſt ſtricti juris, *l. 10. ſup. de procurat.*

7 Itaque ob malam muneris adminiſtrationem, is qui adminiſtravit prius conveniendus eſt, itemque ejus hæres & fidejuſſor, quibus omnibus excuſſis ſi ſolidum ſervari non poteſt, nominator tenebitur, *l. 13. ff. ad municip. & l. 4. infr. quo quiſque ordine.* Si tamen nominatus non ex facto ſuo ſit obligatus, ſed ex facto ejus quem ipſe in locum ſuum nominavit, nihil ea res priori nominatori obeſt: nam nominati ſucceſſoris dumtaxat quiſque periculum ſuſcipere compellitur. Ut ſi Titius nominaverit ſibi ſucceſſorem Sejum, Sejus poſtea Sempronium, & Sempronius Cajum, non recte munere ſuo fungentem, Titius non tenebitur de mala adminiſtratione Caji, ſed Sempronius qui eum elegit & nominavit; quiſque igitur tenetur de ſuo nominato, nec ad nominatoris nominatorem manus jure porrigi poſſunt, ut ait *l. 2. h. t.* Diverſum eſt in patre, qui patitur filium decurionem creari, ut etiam teneatur pro ſucceſſore nominato à filio, *l. 2. ff. ad municip.* Quia pater & filius cenſetur una eademque perſona, imo pater ipſe videtur electus, & conſequenter obligatus Reipublicæ, eſtque arctior ejus obligatio, quam fidejuſſoris, qui extraneus eſt, & in ſubſidium accipitur: pater vero tanquam electus, Rempublicam ſalvam fore promittit, *l. 3. §. fin. ff. de peculio & l. 1. §. fin. ff. de magiſtr. convent.* vide *quæ dixi ſup. de decurionib.* & Amayam *ad l. 1 eod. tit.* Plateam & Cujacium, *ad d. l. 2. h. t.*

8 Hodie ut nemo ſibi ipſi ſucceſſorem eligit, ita & qui ex officij neceſſitate aliquem ad munus publicum nominat, tenetur de mala nominati adminiſtratione, neque pater qui patitur filium decurionem creari, aut in receptorem eligi, cum ne quidem magiſtratus teneatur cautionem præſtare. Quod tamen deberet fieri in urbibus ubi ſit pecuniarum per cives collectio, nam ſæpe fit, ut favore, aut corruptis ſuffragiis deſignentur mercatores depauperati, aut alij non ſolvendo, qui nihil habent quod agant in ſuis officinis, & nihil aliud, quam ambiunt munera civitatis, ut inde lucrum captent, & jacturam fortunarum ſarciant: Quæ cauſa fuit inſtituendi receptores publicæ pecuniæ, in bene conſtitutis civitatibus, à quibus cautio exigitur, uti etiam ab officiariis cameræ ratiociniorum. videatur Loyſeau *des offices lib. 5. cap. 7. & lib. ult. c. ult.*

TITULUS XXXIV.

De periculo eorum qui pro magiſtratibus intervenerunt.

1. *Continuatio, & quod fidejuſſores magiſtratus teneantur pro adminiſtratione officij.*
2. *Non de his quæ culpa ſua vel dolo magiſtratus commiſit.*
3. *Neque etiam teneri in uſuras, niſi fidejuſſerint in omnem cauſam.*
4. *Fidejuſſores non tenentur de exceſſibus nominatorum à magiſtratu, ſed ipſe magiſtratus convenitur.*
5. *Quomodo nominatoris culpa puniatur, non eligendo aut ſubſtituendo in officio perſonam idoneam.*

Superiore titulo actum de nominatoribus magiſtratuum, hoc de eorum fidejuſſoribus: utrique enim adminiſtrationis periculum ſubeunt, & Rempublicam ſalvam præſtare debent, ex magiſtratuum adminiſtratione, non ex nominatione ſucceſſorum ab eis facta, honore depoſito. *l. un. hoc tit.* Nam iſta nominatio, non idem eſt quod adminiſtratio, ob quam non recte peractam, fidejuſſores Reipublicæ tenentur in rem, non pœnam, quæ extra rem accedat, ut ſi magiſtratus in pœnam, vel mulctam incidat, puta ob pecuniam Reipublicæ interverſam, fidejuſſor ejus tenebitur in ſortem, non in pœnam, ſi qua illi ob eam cauſam infligatur. * Et hoc eſt quod Antoninus Imp. 2
hic dicit, Divo Severo patri ſuo, etiam idem placuiſſe, ob delictum magiſtratus, non irrogari pœnam ejus fidejuſſori, qui ad eam ſe non obligavit, ſed ſolum Rempublicam indemnem præſtare,

Eo

Digitized by Google

3 Eo ſpectat quod Papinianus reſpondit, fidejuſſo-
res, qui ſalvam Rempublicam fore ſpoponderunt,
pœnalibus actionibus non adſtringi, in quas inci-
derunt hi, pro quibus intervenerunt, eos enim dam-
num Reipublicæ præſtare ſatis eſt, quodque pro-
mitti videtur, *l.17.§.ult.ff.ad municipal.* Idem Pau-
lus ait, fidejuſſores magiſtratus in pœnam vel
mulctam, quam non ſpopondiſſent, non debere
conveniri, *l.68.ff. de fidejuſſ.* & in *§.ſeq.* agens de
contractu bonæ fidei, in quo ſecundùm judicij na-
turam uſuræ veniunt, addit in uſuras tamen fidejuſ-
ſores non aliter conveniri, quam ſi pro conducto-
re vectigalis in univerſam conductionem fidejuſ-
ſerint. Idem Ulpianus *in l.2.§.12.ff. de adminiſtr.rer.
ad civit. pertin.* Sic quoque intelligenda *l.54.ff. loca-
ti*: & aliæ, quæ dicunt fidejuſſores teneri, ſi videli-
cet in omnem cauſam interceſſerint, prout ſupra
dictum, *tit. de fidejuſſ.* & ſingulare eſſe favore pupil-
li, *l.10.ff. rem pupilli ſalv. fore.* Et gratia Reipublicæ,
cum pater nominationi filij ad decurionatum non
contradixit, qui quaſi fidejuſſor obſtrictus eſt. *l.2.
ff. ad municip.* Coraſ. *lib.2. miſc. cap.* 12.

4 Imo quamvis in omnem cauſam fidejuſſores in-
terceſſerint, non tenentur pœna tripli, aut quadru-
pli, quæ infligi ſolent magiſtratibus, qui perperam
nominarunt officiales ad munus Reipublicæ, hi
enim ſi quid rapuerint aut ſuſtulerint exſolvere te-
nentur, etſi ſolvendo non ſint, in magiſtratus actio
datur. *l.1.C. ad l.Jul. repetund. & l.fin.ff. de magiſtrat.
conven.* non in fidejuſſores, qui ultra quantitatem
quam ſpoſponderunt non obligantur, neque auge-
tur illorum obligatio ex delicto debitoris, aut facto
nominatoris. *l.2.C. ad S.C. Turpilian.* Iniquum enim
eſſet fraudem unius nocere alteri, quam ei qui fe-
cit, *l.5.§.ſi plurium 5.ff. de nov.oper.nunt.* Facit quo-
que *l. un. h.t.* Quæ non vult fidejuſſores magiſtra-
tuum pro pœnis eorum teneri, multo minus pro
delictis eorum quos magiſtratus nominarunt ad
munia Reipublicæ. Namque ipſi magiſtratus, qui
elegerunt, vel in officium ſubſtituerunt, ex ſua
quodammodo voluntate & electione tenentur de
exceſſibus ad intereſſe Reipublicæ, non ad pœnam
corporalem: videntur enim dolo malo verſati, qui
tales homines præfecerunt & elegerunt. *l.1.ff. ſi
menſor falſum mod. dixer.* Larrea *in ſuis alleg. fiſc. all.*
39. Amaya *in l. nullus 60. C. de decurion.* & ante eos
Bobadilla, *lib.3. politiæ c.8. & lib.5. cap.1. num.* 90.
5 *& ſeqq.* & Platea *ad d. l. nullus n.* 3. * Sic ſi Quæſtor
nominatus fraudem fecerit, in rationibus redden-
dis, ut ſi videlicet declaraverit aliquid ſolutum eſ-
ſe, quod non eſt, omiſerit exactum declarare, ſe-
cundùm conſtitutiones regias Hiſpaniæ, punitur
pœna tripli, qui talem præpoſuit iſti muneri, vel
ſubſtituit, cum in culpa ſit iniquæ electionis, *l.13.
tit.9.lib.3. Recopil.* ibi Azevedo *num.6. & 14.* ubi ex-
emplum ſimile adfert de judice, qui depoſitarium
elegit non ſatis fidum, & decurione, qui ad re-
ceptoris munus, minus idoneum nominavit, ut
teneantur ex ſua electione, conveniantur que fi-
dei ratione, ut dicitur *in l.11.§.1.ff. ad municip. &
l.1.ff. de magiſtr. conveniend.* Cujac. *lib.2. quæſt. parvi
enim refert nominaverint vel fidejuſſerint, an in ſe pericu-
lum receperint.* Papin. *in d. l.* 11. periculum ibi, uti
& hoc titulo idem eſt quod damnum & diſpen-
dium, quod ſubeunt omnes Judices & magiſtra-
tus, qui non rectè adminiſtrant, vel inidoneos
ſucceſſores nominant.

TITULUS XXXV.

Quo quiſque ordine conveniatur.

1. *Continuatio Tit. Quibus imputetur damnum ex mala adminiſtratione.*
2. *Quando pluribus unius muneris cura eſt commiſſa, ſinguli in ſolidum civitati obligantur.*
3. *Uno ex iis defuncto, damnum datum culpa cæterorum gerentium, hæredes defuncti non præſtant.*
4. *Quo ordine conveniantur, quoties duobus pro indiviſo, aut pro diviſo munus publicum injungitur?*
5. *Plures aſſumpti ad munus publicum, an intelligantur duo rei fieri?*
6. *Quo ordine conveniantur, qui ſimul ad magiſtratum ſunt aſſumpti?*
7. *Adminiſtratione diviſa, quomodo ex mala defuncti geſtione collega conveniatur?*
8. *Cur priùs hic nominator convenitur, quàm collegæ nominati?*

Dictum eſt pro eo qui in Republica munus pu- 1
blicum ſuſtinet, aut magiſtratum gerit, alios
teneri & obligari, quaſi debitores. Hic titulus do-
cet quo ordine quiſque in judicio conveniatur,
tam qui magiſtratum aut munus aliud publicum
geſſit, quàm ejus collega, ſucceſſor, fidejuſſor,
nominator. Quibus omnibus imputantur damna,
quæ ex mala adminiſtratione geſtoris Reſpublica
patitur. * Imprimis itaque ſi cura & conſervatio 2
pecuniæ publicæ, duobus ſimul ſit commiſſa,
nulla mentione facta, quis ex iis ſit adminiſtratu-
rus, ambo conveniuntur in ſolidum, non pro
virili portione. Verumtamen cùm de indemnitate
civitatis quæritur, prius qui revera adminiſtravit
conveniendus eſt, ac mox eo deficiente & non
exiſtente ſolvendo, convenitur collega, *l.1. in p.
h.t.* * Hoc tamen locum non habet, cùm aliquis 3
vel alter ex curatoribus publici muneris obiit, nam
damnum quod deinde ex adminiſtratione collega-
rum Reipublicæ acceſſit, hæredes defuncti ſarcire

Digitized by Google

non tenentur, præſertim ex ea cauſa, quæ non habuit locum, vivo adhuc curatore vel adminiſtratore, *d. l. 1. in fin.* Idem reſponſum de curatore operum publicorum, qui ſe volens excuſare, non potuit, & interea deceſſit, ut ſicut pro tempore quo in vita ceſſavit ab opere, hæredes ſuos obligatos reliquit, ita pro tempore quod poſt mortem ejus ceſſit, nullo onere eos obſtrinxit. *l. 1. ff. de oper. publ.* Ideòque etiam damno, quod poſt mortem adminiſtratoris, dolo vel culpa collegæ ceſſit, hæredes onerari non oportet. *d. l. 1. in fin.* Sed etſi ipſe adminiſtrator in bonis diſtrahendis publicis, per fraudem quid egerit, & in duplum teneatur, hanc pœnam ad hæredes ejus non deſcendere. Verus & Antoninus reſcripſerunt. *l. ult. §. item reſcripſerunt 4. ff. de adminiſtr. rer. ad civit.* Sic tutoribus idoneis diem functis, vice mutua periculum ad hæredes eorum non redundat eo quod poſt mortem unius hæredis dolo vel culpa contigerit, cum id locum non habuerit, officio tutelæ manente, *l. 39. §. tutoribus 10. ff. de admin. & per*
4 *tut.* * Ex quibus infertur, de eo quod non rectè geſtum eſt durante adminiſtratione, teneri eum qui adminiſtravit, ejuſque hæredes, itemque fidejuſſores, nec in nominatorem agi, priuſquam illi fuerint excuſſi. Planè ſi ſeparatim aliqui ad munus publicum nominati ſint priùs pro portione conveniuntur qui adminiſtrarunt, item fidejuſſores eorum, ſi nec ab his quidem indemnitas fuerit ſervata, tunc demùm nominator tenebitur, ac ſi nec is ſufficiat, noviſſimè collega, tanquam correus & particeps muneris conveniri debet. *l. 2. h. t.* Quod autem priùs fidejuſſorem, quàm nominatorem conveniri textus velit, ratio eſt, quia fidejuſſor propiùs ſemper ad reum accedit. Dicit ſi ſeparatim, nam diverſum eſt, quoties duobus non ſeparatim, ſed pro indiviſo munus injungitur, ita ut unuſquiſque eorum periculo ſoliditatis, ſeu in ſolidum videatur obſtrictus, nec ad nominatorem manus porrigi poſſe, priuſquam utrique qui id munus adminiſtrarunt, ſolemniter fuerint excuſſi. *d. l. 2. in pr.*

5. Hinc Bartolus & Platea, ad iſtam legem docent officialibus publicis in dubio adminiſtrationem in ſolidum commiſſam videri, ideòque eos obligari Reipublicæ, quemadmodum duo rei debendi obligantur, quamvis id non ſit expreſſum. Quod fortè procedit inſpecto jure veteri, quo duo rei tacitè conſtituebantur: At jure novo per *Auth. de duob. reis*, non intelliguntur duo ſimul ad munus aſſumpti, duo rei fieri, niſi id expreſſe dicatur; quapropter ſi ſolvendo ſit uterque implorare poterit beneficium diviſionis, *l. fin. C. de conſtit. pecun. l. 1. §. nunc. tractemus ff. de titul. & rat. diſtr.*

6 Porrò in magiſtratibus id conſtitutum eſt, ut Duumviri ſimul ad regimen civitatis aſſumpti, mutuo periculo obnoxij ſint, ut non ante alter ex facto alterius conveniatur, quā nominatores excuſſi fuerint, *l. ʒ. h. t* atque is ordo in magiſtratibus ſervatur, non in muneribus de quibus duæ priores leges *h. tit.* Porrò ſi duo ſuſceperint adminiſtrationem civitatis, non ambigitur, vicariis ſeu viciſſitudinariis damnis, utrumque eſſe obſtrictum, quoniam magiſtratus officium eſt individuum, ideòque commune periculum: quod ſic intelligi oportet, ut ita demùm collegæ periculum iſtud adſcribatur, ſi nec ab ipſo qui geſſit; nec ab his qui pro eo interveniunt, res ſervari poſſit, & ſolvendo nō fuit honore depoſito; alioquin ſi perſona, vel cautio ſit idonea, vel ſolvendo fuit, quo tempore conveniri potuit; unuſquiſque in id quod adminiſtravit, tenebitur. *l. 11. ff.*
ad municip. * Idem ferè hic reſolvitur, ſi duo pro in- 7
diviſo creati ſint magiſtratus, & ipſi inter ſe diviſerunt adminiſtrationem, ea res mutuo periculo non liberat collegam, qui paratus eſt pro eo quod geſſit, Reipublicæ ſatisfacere. Quare ſi alter pecuniam Reipublicæ collocaverit, quam eo mortuo, Reſpublica conſequi non poteſt, convenietur collega in ſubſidium, ſed eo ordine, ac ſi ab initio ſeparata fuiſſet adminiſtratio bonorum. Convenientur itaque primò defuncti collegæ hæredes, & poſſeſſores bonorum ejus, & ſi ab his ſolida indemnitas Reipublicæ ſervari non poſſit, nominator interpellabitur, & poſtremò ſi aliquid adhuc deſit, à collega id exi-
getur, *l. 4. h. t.* * Quod autem exemplo fidejuſſoris, 8
priùs placuit conveniri eum, qui nominavit, quam collegam; ratio eſt, quia collega, negligentiæ & pœnæ cauſa, qui verò nominavit fidei ratione convenitur, & ei contra collegam nominati actionem utilem dati non oportet. *l. 11. §. fin. & l. ſeq. ff. ad municip.* Collega autem ex mala adminiſtratione alterius collegæ convenitur, quia particeps muneris, itemque nominator priùs tenetur, quia ſcire debet eum quem nominat, individuum officium & commune periculum ſuſcepturum, *d. l. 11. & l. 13. ff. d. t.* ibi gloſſa & Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 8. num. 51.* Galganetus *de jur. publ. lib. 4. tit. 46. num. 71.*

TITULUS XXXVI.

Ne quis liber invitus actum Reipublicæ gerere cogatur.

1. *Miniſteria Reipublicæ ſordida non compelluntur libertini ſubire.*
2. *Multò minùs ingenui, etſi actus Reipublicæ compellantur gerere, implorare poſſunt præſidium juris.*
3. *Soli ſervi vilia miniſteria gerunt. Quid ſi liberi ea ſponte geſſerint?*
4. *Nemo cogitur hodiè ſubire munus, ad quod de jure non tenetur, nec ideò arreſtari poteſt,*

5. Aſ

5. *An cogi quis poſſit à judice officium tortoris exercere, ſi tortor in loco deſit?*

1 MInisteria vilia, & ſordida nemo invitus ſuſcipere cogitur. Quomodo is qui decreto ordinis ad libertatem deductus eſt, non debet invitus actum Reipublicæ gerere, hoc eſt, miniſterium vile exercere, ſervis Reipublicæ deputatum, *l. 1. h. t.* Etenim liberti procurare poſſunt commoda ſuæ civitatis, & munera ſuo ordini congruentia ſubire, olim quidem ab honoribus, non etiam ab oneribus excludebantur, *l. un. ſup. d. l. 6. Viſell.* Hodiè etiam non impetrato jure aureorum annulorum, natalibus reſtituuntur, ingenui habentur, in curiam admittuntur, fruunturque ſplendore ordinis, ut dixi *ſup. ſi ſer-*
2 *vus vel libert. ad decur.* * Itaque neque hi, ac multò minùs ingenui, & liberi homines, actum Reipublicæ gerere, ac munus quod dedecus & ignominiam parit, compelluntur ſubire, & ſi de facto id ſuſcipere cogantur, implorare poſſunt juris præſidium, *l. 2. h. t.* Nam quod Valentinianus Imp. quemlibet ad munera adſtringendum eſſe ſic edixit; ex omnibus domibus producti, qui origine ſunt curiales, ad ſubeundam publicorum munerum functionem pertrahantur. *l. 31. ſup. de decur.* ad curiales dumtaxat qui ſe curiæ dederunt, referendum eſt *l. ult. ſup. de his qui ſponte munera.* Quibus etiam non injungebantur munera vilia, ſed oneroſa.

3 Servis tantum vilia officia, operaque ſordida demandabat Reſpublica, atque iis utebatur, in pecuniis dandis & ſuſcipiendis, in ſtipulationibus contrahendis, rationibus tractandis, qui omnes tanquam actores erant, ſub diſpoſitione curatoris Reipublicæ vel Kalendarij, vel defenſorum civitatis. *l. 1. infr. de ſolut. & lib. deb. civit.* Liberis actoribus non utebatur, ſi qui tamen ſponte ad actum gerendum ſe venundari patiebantur, ex geſtu converti poterant *l. 1. ibi* Cujac. *h. t. l. 6. §. irritum 5. ff. de injuſto rup.* quia liberi per pactum, aut actum quemcumque adminiſtrationis, non poſſunt mutata conditione ſervi fieri. *l. 10. ſup. de liber. cauſa.* neque eo-
4 rum caput minui. * Quod autem hic de libero homine dicitur, etiam hodiè obtinet, ut cogi nequeat à Republica, invitus officium vile adminiſtrare, aut tale ſuſcipere, quòd redundet in ejus dedecus: multò minùs à privato, quis cogi poteſt, etſi violenter eum detineat, non admiſſa excuſatione, poterit detentus appellare, ſive, ut ait *l. 2. h. t.* auxilium Præſidis implorare. Etſi non obſtante appellatione, hunc liberum hominem vi audeat detinere, nec eum velit dimittere, ſeveriſſima pœna coërcebitur. De qua vide Jacobum Rebuff. *ad d. l. 2.*

5 Quid ergò ſi damnatus quis ſit ad ſuſpendium, & in loco non ſit carnifex, aut qui velit ejus officium exercere, nonne poterit Judex aliquem ex ſubditis cogere? puto poſſe, modò vilis ſit & abjectus, eique dederit mercedem quinque aureorum, præter panicularia, id eſt, veſtimenta, quæ ſpiculatoribus ſeu carnificibus debentur, & quibus punitus ipſo momento ſpoliatur. *l. 6. ff. de bonis damnat.* Neque poterit, cum ſubditus ſit & vilis homo, ſe excuſare, tenetur que in executione juſtitiæ judici obedire, ut docet Lucas de Penna *ad l. 1. h. t.* intereſt quoque Reipublicæ delicta puniri, & eorum executionem non differri. Hinc plerumque miſeri, compelluntur inviti militiæ nomen dare, atque in bello ſæpè non juſto homines interficere. Quin & ipſi milites commilitiones ſuos crimine militari damnatos, jubentur è medio tollere: meminit quoque Bobadilla in politica, *lib. 3. cap. 15. num. 139.* ſe vidiſſe vilem hominem exequentem ſententiam ſanguinis, velata facie, quod ad id fuiſſet impulſus à judice. Idem Paris de Puteo *de ſyndic. verb. pœna c. 2. incip. an ſi judex fol. 257.* Nos verò non ab impulſo, ſed pecuniâ conducto vili homine, id fieri vidimus.

TITULUS XXXVII.

Sumptus injuncti muneris ad collegas pertinere.

1. *Sumptus quos unus ex collegis fecit, à conſortibus recuperat pro rata.*
2. *Hodie munitionum equi, & currus, ſumptu ærarij procurantur.*
3. *Olim collegis incumbebat hoc onus & impenſa.*
4. *Quos ſumptus Reſpublica repetat.*
5. *Quæ actio publico collegæ contra alterum detur. Et eo caſu quo munus deſeruerit.*

COllegæ appellantur, qui ſunt ejuſdem muneris & collegij, *ut ſup. de collegiatis. & tit. quo quiſque ordine.* Si plures itaque collegæ creati ſint, ad munus cogendarum angariarum, & unus ſolus coëgerit, ſumptus in eam rem factos pro virili à conſortibus repetere poteſt, *l. un. h. t.* Quod hic de munere mixto, ut eſt exactio angariæ, vel collectio alterius tributi publici dicitur, idem obtinet in quovis alio perſonali munere, quod perſonæ labore, & cum erogatione publici ſumptus expediri ſolet. * Quale 2
eſt munus quærendi currus ad ſervitium Reipublicæ. Hodie hi currus & equi (quos munitionem vocant) ſumptu publico ærarii procurantur, præficiunturque qui ſignato ære hoc munus aſſumunt. In quo ſi omnes electi ceſſaverint, detrimenta, ſi quæ Reipublicæ acciderint, ſarcire tenentur. *d. l. un. in fin.* dicit quæ acciderint, quia ut benè notat Cujacius, ſæpè ſolet eſſe ſine ſumptu, aut exiguo, hoc munus.
* At cur ille unus qui geſſit, non repetit ſumptus à 3
Republica, cujus negotium geſſit? Id ita conſtitutum favore Reipublicæ, & ut evitetur circuitus, quandoquidem cùm munus injungeretur, omnes ſe-

Digitized by Google

ad ſumptum ferendum adſtrinxerint, quem proindè jure repetit, qui ſolus geſſit, à ceſſatoribus, qui nihil erogarunt, indè tamen commodum perceperunt, exemplo ejus qui levandæ navis gratia, res ſuas amiſit, ut aliorum ſalvas faceret, jure petit pro portione damnum ſarciri, quod pro omnibus datum eſt, & ex quo illi commodum ſenſere, *l. 1. & 2. ff. ad*
4 *l. Rhod. de jactu*, ſimiliter hîc. * Niſi tamen omnes pecuniam publicam receperint in proprios uſus, quia tunc alius ab alio non repetit, cùm non interſit, ſed Reſpublica cujus intereſt. agit ut pecunia ſibi reſtituatur. Platea *hic & in l. 2. ſup. de legationib.* Sic ſi plures ſint exactores unius vectigalis, & unus ex eis decedat, non poſſunt collegæ petere ab hæredibus defuncti, id quod per defunctum fuit exactum ſi eorum non intereſt, aut fuerint omnes in
5 ſolidum obligati. * Sed qua actione aget hic unus adverſus alios collegas? Pro eo quod de ſuo impendit, aget actione negotiorum geſtorum, vel actione pro ſocio, cùm ſocij ſint. Si verò tenebantur omnes ſimul munus adminiſtrare, in eos, qui adminiſtrationem deſeruerunt, extra ordinem animadvertitur, *d. l. un. in fin. & l. 2. ſup. de legationib.* ubi collega qui legationem, aut aliam publicam functionem deſeruit, punitur extra ordinem. Item qui non deſeruerit, ſed in munere peragendo malè verſatus fuit, Reipublicæ tenetur. Sic magiſtratus non dolum ſolum, ſed & latam culpam, & hoc ampliùs, etiam diligentiam debet, *l. 6. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert.*

TITULUS XXXVIII.

De his qui ex officio quod adminiſtrarunt conveniuntur.

1. *Continuatio, & qualiter conveniatur adminiſtrator pecuniæ publicæ.*
2. *Si ex pecunia publica comparavit pro civitate reditus, & illi ſint deperditi, an teneatur ſortem & uſuras præſtare?*
3. *Oſtenditur quibus caſibus ſortem & uſuras præſtet.*

1 QUo ordine adminiſtratores Reipublicæ conveniantur, & qualiter alter pro altero teneatur, dixi duobus præcedentibus titulis; hoc proponitur, quod ſi Duumviri ſive adminiſtrator alius Reipublicæ, minùs cautè pecuniam publicam fœnori dederit, vel commiſerit, pro debitore obligetur, & in ſortem conveniatur, non in uſuras, *l. un. h. t.* quas proinde à debitore exactas, ſi citra culpam ſuam perdidit, non tenetur Reipub. ſolvere. Lucas de Penna *ad d. l. un.* In ſorte enim conſideratur damnum, in uſuris lucrum, & ideò magis Reipublicæ ſubvenire oportet circa damnum, quam circa lucrum, quod facere potuit, Bart. *ad d. l. un.* & facit argumentum *ex l. 1. ſup. de pactis fiſcal. & l. fin. §. licentiam ſupr. de jure deliber.* * At quid ſi adminiſtrator 2
pecuniam Reipublicæ, in comparationem redituum collocaverit, & ſucceſſivo tempore decurſi reditus ſint deperditi? Diſtinguendum eſt, aut eo tempore quo conſtituti ſunt reditus, adminiſtrator diligenter de ſecuritate hypothecæ inquiſivit, & nihil tenetur præſtare, aut negligentior fuit, & non tantùm ſortis damnum, ſed etiam uſuras cogitur ſuſtinere: aut ſolùm in exactione ſolutionis redituum fuit remiſſior, & tunc ſufficit ab ipſo ſortem præſtari, *arg. l. un.* Itemque *l. 111. ff. De condit. & demonſt.* ubi qui rationes reddere obſtrictus eſt, docere debet, conſtare omnibus, quæ ab eo geſta ſunt, & qua diligentia ſint geſta. Platea *in d. l. un.* & Eſcobar. *De ratiociniis c. 14. num. 10.*

Ita & adminiſtratori Reipublicæ faciendum eſt, 3
& oſtendendum, qua fide & diligentia munus injunctum geſſerit; nam ſi fraudis aut culpæ arguatur, aut pecuniam publicam in uſus ſuos converterit, aut eam apud ſe retinuerit, non tantùm ejus ſortem, ſed & uſuras præſtare æquum eſt. eas quoque ſi pro conductore vectigalis in univerſam conductionem, ſe tanquam fidejuſſorem obligarit, ac quoties ex contractu convenitur, *l. 2. §. ult. l. 6. l. ult. §. ult. ff De adminiſtr. rer. ad civit. pert.* at ſi ex officio quod adminiſtravit, conveniatur, damnum ſortis præſtare ſolet, non uſuras, *l. 17. §. eos 7. ff. De uſur. & l. 21. §. 1. ff. ad municip.*

TITULUS XXXIX.

De ſolutionibus & liberationibus debitorum civitatis.

1. *A curatore civitatis, qui hodiè Quæſtor eſt vel theſaurarius, præponuntur ſervi actores, qui debita exigant & recipiant.*
2. *Debitor ſolvens liberatur, ſi probet pecuniam verſam in rem civitatis.*
3. *Contrà non liberatur, ſi pecunia quam ſolvit exactori, fraude actoris fuerit intercepta.*

QUemadmodum privati ſervos actores habent, 1
ita Reſpublica præpoſitos pecuniis dandis, ſuſcipiendis & exigendis, & ſtipulationibus contrahendis, rationibusque tractandis, qui ſunt ſub curatore Reipubl. *l. un. ſup. tit. 37.* qui etiam pater civitatis appellatur *in l. 2. in fin. ſup. tit. 33.* Hinc enim cura & poteſtas data eſt, exigendi per hujuſmodi publicos ſervos debita civitatis, ejuſque rationes tractandi: Apud nos huic functioni præpoſitus, vocatur quæſtor, & in majoribus civitatibus theſaurarius communitatis: ſine cujus ſubſcriptione, aut alterius adminiſtratoris habentis poteſtatem exigendi, non contingit liberatio ipſo jure, *text. hic & in*

Digitized by Google

2 *in l. 2. ſup. De conveniend. fiſc. debit.* * Ubi quamvis in rationes relatum ſit debitorem fiſci ſolviſſe, non tamen liberatur, niſi apochas tabularius ſubnotaverit. Similiter hic debitor civitatis ſolvens actori Reipublicæ, non priùs liberatur, quam ab eo apocham de ſoluto acceperit, ſignatam à curatore Reipublicæ, vel ab eo cui exigendi jus eſt. *l. un. in pr. h. t.* Attamen debitor qui ſe exſolviſſe dicit, & ſcripturam actoris ſuſcipientis pecuniam profert non ſubſignatam, adhuc liberatur, ſi probet pecuniam quam ſolvit, in rem illius civitatis eſſe verſam. *d. l. un. in fin.* facit enim æquitas converſæ pecuniæ in utilitatem publicam, ceſſare juris rigorem, qui excludit liberationem, non facta ſolutione auctoritate curatoris Reipublicæ.

3 At verò ſi pecunia in rem civitatis converſa non ſit, & fraude ſervi actoris factum ut pecunia à debitore ſoluta curatori civitatis interciperetur, priusquam apocha ſubſignata ab eo fuiſſet, debitor non liberatur; quia licet pecuniam curatori ſolverit, non tamen accepit firmam ſecuritatem, aget proinde adverſus curatorem civitatis de peculio ſervi ut quatenus in eo eſt, ſatisfiat civitati, & ſi quid adhuc deeſt, ipſe id ſupplere de ſuo cogitur, aut compenſare: niſi civitas malit adverſus ipſum curatorem agere (cujus cauſa fortè pecunia fuit intercepta) & ratam habere ſolutionem debitoris, juxta Bart. & Plateam *ad h. l. n. 2.*

TITULUS XL.

De ſpectaculis & ſcenicis, & lenonibus.

1. *Spectaculorum finis, virtus, voluptas, & quæſtus. De virtute Athletarum, & infamia ſcenicorum.*
2. *De intervallo ludorum ſecularium.*
3. *Quinam fuerint Megalenſes & Lupercales ludi?*
4. *Qui Scenici & Gymnici ludi, & qui dicerentur tragici, comici, mimi, hiſtriones, per quos feſtum Floræ celebrabatur.*
5. *De ludis Floralib. obſervata in iis Catonis ſevera majeſtas.*
6. *Proſtibula & lenocinia, olim permiſſa, nunc ſublata. & pater graviſſimè punitur, qui filiabus neceſſitatem peccandi imponit.*
7. *Tributum quod meretrices & lenones pendebant ſublatum, meretrices ſe matronis æquare audent.*
8. *In gymnicis ludis ſe exercebant gladiatores, luctatores, pugiles, Xyſtici, Pancrastiaſtæ.*
9. *In hiſce populus delectabatur. Periculoſa reip. mutatio. Permittenda populo priſtina ludorum licentia.*
10. *Exponuntur leges hujus tit. & quatenus ad voluptatem populi permittantur gymnici ludi.*
11. *Scenici ludi & impudica ſcena penitus ſunt ſublata, & hiſtriones relegati.*
12. *Ubi Principum imagines honorantur, non debent collocari ſtatuæ pantomimorum, & hiſtrionum.*
13. *Qui dicerentur pantomimi, eorum domos ingredi vetitum Senatoribus, & pudicis matronis intereſſe ſpectaculis.*
14. *Spectacula hiſtrionum, bonis moribus obſunt, & ſcelera docent.*
15. *Magiſtratus tollere debet noxia ſpectacula, quibus Dei cultus minuitur, & civitas pecuniis exhauritur.*
16. *Prohibitum feſtis diebus vacare voluptatibus.*
17. *Ludi & Convivia probantur, quæ à juventute, aut collegio civium exhibentur.*
18. *Non oportet feſtivitates impedire, & quare? Qui fuerint Calendæ & dies celebres apud Romanos.*

PRæcedens titulus formam præſcribit, quam ſervare debent debitores Reipublicæ in ſolutionibus faciendis: hic verò moderamen proponit ſervandum in ſpectaculis & ludis qui cauſa voluptatis publicè fiunt, item vetat ne quis lenocinium exerceat. 1

Spectacula erant ludi, ad quos ſpectandos etiam exteri invitabantur, & exhibebantur vel virtutis formandæ, vel oſtentandæ, vel voluptatis, vel quæſtus gratia. Ob virtutem & gloriam certabant Athletæ, & ſeſe maximis objiciebant corporis vitæque periculis, uti patet ex *l. 7. §. 4. ff. ad l. Aquil.* His ita demùm pro præmio corona oleagina, & civilium munerum vacatio tribuebatur, ſi per omnem ætatem certaſſe, & coronis non minùs tribus ſacri certaminis coronati, probarentur, ut dixi *tit. De Athletis.* Qui verò ob quæſtum & lucrum, artis ludicræ, pronunciandive cauſa in ſcenam prodibant, eos infamia notari tradit Julianus *l. 1. ff. De his qui not. infam.*

Erant ſeculares ludi, at quinam iis ſe exercerent, quo modo & quo temporis intervallo fierent, eſt incertum: Nam centeſimo tantùm fieri anno, quod eſt ſeculum & unde nomen, veritas refutat, cùm aliquando ſexageſimo poſt anno facti ſint, aut paulò minùs à Claudio poſt Auguſtum, & à Claudio ad Domitianum, ſub quo alij ſeculares non centum anni intervenere. Neque à Domitiano ad Severum, neque à Severo ad Gordianum, & à Gordiano ad Conſtantinum. Ergo dicendum hoſce ludos aut pro arbitrio Principum remiſſos aut reſtrictos fuiſſe. In vetere tamen Republica, centeſimo tantùm anno exhibebantur. eratque formula ad eos vocandi, *Venite ad ludos quos vos vidiſtis nunquam, nec viſuri eſtis, poſt hac.* De Claudianis ludis videatur Plinius *lib. 8. c. 42.* & Dorleans *in Tacitum lib. 11.* 2

Verùm

Digitized by Google

3 Verùm Megalenſes ludi ſive Romani,ſive Circenſes,ſub initium menſis Septembris fiebant,& durabant non amplius dies novem. Cicero *in act. in Verrem.* erantque hi ludi maximè caſti, ſolemnes & religioſi; Contrà maximè obſceni & laſcivi Lupercales, quos ideo Auguſtus celebrari prohibuerat. Erant hi ludi Pani Deo ſacri, quibus adoleſcentes nudi,cincti pellibus per luxum & laſciviam urbem circumibant menſe Febr. Virgil. 8. *Æneid.*

Hinc exultantes ſalios, nudoſque Lupercos.

4 Porrò Scenici & Gymnici ludi ſæpiùs fiebant, erantque varij, ut & eorum actores, alij Agones muſici, alij Thymelici,ſeu citharedi, item tragici, comici,mimi,hiſtriones.Tragœdi actores ardentes affectus, atrocia ſcelera, morteſque exhibebant. Comici amores, nequitias, flagitia tractabant, his miſcebantur Satyri,laſciviores proferentes Faunos & Sylvanos, qui jocis & ſalibus agreſtibus populum oblectabant, interdum admixtis lacrymis. Mimi planipedes dicti, quod ſocco non uterentur,nec cothurno, ſed planis pedibus exirent in proſce-
5 nium. * Hiſce mimis & hiſtrionibus licentia maxima erat; Nullis enim abſtinebant obſcœnis & turpibus ſpectaculis, interque maximè deteſtanda Saturnalia,Bacchanalia,& Floralia, quæ in honorem Floræ repræſentabantur,quam Deam,cùm non aliter venerarentur,impudicæ actrices, unum tamen Catonem ſunt reveritæ, quo præſente agere recuſarunt; ſed vir hic laſcivos ludorum motus abhorrens, ne præſentia ſua ſpectaculi conſuetudinem impediret,à theatro diſceſſit. Undè Martialis *lib. 1. Epigrammat. 3.*

Meſſes jocoſæ dulce cùm ſacrum Floræ,
Feſtoſque ludos, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideò tantùm veneras, ut exires.

6 At quid mirum Romanos ſcænicos ludos permiſiſſe, ac eos ſolùm famoſos declaraſſe, qui in ſcænam prodirent,& quæſtus cauſa ſpectacula populo exhiberent. *l. 1. & 2. §. ult. ff. de his qui not. infa.* cùm etiam permiſerint proſtibula & lenocinia,atque ex iis tributum dari placuerit, quoſque Theodoſius id exigi vetuit, & ne deinceps quis lenocinium exerceret, aut ancillam vel ingenuam proſtitueret ſub graviſſima pœna.*l.ult.h.t.*Si autem pater filiam proſtituiſſet, idem Imperator quod & Juſtinianus voluit,*in Novell.*14.eum patriam poteſtatem amittere, & dominum dominium ancillæ, cui peccandi neceſſitatem impoſuit, inſuper patrem dominumve in metallum damnari, qui invitam in proſtibulo
7 detinuiſſet.*l.6.h.t.* *Idem quoque antè Juſtinianum ſtatuerat Anaſtaſius Imp. & pretium impuritatis, quod pendebant meretrices, & ſpurcum lenonum tributum ſuſtulit Evagrius *lib.3.c.39.*Nec illud prætereundum, quod Veſtalibus prodeuntibus à lictoribus ſummoverentur meretrices: vitabant & caſtæ dominæ illarum conſortium; Quin & notatos omnes ſeu virum ſeu fœminam vitare mos priſcus fuit. Hodiè vix diſtinguuntur matronæ à meretricibus, audent hæ ſe matronis honeſtiſſimis cultu & ornatu æquare,ut incautos decipiant. Et ut ait Varro, *Thais Menandri tunicam demiſſam habet ad talos.* hoc ideò addo ut tales vitentur Thaides.

Redeo ad ludos. In Gymnicis porrò, ſe nudi & 8
uncti exercebant Athletæ, quorum variæ ſpecies, veluti Gladiatorum,qui gladiis depugnabant,luctatorum,qui luctando certabant, alio nomine paleſtritæ dicti,Pugillum,qui pugnis congrediebantur, quique pugnandi artem probè noverant, Xyſticorum, qui in haſtili certamine, haſta prælonga utebantur, Pancratiaſtarum, qui in pancratio, totis corporis viribus animoſaque nervorum contentione dimicabant,& pugnis calcibuſque certabant, de his eſt Ulpiani locus *in l.7.§ 4. ff. ad l. Aquil.* Agitatorum, qui equos exercebant,& ludos equeſtres, Jaculatorum,qui in ſublimine jaculabantur.Præter hos ludos,erant Theatrales,Circenſes, Militares, de quibus Valer.Max. *lib.2.cap.4.* Rufinus *de antiq.Rom.* Lipſius *in ſaturnalib. ſerm. 5.* Tholoſanus *in ſyntagm. jur. lib. 39.c.5.* qui omnes teſtantur hoſce ludos, ad populi voluptatem fuiſſe permiſſos & exhibitos.

Conſtat etiam ex legibus hujus tituli, gymnicos 9
ludos diutiùs manſiſſe, quibus, Republica in Monarchiam vergente, populus maximè oblectabatur, ac ſic paulatim emollitus & captus, unius juſſa ſpectabat, veteris libertatis immemor; *Fatalem ignaviam* vocat Tacitus *lib.3. annal.* ubi de Tiberio ad Imperium evecto, refert *populum per tot annos mollitèr habitum, nondum audebat ad duriora vertere.* & ludos publicos ab Auguſto introductos abrogare, ſciebat enim ancipitem & operoſam nimis eſſe mutationem, quæ ſubitò & cum quadam violentia ſuſcipitur, faciliorem autem quæ ſenſim & paulatim declinando fit. Ariſt. *lib.6.polit.* Ad hoc exemplum ſub imperij initium, quantum fieri poteſt Princeps deflectat, & ſequatur normam gubernationis præteritæ, dando operam ut paulatim ad meliorem reducatur formam, ea moderatione, ut populus aliò ſe delatum antè videat, quam animadvertat, quibus gradibus effectum id fuerit. Galba, quod mox ſub prima ſui imperij initia, caſtigare ſeveriùs cœperit delicta, donationibus modum ponere, & ludos ante ab anteceſſoribus introductos, abrogare voluerit, paucos menſes imperium tenuit.

Prudenter itaque Impp. Valens & Gratianus re- 10
ſcripſerunt: *Non invidemus, ſed cohortamur potius, ut fælix populus, ſi velit, amplectatur ſua ſtudia, in circo & theatro, gymnicum certamen habeat,* id eſt, in luctu & arte gladiatoria ſeſe exerceat *l.1.h.t.*In equorum qnoque agitatione, ſed caveat, quiſquis equos Reip. agitat (quoſque Conſules tribuere ſolent

Digitized by Google

lent hujuſmodi voluptatibus) eos aliò abducere, & in ſuos uſus convertere, ſub unius auri libræ condemnatione *l.3. h t.* quæ aliàs cùm equorum agitatio ſit permiſſa,& exercitium curſuspublici,non debet iis, qui deſerviunt ſacris ludis, irrogari, aut alia pœna imponi, niſi circa equeſtre certamen deliquerint. *l.2. h.t.* aut auſi fuerint cruenta ſpectacula reſumere, quæ prohibentur à Conſtantino *in l. un.*
11 *infr. titul.* 49. * Manſerunt autem aliquamdiu Circenſia certamina, & Xyſtica. At verò Scenici ludi, præſertim impudicæ ſcenæ, theatra impietatis & impuritatis,penitus ſunt ſublata; & hiſtriones, mimi, & pantomimi uno tempore in exilium miſſi. Nam otio & vitiis inſueſcebant,cum & Varro 2. *de re ruſtic.* exprobrat, *Manus movere maluerunt in theatro,*
12 *quàm in ſegetibus ac vinetis.* * Adeo enim vile hoc hominum genus, ut prohibuerint Impp. eorum imagines collocari in loco honeſto,& in quo Principum ſtatuæ honorantur & affiguntur. Ita ut poſt hac in theatri proſceniis, vel in aditu circi ponantur iſtorum hiſtrionum & pantomimorum picturæ, *l.4.h.t.* ibi verbo *revellatur*, legendum *avellatur*, removeaturque ſtatua pantomimi,& cujuſcumque hiſtrionis à ſtatuis Principum, quandoquidem omnes infames à locis ſacris arceantur. *l.1.ff. De poſtul.*
13 * Pantomimi dicuntur, omnium perſonarum imitatores, & effictores. qui cùm in ſcenam prodeunt, ore clauſo, loquuntur geſticulationibus & manibus, proferuntque ſæpè turpia, fœdo ore,undè oſci à Tacito dicuntur, *lib.4.annal.* & à Martiali:

Oſce ſenex, catineque puer, cumana meretrix.

Ideò vetitum matronis hujuſmodi ſpectaculis intereſſe,& Senatoribus etiam ingredi domos pantomimorum. Tacit. *lib.1. annal.* & rectè, quid enim juſtitiæ ſacerdotibus, cum artificibus voluptatis? Sed poſteà ipſi quoque Senatores facti ſunt pantomimi,matronæ plures ludiæ,& ſaltatrices.Sic abierunt mores, & tota civitas facta eſt lupanar, & ex lupanari præda, quod omnibus regnis eveniet, niſi ſapientia gubernentur,& ad illam redeant.

14 Redibunt autem ſi ſpectacula, quæ bonis ac pudicis moribus obſunt, auctoritate magiſtratus tollantur. *Cum nihil ſit*, inquit Seneca, *tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere: comœdia, tragœdiaque ita repreſentant ſcelera, ut doceant.* Cauſas adfert S. Cyprianus ad Donatum *ep.1. Adulterium dicitur, dum videtur exhiberi, & lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica.* Dum inhoneſta & turpia riſum excitant, conſenſum trahunt, & ſuo pondere pravitas in opus inclinat. Prodeunt homicidæ, parricidæ, inceſtuoſi, & ad imaginem veritatis exprimunt facinora aliquando commiſſa, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcant, ſic ut admoneatur omnis ætas auditu, fieri adhuc poſſe quod factum eſt, *& ſcelera nunquam oblivione obrui,* aut tempore mori.*

Quod ſi Magiſtratus hâc in re conniveat, Prin- 15
cipis eſt curare, ut ſpectacula & omnes ludi, quibus puræ animæ infici poſſunt, tollantur, indictaque pœna prohibeantur. Sic Rex noſter prudentiſſimè edicto ſuo vetuit comœdias tragœdiaſve ullas exhiberi, vel mutas etiam repreſentationes aut cantilenas ſine prævia cenſorum viſitatione & admiſſione; qui non tam in verba, ſed & modos & geſtus inquirant. Accedit alia ratio prohibitionis, quod hiſtriones quæſtuaria ſua arte, civitatum pecunias ſenſim exhauriant, & veluti à vo-
luptate ſopitis civibus extorqueant. * Ideò etiam 16
ſacri canones vetant feſtis diebus, & tempore divini officij ludicra exhiberi, & clericis præſertim iis intereſſe, nam qui Jovis laudes audiunt, ſæpè Chriſti laudes non capiunt, *c.19.diſt 54. & c.2.diſt. 37. c.3. & 4. diſt.35.* Prohibuerant jam ante Imperatores, die ſolis, ſeu dominico ſpectacula edi, *l.2. C. Th. De ſpectac.* ubi ad finem hæc verba ſubdita ſunt. *Illud etiam premonemus, nequis in legem noſtram, quam dudum tulimus, committat. Nullum ſolis die populo ſpectaculum prebeat, nec divinam venerationem, confectâ ſolemnitate confundat, & in l. ult. eod. tit.* Dies deſignant, quibus omni theatrorum atque Circenſium voluptate populis univerſis denegata, Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupari maximè convenit; ſtatutum deinde in Concilio Carthaginenſi, ut qui diebus iſtis ſolemnibus, prætermiſſo Eccleſiæ conventu; id eſt,eo tempore quo ſacris negotiis danda eſt opera, ad ſpectacula ierit, excommunicetur. *cap. qui die de conſecr. diſt.* 1. plura in hanc rem apud Tholoſanum, *ſupr. dict.loco.* & Adamum Contzem *lib.3 politic. cap.* 13.

Dico turpia, cæterùm comœdiæ & tragœdiæ 17
quæ ad virtutem & honeſtatem excitant, tam dicentes quam audientes, admittendæ ſunt; Item declamationes, quæ verecundè à ſtudioſa juventute ſunt conſcriptæ. His enim actionibus formantur ad publicas functiones in futurum adoleſcentes. Permiſſa quoque liberalia exercitia civibus, certis anni temporibus; Item collegia, quibus adſcripti comœdias exhibere, & populum honeſtè recreare poſſint, & à vitiis avocare. Licet etiam ſpectacula ad populi voluptatem celebrare, Xyſticos quoque ludos & equeſtres in feſtivitatibus civitatum. Ideò Imperatores vetant, ne Rectores ex quacumque civitate, in alias, equos, iſtis ludis deſtinatos, agitatores actoreſve traducant, ſed ut ſuæ civitatis feſtivitatibus quique deſerviant, pœna eadem in contra facientes ſtatuta, quæ in legum violatores. *l.5.h.t.*

Convenit enim ut unaquæque civitas habeat ſuos 18
ludos, & dies otioſos, quibus cives ſeſe recreent, convivia agitent. Hæc apud Romanos exercebantur

tur omnibus Calendis, ſed Januarij fuere celebres, ac per totum terrarum orbem, propterea quod annum aperirent, opera omnia inchoarent, munera quoque mitterentur, de his multa Libanius, & Tertull. *de Idolo* 1. *Saturnalia & Januaria & Bruma, & Matronalia frequentantur, munera commeant, ſtrenæ conſonant, luſus, convivia conſtrepunt.* Atque hi feſtivi dies quaſi loco antidoti, & medicinæ erant, & nunc ſunt ſimiles, contra hujus vitæ miſerias; eleganter Cicero *Philip.* 2. *Homines quamvis in rebus turbidis, tametſi modò homines ſunt, interdum animi relaxantur, ne ex nimia reſtrictione triſtitia generetur.* De Hiſpanorum ludis & eorum ſumptibus Bobad. *in ſua polit. lib. 5. c. 4. n. 20. & ſeq.*

TITULUS XLI.

De expenſis Ludorum publicorum.

1. *Olim expenſæ ludorum fiebant ex bonis Reipublicæ vel privatorum. Interdum privatis prohibitum in ludos conferre, & quare?*
2. *Permiſſi ſunt ludi, ſed eorum ſumptibus modus ſtatutus eſt.*
3. *Abſtinendum à ludis potiùs, ut pecunia in magis neceſſarios uſus impendatur.*
4. *Magiſtratus poteſt pecuniam deſtinatam voluptatibus convertere in cauſam aliam Reipubl.*
5. *An legatum à privato relictum in ludos publicos poſſit à magiſtratu converti in alium uſum?*
6. *Legatum relictum in certum uſum, quando in alium converti poſſit?*

1 SPectacula & Ludi de quibus Tit. ſup. fiebant ſumptibus Reipublicæ, ſi bona habebat publica, aut reditus hujuſmodi ludis publicæ lætitiæ deſtinatos. Livius *lib.* 10. *Ludi facti ex mulctatitia pecunia, & pecuniariis damnatis.* Inderdùm fiebant privatorum expenſis. Tertul. *lib. de Idol. Non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit.* Et certè illi ſumptus de ſuo, ambitioniş potiùs fomenta erant. Quod enim avaritia in provinciis congregaverat, in civitate luxuria abſumebat. Dio ait, *lib.* 45. *Populum Romanum de Julio Cæſare exclamaſſe, quidquid à provincialibus rapuiſſet, ludis prodegiſſe.* Quidam tamen relinquebant pecuniam annuam ad ludos faciendos. *l. 6. ff. de auro & arg. leg.* Sed quia familias & domos evertebant, iſti ſumptus prohibiti Senatuſconſulto, ſub Tiberio. *Et cautum ne quis ludos gladiatorios ederet, qui minus quam quingenta millia in cenſu haberet.* Itaque ſi ex publico ludi fieri non poterant, ſatiùs viſum fuit iis abſtinere, quam privatim cives cogere ex bonis ſuis expenſas in hujuſmodi res vanas & futiles conferre. Quod ſi autem volentes pecuniam in ludos prærogaſſent, eam ex communi arca recuperare licebat. * Nam ex ſubhaſtitionibus & venditionibus præ- 2
diorum Decurionum ſemper aliquid in communi arca reponebatur ad exhibitionem ludorum, ad quos exhibendos ſæpè ſua patrimonia decuriones impendebant. *l. 1. ff. de muner. l. 1. ſup de ſpect. l. 20. ſup. de decurion.* Difficilè tamen fuit ludos, quibus populus oblectabatur omnino tollere, aut impedire quò minùs privati de ſuo in eos conferrent. Modus itaque ludorum ſumptibus præſcriptus eſt à Theodoſio Imp. *in l. 2. C. Th. h. t.* ut nimirum, *Judices ludorum interſint feſtivitati, verùm expenſarum non excedant duorum ſolidorum librata impendia, ne inconſulta plauſorum inſania, curialium vires, fortunas civium, principalium domus, poſſeſſorum opes, Reipublicæ robur evellant.*

Conſultiùs fecerit civitas, quæ communem ha- 3
bet arcam vel pecuniam ad ludos publicos exhibendos collatam, ſi iis abſtineat, modò aliis rebus magis neceſſariis ſit impendenda, ut ſi mœnia civitatis diruta ſint, ſi muri ſolo æquati, ſi tota civitas ruinis deformata ſit, ſi templo, ponte, aut fonte careat, aut ſi propter neceſſarios ſumptus ære alieno ſit gravata; ſatius enim eſt, hæc omnia reparari publicâ pecuniâ, quàm eam impendere in ludos & ſpectacula ex quibus Reſpublica non ſplendorem, ſed majora onera accipit.
* Ideò reſcribunt Impp. Diocl. & Maxim. *in l. un.* 4
h. t. licere Præſidi provinciæ pecuniam ad ludorum expenſas relictam, in refectionem murorum, aut aliud civitatis onus conferre, ita tamen ut refectione facta, & ex onerata civitate, ſuoque ſplendori reſtituta, ludi ac ſpectacula voluptatibus populi rurſus exhibeantur. Sic enim antiqua ſpectaculorum conſuetudo ſervabitur, & tutelæ civitatis inſtructo murorum præſidio providebitur. Undè elicitur, permiſſum eſſe magiſtratui urgente publica cauſa, rem unam in aliam convertere, atque id facere quod utile reipublicæ eſt, non autem ipſius bona conſumere in res minus neceſſarias.

Quid ſi privatus prædia legaverit, ut ex eorum 5
reditu quotannis ludi celebrentur? non poterit magiſtratus reditum in alios uſus convertere etiam publicos, citra auctoritatem Principis. *l. 1. & 4. ff. de adminiſtrat. rer. civit.* Quare ſi cum hac adjectione teſtator legaverit: *rogo vos decuriones, ne in alios uſus, legatum quod in publicos ludos relinquo, convertatis,* non poterit reſpublica, ſi ludi ſint permiſſi, eos non celebrare, & ſi non fecerit, fructus prædij legati reſtituendi hæredibus teſtatoris pro eo tempore quo ludi ſunt intermiſſi, atque id obtinet quando expreſſe à teſtatore prohibita eſt tranſlatio; ſervanda enim eſt conditio & voluntas teſtatoris, itemque forma pollicitationi ludorum edendorum conſtituta. *l. 10. ff. De pollicitat.* Exiſtimo

tamen

Digitized by Google

tamen non obſtante prohibitione teſtoris, ſumptus faciendos in ludos & ſpectacula in opus publicum quod intermitti non poteſt, annos aliquot poſſe impendi, nec eſſe reſtituendos, ſed hac neceſſitate publica ceſſante poſſe ludos exhiberi. *d. l. un. h. t.* ſic & de aliis legatis ſentiendum, quæ relinquuntur ad novum opus publicum extruendum, ut priùs ſcilicet ædificia vetuſtate collapſa reficiantur, quàm nova inchoentur, non obſtantibus quibuſcumque conditionibus, vel pactis legato impoſitis *l. ult. ſup. De oper. publ.*

6 Similiter ſi civitati relictum ſit legatum ea conditione, ut ex reditibus quotannis in ea civitate ſpectaculum exhibeatur, quod illi non licet, in aliud opus utile & neceſſarium commutatio fieri poteſt, conſervata ſemper memoria liberalitatis defuncti ejus nomine operi inſcripto. *l. 16. ff. De uſu & uſufr. leg.* Item ſi pecunia ad opus licitum relicta non ſufficiat, vel non admittatur à Republica, tale opus poterit converti in alium uſum, ita ut quoad fieri poteſt ſervetur voluntas teſtatoris, *l. 4. ff. De adminiſtr. rer. ad civit pert.* Si verò pecunia ſufficiat, non poterit in alium uſum converti quàm deſtinatum, ut dixi, niſi auctoritate Principis, *d. l. 1. & 4.* vel Pontificis ſi agatur cauſa pia. *Clem. 2. in pr. de relig. domib.* Everard. *conſ. 94.* Guido Papæ *q. 556.* Platea & Lucas de Penna *ad l. un h. tit.* Garzia *de expenſis cap. 21. num. 24. & ſeqq.* Bobadilla *lib. 5. cap. 4. n. 20. & ſeqq.* ubi plura de expenſis referunt.

TITULUS XLII.

De Aquæductu.

1. *Continuatio. Aquæductus aut ſunt publici aut privati.*
2. *Jus aquæ ducendæ & hauriendæ, quanto tempore præſcribatur.*
3. *Quando res quæ ſunt in uſu publico, poſſunt præſcribi tempore immemoriali.*
4. *Confiſcantur prædia, in quæ dominus aquam derivat, ex aquæductu publico, vel juxta illum plantat.*
5. *Prædia à fiſco annotata, poſt incorporantur patrimonio Principis, ſine cujus aſſenſu aqua non deducitur.*
6. *In flumine privato molam extruere licet, & aquam derivare.*
7. *Ex ipſis formulis, non ex fiſtulis matricibus, deducenda eſt aqua ab iis qui jus impetrarunt.*
8. *Tenentur reſcriptum Præfecto inſinuare, & ille qui diſponet quantum aquæ ſit largiendum, & quæ aqua.*
9. *Non valet reſcriptum quo conceditur aquam ducere ex aquæductu, qui ſervit palatio Principis, quanta hujus rei obſervatio.*
10. *Aquæductus ſunt benè curandi & purgandi à poſſeſſoribus per quorum prædia tranſeunt.*
11. *Ideò ſunt immunes ab extraordinariis muneribus, nec ſolvunt vectigal pro reparatione publici aquæductus.*
12. *Deſumuntur ſumptus reparationis ex vectigali quod penditur à trajicientibus & operariis. In neceſſitate ab omnibus fit contributio.*
13. *Arbores circa aquæductum non aliter plantantur quam intermiſſis pedibus quindecim.*
14. *Arborum radices exſcinduntur, ſi deſtruant formas aquæductuum & fundamenta ædificiorum, quid ea in re uſu receptum?*
15. *Benè curandi aquæductus, ejus reparationi pecuniam deputatam, in alterius operis extructionem magiſtratus ne convertat.*

QUemadmodum ludi publici voluptatem populo præbent, ita etiam aquæductus & fontes magnam amœnitatem ac ſalubritatem ægris corporibus adferunt. Ariſt. *7. polit.* 11. Sunt aquæductus publici, aut privatorum, & ex privatis fieri ſolent publici, quales fuere in Roma veteri, & nova plures: poſtquam autem publicè uſum ſuum præbuerunt, non poſſunt iterum in privatorum redire poteſtatem, longi temporis præſcriptione, aut reſcripto Principis; quia reſcriptum contra jus & publicam utilitatem elicitum, præſumitur ſubreptitiè obtentum, *l. 9. h. t.* quod ſi enim via publica præſcribi non poteſt durante ejus formâ. *l. 2. ff. De via publ.* multò minùs aquæ uſus ſuſtentationi vitæ humanæ, perquam neceſſarius, *l. fin. ff. De rivis. Cùm non pane, non ſale, non tectis, tam frequenter utamur, quam aquis.* Frontinus *de aqued. Rom.* * Non adverſatur quod ſtatutum ſit, uſum aquæ ducendæ veterem, longoque dominio conſtitutum civibus manere, nec ulla novatione turbari, *l. 4. h. tit.* quia loquitur iſte textus de uſu, & jure aquæ, quod Princeps jam diu ſingulis civibus dederat: eoque jure tanto tempore uſi fuerant, ut de initio non extaret memoria. * Hinc Doctores inferunt res quæ ſunt in uſu publico, poſſe præſcribi tempore immemoriali. Bald. *de præſcript. 4. part. 5. pr. q. 6. n. 8. & 1. p. 6. pr. n. 13.* Barboſa *C. de præſc. ad l. omnes num.* 30. Placet nihilominus diſtinctio, ut quando remanet forma aquæductus publici, & ex eo aliquis deducit aquam ad uſum privatum, tunc requiratur tempus cujus non extat memoria: ſed ſi mutetur forma uſus publici, ut puta facies viæ publicæ, & eam quis poſſideat jure privati, utique ſufficiet præſcriptio quadraginta annorum. Aymon *tract. De antiquit. 4. part. §. materia iſta n. 79. & 84.* huc pertinet *l. 2. §. 4. ff. De aqua quotid.* Itaque *d. l. 4. h. t.* ejuſque gloſſa procedit quando privati, conceſſione Principis nituntur, & immemoriali poſſeſſione, quæ habet vim tituli, *dict. §. 4.*

Ppp 2 Itemque

Itemque adhuc ſupereſt in aquæductu publico ſufficiens aqua, ad alios civitatis uſus, quo caſu admittitur præſcriptio privatorum, dummodò etiam hi eam aquæ quantitatem, quam conſueverunt, deducant, non ampliùs, aliàs punientur, ſi furtivis aquarum meatibus, id eſt, ſibi non permiſſis utan-
4 tur. *d.l.4. in fin.* * Similiter hi qui ex minuſculariis, id eſt, minutis aquæductibus, vel fontibus publicis aquam uſurpant, vel clandeſtinis inſidiis ſubripiunt, eam reſtituere aquæductibus, compelluntur. De his queritur Tacitus *lib. 5. annal. Jam aqua privatorum licentia intercepta, quo longior, & pluribus locis flueret.* Quod prohibitum, ut & circa fontes arbores plantare, niſi relicto ſpatio legitimo (de quo infrà dicam) alioquin prædia in quæ aquam derivarunt, & in quibus arbores plantarunt, aquæductibus noxias, fiſci juribus vindicantur, & nulli cujuſcumque ſit dignitatis, ſuper hujuſmodi pœna venia tribuitur. *l.10. h.t.* * Eadem quoque irroganda
5 decernitur iis, quæ urbis commoda intendunt mutilare, aquam ad ſua prædia, vel ad uſum molendini, ex aquæductu publico derivando, ſine permiſſu Principis. *l.2. h.t.* cujus eſt ſolius jus aquæ dare. *l.1.*
6 *§. permittitur. 41. ff. De aqua quot.* * Ubi DD. docent, ex contraria juris ratione, cuivis licere in flumine privato per proprium fundum decurrente, molam extruere, & ad ejus uſum aquam deducere, etiamſi aqua iſta originem ex publico loco habeat, quia dominium aquæ ſequitur dominium fundi per quem decurrit, deque eo ut de fundo licet quodlibet ſtatuere, nulla Principis aut magiſtratus petita venia, vel obtenta. Bart. *in l. quo minus 14. q. de fluminib.* & ibi Jaſon *num 91.* Cum tamen olim non liceret habere aquam privatam, niſi à Cenſoribus venderetur, & puniebantur extra ordinem qui aquæductus alveoſque mutabant, ut prædiis ſuis conſulerent, *l.1 §.7. ff. ne quid in flum. publ. & l.2. ff. De extraord. crim.* Undè prædia, quæ ex proſcriptione, vel alia damnatione pœnali, à fiſco velis Regiis ſignabantur, patrimonio Principis adſcribi & aggregari indicat, *dict. l.2.* Argentræus *ad conſuet. Bri-*
7 *tan. art. 266. cap. 19. num. 11.* * Conceſſo igitur jure aquæ ducendæ, oportet ex ipſis formis aquam deducere, non ex fiſtulis matricibus, ex quibus aliæ ſuccreſcunt, vel ab ipſo aquæductu. Quod ſi quis aliter fecerit, non ſolùm id quod priùs jure beneficij fuerat conſecutus, amittit, verum pro conditione
8 perſonæ ſeveriſſima pœna plectitur. *l.3. h.t.* * Quam ob rem is qui jus aquæ impetravit, tenetur reſcriptum Præfecto prætorio inſinuare, condemnatione contra illum, qui illud Præſidibus provinciarum inſinuare conatur, quinquaginta librarum auri, & contra univerſos adminiſtratores, qui reſcriptum per ſubreptionem elicitum ſuſcipere moliuntur, proponenda, *l.5. h.t.* Etenim ad Præfectum prætorio ſpectat, diſpenſare civibus aquam, & diſponere quantum aquæ in publicis thermis, & in nymphæis pro numero civium conveniat deputari, & quid his perſonis quibus hoc jus Princeps indulſit, ex aqua ſuperflua debeat impertiri, *d.l.5.* Hanc legem Theodoſij Cæſaris, Anaſtaſius ultima hujus tituli conſtitutione confirmavit, ut nemo privilegium Principis, juxta morem de ſcrinio epiſtolarum edendo, & Præfecto prætorio, vel aliis quorum intereſt, intimando, audeat aquam ex publico fonte trahere, & ad ſuum uſum deducere, ſed pœnam mutat, quam ſtatuit in violatorem hujus mandati, denarum librarum auri, *l. ult. h.t.*

Singulare jus fuit aquæductus Adriani, in urbe 9
Conſtantinopolitana, ex quo nulli privato facultas dabatur, precibus oblatis, uſum aquæ petere, vel deducere, vel ejuſmodi aquæductum perforare, quia totus ſerviebat thermis, & nymphæis ſacri palatij, qui contra hanc diſpoſitionem, jus aquæducendæ auſus fuiſſet impetrare, aut præfectus reſcriptum admittere, centena pondo auri mulctæ nomine fiſcalibus rationibus inferre cogebatur. Idemque conſtitutū de aquis profluentibus per fiſtulas plumbeas, ad thermas quæ vocantur Achillis, *l.6. h.t.* Ibi Cujac. Nam nec illæ ſerviunt privatis, qualecumq; privilegium impetraverint, quia ſpeciali ordinationi in utilitatem aulæ regiæ factæ, non facilè derogatur, ex certa ſcientia, niſi etiam ſpeciatim dicatur in privilegio, non obſtante hac ordinatione *legis 6.* id concedi. Interim permittitur officiatis aulæ regiæ, circumire domos privatorum, ſuburbana & balnea ingredi, inquirere & videre ne qua deceptio, vel ſuppreſſio, vel inſidiæ contra publicam utilitatem à quoquam penitus attentetur. *d.l.6. in fin.*

Præterea curare debent Reipub. adminiſtrato- 10
res, ut novi aquarumductus fodiantur, veteres reficiantur, & purgentur, incumbit & hæc cura aquarum poſſeſſoribus, per quorum fines formarum meatus tranſeunt. Ideò Conſtantinus Imp. ab extraordinariis oneribus, jubet eſſe immunes poſſeſſores, quorum opera & impenſis, aquarum ductus ſordibus impleti, mūdantur & purgantur: amiſſione verò poſſeſſionum, per quas aquæductus tranſeunt, mulctari ſi id neglexerint, ita ut fiſcus prædium ejus occupet, cujus negligentia perniciem formæ congeſſerit. *l.1. h.t.* * non tamen tenentur deſcrip- 11
tionem aliquam ſuſtinere, aut vectigal ſolvere aquæductus repurgandi, aut reficiendi cauſa, quamvis ex eo jus aquæ ducendæ poſſideant, ne videantur potiùs illud jus emiſſe, quàm ex mera Principis liberalitate obtinuiſſe. Reparatio enim aquæductuum fontium, pontium, murorum ad civitatem pertinet, atque ſumptus reparationum deſumuntur ex vectigalibus, quæ ex ſcalis, id eſt, trajectu maris, & operariis Cycizenis colliguntur, *l.7. h.t.* ubi Cujacius *ex univerſis ſcalis* legit, non *calculis*, ut habet textus.

Quæ

Digitized by Google

12 Quæ lectio auctoritate Vitruvij poſſet confirmari, *l.10.c.13.* ubi ſcalas aquæductibus aptas eſſe docet, quaſi ſcalæ, id eſt, trajectus maritimi, ſint protenſæ in mare trajiciendi cauſa, uſque ad navigia, atq; in eam rem dicit fuiſſe nautas deſtinatos ſingulis ſcalis, qui certū vectigal inde colligerent, deputatum aquæductui reparando. Item aliud vectigal ab operariis, ex lucris eorum exactum, applicabatur huic refectioni, idque juſtè, propter nimium ſalarium quod extorquebant. Unde fit, ut, ſi deſtinatæ deſcriptiones non ſufficiant Reparationibus aquæductuum, ex communi pecunia fieri debeant, quia communem uſum & utilitatem ſpectant. *l.7.ſup. de oper. publ.* Dico ſi non ſufficiant, & pecunia publica deficiat; alioquin cives non tenentur in reparationem aquæductus conferre. Luc. de Penna *in fin. d.*

13 *l. 7.* * Cæterùm poſſeſſores per quorum prædia aquæductus ducitur, habere non debet noxias arbores, aut nimis vicinas aquæductui vel formæ, ſed ſeparatas & diſtinctas ad pedes quindecim, ne pullulent, & radices arborum formas corrumpant, *l.1. in fin. h.t.* Hinc arbores quæ ruinam inferunt ædificiis, & deſtruunt fundamenta murorum, radicitus exſcindi debent, quia læſionis periculum non removetur, niſi origo planè tollatur, *l.1. ſup. De*

14 *interdict.* * Arbores quoque alienis ædibus impendentes, aut radices in vicinum fundum porrigentes, amputandæ ſunt, præcedente cauſæ cognitione, & mandato judicis, ſiquidem cultura fundi & perceptio fructuum indè minuatur, *l.1.§.8. ff. De arbor. ced.* Aliàs non licet arbores quæ in vicini fundum radices porrexerunt recidere, *l.6.§.2.ff. arbor. furt. cæſar.* Uſus etiam tantùm permittit arboris ramos impendentes amputare, & ubique ferè ſpatium præſcribit, quod vicinos plantantes & ædificantes ſervare oportet. Circa aquæductum & fontes qui palatio ſerviunt, decem pedes utraque ex parte vacui arboribus relinquuntur, *l.6 h.t.* Eoque pertinet *l.10. eod. tit.* quæ intermitti vult legitimum aliquod ſpatium circa arborum plantationem.

15 Curabit igitur feriò magiſtratus, conſervationem reparationemque aquæductuum & fluminum, per quæ merces faciliùs & minimo pretio tranſvehuntur. Vidimus enim patrum & noſtra memoria, quanti referat in omnem cauſam aquæductus fieri, & ſervari. Non aliter Batavi proſperitatem Reipub. ſuæ ſtabiliverunt, aut ſervarunt hactenùs, quàm aquarum ductu, objectuque fluminum, ac maris navigatione. Quare ſit magiſtratui curæ, ne pecunia huic rei adeò neceſſariæ deputata, in aliud opus quam aquarum ductibus competens, impendatur, ſi ſecus fecerit, de ſuis facultatibus ipſam pecuniam, aquæductus titulo, ſarcire cogetur. Hinc præcipit Zeno Imp. ut non ipſe adminiſtrator ſeu Præfectus, ſed ſpecialis quidam arcarius, ſeu ſuſceptor, pecuniam hanc cuſtodiendam ſuſcipiat, ſive pecunia ex liberalitate Principum ſuppeditetur, ſivè aliundè, *l.8. h.t.* Quæ lex dirigitur quidem ad Præfectum prætorio, ſed ejus diſpoſitio & ſententia quemcumque Reipublicæ adminiſtratorem concernit. Videatur Jul. Frontin. *lib. de aquaductib. Roman. lib.2.* Simancas *de Republ. l.8.c.16.num.6.pag.* 451. Petr. Greg. Thol. *lib.3. cap. fin. & lib.4. cap.14.* Bobad. *lib.3. polit. cap.5.n.51.& 52.*

TITULUS XLIII.

De Gladiatoribus penitùs tollendis.

1. *Ludi gladiatorum ſublati à diverſis Principibus, & quare? Gladiatorum ſanguinem: cur biberent Romani?*
2. *Manent gladiatores qui juventutem inſtruant.*
3. *Torneamenta prohibentur, & in iis mortuo denegatur ſepultura, niſi fortuitò ibi ceciderit.*
4. *Quæ certamina hodiè? Revocatæ ſunt cenſuræ in pugnantes ſtatutæ.*
5. *Non etiam quæ decreta ſunt in pugnantes in duello, oſtentationis & fortitudinis probandæ cauſa.*
6. *Duellum ex cauſa læſæ famæ ſuſcipere an ſit prohibitum? & quid ſi provocatus ſit nobilis.*
7. *Si ſubſit vitæ periculum, licebit duello certare.*
8. *Item pro defenſione patriæ & honoris ſui Principis.*
9. *An ipſe Princeps, duello rectè ſe committat?*
10. *Duellum cum hoſte licitum eſt, non tamen tutum duello finem belli imponere.*

Dictum ſupra de ſpectaculis, quia verò non omnia ſunt permiſſa, hic agitur de his quæ prohibentur. Imprimis cruenta ſpectacula tanquàm in otio civili, & domeſtica quiete horrenda, prohibet Conſtantinus *l.uni.h.t.* Itemque gladiatores, qui ad populi voluptatem, & virium ſuarum oſtentationem, nudi ad necem uſque pugnabant. Quod crudele nimis videretur, humanum ſanguinem effundere, eoque theatra cruentare, ipſoſque ſpectatores ſaucios dimittere. 1

Didici ex Plinio *lib. 28. cap. 1.* gladiatorum morientium ſanguinem bibiſſe Romanos, ut morbis comitialibus ſolverentur. *Sanguinem*, inquit, *gladiatorum bibunt, ut bibentibus procul ſint comitiales morbi.* Addit textus *d. l. un.* cruentum, quia non omnem gladiatorum ludum ſublatum fuiſſe arbitror: nam etiam olim prout hodiè fuere gladiatores, qui juventutem inſtruebant gladiis fictis, iiſque varios modos oſtendebant, vitandi atque inferendi ictus, virtutem arti & rurſus artem virtuti miſcendo, quos aptiores cautioreſque militiæ redderent. Hos gladiatores Hiſpani vocant *eſgrimidores de eſpada negra*, cruentos verò gladiatores, monomachos vocat Sozomenus *lib.1. hiſtor. Eccl. cap.8.* quorum crudelia 2

Digitized by Google

ſpectacula iterum in uſum revocata, ut apparet *ex lib. 6. confeſſ. cap.* 8. Divi Auguſtini, Honorium Imp. penitùs è Republica ſuſtuliſſe refert Nicephorus Calixtus *lib.* 1. *Satur. cap.* 12. *circa fin.*

3 Ad gladiatoria ſpectacula pertinent monomachiæ, & curſus haſtatorum, quem noſtri *juſtas*, torneamenta Pontifices vocant, eaque damnant, item omnia certamina in quibus ad pompam, inanem gloriam & virium oſtentationem, publicè in catadromo concurrunt equites, ſeſe mutuo lanceis & haſtis petentes, quia quamvis hæ pugnæ ludicræ ſint, ſæpè tamen indè mortes hominum & animarum pericula proveniunt. *cap.* 1. ¥ *De torneament.* Adeò ut eum, qui in illo certamine ceciderit (quamvis poſcenti pœnitentiam, non negetur) Eccleſiaſtica ſepultura privari voluerint, niſi fortè alia quam pugnandi cauſa venerit, & ibi mortuus fuerit, *cap.* 2. *eod. tit.*

4 Hinc è contrario colligi poteſt, ſi quæ ſint certamina, quæ citra læſionis & mortis periculum exerceri poſſunt, ut haſtiludia, quibus ad haſtam vibrandam nobiles inſtruuntur, & decurſus ad annuli immiſſionem, vel ad hominis ficti pugnam (quam *eſtafermos* Hiſpani vocant,) aliaque id genus exercitia, ea non prohiberi, ſed armatos tantummodò hominum congreſſus & ſanguinolenta ſpectacula. Navarrus *Enchirid. c.* 15. *n.* 9. Cæterùm cenſuras Eccleſiaſticas, à ſuperioribus Pontificibus decretas tandem Joannes XXII. inſtantibus Galliæ Regibus, Philippo tunc Rege, & aliis Germaniæ & Angliæ Magnatibus revocavit. *c. un. de torneam. in extravag.* * Verùm cenſuras & pœnas ſacris Canonibus & Conciliis ſtatutas, in eos qui duello de-

5 certant, & in eos quorum auctoritate & conſilio iſtiuſmodi certamen initur, adhuc hodiè durare & auctas eſſe manifeſtum eſt, *c. monomach.* 2. *q.* 4. *c.* 1. ¥ *De cler. pugn. in duell. c.* 1. *De purg. vulg.* Conſil. Trident. *ſeſſ.* 5. *c.* 19. *l. un. h. t.* & legibus Hiſpaniæ *l.* 8. *tit.* 14. *p.* 7. *l.* 3. *& tit.* 21. *lib.* 8. *recop.* ſive hoc genus certaminis ad manifeſtationem veritatis ſuſcipiatur, quia non tentandus eſt Deus, ſive ad oſtentationem virium & induſtriæ ineatur à gladiatoribus & laniſtis; quia per illud ad homicidium devenitur, quod lex divina & humana prohibet, & id omne, per quod juſtitia violatur. Nec excuſat oſtentatio artis & fortitudinis, quia fortitudo laudem non meretur, inquit Juſtinianus, niſi quæ cum juſtitia eſt conjuncta. *Novell.* 69. *in princ.*

6 At quid ſi ob læſam famam ſingulare certamen ineatur? nec id iniri poſſe ſentio, nam idcircò judiciorum vigor, juriſque publici tutela in medio eſt conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem. *l.* 19. *ſup. De Judæis.* Actiones quoque ſunt conſtitutæ, quibus unuſquiſque jus ſuum in judicio proſequatur, & magiſtratus creati, ut licitum ab illicito diſcernant, ſuum cuique, tribuant, ſuaque juriſdictione rixas componant. Quare probare non poſſum quod aliqui dicant ad duellum provocatum magnam ſui honoris jacturum facere, ſi id non acceptet, majoremque ignominiam eſſe duellum oblatum recuſare, quàm fugere. Neque aſſentiri poſſum Bart. dicenti crudelem videri eum qui famam ſuam negligit, quæ vitæ æquiparatur, & omni commodo præfertur, undè infert licitum eſſe armis famam tueri *tit. De pace tenenda in pr. num.* 16. *in uſib. feud.* At ille famam non negligit, nec eam tueri deſinit, qui auctoritate judicis injuriam ſibi, aut ſuis, illatam perſequitur: quo pacto provocati ad duellum fama non minuitur, eò quòd non compareat; ea enim provocatio ipſi provocanti injuriam infert, quippè cùm omne id quod fit, vel dicitur in aliquem contra bonos mores, injuriam importet. *l.* 15. *§. ait prætor & §. generaliter ff. de injuriis.* Alciatus *de ſingulari certamine.* Larrea *alleg* 117. *n.* 45. qui dicunt ſine ignaviæ nota excuſari provocatum, licet ſit nobilis & equeſtris ordinis, ſi paratus ſit ſe defendere, quocumque in loco provocans illum aggrediatur.
* Quod ſi periculum non poſſit effugere, nec ſit 7
alius modus tuendi vitam, licitum erit provocato, duellum ſuſcipere. Nam ubi certum eſt mortis periculum ſatiùs eſt cum ſpe vitæ, mortis periculum, quam ſine ulla evadendi ſpe, mortem certiſſimam eligere, ſemper autem licet ſervato moderamine vim vi repellere. *l.* 3. *ff. De juſtit. & jure.*

Item licebit ob cauſas, patriæ ſcilicet, Eccleſiæ, 8
& honoris ſui Principis defenſionem, duello certare. Sanchez *l.* 2. *decal. c.* 39. Vaſquez *l.* 1. *Illuſtr. qq. c.* 49. *n.* 15. *& ſeqq.* Larrea *Alleg.* 116. *& ſeq.* Si modò id Princeps permittat; ipſe enim ut juſta ex cauſa poteſt bellum indicere, ita etiam duorum bellum permittere. Quemadmodum etiam poteſt permittere occidi à quocumque proſcriptos, qui Reipublicæ pacem, quietem, & bona ſubditorum infeſtant.
* Verùm ut ipſe Princeps hoc in ſe ſuſcipiat, aut 9
provocatus duello ſe committat, ſine ſummo Reipublicæ detrimento, & enormi dignitatis læſione fieri nequit. Quamvis Alciato & quibuſdam aliis ſecùs videatur. Nec enim ſalus Reipublicæ tam leviter in diſcrimen vocanda, nec Principem, niſi neceſſitas urgeat manu pugnare, aut velut gregarij militis mortem appetere decet. Non eſſe magnanimi mortem ſibi accelerare docet D. Auguſtinus *lib.* 1. *De civitate Dei, cap.* 21. Rectè igitur Princeps ad ſingulare certamen provocatus, idem quod olim Auguſtus Antonio duellum exigenti, reſpondeat: Si Imperatori non vacaret vivere, infinitas eſſe mortis vias, ſe intelligere meliùs, quàm hoſtem, quid ſibi è re eſſet.

Verùm ratio quæ juſtum bellum admittit, in quo 10
pro patria, fide & honore ſui Principis mori glorioſum eſſe dicimus, eadem quoque duellum licitum

tum

tum eſſe oſtendit, quando nimirùm id loco belli ſuſcipitur, ad vitandas multorum militum mortes, quia tunc non tam videtur eſſe duellum, quàm pars belli: pugnare autem cum juſto hoſte, non eſt tentare Deum, quod lex divina vetat, nec hoſtem tollere, eſt homicidium patrare, naturæ lege prohibitum, ſed officio fungi ſtrenui militis *c. miles. c. homicidium* 23. *q.* 5. Undè non minùs licuit Davidi ſingulari pugnâ Goliath proſternere, quàm ſi hoc idem conferto multorum prælio feciſſet. 1. *Reg. c.* 17. Poterit ergo Princeps vel populus qui juſtum bellum gerit, id commutare in duellum, illudque acceptare, vel hoſtibus offerre, exemplo Davidis, qui motus bono publico, & pro honore ſui Regis ſingulare certamen acceptavit. Quemadmodum & inter Romanos & Albanos ſingulari certamine tergeminorum Curiatiorum & Horatiorum bellum finitum fuit, victis Curiatiis, qui Albanorum cauſam defendebant, ea lege ut victor ille populus haberetur, cujus milites duello viciſſent, Livius *l.* 1. & Florus *l.* 1. *cap.* 3. Inde fit ut plures iſtiuſmodi certamina probent, & plurimum conferre exiſtiment, ut finis bello imponatur, aut alia publica injuria paucorum ſanguine vindicetur. Mihi verò tantùm abeſt, ut tuta videatur hæc ratio, bello finem imponendi, aut decidendi controverſias, ut potiùs temerarium putem, unius aut alterius periculo ſummam rerum committere. Ayala *De jure belli, lib.* 1. *cap.* 3.

TITULUS XLIV.

De venatione ferarum.

1. *Qui virtutis oſtentandæ gratia, in arenam deſcendebant, præmio honorabantur, qui mercede conventa pugnabant, fiebant infames.*
2. *In ludum venatorium damnati, & ad beſtias & ad gladium ſervi pœnæ fiebant, ſed melior erat conditio venatorum.*
3. *Paulatim ſublata ferarum ſpectacula.*
4. *An taurorum agitatio apud Hiſpanos ſit licita?*
5. *Occidendarum ferarum facultas data, permiſſaque earum venatio, quæ regioni nocent.*
6. *Digna Principibus venatio, & quinam eam exercuerint?*
7. *An poſſit Princeps prohibere venationem, & quibus eam permittere? Clericis omnis inquieta venatio interdicitur.*
8. *Quid ſi privatus dominus prohibeat fundum ſuum ingredi, an fera ibi capta fiat capientis.*
9. *Ut venatio, ita & piſcatio jure Romano libera.*
10. *Fera fit capientis non vulnerantis. Utrùm meo laqueo implicata, fiat mea, vel ejus qui occupando eam exemerit?*
11. *Uſu hodierno non licet in fundo alieno venari.*
12. *An fructuarius quod ex venatione, aucupio & piſcatione capit, ſuum faciat?*
13. *Nec in flumine publico piſcari. Conſuetudo piſcationis reditum ærario Principis adjicit.*
14. *Prohibitio venationis non ſe extendit ad feras quæ damnum inferunt.*
15. *Præmium propoſitum occidendi leonem, ſi occidas leænam gravidam, an duplici præmio ſit afficiendus.*
16. *Beſtiæ quæ ad Principem mittuntur, paucis diebus in civitate morabantur, quæ ratio?*
17. *Animalia publico ſumptu alenda, ſi ſint alicujus loci aut Principis.*

ERat ludi ſpecies venatio ferarum, quæ in amphitheatro, vel arenâ exhibebatur, hanc venationem virtutis & fortitudinis oſtentandæ gratia, interdum venatores ſuſcipere ſolebant, abſque ulla mercede, niſi quod illis coronæ, aut alia munera darentur præmij loco. Interdum alij mercede, in certamine deſcendebant, & fiebant infames, quemadmodum omnes, qui in ſcenam aut arenam prodibant, & ſe honorari patiebantur, ſeu mercedem accipiebant, juxta *l.* 1. *§. & qui operas. verſ. denique ff. De poſtul. & l.* 2. *§. fin. ff. De his qui not. infam.* * Qui verò ad ludum venatorium erant damnati, quo cum beſtiis depugnarent, æquè ſervi, pœnæ efficiebantur, ac illi qui damnabantur ad beſtias, vel ad gladium. *l.* 8. *§.* 11. *& l.* 31. *ff. De pœnis.* quamquam melior eſſet illorum conditio, qui damnati in ludum venatorium reſervabantur populi voluptatibus, ut diſcerent in theatro cum beſtiis pugnare, inſtruerentur ut purrchicarij, purrchicam, id eſt, pugnam equeſtrem ſuſcipere, & lethales ictus perferre, & cædes non expaveſcere. At damnati ad beſtias, protinùs laniabantur & conſumebantur à feris, vel intra annum conſumendi erant, ut ait Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 17. ibi Cujacius *& lib.* 13. *obſ. cap.* 10. hos beſtiis ſubjectos & ſervos pœnæ vocat J. C. *in l.* 9. *ff. De parricid. l.* 11. *§. ult l.* 29. *&* 31. *ff. De pœnis.* Sed hanc pœnam quam probaſſe videbatur Conſtantinus *in l.* 1. *C. Theod. ad l. Fabian.* ſuſtulit, atque prohibuit deinceps cruenta ſpectacula exhiberi, *l. un. ſupr. De gladiat.* * Eaque ſæpiùs in uſum revocata, tam gladiatorum, quàm beſtiariorum damnarunt Honorius & Theodoſ. Impp. Deinde Leo & Athemius *in l. ult. ſup. De feriis.* Poſtremò Juſtinianus, declarans juſtam cenſeri exhæredationis cauſam, quod filius ſe arenariis ſocium adjunxiſſet, & in ea ſocietate permanſiſſet, invitis parentibus. *Novell.* 115. *cap.* 3. *verſ.* 10. Itaque ſenſim Chriſtiana religione incrementum accipiente, cùm ob infamiam, nimiamve crudelitatem, tum ob ſumptus, qui magni fiebant, conquirendis feris ex longinquis partibus orbis, venatorium ſpectaculum in uſu eſſe deſiit. Amaya *ad l. un. h. t. num.* 76.

Remanſit tamen ex iſta feritate adhuc hodiè inter

(Margin numbers beside the body text: 1 at "ERat ludi ſpecies…", 2 at "* Qui verò…", 3 at "* Eaque ſæpiùs…", 4 at "Remanſit tamen…".)

Digitized by Google

ter Hiſpanos taurorum agitatio; Romanis etiam uſurpata, de qua Plinius *lib. 8. hiſtor. c. 45. Vidimus*, inquit, *de imperio dimicantes & ideò demonſtratos rotari cornibus, cadentes excipi, iterumque reſurgere, modò jacentes ex humo tolli, bigarumque etiam curſu citato, veluti aurigas inſiſtere.* Inviſa tamen prudentibus iſta taurorum agitatio, quia crudelis & periculoſa, nam ſæpè in lucta homines occiduntur, & à ſpectatoribus taurus fortior judicatur, quo plures homines dilaniantur: Ideoque inhumanum & infælix hoc certamen Pius V. Pontifex, graviſſimis pœnis & cenſuris coërcuit, licet eas poſteà Gregorius XIII. revocaverit, inſtante Philippo II. Rege noſtro, permiſeritque hoc ſpectaculum, dummodò diebus feſtis non fiat, exerceaturque ea dexteritate, ut mors alicujus non ſequatur. Proindè exiſtimo eos non peccare, qui viribus, celeritate & curſu, cum tauris certare conſueverunt, & in arenam deſcendunt ſive ſpontè, ſive pretio ſint ac dimicandum conducti; ſecùs dicendum de illis, qui ſine arte & viribus temerè cum tauris aut aliis feris congrediuntur, quia voluptatem ſaluti ſuæ præponunt, exponendo vitam evidenti periculo. Gutierrez *lib. 1. canon. cap. 7.* Mariana *De ſpectac.* Garzia *De expenſis cap. 21. num. 29.*

5 His præmiſſis explicanda Conſtitutio *unica hujus tit.* deſumpta ex Cod. Theod. *in l. 1. eod. tit. De venat ferarum.* in utraque enim Impp. Honor. & Theodoſ. omnibus concedunt facultatem occidendi leones præcipuè, quia omnibus nocere poſſunt, itemque feras agros vaſtantes, totique regioni damnum inferentes: quoniam ſalus & incolumitas provincialium neceſſariò præponenda eſt voluptati. Inde Ulpianus non eſſe notatum declarat, qui operas ſuas locavit, ut feras quæ regioni nocent venetur, vel ut depugnet & occidat extra arenam *l. 1. §. 6. verſ. ſed ſi quis ff. De poſtul.* indicans nemini licere feras vivas capere, retinere, aut vendere, abſque venia Principis. Quod & Amaya teſtimonio Symmachi *lib. 2. epiſt. 46.* probat, *in comment. ad h. l. un. De venat. fer. num. 36.* Nam deficientibus feris, venationes deficere & publica ſpectacula ceſſare neceſſe eſt, quæ tamen in magnum Principis commodum cedere ſolebant, ſiquidem iſtis ſpectaculis populum Princeps ſibi conciliabat, & gratum habebat, nihil enim gratius populo, quàm videre Principem ſuum lætum, & una lætari publicis ludis. De Romano populo dixit Juvenalis, *ſat. 10. verſ. 80. Duas tantùm res anxius optat, Panem & Circenſes,* ob idque ſtudioſius ludos exhiberi curabant Principes, & venationes ferarum non niſi publicè fieri permittebant: quibus & ipſi Principes avidè ſe exercebant, ut Antoninus Pius Imp. Alexander Severus, teſte Lampridio. & Adrianus Imperator ſcribente Dione, qui inter venandum, humeros & crus ſibi penè contrivit: & ſuperiore ſeculo Maximilianus I. Imperator graviſſimis vitæ periculis ſe objecit, dum per altiſſimas rupes, capras ſectaretur. * Certè digna Principibus eſt venatio, & inter eorum delicias referenda, ſi modus ſervetur. 6 Nam & corporis & animi vires ea roborantur, & bellica omnia exercentur. Diſcunt enim equitare, currere, atroces feras proſequi, æſtum, frigus, famemque pati. Ideò Plato *lib. 7. De legibus* optimam eſſe judicat venationem, quæ equis, canibus & corporis viribus peragitur, imò neceſſariam dico in provinciis ubi magna eſt ferarum copia, ne incolis damnum inferant, aut ne Principes nihil agendo, malè agere diſcant.

Quare meritò ſibi ſervant venationem, eamque 7 ſubjectis interdicunt, *per cap. nemo retia tit. De pace tenenda in uſib. Feud.* ne dulcedine hujus ſtudij avocentur à mercimoniis, & agricultura, atque continuo armorum uſu, bellum magis amplectantur. Venatio enim quoddam belli præludium eſt, quod & affirmat Cicero *2. De natura Deor. Immanes & feras belluas nanciſcimur venando, ut & veſcamur his, & exerceamur venando ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ*, quæ cauſa cur nobilibus, militaribus viris, ac ſolis divitibus, venatio permittatur, Clericis verò interdicatur omnis inquieta venatio, cum armis ſcilicet & tubis, aut per accipitres, caneſve quaſi ex profeſſo, hic enim tumultus non convenit modeſtiæ ordinis Eccleſiaſtici. *tit.* X *De cleric. venat.* Si enim promiſcuè omnibus permitteretur, non poſſent animantium ſpecies ſervari. Ut mirum non ſit ſi venatio Principum decretis reſtringatur; Nam quod aliqui exiſtiment eam non poſſe prohiberi, quod ſit juris naturalis, id intelligendum de iis quæ natura juſſit, vel vetuit; non etiam de iis quæ permiſit, & per inferiora jura mutari poſſunt. Inde liquet quod dominiorum (quorum jure naturæ erat communio) inducta ſit diſtinctio per jus gentium. Accedit quod eorum quæ nullius ſunt, diſpenſatio ſit penes Rempublicam, aut Principem, qui non immeritò ſibi hoc jus venandi ſervat in ſolatium curarum, & aliis benemeritis tribuit. Covarruvias *ad cap. peccatum 2. part. §. 8.* Fachinæus *lib. 1. controv. cap. 1.* Guitierrez *lib. 2. canonic. c. 18.* qui etiam docent poſſe Principem mortis ſupplicio afficere eum, qui ſæpiùs adverſus prohibitionem deliquit, non quidem ob feras captas, ſed ob ſui contemptum, & violatam legem. *l. 28. §. 3. ff. De pœnis.*

Præterea non ſolùm Princeps, ſed & quilibet pri- 8 vatus in ſuis prædiis venationem prohibere poteſt, aut quia conſenſum habet populi, vel quia conſuetudine, aut Principis privilegio id jus obtinuit. Quid ergo ſi dominus prohibuerit, ne quis ejus fundum ingrediatur, num feram quam venando cœpit ſuam faciat, an verò prædij domino teneatur reſtituere? Et veriùs eſt non teneri feram reſtituere, exemplo

Digitized by Google

exemplo commodatarij, qui à fure rem & pœnam exigens, non tenetur domino pœnam reddere, quia ſuo periculo eſt expertus. *l. fin. §. ſed & cùm Cod. de furtis.* Nititur hæc ſententia, naturali ratione, quæ vult ea quæ ante nullius erant, occupanti cedere, ſive in ſuo fundo feram cœperit, ſive in alieno, domino invito & prohibente, quia ejus prohibitio feram non afficit, nec facit ut ea ibidem exiſtens deſinat eſſe communis. Quoniam feræ quæ in terra gradiuntur, non terræ, cujus non cenſentur pars, cùm non hæreant terræ aut fundo, ſed aëris in quo ſpirant, conditione æſtimentur; atqui aër omnium eſt communis. Itaque prohibitus fundum ingredi, ſi feram vagantem cœperit, ſuam faciet, nec tenetur reſtituere. *l. 3. §. 1. ff. De acq. rer. domin.* Imò & ſi quas feras in ſylva circumſepta cœperit, jure gentium ejus eſſe incipiunt, quoniam relictę ſunt naturali ſuæ libertati, nec enim dominus ſylvæ feras
9 poſſidet. *l. 3. §. item feras 14. ff. De acq. poſſ.* * Eodem jure licet piſcari in ſtagno aut lacu alieno. *l. 13. §. ult. ff. De injuriis.* quia dominus lacus aut ſtagni, piſces qui naturali libertati relicti ſunt, non poſſidet. *d. §. item feras.* Atqui ſi poſſeſſor non eſt, nec dominus eſt, quia dominium ex naturali poſſeſſione cœpiſſe Neratius ait, ejuſque rei veſtigium remanere, de iis quæ terrâ, mari, cœloque capiuntur. Nam hæc protinus eorum fiunt, qui primo poſſeſſionem eorum apprehenderint. *l. 1. §. 1. ff. De acq. poſſeſſ.* Cujacius *lib. 4. obſ. cap. 2.* Sæpè autem reſcriptum eſt, non poſſe quemquam prohiberi, piſcari, aut venari, ſed tantùm ingredi fundum alienum. *d. l. 13. §. ult.* Nec fruſtranea omninò eſt iſta prohibitio, ſiquidem ſalva ſit domino actio injuriarum adverſus eum qui contempta ejus prohibitione, ingreſſus fuerit fundum, ſylvam aut piſcinam, venandi aut piſcandi gratia. *d. §. fin.* Attamen fera capta manet occupantis, quamdiu ejus cuſtodia coërcetur, cùm verò evaſerit, & in naturalem libertatem ſe receperit, deſinit eſſe occupantis, & rurſus cuivis alteri poſtea occupanti cedit. Naturalem autem libertatem tum demùm recipere intelligitur, cùm vel oculos noſtros penitùs effugerit, vel ita eſt in conſpectu, ut difficilis vel nulla ſit recuperandi ſpes. *§. fera Inſt. De*
10 *rer. diviſ. & l. 44. ff. De acquirend. rer. domin.* * Non itaque dubium eſt quin capta fera, fiat ſtatim capientis. Sed an vulnerata fiat vulnerantis, controverſia olim fuit, quam decidit Juſtinianus capientis eſſe, hac ductus ratione, quia à poſſeſſione dominia rerum incipiunt; poſſeſſio autem non eſt, niſi ejus qui rem apprehenderit. *l. 1. §. 1. ff. De acquir. poſſeſſ.* & ne eam apprehendat multa accidere ſolent & poſſunt, ut docui *in Inſtit. ad §. fera & §. illud.*

Porrò nihil intereſt utrùm fera manu ſit capta, an inſtrumento venatorio, ut retibus, plagis, laqueo. Etenim ſi ita implicata ſit fera laqueo, ut expedire ſe non poſſit, rectè ejus cenſetur qui laqueum poſuit, quoniam hic eam apprehendit & occupavit ſuo inſtrumento, adempta ei libertate naturali, quæ apprehenſio ſufficiens videtur, ut debeat illius cenſeri. Ut non rectè quidam ſentiant per *l. 55. ff. De Acquir. rer. domin.* feram eſſe eximentis, quaſi non aliter in poteſtatem veniſſe intelligatur, quam ſi apprehenſa manu fuerit: cùm etiam inſtrumento apprehendi poſſit, & noſtræ ſententiæ magis faveat, *d. l. 55.* dum non habitâ ratione diſtinctionum in principio poſitarum, concludit feram meam eſſe, ſi in meam poteſtatem devenerit, pervenit autem in meam poteſtatem, meo laqueo, ſeu inſtrumento, ac multò magis ſi illud affixum fuerit in terra mea, vel aliena, domini tamen permiſſu, quoniam tunc quaſi cuſtodia mea, fera detinetur, adeò ut ſi quis eam in ſuam naturalem laxitatem dimiſerit, teneatur mihi actione in factum, quia rem meam dimiſit, *d. l. 55.* Cujacius *d. loco.* Et hæc ſententia uſu recepta eſt. Nec ei adverſatur quod fera à te vulnerata, non aliter tua efficiatur, quàm ſi eam apprehenderis. *§. illud jus de rer. diviſione.* nam non æquè poteſt dici quis apprehendiſſe feram vulneratam, atque laqueo intricatam, ſiquidem quod inſtrumento ſuo tenet, occupaſſe videatur. * Atque id etiam inſpecta juris 11
naturalis, & civilis ratione, nam uſus hodiernus illi tribuit feram, qui vulneravit & perſequitur, etiam ingrediendo ſylvam alienam, abſque tamen flatu corniculi venatorij, & incitatione canum. Non inficior quin ferè ubique diverſus ſit venationis uſus, illum tamen magis probo, qui hanc prohibitionis interpretationem admittit, ut dominis rerum non prohibeatur venatio in ſuis ſylvis, nemoribus, paſcuis, dumetiſque propriis, modo abſtineant à majoribus, nigris & rufis feris: aliis verò ne quidem minimas venari liceat in alienis ſylvis, fundiſque ſine voluntate dominorum, iiſque prohibentibus. Prohibere autem videtur dominus ferarum venationem, ſi locum illarum concludat, nempè ſylvam macerie, vel ædificio jungat, ſi cunicularium, aut vivarium extruat. Sic Bartolus *in l. 26. ff. De uſuris l. 62. ff. De uſufructu.* non licere ait venari in cuniculario alterius, vocant garenam, vel in alterius ſaltu, prohibente domino, eique cedere quod captum fuerit, quia nemini licet fundum alterius ingredi contra domini voluntatem. Covarruvias *ad c. peccatum 2. p. §. 8.* Gutierrez *d. cap. 28.*

At uſufructuario licet aucupari & venari feras, 12
quæ ſunt in ſua libertate naturali, intra montes, ſaltus & nemora fundi fructuarij, neque aprum, aut cervum quem cœperit ad dominum pertinet, ſed ratione uſusfructus, ac jure gentium ſuum facit; & piſces quoque quos cœpit in flumine, quod per ejus fundum defluit. *l. 9. §. 5. & d. l. 62. ff. De uſufruct.* Si verò piſces in ſtagnis, & in vivariis feræ erant incluſæ quando uſusfructus cœpit, poterit quidem uſufructuarius eas exercere, non item occidere & nume-

Digitized by Google

numerum diminuere, quem integrum domino proprietatis ſervare debet, *d.l.62.§.1.*

13 Itaque, ut in agris liberè venari non licet, ita nec in flumine publico piſcari, adeò jus gentium quod id permittit, *§. flumina de rer. diviſ.* mores hodierni ſubegerunt. Manet quidem uſus fluminis communis, ſed fructus, id eſt, piſces, piſcationeſve, quæ fiſco pro conceſſione juris piſcandi debentur, ad Principem pertinent, ut jam non ampliùs de jure quærendo, ſed de quæſito tuendo diſceptetur. Quod ſi enim quis in alicujus fluminis publici diverticulo, ſolus piſcatus diu fuerit, quaſi ibidem juris piſcandi poſſeſſionem acquiſierit, alios prohibere poteſt, ne iſto diverticulo utantur, *l.7. ff. de diverſ. & temp. præſc.* potiore ratione Princeps, diuturno uſu, & immemoriali præſcriptione, tempus & modum piſcationi in fluminibus ſtatuit, qui fiſco ſuo commodus, & nulli injurioſus ſit, præſertim populo tacitè conſentiente.

Curare enim fiſcus debet, ut ærarium publicum quantum fieri poſſit, ſine ulla popularium injuria augeatur, quod non erit difficilè ſi piſcationes omnes publicè locentur, venationumque emolumenta in ærarium deducantur, Suadet Bornitius *lib. 1. de ærario cap.* 4. ut Principes uſum ferarum ad jus gentium revocent, jure tamen regali illibato ſibique vectigali in ſingula capita reſervato.

14 Obſervandum autem hic, prohibitionem venationis, non extendi ad feras, quæ hominibus nocere poſſunt, ut habet *l.un.h.t.* neque ad eas quæ frugibus vel pecudibus damnum inferre ſolent: permittendum enim ruſticis fruges & pecudes ſuas defendere ab incurſu ferarum *c. nemo retia de pace tenenda.* Adeoque venatio talis potiùs præmiis excitanda eſt.

15 * Quamobrem ſi præmium propoſitum fuerit occidenti leonem, ſi occiderit leænam gravidam, eum duplici præmio afficiendum eſſe ſunt qui affirmant, quaſi duos pluresve leones occiderit, extinguendo fœtum, cum leæna, antequam nocere poſſet. Tradunt ſcriptores rerum naturalium, leænam primo partu parere quinq; catulos, ſecundo quatuor, tertio tres, quarto duos, tandem unum, & nunquam plures. Negantium tamen opinio verior, unicum præmium deberi, cùm illud proponatur ſolùm ad remunerandum induſtriam, quæ major utique non fuit propter fœtum, qui etiam non cenſetur eſſe animal quamdiu in utero eſt, Medices *de venat. p. 2. c. 14.*

16 Cùm igitur publicè interſit ne animalia damnum hominibus & frugibus inferant, ideò Impp. Honorius & Theodoſius præcipiunt, ut leones, leopardi, aut aliæ feræ beſtiæ, quæ à Ducibus limitum imperij, ad aulam tranſmittuntur, non plus quàm ſeptem diebus, intra ſingulas civitates detineantur, cùm ob periculum ſi contingat feras caveis elabi, & cives incautos occidere, tùm ob ſumptum, quem præſtare ſolent civitates per quas hujuſmodi beſtiæ tranſeunt, ne nimium graventur, *l. un. h. t.* ibi Platea & Amaya.

Hinc nota animalia quæ ad voluptatem Principis & populi mittuntur, alenda eſſe ex publico, ſeu ſumptibus civitatum, illo tempore quo ibi in cuſtodia detinentur, uti Florentię & Gandavi, ubi perpetuò leones aluntur, quod Gandavi ſint, in cauſa eſt (ut opinor) quod clypeus Flandriæ leonem habeat, & quaſi maxima ſit provinciarum Belgicarum, quę ſola potentiſſimis ſemper hoſtibus reſtitit. 17

TITULUS XLV.

De Majuma.

1. *Majuma ludus obſcœnus, exercebatur menſe Majo in aquis juxta opinionem Suidæ.*
2. *Rejicitur iſta opinio; & probatur hunc ludum ſpeciem habuiſſe matrimonij & adulterij.*
3. *Matrimonium per meretrices nudas repræſentabatur, conſummabatur adulterium, & alij fœdi ludi fiebant prout in feſto Floræ.*
4. *Majumæ ludi ante prohibiti, iterum reſtituti, ſi in his caſtitas & honeſtas ſervetur.*
5. *Spectacula quæ bonis moribus obſunt, magiſtratus tollere debet.*
6. *Admittere verò debet honeſta civium exercitia, & publicas feſtivitates.*
7. *In Hiſpania quomodo etiam nunc Majumæ feſtum celebretur?*

MAjuma erat feſtivitas, quæ ſumma cum lætitia, laſciviaque celebrabatur. Nam Romani, cum urbis Conſule maritimam urbem Hoſtiam adeuntes, in æde Caſtorum priùs ſacrificia, à Claudio Cæſare inſtituta, faciebant; deinde inter aquas voluptatibus incumbebant, invicem ſeſe invadentęs, & aqua aſpergentes Ita Alciatus hic & Lipſius *in Tacitum l. 10.* ex Suida referunt. 1

* Sed aliis non videtur hic ludus exerceri potuiſſe menſe Majo, quo adhuc nimium frigida aqua eſſe ſolet. Ita ut veriorem exiſtimem interpretationem D. Amayæ, ex Baronio aliiſque optimis auctoribus ſumptam, *lib. 3. obſ. cap. 5.* quod cum Majus infauſtus menſis Romanis crederetur, ob Remi necem alioſve funeſtos caſus, nec eo menſe virgines nuberent. Ovid. 5. *Faſtor.* 2

Menſe malas Majo nubere vulgus ait.

& alio loco, *quæ nupſit non diuturna fuit.* Introductum per luxum & laſciviam, ut inter mimos & meretrices nudas, in theatris Romæ, nuptiarum celebraretur ſolemnitas, ac ſub matrimonij ſimulatâ ſpecie, adulteria perpetrarentur, exercerenturque, flagitante populo miri ſaltus, & impudici joci, quales & in Saturnalibus, & Floralibus nudæ meretri- 3

ces

Digitized by Google

ces celebrabant, de quibus graviter Lactant. *l. 1. divin. inſt. c. 20. Nam præter verborum laſiiviam, quibus obſcœnitas omnis funditur, exuuntur etiam veſtibus meretrices, & in conſpectu populi, uſque ad ſatietatem impu-*
3 *dicorum hominum cùm pudendis motibus detinentur.* * Similiter in fœdo Majumæ ſpectaculo, ſpecie conjugij adulteria vera peragebantur, aſſignabatur locus, ſternebatur lectus, proponebatur à præcone quæſtus & elogium, ſive laus formæ meretricis, ut etiam ſpectatores ad libidines invitarentur, & conjugati proprias deſpicerent ſponſas, domum redeuntes, in quos invehitur Divus Chryſoſtomus relatus à Baronio *Tom. 5. annal. anno Chriſti* 399. *Non metuis, non expaveſcis, dum oculis, quibus illic lectum, qui eſt in orcheſtra, ſpectas, ubi deteſtandi adulterij fabulæ peraguntur, iiſdem hanc ſacram menſam intueris? Dùm iiſdem auribus audis, & ſcortum obſcœnè loquens & Prophetam? An non ſunt hæc vitæ ſubverſio, & conjugiorum corruptela? Cùm enim ſpectaculis illis diſſolutior ac mollior, laſciviorque omniſque pudicitiæ hoſtis factus demum redieris, uxoris aſpectus minùs erit jucundus, qualiſcumque illa fuerit, ſiquidem inflammatus illâ concupiſcentiâ, quam in ſpectaculis hauſiſti, & ab illa ſpectatione, quæ te dementavit, captus ſobriam &*
4 *modeſtam uxorem deſpicis, &c.* * Cùm ergo fœdum Majumæ ſpectaculum, pudicos civium animos ad libidinem incenderet, ad adulteria & ſcelera invitaret, excitaretque ad perdiſcendos obſcœnos cantus, & ſaltus turpes, qui etiam ſoli mutationem Reipubl. portendunt, ut ex Platone *lib. 4. De Republica* refert Cicero *lib. 2. De legibus.* prudenter non minùs quàm piè Imperatores Arcadius & Honorius illud exerceri prohibuerunt, ac ſolum conceſſerunt ludicras artes agitari, ne ex nimia harum reſtrictione, triſtitia inter cives ſpectaculis aſſuetos, generaretur. *l. 2. Cod. Theod. hoc tit.* Poſtmodùm alia conſtitutione, quæ eſt *l. un. hujus tit.* Majumæ ſpectaculum retinuerunt, ita tamen ut ſervetur honeſtas, verecundia caſtis moribus perſeveret; quaſi dicerent, honeſtatem & caſtitatem vinculum eſſe Reipublicæ, proinde abſtinendum eſſe omnibus iis, quæ ſunt irritamenta malorum, amovendum ignem à ſtipulis, ne incendium excitetur.

5 Curet igitur Magiſtratus, ut ſpectacula quæ bonis & pudicis moribus obſunt, omninò è Republica tollantur, amatoria & turpia ne cantentur, aut choreæ obſcœnis corporum motibus ducantur; turpiloquium enim & libidinoſi geſtus, illecebræ ſunt voluptatum, & jacula cordi infigunt, nunquam non cruenta. Quare hiſtriones præſertim externos, & ex corruptis regnis advenas, non facilè admittat, admiſſos tamen ſi obſcœna egerint coërceat, aut expellat, nec quidquam ab iis accipiat, ne connivere videatur, & ex re turpi lucrum quæ-
6 rere. * Antiqua potiùs ſpectacula & exercitia civium in uſum revocet, quæ videlicet ad virtutem excitent, & honeſtè omnes recreent. Hinc prudenter Belgarum Principes, collegia declamatorum, & jaculatorum, per diuturni belli turbas intermortua reſtituere. Zypæus *De Judice lib. 3. c. 4. n. 7.* In aliis regnis & provinciis reſtitutæ quoque ſunt publicæ lætitiæ, feſtivitates, ludi, joci, exhiberi ſoliti ſub initium Maji, ac per totam æſtatem in civitatibus & ruri, propter ſpem futuræ meſſis, quam iſte menſis proximam hominibus oſtendit. * In 7
Hiſpania tota præter publicas feſtivitates, taurorum agitationes, equorum curſus, haſtatorum ludos, in majoribus civitatibus ſumptu publico privatove exhiberi ſolitos, Majumæ quoque ſimulacrum Kalendis Maji, ac aliis deinceps ejuſdem menſis feſtis diebus honeſtè repræſentatur, per puellas ſplendidè ornatas, quas vulgò *Majas* vocant, pro foribus loco elatiori ſedentes, aliis adſtantibus tympana, cytharaſque pulſantibus. Item aliis in locis Hiſpaniæ, una ex pluribus puellis forma elegantiori, veſte pretioſa, gemmiſque ornata, præcedit, comitantur illam aliæ quæ à tranſeuntibus dona, pro ſua *Maja* expoſcunt, quam caſtæ Majumæ feſtivitatem ad hodiernum uſque diem celebrari per puellas quæ ex infantia exceſſerunt, referunt Benedict. Ægidius Luſitanus *tract. De honeſtate art. 1.* & Garzia Toletanus *in rubricarum lucerna ad h. t. n. 3. Donde las muchachas ſe viſten de mayas, y ſe ponen en lugares publicos, pidiendo para la maya, à los que paſſan y corren el mayo.* grandiores aut puberes non ſe præbent conſpiciendæ, ne aſpectu tranſeuntium hominum, honeſtas & pudicitia violetur, quam publicæ lætitiæ præferri vult diſpoſitio legis noſtræ, de qua eleganter ſcribit Franciſcus Amaya *d. l. 3. obſerv. cap. 5.* præter Lucam de Penna & Joannem de Platea, aliquid etiam attigit Galganetus *De jure publico lib. 4. tit. 44. n. 12.* alium luſum referens Romæ excitari ſolitum à juvenibus, primo die Maji, & altiſſimam quercum erigi, variis volatilibus & eſculentis onuſtam, quam non ſine certamine juvenes & diſcrimine conſcendere, appenſaque volatilia auferre conantur. Obſervo quoque primum menſis Martij diem, religioſe Romæ celebratum fuiſſe ab amantibus & maritis, illi ut à puellis, hi ut ab uxoribus gratiam inirent, miſſa dona & unguenta & cibaria eo die declarat Pomponius *in l. 31. §. fen. ff. De uſuris.* videatur Gualterius, Horatij interpres *ad Od. 8.* cui initium eſt *Martiis cœlebs, quid agam Kalendis, lib. 3. carm.*

TITULUS XLVI.

Ut armorum uſus inſcio Principe interdictus ſit.

1. *Continuatio, & quid armorum appellatione veniat?*

Digitized by Google

2. *Quomodo hic arma accipiantur, & quæ ſit ratio prohibendi armorum uſum.*
3. *Arma habere non licet, niſi ad uſum venationis, itineris, aut negotiationis cauſa.*
4. *Inventus cum armis, an pœnam incurrat, ſi cum illis apprehenſus non ſit?*
5. *An fugiens cum armis ad propriam domum poſſit inde extrahi, & armis ſpoliari?*
6. *Fugiens ad Eccleſiam cum armis, illis ſpoliari poteſt, licet non poſſit inde eximi?*
7. *Arma noctu juxta aliquos inventa, an cenſeantur eſſe illorum penes quos jacent?*
8. *Nobilibus & qui ſunt in ſervitio Principis permiſſum arma geſtare.*
9. *Item civibus implorare officium judicis ut arma iis portare liceat, ſi timeant offendi.*
10. *Arma non deferuntur in locum judicij, ſecùs ſi judicium non reddatur vel abſente judice.*
11. *Pœna augetur ſi coram Principe diſtringantur arma ad feriendum.*
12. *Diſpoſitio hujus legis comprehendit etiam clericos arma geſtantes.*
13. *Permiſſum civibus domi arma retinere quibus ſe defendant adverſus hoſtem.*
14. *In Belgio ſunt armatorum collegia ſacramento obſtricta, ſeditionibus compeſcendis utilia.*
15. *Alter ſenſus hujus Conſtitutionis eſt, nulli licere inſcio Principe arma movere, moventes puniri graviſſimè.*
16. *Supremo Principi licet bellum indicere. Cum rebellibus, latronibus, piratis non eſt bellum, nec illi jure belli agere poſſunt.*
17. *Inter ſupremos Principes bellum eſt, non inter inferiores.*
18. *Injuſta belli cauſa, ampliandi imperij, aut metus vicinæ potentiæ. Si immineat neceſſitas pugnandi, id fiat in agro hoſtili.*
19. *Juſta cauſa ſunt, rebellio, contemptus Principis, oppreſſio, invaſio, religionis & ſociorum defenſio, quæ prudenter ſuſcipienda.*
20. *Bellum offenſivum non facilè ſuſcipiendum, & graviſſima eſſe debet injuria & oppreſſio.*
21. *Omne bellum pacem reſpicit, ut finem ſuum.*
22. *Pax ſecura, firma & honeſta amplectenda.*
23. *Quis poteſtatem habeat faciendi pacem?*
24. *An & adminiſtratori provinciæ id ſit conceſſum.*
25. *In libera Republ. bellum indici & pax iniri non potuit inconſulto populo.*
26. *Hodiè penes ſolum Principem eſt hæc facultas, qui ut pacem obtineat, damna belli remittere poteſt.*

1 DE gladiatoribus tollendis, qui oſtentationis gratia ad interitum uſque certabant, dictum eſt ſupra; nunc de omni motu & uſu armorum inter quoſcumque. Armorum appellatio, non tantum ſcuta & gladios & galeas ſignificat, ſed & fuſtes & lapides. Arma itaque ſunt diverſa, alia magis ad tegendum, alia ad nocendum; atque armati dicuntur, non hi ſolum qui ſcutis, teliſque parati ſunt, ſed & qui quavis alia re nocere poſſunt, & impetum in alium facere, ſive gladio, ſagitta, conto, lancea, ſclopo, ſive etiam fuſte & lapide. *l. 9. ff. ad l. Jul. de vi publ.* Quo fit ut qui glebis, aut ſaxis, aut fuſtibus aliquem de fundo præcipitem egerit, interdicto de armis teneatur, *l. 11. §. 1. ff. d. t.*

Verum apud Juſtinianum *in Auth. de armis.* tam 2
generaliter arma non accipiuntur, ſed ea tantum videtur comprehendere, quæ militantibus uſui eſſe poſſunt; nam conſuetudo vulgaris ſermonis hoc hodie habet, ne fuſtes & lapides armorum nomine contineantur, ſic ſi verba ſpectemus, nulla dubitatio eſt, quin ſecundùm iſta, intelligamus reſcriptum Valentiniani Imp. quo omnibus armorum uſus interdicitur, non petita à Principe venia, *l. un. h. t.* Ratio interdictionis ea eſt, quod in optima Republica nihil prius eſſe debet, quam ut perfectam abſolutamque habeamus eam conſuetudinem, quam nos humana natura docet, per quam bene beateque in civitate vivitur, qua ſane vita noſtra videtur eſſe munitior. Arma igitur ſi cuilibet permittantur, futurum eſt ut promptiores ſint animi hominum ad bella, & ſeditiones, quibus vel affliguntur civitates, vel corruunt.

Unde ante L. Juliam, ut nonnulli obſervant, 3
extra urbem, ſed non in urbe arma habere licuit. Cicero pro Milone, *Inſidiatori vero & latroni, quæ poteſt afferri injuſta nex? quid comitatus noſtri? quid gladij volunt? quos habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret.* Lex autem Julia vult eum teneri de vi publica, qui arma domi ſuæ, in agro, aut villa præter uſum venationis vel itineris, vel navigationis coëgerit, promercij cauſa habuerit, quæve delata hæreditate ei obvenerint. *l. 1. 2. ff. ad l. Jul. de vi publ.* Et licuiſſe adhuc Martiani tempore arma promercij cauſa habere colligitur *ex l. 2. ſup. quæ res expor. non debent.* quæ vetat ea barbaris vendere. Tandem novis conſtitutionibus armorum uſus, privatis penitus interdictus eſt, eorumque promercium, adeo ut ſi quis extra cauſam itineris arma deferat, (multis in locis) in carcerem conjiciatur, vel corporali pœna afficiatur, torqueaturque niſi auro argentove numeratis hanc pœnam redimat.

Sed hunc rigorem, & ſummum jus, moderatur 4
æquitas, quæ non ſemper arma amitti, aut pœnam graviorem incurri vult, propterea quod quis dicatur geſtare arma; niſi cum illis reperiatur tempore prohibito, aut illis accinctus comprehendatur; ſicuti cum ſtatuto cautum eſt, ne mulieres certę conditionis portent veſtes ſericas & monilia, interpretamur id ſi inventæ & captæ fuerint indutæ his prohibitis veſtibus, Doctores *in l. ſi barſatorem C. de fidejuſſ.*

Digitized by Google

juſſ. Ex quo textu rationem ſumunt, ut qui adſtrictus eſt latronem quærere, non ſit immunis, niſi eum captum exhibeat. Similiter apparitor apprehendere & exhibere armatum debet, nec ſufficiet dicere & probare teſtibus eum, ſe vidiſſe arma deferentem, aut reperiiſſe cum armis hora prohibita. Covar. *in pract. qq. c. 33. num. 7. in fin.* quem ſequitur Jul. Clarus, *in pract. crim. §. fin. q. 82. ſtatuto 6. num. 2.* Gomez *ad l. 45. Tauri num. 48.* niſi lex aut ſtatutum diſponant aperte poſſe procedi per inquiſitionem contra inventum cum armis, etiam ſi captus non ſit. Ita Farinacius *in praxi crim. q. 108. num. 133.*

5 Quid ſi apparitor armatum aliquem conſpexerit, domum ſuam fugientem, an illum inde extrahere, & armis privare poſſit? neutrum licere ſentio, quia domus cuique ſua tutiſſimum receptaculum eſſe debet *l. 103. ff. de reg. jur.* ſeu ut loquitur Cicero *in Oratione pro domo ſua*, profugium ita ſanctum omnibus, ut inde neminem abripi fas ſit, ac qui inde abducit, vel armis ſpoliat, vim atque injuriam intuliſſe cenſetur, quoniam injuria eſt, ſi domum cujuſdam vi quis ingrediatur. *l. 18. ff. de*

6 *in jus voc. l. 5. & l. 25. ff. de minor.* Porro fugientem cum armis prohibitis in locum ſacrum, quin illis privari poſſit non dubito, cum vere delinquat qui geſtat arma prohibita, & quorum uſus, tam in Eccleſiis, quam foris clericis, & ſecularibus perſonis vetitus eſt. *l. un. h. t.* licet Farinacius *in praxi p. 1. q. 28. n. 44.* dicat eximentem ſe è manibus apparitoris, & in Eccleſiam ſe recipientem non poſſe ab ea extrahi, & ad carcerem duci. Idem ſenſit Decianus, *lib. 6. c. 28. num. 29. & 32.*

7 At quid ſi apparitor noctu plures repererit inermes, & juxta illos arma? exiſtimo eſſe immunes à pœna legis, vel ſtatuti, ſiquidem deprehendi non poſſit, utrum illorum ſint, & pœna extendi non debeat, potuit enim alius qui non erat præſens, arma ibi relinquere, niſi forte tot ſint gladij, vel bombardæ, quot perſonæ æquè ſint criminis ſuſpectæ, quia tunc cum armis cenſentur inventæ, ob violentam præſumptionem, quæ oritur ex numero armorum & conditione perſonarum. Farinacius *in praxi crim. tom. 3. q. 108. num. 158.* aſſerit plures noctu inventos, ſi juxta illos unicus reperiatur enſis in terra, & omnes negent ſuum eſſe, non teneri pœna legis, ſecus ſi penes unum unicus gladius reperiretur. Decian. *lib. 8. cap. 4. num. 12.*

8 Cum igitur nulli prorſus inconſulto Principe, arma geſtare liceat, ut hic reſcriptum extat, eam ob rem adeundus erit Princeps, qui cauſa cognita facile id permittit nobilibus viris, quorum maxime explorata fides eſt, atque hujus rei exemplum præbuit Anaſtaſius Imp. qui propoſitis, ſacri cubiculi, cingulo uti, nec non arma portare conceſſit, quoties ad agros ſuos abſcederent, *l. fin. infr. de prapoſ. ſacri cubic. Cum hoc ad implendum eorum deſiderium, & ad nullius læſionem reſpicere videretur.* Hodie etiam non petita venia, ex inveterato more; nobilibus, & militibus licet armis uti, quovis loco & tempore, item iis qui in Principis aula commorantur, & ejus ſervitio ſunt obſtricti, qui aulici & curiales appellantur. Placa *de delict. cap. 8. num. 14.* * Quandoque etiam civibus & aliis, 9
ad tempus concedi ſolet, ab urbium præfectis armorum geſtatio, ſi adverſarios timeant, eoque caſu magiſtratus cogere conſuevit eum qui minatur offendere, fidem publicam præſtare, quam vocamus ſecuritatem vel ſalvam guardiam: cur eam à Judicibus petamus, hæc cauſa fuiſſe videtur, quod ad religionem præſidis provinciæ pertineat, ne potentiores viri humiliores injuriis afficiant, *l. 6. §. 2. ff. de offic. præſid.*

Dixi nobilibus licere arma geſtare quovis in loco, quod intellige niſi locus ſit judicij, aut publicæ congregationis; Quomodo Charondas Tyriorum Princeps lege cavit, ne quis cum ferro in concionem prodiret, & tranſgreſſor legis capite damnaretur: Ac cum ipſe legiſlator tranſgreſſus eſſet, protinus ferro quod habebat diſtricto incubuit, atque ita è vita deceſſit, teſte Valerio Maximo, *lib. 6. cap. 5.* & Cælio Rhodigino, *lib. 10. antiq. lect. c. 19.* Cum tamen pœnali legi non obſtringi legiſlatorem ſupra dixerim, *De legib.* & Coraſius *ad l. 31. ff. De legib. n. 3.* Moribus quoque gentium non licet prætoria, in quibus jus redditur populo, cum enſe alióve telo ingredi, tempore nimirum quo judices pro tribunali ſedent, & jura reddunt, ſecus iis abſentibus, aut finito judicio. 10

Amplius Baldus affirmat *in l. 2. ff. De auro & argent. leg.* licet ſtatuto prohibeantur nobiles ingredi palatium poteſtatis, ſeu Prætoris, ſub pœna mille aureorum, nihilominus poſſe eos ingredi, abſque ulla pœna, quoties contingit Prætorem abeſſe, cum etiam præſente Principe, nobiles arma geſtare nunc poſſint, at capitale, coram eo vel in palatio gladios evaginare ad aliquem percutiendum, etiamſi non læſerint. 11

Item hæc Conſtitutio clericos, arma geſtantes comprehendit, nam etiamſi in ea non fiat mentio clericorum, quia tamen publicam ſpectat utilitatem & quietem, omnes lex iſta obligat, & ſua pœna conſtringit, quæ tamen à clericis exigi debet per judicem Eccleſiaſticum, cui ſoli ſubſunt. *c. 1. §. ſi clericus de pace tenenda lib. 2. feud.* Licet in Gallia etiam ſecularis judex clericos armatos pœna pecuniaria coërceat, ut refert Chaſſaneus *ad Conſuet. Burgund. rub. 1. §. 5. verſic. Archidiaconus numer. 79.* In Hiſpania vero non alia pœna afficiuntur, quam quod arma à miniſtris judicis ſecularis illis 12

illis eripiantur, & rectè, expedit enim clericos inſolentes à quovis judice reprimi, ne impune graſſentur, & ſcelera ab iis liberius perpetrentur in Reipublicæ detrimentum & Eccleſiaſtici ordinis opprobrium. Covar. *lib. 2. var. reſol. c. 20. in fin.*

13 Atque hæc de uſu armorum interdicto. Cæterum armorum retentio, & aſſervatio, omnibus civibus permiſſa ſemper fuit, præſertim in cujuſque provinciæ limitibus, ut facilius eos quiſque ſuis armis adverſus hoſtium, aut prædonum incurſus tueatur. Si dicas ſatius eſſe non omnibus, ſed certis civium centuriis arma permittere. Id certe non probo, nam quid ſi hoſtes civitatem invadant, omnes ad arma clament, ſoliſne illis prodeundum, quibus arma domi retinere conceſſum eſt, & ad quæ forte minus idonei, & expediti fuerint? Si enim cuilibet arma permittantur, multo plures ac magis induſtrij cives qui civitatem ſuam defendant, reperientur, nec futurum periculum ut alter ab altero opprimatur; at è contrario una animorum benevolentia, mutuoque affectu patriam conſervabunt.

Hinc Belgæ, durante civili bello, vetuerunt, ne
14 cives arma deponerent, ſed tutandis mœnibus & limitibus ſumpta hactenus retinerent. Quin & in pace collegia habent (gilden vocant) peculiari ſacramento Principi obſtricta, quorum uſus ſæpe compeſcendis ſeditionibus fuit ſalutaris, juvandis etiam in bello Principibus, & magnis olim rebus conficiendis utilis, ut ſcribit Franc. Zypæus *De judice lib. 3. c. 9. num. 41.* ita ut tam belli, quam pacis tempore ex collegiis iſtis, item vaſallis & cenſualibus viris homagio obſtrictis, juſtum exercitum Belgarum Principes ſemper in promptu habuerint, antequam ſtipendiarios milites ob continuum belli diſcrimen admiſiſſent.

15 Porro ex altero Conſtitutionis ſenſu & verbis, colligi poteſt, armorum movendorum copiam, non niſi juſſu Principis tribui. *l. un. h. t.* Quo fit ut præſidi provinciæ, vel cuilibet habenti merum imperium, non ſit poteſtas arma movendi, ut nec olim Conſuli fuit, ante Legem Regiam, multo minus privatis, hi enim ſi arma moverint, militem legerint, exercitum conſcripſerint, rei fiunt majeſtatis, quoniam ſemper in illis injuſta belli cauſa præſumitur, ut ait Gail. *De pace publ. c. 4. num. 4.* Albert. Gentil. *lib. 1. De jure belli c. 3.* Soli itaque Principi, penes quem majeſtas eſt, arma movere,
16 & bellum ſuis hoſtibus indicere licet. * Dico hoſtibus, quia cum latronibus, piratis & rebellibus proprie bellum non eſt. *l. 118. ff. De verb. ſignif.* Etenim iſti delinquendo, aut rebellando, non ſe ſubtrahunt à juriſdictione, vel ſubjectione juris. Bald. *in l. 63. ff. ad l. Falcid.* ubi Paulus ait quod delinquendo nemo fiat pretioſior, ac ſi diceret, non fieri liberum excuſſo domini jugo. Unde rebelles jus belli gerendi non habent, quia hoc jus à jure gentium eſt, quod nulli niſi hoſtes ſibi arrogant. Quare ubi armis cum rebellibus certatur, magis eſt executio juriſdictionis & perſecutio, quam verum bellum. Hinc jura belli, captivitatis & poſtliminij, quæ hoſtibus tantum conveniunt, non poſſunt rebellibus, ſicut nec piratis, aut latronibus convenire, adeo ut nec ipſi jure belli agere queant, ideoque dominium rerum captarum non acquirunt, quod hoſtibus tantum tributum eſt. *l. 19. & l. 24. ff. De captivis.*

Publica ergo arma, & utrimque Principes eſſe 17
oportet, aut liberos populos, qui bellum gerere & indicere poſſint, quia ex neceſſitate bellum introductum eſt, inter eos qui non agnoſcunt ſuperiorem, non inter inferiores, qui loco privatorum cenſentur, & judicem habent aut habere poſſunt, qui inter eos diſſidia componat, & jus reddat. Item juſtam ob cauſam arma ſuſcipi debent, ne homicidium quod admittunt ſinguli, crimen fit.

Juſta vero cauſa non eſt dominandi, ampliandi- 18
que imperij libido, quam impius Machiavellus probat *in ſuo Principe*, non cupiditas fertilioris agri, melioris ſoli, aut majoris emolumenti ſpes: Nam ſalvo jure illæſaque honeſtate fieri non poteſt, ut aliena rapiantur, & occupentur. Denique juſta belli cauſa non eſt, metus vicinæ potentiæ, niſi certo prævideat & conſtet ſe à vicino invadendum, quia tunc præſtat futuræ invaſioni occurrere, quam præſentem vim exſpectare. Cùm ſecundum Paterculum, nemo celerius opprimatur, quam qui nihil timet. His addo, quod tanto audacius pugnaturus ſit miles in hoſtili agro, ubi nullum eſt refugium, quanto major ſpes, majorque animus inferentis bellum, quam arcentis. Quæ cauſa, cur Vocula exercitum ſuum in hoſtili agro hoſpitari ſemper voluerit, *ut præda ad virtutem incenderetur.* Tacitus *lib. 4. hiſt.*

Contra juſta cauſa fuerit belli inferendi, contu- 19
melia & rebellio in Principem: Neque enim ludibrio majeſtatem habere decet. Item oppreſſio & invaſio Reipublicæ, cujus ſalus rebus omnibus præferenda. Juſtè quoque bellum ſuſcipitur, pro ſecuritate ſociorum injuſte afflictorum. Cum dicat Divus Ambroſius *lib. 1. offic. cap. 37.* illum qui injuriam à ſocio non depellit, tam eſſe in vitio, quam ſi parentes, aut patriam deſerat. *c. non in 23. quæſt. 3.* Idem enim exigit naturæ vinculum, quod homines ad mutuam defenſionem copulavit. *l. 3. ff. de juſtitia & jure.* quod *Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Sed hic magna adhibenda eſt prudentia, num è republica ſit aliorum ſe implicare difficultatibus, ne temere alienum periculum faciamus noſtrum, aut plane in eo nos ipſos conſumamus & exhauriamus: & ſi juvandi ſint ſocij, aut vicini, id fiat armis, non auro; ſubſidia enim pecuniaria largientem enervant, & quo ſunt majora eo minus

Digitized by Google

minus continuari poſſunt, nam remanent apud eum qui accepit, armorum vero ſubſidia ad eum qui miſerat revertuntur.

Item pro fide ac religione juſtè bellum geritur, quale ſuſcepit Conſtantinus contra Maxentium & Licinium, teſte Euſebio, *lib. 9. hiſt. Eccleſ.* Et bella quæ nunc contra infideles & hoſtes religionis, à Chriſtianis Principibus ſuſcipiuntur, omnium maxime juſta ſunt; Quamquam non ſemper eorum prima cura eſſe ſoleat religionis; pia tamen ejus cauſa eſt, quam qui ſincero animo tuentur, Dei cauſam propugnare cenſentur. Denique ſemper juſtum eſt bellum iis, quibus omnino neceſſarium; ſemper pia arma, quibus nulla niſi in armis ſpes
20 vitæ poſita eſt. * At vero offenſivum bellum non ſemper eſt juſtum, quare non facile ſuſcipiendum, ſed deliberandum diu, priuſquam inferatur, num juſta cauſa ſubſit, nam ob injuriam levem, & quæ honeſte ſarciri poteſt, arma movere non oportet: Satius enim eſt nonnunquam jure ſuo cedere, quam bello periculoſe decertare. Unde qui nulla vel exigua cauſa, hujuſmodi bellum excitat, aut ſuſcipit, cædium, furtorum, latrociniorum, raptorum, adulteriorum, omnium denique damnorum reus eſt. Imo ipſe prædo & latro eſt, non hoſtis, ſic Lucanus & Seneca *lib. 1. de benef.* Alexandrum Magnum orbis terrarum prædonem vocant.

21 Poſtremo ut bellum indicere Principis proprium eſt, ita quoque idem finire, quod fit pace, eo enim fine ſuſcipitur, ut pacem habeat voluntas, bellum neceſſitas, *c. noli 23. 4. 2.* nam non pax quæritur ut bellum excitetur, ſed bellum quæritur, ut pax acquiratur, eaque non brevis, illa enim ad nihil prodeſt aliud, quam ut coacerventur ligna, ut bellum incendatur, eadem incommoda induciæ paucorum annorum ſecum adferunt, ſolum enim iras tantiſ-
22 per ſuſpendunt & ſpacium dant enſes acuendi. * Pacem ſecuram, firmam & honeſtam amplecti oportet, quantumvis victricia ſint arma, aut magni ſperentur progreſſus; varij enim ſunt belli eventus, & felices ſucceſſus facile in deteriores degenerant; *melior tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria.*

23 Illam, ut dixi, ſolus Princeps facit, inducias certis temporum limitibus circumſcriptas, Dux exercitus vel legatus Principis, quod ſi hic pacem fecerit, non prius videbit, quam illam Princeps ratam habuerit, ne forte Principem aut populum iniquiſſimis conditionibus obliget. Nam turpi paci ſemper præferendum eſt bellum. Quamobrem fines
24 mandati accuratiſſime ſervet oportet. * Quin etiam adminiſtrator Reipublicæ (quamvis mandatum generale, & cum libera poteſtate habeat) pacem, inconſulto Principe, valide concludere non poteſt, *c. qui ad agendum de procur. in 6.* Ex quo apparet ea quæ requirunt ſpeciale mandatum, non tranſire in alios, quamvis plena & libera eis rerum poteſtas conceſſa ſit. Et quanquam procuratori cui libera adminiſtratio rerum eſt commiſſa, permittatur pactionem inire, & paciſcendo poſſit domino nocere, *l. 12. ff. de pact.* Itemque jusjurandum deferre, quod ſpeciem habet tranſactionis, *l. 2. ff. de jurejur.* Alia tamen eſt ratio negotiorum publicorum & pacis faciendæ, utpote quæ res ardua eſt. Bart. Ang. & alij *in l. 5. ff. de pact.* * Nam quamvis belli duci 25
ſemper ſit poteſtas, *conſilium pro more & tempore capiendi*, referente Tacito, tamen penes ſolum populum, aut Principem ſupremum pacis faciendæ facultas ſemper fuit, Le Bret *de la ſouveraineté du Roy, lib. 2. c. 3.* cujus etiam obtinendæ gratia, ſoli Principi licet privatorum bona & actiones condonare, damnaque bello illata remittere, nam quamvis iis præjudicet dum id facit, magno tamen eos afficit beneficio, quod pacem procuret. Decius *conſ. 520. n. 4. & ſeq.* Itaque in libera Republica nec de bello, nec de pace remiſſioneve damnorum Conſul (qui plerumque Dux belli erat) ſtatuere quicquam poterat, inconſulto populo & ſenatu. Hujus rei infinita ſunt exempla apud Dionyſium, Polybium & Livium, quæ quoniam Duarenus, & noviſſime D. Gudelinus *de jure pacis*, collegerunt, conſulto hic prætermittam. Hoc tantum addam, antiquata illa ſenatus & plebis auctoritate, & in Principem tranſlato imperio, penes illum ſolum pacis & belli arbitrium manſiſſe. *Novell. 105.* Idque exemplo uno Corbulonis confirmare ſufficiat, qui cum Parthorum Rege paciſci noluit, nec Armeniam ingredi, *donec referrentur litteræ Neronis, an paci annueret*, ut ait Tacitus *lib. 15. annal.* Unde videre eſt, veram eſſe noſtræ legis ſententiam, inconſulto Principe, nec arma movere, nec pacem inire quemquam poſſe, quantacumque etiam præditus ſit dignitate, cum utrumque ſit ſummi imperij, *& ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poſcat, ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principem ſit*, referente D. Auguſtino.

TITULUS XLVII.

De Agricolis, & Cenſitis, & Colonis.

1. *Agricolarum prior & felicior ſtatus.*
2. *Unde agricolarum origo cœperit apud Romanos.*
3. *Diſtinctio eorum in adſcriptitios, colonos, cenſitos & inquilinos.*
4. *Sola conductio, aut ſcriptura non facit adſcriptitios, niſi concurrant aliæ probationes.*
5. *Cenſiti & adſcriptitij prædiis, non poſſunt vendi, permutari, legari.*

6. Emens.

Digitized by Google

6. *Emens adſcriptitios ſine prædiis eſt malæ fidei poſſeſſor, & pretium perdit, ac venditori vindicatio datur, ad repetendos ſervos.*
7. *Prædium vendi, vel donari non poteſt ſine colonis. Quomodo hi ex uno loco in alium transferuntur.*
8. *Privilegio coloni non liberantur à cultura, quam deſerere nec poſſunt ob tributa non ſoluta.*
9. *Coloni adſcriptitij fugitivi redire debent ad locum ubi nati. Quatenus eos retinens teneatur?*
10. *Item qui colonos & inquilinos alterius occultat, punitur in duodecim libras.*
11. *Coloni bona fide poſſeſſi fugientes reſtituendi ſunt ſuis dominis, quod fit celeri reformatione, aut interdicto utrubi.*
12. *Illo experitur bonæ fidei poſſeſſor, non prædo ſpoliatus, cui ſuccurritur interdicto unde vi.*
13. *Coram quo judice hæc cauſa agitanda?*
14. *An poſſit Dominus colonum aut ſervum vagabundum, vel fugitivum propria manu capere?*
15. *Quid ſi fugitivus habeat privilegium habitationis à Principe?*
16. *Coloni ad ordines promoveri, quo pacto poſſint?*
17. *Qui à Principe vagos ſervos aut colonos deſerti prædij accepit, fiſco dependere debet quantum illi, cum prædio non deſerto, tributi nomine dependebant.*
18. *Nulla præſcriptione ſe tueri adſcriptitios poſſe adverſus domini vindicationem. Quid de ſervo non fugitivo?*
19. *Liberi colonorum patrum conditionem ſequuntur, ut ſint Coloni liberi, terræ tamen addicti, quibus prædiorum domini nullam vim poſſunt inferre.*
20. *Coloni qui ſe prædiorum poſſeſſores eſſe dicunt, repelluntur præſcriptione temporis & diutina præſtatione redituum.*
21. *Quid ſi domini non ſint muniti præſcriptione, & coloni vindicent ſe in libertatem, ad quos pertineant reditus pendente lite.*
22. *Satisdatio præſtanda intra triennium, ſi præſtari à colono non poſſit, reditus ſequeſtrantur, nec poteſt domino quæſtionem dominij referre?*
23. *Reditus ſi in nummis conſiſtant, ſequeſtrantur, ſi in ſpeciebus, illa publice venduntur, & pretia aſſervantur victori. Cautio ſequeſtrationem ceſſare facit.*
24. *Interim onera capitationum colonus ſuſtinebit. At quid ſi non ipſe, ſed dominus ea ſubire ſolebat?*
25. *Si dominus in lite vicerit, reſtituuntur ipſi fructus, & reditus, & in poſterum præſtantur, in ſpeciebus potius quam pecunia, niſi conſuetudo hoc exigat.*
26. *Dominus regulariter præſtat tributa & onera prædiorum, niſi aliter ſit conventum.*
27. *Capitationis tributum præſtant coloni, nec ab eo liberantur, conceſſa immunitate.*
28. *Tres viri, & mulieres quatuor, unam capitationem faciunt.*
29. *Apud nos agricolarum eſt differentia, alij ſua rura colunt, aliena alij, quorum triplex genus.*
30. *Coloni & villici quæ præſtare debeant dominis? his nullum inferre oportet præjudicium.*
31. *Sunt in multis regionibus homines quos manumortales vocant, adſcriptitiis ſimiles, alligati territoriis dominorum.*
32. *Sine dominorum conſenſu non poſſunt matrimonium contrahere, vel ad clericatum promoveri.*
33. *Nati ex adſcriptitio & libera, ventrem ſequuntur, ſibique acquirunt, manent interim coloni, unà cum ſobole.*
34. *Vetita conjunctio adſcriptitia cum libero homine, & inter adſcriptitios diverſorum prædiorum.*
35. *Cujus tunc liberi conditionem ſequuntur, patriſne an matris.*

INter corpora de quibus hoc libro agitur, recenſetur corpus agricolarum, quorum prima hominum conditio & ſtatus, quem beatum prædicat Horatius *lib. Epodôn, ode* 2. ac beatam vitam egiſſe homines teſtatur, qui fælici illo ſeculo agros colere, fertilioresque reddere, ſua opera & induſtria cœperunt. 1

Beatus (inquit) *ille qui procul negotiis,*
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.
Nec excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Apud Romanos agricolarum origo cœpiſſe videtur, poſt devictos Latini nominis populos, cum longe propagatis finibus, qui locupletes iis fuerunt, jam fundorum ſuorum latitudinem tueri non valentes, ſervos agris colendis tutandiſque amandabant, deſtinabantque, ſic ut perpetuo eſſent in agris. Hinc ſervi iſti agris adſcripti, cœperunt fundi partibus annumerari, & ex ſententia Ulpiani inſtrumento contineri. *l.* 1. §. 2. & 3. *ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* Similiter cæteri qui agri cauſa ibidem morabantur, ut agrum colerent, quales ſunt bubulci, paſtores, aratorij, & alij, quorum munus omne in functionibus corporis eſt: Atque iſtis præerant Agricolæ, Coloni ſervi, conditionales dicti; Coloni adſcriptitij, Cenſiti, Tributarij, quorum omnium eadem videtur eſſe conditio, licet diſcrimen ſit in nomine, origine & modo conſtituendi. 2

Agricolæ enim ſunt qui agrum colunt, & in eam rem adſcripti glebæ, unde nominantur Adſcriptitij, & à Gallis, *hommes de main morte*, Chaſſan. *ad conſ. Burgund.* §. 10. quaſi abjecti homines, ſive, ut ait Cæſar *De bello Gallico lib. 6. Plerique è plebe, dum* 3

Digitized by Google

ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus; in hos eadem omnia jura, quæ dominis in ſervos. Verum ſucceſſu temporis ex his alij, ob annuam penſionem quam domino pendunt, ex cultura agrorum Coloni dicti ſunt, aut partiarij Coloni, qui pro parte fructuum aliquot agros colunt, aut qui id pretio & pecuniæ penſione faciunt,aut certa fructuum parte conſtituta, Cenſiti, quos Galli *Seigneurs Cenſuels* vocant, proprie tributarij, quia pro poſſeſſione quam tenent,cenſum dominis præſtant, & libere à poſſeſſione ſua abire poſſunt, ac vendere jus ſuum permittentibus dominis, perſoluto illis laudemio ſeu authoramento, & ſalvo jure prælationis, juxta formam juris agri emphyteutici. *l.3.ſup. De jure emphyt.* Iſtis ſimiles ſunt inquilini,qui alibi quam ubi nati ſunt conducto habitant, certamque fructuum partem, aut pecuniæ ſummam domino præſtant. At Coloni adſcriptitij in agris quos colunt habitant,& ſi nihil fructuum perceperint,nihil domino debent, ſi quos perceperint, eorum dimidiam vel quotam præſtant. *l. 13. hoc tit.* Cujacius hic & Tholoſanus *lib. 18. ſyntagm. juris cap.23.* Valaſcus *De jure emphyt.quæſt.37.* alias Colonorum ſpecies referunt.

4 Verùm ne temere quis trahatur ad deteriorem conditionem, ex libertate in ſervitutem, aut adſcriptitiam conditionem, ideo Juſtinianus noluit ex ſola confeſſione, conductione, aliave ſcriptura, ſervos vel adſcriptitios effici, niſi concurrant alia argumenta & probationes,veluti tabulæ cenſuales, aut ſi inſtrumentum de ſtatu ſubſequatur, voluntaria confeſſio & depoſitio apud acta ſe colonariæ conditionis eſſe. *l.cum ſcimus 22. h.t.* Debent enim domini, Colonos, ſervos, inquilinos, & alios qui agrorum cultui ſerviunt, in cenſum referre, & profiteri apud acta, vel cenſitorem una cum agris, quia pars agrorum ſunt,& veluti membra quædam
5 prædiorum. *l 4.§.5.& 8.ff. De cenſib.* * Adeo ut à prædiis, quibus ſunt adſcripti, ne momento quidem temporis ſe ſeparare poſſint, *l. 15. h. t.* neque domini eos alienare,quia non tam hominum quam prædiorum ſunt ſervi. Suffragantur Impp.cum dicunt, quemadmodum originarios colonos abſque terra, ita ruſticos cenſitoſque ſervos vendi non licere,nec permutari vel obligari. *l. 7. h. t.* Imo nec inquilinos ſine prædiis legari poſſe reſpondet Mar-
6 tianus *l.112.ff. De leg.1.* * Ergo prædiis ſimiliter, & ſine exceptione legatis, veniunt inquilini ad legatarium,non tanquam inſtrumentum, ſed quaſi pars quædam prædiorum, eaque non ſeparabilis; non enim ut partem fundi poteſt teſtator legare, ita inquilinos ſeparatim à prædiis poteſt: quoniam lex colonatui eorum adſcripta non permittit; imo declarat eum qui emerit ſine prædiis malæ fidei poſſeſſorem eſſe, & pretium quod dederit amittere, cum juris ignorantiam cauſari non poſſit, & ideo præſcriptione non juvari. Vindicationem Colonorum cum ſua progenie venditori qui ſibi prædia retinuit, dari, ejuſque hæredibus contra hæredes emptoris, *d.l.7.* ubi,cum venditur totum prædium, omnes originarij, vel Cenſiti ſervi tranſeunt; cum vero pars, ſervorum quoque pars accedit. * Non 7
igitur poteſt dominus prædium vendere, vel donare ſine Colonis, quare eos quos utiles eſſe credit, aut cum prædio retinere, aut pro futuros aliis relinquere debet, ſi ſibi prædium prodeſſe deſperat. *l.2.h.tit.* Ratio prohibitionis reſpicit publicam utilitatem ne agricultura detrimentum patiatur,in grave Reipublicæ diſpendium: idcirco Covarruvias *ad c. quamvis.p.2.§.1.num.3.* dicit contractum hunc non valere, nec juramento confirmari. Similiter ipſis Colonis ſponte ex prædio abſcedere non licet, aut illud deſerere, quod ſemel colendum ſuſceperunt,quamvis dominus eos alienare aut transferre meditetur. Etenim qui plures habet fundos, recte ex uno fundo ad alium transfert Colonos, & tranſlatio facta manet, donec ab ejus ditione alter fundus exeat: quo caſu ei qui poſtea prædium nanciſcitur, tenetur propriam ſobolem priorum Colonorum, qui tranſlati fuerunt, reſtituere, *l.13. In fin.h.t.*

Adeo enim prædio adſcripti adhærent, ut etiam 8
in ſobolem conditionem ſuam transferant, nec ab ea conditione,privilegio,dignitate,aut officio liberentur, ſed nec cenſus auctoritate, ut ſi in cenſum relati ſint quaſi ingenui *l.11.hoc tit.* his enim omnibus amputatis, inhærere tenentur ſuis prædiis, à quibus ne momento quidem temporis amoveri poſſunt, aut conveniri pro fiſcalibus debitis, quorum nomine ipſi domini, non Coloni inquietari ſolent, niſi quid ipſi quoque proprio nomine poſſideant. *l. 15. h. tit.* Poſſunt enim Coloni & Cenſiti fundi alicujus dominium habere, quo caſu cenſibus alligantur. *Novel.128.* aliàs regulariter cum domini ex ſuis fundis fructus percipiant, æquum eſt ipſos per ſe, aut ſuos actores penſitationem agnoſcere. *l.4.h.t.* & Colonos ſationibus vel colligendis fructibus inſiſtentes, nunquam ad extraordinaria onera trahere, cum providentiæ ſit, opportuno tempore his neceſſitatibus ſatisfacere, *l 1.h.t.*

Quod ſi Coloni ipſi nova onera agnoſcere vo- 9
lentes, aliò migraverint, aut ſervi fugerint, eos ad locum ubi cenſiti, vel educati natique ſunt, præſes provinciæ redire compellet. *l. 9. h. t.* ſi quis autem adſcriptitios, ſciens eſſe fugitivos, ſuſceperit, eorumque opera gratuita uſus fuerit,quaſi eſſent proprii, non modo eos reddere, ſed etiam temporis quo illis uſus ſit, capitationem fiſco præſtare tenetur. Contra, ſi ignorans eſſe fugitivos, quia ſe ut liberi gerebant, illos recepit, & cultura prædiorum mercedem aut fructuum partem exhibuit, tunc

Digitized by Google

tunc ab ipſis Colonis tributum exigetur, & his
non ſolvendo conſtitutis, eorum debitores conve-
nientur. *l. 8. h. t.* non dominus, qui hoc caſu non
fugitivos ſuſcepiſſe; ſed liberorum hominum ope-
ras conduxiſſe cenſetur. Quamobrem ſi inter fugi-
tivos & profugos aliquis contractus hinc inde ini-
tus fuerit, Judex partibus coram ſe vocatis ad ſo-
lutionem urgebit eum, quem invenerit debitorem.
10 *d.l.8.in fin.* * Coget quoque profugos, qui ſine do-
mino vagantur, & agros deſerunt, ad prædia ſua
redire, etiam per manus injectionem, ſicut pleriſ-
que in locis nunc fit, in animalia vaga & errantia.
C. Theod. ſi vagum manc. petat. Receptoribus verò
Colonorum præcipiet judex, ut fugitivos reddant,
in duplum, & præter temporis capitationem,
etiam argenti duodecim libras fiſco inferant. *l. 12.
h. t.* nemo enim dominum ſuum deſereret, ſi ſciret
nuſquam ſibi latendi locum eſſe relictum. Hinc
nota quod ſicut intereſt dominorum non perdere
jura, quæ in ſubditos habent, ita & ſubditorum in-
tereſt, non commutare dominos. Id plenius oſten-
dam *tit. ſeq.*

11 Cum itaque ſæpe coloni commutarent domi-
nos, & contenderent ſe ingenuos, non colonariæ
conditionis eſſe, atque ita ad alios vitio fugæ tranſ-
irent, cautum eſt ut celeri reformatione, id eſt, ſine
cunctatione, prius ſuæ poſſeſſioni reſtituantur,
quam conditionis & proprietatis cauſa agitetur.
l. 14. h. t. Quod alij triticaria actione, alij condictio-
ne ex lege, alij officio judicis fieri volunt, ſed præ-
ſtat *interdicto utrubi* experiri (nam licet *l. 14.* nova
ſit diſpoſitio, invenitur tamen ea inſerta Codici
Theodoſiano *ſub tit. utrubi*) quod celerem reforma-
tionem deſiderat. At cur non potius interdicto
unde vi agitur, quandoquidem inter immobilia, &
fundi partes numerentur coloni adſcriptitij. *l. pen.
h. t.* quia tum demum inter immobilia cenſentur,
cum à prædiis ſuis non recedunt *l. 3. ff. De diverſ. &
12 tempor. præſc.* * Ubi autem ea deſerunt, & à bonæ
fidei poſſeſſore fugiendo ſe ſeparant, non mirum
ſi ut res mobiles judicentur, recuperenturque ab
eo, interdicto *utrubi*. Dico bonæ fidei, nam malæ
fidei poſſeſſori, hoc legis remedium non datur; in-
dignus enim eſt beneficio legis, qui in legem com-
miſit; juxta *l. 37. ff. De min.* Fateor ſpoliato præ-
doni ſuccurri interdicto *unde vi*, quo ante omnia
reſtituitur, ſi modo probet poſſeſſionem tempore
ſpoliationis, & ſe de ea fuiſſe dejectum ab adver-
ſario, vel alio ejus nomine. *¶ De reſtit. ſpoliat.* non
tamen illi hujus legis beneficium datur, ſed bonæ
fidei poſſeſſori, qui tantum tenetur probare colo-
num fugiſſe, & vitioſe ad alium perveniſſe Luc. de
Penna *ad d.l. 14. verſ. ſecundo quæro.* Menoch. *De re-
cup. poſſeſſ. remed. 10. num. 21.*

Itaque in ſpecie hujus novæ Conſtitutionis, do-
minus partes actoris ſuſtinet, cum velit colonum
ſibi celeriter reſtitui, ut proinde ſequi debeat fo- 13
rum rei, ac judicem loci ubi Colonus reperitur;
niſi Colonus à nemine poſſideatur, ſeque liberum
eſſe proclamet, quia tunc agendum erit judicio pe-
titorio, intentandaque actio præjudicialis, coram
judice loci, unde fugit. Cynus *in l. 1. C. ubi cauſa ſtat.
quæſt. 3. & ſeq.*

Cæterum quamdiu Colonus non poſſidetur, ſed 14
vagatur hinc inde, poteſt eum dominus manu pro-
pria capere, prout etiam ſervum fugitivum abdu-
cere, quandoquidem ejus poſſeſſionem retinet.
l. un infr. De Colon. Palæſt. ſecus dicendum ſi Colonus
vel ſervus jam fugerit, vel ab alio detineatur, tunc
enim domino hujus legis beneficio ſuccurritur.
d. l. 14. nec ei licet propria auctoritate Colonum
capere, cum non debeat ſibi jus dicere, ſed idcir-
cò judiciorum vigor, jurisque publici tutela, in
medio ſit conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permit-
tere valeat ultionem. *l. 14. ſup. De Judæis.* Hinc vi-
demus, non licere domino, rem propriam, ab
alio occupatam invadere. *l. ſi quis 7. ſup. Unde vi.*
Non adverſatur *l. 9. ff. De ſerv. export.* ubi datur
licentia Domino in ſervum, penes alium exiſten-
tem, manum injicere, cum ſe domino auferre
non poſſit ſervus, nec qui in fuga eſt ibi moretur.
Quoniam ait Lucas de Penna, id pacto venditioni
adjecto contigiſſe, aut rectius, iſti domino datum
fuiſſe à judice facultatem ſervum abducendi, iuxta
l. 1. ſup. ſi mancip. ita fuerit alien. ſed ſi copia judi-
cis deſit, conceditur domino facultas manum in-
jiciendi in ſervum & colonum, ut alibi etiam in
curialem ſimili caſu licet. *l. 54. ſup. De decur.* ubi
plura dixi *num. 48.* Aliàs non facile eſt ea poteſtas
concedenda, qua pax publica turbatur, violatur-
que juriſdictio. Lucas de Penna *ad h. l. 14. quæſt. 6.*
& Menoch. *d. loco num. 50. & ſeqq.*

Quid ſi Colonus fugitivus privilegium habitan- 15
di ubi nunc eſt, obtinuerit? Dico illud ſubrepti-
tium eſſe, aut importunitate extortum, ita ut do-
minus poſſit eum, beneficio hujus legis celeriter
repetere, licet à Principe ad aliquem dignitatis
gradum fuerit evectus. *l. 11. h. t.* quia nulla digni-
tas, quamvis humilioris militiæ, aut apparitoris
officium, colonum à domino liberat, aut à functio-
ne ſua excuſat. *l. colon. 19. in aliis Codicibus eſt 18. h. t.*
quia ſi excuſaret, fieret domino præjudicium;
ideoque ejus indemnitati hic conſulitur; & publi-
cæ honeſtati, quæ vult, ne militiæ dignitas inqui-
netur per agricolas, ſi illis vomeri & ligoni aſſue-
tis, armorum uſus concedatur. * Hinc colonus ori- 16
ginarius, & adſcriptitius numero clericorum ad-
ſcribi, & ordinari prohibetur, citra conſenſum do-
mini, niſi in ea poſſeſſione cui adſcriptus eſt, mini-
ſterio fungatur, ſimulque impoſitam ſibi agricul-
turam, ſurrogando aliquem, adimpleri curet. *l. 37.
Auth. adſcriptitios ſup. de Epiſc. & Cler.* At clericus qui
divinis

Digitized by Google

divinis officiis in aliqua Eccleſia obſtrictus eſt,non poteſt eam deſerere,aut alium ſurrogare, ut munus in Republica ſuſtineat, cum abſurdum ſit & indecorum Clericum miſcere ſe negotiis ſecularibus *l.41.ſup.de Epiſc.& Cler.*

17 Quid ſi vagus ſit colonus,& ſine domino? poterit fiſcus manum in eum injicere,vel is cui Princeps colonum hujuſmodi conceſſerit: Hic tamen qui ex deſertis agris vagos ſervos fuerit conſecutus,conceſſione Principis,& in terram ſuam receperit,pro fiſcalibus penſitationibus, ad integram terræ poſſeſſionem ex qua ſcilicet ſervi manere videntur, habetur obnoxius,id eſt, tantum tributorum nomine reſarcire tenetur, quantum illi adſcriptitij ſuæ terræ nomine pendebant, quia hi cum onere terræ
18 tranſeunt, *l.3.h.t.* * Tanta enim illis cum terra ſua conglutinatio eſt, ut inhumanum judicaverit Juſtinianus terram quæ ſuos adſcriptitios habebat,ſuis quemadmodum membris defraudari,& colonos in aliis terris morantes,dominos terræ maximis damnis afficere; quare fugitivorum inſtar nullo quantumvis magno temporis intervallo, ſibi libertatem acquirere adſcriptitios ſtatuit Imp. *in l.pen.h.t.*comparantur enim illi ſervis fugitivis, quos dominus ſemper cenſetur poſſidere. Ideoque ut vindicationi ſervorum,ita & adſcriptitiorum, non obſtare præſcriptionem 40.annorum hinc liquet. Quamquam ex Anaſtaſij conſtitutione vindicatio in ſervitutem annis 40.extinguatur,ſi per id tempus ſervi non fugitivi mala fide fuerint in poſſeſſione libertatis. *l.4. ſup.de præſc.30.vel 40.annor.* quod diutinum tempus propter malam fidem exigitur.

19 Refertur quoque à Juſtiniano *in d.l.pen.* alia conſtitutio Anaſtaſij, quæ vult homines qui 30. annorum ſpatio in colonaria detenti ſunt conditione, liberos quidem permanere, non autem poſſe terram deſerere; unde quærebatur num etiam liberi eorum licet non 30. annis in terra manſerint, deberent colonariæ eſſe conditionis? Et placuit ſecundum præfatam legem,eos patrum conditionem ſequi, id eſt, liberos quidem plena libertate potiri, nec poſſe eos ulla deteriore conditione prægravari,non etiam habere licentiam relicto ſuo rure, in aliud migrandi. Nam oportet liberos, prædia quæ patres eorum colenda ſub annuo tributo acceperunt,eadem colere & exercere: Itemque domino præſtare annuos reditus; in quorum tamen præſtatione & exactione ſervanda erit vetus conſuetudo. Cavebit autem dominus aliquid à colonis per violentiam exigere, & ipſis ſolutionem redituum differentibus,vim & concuſſionem inferre, quæ ſi illata fuerit vindicabitur. *d. l. pen.* ubi fit mentio Anaſtaſiæ conſtitutionis quæ incipit, *Agricolarum*, quam hic Cujacius repoſuit.

20 Porro ſi non vi, ſed jure dominus à colonis reditus prædiorum petat, illi verò dicant ſe eſſe prædiorum poſſeſſores, repellentur præſcriptione longi temporis,ſi dominus antapochis probaverit colonos annuos reditus exſolviſſe. *l.19.ſup.de fide inſtr.* Etenim diutina præſtatio redituum, inducit præſcriptionem obligationis, ſi de obligatione dubitetur,ut de uſurarum ſolutione ſcriptum eſt. *l. 6. ff. de uſur.*Multo magis ubi de ea conſtat & probatur per ſcripturam continua præſtatio redituum, excludet colonos à libertate, ſic ut in poſterum ſint obligati fundo adhærere,eum colere,reditus eo nomine fundi domino ſolvere, & nullam ei amplius dominij quæſtionem movere. Joan.Sichard. *ad l.fin.in fin. C. de rei vind.* Amaya *ad l.3. ſup. de apochis publ.n.60.* adverſus Ant.Fabrum *lib.7.conject.c.9.poſt. med.*

Ad quid ſi dominus hac longi temporis præ- 21
ſcriptione munitus non ſit,& colonus ſibi prædiorum proprietatem aſſerat, quæritur pendente lite ad quem reditus prædiorum, & onera publicarum functionum pertineant? Et litis minuendæ cauſa deciſum eſt, *in l. litibus h. t.* ut colonus pendente lite, non cogatur reditus ſolvere ei, qui ſe dominum dicit, ſed cavere dato fidejuſſore, pro tribus annis, & promittere ſe abſque dilatione reſtituturum reditus domino ſi vicerit. Olim ſi forte lis intra triennium non finiretur, eo lapſo fidejuſſoris obligatio renovabatur; ſucceſſit poſtea altera Juſtiniani conſtitutio, quæ jubet lites pecuniarias triennio concludi. *l. 13. ſup. de judiciis.* * Sic in 22
multis cauſis reus fidejuſſorem dare poteſt, ut interim fructus percipiat, & fidejuſſio renovanda eſt ſi fuerit temporalis, nam fidejuſſor ad certum tempus accipi poteſt. *l. 27. ſup. de fidejuſſ.* ſi vero colonus fidejuſſorem dare nolit, vel non poſſit, annui reditus pendente lite, judicis officio exigentur, & ſequeſtro deponendi ſunt, in æde ſacra, aut alio civitatis loco, ſub quo poſſeſſio ſita eſt, *l. 1. §. ſi pecunia ff. depoſiti. l. 4. §. ult. l. 5. ff. famil. erciſc.* Sed videtur prædictis adverſari. *l.25. ſup. de locato.* quæ vult colonum domino locatori dominij quæſtionem referre non poſſe, ſed debere prius poſſeſſionem reſtituere, & poſtea de proprietate litigare. Nam id obtinet,cum de locatione conſtat,nec eam diffitetur colonus; at in ſpecie *l. litibus h. t.* negat ſe rem habere à domino, neque aliter de locatione conſtabat,quam ex aſſertione domini,quo caſu recte dominij quæſtio,domino referri poteſt,& interim quod ea movetur, ſequeſtratio fieri redituum, quos dominus ait ſibi deberi.

Et hoc ita ſi in nummis reditus conſiſtant,nam ſi 23
in ſpeciebus,aut fructibus debeantur,judex per Officiales ſuos ſpecies fructuſque vendi curabit, & pretium in archivis Eccleſiæ deponi. *l. ult. §.1. ſup. de reb. auct. judic. & Novell. 74.* vel apud Cymiliarcham ſeu theſaurarium iſtius Eccleſiæ. Hinc ubi periculum eſt, ne res ſequeſtrata pereat, ſolet publicè per officiales judicis vendi. Rebuffus,

Digitized by Google

ad d.l.litibus, addit ſequeſtrationẽ inductam eſſe ob defectum idoneæ cautionis,quam qui præſtare poteſt,evitat onus ſequeſtrationis Gail.*lib.1.obſ.147.& ſeq* & Græveus *in pract. concluſ.148.*

24 Sequitur de oneribus publicarum functionum, ſeu tributis,quæ quotannis Reipublicæ vel fiſco inferuntur, ex prædiis, unde quæritur, pendente lite inter dominum & colonum, à quo præſtanda ſint iſta onera? & decidit Imperator,ut ſi colonus ſolitus eſt ſolvere fiſco publicas functiones, continuet interim eos ſolvere, ex hoc enim nullum præjudicium domino generatur. Quod ſi ante litem motam, dominus ipſe ſolebat reditus recipere & ſummam quæ fiſci rationibus infertur,hoc caſu abſque præjudicio litis, fidejuſſor quem colonus dedit ad impediendam ſequeſtrationem, vel ſolutionem reditus, domino eam ſummam præſtabit, quæ per eum inferenda eſt pro tributaria functione, non etiam præſtabit colonus reditum annuum pro quo fidejuſſorem dedit. At fidejuſſore non dato,pecunia ſequeſtranda & deponenda eſt, ex qua à Judice ſumma deducitur & domino præſtatur, ac deinde fiſco per dominum, qui ſolebat ſubire onera tributorum,ac domini nomine fiſcus,aut ſuſceptor apocham & ſecuritatem concipiet. Sic publica tributa hoc caſu domino repræſentantur pendente lite per fidejuſſorem. Reditus puri qui reſtant deducta functione, apud ſequeſtrum ſub fidejuſſione manent, quouſque lis finiatur, *l.litibus h. tit.* ea finita, ſi ſententia Judicis rem totam aperiat, & oſtendat dominium terræ, penes dominum fuiſſe, reditus reſtantes,& quos in poſterum colon i percipient, domino terræ exſolvent. *d.l.litibus in fin.*

25 Et quidem in ſpeciebus ſeu fructibus quos terra producit, non in pecunia, hanc enim optare ruſtici non audent, ne à dominis ſubtiliter ſubducatur, & eam præſtare vix poſſunt, niſi conſuetudo prædij, aut conventio partium id exigat. *l.5.h.t.* aliàs expediret potius ut dominus fructus acciperet, aut partem fructuum,quam totum reditum in pecunia, ne dum ruſtici eam conquirunt, fiant negotiatores & culturam negligant, à qua ne puncto quidem temporis ſubducere ſe debent. *l.15.h.t.* Ideò coloni qui vendendi cauſa frumenta vel alias merces ad mercatum deferunt, eas aliis tradere, & ad opera ſua confeſtim reverti jubentur. *l. 2. ff. de nundinis.* Videantur citati à Valaſco *de jure emphyt. q.20. num. 6.*

26 Quod autem attinet ad publicas functiones, & tributa, quæ ex agris fiſco debentur, ſervandus in eorum præſtatione, & exactione, mos regionis. In multis locis id obſervatur, ut domini qui fructus & reditus ex agris percipiunt, onera quoque ſuſtineant, & tributa fiſco præſtent,niſi aliter cum colonis convenerint, *l.32.§.6.ff. de admin. tut.* aut ipſi prædia; quaſi à ſe quæſita ſuo nomine poſſideant, ut dixi ſupra per *l. 4.h.t.* & plura *tit. de indictionibus num.19.*

27 * Tributum vero capitationis, Gallicè *taille*, ſinguli pro ſuo capite pendunt, nec ab eo adſcriptitij, & ex iis nati originarij coloni, ulla præſcriptione aut immunitatis conceſſione liberantur. *l. 11.h. tit.* Ideò Gratianus Imp. ſuſtulit immunitates ſpeciatim datas, & jugationem & capitationem libris cenſualibus factam, & Encauſtis civitatum, id eſt, monumentis publicis inſertam, ſine approbatione Cenſorum & Ordinariorum Judicum, *l. 9. h. t.* Itemque ſubſcriptione Principis, qua immunitates ſpecialiter datæ confirmari, & ſacro encauſto muniri debent. *l. 6. ſup. De diverſ. reſcript.*

28 Quoniam vero variæ cenſebantur agricolarum capitationes, præſertim eorum qui erant ex provinciis Armeniæ ſecundæ, Cappadociæ,& ex urbibus Camanenſi & Ariaratenſi, ac tantum penderent binæ fœminæ, quantum viri ſinguli, conſtitutum poſtea fuit ut bini ac terni viri,mulieres autem quaternæ unius capitis tributum ſolverent, placuit etiam hunc temperatæ capitationis modum monumentis publicis annecti. *l. 10. hoc tit.* De capitatione latius titulo ſequenti.

29 Hodierni agricolæ, & coloni non ita adſtricti ſunt agrorum culturæ, ut perpetuò iiſdem agris adhærere,& operam iis colendis impendere debeant; ſunt namque liberi in ſuis vicis,& ſibi vivunt, quin & aliqui proprios agros colunt,plerique verò alienorum. Eſtque triplex horum colonorum differentia, una locantium operas ſuas conventa mercede; altera eorum qui parte fructuum aliqua accepta, ex cultis, remanente proprietate Dominis, alienis inſudant, unde iſti coloni partiarij dicuntur *l.25.§.6. ff.locati.* Tertia ſpecies eorum eſt, qui fundos conducunt colendos, ad certum tempus ſub penſione, ad propriam utilitatem (per modum, arrendæ ut dicitur) quique fructus ſuos faciunt ubi primum decerpti fuerint. *l.26.§.1.ff. de furtis.* Porrò eorum qui ſuos fundos colunt, poteſtas & arbitrium rerum ſuarum eſt, ut dominorum in propriis liberum, *l.21. ſup.mandati.*

30 At eorum qui alienos agros colunt,non ita libera eſt poteſtas, tenentur enim ex lege conventionis omnia gerere, quorum curam & culturam ſuſceperunt, atque ex bona fide ea præſtare, quæ tacite in conventionem veniunt, ut quæ de locatione tacita dicuntur, ſi dominus patiatur poſt elapſum locationis tempus colonum manere in fundo. *l. 13. §. pen. & l. ſeq. ff. locati.* Cæterum ipſi colono fundum alteri relocare, aut pignori obligare non licet, inſcio vel invito domino. *l.17.h.t.* multo minus ex poſſeſſione exire, vel eam alij cedere & tradere,qui ſi poſſidere incipiat animo domini, eo caſu licet dominus amittat poſſeſſionem. *l. 3. §. quod ſi ſervus. l. 44. §. ult.ff. De acq. poſſ.* eam dein recuperat condictione *ex l.ult. ſup. de acquir.poſſ.* non

Digitized by Google

non enim ex culpa, aut dolo coloni vel inquilini, præjudicium poſſeſſioni inferri poteſt. *l. ult. ſup. ſi aliena res pignori data.*

31 Eſt & aliud colonorum genus in Galliæ Provinciis. ut in Avernia, Burgundia, Campania; Item in Hannonia Provincia Belgica, in Germania, & Polonia, quos manumortales vocant, Germani proprios homines, tanta ſimilitudine juris adſcriptitiis & originariis colonis conjuncti, ut prope iidem eſſe videantur. Non enim ſervi ſunt omnino, ſed in territorio domini ſunt tanquam alligati, non habentes demigrandi facultatem, & ſi alio fugerint, poteſt eos dominus perſequi & capere quamvis ingreſſi fuerint loca exempta, eorumque privilegiis ſe tueri velint.

32 Dominus enim jus ſuum retinet ubicumque locorum fuerint. *juxta l. 11. h. t.* tributa percipit, & nonnullas alias commoditates habet, ex quibus hanc maximam, quod colonis iſtis vita functis, ſine ſobole, ſuccedat vel ex toto, vel pro parte; Antonius Faber *in Cod. lib. 6. tit. 32. definit. 2.* vel altero ex conjugibus decedente, mobilia meliora accipiat, quod. jus luctuoſum vocat Garzia *de expenſis cap. 9.* Ex quo profluxit mos iſte, apud pleraſque gentes receptus, ut mortuo vaſallo, domino feudi melior veſtis, vel res alia mobilis detur. Similiter rectori parochiali, cui animarum curam gerit, datur ex bonis defuncti lectus, vel veſtis, aliave mobilium vel immobilium portio, Gutierrez *lib. 2. canonicar. qq. cap. 21. n. 160.* Inſuper hujusmodi coloni, qui & talhabiles vocantur, citra domini voluntatem, nec liberam mulierem ducere, nec ordinari in clericos poſſunt, ſed fundo reddendi ſunt, ne ſuo jure dominus defraudetur. *d. l. 11.* Idem in ſervis conſtituit Juſtinianus, vide infra *l. 12. tit. 34.* In adſcriptitiis vero ut poſſint quidem ordinari ſine conſenſu domini, modo ſarcinam capitationis agnoſcant, & in ruralibus obſequiis alium ſubrogent, quia reſpectu domini terræ ſervi quaſi cenſentur. *Novell. 123. c. 17. Auth. adſcriptitiqi & Auth. ſeq. Cod. De Epiſc. & Cleric.*

33 Non tamen ita ſervilis eſt adſcriptitiorum conditio, ſiquidem in reliquis actibus reputentur liberi, quorum conditionem ſequuntur eorum filij, qui coloni originarij hic appellantur. Et cum jure antiquo nati ex adſcriptitio & libera eſſent adſcriptitij, Conſtitutione Juſtiniani conditio ventris ſeu matris ſola ſpectatur. *l. ne diutius 21. & l. ult. h. tit.* Idque confirmatum noviſſimis Conſtitutionibus *in Novell. 54. & Novell. 162.* Ex quibus conſtat natos ex adſcriptitio & libera, nunc eſſe liberos homines, ita ut poſſint ſibi acquirere, & habere peculium proprium, non tamen quin coloni una cum ſobole ſua maneant, & cogantur agrum colere, cui pater fuerat adſcriptitius. Cujac. *lib. 4. obſ. cap. 28.*

Verùm ne domini per hujuſmodi Conſtitutiones damnum paterentur, & conditio adſcriptitiorum decreſceret, qui agris colendis neceſſarij ſunt, vetitum fuit connubium adſcriptitiorum cum liberis mulieribus, ſic ut illi ab eis extrahi poſſent, & per Præſidem moderata caſtigatione corrigi, ſi non conſentiente domino duxiſſent, *l. ult. h. t.* Negligente autem domino, manet connubium, & filij ex eo procreati liberi ſunt, ſequuntur matris conditionem, quæ libera eſt. Quod ſi autem adſcriptitia libero homini nupſerit, tenet conjunctio, & liberi ex ea nati, ſunt adſcriptitij, ac una cum matre revocantur ad coloniæ ſuæ miniſterium. *l. 16. h. t.* ſimiliter adſcriptitio adſcriptitiam ducere permiſſum eſt, etiamſi ſint diverſorum prædiorum, quamvis excepta ea cauſa, tranſire aliò nequeant. *Novell. 157.* ac eo caſu deciſum fuit ſtatum paternæ conditionis agnoſci oportere. *l. 13. h. t.* * Quod 34

non repugnat ei quod paulo ante dictum, ventris conditionem reſpici, nam in eo an nati ſint adſcriptitiæ conditionis venter inſpicitur; quod vero attinet ad locum & colonarum, vel utrius domino ſervirent, ſi parentes diverſorum dominorum adſcriptitij eſſent, reſpiciebatur potius pater hoc jure Codicis, nam Novellæ malunt hoc caſu partitionem fieri prolium inter dominos, ſi earum æqualis ſit numerus, ſi una ſit proles, ut matrem dominumque ejus ſequatur, *Novell. 156.* & generaliter ſi impar fuerit numerus, qui ſuperat matrem ſequitur, propter labores hujus majores in pariendo & nutriendo. *d. Novell. 156. & Novel. ſeq. & Novel. 162. §. ult.* 35

TITULUS XLVIII.

De capitatione civium cenſibus eximenda.

1. *Romana plebs à capitatione exempta.*
2. *Soli Coloni & Ruſtici pendebant capitationem, exceptis Thracenſibus.*
3. *Omnes civitates & Metrocomiæ immunes à capitatione, etiam ſecundum mores gentium: excepto imperio Turcico.*
4. *Probatur modus cenſendi æquiſſimus, ut non capita civium, ſed eorum bona æſtimentur.*
5. *An Princeps poſſit cives ſuos alienare, & alterius facere?*
6. *Impellente publica cauſa, requiritur aſſenſus civium, ne inviti alium dominum agnoſcere cogantur.*

1 PRæter tributa, & indictiones, de quibus ſupra, omnes Romano Imperio ſubjecti pro ſuæ poſſeſſionis jugationiſque portione, & pro numero animalium quibus poſſeſſiones exercebant, certam penſionem præſtabant. Sic in ſingula juga & capita qua-

quaternæ ſiliquæ definiuntur, *in C. Th. lib. 12. tit. 4.* Eaque penſitatio dicebatur jugatio, id eſt, pro jugo tantum. Capitatio vero capitis cenſus erat ſingulis capitibus impoſitus. Spectabatur autem ætas cenſendi tempore, namque ea quibuſdam tribuebat ne tributo onerarentur. *l. 3. ff. De cenſib.* Exigebatur hic cenſus plerumque vel ratione habitationis, vel artificij, quo modo exteros non concernebat. *l. 4. ſup. De incolis*, ſed incolas & inquilinos, qui in alienas colonias tranſmigrabant, unde capite cenſi appellabantur: Qui cum ob tenuitatem ſui patrimonij, cenſum rei ſeu patrimoniale tributum præſtare non poſſent, ideò capita & perſonæ ſingulæ cenſebantur, & maſculi à 14. anno, unum aureum, fœminæ à 12. uſque ad 65. annum; dimidium quotannis pro capite pendebant: ut dixi *ſup. de annon. & trib. n. 37.* Et meminit hujus capitationis Cæſar *lib. 3. de bello civ. Multa generatim ad avaritiam excogitabantur, in capita ſingula ſervorum ac liberorum imponebatur tributum.*

Verum quia odioſa erat hujuſmodi capitatio, & ejus exactio nimis acerba, eam Conſtantinus ſuſtulit, juſſitque ne impoſterum cives Romani pro capitationis tributo convenirentur, ſed haberentur
2 immunes, *l. un. h. t.* * Cum tamen ruſtici & coloni jugationem cum capitatione penderent. *l. 1. infr. ne ruſtici ad ull. oblig.* exceptis Thracenſibus & Illyricanis, qui jugationem terræ tantum ſolvebant. *l. 1. infr. De Colonis Thracenſibus.* item Colonis Eccleſiæ Theſſalonicenſis. *lib. 12. ſup. De annon. & tribut.* & qui in Metrocomiis habitabant. Olim agri ſpatium quod juncti boves uno die arare poterant, jugerum appellatum. Plinius *lib. 18. c. 3.* Varro *lib. 1. cap. 10. De re ruſtica.* Erant in provinciis tabularij, qui rationem conficiebant jugerum, & eorum quæ inferebantur publico ærario, *l. 1. & 7. ſup. De exact. tribut.*

3 Hinc colligunt Interpretes non tantum cives utriuſque Romæ, ſed cujuſcumque civitatis exemptos fuiſſe à capitatione, quæ nunc tamen in Turcico Imperio eſt uſitatiſſima, ubi Chriſtiani, licet exteri, pro ſingulis capitibus drachmam auri, hoc eſt, aureum Hungaricum, exſolvunt. Liberos autem eſſe omnes cives iſto onere, indicat generalis hujus Tituli inſcriptio, quamvis dirigatur ad Præſidem Lyciæ, & Pamphiliæ, quæ Aſiæ Provinciæ ſunt, ut inde oriundi exempti ſint, prout ſunt omnes incolæ ex Provinciis Orientis: & hodie tam cives, quam Coloni & ruſtici Hiſpaniæ, Germaniæ, Belgij, Galliæ, & Italiæ, qui non niſi ob repentinam & neceſſariam cauſam compelluntur capitationem præſtare: libentius enim fortunas ſuas & bona patiuntur æſtimari, factaque æquali onerum partitione in cenſum referri.
4 * Quem modum valde commendat Bornitius. *De ærario lib. 5. cap. 1. & 2.* atque æquiorem judicat capitatione, aliiſque impoſitionibus mere perſonalibus, quippe quod iſtis maxima injuria afficiantur cives, qui, cum nihil aut parum in bonis habeant, nihilominus æquale rerum gravamen cum aliis perferre coguntur. Unde etiam priſcis temporibus damnata fuit capitatio civium, quam induxerat Tarquinius Superbus, qui neglecto inſtituto Servij, 10. denarios pro capite cujuſque civis exegit. Optime proinde Impp. ſemper cives à capitationis cenſu exemerunt, & ſolum bona eorum onerari voluerunt, nec ultra modum poſſeſſionum, *l. 3. ſup. De annon. & tribut.*

Quæſtionis eſt, an Princeps cives quos in ſuo dominio habet cenſibus exemptos, alteri domino do- 5
nare, vel ex cauſa commutare poſſit? Et quamvis populus ei & in eum omnem poteſtatem conceſſerit, non tamen quamlibet tribuit: Dedit enim Principi poteſtatem regendi ſuos cives, ſed tanquam homines liberos, non vero alienandi eos quaſi ſervos. Cederet namque iſta alienatio in detrimentum ipſius principatus, & ipſorum civium, ſiquidem ex liberis, fierent ſervi, & inſuetis tributis obnoxij. Quare ut Principis intereſt non perdere jura, quæ habet in ſubditos, ita & ſubditorum intereſt, non mutare dominum, ſed apud ſuum remanere, *l. Titius ff. De act. empt. l. 24. § ult. De fideicom. lib.*

Si tamen cauſa publica commutationem ſuadet, 6
quod forte concordia inter vicinos Principes obtineri, aut aliter foveri nequeat, niſi civitas donetur, exquirendus eo caſu erit civium conſenſus, & blande inducendi ſunt, ne inviti alienari, & involvi videantur negotio, quod eis perpetuo nociturum eſt. Cephal. *conſ. 628.* Quid enim durius quam privari libertate, quæ lumen vitæ noſtræ eſt, & ſubjici ſervituti, quæ morti comparatur, & extremum eſt malorum omnium, non ſolum bello, ſed morte etiam repellendum, Cicero *in Philip. 2.* Lucas de Penna *ad h. t.* Amiſſa ſemel libertas non facile recuperatur, ſed optatur. Eſt avis fugitiva, quæ ad manum non redit. Docet exactiſſimus ſcriptor Tacitus, facilius homines ruere in ſervitutem, quam recuperare libertatem, *lib. 1. annal.*

TITULUS XLIX.

In quibus cauſis Coloni, Cenſiti, dominos accuſare poſſint.

1. *Coloni alij liberi, alij Cenſiti, non poſſunt à dominis ultra conſuetum cenſum gravari.*
2. *Quando proſit ſententia in futurum, & paratam habeat executionem.*
3. *Actor & Colonus agere poteſt ut in futurum ſibi cautio præſtetur, ſi vim aut damnum metuat.*
4. *In cauſis civilibus, dominum in jus vocare prohibetur, accuſare poteſt ſi criminaliter injuriam ſuam & ſuorum proſequatur.*

5. Inju-

Digitized by Google

5. *Injuriam non cogitur quis remittere: ſi illata domino, non ideò ab eo puniendus eſt vaſallus qui eam intulit.*

1 AGricolarum plures conditiones *ſup. t. 47.* recenſui, hic duæ proponuntur, Colonorum & Cenſitorum. Coloni agros proprios, plerumque alienos colebant, nec eos dimittere poterant, quamvis manerent liberi ab omni cenſu & opera ſervili, qui per triginta annos hujuſmodi conditioni alligati fuiſſent, *l. pen. t. 47.* quibus prædiorum domini nullam poterant vim aut concuſſionem inferre, nec eorum liberis, qui per omnia patrum conditionem ſequebantur. Cenſiti Coloni libris cenſualibus inſcripti, magis ſervi erant, utpote perpetuo obſtricti culturæ agrorum, & quod ex conventione tenerentur aliquem cenſum domino ſolvere ex ipſis agris, eorumque fructibus, de his intelligenda *l. 2. h. t.* Covarruv. *ad cap. quamvis p. 2. §. 1. n. 7. de pact. in 6.* Quia vero ſæpe contingebat, ut domini ampliorem cenſum exigerent, quam conſueverant, aut ex conventione eis præſtare coloni tenerentur. Ideo hic ſtatutum, ut ſi domini coram judice convicti fuerint, id omne quod ſupra modum moremque extorſerint, reddere compellantur, & ne hoc faciant in futurum. *l. 1. h. t.*

2 Sic quod peccatum eſt ſarcitur, & ne in poſterum fiat prohibetur. Quo pacto conſulitur domino & colono, huic agenti, ne deinceps moleſtiam patiatur à domino plus exigente, quam anterioribus temporibus exigere conſueverat: illi ut ſi colonus ſtato tempore penſiones non ſolvat, petat eum condemnari ob debita præterita, & in futurum ſibi quotannis penſionem ſolvi. Quæ condemnatio valet tam pro præſenti præſtatione, quam futura, adeo ut in tempus futurum parata ſit rei judicatæ executio, implorato ſolum judicis officio. Nam quod dicitur judicium non eſſe de futuro, *l. 35. ff. De judiciis.* locum non habet, ubi præſtatio futura cauſam habet ex præſenti jure, ſive cum præſens & futura eandem habet originem. Lucas de Penna & Platea *ad d. l. 1.*

3 Planè ne actor quotannis jure agere, vel proteſtari cogatur, poteſt petere in futurum cautionem ſibi præſtari pro damno quod timet à re ruinoſa, *l. 1. ff. de damno infecto.* vel à perſona. Hinc colonus ſi metuat vim & oppreſſionem à domino ſibi inferendam, petet à judice cautionem dari de non offendendo. Avertenda namque eſt diſcordiarum cauſa, præſertim inter dominos & colonos, qui licet vitam agant liberam, ipſorum tamen eſt dominis obſequi, & quadam debita ſervitute cenſum annuum pendere, & agnoſcere omnia ejus eſſe, cujus

4 ipſi ſunt. * Quo fit ut nō poſſint dominos in jus vocare, lite pulſare vel accuſare. Cum enim decretum ſit, ne quid ex peculio ſuo, cuiquam colonorum ignorante domino prædij, vendere vel alio modo alienare liceat, qui fieri poteſt, ut contra ejus perſonam æquo poſſit in judicio conſiſtere, qui propria bona habere, & quæ poteſt acquirere, alienare prohibetur. *l. 2. h. t.* Ideò Impp. in cauſis civilibus hujuſmodi hominum generi adverſos dominos, vel patronos aditum intercludunt, & vocem denegant, excepta ſuperexactionis cauſa, id eſt, ſi aliquid ab eis ultra debitum, domini exigerent, ut *in d. l. 1.* aut ſi criminaliter ſuam ſuorumq; injuriam perſequantur, *d. l. 2. in fin.* hujuſmodi enim accuſatio publica eſt, quam jure intentat is cujus intereſt, illatam non eſſe injuriam, hanc enim remittere nemo cogitur, niſi facta ſatisfactione. * Imò non remittere ſæpe 5 expedit, ut crimina & convitia puniantur. Vitioſa quidem eſt ulciſcendi libido, non tamen ultio & accuſatio, quam lex ſtatuit, eſt iniqua. Unde Polybius *lib. 8. cap. 14. veterem ferendo injuriam, invitas novam.* Quamobrem virtutis eſt injuriam propulſare, non inferre. Quid ſi colonus aut vaſallus domino ſuo injuriam intulerit? non putem dominum poſſe vidicare, & punire, quia videretur in propria cauſa ſibi jus dicere; niſi ejus dignitatem lædat injuria, aut juriſdictio domini, illa impediatur, Penna *ad d. l. 2. verſ. tertio.*

TITULUS L.

De Colonis Palæſtinis.

1. *Coloni Palæſtini non poterant à terra recedere, ſicut nec alij adſcriptitij, & datur dominis plena poteſtas eos revocandi.*
2. *An poſſit dominus propria auctoritate Colonum fugitivum capere?*
3. *Et vaſallum quærere in prædio alieno.*

EXemplò Colonorum Reipublicæ, mittebantur 1 novi coloni, qui deſertas captasq; bello civitates implerent, colonias repararent, agros colerent, ſub penſionis præſtatione annua, à qua præter duodecim colonias Romanorum, paucæ aliæ erant immunes. Quin adeò adſtricti coloni, quodam æternitatis jure, ut illis non liceret ex his locis quorum fructu relevabantur, abſcedere, nec ea deſerere, quæ ſemel colenda ſuſceperant. Cujus conditionis erant etiam coloni Palæſtini, qui quantumvis liberi, terram tamen dimittere non poterant. Quia verò id ſe poſſe quodam proprio jure exiſtimabant, ſancitum eſt, ut per totam Palæſtinam (cujus tres erant provinciæ in Oriente) nullus omnino colonorum illo jure velut vagus ac liber exultaret, ſed exemplo aliarum provinciarum, ita domino fundi tenerentur, ut ſine pœna etiam ſuſcipientis non poſſit abſcedere, etſi receſſiſſet, domino poſſeſſionis fugitivum revocandi libera facultas

Digitized by Google

2 facultas daretur. *l.un.h t.* * Hinc gloſſographi inferunt, dominum etiam habere poteſtatem fugitivos colonos capiendi, ſi à nemine detineantur, & quocumque vagentur, quia non videtur invadere alienum, ſed retinere quod ſuum eſt, ſecus ſi ab alio colono poſſideantur, aut ipſi diu ſteterint in libertate, parati judicium liberale ſuſcipere, tunc enim remittendi ſunt coloni ad provinciæ Præſidem, unde dicantur receſſiſſe, ut ibi judicium intentetur. *l.1.& 3. ſup. ubi cauſa ſtat l.3.§.ſi ſervus ff.de acq.poſſ.* plura *ſup. tit.47.n.14.* tetigi, & dixi hæc intelligi, niſi deſit copia præſidis, & ſubſit periculũ fugæ, quia tunc plena tribuitur poteſtas domino revocandi, capiendique
3 fugitivum, & ad judicem ducendi.* Prout etiam datur poteſtas domino perquirendi ac inveſtigandi ſervum, aut vaſallum fugitivum in prædiis alienis, pœna per præſidem impoſita in eum, qui prædium ingredi & perquiri non permiſerit, *l.1.§.2.l.3.ff.De fugitivis.* Lucas de Penna *ad h.t.verſic.ſecundo quæro.*

TITULUS LI.

De Colonis Thracenſibus.

1. *Coloni Thracenſes erant liberi à capitatione, terram tamen non poterant dimittere.*
2. *Receptatores puniebantur, & cogebantur reſtituere colonos cum peculio & ſobole.*
3. *Hodie coloni qui in annos aliquot agros conduxerunt, non licet eis agros deſerere.*

1 PEr univerſam Thraciarum diœceſim, quæ provincias ſex complectebatur, videlicet Europam, Thraciam, Hemimontum, Rhodopen, Mæſiam ſecundam, Scythiam (ut habet *notitia Imperij c.132.*) Coloni omnes immunes erant à capitationis cenſu, ac ſolum jugationem terræ ſolvebant. Non ideo tamen quod tributariæ ſortis nexibus eſſent ſoluti, vagandi, & quo libuiſſet recedendi facultas dabatur, cogebantur enim ut cæteri coloni terræ adhærere, nec ullo pacto eam dimittere, aut permutare licebat. Nam quamvis conditione exiſtimarentur ingenui, erant tamen ſervi ipſius terræ, cui nati, *l.un.*
2 *h t.* * Unde qui colonos hos ſuſcipere, vel retinere auderet, eos cum peculio, & agnatione ſua, reſtituere cogebatur, ac inſuper dominis duas auri libras exſolvere. *d.l.in fin.* rejecta diſtinctione, de qua
3 *in l.1.Cod.Theod. De fugitivis colon.* * Moribus noſtris, licet coloni & villici non ita obſtricti ſint agris, ut iis perpetuo adhærere teneantur, illi tamen qui in annos aliquot agros conduxerant certa penſione, ex fructibus pendenda, non eis licet niſi ſtatuto tempore terram deſerere, quamquam domino poſſeſſionis facultas ſit eos ante præſtitutum tempus dimittendi, ſi non recte officio ſuo functi fuerint.

TITULUS LII.

De Colonis Illyricanis.

1. *Quod ſtatutum in Colonis aliis, locum habet in Illyricanis, ut recedere nequeant à ſua terra.*
2. *Revocabantur ſi alio tranſiiſſent ſub pœna, quæ etiam manet in eos, qui colonos recepiſſent. Nec excuſat ignorantia.*
3. *Princeps ſolet uni terræ majora privilegia concedere, quam alteri ſub quadam reſtrictione.*
4. *Curare debent poſſeſſores fundorum, ne Coloni agros deſerant, repetantque profugos.*

QUod ſuperioribus titulis dictum eſt de Colonis privilegiatis, idem hoc tit. repetitur, colonos ſcilicet & inquilinos per Illyricum, jugationem terræ præſtare, non capitationem, ab ea tamen terra recedere non poſſe. Itaque licet conditione viderentur liberi, erant tamen ſervi ipſius terræ, eique adhærebant, non tributario nexu, ſed nomine & titulo colonorum, unde ſi abſceſſiſſent, aliove ſeſe contuliſſent, revocati vinculis pœniſque ſubderentur. * Manebat quoque eos pœna judicis arbitrio irroganda, qui colonum alienum & incognitum ſuſcepiſſent, & damnum quod ex ejus fuga fundo obveniſſet, domino ſarcire tenebantur, *l.un. h.t.* Dicit incognitum, quia non excuſat ſuſcipientem ignorantia, imo ſcientia præſumitur, cum quiſque ſcire debeat colonum alienum, ſuum non eſſe. Hinc qui ſervum fugitivum iſtius regionis ſuſcepiſſet, ignorationis excuſatione ſublata, quadrupli pœna tenebatur, itemque damna ſarcire, & compendia operarum. Sic qui pari uſurpatione libertum alienum retinuiſſet, eadem afficiebatur pœna, qua is qui colonum liberum occultaſſet. *d.l. un. in fin.& l.12. ſup. de agric. & cenſit.* Itaque ignorantia non excuſabat à mulcta fiſco applicanda, & ſi forte pœna remitteretur, quam dominus fugitivi coloni petebat, ob damnum fundo illatum, *l. 4. ſup. De ſervis fugit.* ubi ſi ſervus fugitivus ſe eſſe ingenuum mentitus eſt, is qui eum habuit, ſi ignoravit conditionem ejus, nihil ab eo exigi poteſt. Platea *ad h.t.num.3.* 1 2

Notandum ex his ſolere Principes uni provinciæ plura aut majora privilegia dare, quam alteri, vel ob ſingularem in provinciales affectũ, vel eorum merita, atq; hanc Principum iſtorum munificentiam experiuntur Belgicæ provinciæ, quarũ omnes à capitationis cenſu, & jugatione terræ ſunt exemptæ, aliæ ab extraordinaria contributione, & ſubſidiis, itemque teloniis, ea tamen reſtrictione qua *d.l.un.* ne coloni agriculturam deſerant & alio fugiant, ſed ut agris ſuis adhæreant, eoſque diligenter colant. Chriſtinæus *ad h.t. deciſ.89.n.15.* * Curare proinde 3 4
debent

Digitized by Google

debent vicorum domini, ac fundorum poſſeſſores, ſi privilegiis frui velint, ut coloni & villici ſui, agris inſerviant, eos cultiores reddant, ne abſcedant, aut alio ſe transferant, & ſi id fecerint, permiſſum eſt dominis, colonos proſequi, & repetere, prout civitas civem ſuum repetit, Epiſcopus ſuum clericum, Abbas ſuum monachum, quem etiam debita pœna coërcet, ut habet *d. l. un. hoc tit. & tit. ſup. De ſervis fugitivis.*

TITULUS LIII.

Ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos, vel vicos eorum.

1. *Nullus debet recipere ruſticos in protectionem ſuam, & illorum bona, in fraudem fiſci.*
2. *Nobiles prohibentur ſuſcipere patrocinium inferiorum, vel communitatis, in damnum fiſci.*
3. *Protegere ſubditos à violentiis, eſt de regalibus, & ſolius Regis, non item dominorum temporalium.*
4. *Debitores qui ne conveniantur, potentioribus ſerviunt, non ideo liberantur, neque tabelliones falſa inſtrumenta conficientes.*
5. *Error & ignorantia quando tabellionem excuſet, ob errorem, recurrendum ad protocollum.*

1 RUſticani ſeu ruricolæ ruralia & terreſtria opera faciunt, etiamſi quandoque in urbe degant, *l. 99. §. 1. ff. de leg. 3.* ſuntque omnino liberi & ingenui, non ut coloni & tributarij (quorum mentio fit *in l. ult. h. t.* quæ ab aliis rejicitur tanquam aliena) perpetuæ agriculturæ addicti, quamquam agros quos colendos ſuſceperunt, durante conventione deſerere non poſſint, & ſe aut vicos in clientelam dare; qui vero id feciſſe probantur, digna caſtigatione coërcentur, & ad dominos ſuos redire coguntur. Item potentiores nobiles, qui contra publicam utilitatem, in ſuum patrocinium ruſticos ſuſcipiunt, centum auri librarum condemnationem ſubeunt: mediocris vero fortunæ, facultatum ſuarum amiſſione plectuntur. Eandem pœnam luunt intercedentes & tabelliones, ſimulatos contractus conficientes, quaſi bona ruſticorum & vicanorum ſibi vindicent potentiores, eaque defendenda ſuſcipiant, in fraudem fiſci, vel alterius, *l. 1. & 2. h. t.* Ita ut quod geſtum eſt, inter eos, ſpecie cujuſcumque contractus, nullam habeat firmitatem, ex tempore præſcripto, conſtitutione quadam Martiani, veluti declarant Imperatores Leo & Anthemius.

2 Unde quemadmodum *in l. un C. ne liceat potent. litig. patr. præſt.* prohibetur ne potentiores litigantibus patrocinia præſtent, ne adverſarius perterritus poteſtate, juſtæ cauſæ proſecutionem deſerat, ita hic ne privatus aut fiſcus jure ſuo ſpolietur, non licet potentioribus patrocinium alicujus vici, caſtri, aut communitatis ſuſcipere. Nam licet fiſcus potens ſit, ſæpe tamen potentioribus dominis par non eſt, qui proinde non debent fiſcum defraudare, nec inferiores ſeducere & protegere adverſus ſuos dominos, & licet Impp. mitiorem pœnam nobilioribus hic imponant, pecuniariam videlicet, augeri illa poteſt etiam ad ultimum ſupplicium juxta gravitatem facinoris. Quoniam quaſi crimen læſæ majeſtatis eſt, adverſari publicæ cauſæ, & impedire quo minus ſubditi obtemperent, tributa pendant, vel ſolvant quod aliis debent. Quin etiam videntur potentiores ſibi arrogare ſummum imperium, quod eis non competit & majeſtatem minuere, quod eſt, ut inquit Cicero, aliquid de Republica, cum poteſtatem non habeas, adminiſtrare.

Quo fit ut quamvis agricolis, & ſubjectis, vis & 3
injuria inferatur, non licet tamen potentioribus dominis, in ſuis territoriis jus protectionis uſurpare, nam id ſolius Regis eſt, jure proprio, ex principiis juris naturalis & divini; Adeo ut etiamſi dominis inferioribus Rex concedat juriſdictionem, cum mero & mixto imperio, non cenſeatur tamen data eis hæc poteſtas, & defenſio ſcilicet ſubditorum, ab injuriis & violentiis, quia adhæret ipſi regio diademati, in ſignum ſupremæ poteſtatis, ſic ut ad ipſum Regem, ejuſve ſupremum tribunal (quod ipſum Regem repræſentat) perpetuus ſit recurſus, quo ſubditi oppreſſi liberentur, quia cum illius proprium ſit, vim propulſare, non poteſt hæc proprietas, ad inferiores dominos pertinere, in damnum ſubditorũ, qui ſunt ſub protectione & tutela regali, nec ipſe Rex hoc jus protectionis & cognitionis per viam violentiæ à ſe poteſt abdicare, ut multis probat Franc. Salgado *de regia protect. p. 1. c. 2.* & Bobadilla, *in polit. lib. 2. c. 16. num. 83. & 117. & 196.*

Quamobrem ſive domini locorum hoc jus uſur- 4
pent, ſive ipſi ſubditi, ut onera functionum, aut carcerem evitent, & ne à creditoribus conveniantur, ad eorum clientelam confugiant, aut operas ſuas locent, nihil agunt. Illi quoque qui pro illis interveniunt, tabelliones qui illicitos contractus ineunt, graviſſime puniuntur, hi quidem privatione officij, ac perpetuò exilio, *l. 14. §. 3. ſup. de Sacroſſ. Eccleſ.* interdum manus amputatione, *cap. 1. de prohib. feud. alien.* * Ideo tabellio- 5
nes ne per ignorantiam delinquant, ſcire debent ſtatuta locorum, & habere notitiam improbatarum hujuſmodi conventionum. Penna, Platea & Pyrrhus *ad lib. 1. hoc tit.* mitius tamen eos puniri ubi per errorem & ignorantiam delinquunt, meminit judicatum eſſe Papo, *lib. 4. tit. 14. art. 8.* ſi quis tamen error irrepſerit, in deſcriptione inſtrumenti, recurrendum erit ad protocollum, tanquam veritatis matricem. Etenim tabellioni errorem

Digitized by Google

ſuum corrigenti creditur, ſi ſua ſubſcriptione teſtetur, ſe talem cancellationem feciſſe, vel additionem tali loco, & tempore adjeciſſe. Zachar. *de miſſ. in poſſ. num.* 334. *& ſeq.* Chriſtinæus *ad h. t. deciſ.* 89. *in fine.*

TITULUS LIV.

Ut Ruſticani ad nullum obſequium devocentur.

1. *Ruſticani capitationem ſolvere tenentur, alia onera publica ſubire non coguntur.*
2. *Puniuntur officiati qui eos ad obſequia cogunt & eorum ſervos & equos capiunt.*
3. *Privilegia & exemptiones ruſticis & eorum rebus quæ data ſint de jure?*
4. *Quæ moribus ac præſertim legibus Hiſpaniæ?*
5. *Fallacibus ruſticis denegantur exemptiones, quæ ſolis ſimplicibus dantur.*
6. *Quovis tempore, etiam feſtivo cogi poſſunt ruſtici annonam devehere in civitates, & urgente neceſſitate alij vicini.*
7. *Vexantur nimium hodie ruſtici ob cauſam belli, & coguntur agros ſuos deſerere, quod Reip. eſt damnoſum.*

1 Ruſticani ſunt qui ruri habitant, & proprios agros colunt, quo diſtinguuntur à colonis cenſitis, qui alienis agris colendis ſunt adſcripti, neque liberi planè ſunt, prout ruſticani, de his loquitur Juſtinianus, *in l. ult. ſup. De teſtam.* cum dixit: *Quod quiſque ruſticorum diſpoſuerit, hoc omni modo legum ſubtilitate remiſſa, firmum validumque conſiſtat.* & Impp. Diocl. & Maxim. hic, adeo ruſticis favent, propter utilem operam, quam Reipublicæ præſtant, ut non patiantur eos agriculturam deſerere; & aliud obſequium ſubire, præter annonam congruam & capitationem, quam præſtare ſolent, omnes extra muros habitantes. Neque volunt à Rationali onera & ſumptus illis imponi, qui fiunt circa equos, & mulos fiſcales aut muliones, vel proſecutionum ratione, *l. 1. h. t. & l. ult.*
2 *ſup. De diſcuſſor.* * Multò minus equos, boves, aut ſervos ipſorum ruſticorum capi permittunt, ab apparitoribus Præſidum, & aliis Officiatis prætextu muneris publici, *l. 2. h. t.* ſolebant enim non tantum apparitores, & Principes officiorum, ſed etiam inferioris ordinis miniſtri, ut numerarij, cornicularij, commentarienſes, & alij qui militiæ auctoritate poterant eſſe terribiles, inſolenter cogere ruſticos ad obſequia, quaſi eſſent illorum mancipia, ſervos quoque & boves aratorios abducere, & in uſus proprios convertere. Quæ concuſſionis ſpecies ſub pœna publicationis bonorum, & exilij perpetui fieri prohibetur. * Poſſem hic dicere quod Juſtinianus *in d. l. ult. in pr.* non ſolum antiquis legibus, & à retro Principibus, ſed etiam à noſtris Regibus, ſemper conſultum fuiſſe ruſticis, ſine quibus, ut ait Ariſtoteles *lib. 4. polit. & lib. 7. c.* 8. Reſpublica ſtare non poteſt, quaſi deſtituta ſuis nervis: quare nova illis privilegia data ſunt, & vetera retenta, ut non poſſit agros ſuos cogi deſerere, prætextu alicujus publici muneris, aut oneris impoſiti, nec eorum equi, boves aratorij & inſtrumenta apta agris colendis retineri, pignori dari, aut executioni ſubjici. *l. 7. & ſeq. ſup. quæ res pign. obl.* niſi à domino fundi, ob debita, ſi alia bona non reperiantur. 3

Addenda hic Conſtitutio Philippi II. Regis noſtri Catholici, Madriti lata anno 94. cujus meminit Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 3. num.* 61. ubi colonis villicis, eorumque rebus novæ exemptiones conceduntur, inter alias, ne ob civile debitum in carcerem conjiciantur, aut executionem patiantur ſupra quam facere poſſunt, niſi ſint in dolo. 4
* Jura enim ſubveniunt ignorantibus, non doloſis & verſipellibus ruſticis, quales hodie fere omnes ſunt, propenſi ad furta, fallaces in rebus ſuis diſtrahendis, callidi in obſervandis temporibus, quibus frumenta carius vendant, & annonam vexent, & populum fame premant, tales plerumque ſunt majoribus civitatibus vicini, qui frequenti cum civibus commercio, eorum vitiis inficiuntur, quæ cauſa, cur illis privilegia minime ſint concedenda, quæ ſimplicibus tantum data, ut vult Hiſpaniæ lex, ubi dicit, *que ſea labrador ſimple, ó aldeano necio, l. 6. tit. 14. p. 3.* quam *d. loco* exponit præter Bobadillam, Otalora *De nobilit. p. 5. cap. ult. n. 29.* & Greg. Lopez. 5

Unde cogi poſſunt ruſtici ſua vendere, curribus, & jumentis ſuis annonam devehere in proximas civitates, aut portus, quovis tempore vindemiæ, meſſis, belli, imo etiam diebus feſtivis, qui licet ſuis exercitiis dicati ſunt, & privilegiati, tamen Reſpublica ob annonæ neceſſitatem, etiam eos dies ſibi jure vindicat, & poteſt Magiſtratus ruſticos ſuæ juriſdictioni ſubjectos compellere ad neceſſaria deferenda, quæ ſi non ſufficiant, implorare vicinos pagorum Officiatos, ut ruſticos ſuos cogant, frumenta deferre & juſto pretio vendere. Urgente itaque annonæ caritate, putem poſſe ruſticos etiam exteros cogi, & eorum equos, aſinos, aliaque jumenta capi ad annonam devehendam, non obſtante diſpoſitione. *l. 2. h. t.* quæ ruſticos vult exemptos, ne agricultura, vel tantillo tempore intermittatur. Eo quoque pertinet *l. 1. & l. 19. ſup. De Agricol.* 6

At hodie tantum abeſt ut id obſervetur, ut etiam miſeri ruſtici, non in dies aliquot, ſed perpetuo implicentur deferendo commeatu, vel aliis rebus mili- 7

militaribus, ita ut vix agros poſſint colere, ac tandem præ inopia cogantur deſertis ſuis ſedibus, alio migrare, cum ſummo non tantum ſuo, ſed & totius Reipublicæ damno, atque ærarij diſpendio, nam qui augeatur ſi ejus venæ, & nervi (quos ruſticos eſſe dixi) obſtruantur. Hactenus de agricolis & ruſticis.

TITULUS LV.

Non licere habitatoribus metrocomiæ loca ſua ad extraneum transferre.

1. *Quid ſit metrocomia, quibus aſſignaretur & prohiberetur alienatio.*
2. *Validum eſt ſtatutum ne prædia in exteros alienentur, atque illud obligat clericos.*
3. *Cur non liceret merces ad exteros deferre.*
4. *Extraneus prohibitus emere bona immobilia certo loco, non prohibetur ea acquirere quæ majorum fuere.*
5. *Licet bona patrimonialia in extraneum alienata retrahere, Feuda alienata in monachum devolvuntur ad proximum. Uſus permittit ea alienare.*

1 HOc & tit. ſeq. agitur de corpore convicanorum, id eſt, eorum qui ſunt ex eodem vico & metrocomia. Metrocomiam Græci vocant matrem vicorum, ſeu villam majorem, quæ ſub ſuo diſtrictu plures pagos, vicos, & arces continet. *l. fin. Cod. Theod. De patroc. vican.* Cujac. *in l. fin. De exact. tribut.* ſolebant Romani devicta urbe, vel provincia, potentiores incolas, & armigeros inde extrahere, bonis derelictis, & ærario publico applicatis, alias terras ipſis aſſignare, quæ terræ, metro, id eſt, menſura, cuique aſſignatæ, metrocomiæ dictæ ſunt; Dein à Leone Cæſare cautum eſt, ne iſti metroici ſeu poſſeſſores terras publicæ ſibi datas, in alios præter habitatores metrocomiæ trasferrent, ſi ſecus feciſſent, contractus careret effectu, eoque reſciſſo, pretium quod datum eſſet, reſtitueretur, *l. un. h.t.*

2 Inde infero validum eſſe ſtatutum, quod prohibet, ne quis ex incolis prædia ſua exteris vendat, aut donet, quo comprehenduntur etiam clerici iſtius diſtrictus, cum ſint ejuſdem Reipublicæ cives, & ut tales, ſubjiciantur æquis ſtatutis laicorum, & terræ conſuetudini, *cap. 3. ✠ De donat.* Quare alterius metrocomiæ clericis, utpote exteris terras & poſſeſſiones ſuas vendere non poſſunt, neq; alio titulo in eos transferre. Non obſtat quod generalis ſtatuti diſpoſitio, non comprehendat Eccleſiaſticos, quibus permiſſum eſt bona acquirere communi. *l. 19. ſup. De ſacroſ. Eccleſ.* quia hoc ſtatutum eorum privilegiis non adverſatur, nec impedit bonorum acquiſitionem, ſed tantum vult bona jam quæſita & loco fixa, vendi iis qui ſunt iſtius tractus, *d. l. un.* quod è re eorum eſt, & fiſci, quia ſi ea bona exteris vendere liceret, fraus poſſet fieri fiſco circa capitationem, quam ſolvunt ruſtici, & Metœci. Alciatus hic & Amaya *tit. de prædiis decur. n. 13. hic.* * Eo pertinet quod alibi 3 ſcriptum, non licere merces ad exteros deferre, aut cum iis nundinas exercere, *l. 4. & ult. ſup. de commer. & mercat.* quo facilius incolæ onera ſui tractus ſuſtineant, & Reipublicæ ſubveniant; unde non licebat mercatoribus mercandi, aut vendendi cauſa, ſecretiora imperij penetrare, & ad Barbaros proficiſci, ſine Comite commerciorum, ne Reipublicæ arcana, ab iis detegerentur, & ex mercatoribus fierent proditores, quod ipſum ſcripſit Cicero, *lib. 1. offic.*

Quid ſi incola bona ſua donet, aut talem hæredem inſtituat, qui ab inteſtato ſit ſucceſſurus? valida erit donatio, vel inſtitutio, nam quamvis alio in loco inſtitutus habitet, non habetur extraneus ideòque prohibitus in tali metrocomia terras emere, non prohibetur eas ſucceſſione ſibi acquirere, vel comparare, quæ majorum fuerunt. Platea *ad h. l. n. 2.* facit in eam rem quod præſes provinciæ prædia comparare non poſſit in provincia quam regit, aut miles in provincia in qua militat, ne ſtudio culturæ à militia ſua avocetur: poteſt tamen ea prædia, quæ olim majorum fuerunt emere, & acquirere, *l. 62. ff. De contr. empt. l. 9. & 12. ff. De re milit.* quia non tam videtur ea acquirere, quam retinere, aut à fiſco forte occupata redimere. Accedit quod ſemper maxima ſit habita ratio familiarum & dignitatum, ut bona in iis conſerventur, & ad eas revertantur. Tiraquel. *De retract. in præf. num. 45. & §. 1. gloſſ. 9. num. 162.* * Hinc 5 recepta conſuetudo, contra juris communis diſpoſitionem, *in l. 14. ſup. De contr. empt.* ut liceat agnato proximiori ob favorem ſanguinis, prædia patrimonialia in extraneum alienata retrahere, pretio oblato intra annum, qua de re dixi ſupra *lib. 4. tit. 55. num. 23.* Item feudalia bona quæ poſſidebat is qui ingreſſus eſt religionem, licet proximiori agnato ſtatim recuperare, ſiquidem perſonali ſervitio erant obnoxia. *cap. un. ſi de feudo fuerit contr. cap. un. De milite vaſallo qui bellic ar. poſſ.* Jure feudorum ſub pœna commiſſi prohibita eſt alienatio bonorum feudalium abſque domini conſenſu. Bald. *in c. Imperialem De prohib. feud. alien.* Sed hodierna conſuetudine, citra domini conſenſum feuda inſtar bonorum patrimonialium promiſcue vendi, ac hypothecæ ſubjici poſſe docet Kinſcotius *reſp. 15. num. 9. & reſp. 76. num. 22.*

Digitized by Google

TITULUS LVI.

Ut nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis teneatur.

1. *Pravus mos qui invaluerat, ut unus ex vicanis pro alio detineatur, hic prohibetur.*
2. *Neque detineri poteſt vicani prædium pro publicis debitis alicujus.*
3. *Juſtinianus conſtituit ne poſt hac ulla fiat pignoratio, per quam alius pro alio prægravetur, ſub pœna amittenda actionis, & quadrupli præſtandi.*
4. *Dein prohibitum pignorationes in ſcholaſticos & clericos exerceri aut injuriam his fieri.*
5. *Hodie à Principe conceduntur repræſalia, cauſa cognita.*
6. *Quæ in iis concedendis conditiones requiruntur.*
7. *Quomodo procedendum in repræſaliarum executione?*

1 Cum iniquus ille mos invaluiſſet, ut ex contractu vel delicto unius ex convicanis, vel ruſticanis, alter convicanus teneretur, & ut liceret creditori ob unius vicani debitum, alium quemvis ex eodem vico detinere, & bona apprehendere, quoad verus debitor ſatisfeciſſet, Zeno Imperator hujuſmodi iniquitatem contra vicanos, ſeu vicarios, perpetrari prohibet; *l. un. h. t.* cujus legis verba inſeruit Pontifex, *c. un. De injuriis & damno in 6.*

2 Quin & Honorius & Theodoſius nullo modo voluerunt, ut pro publicis debitis alienis conveniretur alterius poſſeſſio, id eſt prædium, cum tamen alioquin publicorum debitorum ſeu fiſcalium magnus ſit favor. *l. 4. C. De execut. & exact. lib. 12. & l. 1. C. Th. De exact. & Novell. 128. c. 14.* Inde obſerva, propria, non aliena prædia convenire ob tributum fiſco debitum. *l. 7. ff. De public. vectig. l. 19. ff. De jure fiſci.* ubi res non perſona dicitur conveniri. Nam quod ante Theodoſij Conſtitutionem etiam perſona locupletior à fiſco conveniretur, detineretur que ejus prædium, pro univerſis poſſeſſoribus vici, aut pagi, id quidem expediendi negotij cauſa, fiſci favor extorſerat, ut videlicet promptius publici vectigalis debitum conſequeretur, quo caſu cogebatur executor ei qui conventus erat, actiones ſuas præſtare, *l. 5. ff. De cenſib.*

3 Verùm cum bonis legibus, mali mores prævalerent, & iterum invaluiſſet ut liceret ejuſdem civitatis vel vici hominem prehendere, vel res ejus ob debitum alterius ejuſdem loci pignorare, qua de re queritur Caſſiodorus 4. *var.* ubi poſt multa, *audacia, ad ſolutionem, trahit extraneos, cum abſolvant jura cunctos, & damnent pignorationes.* Juſtinianus morem iſtum tanquam iniquiſſimum damnat renovatque anteriorum Principum Conſtitutiones, ne poſthac ulla omnino fiat pignoratio, per quam alius pro alieno debito publico vel privato prægravetur, quod nulla dari poſſit cauſa, ut cum alius debitor ſit, alius pro hoc conveniatur, aut cum quiſpiam damnum & injuriam intulerit, alter pro illo turbetur, & quia ex eadem urbe vel vico, unde ille oriundus eſt, opprimatur & contumelia afficiatur. *Novell. 52. §. 1. & Novell. 134. §. quoniam vero.* Quare pœnam hanc imponit creditori, ut quod exigit, vim paſſo in quadruplum reſtituat, & jus crediti amittat, ſeu actionem, quam contra verum debitorem habuit. Non adverſatur quod fidejuſſor, & qui pro alio ſe ſoluturum conſtituit, exigi poſſit, licet non ſit debitor, nam etſi talis non ſit, ſua tamen obligatione, acceſſorie obſtrictus eſt, & tanquam debitor exigitur.

Idem quod à Juſtiniano, conſtitutum dein fuit à Frederico Imp. *tit. De cultu pacis & tit. De pæſ. puniend.* ſed nunquam populi abſtinuerunt, ſæpius enim in uſum pignorationes revocarunt, eaſque barbare appellarunt repreſalias. Cum igitur non poſſent omnino tolli è Republica, id ſaltem effecit Fredericus nova Conſtitutione Codici Juſtinianæo inſerta (*tit. ne filius pro patre*, de qua vide quæ ibi dixi) ne ſtudioſi qui ſcientiæ cauſa in Academiis verſantur, ob aliena debita detinerentur, aut ad aliud judicium, quam Epiſcopi, aut Rectoris ſui vocarentur, promiſſa illis actione famoſa in quadruplum adverſus creditores. Similiter Gregorius Pontifex clericos à repreſaliis, & quocumque gravamine exemptos eſſe voluit. *cap. 1. De injuriis in 6.* prout etiam à bello *c. 2. De treuga & pace.* Succeſſit dein Bulla *cœnæ §. 19.* quæ generatim Eccleſiaſticos à ſeculari Judice, vel Officiato vetat capi vel detineri ſub cautione, aut ſententiam etiam juſtam in illos ferri, facit & *c. ſi clericos De ſent excom. in 6.* & quæ Diana refert *p. 1. tract. 2. De immun. Eccleſ.* 4

Retentus repreſaliarum uſus, non quidem inter incolas ejuſdem regni, cum illi judicem habeant, coram quo de illata injuria conqueri poſſint, ſed adverſus exteros, ut ſi Hiſpani eripuerint Gallo negotiatori ſuas merces, licitum fuerit quemlibet Hiſpanum detinere, ejuſve merces deripere: ſi prius tamen liquido conſtiterit res fuiſſe abreptas, & dum ex æquo & bono repeterentur, denegatam juſtitiam. Quare res ſuas ab exteris repetituri nullo modo prætermittere debent formam in decernendis, exequendiſque repreſaliis requiſitam, ut enim non facile bellum ſuſcipiendum, ita nec ea remedia quæ bellum redolent. * Forma autem ſive conditio prima eſt, ut ſubſit cauſa, eaque gravis, nam ob levem aliquam injuriam aut direptionem, non eſt adhibendum extraordinarium remedium, cum ſit ordinarium. Altera 5 6

tera ut præcedat juſſus ſupremi Principis, qui ut bellum ſolus indicit, ita & repreſalias permittit, utrumque legitime, cum Principis ſit jura ſubjectorum tueri, & omnes injurias ab illis propulſare. Tertia, ut à Magiſtratu vel Principe exteri, qui debitor eſt, vel damnum injuria dedit, petatur damnum ſarciri, id ſi mandare neglexerit, vel contempſerit, juſte tunc concedentur repreſaliæ, quemadmodum juſta ſuſcipiuntur arma. Bart. *in ſuo tract. De repreſaliis.* Ant Gail. *De pignorationib. & arreſt.* & Cujacius *ad l. un. C. h. t.* qui docent repreſalias quas veteres clarigationes vocarunt, nunc marchas appellari, quia potiſſimum in marchis, id eſt, limitibus regionum exercentur, inde Marchiones & Comites limitanei: & marchæ dictæ litteræ, quæ non prius conceduntur quam ſignificatum fuerit Principi aut populo, ut curet ſolvi quod creditori debetur, aut injuriam illatam puniri.

7 Quare ſervandæ ſunt hæ conditiones in decernendis repreſaliis, in executione vero ne diutius quam par eſt, cum perſonis captis agatur. Rebus vero detentis, ne ut propriis uti vel abuti liceat, ſed ſub haſta publice vendantur, & quatenus fieri poteſt rerum judicatarum ſolemnia obſerventur, qui ſecus fecerit, damna ſarcire debebit, quæ ob juris formam neglectam acciderint.

TITULUS LVII.

De cenſibus, & cenſitoribus, & peræquatoribus, & inſpectoribus.

1. *Continuatio Tit. & quam varie cenſus accipiatur.*
2. *Officium cenſorum, & quæ fuerit cenſendi forma, digna ut hodie obſervetur.*
3. *Magnam Reipublicæ utilitatem confert bonorum & perſonarum deſcriptio.*
4. *Tenuiores non debent nimium gravari, gravati agnoſcunt tantum priſtinam profeſſionem.*
5. *Domino per fraudem abſente, peræquator prædia æſtimare poterit, & toleratur ejus iniqua æſtimatio.*
6. *Si relevatio ſit facienda, mittitur inſpector, qui bona inſpiciat, & referat quæ poſſint æquari & æſtimari.*
7. *Et an procuraverit ſterilitatem agrorum poſſeſſor, ut minus ſolveret.*
8. *Si minus ſit gravatus culpa peræquatoris, licet conqueri intra annum.*
9. *Peræquator qui per negligentiam, aut gratiam aliter cenſum impoſuit, quam deberet, quomodo puniatur.*
10. *Æſtimatores tenentur onus agnoſcere, quod ultra modum impoſuerunt, & quomodo gravatus agat & appellet.*
11. *Bona omnia referenda ſunt in æſtimum, ut modus cenſendi ſervetur.*
12. *Inſcripti in æſtimo poſſunt ejus inſpectionem petere, & ad unius inſtantiam debet æſtimum reformari.*
13. *Æqualitas ſervanda & æſtimatio facienda pro fructuum quantitate.*
14. *Toties facienda peræquatio, quoties defectorum levamen expoſcitur.*
15. *In Belgio neceſſaria peræquatio, cum ob continua bella multa terra ſint deſerta & inundata.*
16. *Civitas ex cauſis ab onere relevatur, & id imponitur aliis civitatibus quæ onus commodè ferre poſſunt.*
17. *Prædium deſertum alteri à peræquatore aſſignatur, ſine onere ſolvendi præteritos cenſus.*
18. *Volens recuperare rem ſibi obligatam aut propriam debet emptori reſtituere expenſas meliorationis.*
19. *Quid juris ſi vaſalli ob culpam dominorum feuda ſua deſerant & alio ſe conferant.*

Abſoluta priore hujus libri parte, quæ eſt de univerſitatibus ſeu collegiis & corporibus, ſequitur poſterior, quæ cenſuum materiam complectitur. Cenſus nomen varie accipitur. Olim publicam civium & bonorum quæ eorum erant deſcriptionem, ſonabat; deinde pro bonis ipſis ſeu patrimonio accipi cœpit, ut *in l. 16. in princ. ff. ad S. C. Trebell. l. 27. §. ult. ſup. De Epiſc. aud.* ac ſic Ovidius cenſum accipit: 1

——— *Dat cenſus honores,*
——— *Cenſus amicitias.*

Hoc jure autem pro tributis fiſco, vel Reipublicæ, pro modo poſſeſſionum inferri ſolitis, cenſus accipitur, & *in l. un. ſup. De capit. civium cenſ. exim.* Jure Canonico pro omni annua penſione, quæ in ſignum Imperij ſubjectioniſve quotannis penditur ab eo, qui accipit in cenſum prædium *tit.* ✠ *De cenſib. cap. 6.* ✠ *De relig. domib. cap. 8.* ✠ *De privilegiis.* Proprie itaque cenſus ſignificat æſtimationem bonorum factam, ut ſecundum eam tributa præſtentur. * Æſtimandis & cenſendis bonis præficiuntur Cenſores ſive Cenſitores, quos Hiſpani *Repartidores* vocant; hi jurant ſe officium ſuum fideliter facturos, ut peræquatis bonis æqua lance indictio procedat: Quare cenſendi formam accuratiſſime ſervabant, dignam, quæ & hodie obſervetur, qua continebatur tam perſonarum quam bonorum deſcriptio; perſonarum, cum ſinguli cives & municipes ſua & uxorum, liberorum, ſervorum, inquilinorumque ſuorum nomina profitebantur, pro quibus cenſum ſolvere tenebantur, item cujuſque ætatem, tribum, claſſem, centuriam, & quam quiſque urbis regionem habitaret, bonorum vero, cum iidem patresfamilias prædia ſua, ſervorum pecudumq; numerum, fundorum inſtru- 2

 ſtru-

Digitized by Google

ſtrumenta, ſupellectilem, pecuniæ quantitatem fideliſſimè deſcribebant, cum adjectione nominis cujuſque prædij & fundi, & in qua civitate, quo pago, juxta quos vicinos prædia eſſent ſita, item oliveta, quot jugerum eſſe viderentur, vinea quot vites haberet, & pratum quot arbores, quot jugerum paſcua & ſylvæ cæduæ, *l. 4. ff. h. t.*

3 Atque hæc bonorum deſcriptio, magnam etiam nunc Reipublicæ utilitatem adferret, ex qua civium numerus, & facultates ſciri poſſent, & qui ex iis ſint idonei ad bella gerenda, qui domeſticis rebus curandis aptiores, qui in colonias deduci, quos operibus publicis exerceri expediat, aut agris colendis adſcribi. Nec minus etiam utilis eſſet perſonarum deſcriptio, unde ætas & conditio cognoſcatur, qui tenues, qui locupletes, qui prodigi, aut avari in civitate aut territorio toto ſint, qui in eo otioſi, pecula-
4 tores & validi mendicantes. * Denique ut ex hac publica deſcriptione proſpici queat inopiæ & juſtiſſimis tenuium, & agricolarum querelis, qui ſæpe modo tanto vectigalium & exactionum pondere premuntur, ut agris ac ſedibus quaſi foro cedere cogantur. De his Salvianus *De providentia Dei lib. 4. & 5. Inveniuntur*, inquit, *plurimi divitum, quorum tributa pauperes necant. Decernunt potentes, quod pendat turba miſerorum, ipſi enim in nullo ſentiunt, quod decernunt.* Quid iniquius quam ut immunes ſint divites à debito, qui cunctos faciunt debitores. Principis proinde erit ſerio expendere has pauperum querelas, eas admittere, non ſurdis auribus præterire, atque exemplo Conſtantini Imperatoris adverſus potentes, tenuiorum cauſam ita ſuſcipere, ne immoderatis tributis onerentur, ſed tantum priſtinam profeſſionem agnoſcant, *juxta l. 1. h. t.* ex qua colligitur quam utile publicè ſit, ut priſtina bonorum omnium profeſſio, & æſtimatio, tabulis publicis aſſervetur, ne peræquator territorij, qui cum notario à Cenſore ad peræquandos & cenſendos agros mittitur, pluris eos æſtimet, quam oportet, neve etiam per colluſionem potentiorum ſarcinam ad pauperes transferat; ut ait Imperator, *in d. l. 1.* nam ſi quis ſe gravatum probaverit, auctamque fuiſſe à perequatore taxationem bonorum ſuorum, cenſum præſtabit ſecundum antiquæ cenſualis profeſſionis modum, & æſtimationem, quam ipſe poſſeſſor, aut majores ejus exhibuerunt, *l. 1. ſup. De immun. nem. conced.*

5 Solebat enim quiſque poſſeſſor bona ſua æſtimare, eaque Cenſori deferre; hic autem ſi de juſta bonorum profeſſione dubitaret, ut certus cenſus bonis indici poſſet, mittebat peræquatorem, qui æſtimaret & deſcriberet res ſingulas, præſente & legitime vocato poſſeſſore, qui ſi per fraudem cenſitioni & peræquationi nollet intereſſe, vel colonum fugaſſet retractationis cenſus defugiendæ cauſa, id quod poſſeſſore ejuſve procuratore abſente, æquum peræquator judicaſſet, ac conſtituiſſet, ratum habebatur, *l. 3. h. t.* quamquam cenſitio vix rectè fieri poſſet abſente domino, vel colono, quem quia dolo ſe dimiſerat dominus, ne ſtatus ſuorum bonorum patefieret peræquatori, ideo totius æſtimi cenſum ſolvere cogebatur; nec querelæ illius audiebantur. Unde fit ut propter dolum & fraudem toleretur iniquitas illati gravaminis, quæ alias non toleraretur, Platea & Rebuffus *ad d. l. 3.*

Igitur, ubi fraus abeſt, hanc æquitatem debet 6
admittere Cenſitor, ut officio ejus congruat relevari eum, qui ſe injuſto onere gravatum eſſe probat, vel cuius bona, profeſſione facta, ſunt ſterilia, ita ut iis frui nequeat, *l. 4. §. 1. ff. h. t.* atque eo caſu Inſpectorem mittet, qui cenſum emendet, prædiis inſpectis, item qui referat quænam prædia ſint male cenſa, quæ facta ſterilia, quanta agri portio chaſmate vel incurſu hoſtium perierit; quæ vites mortuæ ſint, vel arbores aruerint, & quomodo agri infertiles cũ fertilibus poſſint æquari &
denuò æſtimari facta compenſatione. * Inquiret 7
etiam an colonus agros ſteriles reddiderit, aut paupertatem ſimulans, vites arboreſque exciderit, talis
enim priſtina profeſſione non relevatur *l. 2. h. t.* 8
* Item an culpa vel gratia peræquatoris inæqualis deſcriptio & æſtimatio bonorum facta fuerit, quia dum illa non ſit, licet gravato de iniquo onere conqueri, & actionem inſtituere, quam imperatores completa peræquatione intra annum proponi volunt. *l. 5. h. t.* excipiunt minores qui fuerint indefenſi, & abſentes Reipublicæ cauſa, quibus annus computatur, ex quo agendi habuerint facultatem *d. l. 5. in fin.* puto etiam majores, exacto anno, poſſe conqueri, cum injuſta perequatio, elapſo ſtatuto tempore, nullam vim obtineat, poſſum quoque uti beneficio appellationis intra tempus legibus conſtitutum. Imo quamvis id effluxerit, aut proſequendi appellationem via ſit præcluſa, non tamen opponendi nullitatem contra injuriam peræquatoris privato factam, *arg. l. 19. ff. de appellat.* Belluga *in ſpeculo princip. Rub. 46. verſ. reſtat videre. n. 2.* Rebuffus *ad d. l. 5. n. 8.* Bobadilla *in ſua politic. l. 5. c. 5. num. 36.*

Ubi autem propoſita fuerit actio, ſeu queri- 9
monia, & deprehendatur peræquator & tabellio incurriſſe culpam negligentiæ vel gratiæ, non ſolum honoris jacturam, verum etiam quadrupli mulctam ſubit, ea vero quæ à poſſeſſore extorſiſſe convincitur, ut erga alium eſſet gratioſus, in quadruplum cogitur reſtituere. *l. 6. h. t.* Hinc notandum adverſus æſtimatores, qui bona ultra debitum modum æſtimant, teneri onus agnoſcere, quod aliis voluerunt impoſitum. Item licere adverſus illos agere non tantum civiliter ad mulctam, ſed etiam criminaliter ad pœnam, ſi pecunia corrupti

rupti

Digitized by Google

rupti tenuiorem cenſu oneraverint, cui proinde permiſſum, ut dixi, quærelam movere, & ſi ſe inique condemnatum putet, poterit à tali ſententia appellare: attamen ſi ex forma ſententiæ, juſſum fuerit, ut executioni mandetur, appellatio
10 interpoſita non ſuſpendet executionem. * Cæterum peræquatoris, diſcuſſoris quamvis æqua æſtimatio, non eſt tamen executioni mandanda, ſed prius cauſa impoſiti oneris ad cenſorem eſt referenda, hodie ad magiſtratum, à quo judicanda & confirmanda. *juxta l. 2. ſup. De jure fiſci.* ubi diximus computationem à tabulariis factam, vim ſententiæ non habere, niſi ab eo qui juriſdictionem habet, confirmetur. Amaya *ad d. l. 2.* Garzia *De expenſis cap. ult. in fin.*

11 Quamobrem ut omnis controverſia & lis evitetur, neceſſe eſt ut cenſitores ſive magiſtratus, prævia cauſæ cognitione, pro regionis conſuetudine librum cenſualem conficiant (quem ſupra æſtimum nominavimus, *lib. 10. tit. 16. in fin.*) quo quiſque ſciat quantum ærario ſit inferendum, item ut & & modus in exigendo cenſu ſervetur, juxta omnes res & facultates quas quiſque poſſidet, exceptis tamen iis, qui jure, privilegio, vel præſcrip-
12 tione immunes ſunt * Porro gravati licite poſſunt exigere æſtimum inſpiciendum, ut videant an alius alio magis gravetur, & an magis pauper quam dives, ut ſæpe evenit. Quin etiam unus petere poteſt reformari matriculam ſive æſtimum, nam cum de onere agatur, & verſetur cauſa publica, quilibet è populo audiendus eſt. *l. 1. ff. ſi menſor. falſ. mod. dix.* ibi, *Nam intereſt noſtra, ne fallamur in modi renunciatione*, ita & in æſtimi variatione.

13 Nemine petente vel urgente, ſi in æſtimo aliqua reperiatur inæqualitas, corrigi, mutari & reformari poteſt, quolibet quinquennio, ob id quod rerum ſtatus illo tempore varietur. Puto breviori poſſe id fieri, ne quid ad relevationem divitum, & in pauperum perniciem protendatur, contra *l. 1. hoc tit.* Si non obſtante veteri æſtimo, aliqua inæqualitas per aliorum fraudem inducta ſit, æqualis cenſuum ratio ineunda eſt, ut omnes æqualiter pro ſuis facultatibus onerentur, habito tamen potius reſpectu ad fructus præſentis temporis, quam ad valorem rei, juxta *l. 13. ſup. de act. emp ti. l. 2. ſup. de annon. & tribut. l. 3. ſup. ſine cenſu.* ibi Bald. & Salicet. & Clockius *de collect. cap. 11. num. 100.* ita ut qui plus habet, plus ſolvat, qui minus, etiam minus, *l. 4. ff. hoc tit.* nam pernicioſe errant qui bonorum æſtimationem, non fructus ſequuntur.

14 Quare toties inſpectio & peræquatio facienda eſt, quoties agri nullos, aut paucos fructus proferunt, multo magis ſi civitas ob defecta prædia, relevationem petat, ea concedenda eſt, *l. 4. hoc tit.* & quod ex his prædiis diminutum fuerit, ex aliis quæ meliora ſunt, ſupplendum erit. Sic ſterilia fertilibus compenſantur. Ex qua legis deciſione liquet ſolutionem onerum, ſi diuturnitate temporis fiat iniqua, vel rerum ſtatus mutetur, ad æquitatem reducendam eſſe, per magiſtratum, ac rem ita ab eo temperandam, ut vitia priorum cenſuum, datis novis poſſeſſoribus, evaneſcant *l. 2. & l. 4. §. qui poſt. cenſum ff. h. t.* * Sic cum per 15
bella interna & externa, multi agri ſint deſerti, terræ inundatæ, territoria deſtructa, & negotiatio imminuta hic in Belgio, equum eſſet redeunte pace, terras omnes peræquare, & ſingulis certum cenſum imponere, taxam veterem novare, aut quam Carolus V. Imperator ſervari voluit, conſideratis facultatibus, negotiis & exercitio cujuſque, eo in loco ubi domicilium habet, aut ubi negotiationem ſuam exercet. Plura in hanc rem edicta recenſet Zypæus, *in notitia juris Belgici tit. de vectigalibus.* Indigent enim ſæpe antiquæ taxæ & adjectiones cenſuum renovatione, & novo auxilio, quæ iterum emergunt, ut ſcribit Celſus, *in l. 11. §. 8. ff. de inter. act.* Licet alias, quæ antiquam formam ſemper habuerunt, minime mutanda, & variatio in muneribus prohibita ſit. *l. 20. ff. de opt. legat.*

Si igitur civitas ſolito incolarum numero & fa- 16
cultatibus deſtituatur, & levamen à Principe expoſcat, diſquiſitione habita, & oſtenſo onere, ab eo relevabitur, ſed quod ei adimitur, aliis ejuſdem provinciæ civitatibus imponetur, quæ onus novum commode ferre poſſunt, quod colligitur *ex d. l. 4. h. t.* ubi Lucas de Penna addit, etiam locum deſertum ob defectum inhabitantium, concedi oporterte vicinis incolis, quibus onus ſuperindictionis imponitur, facit in eam rem *Nov. 128. c. 8.* ubi ſi aliquando contingit dominum alicujus poſſeſſionis, aut non apparere, aut ad fiſcal[illegible]tionem non ſufficere, poſſeſſio cum om[illegible]quæ in ea ſunt, traditur iis qui tributaria & fertiliora prædia juxta poſſident, atque ab his indictionis neceſſitas impoſterum ſuſcipitur.

Similiter apud eum poſſeſſio firma manet, cui 17
eam à peræquatore ſemel traditam fuiſſe conſtiterat, *l. 7. hoc tit.* cujus deciſionis hæc eſt ſpecies: Titius tenuit à fiſco poſſeſſionem ſub annuo cenſu, quam deſeruit, deſertam ac deſtitutam peræquator vel cenſor alij tradidit, puta Sejo, firma hæc poſſeſſio eſt, & libera ab onere reliquorum, id eſt, non tenetur Sejus fiſco ſolvere cenſum temporis anteacti pro terris iſtis, ne alterius culpa, alter incipiat ſubjacere diſpendio. *d. l. 7. & l. pen. Cod. Theod. de cenſit.* Ideòque novo poſſeſſori ſolum ſubeundum onus cenſuale ex die, quo terræ ipſi fuerunt traditæ à peræquatore, quod ſi à domino eas terras accepiſſet, etiam præteritos cenſus præſtare teneretur. * Si vero privatus aliquis obligatam
ſibi poſſeſſionem quæ deſerta permanſerat, 18
aut

Digitized by Google

aut ex aliquo titulo eam ſibi deberi contendat, eo probato, poſſeſſio in hunc creditorem ſeu petitorem transfertur, eo pacto, ut impenſas & emponemata ſeu meliorationes quas poſſeſſor fecit, ei reddat. Verum ne ſpecie litis donationes ſemel conſtitutæ turbentur, actio ſive rei petitio intra ſex menſium ſpatium eſt intentanda, quibus elapſis, penitus repetendi, aut agendi facultas denegatur, *d.l. 7. h.t.* quoniam videtur jus ſuum remittere, & adverſario cedere, qui illud non proſequitur. *Novell.* 100. *cap.* 1. §. 1. aut non exhibet intra præfixum terminum. Hinc obſerva hypothecariam actionem, habere diverſa tempora; nam hic jure ſingulari tollitur ſex menſibus utilibus, cum aliàs non niſi decem annis inter præſentes, aut viginti inter abſentes huic actioni præſcribatur, ab ipſo debitore vel creditore. *l.7. ſup. de præſcript. 30. vel. 40. ann.*

19 Denique illud notandum, frequenter dominos vaſallorum prædia deſerta à vaſallis ſuis, aliis elocare, aut pleno jure tradere, ſi contingat vaſallos intra ſex menſes legitimè edictis vocatos emanere, & nolle redire. Lucas de Penna, *ad d. l. 7. in fine.* Puto etiam ante illud tempus, ſecuros eſſe eos, quibus hæc feuda conceſſa ſunt: præſertim ſi acceſſerit Principis conceſſio vel approbatio. Huc facit, *l. 3. ſup. de agric.* ubi coloni vel vaſalli, inſolita ſervitia præſtare coacti, & à dominis oppreſſi, ſi ad tutiora loca ſe converterint, non compelluntur inde ad priſtinos dominos redire, quamquis ab iis revocentur, ſi à Principe data fuerit facultas remanendi, & poſſidendi alia prædia, quæ cum onere ſuo transferri in futurum cenſentur. Platea *ad d. l. 3. num. 1.* Non obſtat *l.7. ff. de publ. & vectig.* ubi poſſeſſores etiam in præteritum onera præſtare tenentur, quia id procedit quando à privato in privatum fit prædiorum conceſſio, hic au[illegible] fit à Principe, vel ejus fiſco non per modum [illegible]onis, ſed cujuſdam tranſlationis, ideoqu[illegible]um futuri, non præteriti temporis onera ſolvunt. Bart. *in l. fin. ſup. de fide inſt. & jure haſta.*

TITULUS LVIII.

De omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponuntur.

1. *Continuatio, & quid ager deſertus, incultus & derelictus. Inter hos agros diſcrimen.*
2. *Ager ſterilis quid ſit, & quo differat à deſerto?*
3. *Quibus deſerta prædia, quorum domini non reperiuntur, addicantur, ſub trienniy immunitate.*
4. *Curiales non conveniebantur pro alienis prædiis, ſed pro iis quæ poſſidebant; ſecus privati.*
5. *Deſerti agri aſſignabantur habentibus fertiles, quibus retentis, non poterant illos deſerere, & præſtabant deſuper cautionem.*
6. *Si Nullus inveniretur Conductor volens deſertos agros poſſidere, antiquo poſſeſſori reſtituebantur ſub cautione ſolvendi tributa.*
7. *An invitus quis cogebatur agros deſertos ſuſciperet*
8. *Varij conductores, poſſeſſores, emphyteuticarij, qui deſertos agros colendos ſuſcipiebant ſub canonis præſtatione.*
9. *Principi an licet ex cauſa revocare conceſſionem quam fecit, & alterare contractum?*
10. *Emptor prædiorum fertilium, omiſſis ſterilibus tenetur pro his ad tributa.*
11. *Emens prædia tributaria fertilia, omiſſis ſterilibus, tenetur etiam pro ſterilibus ſolvere fiſco tributa & reliqua.*
12. *Debitoris tributarij hæres repudians ejus hæreditatem, privatur omnibus bonis ad eum devolutis.*
13. *Qui jure emphyteuticario agros idoneos reddiderat, in perpetuum poſſidet & in hæredes transfert cum onere canonis & ſalva immunitate bienny.*
14. *Accipienti fundos patrimoniales ſub certa canonis præſtatione, non debet augeri canon ob meliorationem.*
15. *Cur detur bienny immunitas, & quando deſerti agri, à dominis auferantur & aliis addicantur.*
16. *Prædia à domino deſerta ſuſceptoribus ſine onere reliquorum addicebantur, excluſo domino, ſemeſtri præſcriptione.*
17. *Is cui à perequatore agri addicebantur, fiebat eorum dominus.*
18. *Cui addictum eſt prædium ex quo navale onus debetur, iſto non liberatur, ſed aliis fiſcalibus oneribus ſublevatur.*
19. *Moribus noſtris & Galliæ, licet alienos agros deſertos colere, non occupare. Quid ſi eorum dominus vocatus non redeat.*

DIctum de cenſibus, & perſonis quæ cenſui præſunt, nunc de agris, qui in cenſum cadunt, vel non cadunt. Agrum appellat Florentinus locum ruri ſine ædificio, nam qui cum ædificio eſt, prædium & fundus dicitur. *l.* 211. *ff. de verb. ſign.* Ager ſeu fundus aut ſterilis eſt, aut deſertus, qui videlicet à nemine colitur, ſed deſeritur & derelinquitur. Iſidorus, *l. 14. Etym. c. pen.* Item ager incultus, qui deſertus & cultore deſtitutus eſt. Differunt agri ſeu fundi deſerti, à derelictis, quod qui agros deſerit, poſſit ſi velit eos intra biennium recuperare, modo meliorationis impenſas novo conductori reſtituat. *l. 8. h. t.* qui vero agros dereliquit, eos non recuperat, etſi pœniteat, quoniam ſtatim ejus eſſe deſinunt, & occupanti conceduntur. *l. 1. ff. pro derelicto §. pen. Inſt. de rer. diviſ.* * Porro ex quo ager deſeritur, fit ſterilis, & ſine fructu, non tamen omnis ſterilis eſt deſertus, quia deſertus dicitur qui à nemine poſſidetur, ſed deſeritur & non ſeritur; at ſterilis tametſi infructuoſus jaceat, poſſideri 1 2

deri poteſt, & adjungi fertilibus. Ideo rectè pars prima hujus Tit. agit de agro deſerto; poſterior de ſterili tantum. Cum igitur frequenter agri vel fundi, quibus cenſus impoſitus eſt, deſerantur, & deſertione fiant ſteriles & inculti, idcirco hic titulus oſtendit, quando hujuſmodi agri aliis fertilioribus imponantur, id eſt, adjungantur ad hoc, ut ſuper omnibus fertilibus & ſterilibus æqua fiat cenſus impoſitio & æſtimatio, per cenſitores, peræquatores, & inſpectores, de quibus diximus *ſup. tit.*

3 Ex hoc autem Titulo & ſeqq. apparet quanto ſtudio Imperatores ſemper agros deſertos, fructiferos efficere conati ſint immunitatibus, privilegiis, ad eos colendos ſubjectos ſuos cohortando. Sic Ælius Pertinax, teſte Herodiano, *lib.* 2. quidquid inculti ſoli vacabat, occupantibus adjudicavit, decemque annorum immunitatem ac perpetuam libertatem agricolis ſubjectis conceſſit. Et Divus Aurelianus, cum ſtatuiſſet ut decuriones civitatum, pro deſertis prædiis in ipſis civitatibus, & quæ dominos ſeu conductores invenire non poterant, fiſco tenerentur ad cenſum ſub triennij immunitate. Conſtantinus hoc adjecit, ſi conſtiterit ordines decurionum ad ſuſcipienda hujuſmodi inculta prædia, minus eſſe idoneos, eorumque prædiorum onera, dividerentur in ditiores, qui alia prædia fertiliora ejuſdem tractus poſſidebant, proxima deſertis. *l.* 1. *h. t.*

4 * Dicit proxima, quia curiales unius territorij non tenebantur accipere prædia deſerta alterius civitatis, ſed propriæ tantum, ac pro iis quæ poſſidebant cenſum ſolvere *l. jubemus.* 16. *h. t.* ubi propriæ glebæ, ſeu terræ nomine conveniuntur curiales, *&* in *l.* 21. *ſup. de decurionib.* ſatis eſt ſi ſuæ civitatis munera ſubeant, & rectè impleant. Cum aliàs privati qui fertiles agros poſſidebant, cogerentur ſteriles alterius territorij etiam procul diſſitos ſuſcipere, & colere, ſi in eo nullus inveniretur idoneus, *l.* 7. *in fine hoc tit.* idque pro modo & qualitate agrorum fertilium, & cum conſenſu vicinorum, quibus profutura erat iſta agrorum adjunctio, & cultura, itemque dicta triennij immunitas à tributis.

5 Sub qua immunitate, qui fertiles & ſteriles Reipublicæ fundos permixtim poſſidebant, omnes retinere, vel omnibus ſalvo canone curialibus cedere tenebantur, neque enim poterant fertilibus retentis, ſterilia loca deſerere, *l.* 5. *h. tit.* Quamobrem priuſquam ad poſſeſſionem fundorum impetratorum accederent, pignoribus & fidejuſſoribus periculo curialium datis, & fundis ſui patrimonij, fertilibus obligatis, cavebant ſe damno publico ſteriles fundos non deſerturos, omneſque ad fœcunditatem reducturos. *l.* 3. *h. t.*

6 * Si ſecus feciſſent, quærendus erat alius conductor, qui ſub eadem cautione & præſtatione agros ſic permixtos ſuſciperet colendos, ſi non inveniretur voluntarius conductor, & ad priores bonorum poſſeſſores, decuriones vel alios agri revertebantur, *l.* 6. *h. t.* ad eos inquam, qui ejuſmodi agros civitatibus aut templis largiti ſunt, receptis ab iis fidejuſſoribus idoneis, de non relinquendo hujuſmodi agros amplius cum detrimento Reipublicæ.

7 Hinc notat Bartolus, *ad l.* 3. *h. t.* ſi invito addicatur ager deſertus, vel procul ſitus colendus, abſque impetratione, non eſſe gravandum prædicta cautione, quaſi ſatis videatur gravatus adjectione iſtorum agrorum. An igitur invitus quis cogi poterat deſertos agros colendos ſuſcipere? Non puto, niſi ejuſdem ſubſtantiæ bona poſſideret. *l.* 10. *h. t.* ubi qui fertiles agros habebat, pro rata portione ſuſcipiebat infœcundos, ex eadem ſubſtantia. Itaque nullus poſſeſſor pro alienis debitis, vel deſertis prædiis, quæ ex iiſdem bonis, quæ nunc per ipſum poſſeſſorem tenebantur, vel ex eadem ſubſtantia non probabantur fuiſſe, conveniri vel teneri poterat. *l.* 12. *h. t.* multo minus extraneus cogi, niſi alienum colonum aut adſcriptitium mala fide ſuſceptum reddere noluiſſet, & ob eam cauſam ager fuiſſet deſertus, ut Juſtin. ſua *Nov.* 17. *c.* 14. diſpoſuit.

8 Erant igitur qui propria auctoritate agros deſertos, ad privatum publicumque compendium excolere feſtinabant. *l.* 8. *h. t.* Item alij, qui tanquam conductores, agros quaſi proprios, ceſſante domino, ſuſcipiebant, aut jure Emphyteuticario agros deſertos, quaſi alienos colebant, aut colendos impetraverant à peræquatore, aut publica auctoritate, *l.* 2. *l.* 9. *l.* 15. *& ult. h. t.* omnes tamen ſub canonis præſtatione. Incertus hic canon, pro anni copia uberius vel anguſtius exigebatur: neque iis licebat agrorum culturam ſemel ſuſceptam, ob ſterilitatem nimiam refugere. Quin etiam iis, qui agros patrimoniales Princ[illegible]ure privato ſuſceperant, optio dabatur, ſteriles[illegible]a cum fertilibus ſuſcipere excolendos, aut eos cedere poſſeſſoribus qui antea fertiles agros receperant. *l.* 9. *h. t.* Nam iſta loca quibus eſt minor ſoli fœcunditas, ſuſtentari videntur ab iis quæ uberes fructus producunt.

9 Hinc notant Interpretes licere Principis ſuæ conceſſioni, aut donationi jam perfectæ, & acquiſitæ, talem conditionem apponere, ob cujus defectum conceſſio, & dominium quæſitum revocetur. De quo tamen dubito, quia Principis eſt non auferre, ſed confirmare conceſſa, ut dicitur *in Novell.* 10. *poſt princ.* Nec obſtat *d. l.* 9. quæ non loquitur de privilegio, aut donatione gratuita revocanda; ſed de conceſſione facta jure contractus emphyteutici, ut patet ex verbis, *qui fundos patrimoniales jure privato, canone ſalvo ſuſceperit,* quem contractū juſta ex cauſa poteſt Princeps confirmare & revocare pacta, quæ ab initio inſunt, ex natura ipſius contractus, & diſpoſitione legis, videlicet unus fertiles fundos ſuſcipiat,

Digitized by Google

piat, alter ſteriles retineat, ſed ita permixtim poſſideantur, ut qui fertiles fundos ſuſcipit colendos, illos cum ſterilibus compenſet, vel fertilibus cedat. Quodque dum ſtatuit Princeps, non immutat contractum, aut conceſſiones à ſe, aut à majoribus factas revocat, ſed eas ad legem æquitatis, & juſtitiæ reducit. Bald. *in l. nuptiæ ff. de ſenator.* Lucas de Penna *ad d. l. 9.* Molina *de primogen. lib. 4. cap. 3. n. 17.*

10 Qua æquitatis regula motus Conſtantinus, voluit ut ſi emphyteuticarius, vel patrimonialis poſſeſſor fundum proprium privatique patrimonij vendidiſſet, ex quo emphyteutici juris prædia ſuſtentare conſueverat, dein hæc prædia deſeruiſſet, emptor qui hunc fundum comparaverat, omiſſis ſterilibus prædiis (quorum nervi erant abſciſſi) teneretur pro iis onus cenſus contingentis agnoſcere. *l. 2. h. t.* Ita ut ad hunc emptorem transferrentur fundi comparati reliqua, & etiam inutilium prædiorum reliqua.

11 * Atque hoc pacto occurrebatur contrahentium, & teſtantium fraudibus, nam ſæpe qui ſteriles agros vectigales poſſidebat, permixtos fertilibus, carius vendebat fertiles ſub onere ſui reditus, & agros deſertos retinebat, quos etiam aliquando deſerebat, aut è contrario retentis fertilibus fraudulenter, aut paupertate coactus, in aliquem inutiles transferebat, vel omnino iis relictis, alio migrabat, quod damnum fiſcus ſuſtinebat ſolus, ſiquidem cæteri municipes (ut dixi) pro ſua tantum gleba tenerentur. *l. 16. h. t.* ut igitur illud fiſcus averteret, ſtatutum fuit à Conſtantino, Valentiano, Gratiano & Theodoſio Impp. ut qui fundos comparaſſet, aut conduxiſſet, fertilibus adjungeret inutiles, eorumque onera, ſeu reliqua ſubiret, *d. l. 2. & l. 6. hoc tit.*

12 Et quia ſubinde debitor fiſci teſtamento aut donatione in fictos hæredes transferebat agros fertiles, relictis ſterilibus ſucceſſioni, ſeu hæreditati, cui dein iſti hæredes renuntiare ſolebant, [illegible] onus hoc jacentis hæreditatis fiſcus ſubiret, ſuoque cenſu fruſtraretur, idcirco Gratianus Imp. ut damnum hoc à fiſco averteret, voluit ut hæredes ſcripti etiam pro ſterilibus fundis fiſcale onus agnoſcerent, aut ſi hæreditati renuntiaſſent, nulla interpoſita mora, omnibus rebus quas ex iiſdem bonis quovis titulo percepiſſent, cederent, *l. 4. hoc tit.* Intellige ex bonis à fiſco quocumque titulo, & jure perceptis, non quæ à teſtatore obvenerant. Lucas de Penna, *ad l. 4. hoc tit.* Contra Peregrinus *de jure fiſci lib. 6. tit. 7. n. 36.* dicit fiſci debitorem omnia bona, etiam inter vivos quæſita, amittere ſi eorum aliqua deſerat, oneris fiſcalis evitandi cauſa.

13 Ex his apparet retinenda fuiſſe prædia, quocumque titulo & jure ſuſcepta, nec licuiſſe fertilia ab incultis dividere; hinc plerique jure emphyteuticario prædia colenda accipiebant, uti & nunc ea conditione ut ejuſmodi prædia in perpetuum retinerent, eaque tranſmitterent in hæredes ſuos ſalvo canone, id eſt, onere ſolvendi penſionem, ex tempore quo inculta prædia poſſidere cœperant. *l. 7. in pr. hoc tit. Novell. 128.* quamvis aliàs emptor, legatarius, & quilibet ejuſmodi ſucceſſor præteriti quoque temporis tributa ſolvere deberet. *l. 5. ff. De cenſibus l. 1. ſup. de annon. & tribut.* Ita & qui patrimoniales fundos juris privati ſuſceperat, cogebatur quoque defectos ſuſcipere pro rata, cum eodem onere canonis, præſentis temporis, & ſalva immunitate biennij, quin & idoneos redditos agros retinebat jure privato, ac ſi ſucceſſione eos acquiſiviſſet, ſed pendebat ad diacatochiæ vicem, id eſt, cenſum perpetuum fiſco, cui omnes ſine ullius exceptione perſonæ erant obnoxij. *d. l. 7. in fin.* quod etiam deciſum *in d. l. 9. eod.* & interdū adjectionem ſeu oneris augmentum ferre cogebantur, quod Gallice *la Surcharge* dicitur. Car. Loyſeau, *tract. du deguerpiſſement lib. 6.*
cap. 2. num. 13. * At vero cui à Principe ſub certa 14
canonis pollicitatione aſſignatus fuerat in emphyteuſim fundus deſertus, quem magno labore & ſumptu coluerat, non onerabatur augmento novæ penſionis ſeu deſcriptionis, ne videretur principis auctoritate circumveniri, quoniam, inquit lex, abſurdum eſt eum qui magno labore, ſumptu & patrimonio exhauſto, fundos vix meliores reddere potuit, improviſum oneris augmentum ſuſcipere. *l. ult. h. t.* Quo pertinet etiam, *l. fin. ſup. de alluvionib.* ubi ſi per alluvionem augeatur ager, vel fertilior efficiatur, non propterea augenda eſt penſio, ſed continuanda quæ initio fuit impoſita, *l. 25. §. vis ff. locati.*
* Quod autem *d. l. 7.* conceſſerit immunitatem à 15
præſtatione canonis, ratio eſt ut plures invitarentur ad patrimoniales fundos ſuſcipiendos, qui quia Principis erant, ideoque ei majori curæ, biennij tantum concedebatur immunitas à ſolutione canonis, ut non obſtet *l. 1. h. t.* quæ dat triennij immunitatem; nam agit de fundis à dominis deſertis, & in curiales transferendis. Cujacius *ad d. l. 7.* Igitur qui agros colendos jure privato, aut emphyteuticario ſuſceperant, eoſdem deſertos jure perpetuæ poſſeſſionis retinere poterant, & habebant dominium poſſeſſionis, ut dicitur *in d. l. 7. & l. 11. h. t.* modo functiones ſeu penſiones debitas agnoſcerent, *l. 13. h. t.* & probarent vitio dominorum debita fuiſſe contracta, dum prædia inculta deſeruerunt. Similiter curialium vitio ſi deſerta permanſiſſent prædia Reipublicæ, aut apud acta aperte iis renuntiaſſent, aut permiſiſſent alios prædia iſta poſſidere, nullum habebant jus repetendi, ſed permanebant penes eos qui ea colere, & functiones publicas recognoſcere firmiter promiſerant. *l. 14. h. t.*

Non tamen domini ſtatim agrorum ſuorum do- 16
minio privabantur, ſed ſi intra ſex menſes edictis evocati non reverterentur, & debita tributa perſolverent: quibus ſi ſe impares eſſe propria confiterentur abſentia, nec redire vellent, penes eos qui

agros

Digitized by Google

agros jam colere cœperant ſub certo canone, proprietas poſſeſſionis intemerata permanebat, & abſque onere reliquorum; nam tantum ex eo tempore, quo agros colendos ſuſceperant, tenebantur ad tributa, *l.* 11. *h.t.* & hic caſus eſt, quo dominus præſcriptione ſemeſtri excluditur, privaturque dominio rei ſuæ, ob contumaciam, quæ facit ut habeatur
17 pro confeſſo. * Aliàs ſi dominus contumax non fuiſſet, agros à ſe deſertos intra biennium recuperare poterat, refuſis expenſis novo cultori *juxta l.* 8. *h.t.* quam alij interpretantur de agris deſertis, & ab aliquo occupatis, ſine peræquatoris addictione, at *d.l.* 11. de addictis à peræquatore novo conductori, eo tempore quo agros provinciæ peræquabat, & ſteriles fertilibus adjungebat, nam is cui peræquator & cenſitor agros deſertos addicebat, fiebat dominus, excluſo domino deſertòre, qui intra ſex menſes evocatus comparere recuſaverat. *l. ult. ſup. tit. prox.* excluſaque competitione omni. Loyſeau *tract. du deguerpiſſement l.* 6. *c.* 11. *num.* 15.

18 Porro qui à peræquatore ſeu cenſitore agrum deſertum accipiebat, duplici oneri ſeu cenſui obnoxium, ſæpe altero liberabatur. Hinc qui prædium naviculariæ functioni adſtrictum, deſertumque à peræquatore colendum ſuſceperat, aliis fiſcalibus oneribus relevabatur, ut facilius functionem navalem agnoſceret, *l.* 15. *h.t.* nam navibus, nautis, eorumque prædiis lex favet, ob publicam utilitatem & neceſſitatem, ut mox dicam.

19 Quod ad mores noſtros, & vicinæ Galliæ attinet, nulli privata auctoritate licet agros deſertos, & domos occupare, vel occupando ſua facere, niſi accedat auctoritas Principis, aut domini loci, quorum eſt agros illos occupare, tanquam ſuos, ſi qui tamen privati compendij cauſa, agros iſtos coluerint, inſciis dominis, operæ pretium, & ſemina non perdunt, at fructus quos inde perceperint, coguntur reverſo proprietario reſtituere, niſi is triennium totum (ut loquuntur conſuetudines variæ) agros reliquerit & quaſi deſeruerit, quo caſu edictis vocandus eſt à domino loci, vel magiſtratu, ut redeat, ut fundos ſuos colat, id ſi non fecerit, omne damnum inde proveniens & lucrum ceſſans ſarcire debebit. Poterit tamen proprietarius hiſce incommodis ſe liberare, ſi declaraverit & conſenſerit, ut dominus directus illis fundis utatur, ſi viſum illi fuerit, dum per bella & turbas illi licuerit redire & agros colere, ad quos ſi iis ceſſantibus, non redeat edictis evocatus, creditoribus qui habent reditus, & potius jus hypothecæ, agri & domus adjudicari debent, cum onere ſolvendi cæteris ſuos reditus, ne quis ſuo jure fruſtretur, & agri inculti relinquantur, ut late probat Car. Loyſeau *tract. du deguerpiſſement lib.* 6. *cap. ult.* & Le Bret. *de la ſouveraineté du Roy, lib.* 3. *cap.* 12.

TITULUS LIX.

De fundis limitrophis, & terris, & paludibus, & paſcuis limitaneis, vel caſtellorum.

1. *Limites Imperij Romani referuntur, & quot legiones habuerint.*
2. *Milites qui ad limites conſtituti, dicti ſunt limitanei, ad ripas Riparienſes, his præerant Duces.*
3. *Militibus limitaneis aſſignata ſunt prædia, ut ardentius militarent, poteſt ea Princeps auferre privatis ex cauſa.*
4. *Quomodo limitati agri militibus aſſignarentur, & quantum agrorum?*
5. *Præfectis prætorio commiſſi limites, & omne munus concernens limitaneos.*
6. *Item ne frumenta deeſſent data ſunt poſſeſſiones.*
7. *Item univerſi agri cum omni jure, nec ab aliis unquam poſſideri, aut emi poterant.*
8. *Veterani agros ipſi colebant, non qui militabant, & tributa non pendebant pro limitaneis agris.*
9. *Hodie vaſalli pro prædiis infeudatis nihil pendunt, ſunt & alij limitanei cives, immunes ab oneribus.*
10. *Prædia & caſtra in limitibus dabantur militibus caſtrenſibus; capitali pœna ſtatuta in occupantes.*
11. *Privatis non licet caſtra in limitibus munita habere, & quare?*
12. *Quid ſi vaſallus à Rege obtinuerit jus muniendi ſuam arcem, inconſulto domino directo.*
13. *Caſtra limitrophia cuſtodiuntur à militibus quos Rex ſuæ nationis conſtituit.*
14. *Arces ita in finibus muniendæ ſunt, ut conven-[illegible] eſt.*
15. *Sic extruendæ, ne terrori ſint ſubditis, noxia ſæpe regno diffidentia eſt.*
16. *Bona fide arces bello captæ, ita ſunt reſtituendæ, ut poſſideri poſſint.*
17. *Princeps recuperans munitam arcem ab hoſtibus, num teneatur eam reddere antiquo domino, ſine impenſis.*

HIc agitur de fundis limitrophis, & ſitis in finibus ac limitibus Imperij Romani, qui varij 1
fuerunt, teſte Dione, *lib.* 55. Auguſtus, inquit, rerum potius, cum provincias inter ſe & populum divideret, illi pacatas tradidit, barbaras vero & quæ præſidio militari indigebant, ſibi retinuit, in quarum finibus novem limites à legionibus defendendis conſtituit. Unum in Hiſpania cum tribus legionibus, ſecundum in Belgio ſuper Rhenum cum quatuor, tertium in Germania ſuper Danubium

 bium

bium cum aliis quatuor, quartum in Dalmatia cum duabus. Quintum in Pannonia cum tribus. Sextum in Syria cum quatuor. Septimum in Ægypto cum duabus. Octavum in Africa cum una. Nonum in Mæſia ſuper Danubium cum duabus, quæ omnes erant legiones viginti quinque. Decimum limitem cum tribus legionibus addidit Claudius in Britannia. Undecimum Veſpaſianus in Cappadocia, cum legionibus duabus. Duodecimum Trajanus in Dacia cum duabus, & decimum tertium in Armenia & Meſopotamia, ſuper Tigrim, cum aliis duabus. Decimum quartum in Arabia cum legione una, quæ omnes fuere legiones triginta quinque. Sed novis hoſtibus in Romanum Imperium quotidie ingruentibus, alij limites antiquis additi ſunt, quandoque veteres diminuti fuere. Dion enim tredecim limites, Alexandro imperante, nominat. Videatur notitia Imperij & ibi Pancirolus *cap* 139. *&* *ſeqq.* & *De magnit. Roman.* Lipſius *lib.* 1. *cap.* 4.

2 Iſtarum legionum, milites, *limitanei*, dicebantur, quod militiæ eſſent adſcripti, & deputati conſervandis limitibus Imperij, *l.* 2. §. 8. *C. De offic. præf. prat. Afric. l.* 8. *infr. tit. ſeq.* Alij ad ripas fluminum, Euphratis, Danubij, & Rheni conſtituebantur, dicebanturque, *Riparienſes & Ripuarij*, *l.* 7. *verſ. completis Cod. Theod. De Tyron.* Cujacius *lib.* 1. *obſ. c.* 25. & limitanea præſidia, *l.* 5. *& l.* 12. §. 9. *ff. De captiv.* Hiſce militibus legionariis & limitaneis per caſtra diſpoſitis, ac conſtitutis præerant Duces, qui milites ducebant, & limites ſervabant, hos Hiſpani vocant
3 *Alcaydes y adelantados de las fronteras.* * Limitaneis Ducibus & militibus, ut alacrius pugnarent, & ne reformidarent in hoſtes ruere, Alexander Severus donabat omnia quæ de hoſtibus caperent, ita ut eorum eſſent, ſi hæredes ipſorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens attentius eos militaturos, ſi ſua etiam rura defenderent. Lampridius *in Alexandro.* Poteſt enim Princeps ob publicam cauſam prædia de hoſtibus capta, vel etiam à privatis poſſeſſa iis auferre & militibus dare, *l.* 11. *ff. De eviction. l.* 15. *ff. De rei vind.* Amaya *lib.* 1. *obſ. c.* 1. *n.* 60. *& ſeqq.* Quoniam facilius ad defenſionem properant, ubi vident prædia & bona ſua ab hoſtibus devaſtari & occupari. Sic Auguſtus Cremonenſium agros militibus aſſignavit, quod ab Antonij partibus ſtetiſſent, & Probus Imperator militibus Tranſrhenanis, quos ibi in excubiis collocarat, præter agros, domos, & horrea ibidem ſita aſſignavit, ut veteranis ſtipendiaria prædia in præmium militiæ, Vopiſcus *in Probo*, & Tacitus *De morib. German.* loquens de Agrippinenſibus, *Tranſgreſſi olim* (Rhenum ſcilicet) *& experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati*, ut arcerent, non ut cuſtodirent. Nam miles Romanus cuſtodiebat: Riparienſis hoſtem arcebat, cui in limine data prædia, quæ ut ſua tutabatur modico honoris gratia poſſeſſori quandoque dato, *d. l.* 15. § 2.

Verùm hæc prædia, Florentinus J.C. vocat agros 4
limitatos, *in l.* 16. *ff. De acq. rer. dom.* quod per limites, hoc eſt, centurias militibus aſſignarentur. Idque duobus modis, uno, ut ij quorum territorio agri ſumpti erant, nullam amplius juriſdictionem in eos haberent, ſed leges acciperent ab iis qui illuc veteranos deducerent. Alter modus, ut juriſdictio civitatis in eos agros ſalva eſſet. Quantum vero agrorum militibus Antiqui conceſſerint, nihil certi conſtitui poteſt. Exiſtimo ſane pauciora jugera illis tribui conſueviſſe, tum ut plures incolæ eſſent, tum ut paulo curioſius agros colerent. Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. refert tantum agri militi aſſignatum fuiſſe, quantum uno die circumarare poſſet. Aucta deinde præmia militiæ poſt exhauſtos labores, emeritaque ſtipendia militum limitaneorum, quorum directionem, tutelam, commoda conſueverat Princeps committere Præfectis prætorio, aut Magiſtris militum, *l.* 2. §. 10. *ſup. De off. Præf. prat. Africa, & l.* 4. *ſup. De off. mil. jud.* & quæ ſalubriter diſpoſuerant confirmare, *l. un. ſup. De coll. donat.* * Uti hic 5
Valentinianus & Theodoſius Impp. confirmant ſtatutum Tiberiani Præfecti prætorio, ut videlicet poſſeſſiones, quæ limitibus Imperij proximiores erant, deputarentur militibus limitaneis, unde frumenta perciperent, *l.* 1. *h. t.* & recte, quia ſi remotiores poſſeſſiones ad tale onus tenerentur, contingeret milites fame perire. Sæpiſſime accidit, inquit Vegetius, *ut penuria magis, quam pugna milites conſumeret. lib. De re mil. c.* 3. Ferro ſeverior fames eſt, & æque timenda militibus in præſidiis & limitibus, atque in exercitu.

Quamobrem ne ipſis alimenta deeſſent, aſſigna- 6
bantur idoneæ poſſeſſiones, quarum cultores non poterant ſe ab onere vehendi frumenta eximere, ullo privilegio, aut reſcripto, quod ſi impetratum fuiſſet, cenſeretur importuna prece & fraude obtentum, & adverſus utilem vetuſtatem, ut loquitur *d. l.* 1. plura in eam rem dixi *ſup. lib.* 10. *tit.* 16. *n* 25.

Tandem indulgentia Principum, univerſi agri 7
limitanei addicti militibus, cum paludibus omnique jure, puta, cum paſcuis, animalibus, ſervis, abſque ullo tributi vel collationis onere, ita ut nunquam in privatorum jura, ullo titulo iſti agri tranſirent, aut alienati ulla præſcriptione temporis, emptoribus acquirerentur, *l.* 3. *h. t.* quoniam ſi agri limitanei ab aliis poſſeſſi fuiſſent, milites quibus providere lex voluit, non habuiſſent unde ſe alerent, ſic ut merito ipſis militibus agrorum iſtorum alienatio fuerit interdicta, eorumque detentoribus proſcriptionis pœna impoſita, *d. l.* 3. *in fin.* quæ pars eſt Novellæ Theodoſij *De ambitu & locis limit.*

Porro milites, qui vacationem meruerant, hoſce 8
limitaneos agros curare compendij ſui cauſa, atque arare conſueverant, *d. l.* 3. nam qui militabant, agrorum

Digitized by Google

rum culturam, aut mercimoniorum quæſtum exercere non poterant, *l.15.infr. De re milit.* & *l.13.ff.eod.* poſſidere quidem alios agros iis etiam licebat, ſed tenebantur tributa ſolvere. *l.fin.§.24.ff. De muner.* & *honor.* à quibus ſolum agri limitanei erant immu-
9 nes, *d.l.3.* * Ut nunc prædia feudalia, quorum poſſeſſores ſolum tenentur ſuis dominis exhibere ſervitia perſonalia in expeditionibus. Lucas de Penna *ad d. l.3.* & Tiraquel. *De nobilit.c.20.n.166.* Hoc jus feudale & immunitas data eſt multis urbium finitimarum civibus, ut tanto vigilantius ſervent ac defendant patrios in re propria limites.

10 Placuit etiam Impp. Honorio & Theodoſio, ut quicumque caſtellorum loca quocumque titulo poſſiderent, etiamſi milites eſſent, ea ſtatim deſererent, cederentque militibus caſtellorum, quibus ſolum antiquitas, caſtellorum territoria deſignaverat, retinenda. Quod ſi recuſarent, pœna capitali cum publicatione bonorum plecterentur. *l.2.h.t.* Antiquitas caſtella & arces extruendas curavit in limitibus, ad eos defendendos & ut ibi milites ſecurius degerent & hoſtes è ſolo ſuo repellerent, quas deinde arces, terras, paſcua & paludes Conſtantinus dari voluit militibus emeritis, eorumque hæredibus, ut ſcribit Pomponius Lætus *lib. 2. hiſt. Rom.* Sed Honorius Imperator à ſolis militibus caſtellorum territoria limitrophia poſſideri juſſit, *in d.l.2. h.t.* de quibus etiam ſolis antiquitas judicaverat.

11 Moribus hodiernis, nemini licet arces & caſtella in finibus regni ædificare, aut vallo foſſave munire, vel ſarcire, niſi illi cui Rex id expreſſe conceſſerit, cum ejus ſolius ſit ejuſmodi loca munita poſſidere, & præſidiarios conſtituere, ne occaſio ſeditionis & turbarum præbeatur: nam arces iſtæ ſæpe ſunt prædonum latebræ. Tacitus *5. hiſt. Judæi*, inquit, *empto jure muniendi, ſtruxere muros in pace, tanquam ad bellum, quod periculoſum viſum fuit.* Et eſto nullum ſubſit periculum conjurationis, aut depredationis, tamen privatis munitiora loca non ſunt permittenda, propterea quod illis eæ non ſuppetant facultates, quibus illa poſſint defendere, ita ut præſtet ea non munire, quam munita ſine milite cæteriſque neceſſariis relinquere. Idcirco olim permiſſum non fuit privatis dominis in propriis fundis arces munire, aut in locis publicis inconſulto Principe. *l.9.§.pen.ff. De rer. diviſ. l.3.* & *6.ff. De oper. publ.* Andr. Gail. *lib.2. obſ.69. in fin.* Ant. Gomez *ad l.46. Tauri, num. 14.*

12 Quod ſi vaſallus à ſupremo Principe id obtinuerit, inſcio proprio domino? Cenſet Joan. Faber *in l. per provincias C. De ædif. privat.* non poſſe à vaſallo loca quæ in feudum vel cenſum tenet, muniri, ſeu incaſtellari, domino non conſentiente, quem vere & pure dominum appellat, *in §. præjudiciales Inſt. De actionib.* quoniam ejus poteſtas eundi & redeundi per domum & bona ſui vaſalli reſtringi non debet. Accedit quod cum majoribus non fuerit conceſſum poſſe munire ſimilia loca, non debere vaſallum alio jure uti, ne quid agere in præjudicium domini, & jus dominationis violare videatur. Contra tamen exiſtimo etiam reluctante domino territorij, vaſallo concedi poſſe à Rege jus muniendi arcem, & bona ſua infeudata, in præmium militiæ, aut ſervitij, & ut tutiora ſint adverſus incurſus hoſtium aut prædonum, tum ut juriſdictionem quam habet commodius exerceat. Siquidem hæc bona ſint quaſi patrimonialia, de quibus, niſi cum iis inveſtiretur vaſallus, aliter fuerit diſpoſitum, poterit diſponere tanquam de propriis, etiam citra domini conſenſum, cui præter recognitionem, & obſequium, nihil debet; ita ut non poſſit impediri, quo minus arcem ſuam muniat & pontes verſatiles faciat, Regis permiſſu, cujus ſolius eſt, illud & alia id genus permittere, ut ſupra dixi, *per l. 9.ff. De rer. diviſ.* & ita definitum fuiſſe reſpondet Charondas *lib. 9. reſp. 21.* Affirmat And. Gail. multas hodie civitates obtinuiſſe ab Imperatore, ne vicinis liceat intra unum vel duo milliaria prope civitatem, arcem ædificare, quod hæc res vicinorum potentiam ac robur augeat, ipſis vero periculum ac metum inferat. Eoquoque pertinere videtur. *l. 2. h. t.* quamvis loquatur de fundis limitaneis, quos propugnaculis munire privatis non licet, ob periculum quod inde Reipublicæ poſſet imminere, nec aliis militibus quam præſidiariis. * Hinc hodie in locis muni- 13
tis & caſtris, quorum proprietas ad alios dominos pertinet, Rex ſibi jus milites imponendi reſervat, eoſque ſuæ nationis, quibus major habenda fides, quam exteris, nam cuique erga patriam & proprium dominum major affectus, exteri vero ſua negligentia, aut diſcordia, non arces tantum, ſed integram ſæpe provinciam perdunt. Exempla refert Contzen. *lib. 9 polit. c. 8. §. 14.* ex Ariſtotele, qui *6. pol.* ſcribit caſtrorum cuſtodiam committendam eſſe militibus, non tam fortiſſimis, quam ſingulari probitate ac fide conſpicuis, quales ſunt interni, quorum propenſa voluntas eſt in patriam. Ad hæc Juſtinianus Baſiliano Magiſtro militum reſcribit, ut in Sardinia, quam Barbara gens inhabitabat, collocaret milites pro cuſtodia locorum, qui continuo invigilarent, & ab hoſtium incurſione populum illæſum tuerentur. *l. 2. ſup. De offic. Præf. præt. Africæ.* Atque hi milites ex limitum excubiis, & ſtationibus ſuis nuſquam ſunt revocandi, licet deliquerint. *l. 19. ſup. ad l. Jul. De adult.* niſi juſſu Principis, alio mittendi ſint ad muniendam cuſtodiendamve arcem. * Etenim ſoli Principi, ut dixi, 14
licet caſtra & arces munire, & novas ædificare, in fundis limitrophis & confinibus alterius populi, cum quo pax inita eſt; niſi in ea aliter conventum fuerit, Bald. *conſ. 195.* ubi poſt multa dicit Principem, non id facere ad æmulationem, ſed ad ſui & ſuorum.

Digitized by Google

ſuorum defenſionem, præſertim ſi debilior ſit, & metuat vicini potentiam. Prudentis eſt futuros caſus proſpicere, & ex præteritis futura penſare.

15 Verùm ita ædificandæ ſunt arces, ne frænum videatur provinciæ libertati injectum, ſed ſecuritas potius adverſus incurſiones exterorum, ut præſidia militaria cuſtodiæ loco ſint, non diffidentiæ; hæc enim ad deſperationem adigit ſubjectos. Tam acerbe tulerunt Hiſpani, quod Conſtans ſalutatus Imperator, illorum diffiſus fidelitati cuſtodiam Pyrenæorum exteris commiſiſſet, ut acciverint in Hiſpaniam Vandalos, Alanos, Suecos aliaſque gentes. Confidentia fideles reddit ſubjectos, eam ob rem Scipiones Celtiberis permiſerunt, ut Romanis immixti ſub iiſdem ſignis militarent, & iiſdem habitaculis uterentur.

16 Cæterum cum ex pacis fœdere, arces aut alia loca bello capta, ſunt reſtituenda, debent ea reſtitui bona fide, ita ut tuto poſſideri poſſint; caveat proinde Princeps qui ad caſtri reſtitutionem tenetur, in ipſius caſtri proximo loco, etiam proprio aliud extruere & munire, quia non dicetur bona fide reſtituere. Bald. *in l. ult. verſ. ſed pone quidam nobilis C. de pact. inter empt. & vend.* Servanda enim fides, & pacis conditio, non à paciſcente tantum, ſed & ab ejus ſucceſſore, ne videlicet in limitibus arces novæ extruantur, aut extructæ muniantur.

17 Eſt & notatu dignum, quod idem auctor *in l. ſi aliam num. 5. ff. De offic. proconſ.* dicit Principem ſi tempore belli muniverit arcem alicujus ſui vaſalli, ibidemque milites præſidiarios impoſuerit, quod ei licet etiam invito vaſallo, *lib. 1. ſup. De navib. non excuſ.* & finito bello vaſallus arcem ſuam repetat, debere eam reſtituere; nec ob ſumptus in munitionem aut cuſtodiam factos poſſe retinere, propterea quod Princeps, non vaſalli, ſed ſuum & regni negotium egit: Si tamen ad illos recuperandos Princeps vectigal imponat, vaſallus ut cæteri privati, tenetur contribuere, & qui in territorio juxta arcem habitant, cum ad eorum defenſionem & totius provinciæ, arcem iſtam muniverit. Imo ſi Princeps arcem ab hoſtibus ſuis ſumptibus recuperaverit, nihilominus vaſallo debet reſtituere, nec ſumptus ab eo licet exigere, niſi in cauſa fuerit vaſallus, cur ab hoſtibus arx fuerit occupata. Grammaticus *conſ. crim.* 13. Garſia *De expenſ. cap. 21. num. 30.* jure tamen Princeps repetit finito bello tormenta & alios belli apparatus, qui auferri poſſunt ſine læſione. videatur Vaſquez *Illuſtr. qq. lib. 1. c. 6.* & Clockius *De collect. c. 9. 24. & ſeqq.*

TITULUS LX.

De paſcuis publicis, & privatis.

1. *Paſcua publica, certa penſione elocantur, ita ut animalia Principis in iis paſcantur.*
2. *Neve arceantur prætextu gravioris penſionis, prohibetur ne in his ſaltibus augeatur penſio.*
3. *Exemplo oſtenditur non eſſe augendum pretium conducti agri ad paſcendas oves.*
4. *Prohibitum ne publica prata, & amœna, vel Antiochenorum privata, militum equi depaſcantur.*
5. *Mandatur Præfectis ut curent ne prata provincialium devaſtentur ab equis militum. Quid ſi belli neceſſitas urgeat?*
6. *Paſcuorum communium uſus ſit moderatus, pro modo prædiorum & animalium quantitate quæ quiſque poſſidet.*
7. *An dominus territorij aliquod jus habeat in paſcuis publicis, ratione ſuæ juriſdictionis?*
8. *Collectis fructibus, licet in privati agrum animalia immittere ad paſcendum herbam communem.*
9. *Dominus agri libere mutare poteſt ejus culturam, ut alios fructus percipiat.*
10. *In agris privatis poteſt impediri eorum cultura, jus paſcendi.*
11. *Dominis territorij non licet agros paſcuos ad culturam reducere aut eos alienare.*
12. *Soli ſupremo Principi id licet.*
13. *Qui licet ſua prædia alienet, non tamen vicina, & communia paſcua tranſeunt in alienationem.*

IN fundis limitaneis paſcuntur animalia militum, 1
non item in publicis vel privatis. Appellantur paſcua publica, quæ uſui incolarum alicujus civitatis ſunt deputata. Hic titulus agit de paſcuis & ſaltibus ipſius Principis in diverſis territoriis ſitis, quæ elocantur certa penſione, & pacto ut animalia rei privatæ Principis in iſtis paſcuis unà paſcantur; quia vero ſæpe arceantur prætextu gravioris penſionis, ideo Imperatores Valentinianus & Valens conſtituunt. * Ne in iis ſaltibus adjectio fiat, vel 2
penſio à conductoribus augeatur, aut renovetur ab ordine decurionum licitatio, quàm repentina ſæpe libido conductorum, vel decurionum, fieri deſiderat, ut ipſis plus offerentibus, liceat animalia ab hiſce locis arcere, & impedire ne ibi paſcantur, quo liberius commoditate paſcuorum fruantur. *l. 1. h. t.* ubi id fieri non oportere Divæ memoriæ Julianus prorogata juſſione jam ante conſtituerat: quam obſervare provinciarum Rectoribus mandant dicti Cæſares, & ne admittant hujuſmodi pacta, ſed antiquam conſuetudinem obſervandam curent. Ex quo elicitur reſiſti poſſe exigenti præter

ter ſolitum morem, item miniſtris ad elocanda vectigalia communitatis ſuæ deputatis, qui plus æquo paciſcuntur cum redemptoribus, & lucrum inſolitum ab iis captant.

3 Huc facit, quod in pleriſque locis obſervatur. Si tractus quidam ſit, ubi plures ſunt ovium greges, & ob nimium frigus nulla ibi inveniantur paſcua, paſtores inde eos, in temperatum magis agrum ducunt, idque permiſſu domini, aut prætoris loci, ſi ager iſte publicus ſit, dato certo pretio, & cum ſæpe majus prætor exigat quam conſtitutum ſit, ea conditione, ne aliæ oves ibi paſcantur, prohibetur ne hujuſmodi pactum fiat, augeaturque pretium quod ſtatuit antiquitas, juxta *d. l.* 1. ibi Rebuffus.

4 *Unde conſtat non licere privatis contra legem & uſum impoſita rebus pretia augere, nec ſaltus publicos in quibus militum equi paſci ſolent carius elocare. Ne præ paſcuorum inopia cogantur milites in alia loca ipſis interdicta equos ſuos immittere, ut ſunt prata publica, aut rei privatæ Principis, & animi cauſa comparata, quæ à nemine cujuſcumque conditionis, devaſtanda ſunt, pœna duodecim librarum auri impoſita, exigendaque ex ſtipendio militum, ſi ipſi devaſtaverint, vel ab aliis miniſtris qui idem fecerint. *l. 2. h. t.* ubi Arcadius & Honor. Impp. pœnam hanc extendunt in quoſcumque alios devaſtantes prata privatorum, ac præſertim civium Antiochenæ, & Apamænæ civitatis in Syria, ita Cujacius Apamæna prata, non amæna legit, *lib. 1. obſ. c. 19.* quæ ne à militum æquis depaſcantur, ac inde poſſeſſores & coloni damnum ſentiant, Curiales iſtius regionis ex paſcuis publicis congrua loca aſſignare debent militibus, ad alendos proprios & militares equos, atque ita cum ipſis, tum privatis poſſeſſoribus conſuletur.

5 Sed cum ſæpe curiales id negligerent, vel non auderent ſeſe militum audaciæ opponere, imperatores hanc curam ſummis provinciarum præfectis demandarunt *l. ult. h. t. & l. 4. C. Th. de paſcuis.* ne ſcilicet prata quorumque provincialium, & præcipuè rei privatæ Principis, à militibus uſurparentur. neve poſſeſſores vel coloni propter prata deinceps ulla moleſtia afficerentur, cum non minus ſit perniciosum, quàm periculoſum, nimia militum licentia & moleſtia fatigari. *d. l. ult.* Debent enim eſſe contenti ſuis ſtipendiis, & nihil ultra debitum ſubſidium extorquere; nec paſcua aliena ingredi niſi belli urgeat neceſſitas: tunc enim militibus loca viciniora ſuis ſtationibus ſunt communia. Caballus *reſolut. crim. cen. 3. caſu. 294. n. 426.*

6 Quamobrem prudenter multis in locis ſunt prata communitatis, & militum uſui deſtinata, ea lege ut moderate ac civiliter quiſque iis utatur, pro modo videlicet prædiorum, quæ in territorio poſſidet. Ideo Albericus, Craveta, Menochius, & alij, quos refert Joan. Coſta *de ratione rata c. 159.* docent ſi vicini prædia habeant prope paſcua communia, & eorum aliquis modica prædia poſſidens alat frequens pecus, poſſe alios qui ampliores poſſeſſiones habent, intentare judicium communi dividundo in eum finem, ut cuique ſua portio aſſignetur, & paſcua dividantur pro rata prædiorum *arg. l. 17. ff. De ſervit. ruſtic. præd.* ubi aqua duci permittitur pro modo poſſeſſionum, ad irrigandos agros, & ſine injuria vicini. Sic pro numero pecudum, & rata prædiorum quæ incolæ habent, paſcuis communibus iis uti licet, Menochius tamen id judicantis committit arbitrio, qui pro numero incolarum & paſcuorum qualitate, ea illis diſtribuet, *l. 2. arbitr. caſ. 245.*

Et ea ſervanda eſt proportio, ut neque domino 7 loci habenti ibi juriſdictionem, liceat animalia plura in prata communia immittere, quam uni privato, multo minus nemora arboreſque cædere, aut alienum fundum ad paſtum occupare, cum damno & jactura poſſeſſoris; ita ut merito ſi quæ talis invaluerit conſuetudo, improbetur, cum nulla lege, aut ratione nitatur. Neque recte adducitur textus *in l. 2. h. t.* quia ne militibus quidem, etſi militiæ vacent, permittit præter equos militares alia animalia in paſcua publica immittere, niſi eo in loco habitent; tunc enim ea lege utuntur qua cæteri incolæ. Et eſto plura privilegia militibus concedantur, propterea quod Reipublicæ ſerviant, non tamen illa ſunt ad Toparchas & nobiles extendenda, qui licet tales ſint, non tamen militare obſequium Reipublicæ præſtant, quandoquidem etiam multi nunc, pretio aut precibus dominium & juriſdictionem alicujus loci obtinere ſoleant, licet non ſint nobiles. * Dico cum damno poſſeſſoris, quia 8 ſi nullum detur, licitum fuerit pecus in ejus agros immittere, nullum autem datur domino agri, ſi collectis fructibus id fiat, & pecora herbas natura illic naſcentes, paſcantur, quas dominus nec venditurus eſt, nec vendere, aut demetere conſuevit. Ita ut obtineat hic illa juris ratio, poſſe quem facere in alieno fundo, quod ei prodeſt, & domino non nocet. *l. 2. §. 1. ff. De aqua pluv. arc.* Joan. Faber. *in rub. t. Inſt. de lege Fuſia Canin.* Avendanus *De exequend. mandat. lib. 2. cap. 13.* quos ſequitur Covar. *practic. qq. cap. 37. num. 1. & 2. & 5.* * Ubi plures 9 referens dicit liberum eſſe domino agrum paſcuum, in agrum arvum commutare, ex quo uberiores fructus percipiat, Neq; poſſe eidem objici, nunquam id fuiſſe factum, aut longa poſſeſſione id juris obtinuiſſe, propterea quod mutet ſpeciem fructuum, & agriculturam. Nam eſt *text. in cap. 30. X. De decimis.* ubi is qui præſcripſit jus percipiendi decimas ex certis agris, cenſetur præſcripſiſſe illud jus, non tantum quoad fructus conſuetos colligi & percipi, ſed etiam quoad recens ſeminatos. Sic etiam privatus qui jus habet colendi agrum ſuum

&

Digitized by Google

& percipiendi ex eo certos fructus, poterit eodem jure mutare agri cultum, ut fructus alios inde percipiat, etiamſi paſtus communis ex eo impediatur.

10 Non enim in privatos agros jus paſcendi communitas habet, niſi collectis fructibus, & modo iſtorum agrorum cultura, qualiſcumque ea fuerit, non impediatur: niſi aliud jure ſervitutis, aut longo uſu fuerit conſtitutum. Igitur ubi tale jus, aut uſus non eſt, licebit domino agri culturam mutare, herbam ſecare, eamque conductoribus vendere, cum ſponte nata ſit, ut fructus naturalis in ejus agro, & inde arcere animalia quæ ibi paſcuntur, ſe invito, itemque jure agere, ut damnum datum ſarciatur, niſi ut dixi, jus paſcendi, collectis primis fructibus, in ejus agro ſit quæſitum vicinis longo uſu, conceſſione Principis, aut jure ſervitutis, tunc enim dominus non poterit impedire jus iſtud paſcendi, uti non poteſt dominus prædij ſervientis ædificare in præjudicium ſervitutis, *l. 21. ff. De ſervitutibus urb. præd. l. 9. ff. ſi ſervit. vind.* Cæpolla *De ſervit. juris paſc.* Covarruvias *lib. 1. var. cap. 17. n. 11.*

11 Quod ſi agri fuerint perpetuo inculti, & compaſcui, non licet domino territorij iſtos agros ad culturam reducere, hoc enim ſi liceret, impediretur communis uſus, & jus paſcendi incolis quæſitum, in quorum præjudicium ne quidem ex iiſdem agris partem aliquam certis limitibus claudere permiſſum eſt. Nihil enim ex iis quæ publici & communis uſus ſunt licet immutare, multo minus alienare loca communia, abſque ſupremi Principis ſeu Regis facultate, quæ tamquam forma neceſſaria eſt ad rerum publicarum alienationem, quoties enim debita forma non ſervatur, actus

12 nullus eſt, *l. 8. §. 17. ff. De tranſact.* * Etenim cum è re publica ſit paſcua communia ſervari, ad Principem ut Reipublicæ caput, hujus rei cura ſpectat, qui licet dominis territorij juriſdictionem conceſſerit, ſupremum tamen jus ſibi retinet & facultatem diſponendi de paſcuis, & aliis reſervatis ſupremæ juriſdictioni. Accedit quod hæc prædia & paſcua in communem incolarum uſum à Principe ſint conceſſa, unde non niſi ejus permiſſu, mutari, ad culturam reduci, aut in alios uſus transferri poſſunt, facit *l. 39. §. fin. ff. De legat. 1.* ubi prædia Cæſaris in formam patrimonij redacta ſi legentur, nec æſtimatio eorum debet præſtari, quoniam commercium eorum, niſi juſſu Principis non ſit, cùm diſtrahi non ſoleant.

13 Imo quamvis Princeps permitteret prædia ſua alienari, ea tamen quæ communia paſtui ſunt, non alienantur, quibus nimirum incolæ & vicini diu uſi ſunt, ea conditione, ut quolibet anno minutum cenſum Principi penderent (Scripturam vocarunt Veteres) Bulengerus *De vectig. cap. 10.* Quoniam, ut dixi, Principes ſupremi reliquerunt hujuſmodi incultos agros ſuis ſubjectis, ad pecora ſua alenda, ſine quibus nec ipſi vivere, nec agros ſuos colere poſſent. Le Bret. *De la ſouveraineté du Roy, lib. 3. c. 3.* & Hiſpani exponentes *tit. 17. lib. 7. Recopil.* concludunt, ſoli Regi competere jus diſponendi de hujuſmodi agris communibus, quos perpetuo ſervant ſuis vaſallis, ut præcipiunt leges regni, quibus derogare nequeunt domini territorij. Bobadilla *l. 2. polit. cap. 16. num. 153. & lib. 3. c. 8. num. 82.* Larrea *alleg. 110.* Ex quibus obſerva, nullo unquam tempore, vendenda aut uſurpanda eſſe bona atque jura, quæ tuendæ conſervandæque Reipublicæ ſunt deſtinata, ut ſunt agri & paſcua ruſticorum.

TITULUS LXI.

De fundis patrimonialibus, & ſaltuenſibus, & emphyteuticis, & conductoribus eorum.

1. *Fundi patrimoniales qui ſint, eorum diſtinctio varia.*
2. *Res privata patrimonium Principis dicitur.*
3. *Fundorum triplex conditio, duplex bonorum patrimonialium diſtinctio, alia enim ſunt juris privati, alia juris emphyteutici.*
4. *Fundi empti aut dati jure privato dominium tranſit in emptorem pleno jure.*
5. *Diſcrimen inter poſſeſſores & habentes emphyteuſim à Principe & alios emphyteuticarios, illi domini efficiuntur, hi quaſi ſunt domini, præſtito canone.*
6. *Qui à venditore privato jure fundos patrimoniales emerat, non cogebatur deſertos ſuſcipere: ſecus ſi à fiſco, vel Principe, tenebatur peræquationem admittere.*
7. *Fundi limitrophi & ſaltuenſes eripiuntur ab iis qui eos impetrarunt, & ad jus priſtinum transferuntur.*
8. *Pecunia certæ rei deputata, non debet in alium uſum transferri.*
9. *Fundi patrimoniales poſſunt ab emphyteuta donari, ſalvo canone; An etiam vendi?*
10. *Emptor fundi patrimonialis fit dominus ſine metu caducitatis; ſecus emphyteuta, ſi canonem non ſolvat, niſi is minor ſit.*
11. *Poſſeſſor patrimonialis ſuſtinet adjectionem, emphyteuticario prætextu adjectionis vel reſcripti fundus non aufertur.*
12. *Non tamen ei fit remiſſio penſionis ſeu canonis, quæ præſtatur à quovis emphyteuta.*
13. *Cui non licet deſerere fundos jure emphyteutico ſuſceptos, deſertos qui à peræquatore accipit tutus eſt.*
14. *Qui fundos patrimoniales in emphenſim accipit,*

Digitized by Google

plt, cavere debet de damno deſertionis, datis pignoribus.
15. *Adverſus fiſcum defenditur qui 40. annis poſſedit fundos patrimoniales quaſi donatos dempto canone.*
16. *De donatione ſeu conſenſu Principis conſtare debet, & de ſpatio 40. annorum.*
17. *Iſta præſcriptio non opponitur fiſco vindicanti bona dominica, ſecus quoad regalia.*

1 HOc titulo agitur de fundis, qui pertinent ad ſubſtantiam Principis. Eſt autem duplex Principis ſubſtantia, altera publica ſeu fiſcalis, quæ eſt quaſi in patrimonio Principis, altera privata, quæ vere & proprie eſt in ejus patrimonio. *l. ult. verſ. ſed ſcimus ſup. De quadrien. præſ. l. 2. §. hoc interdictum ff. ne quid in loco publ.* Fundorum ad privatam Principis ſubſtantiam pertinentium, alij appellantur patrimoniales, qui ſunt ſub Comite ſacri patrimonij, alij rei privatæ, conſtituti ſub Comite rerum privatarum. De utroque *ſup. lib. 1. tit. 33. & 34.* Alij divinæ domus, qui pertinent ad curam Comitis domorum, cujus mentio fit *in l. un. ſup. ut omnium judic. tam civil. quam milit.* Alij ſunt fundi limitrophi, de quibus *ſup. tit. 59.* Alij emphyteutici, alij Dominici, alij Tamiaci, de quibus ordine di-
2 cetur.* Sæpe in jure, res ex privata ſubſtantia Principis, & res divinæ domus confunduntur; item patrimonium Principis, & res dominica & privata, & tamiaca, nam patrimonium aliud privatum eſt, aliud ſacrum, ut largitiones aliæ ſunt ſacræ, aliæ privatæ; quæ omnes à Principis indulgentia promanant. De illis eſt, *l. 1. ſup. de indict. & l. 1. ſup. de vectigal.* de his, *l. 8. Cod. Theod. de jure fiſci.*

3 Fundorum patrimonialium triplex erat conditio, alij colendi dabantur, ad modicum tempus, & tunc pleno jure remanebant Reipublicæ, aut transferebantur in privatos, jure privato & ſalvo canone, aut dabantur jure emphyteutico, in perpetuam emphyteuſim; ſteriles præſertim agri & inculti, ut fertiliores redderentur. Nam reſpublica aut princeps paucos agros ſibi reſervabat. Tacit. *l. 4. ann. Rari per Italiam Cæſaris agri*, ut eò magis cives agriculturæ ſtuderent; ex qua ſummum commodum: Verum non comprehenſis iis fundis, qui ſimpliciter elocabantur, erant duplicis generis fundi patrimoniales, Alij *juris emphyteutici*, ſimiles fere privatæ emphyteuſi, niſi quod fiſcus in ſuas emphyteuſes potius jus haberet. Alij *juris privati*, ſimiles privatorum agris, qui tantum tributum pendebant, ſed illud quandoque majus quod fiſco dabatur, à quo ſubinde etiam privati emebant dominium iſtorum fundorum ſalvo canone, quandoque dempto canone, & tunc non differebant ab agris privatis; Atque iſta bonorum patrimonialium diſtinctio, etiam ſub Imperatoribus perduravit, ita ut non niſi conſentiente Principe patrimoniales fundi vendi, aut donari poſſent, ſalvo canone, quem fiſcus ab emptoribus, & conductoribus emphyteuticariis accipiebat, in recognitionem directi dominij, quod penes Principem reſidebat, ſibique reſervabat in hiſce fundis: non item in recognitionem univerſalis dominij, ob quod præſtatur cenſus & tributum.

Porrò ex iſta diſtinctione quædam notatu digna, 4
& ad fundos patrimoniales *juris privati, & juris emphyteutici* ſpectantia eliciuntur, ex quibus facilior erit cognitio hujus tractatus & interpretatio multarum legum, quæ titulo, *de omni agro deſerto*, & iſto *de fundis patrimonial. & ſeqq.* exponuntur. In primis quod fundi patrimoniales empti à Principe, vel ejus largitate obtenti, jure privato, dominij jure tranſeant in emptorem vel donatarium ſalvo canone, nec amplius cenſeantur eſſe patrimoniales, ſed privati fundi, olim quandoque eos emere coacti fuere ditiores, & prærogare pretium fiſco, ſi detentor ſolvendo non videtur quod ſublatum, ne quis ad comparationem fundorum urgeatur, ſed ut ſoluto juſto pretio, aut donatione Principis, plenum jus acquirat poſſeſſor, *l. 12. h. t.*
* Ubi notat diſcrimen Cujacius inter poſſeſſorem 5
& emphyteutam, quod ille fundi dominus efficiatur, non item hic, poſſeſſor enim jure privato fundos ſuſcipit ut proprios, emphyteuta jure emphyteuticario fundis fruitur quaſi alienis, uterque tamen ſub præſtatione canonis. Ideò qui poſſeſſor eſt, ut dominus poteſt ſervos fundorum manumittere, quod nequeunt conductores facere, vel emphyteutæ. Emphyteuta tamen qui emphyteuſim habet à Principe in perpetuum, pro domino habetur, *in dict. l. 12.* & ideò omnia quæ verus dominus facere poteſt. Habet enim iſta perpetua conceſſio vicem perpetuæ alienationis, *l. 4. h. t.* Valaſcus *de jur. emphyt. q. 13.* ubi dicit hunc exphyteutam beneficio Principis, pleno jure dominum eſſe, ac ſi fundum pretio dato emiſſet à Principe. Quo fit ut ad ejus comparationem non urgeatur, & illibatum intemeratumque ſervet, & libertates ſervis illorum fundorum præſtet, ut diſponit *d. l. 12.* & *l. 4.* ubi hic emphyteuta patrimoniales fundos conſequitur, ſine metu caducitatis, cui proinde alius emphyteuta vel poſſeſſor comparandus non eſt, plura infra *num. 10.*

Permiſſum tamen eſt poſſeſſori, qui privato ju- 6
re fundos emit, alteri eos revendere, neque hic emptor cogi poteſt à peræquatore fundos patrimoniales deſertos una ſuſcipere: licet aliàs fundi ab ipſo fiſco vel Principe venditi, peræquationi ſubjiciantur. *l. 9. h. t.* Similiter qui fundos patrimoniales jure privato & ſalvo canone, ex liberalitate Principis accepit, tenetur peræquationem admittere, ac ita ſteriles & deſertos fundos, qui in patrimonio Principis remanſerunt colendos ſuſcipere, modo prius fiat à peræquatore fundorum exequatio,

Digitized by Google

quatio, & æqua tributorum diviſio, ne nimium acceptatione ſterilium, donatarius prægravetur, & Principis munificentia minui videatur, *l.10.h.t.* Ea namque donatione facta, donatario jus dominij quæritur ſtatim ac fundos patrimoniales quacumque in regione ſitos, ſibique donatos, ad ſuos hæredes tranſmittit, & ad alios quocumque contractu. *l.6.h.t.* ſalvo tamen canone. 7 * Excipiuntur fundi limitrophi militibus aſſignati, & ſaltuenſes qui per Meſopotamiam & Oſdoënam provincias poſiti ſunt, ad uſus ipſius Principis, hi enim ab eo nec reſcripto impetrari, nec in privatum jus transferri poſſunt, ſive dempto, ſive ſalvo canone. *l.8.h.t.* Idem ſancitum, *in l.13. eod.* ne iſti fundi patrimoniales vel ſaltuenſes totius tractus Orientis, in jus privatum transferantur. Addita pœna, quinquaginta librarum auri irroganda, tam illi, qui audet iſtos fundos petere, quam officiali ſeu Judici, qui talem petitionem concedit admitti; Inde nota, revocari à Principe dominium in alium tranſlatum rei patrimonialis, ſiquidem iſta res jam erat certo uſui deſtinata.

8 Huc pertinet quod pecunia certæ neceſſitati deputata, non debeat applicari alteri rei, ne ordo rerum confundatur, & neceſſitas prætereatur, ob quam Reſpublica ita diſpoſuerat. Unde non recte quæſtores Reipublicæ qui tenentur aquæductus, aggeres, vel res alias conſervare, vel privatis penſiones & reditus ſolvere, exponent pecuniam in aliud opus qualecumque etiam neceſſarium, cum detrimento Reipublicæ, quæ dum bene res diſpoſuiſſe putat, à miniſtris ſuis læditur iſta rerum confuſione. Philip. de Leyden *de Reipub. cura caſ. 24. & ſeqq.*

9 Atque hæc de rebus certo uſui deſtinatis; quas confundere non oportet, neque fundos patrimoniales, limitrophos, vel ſaltuentes, qui certo miniſterio ſunt deputati, poſſunt alteri privato applicari, aut donari, *d.l.8. & 13.* Diverſum eſt in aliis fundis patrimonialibus, quos ubi quis beneficio Principis, emphyteutico jure impetravit, poteſt eoſdem alteri donare, citra judicis ſive rationalis aſſenſum, eritque perpetuo firma donatio, ſalvo canone, qui ſuis quibuſcumque temporibus fiſco pendendus eſt, *l.1.h.t.* Ad dices cur valet donatio, & non venditio, fiſco non permittente? quia qui cupit vendere fundos iſtos, debet id denuntiare fiſco, cui illud jus eſt, ut aliis præferatur oblato eo pretio, quod alij offerunt. *l.3. ſup. de jure emphyteut.* At dum fit donatio, jus illud ceſſat, liberumque eſt donatario, jus ſibi quæſitum alteri donare; Neque intereſt fiſci cui donet, cum res ſemper tranſeat cum ſuo onere, canonis videlicet aut cenſus, ejuſque nomine habeat actionem realem, adverſus quemcumque poſſeſſorem. Lucas de Penna & Rebuffus, *ad d.l.1.* poſt eos Franc. Sarmient. *lib.3. ſelect. interpr. cap.2. num.16.* Ubi conatur defendere diverſum eſſe in privato emphyteuta, ut is donare nequeat ſine domini conſenſu, prout nec vendere, aut alienare jus ſibi competens. Sed ego communi ſententiæ adhæreo, quam *ſupra de jur. emphyt. num.9.* expoſui.

Præterea quamvis emphyteuta fundi patrimonia- 10
lis pleno jure fiat dominus, ut is qui pretio dato fundum emit à Principe, *d.l.12.* eſt tamen inter eos diſcrimen, quod emptor dominus efficiatur, ſine metu caducitatis, quia ut inquit Imperator, *non magis commodamus noſtra, quam tradimus ea jure dominij. l.4.h.t.* Emphyteuta vero ſive privatus, ſive patrimonialis, non ſoluto canone intra triennium, in commiſſum cadat, *juxta l.2. ſup. de jur. emphyt.* niſi quis fundos juris emphyteutici ad Principis domum devolutos, forte ex cauſa deſertionis ſibi addici poſtulet. De quibus fundis emphyteuticis loquitur *d.l.4.* ut in iis ceſſet cauſa commiſſi. Item de fundis patrimonialibus minori conceſſis in emphyteuſim, cui ætatis beneficio fundi aſſervantur, etſi canon intra tempora non ſolvatur, ſed ejus curator, ob neglectum officium convenitur, & damnum fiſco illatum ſarcit. *d.l.2. h.t.*

Obſervanda & iſta differentia, quod poſſeſſor 11
fundorum patrimonialium juris privati, cogatur adjectionem fundorum ſterilium ſuſtinere, ſub præſtatione canonis, *l.9. ſup. de omni agro deſert.* Galli vocant *Surcharge*, Græci ἐπιβολὴν: non item ille qui agros ſteriles, in perpetuam emphyteuſim à Principe colendos ſuſcepit. *l. ult. ſup. d. t. de omni agro deſ. ubi plura dixi num.13. & ſeq.* huic enim non augetur canon, ſed quem præſtare ſolet, in futurum pendet. * Cæterum ut prætextu ſupra adjectio- 12
nis auferri fundus emphyteuticarius ipſi emphyteutæ non poteſt, quamvis alius augmentum offerat, ita nec ab eo relinqui prætextu defectionis & ſterilitatis. *l.3.h. tit.* Quomodo nec peti nec concedi à Principe debet remiſſio penſionis, ſeu canonis, cum hic præſtetur à quovis emphyteuta, in recognitionem directi dominij, non in compenſationem fructuum ut dixi, *ſup. de jur. emphyt.* Valaſcus *de jur. emphyt. c.27.*

Id tamen in primis notandum quod dicit textus 13
in d.l.3. fundos jure emphyteutico ſuſceptos non licere deſerere, cum tamen fundi tranſlati privato jure ſæpe à poſſeſſoribus relinquantur, vel in alios transferantur. *l.14. ſup. de omni agro deſerto.* Is autem qui agros ſic deſertos à peræquatore, vel cenſitore accipit, perpetuo & firmo jure eos retinere poteſt, etiam excluſo illo quem deſertor conſtituerat, vel alio quovis competitore. *l.5. h.t.*

Verum ut ſecurus ſit fiſcus de ſuo canone, & alio 14
onere fundis patrimonialibus emphyteuticis impoſito, non niſi idoneo dantur, & qui de damno deſertionis caveat pignoribus aut fidejuſſoribus. *l.7. h.t.*

ſi

Digitized by Google

ſi tamen ab emphyteuta in poſſeſſione retento, exacta non fuerit cautio, non ideo auferendi, ſed diu-
15 turnitate temporis defenditur, *l.11. h.tit.* * Sic qui per annos 40. fundos patrimoniales, vel templorum, aut alterius juris poſſidet cum titulo vel ſine titulo, ſecurus eſt, nec poteſt ei moveri quæſtio à fiſco, modo quotannis canonem ſolverit, aut Princeps ei fundos conceſſiſſe probaverit, dempto canone *l.ult.h.t.* Hic obſerva duo requiri ut præſtatione canonis alteriuſve publici oneris quis liberetur, ſi præceſſerit Principis conceſſio, & hanc ſequantur anni 40. Bart. Platea. *ad d.l. ult.* Barboſa *ad l. 6. num. 45. & ſeqq. Cod. de praſcript. 30. vel 40. ann.*

16 Denique, *ex d.l.ult. & l.4. ſup. De praſcript. 30. vel 40. ann.* quæ utraque eſt Anaſtaſij, apparet non tantum jura privata, ſed etiam publica tolli præſcriptione 40. annorum, puta ſi vindicentur fundi patrimoniales publicæ domus, vel publici juris. Nec obſtat quod dicitur *in Novell.* 30. temporis prolixitatem juri publico non nocere: Idemque *in l.5. ſupr. De oper. publ.* quia intelligendum id eſt, de præſcriptione longi temporis, quæ opponi non poteſt
17 fiſco vindicanti quod habuit & amiſit. * Sed præſcriptio 40. ann. tantum præterquam ſi à fiſco petantur tributa, cenſus vel canones præteriti temporis, quod ab eorum ſolutione nemo excuſetur, niſi ut dixi, duo iſta concurrant, conſenſus videlicet Principis, & annorum 40. præſcriptio Barboſa *d. loco.* Addit Le Bret. *lib.2. de la ſouveraineté du Roy cap. 2.* & Argentræus *ad conſuet. Britan. art. 266. n. 10.* moribus Galliæ nullius cujuſquam temporis præſcriptionem opponi poſſe fiſco vindicanti bona dominicalia, ut ſunt fundi & prædia incorporata regio patrimonio, deſcriptaque in Camera ratiociniorum. Quorum ſententiæ adhæreo, licet præſcriptio longiſſimi & immemorialis temporis non videatur excluſa, quia jura Majeſtatis, & quæ reſervata ſunt Principi, ut juriſdictio & merum imperium poſſunt acquiri, ſi Princeps ſciverit & paſſus fuerit. Covarruv. *ad cap. poſſeſſor pag. 2. §. 2. num. 8.* Fachinæus *lib. 8. controv. cap. 23.*

TITULUS LXII.

De mancipiis & colonis patrimonialium & ſaltuenſium & emphyteuticorum fundorum.

1. *Coloni alij ſimplices, alij adſcripti fundis emphyteuticis.*
2. *Hi non poſſunt agros deſerere, & militiæ nomen dare. Nec veterani cogi agros colere.*
3. *Nec aliam terram colere, quam eam cujus culturæ ſervierunt, antequam fundi darentur alteri in emphyteuſim, nec poſſunt hujus aquam uſurpare.*
4. *Coloni non poſſunt dare libertatem mancipiis.*
5. *Emphyteuta patrimonialis non poteſt removere colonum: quando id facere poſſit emptor, vel alius ſingularis ſucceſſor.*

Quemadmodum in fundis privatorum ſunt va- 1
ria genera agricolarum, nempe ſervi, coloni adſcriptitij, & coloni liberi, ut dixi *ſupr. titul.* 47. Ita etiam eadem agricolarum genera reperiuntur in fundis patrimonialibus, ſaltuenſibus & emphyteuticis, niſi quod alij iſtos agros colendos ad tempus ſuſciperent, certa mercede, quæ erat decima frumenti. Appianus *lib. 1. De bellis civil.* alij in perpetuum ita ſe obſtringerent culturæ, ut ab ea recedere non poſſent, nec aliud munus appetere, aut militiæ nomen dare.

Quare ſi coloni adſcriptitij patrimonialibus de- 2
ſertis agris, ad militiam convolarent, ad avitam conditionem & propriam agriculturam revocabantur, niſi eſſent veterani. *l. ult. h.t.* hi quia jam caſtrenſibus ſtipendiis ocia quieta meruerant, turpe videbatur tela ſua in uſum vomeris aut ligonis convertere, ut ibi reſcribit Arcadius Imp. Atque hujus rei admonet nos Probus Imperator, qui dum emeritum militem ruſtico opere fatigaret, indignitate rei motus miles imperatorem oppreſſit, Albert. Krantz *hiſt. Saxon. lib. 3. cap. 3.* Irreligioſum quoque videtur, ſacræ militiæ milites & Doctores relicta ſua profeſſione, ad culturam agrorum aut alia negotia ſe transferre; dehoneſtantes ſacratiſſimi & nobiliſſimi juris ſcientiam.

Igitur coloni quibus certi fundi colendi dati 3
ſunt, ſi fiſcus poſtea totum territorium in emphyteuſim alteri dederit, non debent illi hujus emphyteutæ agros occupare, & quos nullis culturis erudierunt; aut uſurpare irriguas fontium aquas, ultra modum ſuæ terræ, cum terrarum & aquarum fructus totus ad emphyteutam ſpectet; cui idcirco ratione ſuperfluæ irrigationis aliqua recognitio præſtanda erit. *l. 1. h. t.* Sic ſi dominus ſui territorij agros elocaverit, eorum numero non habentur inculti & ſilveſtres, qui nunquam culti fuerunt, neque aquarum fontes & rivi, cenſentur conceſſi, niſi qui ſufficiunt culturæ agrorum. Rebuffus, *ad d. l. 1.*

Porrò ut non licet colonis uſurpare agros vici- 4
nos, aut jus emphyteuticarium minuere, ita nec libertatem dare mancipiis fundorum patrimonialium, & ſi eam dederint, revocatur per procuratorem Cæſaris. *l.2. h.t.* quoniam libertas in præjudicium domini dari non poteſt, nec data, rata habetur, niſi à domino data ſit. * Verùm licet pa- 5
trimonialis emphyteuta quaſi dominus ſit, non licet tamen ei à prædiis veteres colonos removere, vel in eorum loco alios colonos ſubrogare. *l.3.h.t.* Inde colligo emptorem fundi patrimonialis, teneri

Digitized by Google

teneri ſtare colono & ſi eum expulerit, poſſeſſione privari, ea fortaſſis ratione, ne colonus habeat regreſſum adverſus fiſcum. Quod diverſum eſt in emptore vel emphyteuta privati fundi, qui poteſt colonum ſuum expellere, niſi aliter convenerit. *l. 9. ſup. de locato l. 24. §. 2. l. 25. §. ſi vicino ff. locati.* aut colonus jus in rem conductam habeat, puta hypothecam ſpecialem, ut dicit Papon. *lib. 10. art. 3. num. 1.* alij etiam generalem ſufficere exiſtimant, ut colonus non ante poſſit expelli, quam ipſi refuſum ſit, quod ſua intereſt. Molinæus, *ad conſ. Pariſ. tit. 1. §. 30. n. 109.* & Valaſc. *conſul. 76. per totam.* Quorum ſententia verior in praxi, *ut dixi ſup. de locato num. 34.*

TITULUS LXIII.

De fugitivis colonis patrimonialibus, ſaltuenſibus & emphyteuticis.

1. *Coloni adſtringuntur cultura ſua patria, & ad eam revocantur, nec prodeſt eis militia, aut reſcriptum.*
2. *Magiſtratus curare maxime debet, ut agri colantur, ne deſerantur, ut Romæ olim.*
3. *Coloni patrimoniales remittuntur ad Præſidem ſub cautione, & apud eum litigant de colonaria ſucceſſione*
4. *Qua pœna afficiatur is qui occultat & celat patrimonialem colonum?*

1 QUod dictum eſt *ex l. ult tit. ſup.* hic repetitur, ut ſi fundorum patrimonialium coloni & ſaltuenſium, ad militiam convolarint, ab ea revocentur, & retrahantur ad terram, quam antea colebant, & cui erant adſcripti: Item parvuli & orti ex colonis patrimonialibus, non obſtantibus militiæ ſtipendiis, revocantur ad culturam quam parentes eorum exercuerunt. *l. 1. h. t.* ut ex curialibus orti ad munera ſuæ patriæ, *l. 17. ſupr. De decurionib.* Nec illis proderit reſcriptum quod à Principe impetraſſe allegant, aut quod militiam dudum exercuerint, niſi ſint veterani & honeſtè dimiſſi.

2 * Utili ratione inquiunt Impp. proſpectum eſt, ut innocentes & quieti coloni, neglectis militaribus occupationibus, in agris ſuis permaneant, eoſque diligenter colant, ne Reſpublica damnum ſentiat, neglecta agricultura. *d. l. 1. & l. 3. ſupr. De defenſ. civit.* Monet Ariſtoteles Magiſtratus, ut curent prædia agroſque luſtrari, cultores diligentes præmio, ignavos infamia affici, quomodo Romæ agros deſerere aut male colere probrum fuit.

3 * Quamobrem coloni qui patrimoniales agros deſerere & à colonaria ſua conditione, nulla ex cauſa, ſe eximere conantur, illico remittendi ſunt ad forum Præſidis provinciæ unde ſe ſubduxerunt, ſub cautione idonea ſe illic judicium ſubituros, *l. 3. h. t.* Sic prævia cauſæ cognitione, ſtatim remittitur ſervus fugitivus ad dominum ſuum, aut judicem loci unde aufugit, ſi id dominus velit. *l. 1. ſup. ubi cauſa ſtatus.* remittitur quoque reus criminis ſi petatur ſub fida cuſtodia, periculo judicis remittentis, aut data cautione ſe judicem aditurum ad quem remittendus. Platea & Rebuffus *ad d. l. 3.*

Verùm non facile coloni ſe ſubducerent, aut fugerent, niſi eſſent qui eos reciperent & celarent, quod ne impune fiat, ſtatutum, ut ſi quis colonos ſollicitaverit ad fugam, vel fugitivos receptaverit, non ſolum eos reſtituere, ſed etiam unam libram auri pœnæ nomine inferre teneatur, *l. 2. h. t.* Quo facit *l. 12. ſupr. De agricol. & cenſ.* niſi quod agat de de eo qui privatum colonum receptat, at *l. 2.* de eo qui patrimonialem celat. Cujac. *hic.* 4

TITULUS LXIV.

De collatione fundorum patrimonialium, & emphyteuticorum.

1. *Conductores dominici non liberantur ab ordinariis muneribus, nec à reparationibus viarum.*
2. *Nobiles non rectè ſe conantur ab iis oneribus eximere.*
3. *Emphyteuta in ſolidum vel pro parte, prout poſſident patrimoniales fundos, conveniuntur & tenentur onera præſtare.*
4. *Non ſunt certa penſitationum tempora, modo tamen intra annum fiant.*
5. *Solventibus datur apocha de receptis, & ſi oblatam penſionem receptores recipiant, ut liberentur collatores oblatione & ſolutione per terminos.*
6. *Canones debitos tenentur Judices exigere, exactos ad ærarium deſtinare, non in alium uſum quam deſtinatum convertere.*

HIc Titulus oſtendit, quæ tributa & munera realia præſtare teneantur, qui patrimoniales fundos poſſident, aut in emphyteuſim acceperunt. Et in primis non liberari docet ab ordinariis muneribus, nec à munere viarum muniendarum, *l. 1. h. t.* quoniam iſta munitio & refectio omnibus prodeſt. Idem dicendum de reparatione mœniorum, quæ etiam communem ſpectat utilitatem: nam licet fundi & poſſeſſiones ſint extra muros, aut munitionem civitatis, tamen ubi illa munita eſt, magis ſecure agri coluntur, fructus percipiuntur ac conſervantur. Ideò ſæpius jam dixi neminem eximi ab ordinariis muneribus, aut ab iis ſejungi poſſe, quæ in commune omnibus profutura ſunt, ut ait *d. l. 1.* * Unde non rectè nobiles & privilegiati ſe conantur ſubtrahere à ſubſidiis, ad defenſionem patriæ impoſitis; & ea in miſeros rejicere, cum illorum, qui plures fundos habent, magis interſit, patriam ſalvam eſſe. 1 2

Verum ab extraordinariis functionibus immunes 3

nes

Digitized by Google

nes ſunt omnes poſſeſſores fundorum patrimonialium, & ab obſequiis ſeu oneribus mediæ aut tertiæ partis auri ſingulis olim impoſitæ, quia ſatis eſt ab iis ſolitam aurariam vel frumentariam penſionem præſtari, *l.2.h.t.* igitur qui omnes fundos poſſident, ſi ordinariam penſionem ad eoſdem fundos pertinentem ſolvere differant, in ſolidum conveniuntur, qui vero non omnes fundos, ſed eorum partem habent, pro eadem parte canonem ſolvere coguntur, nam illi ſicuti privatorum fundorum poſſeſſores, tributis & functionibus obnoxij ſunt, *l.3.h.t.* * Quia verò non ſunt certa
4 penſitationum tempora, ideò pendet ab arbitrio ſolventium qua parte anni velint ſolvere, & an in pecunia vel ſpeciebus, modo integram ſummam quolibet anno præſtent intra Idus Januarias; idque potiſſimum hodie locum habet in ruſticis, qui priuſquam fructus ſuos collegerint, & vendiderint, non ſunt ad ſolutionem hujuſmodi compellendi, & ſi conventum aliter non ſit, poſſunt diviſis penſionibus, ſolvere. Hinc etiam emphyteuta, ne ob non ſolutum canonem incidat in commiſſum, videtur poſſe ſolvere canones ſequentium annorum, & prorogare quamcumque conventam penſionem. Speculator *tit. de locatione §. nunc, aliqui verſ. 32.*

5 Solventibus autem ipſo ſolutionis die, apocham de receptis dabit ſuſceptor, qui ſi in recipiendis penſionibus & tributis moram fecerit, aut ſuſcipere recuſaverit, id conteſtari, proteſtarique coram judice ſatis erit. *l.4 h.t.* Itaque ſola oblatio liberat collatores colonos, eiſque Princeps id indulget, ut particulatim canonem inferant, modo numerum ternæ illationis quotannis faciendæ non excedant, *l.4.h.t.* Ita ut tribus quotannis vicibus tota penſio exſolvatur. Quod in cæteris contractibus non obtinet. Affirmat tamen Gomez, *tom. 2. cap. 3. num. 13.* conſuetudine eſſe receptam deciſionem, *d.l.4.* & in qualibet privata reſolutionem dividi tribus terminis quolibet anno. Sed non puto eam Hiſpaniæ conſuetudinem eſſe generalem, aut licere privato debitori invito creditori particulatim ſolvere, qui ne quidem debiti liquidi partem jure cogitur accipere. *l. 3. ff. famil. exerciſ. l. 41. §. 1. ff. De uſuris.* ſolet enim particularis ſolutio & exactio magnam incommoditatem adferre, ut oſtendi *ſup. de ſolution. n. 10.* In eo tamen debito quod aliqua ex parte eſt illiquidum, admittitur particularis ſolutio, *l. 21. ff. ſi cert. petatur*, ut ſi pars debiti negetur aut non appareat deberi, & de alia parte conſtiterit, conſultum eſt creditori partem quam debitor faſſus eſt, accipere, qui ſi nolit, liberabitur debitor oblatione & depoſitione ſummæ. Videatur Alciatus *ad d. l. 21.* ubi multis conatur contendere creditorem etiam partem debiti quæ offertur, cogendum eſſe accipere.

Poſtremo ut omnes patrimonialium, & em- 6
phyteuticorum fundorum poſſeſſores uniuſcujuſque termini integrum & ſolidum canonem ſolvere debent, ita ordinarij judices illum ab iis exigere, & exactum ad ærarium Principis deſtinare. Ex quo canone nihil debent in publicas neceſſitates convertere, niſi velint graviſſima ſeveritate ſuam licentiam coerceri, *l.ult.h.t.* vide quæ dixi *ſup.lib.10.tit.6.*

TITULUS LXV.

De fundis rei privatæ, & ſaltibus divinæ domus.

1. *Fundi rei privatæ, vel dominicæ qui ſint. Item fundi ſaltuenſes.*
2. *Cavendum ne quid uſurpetur ex aqua pertinente ad fundos rei privatæ.*
3. *Venditio fundorum rei privatæ à fiſco revocari non poteſt.*
4. *Rei privatæ ſi locetur, & melior induſtria poſſeſſoris reddita ſit, non ideò augetur penſio, ſi poſſeſſor ſolvendo non ſit, in alium idoneum fundi transferendi ſunt eodem canone.*
5. *Si quis fundum rei privatæ alicui vendiderit, qui ſolvendo non eſt, ipſe obligabitur fiſco.*

AD privatum Principis patrimonium pertinent 1
fundi rei privatæ, divinæ domus. *l. 2.* ibi *privatæ rei & l. 3.* ibi *rei privatæ noſtræ h. tit.* quos fundos ſequens Titulus vocat rei dominicæ. Hiſce fundis colendis adſcripti erant coloni, agricolæ & ſervi, qui etiam dominici, alibi fiſcales appellantur; nec unquam ab illis fundis abſcedere poterant. Qui tamen per tempus 30. annorum collegio, curiæ, vel burgis, vel corporibus ſerviverant, non revocabantur ad fundos rei privatæ, vel dominicæ, *l.6.hoc tit.* quia diuturnitate temporis, quaſi liberi cenſebantur. Erat autem inter fundos diſcrimen, alij enim vel ad agriculturam, vel ad alios fructus producendos erant apti, alij planè ſteriles & inculti, in quibus animalia paſcuntur, nec alium fructum præter paſcua ferebant, atque hi fundi appellabantur ſaltuenſes, quorum mentio fit in inſcriptione hujus tituli, non in legibus, ex quo tamen generatim de fundis rei privatæ & templorum tractatur, tacite de ſaltuenſibus agi videtur, cum fundi rei privatæ, ut culti & fructiferi eſſe poſſunt, ita & ſaltus divinæ domus inculti & infructiferi paſcuis tantum deſtinati.
* Promiſcue iſtis fundis uſus aquæ ſerviebat, nec 2
poterat ab aliis uſurpari; & ſi modus aquæ uſurpatus fuiſſet, ad meatus priſtinos debebat revocari, ſubmota præſcriptione temporis. *l. 5. h. t.* Nec hac in re connivere poterat procurator Cæſaris ſeu rationalis, cui fundorum rei privatæ, & templorum cura, atque defenſio erat demandata; qui etiam te-

 nebatur

Digitized by Google

nebatur quotannis tributa & cenſus, quibus fundi iſti erant obnoxij, exigere, item eos qui ex fundis Eccleſiæ ærario, vel ipſis Eccleſiis liberalitate Principis extructis debebantur. *l.4.h.tit.* Hinc obſervo recurrendum eſſe ad principem quoties debitores ſubtrahunt decimas & reditus Eccleſiæ, aut ei vis infertur, *cap.21.* ✠ *de homicid. can. 2. 23. q.3. & can. 20. 23. quæſt. 5.* late Salgado *de regia protect. p. 1. cap. 1. n. 107. & ſeqq.* ubi dicit manum regiam murum eſſe fortiſſimum Eccleſiæ, & religionis præſidium. Et recte, convenit enim ut Principes, qui privilegia, immunitates & exemptiones Eccleſiis, earumque miniſtris dederunt, eaſdem conſervent, augeant, nec imminui, aut lædi ab improbis patiantur, utque ea quæ ad religionem faciunt, ſummo ſtudio promoveant, perſonas Eccleſiaſticas, earum fundos ac reditus ſuo patrocinio protegant, quo facilius & ferventius divinis officiis vacare poſſint.

3 Porrò ut res Eccleſiæ immobiles non poſſunt alienari, aut in perpetuam emphyteuſim dari, *Novell. 7. c 3. Novell. 120. c. 1. & tit.* ✠ *De reb. Eccl. non alien.* Ita nec res in patrimonio Principis diu retentæ & incorporatæ, ut dixi ſupra. At fundos ad rem privatam, id eſt, ſubſtantiam Principis pertinentes, jure fiſcus eos vendere & quovis titulo alienare poteſt, & adeo rata habetur iſta alienatio, ut nunquam à Principe revocari poſſit, *l. 1. h. tit.* ſed remanent fundi fiſcales penes emptorem ejuſve ſucceſſores, niſi dum venderentur alius meliorem conditionem obtulerit, quia licet in hac venditione pretio oblato plus adjicere, *tit. ſup. De*

4 *vend. rer. civit.* * Sic ut vendi, ita & elocari poſſunt fundi rei privatæ, ac per Comitem rerum privatarum poſtulantibus addici, cum onere canonis, cui tunc ſunt obnoxij; nam fundo per poſſeſſorem meliorato & aucto, non augebitur onus pro hac portione, *l.2.h.t.* Itaque Rationalis à poſſeſſore qui meliorem fundum reddidit, mancipiis ac pecoribus auxit, illud onus tantum exiget, quod tempore conceſſionis fiſco debebatur. Quod ſi poſſeſſor quotannis ſolitum canonem ſolvere differat, cogitur ex propriis bonis fiſcum indemnem ſervare, ſi autem minus idoneus factus fuerit, in alium magis idoneum fundi ſunt transferendi, ſub eodem onere ſolvendi canonis, nec ob debita præcedentis poſſeſſoris conveniendus eſt. Hinc nota quod cum quis ab officiali ſeu rationali Principis rem emphyteuticam aut tributariam accepit, non teneatur ad onera præterita: *d. l. 2. in fin. & l. 7. §. cæterum ſup. De omn. agr. deſert.* cui non adverſatur. *l. 7. ff. De vectig.* quia agit de privato poſſeſſore.

5 Priori autem poſſeſſori cui fundus patrimonialis venditus eſt, aut locatus, licet eum alteri vendere vel elocare, ſed cogitur onus canonis ſubire pro eo in quem contulit fundum, ſi is non ſit ſolvendo *l.3.h.t.* Et hic caſus eſt, quo prædeceſſor tenetur ex facto ſui ſucceſſoris, in quem munus publicum jure dominij, aut jure emphyteutico tranſtulit, ſi fiat minus idoneus. Platea hic. Nunquam enim fiſcus fruſtrandus eſt ſuo canone. Quare ſi quis emerit fundum rei privatæ dempto canone, fundus ei eripitur, pretium & fructus perdit, itemque meliorationes quas fecit, nec juvabitur temporis præſcriptione, præterquam 40. annorum. *l. ult. h. tit.* ſic per vetuſtatem, quadragenariam præſcriptionem intelligit Cujacius *ad l. 5. Cod. De præſcript. 30. vel. 40. annor.* Communiter Interpretes tempus, hominum memoriam excedens, ſignificari vetuſtatis verbo verius putant per *l. 1. §. ult. & l. 2. & ult. ff. De aqua & aqua pluv.* Præterea addunt hic Impp. Palatinos ſive apparitores Comitis rerum privatarum, puniri 50. libris auri, qui conſenſerint, ut tali forma hic contractus ineatur. Cujacius *ibi.* Hinc videre eſt eum, qui contra jura mercatur, vel contrahit, perdere rem & pretium, nec ei prodeſſe Principis reſcriptum. *cap. qui contra. De reg. jur. in 6.* Amaya *ad l. 1. n. 17. Cod. De prædiis decur.*

TITULUS LXVI.

De fundis & ſaltibus rei dominicæ.

1. *Diſcrimen inter hunc tit. & ſuperiorem.*
2. *Prædia dominica ſi occupentur, revocanda ſunt & antiquus cenſus ſolvendus.*
3. *Non valet reſcriptum, nec juvatur occupans præſcriptione.*
4. *Niſi Poſſeſſores fundorum rei dominicæ exhibeant ſuos titulos, fiſcus fundos vindicat.*
5. *Armenta & greges ovium, immiſſi in ſaltus rei dominicæ à fiſco vindicantur.*
6. *Qua pœna puniantur nunc cuſtodes qui mitti pecora in alienos agros ſinunt, nec impediunt.*

POterat hic Titulus conjungi ſuperiori, cum res 1
dominica & privata idem ſit, & pertineat ad patrimonium Principis. Forte tamen ideo ſeparatur, quod ſuperior titulus differat de fundis rei privatæ, qui à Principe vel ejus procuratore, juſto aliquo titulo dantur; hic vero de fundis rei dominicæ, qui nullo titulo ab aliis occupantur. * Si 2
quæ ergo prædia ad ſacrum dominium pertinentia, cujuſlibet temeritas occupaverit, ſecundum veteris cenſus fidem in ſua jura retrahuntur. *l. 2. h. t.* per Comitem rei dominicæ qui loca ſacri patrimonij curat. * Idem repetitur *in l. ult. ſupr. ne rei domin. vel* 3
templ. nec occupata tantum loca dominici juris, ſed & alienata, vel in emphyteuſim data, & accepta ſub minore cenſu, vel penſione revocantur, & retrahuntur in jus Principis, non obſtante præſcrip-

ſcriptione longi temporis, petitione, aut impoſitione iſtius novi cenſus, quia antiquus fiſco pendendus eſt, ejuſque utilitas ſemper ſpectanda, non qualiſcumque poſſeſſio, aut reſcriptum deſuper impetratum, quia cenſetur obreptitium, & contra leges, ne canon inferatur, aut antiquus mutetur, niſi ut dixi, aperte Princeps conſenſerit, & ſubſequatur 40. annorum præſcriptio. *ſupr. tit.* 61.
4 * Aliàs enim fiſcus ſemper fundatam habet ſuam intentionem contra collatores, ut canones ſolitos, & tributa inferant, & contra quoſlibet poſſeſſores fundorum rei dominicæ, qui legitimos titulos non exhibent; nam eis non ſuffragatur allegatio poſſeſſionis, aut precaria conceſſio, aut præſcriptio longi temporis, *d.l.*2. Quo pertinent jura regia Hiſpaniæ & praxis quotidiana; quæ volunt, ſi loca patrimonij Regis, vulgo *de Realengo*, ab aliquibus fuerint occupata, titulos legitimos exhiberi, item reſcripta à Regibus obtenta, aliàs, iis non exhibitis, regali patrimonio applicari. Larrea *alleg. fiſc.* 110. *num.* 22. ubi plures Doctores refert.

5 Uti non licet loca ad ſacrum patrimonium pertinentia occupare, ita nec ea devaſtare, præſertim quæ deſtinata ſunt paſcuis dominicis, illa hic vocantur ſaltus rei dominicæ. Quare ſi quis privatus ovium vel equarum greges in ſaltus rei dominicæ immiſerit, fiſco illico vindicantur. *l.*1.*h.t.* quod ſingulare eſt in fiſco, vel Principis patrimonio, aliàs ſi in agrum alienum quis immiſerit pecora, convenitur ob damnum datum in id quod partis intereſt. *l.ult.ſup. ad l. Aquil.* coërcentur quoque procuratores Cæſaris, qui immitti pecora permiſerint. *d.l.*1.

6 Hac lege etiamnum puniuntur apparitores & cuſtodes agrorum à communitate conſtituti, qui venali conniventia ſinunt pecora immitti, & ſaltus paſcuos ingredi, nec denuntiant, aut alio quovis reſpectu diſſimulant, quos teneri fiſco ad pœnam, & parti ad intereſſe affirmat Burgundus *ad conſuet. Flandr. tract.*12.*num.*11. *juxta dict. l.*1. *& dict.l.ultim.*

TITULUS LXVII.

De agricolis & mancipiis Dominicis, vel fiſcalibus Reipublicæ, vel privatæ.

1. *De quibus agricolis hoc Titul. agatur, & quos fundos colere debeant.*
2. *Qui ex ingenuo & colonis, ancillisque rei privatæ naſcitur, ſequitur conditionem matris & loci.*
3. *Ad honores & munera civitatis adſpirare non poſſunt coloni, & revocantur aſſumpti etiam ex militia.*
4. *Nullam deſcriptionem patiuntur, nec onera extraordinaria ſubeunt.*
5. *Non uni ſed pluribus colonis addicendus eſt fundus rei privatæ, ne is aliis moleſtior ſit, quod nunc obſervatur.*

QUamvis hæc tituli inſcriptio ſit recepta, rectius tamen omitteretur particula *Reipublicæ*, 1 cum tantum hoc tit. de agricolis & mancipiis fundorum rei privatæ, non publicæ imperatoris agatur, atque hanc lectionem probant Cujacius, Contius, & Garſia Toletanus. Leges autem hujus tituli, idem quod ſuperiores de fundis privatorum hominum, & de fundis patrimonialibus præcipiunt, nimirum ut coloni & ſervi dominici, fundos rei privatæ colant, ſteriles aſſidua cultura fertiles reddant, terræ cui adſcripti adhæreant, & ſi aliò ſe transferant, cum omni ſobole revocentur. * Nam nati ex ingenuo homine, & colonis ancil- 2 liſque rei privatæ, matris & loci conditionem ſequuntur, *l.*4.*h.t.* Idem *in l.* 16. 21. *& ult. ſup. De Agric. & cenſ.* De privatorum colonis ſancitum. Non licet itaque colonis alienorum prædiorum rationibus ſe miſcere, alienam rem privatam gerere, aut quid aliud adminiſtrandum ſuſcipere. *l.*2 *h.t.* * Vel 3 ad honores adſpirare, & ſi fuerint oblati, vel ob perſpectam induſtriam ad munera civitatis vocentur, illico ad collenda, quæ conſueverunt, prædia revocandi, *l.*1.*h.t.* Indecorum enim eſt, honores & munera civilia, ordinibus & corporibus deſtinata, agricolis deferri, & à vilibus & abjectis ſæpe hominibus ea geri, iis præſertim in locis, ubi honeſtorum hominum ac ſapientum copia eſt, ſi nihilominus coloni, & eorum etiam filij, vel nepotes, vel quicumque deſertis fundis dominicis ac poſſeſſionibus, clanculum ad civilia officia convolaverint, reddendi ſtatim ſunt, etiamſi protectores fuerint, aut militiæ Sacramento obſtricti, *l.*3.*h.t.* niſi ob completam militiam meruerint vacationem, ut dictum ſupra. *De mancipiis & colonis patr. l. ult.*

Melior autem eorum conditio, quod nullam 4 deſcriptionem ſive capitationem patiantur, neque ad extraordinarias functiones devocentur, potiſſimum ſi aliquid eis contra conſuetudinem indicatur. *l.*5.*h.tit.* * Quin etiam poteſt colono fun- 5 dus quem hactenus coluit, addici jure privato ſive titulo emptionis, modo alij ejuſdem originis ac juris ipſi in dicta emptione ſocientur, ne ſi uni tantum vendatur, aliis ruſticis gravis ſit ac moleſtus, *l. ult. h. t.* coloni enim dum diteſcunt, intolerantiſſime ſuperbiunt. Ex qua lege videre eſt ditiores plerumque animo efferri, & moleſtiores eſſe ſuis vicinis, & ideo compeſci debent auctoritate magiſtratus, & ſeparari, ſi communio bonorum & habitatio diſcordias graves excitet.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS LXVIII.

De prædiis tamiacis, & de his qui ex colonis dominicis aliiſque liberæ conditionis procreantur.

1. *Prædiorum fructus diverſis deputabantur. Quibus tamiaci fundi dentur, & quis eorum curam habeat?*
2. *Coloni tamiaci aſſociantur dominicis, & nati ex colono libero & tamiaca, vel contra, tamiacus ſit, ex adſcriptitio & tamiaca matrem ſequitur.*
3. *Confirmatur venditio prædiorum tamiacorum, & gomatici ſaltus, ſalvo canone.*
4. *Tamiaci non conveniebantur coram alio in quovis negotio, quam coram Comite domorum.*
5. *Mutatus & abdicatus eſt iſte Comes à Juſtiniano, & ei ſubſtitutus Proconſul Cappadociæ.*
6. *Nunc etiam utraque cum poteſtate Gubernatores mittuntur in Provinciam.*

COnſtat ex ſuperioribus, alia eſſe prædia limi-
1 trophia, militibus limitaneis deſtinata, *tit.* 59. alia veteranis, in præmium peractæ militiæ, *l.* 11. *ff. De evict* alia quæ largitate Imperatoris bene meritis de republica dantur, alia certantibus in agone, unde dicta agonothethica. Hoc titulo tamiaca prædia, quæ diſpenſatori, ſive cellario Imperatoris ſunt deputata, coluntur que per ſervos adſcriptitios, & colonos tamiacos Provinciæ Cappadociæ. Hi enim tenentur fructus vectigales, ex hiſce prædiis collectos quotannis deferre, vel deferendos ad Canonicarios ſcholæ Palatinæ dirigere, per quos dein deferuntur Conſtantinopolim, & dantur diſpenſatori, ac penus cuſtodi, de quibus is poſtea domui, & cellario Imperatoris providere poſſit, & procurare domeſticis cibaria & alimenta, quæ in ταμιείοις ſive cellariis reponebat & aſſervabat, unde hunc diſpenſatorem vocant ταμίαν. Hiſpani *Diſpenſero mayor, y guardamangel* Domus Regiæ. In quo Greg. Lopez ſummam requirit induſtriam, diligentiam, fidem, & facultates, ut facilius poſſit providere domui Auguſtæ, *in l.* 13. *tit.* 9. *p.* 2. Videantur Alciatus, Pyrrhus, & Cujacius *hic*. Quamobrem Comitis domorum eſt curare, ut reditus tamiacorum fundorum, qui conſiſtunt in paſcuis, arvis, campis, ſive in locis vitibus conſitis, ſive in nemoribus & prædiis, *Novell.* 30. *cap.* 7. *in princ.* aſſidue colantur, in provinciis ubi ſita, & ne illa à colonis, prædiis iſtis adſcriptis, deferantur, quamvis ſint liberi & filij eorum. Pancirol. *in Notitia utriuſque Imperij cap.* 60.

Hinc ſtatutum ut filij vel filiæ ex colono libero,
2 & tamiaca, vel ex tamiaco & colona libera procreati vel procreatæ, colonis dominicis annectantur, naſcanturq; tamiaci. Ex colono autem adſcriptitio vel ſervo alieno & tamiaca fœmina, item ex tamiaco & adſcriptitia, vel ancilla aliena nati, matris conditionem ſequantur *l.* 1. *h. tit.* quam ſequitur etiam natus ex ſervo & adſcriptitia vel ex adſcriptitio & ancilla, vel ex libero vel adſcriptitia. *l.* 21. *ſup. De agricol. & cenſ.* vel ex adſcriptitio & libera, vel ex libero & colona. *l.* 16. *& l. ult. ſup. eod. tit.*
*Qui cũ ſobole ſua iſtis adhærent prædiis, ſed quia 3
antea permiſſum fuerat colonis tamiacis fundos & ſaltus gomaticos, quos videlicet magno labore fertiliores reddiderant, vendere quibuſcumque, ſalvo canone, & tributis fiſco debitis, id denuo in *l. ult. h. tit.* confirmatur, & emptores anteriores, & qui impoſterum ab iis ement, ſecuri redduntur, iterata hac conceſſione. Hinc illud vulgare, abundans cautela non nocet: quamvis enim confirmatio nullum jus tribuat actui, antea permiſſo, & valido, ad majorem cautelam tamen confirmari poteſt, quod exemplis demonſtrat Platea *in d. l. ult.*

Poſtremo notandum ante tempora Juſtiniani, 4
colonos tamiacos, eorumque progeniem, non alium habuiſſe judicem, in civili vel criminali negotio, quam Comitem domorum, vel Præpoſitum ſacri cubiculi. Cum tamen alij coloni rei privatæ, ſi quid contra publicam diſciplinam commiſiſſent, ad judicium Rectoris Provinciæ venire cogerentur, ſic videlicet, ut præſente rationali, vel procuratore aut defenſore domus, inter eos & accuſatorem cauſa tractaretur. *l.* 8. *& fin. ſup. ubi cauſ. fiſc.* * At ſub Imperio Juſtiniani, cum in Cap- 5
padociæ regione adverſus hunc Comitem domorum multæ querelæ & ſeditiones motæ eſſent, à factioſis hominibus, qui conabantur ſupprimere tamiacam adminiſtrationem, ipſaſque poſſeſſiones tamiacas dividere & uſurpare, coactus fuit Imperator, hunc Comitem ſupprimere, & ejus loco Proconſulem Capadociæ creare. *Nov.* 30. *cap.* 1. *&* 5. cui data eſt facultas vindicandi direpta & uſurpata prædia tamiaca, ſine ulla temporis præſcriptione, item imperium in tamiacos, & reliquos qui ad comitativam prius pertinebant.

Hujus exemplo, multorum regnorum & regio- 6
num Principes, ubi ipſi non degunt, ſolent eo ſuos Proreges & gubernatores deſtinare, qui corpori Reipublicæ in aſſignatis ſibi regionibus regendo, utraque cum poteſtate civili & militari præſint, quo melius ſubjectos in officio contineant, crimina vindicent, diſſenſiones inter populares dirimant & ſopiant, ne Principem ſæpe interpellari neceſſe ſit.

TITU-

TITULUS LXIX.

De diverſis prædiis urbanis, & ruſticis, Templorum,& civitatum,& omni reditu civili.

1. *Ut prædia ita annui reditus,res immobiles cenſentur, nec alienari poſſunt ſine decreto.*
2. *Prædia acquirunt civitates, & ſe obligant, & alios obligatos habent.*
3. *Prædia civitatis ſi qui emerint ſervata forma, jure firmo ea poſſident.*
4. *Qui poſſeſſiones cujuſlibet civitatis, & agonotheticas acquiſivit, dempto canone, eum præſtare tenetur.*
5. *Non tamen ei auferuntur poſſeſſiones, licet ſecus ſit in poſſeſſionibus rei privatæ.*
6. *Pars canonum deputatur ædificiis reſtaurandis; ab iis inſcribenda non ſunt nomina, qui ſumptus non faciunt.*
7. *Ne ædificia uſum publicum impediant. Qui in ſolo Reipublicæ ædificant, canonem præſtant.*
8. *Remittunt reditus ſæpe Principes, eoſque in alios uſus tranſlatos reſtituunt civitatibus, ut fecit Zeno Nicææ civitati.*

1 CUm ſupra de prædiis ruſticis tractatum fuerit, hic agitur de prædiis urbanis, atque etiam de annuis reditibus. *l. ult. h. t.* quia ut prædia ſunt res immobiles,ita reditus annui immobilium loco habentur. *l. 14. ſup. De ſacroſ. Eccleſ. Novell. 7. verſ. vult enim & Clem. 1. §. cumque annui De verb. ſignif.* & excuſant à ſatisdatione non ſecus ac res immobiles Tiraquel. *De retract. lignagier. §. 1. gl. 6. num. 6.* atque ut tales non poſſunt reditus civitatum alienari ſeu vendi ſine decreto & ſolemnitate, quæ in venditione prædiorum & aliarum rerum immobilium requiritur. *text. in l. ult.* ibi Bart. & Platea *ſup. De vend. rer. civit.*

2 Prædia urbana hic non ſunt ipſorum civium,aut communia ipſis,ſed civitatum propria,ut enim privatæ perſonæ bona ſibi propria acquirunt; ita civitates, non Pamphiliæ provinciæ tantum, ſed quæcumque aliæ proprio ac firmo jure reditus annuos & prædia ſibi acquirere poſſunt. *l. 2. h. t.* contractu, aut ultima voluntate, ſi hæredes inſtituantur, vel eis legetur. Cum itaque bona habeant, ex ſuo contractu non minus obligantur, quam alios obligatos habent, non ſolum ſi omnes convocati cives, communicato conſilio, verùm ſi adminiſtrator & magiſtratus civitatis nomine contrahat. *l. 27. ff. De reb. cred.*

3 Ut autem urgente neceſſitate prædia ſua alienare poſſit civitas, omnium quorum intereſt conſenſus intervenire debet, & etiam Principis, ut dixi *tit. De vend. rer. civit.* cujus aſſenſu & decreto concilij interveniente, qui prædia civitatis vel templorum emerint,ſoluto pretio,eorum adipiſcuntur firmum dominium, nec ulterius poteſt talis vacillare poſſeſſio, *l. 4. h. t.* nec ſecunda majoris pretij admitti licitatio. *l. 3. ſup. De fund. patrim.* Vendi quoque poterant prædia templorum, quod in prædiis templorũ Chriſtianorum poſtea interdixit Leo & Juſtin. *in Auth. hoc jus porrectum ſup. De ſacroſ. Eccleſ.* & certam ſolemnitatem præſcripſit in prædiorum Eccleſiæ alienatione, quam ſequimur, item quod præſcriptum eſt jure Pontificio. *tit. de reb. Eccleſ. non alien.*

Nihil intereſt cujus civitatis prædia quis emerit, 4
modo eis impoſitum canonem præſtet,juxta fidem publicorum monumentorum, ipſius civitatis cujus vendita ſunt prædia,igitur ſi ea acquiſiverit dempto canone,pendendus nihilominus is erit,quia non debet civitas ſuo jure defraudari, & ſufficere debet poſſeſſori quod apud ſe in perpetuum ex approbatione Principis permaneat dominium. * Si vero 5
agonotheticas poſſeſſiones emerit à perpetuo emphyteuta, ex quibus reſidui debentur canones, illi privato ærario inferendi ſunt, quo firmiter apud eum ejuſque ſucceſſores rerum dominium permaneat. *l. 5. h. t.* Inde liquet tutum eſſe emptorem, qui rem emit ab emphyteuta civitatis, quoad ipſam rem, quamvis pactũ ne teneatur ſolvere canonem civitati, non valeat, ſecus tamen eſt in poſſeſſione rei privatæ,quam qui emit,ſub pacto non ſolvendi canonem, aut quod à venditore ſolvetur, amittit cum fructibus,& pretio. *l. ult. ſup. De fund. rei priv.*

Ex his conſtat quam neceſſarium fuerit,ſuo tem- 6
pore, debitos canones ſolvere,cum tertia pars eorum ex locis fundiſve Reipublicæ, mœnibus aliiſque operibus publicis reſtaurandis deputaretur. *l. 3. h. t.* Nunc etiam iiſdem reſtaurandis certa pars proventuum civitatis deſignatur,unde illi quorum eſt iſta reſtaurare, aut à fundamentis nova extruere,non videntur jure iis nomina ſua inſcribere, & inſignia inſculpere, quod ſolius civitatis eſt,& illorum qui ſuo ſumptu iſta faciunt. Potiore jure civitas ædificiis privatis quibus publicus adſpectus decoratur,inſignia ſua inſigeret,ad quæ extruenda, ut ſæpe ſolet, liberale ſubſidium præſtet, quam ejus miniſtri, qui præter curam nihil contribuunt, ut merito criminentur, qui ſine approbatione & mentione Principis id faciunt. *in l. 10. ſup. De oper. Publ.* * Ubi autem ædificia privata extruenda ſunt, 7
cavere oportet ne uſus publicus impediatur, aut vicinorum luminibus officiatur. Licet quidem eo in loco ædificare, qui quoad proprietatem eſt civitatis, quoad uſum vero privatorum, ſed canon ſive conventa penſio præſtanda eſt, *l. 1. h. t.* ubi ait Cujacius ab ædificantibus in ſolo Reipublicæ ſolarium præſtandum eſſe,dictum à ſolo, quod ſoli domino præſtetur.

Digitized by Google

3 Illud tamen ſæpe remittunt Principes, imo ſubſidium ex ærario ſuo non raro depromunt, exemplo Martiani, qui canones & reditus ex re ſua privata ceſſit civitatibus, & nobilibus ibi degentibus, ut ad ornandam ædificiis civitatem invitaret, vel ejus onera diminueret. Quod patet *ex l.ult. h. t.* qua Nicçæ Metropoli Bithiniæ, ſeu habitatoribus ejus, ac etiam aliis nobilibus datum eſt privilegium percipiendi reditus 400. aureorum ex poſſeſſionibus quibuſdam in Apamæa conſtitutis, quod quia tribus indictionibus occaſione quadam obſervatum fuerat, Zeno Imp. id reparavit, & juſſit ne dictum privilegium ulla judicis auctoritate, aut principali reſcripto infringeretur, & quod ex ea largitione civitatibus aliis delatum interierat, eiſdem reſtitueretur. *d.l.ult.in fin.* Unde obſerva Principes ſæpe remittere reditus ſibi debitos, aut eorum partem, egenti civitati, vel bene de ſe meritæ, aliiſque debitoribus; Nec novum eſſe, id quod Princeps unus conceſſit, ab altero renovari & confirmari, ut videre eſt in feudis, quæ ſæpe ſolent renovari, non autem revocari. Platea *ad d.ult.*

TITULUS LXX.

De locatione prædiorum civilium, vel fiſcalium ſeu templorum, ſive rei privatæ, vel dominicæ.

1. *Continuatio, & diſtinctio bonorum civitatis, in propria, communia, & fiſcalia.*
2. *Qua auctoritate Comitis rerum privatarum & rationalis elocantur.*
3. *Locatio alia temporalis, alia perpetua, effectus utriuſque idem, & diſſimilis emphyteuſi.*
4. *Conductori ad longum vel breve tempus datur utilis in rem actio, & ſuperficiario, dum ad longum tempus conduxit.*
5. *Prædia Principis vel civitatis elocantur perpetuariis conductoribus, dato fidejuſſore, nec ab iis auferuntur, etiamſi melior conditio offeratur.*
6. *A Principe donari prædia poſſunt ipſi perpetuario; Prædia ad tempus locata, etiam alteri donare Princeps poteſt, & annexa donaſſe cenſetur.*
7. *Item donata revocare ſi cauſa exigit.*
8. *Fundi Principis adjiciuntur perpetua conductionis jure ei, qui plus obtulerit in ſubhaſtatione.*
9. *Finita locatione privata non tenetur locator fundum relocare ſuo colono, & ſæpe non convenit, & quare?*
10. *Fallit in publicorum prædiorum conductione, in qua antiquior colonus, novis præfertur.*
11. *An id obtineat nunc in locatione fundorum civitatis?*
12. *Primus licitator per oblationem ſecundi an liberetur?*
13. *An coloni qui in longum tempus fundos conduxerunt, & publicani vectigalia, inviti retineri poſſint in conductione?*
14. *Si ſolvendo ſint; An cogi poſſint ſolvere ante diem, urgente publica neceſſitate?*

Multa ſuperioribus titulis, dicta ſunt de vendi- 1
tione, & tranſlatione prædiorum civilium, fiſcalium, templorum, ac rei privatæ, vel dominicæ, hoc autem titulo, de locatione omnium iſtorum prædiorum, & quæ ea ſint oſtendendum eſt. Prædia civitatis cæteraque ejus bona, duplicis generis ſunt; alia enim ſunt communia ipſis incolis, alia propria ipſius communitatis & civitatis. De locatione prædiorum propriorum ſolum, non communium civitatis, vel populi agitur in variis hujus tituli legibus, itemque de locatione prædiorum fiſcalium, quæ ad privatum patrimonium, privatumque Principis fiſcum pertinent, quæ ut privatus, non ut Princeps acquiſivit, eaque prædia dominica & rei privatæ appellantur, de quibus actum
tit.66.& ſeq. * Et nullius auctoritate locari poſſunt, 2
niſi Comitis rerum privatarum, ſive procuratoris Cæſaris, cui ſoli procuratio mandata privati patrimonij Principis & aliarum rerum, quamvis non omnium, *l.35.ff.ex quib. cauſ. major ſup.& tit. De offic. Comitis rer.privat.* facit quoque *l.1.ſup. De offic. Comit. ſacri palatij. Ad Palatinorum*, inquiunt Impp. *curam & rationalium officia perpetuarij, hoc eſt, emphyteuticarij juris exactio recertatur.* Ex quibus apparet jam diu Romanos Principes & civitates conſueviſſe prædia ſua locare, ſtatuta penſione quotannis ſolvenda exemplo Græcorum, de quibus Ariſtoteles *Oeco..omi c.11.* tradit Bizantinos pecunia indigentes publicos fundos certa mercede locaſſe, fructuoſos ad tempus, infructiferos in perpetuum.

Hinc locatio alia temporalis, quæ ad certum 3
tempus fit, alia perpetua, quæ in longum tempus, emphyteuſi ſimilis, ut voluit Accurtius & Platea *hic.* Verius neutram locationem inter ſe differre, nec tam inſpiciendam eſſe diuturnitatem temporis quam naturam contractus. Quare ſi colono qui in longum tempus conduxit, nihil plus liceat in rem conductam, quam vulgari conductori, & tantam penſionem pendat, quantam ille, hoc eſt, fructuum ratione juſtam & idoneam, nihil ab illo differet, neque quicquam ei adferet diuturnitas temporis, multo minus dici poterit hic conductor æquari emphyteuticario, qui dominus eſt & mancipia emphyteutico prædio annexa recte vindicat, & manumittit: conductor vero perpetuarius non eſt dominus, nec mancipia manumittere poteſt, licet juris ſui alienationem habeat. Sic privatam ab emphyteutica gleba diſtinguit Cujac. *in pr. h. t.* & Alciat. *lib.1.parerg. cap.37.* Schifordegunt. *lib.1.tract.18.q.1.*

Verùm

Digitized by Google

4 Verùm quamvis non efficiatur dominus is qui agros vectigales vel publicos civitatum, ad tempus vel in perpetuum colendos accepit, Prætor eum tamen quaſi dominum habet, & ideo ei, utilem in rem actionem concedit, contra quemcumque poſſeſſorem & ipſos municipes, quamdiu vectigal ſolvit. *l. 1. & 2. & l. 3.* ibi, *idem eſt ſi ad tempus habuerit conductum ff. ſi ager vectigal.* In quo diſtinguitur à ſuperficiario, cui Prætor non niſi cauſa cognita, ubi ad non modicum tempus conduxit, in rem actionem concedit, *l. 1. §. 3. ff. De ſuperficieb.* ob favorem ædificiorum & publici ornatus, Bartol. *ibi & alij relati* à Garzia *De expenſ. c. 14. n. 3.* & Valaſco *De jure emphyt. c. 29. in fin.* qui affirmant contractum perpetuarium appellari, quoties agri Principis & Reipubl. in perpetuum elocantur, ſeu dum penſio
5 ſolvitur. * Hinc ſtatutum ut fundi privati patrimonij Principis, periculo officialium Palatinorum, perpetuariis conductoribus addicantur, dato fidejuſſore idoneo, illos canonem ſtatuto tempore præſtaturos. *l. 1. h. t.* Quod ſi fiat, nunquam à perpetuariis auferentur dicti fundi, neque Reipublicæ, quamvis alius meliorem penſionis adjectionem obtulerit. *l. 2. h. t.* Confirmatur id ipſum in prædiis domus Auguſtæ, in perpetuum elocatis, ut non poſſint à perpetuario, nec ab ejus ſucceſſoribus avelli, & in alium transferri, etiam ſi longe melior conditio oblata fuerit, aut reſcriptum hac de re impetratum, & allegatum apud acta Comitis rerum privatarum, qui ſi id approbaverit, & acquieverit, centum libras auri & totidem ejus officium Palatinum fiſco inferre cogetur. *l. ult. h. t.*

6 Cæterum quia non ex omni parte excludenda eſt largitas principalis, rem divinæ domus ſuæ Imperator donabit ei, qui eam poſſidet jure perpetuo, eaque donatione perpetuario iſti conductori, penſionem locationis remiſiſſe videbitur, eritque loco emphyteutæ, qui canonem ſolum præſtat in recognitionem dominij. *d. l. ult. verſ. ſane.* Excipe prædia in limitibus Meſopotamiæ & Oſroenæ conſtituta, quæ nullo jure impetrari, aut in alios transferri poſſunt, de quibus *l. 8. ſup. de fundi patr. & Nov. 154.* Prædia verò patrimonialia ad certum tempus locata, licet Principi etiam intra tempus locationis, ea alij donare. *d. l. ult. §. pen.*

7 Etenim ſi poteſt rem ſuam alij donatam, ipſi donatario auferre, & alteri dare, multo magis ubi nondum eſt jus tranſlatum, ſed ad tempus conceſſum; & neutrum eſt Principis inconſtantiæ adſcribendum, quoniam ſæpe publica cauſa non omnibus revelanda exigit, ut quod uni dedit, eripiat, & alteri donet. Qua de re fuſe Lucas de Penna, *ad d. l. ult.* Eſtque illud in Principe ſingulare, ut poſſit durante tempore locationis, alteri fundum elocare aut donare invito conductore, prout etiam rem communem fiſco & aliis creditoribus obligatam, alienare, *l. 1. ſup. de vend. rer. fiſc. com.* Verùm cum prædia ſua donat, etiam cenſetur mancipia, fructus, pecora & alia quæ prædiis adhærent, donare, nam quamvis donationis ſtricta ſit natura, tamen quæ fit à Principe latiorem recipit interpretationem. *l. 3. ff. De conſtit.* vide ſupra *de bonis vacant. num. 4.*

Poteſt itaque temporalis locatio revocari, & in 8
alium transferri, vel donatione Principis, vel adjectione ab alio facta, niſi prior conductor tantum offerat, quantum ab alio fuerit oblatum, quo caſu manet apud eum temporalis conductio. *d. §. pen.* Imo ſi fundos ſteriles magno labore ac ſumptu fertiles reddiderit, ut mereatur eos perpetuæ conductionis jure poſſidere, ei potius addicuntur, ſi prius propoſitis edictis in eum canonis modum contendentium augmento perventum ſit, ut extendi ultra, aut ſuperari alterius oblatione nequeat. *l. 3. h. t.* unde ſubhaſtatio in locatione perpetua locum ſibi vindicat, ſicut in venditione. * Ab illa locatione, & à 9
temporali, differt privatorum locatio, qua finita, non tenetur locator eandem relocare conductori, magis quam alteri, quamvis conductor rem meliorem reddiderit, & penſionem eandem vel minorem obtulerit. *l. 32. ſup. De locato.* Nam ob cauſas ſæpe non expedit ut remaneat. Utile conſilium cujuſdam Scriptoris *De vita ruſtica* monentis, ne in fundis ruſticis diuturniores colonos habeamus. Machinantur enim frequenter in damnum dominorum, ac maxime in eorum hæredes, ignaros plerumque juris paterni. Vide Ren. Chopinum *l. 1. c. 6. De privil. ruſtic.* ubi vafritiem ruſticanam optime perſtringit. At vero locatio prædiorum fiſcalium, ſive civilium perdurat apud conductorem, quamdiu ſtatutam penſionem ſolvit, atque in nova locatione aliis conductoribus præfertur, ſi facta per alios augmenta ſuſcipiat *l. 4. h. t.* congruit enim æquitati, ut veteres conductores novis præferantur, ſi quantum adjiciunt novi, tantundem ipſi offerant, ſaltem non minus quam fuerit antiqua penſio. Platea *ad d. l. 4.* & Valaſcus *d. loco c. 24. n. 2. & 3.* Addit Peregr. *d. l. 4.* loqui de veteribus conductoribus, & perpetuariis colonis, quibus tradita fundorũ poſſeſſio, ſic ut præferri debeant, cum jus habeant retinendi, ut ad alios caſus porrigenda non ſit *l. 6. de jure fiſci tit. 5. n. 5.* quem citat amaya *ad l. 1. ſup. de fide haſtæ fiſc. n. 32.* & Gomez *tom. 2. var. c. 3. n. 5.* * Ratio cur id juris ipſis 10
conceſſum ſit, eſt, quia Reipublicæ intereſt, ut illa facile conductores inveniat, inveniet autem ſi permittat veteres conductores, ſi velint eandem conductionem retinere, dummodo tantum offerant, quantum novi, Giphanius *ad l. 9. ſup. de loc.* Mynſinger. *cent. 4. obſ. 23.* Joan à Sande *deciſ. Friſiæ lib. 3. tit. 6. def. 2. & ſeq.* dicunt id non obtinere in Gallia. * In 11
Hiſpania vero dicit Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 4. n. 21.* locum habere *d. l. 4.* in locatione fundorum fiſcalium, ſeu patrimonij Principis, ut ea nempe

 finita,

Digitized by Google

finita, poſſit antiquior colonus tantum offerens poſſeſſionem retinere; ſecus in locatione & venditione fundorum civitatis, quæ valet quidem facta ſubhaſtatione publica, ſed non præfertur primus licitator idem pretium offerens ſecundo, niſi plus obtulerit; cum id interſit communitatis, cujus utilitati maxime ſtudere debent adminiſtratores, qui damnum ſi quod ſua culpa obvenerit, ſarcire debent, juxta ea quæ dixi *ſup. tit.* 30.

12 Num ſtatim per oblationem ſecundi liberetur primus dubitatur? Ego puto non liberari, *per l.* 9. *ff. De in diem add.* quia potuit ſecundum minus idoneum ſubmittere & inducere ad licitandum & plus offerendum, ut ipſe liberaretur, videatur Gutierrez *De gabellis q.* 134.

13 An poſſint cogi coloni, qui agros publicos in longum tempus conduxerunt, finita locatione, eoſdem retinere? Affirmare videtur, *l.* 11. *§. ult. ff. De publicanis.* ubi inviti non exiſtentibus aliis colonis, compelluntur renovare contractum; in quo propterea quod gravantur, præferuntur aliis idem pretium offerentibus, ne Reſpublica deſtituatur conductoribus, juxta *d. l.* 4. *h. t.* Sarmiento *lib.* 3. *ſelect. interp. c.* 7. *num.* 3. Verior tamen negantium opinio, ſecundùm *text. in l.* 3. *§.* 6. *ff. De jure fiſci.* ubi D. Hadrianus reſcripſit, valde inhumanum morem eſſe, quo retinentur conductores publicorum agrorum inviti, nam facilius invenientur, ſi ſciverint peracto luſtro, licere ſibi diſcedere, ab invitis enim non bene agri coluntur, nec res aliæ bene cedunt, aut peraguntur. Ideo Paulus *in l.* 9. *§.* 1. *ff. De publicanis.* dicit finito tempore conductionis agros elocandos eſſe: Nec cogendos vectigalium conductores eadem vectigalia ſuſcipere, niſi ut ipſe interpretatur, *in d. l.* 11. *§. ult.* illi maximos fructus ex vectigalium redemptione perceperint, & tantidem elocari nō poſſint; tum enim compellendi fuerint prioribus conditionibus, renovatiſque fidejuſſoribus retinere vectigalia. Quod uſu receptum dicit Joan. à Sande *in deciſ. Friſia, lib.* 3. *t.* 6. *def.* 2. & ante eum Pereg. *lib.* 6. *de jure fiſci. c.* 5. *n.* 6. Et verum puto ſi etiamnum ſolvendo ſint conductores iſti, & dederint idoneos fidejuſſores, aut ſi ante dati tales adhuc ſint, *juxta l.* 1. *h. t.* ibi Luc. de Penna.

14 Hic poſtremo quæri poteſt, an poſſit fiſcus aliqua urgente neceſſitate cogere conductores ante diem ad ſolutionem penſionis? videtur non poſſe, quia id adverſaretur æquitati, quæ jubet pacta ſervari, nec aliàs conducturi fuiſſent. *l. eum qui* 41. *ff. de verb. oblig.* Sed contrarium eſt verius; eo quod neceſſitas legem non habeat, ſoluto tamen intereſſe medij temporis, *l.* 1 *ff. de condict. ex lege.* ubi Bart. & DD. docent conductores vectigalium poſſe cogi ad ſolvendum ante diem, & conſtitui in mora ſi moniti diſtulerint ſolvere. Maſtrillius, *lib.* 5. *de magiſtr. cap.* 9. *num.* 24.

TITULUS LXXI.

De conductoribus & procuratoribus ſive actoribus prædiorum, fiſcalium, & domus Auguſtæ.

1. *Tituli hujus inſcriptio declaratur.*
2. *Conductores & actores ſive agant, ſive conveniantur, utuntur jure communi, nec poſſunt alienas lites ſuſcipere.*
3. *Servandus in hiſce cauſis ordo juris.*
4. *Fiſcus non poteſt privato, cum quo contendit, poſſeſſionem auferre.*
5. *Hodie ordo juris ſcripti non ubique obſervatur, cauſæ leves ſummariæ expediuntur, maxime agricolarum.*

INſcriptio hujus tit. indicat ea quæ conſtituta ſunt 1 de conductoribus, procuratoribus, aliiſque hominibus domus Auguſtæ, trahenda eſſe ad adminiſtratores & actores prædiorum fiſcalium, qui omnes ſunt miniſtri & officiales procuratoris Cæſaris, ſive ejus coadjutores in adminiſtrando privato Principis patrimonio, & Auguſta ejus domo. * Ca- 2 vetur itaque conſtitutione hujus tit. ut hi conductores procuratores & actores in exercendis litibus, ſive agant, ſive conveniantur, communi & ordinario jure utantur, legumque Romanarum præſcripta ſervent, quibus omne hominum genus tenetur; Item ne aliarum litium, vel alienorum negotiorum patrocinium, ſeu procurationem, aut executionem ſuſcipiant, & ne quemquam deferant, vel delatoribus aſſiſtant, alioquin gravior pœna erit conſtituenda in eos, qui cum juris ſint Principis, mandatis ejus non obtemperant. *l. un. h. t.* Etenim gravius Principem offendunt domeſtici & familiares, quam extranei, ideo acrius puniendi, *l.* 8. *ſup. de Epiſc. & cler.*

Præterea ex hac lege obſervo, in cauſis fiſcalibus 3 etiam ſummariis ſervandum eſſe juris ordinem, *l.* 5. *ſup. de naufrag.* & offerendum eſſe libellum competenti judici, qui procurator eſt Cæſaris, aut provinciæ præſes, citationemque faciendam & litem conteſtandam, qua pendente, non poteſt fiſcus rei conventi poſſeſſionem intervertere, aut re, de qua tractatur, privare, propterea, quod jus ſuum non oſtenderit *gloſſ. in l. res quæ ff. de jure fiſci l. ult. eod. tit.* Covarr. *lib.* 1. *var. c.* 16. *num.* 9.

Hinc de Platea refert citationem litiſque exor- 4 dium corruiſſe, ideo quod citatus eſſet quidam nobilis, ad oſtendendum quo jure prædia fiſcalia, & alia bona Principis poſſideret, nam id eſt contra juris ordinem, ut poſſeſſor teneatur ſuæ poſſeſſionis titulum edocere. *l fin. ſup. de rei vindic. l.* 16. *ſup. de probat.* Cum actoris ſit, ſi obtinere velit, titulum ſuum oſtendere, etiamſi contra nullo titulo poſſidentem

experia-

Digitized by Google

experiatur. Non obſtat quod *in l. 4. ſup. de conven. fiſci debit.* poſſit fiſcus ſummatim agere & cogere tributorum debitores ut ſolvant, quia id obtinet in debitis liquidis, ſecus in illiquidis; in his enim juris ordo legibus præſcriptus obſervandus eſt, adeo ut nulla ſit ſententia ordine non ſervato, lata, *l. 4. ſup. de ſentent. l. 1. ſup. de execut. rei jud.*

5 Quoniam vero hodie leges Romanæ, non ubique ſuam vim retinent, nec eam habent auctoritatem, ut uſum vincant, aut mores, hæc cauſa eſt cur ordo iſte juris non per omnia, nec omni in loco obſervetur, ſed arbitrio judicis relinquatur, ut pro negotij gravitate, aut mediocritate, ordinario vel ſummario curſu lis peragatur. Ideo Juſtin. *in Nov. 12.* monet judicem, *ut cauſas cum ſumma æquitate cognoſcat, ac breviores quidem & maxime quæ vilioris conditionis hominum ſunt, ſine ſcripto decidat, & dijudicet, & mutua inter homines contentione liberet*, in eo ſi Judex judicium omne ſuum direxerit, plurimũ utilitatis ad commoda Reipub. & privatorum adferet. Idem fere repetit, *in Novell. 80. cap. 2. & aliis locis*, quibus injungit, ut curet incidi & finiri negotia, præcipue agricolarum, quos convenit quam citiſſime litibus liberatos ad ſua rura redire, & agros colere, quæ ratio eſt, quod hic conductores agrorum fiſcalium non debeant involvi litibus, aut alienas ſuſcipere, vel aliorum negotiis ſe immiſcere, *d. l. un. in fin.*

TITULUS LXXII.

Quibus ad conductionem prædiorum fiſcalium accedere non licet.

1. *Palatini, milites, & curiales prohibentur conducere prædia fiſcalia, & quare?*
2. *Unus duo officia ſi exerceat, duplex ſalarium accipit; uni duo majora officia mandari non debent.*
3. *Qui non poſſunt emere vel conducere prædia, ea quæ majorum ſuorum fuerunt, acquirere non prohibentur.*

1 TItuli hujus inſcriptio eſt de rebus fiſcalibus, quæ publici patrimonij Principis ſunt. Conſtitutio autem loquitur de poſſeſſionibus rei privatæ, quia harum rerum eadem eſt ratio, & in utriſque idem jus ſervatur, hoc videlicet ne poſſeſſiones iſtæ locentur Palatinis (qui apparitores ſunt Comitis rerum privatarum) nec militibus, aut curialibus. *l. un. h. t.* Rationes prohibitionis plures adfert Bart. quarum prima eſt, quod graves & moleſti, ob fiduciam potentiæ, Palatini eſſe poſſunt privatis, & milites ab armis alienarentur: altera quod nullus poſſit duplici officio fungi eodem tempore.

2 Quod puto verum, ſi utrumque officium ſit incompatibile, *l. 10. ſup. de advoc. diverſ. judic. gloſſ. in l. 10 de prox. ſac. ſcrin.* ſecus ſi exercitium unius alterum non impediat, aut repugnet, quo caſu ſalarium deſtinatum utrique muneri conſequetur, qui utrumque illud munus diverſo jure obtinuerit, facit *l. 19. §. 1. ff. de annuis leg. & in l. 22. ff. de his quib. ut indign. Diſcreta ſunt enim jura, quamvis plura in eandem perſonam devenerint, aliud tutoris, aliud legatarij*, videatur Covar. *lib. 3. var. cap. 13. num. 6.* & Larrea *alleg. 113. ubi plura & plures DD. refert.* qui de minoribus officiis loquuntur, majora enim melius per plures quam per unum expediuntur. Accedit, quod dum uni duo officia ac honores conceduntur, aliis ad eos aditus præcludatur. Ex quo fit ut eorum induſtria & virtus langueat, vel aliò ipſi ſe conferant, & quæ conſequi officia in patria non poſſunt, apud exteros adipiſci conentur.

Attamen Palatini militantes & decuriones, non 3
recte poſſunt munus ſuum exercere, & ſimul agros conductos colere, ideoque eos conducere, vel emere in provincia in qua munia ſua peragunt, prohibentur, non tamen in anteceſſorum ſuorum bona ſuccedere, & agros ab illis poſſeſſos comparare. *l. 46. l. 62. ff. de contr. empt. l. 9. l. 13. ff. de re milit.* exemplo forenſium, quibus in loco bona emere non eſt permiſſum: ſi tamen ibi ſita fuerint & divendita majorum ſuorum bona, jure ea ſibi acquirunt, & ab aliis occupata redimunt. Platea *in l. un. h. t.* & Jaſon. *in l. principalib. verſ. quinto limita ff. ſi cert. pet.* multa autem retinere poſſumus, quæ acquirere non poſſumus; quod autem milites & decuriones bona majorum ſuorum acquirere, & retrahere poſſint, eſt ratio familiarum, ut in iis ea bona conſerventur. Tiraquel. *l. de retractu §. 1. gloſſ. 9. n. 162. & 163.* Petr. Peckius, *de teſtam. conjug. lib. 4. cap. 44.*

TITULUS LXXIII.

De collatione fundorum fiſcalium, vel rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatis, vel templorum.

1. *Prædia fiſcalia quæ ſunt in patrimonio Principis, munera ordinaria præſtant, ut annonas, tranſvectionem & cenſum.*
2. *Conductores ſubſunt quoad collationem procuratori Cæſaris, item Præſidi, cujus eſt cogere ut ſolvantur penſiones debitæ.*
3. *Collatio benignè facienda, injuſti exactores coërcendi.*
4. *Palatinis, & nuntiis noſtris an ſine litteris credatur.*

COllatio hic accipitur pro contributione & ſolutione penſionum, quas debent pendere conductores 1

Digitized by Google

ductores & coloni prædiorum fiſcalium, & rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatis, idque ob conventionem initio initam *l.1. & 2. h.t.* Quæ autem & qualia iſta ſint prædia ſuperioribus titulis diximus. Ex hoc autem conſtat, omnia prædia tam rei privatæ, quam quæ ex proſcriptorum bonis ad fiſcum ſunt devoluta, non excuſari à præſtatione annonarum belli tempore, earumve tranſvectione, nec cenſu, ex ipſis prædiis debito, & qui in æſtimum relatus eſt. *l. ult. h.t.* Unde liquet prædia Principis, æque obnoxia eſſe ordinariis muneribus. & tranſvectioni ſpecierum, ac privatorum, neceſſitate urgente. *l.2. infr. tit. prox.*

2 Quo fit etiam ut iſtorum prædiorum conductores, & actores, quo ad fiſcalia hujuſmodi debita, & collationem ſubſint jurisdictioni procuratoris Cæſaris, à cujus miniſtris cogi poſſunt penſiones ſtatutis temporibus ſolvere, ſubſunt quoque jurisdictioni Præſidum, quibus datur facultas exigendi quoſvis debitores fiſcales, itemque aſſiſtendi per ſuos officiarios, miniſtris procuratoris Cæſaris ſive rationalis, quorum præcipue munus eſt curare ut cenſus & debitæ penſiones conferantur &

3 exigantur, *l.1. hoc tit.* * Quod ut facilius fiat, ſolent iſti miniſtri ſive Palatini cum litteris Comitis rerum privatarum mitti, ad Præſidem, ut officialibus auxilium præbeat, & auctoritatem ſuam interponat in collationibus exigendis, quibus ipſi Palatini non ſe debent immiſcere, aut quidquam à provincialibus ratione officij extorquere; ſolum ſollicite agere, ut exactio quantocius per Præſidem & dictos officiales fiat, idque ſumma cum modeſtia & humanitate, quo enim modeſtius & blandiori ſermone debitæ penſiones exiguntur, eo leviores cenſentur. Immites enim exactorum mores collationis gravitatem augere ſuperiore libro docui. Ideo præcipitur hic, ut Palatinorum, exactorumve nomina, ad Præfectum prætorio referantur, ſi temere verſati fuerint, ut ſeveriſſime in

4 eos animadvertatur. *l. 2. in fin. hoc tit.* * Ex qua obſervo Palatinos miſſos cum litteris, quaſi tabellarios publicos fuiſſe, *l.2. ſup. de exactione tributorum.* quibus non facile, uti & hodie nuntiis noſtris, fides adhibetur, præſertim ignotis, qui litteras ſuæ commiſſionis non oſtenderint, ſi negotium quod geritur alicujus ſit momenti, & non niſi ſcripto proponi ſoleat, quod tamen minus neceſſarium eſſe puto aliquem in jus vocandum, niſi ſit illuſtris, *juxta l.17. inſr. de dignit. ite.* qua de re dixi *ſup. de jure fiſci num.35.* videatur Platea & Chriſtinæus, qui plures DD. recenſent.

TITULUS LXXIV.

De privilegiis Domus Auguſtæ, vel rei privatæ, & quarum collationum excuſationem habeant.

1. *Poſſeſſiones domus Auguſtæ excuſantur ab extraordinariis & ſordidis muneribus.*
2. *Inter ſordida non numeratur inſtructio vel refectio viarum, pontium, ſed ad eam omnes tenentur.*
3. *Quomodo via publica à Principe tuta reddenda, & ſpoliato ſubveniendum?*
4. *Nemini uſus viæ publicæ recte interdicitur, niſi certis caſibus.*
5. *Munera ordinaria tenebantur præſtare coloni; Noſtri deducere ſolent ea quæ ſolverunt.*
6. *Ut cæteri provinciales, ita res privata Principis onus tranſvectionis ſuſtinet, pro proximitate poſſeſſionum.*
7. *Item præſtat ſtipendia tyronibus militiæ deſtinatis.*
8. *Præſtanda ſunt ex publico ſtipendia militibus, & ſine onere ſubditorum, nec vexandi ſunt agricolæ, nec devaſtandi aut comburendi agri.*

IN privato Principis patrimonio ſunt res dominicæ, & res privatæ, itē poſſeſſiones domus Auguſtæ, quæ regia domus & divina hic dicitur. Harum poſſeſſionum conditio hæc eſt, ut locentur, non ut in jus privatorum transferantur. *l.10. ſup. De fund. patrim.* Conductores vero eo privilegio utuntur, quod immunes ſint ab univerſis muneribus ſordidis, *l.1. h.t.* neque ob extraordinaria munera, & ſuperindictiones conveniantur, *l. ult eod.* * Inter ſordida autem munera non numerantur inſtructiones viæ publicæ & pontium, ſtratarumque opera, & idcirco ab hujuſmodi inſtructionibus reparationibusque itinerum, pontiumque nullum genus hominum, nulliusque dignitatis, aut venerationis meritis ceſſare oportet, adeo ut Principis prædia & Eccleſiaſtica huic oneri ſint obnoxia. *l.4 h.t. Novell. 131. l.7. ſup. De ſacroſſ. Eccleſiis.* 1 2

Etenim non ſolum Principis eſt cum cæteris vias publicas ponteſque reficere, ex prædiorum reditibus, ſed etiam ea curare, quæ ad tutelam & ſecuritatem viarum ſpectant, *DD. in d.l.4.* nam ut navigatio juris gentium eſt, ita & viarum regiarum uſus (quamvis proprie juris civilis ſit) cui conſervando Princeps debet curatores inſtituere: & belli tempore euntes & redeuntes tuto ducendos curare, atque vias periculoſas propugnaculis & præſidiis munire, ut Rex noſter in Belgio facit, ita ut quiſque dato legitimo, vectigali, poſſit quocumque velit, iter facere. Quod ſi Princeps id negligat, exiſtimo damnum à prædonibus datum mercatoribus, 3

Digitized by Google

ribus, ab illo ſarciendum eſſe, ac ita judicatum refert Gail. *lib.2.obſ.cap.60.& 64.num.11.* niſi ſponte à via publica declinaverint.

4 Obſervatum quoque nemini uſum viæ publicæ interdici; quippe hic uſus Reipublicæ dicatus, atque omnibus iis qui per eandem viam iter faciendum ſibi propoſuerunt; quocirca nec ſine Principis decreto quiſquam ex via ſive loco publico trahendus eſt. *l.1.§.42.ff.de aqua quotid.* niſi vectigalis ſolutioni qui ſeſe oppoſuerit, hoſtis ſit, aut alia legitima cauſa prohibendi extrahendive appareat. Quod autem à tranſeuntibus penditur exiguum eſt, nec recuſari debet.

5 Etenim ab ordinariis muneribus poſſeſſiones rei privatæ non excuſari docet, *l. ult. tit. ſup.* Unde earum conductores vel coloni nullo privilegio poſſunt ſe eximere à tributis pendendis, cum ex prædiis lucrum percipiant. Nunc tamen ruſtici & partiarij coloni, ſi conveniantur & ſolverint onera fundis impoſita, pro rata ſua, quod amplius dederint, detrahere ſolent, ex penſionibus quas in pecunia vel frumento dominis præſtant. vide *t. ſup. De indiction.num.30.* Dixi ſuperindictionibus non onerari prædia patrimonij Principis, quia ipſe reditus quos inde percipit, neceſſitatibus publicis frequenter deputat, ſed alios poſſeſſores abſque ullius beneficij exceptione id onus debere
6 agnoſcere. *l. ult. h. t.* * Hinc etiam humanitas Principis elucet, quod ſublevandorum provincialium cauſa rem ſuam privatam, ejuſque conductores onus tranſvectionis ſpecierum ſuſtinere velit, modo tamen non magis graventur quàm cæteri provinciales, qui non tenentur niſi in ſolita loca annonarias ſpecies vehere. *l. 2. h. t.* Levius enim onus cenſetur quod pluribus impo-
7 nitur, & juſta proportione exigitur. * Sic quo magis ſubleventur provinciales, voluit Princeps tyronibus certæ militiæ ſtipendia conferri ex prædiis ſuæ rei privatæ. *l. 3. h. t.* Cæteri quoque hoc onus agnoſcebant ex patrimoniis, & poſſeſſionibus ſuis. *l. 7. C. T. De Tyronibus.* Veget. *l.1.c.7.* Cujac. *ad d. l. 3.* Unde apparet ceſſare privilegium dum ſtipendia militibus aſſignata præſtanda ſunt, quæ cum ſæpe ærario exhauſto Principes præſtare non poſſent, bene meritis ſaltem & veteranis aſſignabant certa prædia. *l.1.ff.de evictionib. l.1.& 3. ſup. de fundis limitrophis.*

8 Hodie deficientibus ſtipendiis à ruſticis milites aluntur, & eorum equis pabula præſtantur, quod nimium grave eſt, illud autem infame, quod etiam tormentis ultimus teruncius ruſticis excutiatur, & ni præſtetur, equis una nocte tota horrea ſubſternuntur, quibus integra legio in plures dies poſſet ſuſtentari, imo incenduntur. Unde in plebe annonæ caritas, & in exercitu mox penuria. Quæ devaſtatio ſi non fieret, frumenta in plures menſes ſufficere poſſent, quæ poſt ex diſſitis regionibus, magno ſumptu, item gravi exercitus periculo advehenda ſunt. Hinc ærarium publicum exhauritur, atque tantum æris alieni contrahitur, ut militi ſtipendia erogari non poſſint, cogaturque Princeps à ſubjectis jam exhauſtis nova ſubſidia petere. Unde graviſſima illi conflatur invidia, qui perpetuo id agere debet, ut ametur, exemplo eorum Principum, qui ex fundis rei ſuæ privatæ, juſſerunt militibus ſtipendia dari, & tyronibus pretia præmiaque quibus ad militaria munia excitarentur, ſine onere ſubjectorum. *d. l. 3.*

TITULUS LXXV.

De Grege dominico.

1. *Subtrahens equum ex grege dominico, vel ex aliis, qua pœna puniatur?*
2. *Princeps bonus non vult ditari ſubjectorum mulctis, nec fiſco ſuo favere.*
3. *Aliter tenentur abigei, qui animalia ex grege abducunt.*
4. *Emens equum furto ſubſtractum, perdit pretium, & dominus equi eum jure capit à tranſeunte.*
5. *Eritne tutus emptor, ſi dominus equi non inveniatur?*
6. *Si dominus rem ſuam dereliquerit, attendendum quo animo id fecerit.*
7. *Quid ſi dominus turbato grege, ſciri nequeat?*

GRex dominicus hic Principis eſt, dominicum enim dicitur quidquid eſt in privato ac 1
dominico patrimonio Principis, qui verus & ſummus eſt dominus. Conſtitutio hujus tit. enim libra auri mulctat, qui equum vel aliud animal ex grege dominico occupaverit, neque reddiderit, ad vocem præconis quærentis; ſi ex aliis gregibus ſemilibra auri, niſi ſponte obtulerit, & hic caſus eſt, quo reſtituens relevatur à pœna *l. un. h. t.* Quamquam is qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrum faceret, tametſi mutato conſilio id domino poſtea reddiderit, fur ſit, nemo enim tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſiit. *l.65. ff. De furtis.*

Quod autem hic contrectans oblatione rei pœ-
nam evitet, eſt ex benignitate Principis, qui non 2
vult pœnis ditari, nec ſubjectorū animos à ſe alienare, nam fiſcum quoque ſuum poſtponit in pœnæ petitione. *l. un. ſup. pœnis fiſc. cred. præf.* & in cauſis dubiis contra eum judicari patitur. *l.11.ff. De jure fiſci.* *Unde nunquam.* Antoninus Imp. *in cauſis compendij fiſco judicans favit.* Eo quoque pertinet illud Plinij *in panegyrico ad Trajan.* *Quæ præcipua gloria tua eſt, ſæpius vincitur fiſcus, cujus mala cauſa eſt nunquam, niſi ſub bono Principe.*

Gra-

3 Gravioris furti ſpecies eſt,quod committitur in abigendis animalibus ex paſcuis, integro nimirum grege, quia ſpecies eſt deprædationis hoſtilis. *l.2.ff. de abigeis.* Qui autem ſæpius ex grege alieno abegit, licet ſemper unum & minimum pecus ſubripuerit, æque punitur, ac ſi magnum ſemel abduxiſſet, animo non reſtituendi. *l.3.§.2.ff.d.t.* quia non ſolum quantitas, ſed voluntas furandi conſideratur, & ſive ſciat, ex cujus grege animal ſit, ſive ignoraverit, *nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus ſit, ignoret.l.43.§.4. & 6. ff. de furtis.* Ut abigeatus pœna mulctetur. Conſtitutione Regis noſtri qui equos, vel alia ab armentis, vel grege animalia abegerit, ultimo ſupplicio punitur.

4 Verùm nec is tutus eſt, qui à tranſeunte equum abactum, aut furto ſubtractum emit, nam pretium amittit. *l.2.ſup.de furtis.* & dominus equi poteſt eum propria auctoritate recipere; ſi fur cum dicto equo in fuga ſit, vel ſubſit occaſio fugæ. Chriſti-
5 neus *ad h. t.* * Quod ſi dominus non compareat, non ideo magis emptor ſecurus fuerit, nam ſua emptione nullum poſſeſſionis titulum acquirit, etſi poſſidere velit, ne uſucapiat, obſtabit mala fides in qua conſtituitur, dum equum alienum uti ſuum cupit poſſidere. Hinc alia Regis militari conſtitutione, non tantum paſcentes equos abigere, ſed eos emere, aut res alias deperditas occupare prohibitum eſt à militibus, niſi ſervata publicæ venditionis forma, per tubicinem, aliàs emens, vendensque punitur, & res empta fiſco applicatur. Etenim furtivæ rei emptor, quaſi furis receptor habetur.

6 Quid igitur ſi res furtiva eſſe deſierit, ut quia eam dominus pro derelicta habeat, aut jactaverit, animo derelinquendi? Sane qui hujuſmodi rem invenit, ſuam faciet, nec furto erit obnoxius; ſecus ſi dominus eo animo, ac ſpe rem recuperandi jactaverit, vel ut alias res ſalvas faceret, ei qui invenit, res erit auferenda. *d.l.43.§.11.* & reſtituenda domino, qui invitus rem projicere, non abjicere dicendus eſt. Faber *in rationalib. ad l.2. §.8. ff. de l.Rhod. de jactu.* Plane ſi villicus adveniente exercitu, militarem timens morem, ſilvam quærat, & abactis quæ poteſt pecoribus, ſublatiſque ſecum aliis, quæ licuit in tanta trepidatione, quæ interim remanſerunt, non ſunt habenda pro derelictis, ſed domini manent, quoniam non poteſt videri id pro derelicto habitum, quod ſalutis causa interim dimiſſum eſt, *l.21.§.1.& 2.ff.de acq.vel amitt.poſſeſſ.*

7 Poſtremo ſi grege turbato, ita ovis aberret, ut prudentis judicio dominus ſciri nequeat; ſunt qui putant ovem fieri accipientis, ſed non recte; non enim dominus ſine ſuo facto damnum pati debet. Quare is quærendus eſt, & ablata ovis ei reſtituenda, ſi ſui gregis eſſe oſtenderit; ſi non compareat dominus, ovis poterit, reſve alia inventa ex præſumpta domini voluntate, in pios uſus converti, ut dixi *lib.6.t.1.num.9.*

TITULUS LXXVI.

De palatiis & domibus dominicis.

1. *Palatium Princeps inhabitat, unde dictum?*
2. *Soli Principi arces, & palatia, ædificare licet, non etiam privatis.*
3. *Privatis non licet in palatio habitare, nec id violare, aut juxta ædificare.*
4. *Qui hodie in aula & palatio Regis habitent?*
5. *In aliis palatiis habitant adminiſtratores Civitatis, gratis quidem, ſed tenentur ea ſarta tectaque ſervare.*

PRivati Principis patrimonij ſunt domus domi- 1
nicæ, & palatia, quæ Princeps habitat. Dictum palatium à Pallade Archaidum Principe, in cujus honorem Archades oppidum conſtruentes, domum regiam, palatium vocarunt, ut interpretatur Lucas de Penna. Sed Cyrillus Græcus interpres, à Palatino monte (qui una cum aliis ſex montibus pomærio Urbis Romæ incluſus fuit) derivari aſſerit; atque hinc paſſim palatium pro ſede Imperatoria & Regia accipimus, & Palatinos vocamus, qui palatio adhærent, & Principi miniſtrant, diſtincti ab iis qui ſcriniis vacant, & largitionales titulos, & aurarias functiones exigunt, de quibus dicetur *Infr.de Palatin. ſacrar. largit.*

Solus autem Princeps arces in quibus habitet, 2
propter tutelam, & palatia ſplendida in civitatibus exſtruere poteſt, & prohibere, ne privati quantumvis potentes imitentur, aut ſuperbe nimis inſtruant & muniant ædes, quæ vel arcium ſpeciem præbeant. Suſpecta namque iſta magnificentia Principibus eſſe ſolet, ideo Tacitus *lib. 3. annal.* de Piſone inquit, *Erat inter irritamenta invidiæ, domus foro imminens.* Cavendum quoque ne privati loca palatio proxima occupent, quoniam nulla cohærere ædificia privata palatio debent, neque parietibus privatorum coarctari, ut dicitur *in l. 17. ſup.de oper.publ.*

Multo minus licet privatis, palatia & ædes Prin- 3
cipi conſecratas habitare; eæ enim ab omni uſu & communi habitatione excipiuntur. *l.un.h.t.* violare hujuſmodi loca utpote ſacra non oportet, nec inde aliquem vi eximere, aut gladio aggredi, vel eum evaginare; præbent enim palatia, & ſtatuæ Principum ſecuritatem iis qui ad eas confugiunt, ut dixi *ſup.tit.de his qui ad ſtat.conf.* Item ædes Cardinalium & Epiſcoporum, conſtructæ intra Eccleſiæ ſepta: ut docet Jul. Clar. *in pract. §.fin. q. 30.* & Covar. *lib. 2. var. reſ. c. 20. num. 5. in fin.* Bobadil. *l. 2. polit. c.14.n.12.* * Hodie in palatiis, & aulis Regum, jus 4
habi-

Digitized by Google

habitandi alij non habent, niſi ſupremus officiorum Magiſter, ſeu Comes divinæ domus, & Palatini qui Regis uſibus inſerviunt. Solent & ibidem convenire conſiliarii ſecretiores qui de magnis ne-
5 gotiis conſultant. * Qui vero provincias adminiſtrant in civitatibus, in quibus ſunt palatia, ea habitare coguntur, ut hac neceſſitate compellantur reparationis curam habere, non etiam mercedem aliquam ſolvere, *l.* 14. *ſup. de off. rect. prov. l. un. h.t. ibi.* Platea & Bobadilla *lib* 3. *c.* 1. *n.* 20. Si quæ aliæ dominicæ domus, aut prætoria, in Civitate ſunt, ſuſcipiendis conſervandiſque ſpeciebus, aut mercibus, horreorum vice deputantur à Leone Cæſare *in d.l.* 14

TITULUS LXXVII.

De cupreſſis ex Luco Daphnenſi, vel Perſeis per Ægyptum non excindendis, vel vendendis.

1. *Continuatio, & ubi ſit lucus Daphnenſis, emens, æque puniatur ac vendens. Perſica arboris virtus.*
2. *In correlativis quando diſpoſitum in uno intelligatur, diſpoſitum & in alio.*
3. *Arbores excindere, vel lapſas in alium locum transferre non licet. Quid concedatur Alytarchæ?*
4. *Qua pœna puniatur conductor fundi fiſcalis, arbores ibi cedens?*
5. *Qui quercus ædificiis aptas excindunt in alieno fundo puniuntur; etiam in proprio apud Venetos excindere vetitum.*

1 NOn ſolum palatia Principum exempta ſunt à privatorum uſu, ſed etiam Cupreſſi luci Daphnenſis in Siria Antiochiæ; item Platani, & Perſeæ arbores per Ægyptum privato commercio eximuntur. Hunc Antiochiæ lucum cupreſſis, multiſque aliis odoriferis arboribus conſitum, deſcribunt Zozomenus & Cedrenus; addunt & alij iſtarum arborum vim & naturam. ac Perſeæ arboris folium corticemque cuivis morbo mederi. Hanc arborem ferunt fugienti Chriſto in Ægyptum ſeſe inclinaſſe ac umbram præbuiſſe. Julianus Apoſtata ad invidiam nominis Chriſtiani eam arborem excidit. Pancirol. *in Notit, Imperij cap.* 143. Conſtitutio hic Perſicas arbores vocat, quas ſi quis in Ægypto comparaverit, vel vendiderit aut exciderit cupreſſos ex luco Daphnenſi, quinque libris auri mulctat, in *l.* 1. *h.t.* Hinc apparet eadem pœna coërceri emptorem rei quæ prohibetur emi, qua ejus venditor, cum uterque iniquè agat. Cujacius *hic*, quandoque tamen non eadem pœna mulctandus venditor, qua emptor *l.* 52. *ff. De contr. empt.* * Un- 2
de frequenter *text. in d.l.* 1. allegari ſolet quod ſtatutum in uno ex correlativis cenſeatur ſtatutum & in altero, ſi in utroque eadem ſit ratio, ſecus ſi diverſa, tunc enim diſpoſitum in uno, non porrigitur ad aliud, *l. ult. ſup. De reſcind. vend.* Ex quo in *l.* 34. *ff. De verb. oblig.* eleganter definit Bartolus, quod ſi ſtatutum prohibeat, foren'em emere bona immobilia, in territorio ſtatuti, non tamen intelligatur prohibere, quo minus vendat, quod ibidem expreſſe firmat Romanus *num.* 8.

Præterea nulli privata auctoritate licet arbores 3
excindere, vel quolibet modo lapſas in alium locum transferre, citra facultatem Præfecti prætorio: ſed nec in luco vel littore Orontis fluvij unam cupreſſum, aliis plantatis, excindere ſibi Alytarcha (Sacerdos Antiochiæ) licere contendit, attamen ne ſolatio ei olim conceſſo privari per omnia videatur, propterea quod ei cupreſſum excindere denegetur, Theodoſius Imperator decernit, ut unam libram auri de privatis ſuis largitionibus accipiat. Hinc videre eſt Principem ex privato ærario, quandoque largitiones feciſſe, & in eam rem neceſſaria comparaſſe.

Dico quinque libris mulctari eum, qui hanc le- 4
gem violaverit, *l.* 2. *h.t.* non quinquaginta, ut ibi aliqui legunt quod magis convenit *l.* 1. *h.t.* atque ita in Codice Gregorij Holoandri legi dicit Covarr. *De vet. numiſm. cap.* 4. *n.* 3. Cæterum conductores, qui ex fundo fiſcali cupreſſos, olivas, aliaſve pomiferas arbores cædunt, non ſubſtitutis aliis, & facta ejus rei æſtimatione, in quadruplum conveniuntur. *l.* 45. §. *conductor.* 13. *ff. De jure fiſci.*

Non minori pœna, imo graviori puniendos 5
exiſtimo, cujuſcumque ſint conditionis, qui ſylvas alienas deformant, quercus ædificiis aptas, graviſſimo Reipublicæ damno excindunt, præcipue illius in qua frequentes & magnæ ſunt civitates, & naves continuo fabricandæ, velut in Belgio, aliiſque provinciis ad mare ſitis. Cur non ſatis laudandum Venetorum inſtitutum, quo per totum ſuum dominium, vetant ne quis quercus etiam in proprio fundo natas, excindat, & vendat propterea quod neceſſariæ illæ ſint Reipublicæ, ad triremes aliaſque naves ædificandas.

FINIS LIBRI UNDECIMI.

Digitized by Google

ANTONI PEREZI J.C.

IN LIBRUM DUODECIMUM

CODICIS JUSTINIANEI

PRÆLECTIONES.

TITULUS PRIMUS.

De Dignitatibus.

1. *Quid hec libro tractetur, & quomodo hic dignitas accipiatur?*

2. *Solus Princeps Magiſtratus creat, & dignitates confert, & ejus conceſſione & privilegio alij inferiores.*

3. *Quæ fuerit dignitatum diſtinctio in Imperio Romano.*

4. *Qui in Imperio Orientis & Occidentis illuſtrium dignitate functi fuerint.*

5. *Qui ſpectabilium & Clariſſimorum titulo ornarentur?*

6. *Quibus perfectiſſimorum titulus tribueretur?*

7. *Reges & Principes ſupremi Magiſtratum creant, & in Provincias Gubernatores & Præſides mittunt.*

8. *Item Reges noſtri diverſa Concilia conſtituerunt in Hiſpania, & Belgio, ut Concilium Status, Privatum, Militare.*

9. *Item Concilium Ærarij & Provinciale, cui præſunt Judices & Conſiliarij. Quo differant à veteribus? Nihil permiſſum eis accipere.*

10. *Perpetuus, an temporalis Magiſtratus conveniat? Quid de Conſiliarijs adſcriptis Concilio? & Gubernatoribus, qui provincias regunt?*

11. *Quid de Magiſtratibus quorum codicillis inſeritur clauſula,* tant qu'il nous plaira?

12. *Majeſtatis eſt Duces, Comites, Marchiones, & Barones creare, quales olim & nunc ſint?*

13. *Manent obligati domino directo ſi vaſalli ſint.*

14. *Marchionum origo, illorum ſymbola; item Ducum & Comitum.*

15. *Principes & Archiduces Ducibus præferuntur.*

16. *Plures in Italia & Germania Duces ſupremi referuntur.*

17. *Duces Hiſpaniæ quam prærogativam habeant?*

18. *Comes an Marchioni præferatur?*

19. *Quot Dominia habere debeat Comes vel Marchio?*

20. *Baronis dignitas quæ ſit, & qua forma concedatur, eſt illuſtris.*

21. *De Vicecomitis dignitate, quæ major eſt Baronis, utriuſque ſymbolum.*

22. *Iſtæ dignitates nunc factæ ſunt familiares & feudales; niſi Rex ſolum titulum dignitatis ad vitam dederit.*

23. *Realis dignitas utpote fixa loco, perpetua eſt, & ad poſteros tranſmittitur, ſecus perſonalis.*

24. *Dignitas conceſſa à Principe in dubio præſumitur realis; item ſi conceſſa ſit pro ſe & hæredibus.*

25. *Hi titulo prædeceſſoris utuntur; ſed in Hiſpania, etiam patre mortuo, filius debet iterum titulum à Rege petere.*

26. *Dignitas perpetua individua eſt, & afficit illum locum in quo ipſa erecta & conceſſa eſt, pertinebitque ad ſolum primogenitum.*

27. *Conſuetudo in his attendenda, intereſt ut feuda regalia apud unum conſerventur.*

28. *Quæ feuda dividi inter filios poſſint vel non?*

29. *Nobilitas generis ad poſteros deſcendit, & ad quos? An etiam ad adoptivos?*

30. *nobilitas acquiritur armis, alia virtute & ſcientia juris cognitione.*

31. *Nobilitas virtute quæſita interdum præſtantior nobilitate generis.*

32. *Nobilitas codicillis obtenta tantum obtinet in loco ubi quis nobilitatus eſt. Secus eſt in nobilitate generis. An gaudeat privilegijs quibus alij nobiles.*

33. *Nobiles potius promovendi ſunt ad honores, officia militaria, & aulica, & quare?*

34. *Quibus nobilibus Princeps utetur? Nobilium egeſtas damnoſa ideò ijs ſuccurrendum.*

35. *Expedit Principi novos nobiles creare.*

36. *Ab honoribus rejiciendi obſcuro loco nati & virtutibus deſtituti.*

37. *Item libertini, non eorum filij, & quæ ratio?*

38. *Item viliſſimi negotiatores. Mores noſtri honeſtos mercatores ad honores & Magiſtratus admittunt.*

39. *An perdatur nobilitas ſi nobiles mercaturam exerceant, & quid mores ea in re obſervent?*

40. *Nobilis feudi poſſeſſio & divitiæ, an nobilem faciant?*

41. *Infames ad dignitates non admittuntur, etſi eorum liberi ab ijs non arceantur.*

42. *Notati & damnati arcentur, quid ſi promoti ſint ad dignitatem, aut tantum aliquo vitio laborent.*

43. *An*

Digitized by Google

43. *An ſpurij ut viles & infames, removeantur à dignitatibus, & nobilitas matris ijs non proſit?*
44. *Quid de conſuetudine hac in re obtineat? Et quid circa inſignia gentilitia?*
45. *Filius à matre nobilitatem non accipit, niſi ſtatutum loci aut conſuetudo adverſetur.*
46. *Natus ex patre nobili, matre verò ignobili, nobilis eſſe dicitur, ille conditionem & fortunam mariti ſequitur.*
47. *Quibus caſibus utriuſque parentis nobilitas neceſſaria?*
48. *Nobilitas munijs acquirebatur, eaque in matrem, cujus parentes fuiſſent nobiles & in poſteros tranſmittebatur.*
49. *Mulier nubendo ſequitur conditionem viri, an per hoc amittat nobilitatem generis?*
50. *Moribus gentium Duciſſa & comitiſſa maritum nobilitat, & in eum transfert dignitatem.*
51. *In quibuſdam regionibus Regina nubens ignobili non facit eum Regem, ſecus jure Regio Hiſpaniæ.*
52. *Fœminæ in pleriſque regnis ſuccedunt, deficientibus maſculis.*
53. *Secus in regno Galliæ, & in bonis appennagijs.*
54. *Regina mater retinet procurationem regni, aliæ dominæ inferiores in dominijs ſuccedunt & feudis.*
55. *Vidua retinet dignitatem mariti, quam amittit ſecundo nubendo, vel inhoneſtè vivendo.*
56. *Quid ſi de conditione viri diſceptetur?*
57. *An vidua nobilis mortuo marito ignobili, recuperet prioris mariti aut propriam nobilitatem quam perdidit?*
58. *Solet prior immunitas à Principe impetrari, vidua quamvis plebeia.*
59. *An filij Senatorum & nobilium ante dignitatem ſuſcepti ſint clariſſimi & immunes?*
60. *Illuſtres & Equeſtris ordinis viri, voluntarie contribuebant, ut plebejos ad idem faciendum excitarent.*
61. *Finita minori dignitate ad majorem aſcenditur, an majori finita, liceat ad minorem redire?*
62. *Illuſtribus licebat ad curiam Principis ire, ſine ejus juſſu; non tamen in provinciam Clariſſimis ire licebat ſine commeatu.*
63. *Nobiles in honoribus & feudis occupandis præferendi, ſi virtus adſit.*
64. *Feudum nobile nobilitat poſſeſſorem, cui tamen non cenſetur conceſſa ſupremæ juriſdictio.*
65. *Nobiles legationibus funguntur. Ab omnibus honorandi ſunt Magiſtratus, etiam à parentibus, quia major illorum auctoritas.*
66. *Magiſtratus ab omnibus ſunt honorandi, & viciſſim honorem alijs debent.*
67. *Eodem honore uxores quo mariti gaudent. Ab omni injuria defenduntur, ab onere bona eorum eximuntur.*
68. *An tenentur conferre in opera publica extruenda?*
69. *Illuſtres de crimine accuſati, cauſa coram Principe peragitur. Inferiores conveniuntur coram Præfecto prætorio.*
70. *Non citantur niſi per litteras, juratoriam cautionem præſtant, ſi convicti criminis ſint, dignitate privantur.*
71. *Majeſtatis rei à die commiſſi criminis, nobilitatem & bona perdunt, ſecuta condemnatione.*
72. *Aliorum criminum rei etiam amittunt dignitatem.*
73. *Pendente quæſtione delicti, an adminiſtratione, Magiſtratus & Prælati priventur.*
74. *Qui ſordidas artes exercet ſe nobilitate reddit indignum.*
75. *An agros proprios vel alienos colere officiat nobilitati.*
76. *Ut nobilitas recuperetur, an nova Principis conceſſione opus ſit?*
77. *Quid in Belgio hac in re obſervetur?*

Hujus poſtremi libri duæ ſunt partes, prior 1 de Dignitatibus civilibus, & militaribus, poſterior de Apparitoribus agit. De Dignitatibus primùm dicendum. Dignitatis vocabulum præſtantiam quandam ſignificat, ac latè patet. Rectè à Cicerone *lib. 2. De invent.* dignitas definitur, alicujus honeſta & cultu & verecundia & honore digna auctoritas. Major tamen illius dignitas, quæ præeminentiam ac poteſtatem adjunctam habet, ab ea omninò diſtinctam, quæ ſine adminiſtratione eſt, diciturque honoraria dignitas, qua Princeps aliquos ornat *l. ult. h. t.* * Omnis autem 2 dignitas à Principe vel lege, tanquam à fonte in inferiores derivatur; ita ut hodiè lex Julia non tantum in urbe, ſed orbe toto ceſſet, quia Principis eſt Magiſtratum creare & dignitates conferre, *l. 1. ff. ad l. Juliam de ambitu.* ubi nempe Principi ſubjectus eſt populus. Et licet videamus à Magiſtratibus ſuperioribus inferiores creari, id non fit niſi data facultate à Principe; ſicut & quando municipia Magiſtratum ſibi eligunt, id fit vel Principis privilegio vel præſcriptione. Errat autem Bodinus volens Magiſtratus creationem majeſtatis non eſſe, hoc argumento, quod interdum ſubditi conſtituant Magiſtratum. *l. 1. De Rep. c. 10. n. 150.* & inferiores domini in ſuis territorijs. Garſia, Maſtrillius *lib. 1. De Magiſtr. c. 10.*

Sciendum autem in Imperio Romano, Magiſtra- 3 tuum diſtinctas fuiſſe dignitates, certoſque eorum titulos, quorum præcipuè quatuor recenſentur. Illuſtres, Spectabiles, Clariſſimi, Perfectiſſimi. Quæ dignitatum diſtinctio, orta demum fuiſſe videtur poſteriorum Imperatorum tempore, cum ejus nulla fiat mentio in Pandectis, ſed ibi indiſtinctè omnes qui Senatorij ordinis erant, vocantur Clariſſimi. Porrò illuſtrium alij erant Superilluſtres, qui proximè Principi aſſidebant, nec alium præter ipſum ſuperiorem agnoſcebant, ut Dictatores,

Digitized by Google

Conſules, Senatores, Patricij, qui ob tantum honorem, nullo alio titulo compellebantur, magiſq; conſiliis præerant, quam decidendis cauſis, & quidquid conſtituiſſent inviolabiliter obſervabatur. *l.2.§.9. ff. De orig. juris.* Poſtea ſub Imperatoribus placuit apud Senatores & Magiſtratus majores fieri accuſationes, & reos ab iis judicari, & judices peti, & à judicibus ad eos appellari, idque Juſtiniani Novella 62. probatur.

4 Illuſtres erant in Imperio Orientis; Præfectus prætorio Orientis, Præfectus prætorio Illyrici, à quorum ſententiis non appellabatur. *l.1.§1. ff. De offic. Præf. præt.* provincias ſuo arbitrio regebant, ac illorum curæ commiſſi erant defenſores civitatum, poterant quoque ab officio indignos provinciæ Præſides removere, *l.9. ff. d.t.* Illuſtrium ordini intererant Quæſtores Sacri Palatij, quorum munus erat Principis loco reſcripta legere, iiſdemque ſubſcribere, precibus reſpondere, conſilia circa hæc Principi dare. *ſup. De off. Quæſt.* Item Præfecti urbi quibus ſumma poteſtas, adeo ut jure deportandi uterentur. *l.6.§.1. ff. De interd. & releg.* Magiſtri militum, Comites ſacrarum largitionum, & rerum privatarum, qui etiam à Conſiliis Principis erant, atque ob ſummam dignitatis eminentiam in cauſis civilibus & criminalibus à nullo niſi à Principe judicabantur. *l. fin. ſup. ubi Senat. vel Clariſſ.* In Imperio Occidentis, eædem erant illuſtrium dignitates. quæ recenſentur in Notitia Imperij, inſuper erat Præfectus Italiæ, & Præfectus prætorio Galliarum, qui omnes Illuſtres Senatum ingrediendi, dicendique ibi ſententiæ jus habebant, non tamen hi ſoli, cum & Spectabilibus & Clariſſimis is honos patuerit. Cujacius *in l.1.h.t.* Duarenus *lib. 2. diſput. cap.* 1.

Spectabiles autem cenſebantur omnes provinciarum Duces, Proconſules, Vicarij urbis Romæ, Præfectus Auguſtalis, Comes Orientis, Africæ, Britanniæ, Belgicæ, Phrygiæ, Galatiæ, & alij, quorum mentio fit *Novell 7. num.23. cap.3. & Novell. 26. cap. ult. & Novell. 62.*

5 Clariſſimi erant Præſides & Rectores Provinciarum, & Correctores Apuliæ, vel Calabriæ, Præfectus annonæ, Præfectus vigilum, & Prætores, quos dictæ Novellæ quandoque vocant Spectabiles, qui quidem cum Imperio judicabant, ſed ab eorum ſententiis appellabatur. *l. 2. ſup. De tempor. appell.* ipſi vero in cauſis civilibus & criminalibus conveniebantur coram judicibus ordinariis, atque ab iis executioni condemnatio mandabatur. *l.1. & 2. ſup. ubi Senat. vel Clariſſ.*

6 Præfectiſſimi nomen tribuebatur Præſidi Dalmatiæ, Arabiæ, magiſtro cenſus, Primicerio ſcriniorum, de quorum dignitate *infr. tit.33.* Atque hi tituli pro qualitate adminiſtrationis & amplioris provinciæ ratione, optime de Republica meritis dabantur, & arbitrio Cæſarum tituli mutabantur, qui hodie aboliti ſunt, & ſubrogatæ aliæ dignitates, poteſtate & forma officij, vetuſtis fere ſimiles.

Etenim Reges & Principes qui ſuperiorem non 7
agnoſcunt, cum ob excellentiam regalis dignitatis, regalia habeant in ſuis ditionibus. Baldus *in c. 1. quæ ſint regalia.* Maſtrillus *lib. 1. cap. 4.* poſſunt leges condere, & vivas leges, Magiſtratus videlicet conſtituere, qui jus dicant, & ſubjectis præſint: ſolent quoque in provincias, ubi ipſi non degunt, gubernatores mittere, Vicarios, Rectores & Conſules deſignare, qui rem politicam tractent, Præſides & Conſiliarios, qui jura reddant, lites definiant, & cuique ſuum tribuant.

Habent & nunc ſupremi Principes in urbe ſua 8
primaria, diverſa Conſilia, veluti Concilium Status, in quo una cum proceribus patriæ, & ſelectis Juriſconſultis de arduis negotiis ad ſtatum ſummamque Reipublicæ ſpectantibus deliberant. Romani eo Concilio caruerunt. Auguſtus omnium primus ex Senatoribus aliquot ſelegit, quibus cum deliberaret de iis de quibus in Senatu decernendum eſſet. Poſt Auguſti mortem Tiberius à Senatu petiit 20. Senatores, à quibus conſilium caperet de rebus iis, quas ad Senatum referri oportebat. Horum deinde exempla ſecuti ſunt Imperatores poſteri Galba, Trajanus, Adrianus, Aurelius, Alexander Severus.

Et Reges noſtri in Hiſpania diverſa habent concilia, quibus regna & provincias quas natura late ſejunxit, prudentia uniunt. Omnia regna peculiare concilium Madriti habent, ibidem ſiquidem eſt concilium regni Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ, Italicum, Belgicum & Indiarum, quibus unus aliquis præſidet. In iis in deliberationē veniunt negotia omnia ſeu juſtitiæ, ſeu gratiæ, quæ ad unumquodque regnum ſeu provinciam pertinent. Atque iſtæ conſultationes ad Regem perveniunt, qui illud tandem ſtatuit quod maxime expedire judicaverit.

Præter hæc concilia, ſunt & varia quovis in regno, in Belgio ſuperiore ſæculo Reges noſtri arcanum aliud & ſanctius Concilium conſtituerunt, quod ex Juris Conſultis conſtat, in quo reſcripta gratiæ conceduntur, & cauſæ principales cognoſcuntur, deciduntùrque nomine Regis, & quaſi relatione ad ipſum facta.

Præterea quia non tam viribus ac celeritate corporum res magnæ geruntur, quàm conſilio & auctoritate, ut ait Cicero *in Lælio.* ideo Reges quoque noſtri ex Præfectis & Ducibus militiæ, itemque Conſiliariis Regalis patrimonij Concilium belli conſtituerunt, ubi cauſæ belli indicendi, aut finiendi perpenduntur, de muniendis civitatibus, cuſtodiendis finibus, de annona & aliis domi militiæque neceſſariis tractatur.

His adjunctum eſt Concilium Sacri patrimonii, 9
quod

quod vulgo *Finantiarum* appellatur, in quo cauſæ fiſcales, & quæ Ærarij Principis ſunt, aguntur, & à viris ſummæ fidei & authoritatis deciduntur. De quo ſupra *lib.* 10. *t.* 1. *n* 11. In ſingulis quoque provinciis Concilium unum eſt, quod conſtat viris omni virtute ſummaque juriſprudentia excultis, qui lites provincialium, ex jure & uſu, decidunt, juſtitiam adminiſtrant, & omnia quæ ad legum diſciplinam & patriæ tranquillitatem ſpectant, præſcribunt, ſunt incolæ, titulo Conſiliarij decorati, ac perpetui. Romani vero Magiſtratus erant annui. Proconſules & Præſides temporarij, & forte ducti mittebantur in provincias, erantque peregrini & hoſpites ſuorum provincialium, ideo iis ut hoſpitibus permiſſum fuit, eſculentum poculentumque quod intra paucos dies conſumi poterat, accipere, non autem munus donumve. *l.* 18. *ff. De off. Præſid.* quod nec noſtris judicibus licet, cum ex publico ampla ſtipendia accipiant. Unde convenit ea iis obſervare quæ monet Ulpianus *in l.* 6. *§.* 3. *ff. De off. Proconſ. & in l.* 6. *ff. ad l. Jul. repetund.* & Juſtinianus præcipit *in Novell.* 17. *cap.* 1.

10 Quia vero dixi magiſtratus noſtros & Conſiliarios eſſe perpetuos, dubitari poſſet, an id expediat? Expedire quibuſdam non videtur, quia ut ſcribit Dion *cap.* 52. *diuturniora imperia multos ad faſtum & tandem ad res novas extollunt.* & Livius ait, Libertati populi Romani conſulendum, maximam tamen ejus cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non ſint. Quare Romani mutationes Magiſtratuum utiles eſſe judicarunt, ne perſeverantia in officiis publicis, corrumperet animos, alioqui corruptos. Nam ex diuturna iſta poteſtate, amicitiæ contrahuntur, convivia exercentur, tam à magiſtratibus, quam eorum ſubditis, unde langueſcit juſtitiæ vigor, & vitia ipſis Magiſtratibus videntibus creſcunt, nec corriguntur, paucis, munere illi ſuo abutuntur dum in officiis ſeneſcunt, ut dictum ſupra *lib.* 10. *tit. De mun. non contin. n.* 7. Ideo forte Auguſtum monebat Mæcenas, ne triennio breviores, neque quinquennio diuturniores Magiſtratus crearet. Statuo tamen in Monarchia ſuperiores Magiſtratus debere eſſe perpetuos, ob experientiam rerũ quam jam ſunt aſſecuti. Laudatur Trajanus apud Plinium *in Paneg.* quod eos eſſe amplius temporales noluerit, Conſiliarios nimirum ſuos, quoniam ſuprema imperantis auctoritas eos in officio continere poteſt, & tantum potentiæ dare, ut nec dignitas minuatur, nec novi aliquid moliendi facultas adſit. Præterea quæ à majoribus utiliter inſtituta fuerunt, majori cum auctoritate perpetui Conſiliarij obſervari curant, & ſubditi eorum mandatis promptius obtemperant. Contra temporales omnia pro arbitrio innovare intendunt, ut facere aliquid videantur, & ſubjecti, vix illorũ imperio parent, quod eo defunguntur citius quam officij ſui negotia intelligant. Loquor de Conſiliariis adſcriptis Conſiſtoriis Regiis, & de his Tacitus *lib.* 4. *annal. Semel aſſumpti retinebantur, prorſus ſine modo, cum plerique negotiis inſeneſcerent.* Nam qui ad regendas provincias mittuntur, ut Gubernatores & Proreges, convenit eos eſſe temporales; niſi expediat in magnis rerum perturbationibus, & regni periculis, publica eorũ munia in tempus longius protrahi: ne forſan hominibus novis & inexpertis ea committantur. Sic fecit Auguſtus, Quintilij Vari clade intellecta. Ita & Magiſtratus inferiores ne nimium evadant imperioſi ad certum tempus creandi ſunt.

Non poſſum tamen non probare illum majores 11
Magiſtratus creandi morem, ut quoties Reipublicæ utilitas poſtulaverit, Princeps eos mutare poſſit, ut in Gallia formula officiorum codicillis inſeri ſolet, *tant qu'il nous plaira*, quæ non facit quo minus Magiſtratus cenſeantur perpetui. Eoque pertinet illa Caſſiodori monitio *lib.* 7. *var. c.* 2. *Sit*, inquit, *in veſtro propoſito adminiſtrationem unius anni ſuſcipere, noſtrum eſt merentibus tempus augere.* Denique per illam formulam non ſuſpendi, aut expirare Magiſtratuum poteſtatem morte concedentis, verius eſt, cum ea inſit dignitati, quæ eſt perpetua. *c. gratioſe de reſcript. in* 6. quia tamen omnes dignitates à Rege manant, & in ejus manu ſunt, ſollicite agant Magiſtratus, ut à novo Rege confirmationem obtineant, qua obtenta ſecurius munus ſuum exercere poſſint. Loyſeau *Des offices lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 60 *& lib* 5. *cap.* 4. *num.* 19. Bodinus *De Republ. lib.* 4. *cap.* 2. *&* 4.

Hæc de Conſiliarijs & Magiſtratibus, quibus 12
ſumma dignitas eſt ratione muneris adjuncti. Venio ad alias dignitates quas etiam ſolus Princeps creat, cujuſmodi ſunt ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronatus. Ducis & Comitis nomen in uſu fuiſſe veteribus conſtat ex notitia utriuſque Imperij, dictumque Ducem à ducendo populo vel exercitu, Comitẽ vero ex eo dictum puto, quod cauſa officij principem comitaretur, ejuſque aulam ſequeretur, ibique vel inde officium haberet militare, vel Palatinum, vel ad regendam Rempublicam mitteretur, quod etiam patet *ex Tit. C. lib.* 1. *& ex hoc lib. tit.* 11. 12. & 14. * Succeſſu temporis hujuſmodi dignita- 13
tum tituli deſierunt eſſe nomina officij & temporariæ adminiſtrationis, & ob ſervitia præſtita ab Imperatore vel Rege, nunc impetrantur & ditionibus feudiſque annectuntur, tenenturque Comites & Duces creati, ſi vaſalli ſint, dominum ſuum recognoſcere, eique priſtina fidei, obſequij atque honoris officia præſtare. Sed in conſeſſibus aut comitijs temporis prærogativam obſervant, Caſſan. *in catal. gloriæ mundi p.* 5. *conſil.* 55.

His annumerantur Marchiones, qui limitibus 14
Imperij olim præerant, inde dicti Comites Limitanei & Marchgravij, quod marcam tuerentur. Po-

ſteriore ſeculo, munere iſto jam in Principatus honorem abeunte, per varia orbis regna diverſi Marchionum & Baronum tituli erecti ſunt, qui priores ab imperatore vel Rege profluunt, ſed alij alijs ſunt digniores, quamvis titulo illuſtriſſimi omnes paſſim honorentur, & ſymbolum commune ſit veſtis coccinea; Ducum peculiare, certus pileus & corona, à regali minoribus floſculis eminentibus differens: Comitum & Marchionum capitis tegumentum, circulus aureus inſtar coronæ. Iſtis coronis non caput, ſed inſignia ſua ornant, qui ſuperiorem agnoſcunt.

15 Porrò Ducis titulus cæteris omnibus præſtantior eſt, præferuntur tamen Ducibus Principes in quibuſdam Regionibus; in alijs pares ſunt. Item Archiduces Auſtriæ, quorum ſumma eſt dignitas poſt Reges, à Frederido II. Imp. primum obtenta, & filijs Archiducum Auſtriæ attributa, non alijs Principum primogenitis.

16 Non omnes Ducatus, Comitatus & ſimiles tituli vaſallorum ſunt, verùm etiam ſupremi aliqui Principes eis contenti, ut eſt Dux Venetiarum, Dux Sabaudiæ, Ferrariæ, Parmæ, Dux Brabantiæ, Comes Hannoniæ, Comes Tyrolis, qui tantum poſſunt in ſuis ditionibus, quantum Imperator in univerſo imperio. Item Magnus Dux Florentiæ, qui pactione cum Rodolpho Haſburgenſi Imper. inita, ſe ab imperio exemit, & titulo iſto à Pio V. Pontifice donatus eſt. In Germania Dux Bavariæ, Neoburgicus, Juliacenſis, & Cliviæ. Item Principes Electores, qui omnes titulo celcitudinis decorantur.

17 His Inferiores ſunt Hiſpaniæ, & Galliæ Duces, quos Hiſpani per excellentiam *Grandes* vocant, quo titulo Comitum & Marchionum nonnulli inſigniuntur, qui ut & aliarum provinciarum Magnates Regibus parent, habent tamen in ſuis dominijs juriſdictionem & imperium in ſuos, præferunturq́, Marchionibus & Comitibus niſi ex ijs aliqui ſint *Grandes*, quorum qui primus venit primum locum occupat, ſi non concurrat qui plures habet dignitates. Bobadilla *lib.2. polit. c. 6. n. 32.*

18 In Gallia referente Beſoldo, Comes præcedit Marchionem *diſert. polit. pag.* 148. fortè ideò quod antiquior ſit Comitis titulus, recentior Marchionis, utpote cujus dumtaxat mentio fit in libris feudorum. Parlador. *lib.2. rer. quotid. c.13.* Obſervant tamen ipſi Galli auctores Marchionem ſimplici comite eſſe digniorem, & præferri in conſeſſibus. Boërius *tract. de auct. magni conſilij n.* 109. quod & convincit erectio quæ ſępe fit Comitatuū in Mar-

19 chionatus. Choppinus *l.3. de domanio Franc.* * Dummodo Marchionatus ſit compoſitus ex tribus Baronijs, & tribus Caſtellaneis unius ſub uno titulo, rationis cujus Regi præbeatur homagium & fidelitaș. Petrus Gregorius *in ſyntagm. jur. l.6. c.9.* ubi addit in Gallia decretum eſſe, ne quis Comitis titulum obtineat, niſi habeat duas Baronias & tres Caſtellanias; aut ſaltem unam Baroniam & ſex Caſtellanias unitas & nomine feudi poſſeſſas, & inveſtitus ſit à Rege ſub uno titulo.

Prædictis inferior eſt Baronis dignitas, quam ut 20
quis adipiſcatur ſummum habere debet tres caſtellanias unitas & incorporatas ſub uno titulo, & homagio præſtando Regi, cui tamen ſi placuerit, poterit hanc dignitatem in uno caſtro conſtituere, & illi eandem prærogativam & titulum dignationis concedere, qui Comitibus competit.

Unde qui plura feuda poſſidet, non propterea dicitur Baro, niſi ea illi conceſſa ſint à Rege in Baroniam, cujus conceſſione expreſſè facta ejuſmodi dignitas regalis & illuſtris nuncupari poteſt, ut tenet Maſtillius *lib.4. c.2. n.3.* * Hac dignitate major 21
eſt Vicecomitis, qui ex Barone vel alio nobili divite fit, & Comitis vices gerit in adminiſtratione & juriſdictionis executione, cum hic à Rege creatur, homagium geniculatus præſtat, pro omnibus ſuis Baronijs, aut terris in unum nomen Vice-Comitis redactis ſub titulo præſtantioris loci, quem poſſidet: Inveſtituræ hujus ſymbolum eſt virgula aurea, Baronis vexillum decurtatum, cæterorum vaſallorum enſis, aut baculus, D. Gudelinus *de feudis p. 2. cap. 6. num.* 8.

Quæ omnes dignitates olim temporariæ erant, 22
tandem fide familiarum perſpecta, in feuda ſeu in fidem datæ ſunt, conceſſaq; poſſeſſoribus adminiſtratio & juriſdictio omniſque proventuum ac jurium utilitas, excepto ſuperiori & imperiali dominio, quod Rex aut Princeps ſibi reſervat. Aliquando titulum ſine adminiſtratione concedit, ut cum ob cauſas aliquem Comitem declarat: talis enim ſolo Comitis honore gaudet, non immunitatibus & præeminentiis quas veri Comites habent, neque titulum tranſmittit ad hæredes, quia cum perſona extinguitur, *l.4. §.3. ff. de cenſib.*

Hinc diſcrimen inter realem dignitatem & per- 23
ſonalem, quod qui realem habet, eam ad ſucceſſores ſuos tranſmittat, quod fixa loco cenſeatur, ſemperq́; idem in eo ſit populus, nec unquam extinguatur, niſi locus ipſe deſtruatur, is verò qui titulum Comitis ſine territorio conſequitur, ſolum honorem aſſequitur, qui ad poſteros non pervenit, niſi iterum impetrent à Principe, *cap. 1. de feudo Marchi.* ubi non ſuccedit hæres niſi per inveſtituram novum jus ab Imperatore acquiſiverit. * In dubio ta- 24
men cenſetur acquiſita dignitas realis, potius quam perſonalis. Realis erit ſi in litteris privilegij dignitas in perpetuum conceſſa fuerit aut obtenta ſibi & hæredibus. Molina *de Hiſpan. primog. l. 1. c. 11. n.* 24. Maſtrillius *de Magiſt. lib.4. c.10. n.37.* Charond. *lib. 11. reſp. 71.*

Illi quidem prædeceſſore mortuo, rectè ejus titulis utuntur; in Germania, & Italia etiam eo vivo & quam-

quamvis ditionibus careant, quia tamen ex Comitibus & Ducibus progeniti, paſſim Duces & Comites appellantur. In Hiſpania tantum abeſt, ut patre vivo, titulo dignitatis filius utatur, ut ne quidem eo vita functo liceat parentis titulum uſurpare, priuſquã à Rege ſibi concedatur. Solet enim primogenitus mortuo patre curare, ut à Rege coram, vel per epiſtolam titulo parentis appelletur. Parladorius, *ſup. d. loco.* & Molina *d. c.* 1 1. *n.* 1 4. ubi requirit nominationem ex certa ſcientia à Rege factam, ut quis dignitatem per mortem patris conſequatur.

26 Inſuper addit hoc jus ſuccedendi eſſe individuum, ſolique primogenito competere, non cæteris filijs. Quod & obſervat Baldus *conſ.* 275. *col.* 3. *lib.* 2. & Platea *in l.* 2. *C. ut dignit. ordo ſervet.* niſi conſuetudo regionis velit omnes filios, Duces & Comites vocari, quę tamen in Hiſpania non eſt recepta. Quamobrem ſi pater plura habeat dominia & oppida diverſæ juriſdictionis, & titulus Comitis vel Marchionis uni ex illis ſit conceſſus, hoc oppidum titulo dignitatis decoratum, erit primogeniti, reliqua bona inter minores natu dividuntur, ita ut primogenitus in illis æqualem portionem habeat, & reliqui ſucceſſores integram legitimam. Nihil intereſt ſit oppidum aut civitas, nam etiam villa erigi à Rege poteſt in dignitatem ducatus, vel comitatus, ut quotidiè videre eſt. Chriſtinæus *ad h. tit. deciſ.* 105

27 *n.* 18. * Porrò in hac regalium dignitatum ſucceſſione, licet conſuetudo regionum maximè attendi debeat, expedit tamen Principi & bono publico hujuſmodi dignitates penes unum perpetuò conſervari, propter ſervitium militare, ad quod tenentur qui feuda regalia poſſident. Maſtrillius *de Magiſt. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 20.

28 Adeò namq; feuda digniora uniuntur cum ſtatu & dignitate comitatus vel marchionatus, ut amplius dividi aut ſeparari non poſſint; tanta enim vis eſt unionis tituli, ut res aggregata amittat primævam ſuam naturam, & aſſumat eam cui aggregatur, quod multis exemplis illuſtrat Bobadilla *lib.* 2. *polit. c.* 16. *n.* 6. licet hoc non habeat locum in alijs feudis, quæ titulo non aggregantur nec regalia ſunt, & dividi inter filios omnes poſſunt. Tiraquel. *de primog. q.* 4. *num.* 48. Maſtrill. *d. loco num.* 34.

29 Præterea iſtis majoribus feudis adhæret equitis dignitas & nobilitas. Tanta enim vis nobilitatis eſt ut cum homine non intereat, ſed quæſita à majoribus in poſteros etiam tranſmittatur, non verò abeat in tranſverſales vel conſanguineos, non ex materno genere, non ex illegitimo thoro natos: niſi reſcripto Principis juventur, aut moribus regionum. *DD. in l.* 219. *ff. de V.S.* Maſtrill. *l.* 4. *de Magiſtr. c.* 10. *n.* 14. ubi dicit nobilitatem tranſmitti ad tranſverſales & extraneos hæredes, ſi conceſſio ſit realis cohærens loco Burſat. *conſ.* 258. *n.* 31. An etiam ad filios adoptatos? Id quibuſdam videtur *per l.* 6. *&* 10. *ff. de Senatorib. & l.* 4. *C. de decurion.* ubi non tantùm dicuntur Senatoris, & decurionis filij ex legitimo matrimonio procreati, ſed & legitimi quamdiu in familia adoptantis manent, nam ſimulatq; emancipantur, nomen liberorum amittunt. Non ideò tamen eos fieri nobiles exiſtimo, cum nobilitas, quæ transfunditur, ſit velut ex traduce, adoptati autem non ſunt è ſanguine parentis adoptantis, ideò etiam feudorum & legitimarum hæreditatum incapaces *lib.* 2. *feud. tit.* 26. §. *adoptivus & l. ult. C. de adopt.* niſi in pacto inveſtituræ ſint comprehenſi, & cautum ut ſuccedant. Molin. *ad conſuet. Pariſ.* §. 8. *q.* 1. Huc referri poteſt illud Doctorum; Nobilitatem in primo acquirente incipere, in filijs pubeſcere, in nepotibus adoleſcere, tandem in pronepotibus perfectam ætatem conſequi. Nam ultra non propagatur nobilitas, ut ſui quiſque generis dignitatem renovare nova virtute ſtudeat.

Acquiritur autem nobilitas, militia armata per plures annos obita, unde ſoli nobiles feuda poſſidebant, quia ſoli militabant, & provinciam defendebant. Item acquiritur togata militia, ijs præſertim qui ob ſingularem juris cognitionem, titulum juriſconſulti, academico ritu ſunt promeriti, & à Principe in conſilium aſſumpti, aut alijs officijs & honoribus donati. Non autem Medicis nobilitas iſta acquiritur, quam tamen ſi à majoribus habeant, non delet, nec maculat medicinæ titulus, aut ejus exercitium. 30

Porrò nobilitas juris ſtudio ac virtute quæſita, non eſt inferior ea, quæ ex natalium ſplendore derivatur, imo major, ſi virtus illis deſit, qui claros natales jactant, cum ipſi vitijs & inertia ſint obſcuri, majorum luce offuſcati, à quibus degenerarunt. Quapropter ſi quis humili loco natus, doctrina & virtute immineat, genere clarus præferendus fuerit, qui in eo virtutum doctrinæq; gradu ſibi non conſtiterint. Tiraq. *de nobilit. c.* 5. *n.* 5. Bobad. *l.* 1. *polit. c.* 3. *n.* 23. *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus, animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione licet ſurgere.* Seneca *epiſt.* 44. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatū illigata flexuris, in parte primâ ædium collocant, nothi magis quam nobiles ſunt.* Idem *l.* 3. *de benef. c.* 28. 31

Datur quoque nobilitas abſque ſolemnibus per reſcriptum Principis, quod licet magis ex gratia procedat quam meritis, tamen non licet de judicio principali diſceptare. *lib.* 3. *C. de crim. ſacril.* Verùm ut benè notat Zypæus *de Judice lib.* 3. *cap.* 2. reſtringitur iſta nobilitatis datio intra territorium concedentis, ut ſi in regione renuntietur, quis nobilis, non omni in loco talis ſit habendus, & quamvis in ordinem nobilium iſtius regionis relatus ſit, ſi contra leges nobilium peccaverit, non fruetur eorum privilegijs, ſecus ut aſſerit Gutierrez ſi quis ſit genere nobilis. *lib.* 3. *pract.* 13. *n.* 97. 32

quod

Digitized by Google

quod hæc nobilitas apud omnes homines ſplendorem ſuum retineat. Oroſius *de nobilit. cap.* 4. & perſonam ubique comitetur, nunquam mutetur, Faber *in ſuo C. lib.* 9. *tit.* 28. *defin.* 12. Refert Choppinus *lib.* 3. *de De domanio* 28. Carolum Regem graviter increpuiſſe Parlamenti Pariſienſis Senatores, quod paſſi fuiſſent à Sigiſmundo Imp. in eo Conſiſtorio nobilitari quendam Gallum. Tutius igitur fecerint qui à ſuo Principe nobilitatis codicillos petunt, & impetrant; per quos tamen in Gallia putat Anton. Deſpeiſſes bona illorum non eſſe exempta ab indictionibus & collectis, *tract. des tailles. art.* 11. *ſect.* 1. *num.* 16. In Hiſpania verò hujuſmodi nobiles & eorum bona, iiſdem privilegijs fruuntur, quibus ſtirpe nobiles, ut ſcribit Garſia *de nobilit. gl.* 1. *num.* 50. & Vaſquez *de ſucceſſ. creat. lib.* 3. §. 30. *num.* 292. Amplius addunt nobiles codicillares, poſſe inſigniri S. Jacobi ſtemmate, & aliorum ordinum Calatravæ & alcantaræ, quod eſt ſingulare.

33 His præmiſſis, propius veniendum ad conſtitutiones hujus tituli, ac primo inquirendum, quibus dignitates conferri poſſint, vel non. Digniſſimo cuique dignitatem tribui oportere natura ipſa docet. Digniores cenſentur nobiles ex patribus quidem bonis orti, ut habet *Auth. de referendar.* Ut præ reliquis ad honores & officia militaria & aulica promoveantur, quia magis decet ut ijs Princeps ſua conſilia & ſecreta communicet, eorumq; opera utatur, Tiraquel. *de nobil. c.* 20. Itemque in bello, quia plus eſt fidei, prudentiæ & fortitudinis in nobilibus. Fortes creantur fortibus & bonis, ſuntq; fideliores ſuis Principibus, & facilius hoſtes fidem ijs habent & credunt, ſi fœdus percutiendum ſit, aut lytrum præſtandum: Præterea nobiles non facile metu vincuntur, aut pretio, quippe major eſt illis honoris & fidei, quam vitæ cura.

34 * Non omnibus tamen nobilibus officia militaria conferenda ſunt, ſed ſtrenuis & qui mores referunt non diſſimiles natalium ſuorum ſplendori; Ignavis enim & ſordidis nobilibus, nihil turpius eſt, hi majorum gloria tantum tumidi ſunt, & acceptas ab ijs opes inglorij ſervant, aut conſumunt, ac ſæpè illorum claritatem ſua turpitudine maculant: nihil enim miſerius nobilibus qui ad paupertatem ſua culpa devenerunt, nam cũ mendicare erubeſcant, novas res moliuntur ex quibus fugant quod patrimonio ſurrogent. Ariſt. *l.* 5. *polit. c.* 6. Ita plures Romæ, ut Catilina, Curio, Milo, Antonius Triumvir, poſt decoctum patrimonium, ambitione novis rebus ſtuduerunt, ut Rempub. turbarent. Quare ut eam pacatam habeat Princeps, nobiles prudentes, rerumq; forenſium peritos, ac imprimis probos, ad dignitates promoveat Exemplo Tiberij, qui ſub prima imperij initia *mandabat honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando, ut ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe.* Tacitus 4. *Annal.* Præterea nobilium paupertati ex publico conſulat, nec ſinat clariſſimas familias extingui, ut ſæpè in ſuis annalium libris idem auctor monet, præſertim *lib.* 11. ubi Claudius Cæſar extingui & intermori patriciorum familias paſſus non eſt, *ſed antiquiſſimum quemque, aut quibus clari parentes fuerant, in numerum patriciorum retulit.*

Si familiæ omnino defecerint, alias bene meritas Princeps erigat, & attollat, novos nobiles creet, præſertim divites. Horum enim promotio magnam Reipublicæ utilitatem & ipſi Principi præſidium adducit. Nam illi ne contemptui ſint alijs, propter novam nobilitatem obtentam, & ut ſuprà invidiam aſſurgant, fidelem operam Principi exhibere ſolent, nec ſumptibus parcere ubi res magnæ, laborioſæ & ſumptuoſæ occurrunt, atque ita ſenſim ſe vere nobiles, & ad magiſtratus obeundos idoneos reddunt, imo veteres nobiles ad virtutem exſtimulant. Nobilitas enim uno ictu oculi non acquiritur, ſed continua annorum ſerie & virtute indefeſſa. 35

Jure igitur hic removentur obſcuro loco nati, qui nullis virtutum ſpeciminibus editis, ad honores contendunt, multoq; magis ſi ad eos non gradatim cupiant evehi, hi enim, ut ſemper videre fuit, priſtinæ ſuæ conditionis immemores, impotenter muneribus ſuis funguntur, & deſæviunt in ſuos ut aliquid ſe poſſe oſtentent. 36

* Quæ cauſa fuit cur Libertinæ & abjectæ conditionis homines, ad dignitates quæ ingenuorum erant non admitterentur, *l. un. ſup. d. l. Viſellia*, nec libertinæ conditionis mulieres à ſenatoribus uxores ducerentur. *l.* 16. *l.* 23. & *l.* 27. *ff. de ritu nupt.* ne Patricij generis ſplendor obſcuraretur. Non ideò tamen mirandum Libertinorum filijs licuiſſe clariſſimam dignitatem adipiſci *l.* 9. *h. t.* cum illi ingenui haberentur, nec eſſent ulla macula libertinitatis adſperſi, ob quam arcerentur, ita ut conditio libertinitatis, quæ patrem excludebat, ab illo in filium non derivaretur. Turpe tamen Claudio Imperatori & invidioſum fuit, quod latum clavum tribuiſſet liberti filio, & Appio Claudio, quod in cenſura inquinaſſet Senatum, lectis libertinorum nepotibus. Hodie Liberti manumiſſione efficiuntur cives Romani, ideò Senatores eſſe poſſunt utpote natalibus reſtituti, & jure aureorum annulorum donati. *Novell.* 78. 37

At verò qui ex viliſſimis negotiatoribus oriundi ſunt, & ipſi quoque artes viliſſimas exercent, aut abjecta officia ſuſcipiunt, qualia ſunt publicanorum, monetariorum & apparitorum, non poſſunt aliqua dignitate frui *l.* 6. *h. t.* maximè illi qui ex turpibus lucris vixerunt. 38

Negotiatio vel minimi lucri cauſa ſuſcepta officit nobilitati, niſi aut ad illam ſumma neceſſitas aliquem coegerit, Quomodo M. Æmilio Scauro nihil

obſuit quod pater ipſius paupertate coactus, carbonariam exercuiſſet. Jac. Curtius, *tom. 1. conject. lib. 2. c. 29.* aut penuria ſit nobilium in patria, quia tunc in eorum defectum ad munera publica aſſumi poſſunt, qui honeſtam negotiationem exercent. *l. 12. ff. De decurionib. l. 6. C. eod.*

39 Unde quamvis jus commune, *honorum luce conſpicuos mercimonia exercere prohibeat. l. 3. ſup. De commerc. & merc.* Mores tamen regionum id permittunt, modo non per ſe, nec minutatim exerceant, retinentque privilegia nobilitatis. Gutier. *pract. l. 1. q. 137. n. 8.* Tiraquel. *de nobil. c. 27.* Quin & famoſos mercatores qui non tenuiter negotiantur, mores non arcent à petendis honoribus etiam præcipuis, cum viri honorati vocentur. *l. 1. C. de offic. civil. jud.* Sic multis in locis divitiæ honeſte partæ, nobilem faciunt, præſertim ſi illæ ſint antiquæ, ut in Luſitania, Italia, Venetiis. Decianus *reſp. 66. num. 40. vol. 3.* virtutis enim eſt aſcendere, ignominiæ deſcendere, aut jacere. Seneca 1. *contr. 16. ſi poſſent homines ſibi ſortem facere naſcendi, nemo eſſet humilis, nemo egens, unuſquiſque in dominum evaderet*, cum igitur domini natura non ſimus, virtute contendendum eſt.

40 Cæterùm conceſſio feudi à Principe facta nobilem facit, ſi una titulum tribuat & jurisdictionem. Tiraq. *de nobil. c. 7. n. 1.* At emptio feudi nobilis nobilem non efficit. Neque enim res & poſſeſſiones homini qui longe illis pretioſior eſt, afferre dignitatem poſſunt, cum minime rebus homines, ſed hominibus res accedant *l. 44. ff de ædil. edicto.* Ideò Princeps noſter Albertus recte ſtatuit feuda majora nobiles titulos amittere, ſi ea emerint ignobiles, aut alio titulo ad eos devenerint, neque gaudere privilegiis quibus antiqui nobiles, aut ex privilegio nobilitatem ſunt conſecuti, ſed iis tantum quæ ad feudorum jura pertinent, docent Zypæus *l. 3. De judic. c. 2. n. 22.* Faber *lib. 9. C. tit. 29. defin. 12.*

41 Porro infames notati, & quos ſcelus aut vitæ turpitudo inquinat, tantum abeſt ut ad dignitates iis liceat adſpirare, ut etiam à cætu honeſtiorum ſegregentur *l. 2. h. t.* neque eo in loco liceat habitare ubi Princeps degit, vel ejus aulam ingredi. *l. 3. infr. De re mil.* Maſtrillus *de magiſtr. lib. 3. cap. 4. num. 447.* ſed quoad ortos ex iis, *non eſt impedienda dignitas ejus qui nihil admiſit. l. 6. in priv ff. de decur. Nullum*, inquit lex, *patris delictum innocenti filio pœna eſt, ideoque neque ordine decurionum, aut cæteris honoribus propter ejus-*
42 *modi cauſam prohibetur.* * Excipio perduellium liberos, in quos ob majeſtatis periculum ſingulare jus eſt. *l. 5. ſup. ad l. Jul. Majeſt.* Inter infames cenſentur deportati, relegati, milites ignominia miſſi, damnati publico judicio, ipſo facto, vel jure vel genere pœnæ; item per contumaciam damnati & banniti à cunctis dignitatibus obtinendis arcentur, cum & ſolum criminis poſtulati vel inquiſiti rei, donec ſe purgaverint, repellantur. *l. unica ſup. de reis poſtulandis.* Hinc ad dignitatem promotus, ſi infamiæ accuſetur, dignitatis titulum uſurpare non poterit, donec iſta exceptio fuerit diſcuſſa *dict. l. uni. & l. 7. ff. De muner. & honor.* diſcutienda autem erit intra tres menſes *Novell. 123. cap. 2.* & niſi tunc probata cauſa fuerit, electus fungetur ſua dignitate & accuſator repelletur. Rebuffus *ad l. 2. h. t.* & ibi Platea *in fin.* Non etiam omnia vitia ſunt cauſa amittendæ nobilitatis, ubi proinde opus fuerit declaratoria ſententia, ne protinus ob quodvis inhoneſtum factum amiſſa dicatur nobilitas. Papon. *arreſt. lib. 5. arr. 2. t. 4.*

Cum igitur infamibus dignitatum & honorum 43
portæ non pateant *d. l. 2. & d. l. uni.* Magiſtratum autem gerere honoris ſit, non poterunt ſpurij ad illum adſpirare, aut paternam nobilitatem retinere & gaudere immunitate, quæ ex nobilitate competit, quia tales licet propriè non ſint infames, & ob publicam cauſam, aliis deficientibus ad decurionatum admittantur, *l. 3. §. ſpurios ff. de decurionib.* non tamen dignitatum ſunt capaces, nec legis favorem merentur, cum non ſint de genere, ſed degeneres. Baldus *in l. ult. C. de natural lib.* Ideoque non patris conditionem ſequuntur, ſed matris, quæ tamen quantumvis certa ſit & nobilis, non poteſt filio ſpurio nobilitatem præbere, quoniam nobilitas eſt quædam dignitas quæ nunquam à matre deducitur, ſed ex ſola agnatione proficiſcitur, *l. 10. ff. De Senat.* atque ita à potentiore cauſa denominatur. Tiraquel. *De nobilitat. c. 18. n. 20.* Ant. Faber. *in ſuo C. h. t.*
defin. 20. * Conſuetudine tamen multarum regio- 44
num, (excipio utramque Germaniam, & Poloniam) naturales filij, quales ſunt ex ſoluto nobili & ſoluta nati, nobiles habentur, ſi ut tales ſe gerant, nec à dignitatibus & officiis publicis arcentur, quin & gentilitiis inſignibus utuntur, ſed per interlineam diviſis. Tiraq. *d. loco c. 16. num. 25.* videndus Amaya *tit. De decur. l. 36. n. 30.* ubi filium naturalem ex ancilla ſuſceptum à viro nobili, poſt manumiſſionem gaudere nobilitate late probat, & facit *l. 7. §. fin. in fine. ff. De Senatorib.*

Potiori jure utuntur ſuſcepti ex nobili viro & legitimati per reſcriptum principis, modo in eo aperte dicatur, ut in bona & feuda ſuccedant, atque inſignibus gentilitiis ſine interlinea utantur; Quibus etiam ſine reſcripto uti poſſunt legitimati per ſubſequens matrimonium, etiam hæredes & agnati tantum, non alij cognati, vel affines. Hinc optima in hiſce provinciis conſuetudo, quam per ambitum pene collapſam Belgarum Principes edicto anni *1616.* reſtaurarunt, exceptis Luxemburgi & Geldriæ Ducatibus, ut primogenitus in quo ſtat decus & ſplendor familiæ, integra geſtet inſignia; cæteri addendo aliquid vel demendo ea alterent.

Ex dictis infero abſurdum videri, ut filius etiam 45
legitime natus nobilitatem accipiat à matre, quæ

ipſa, ubi nubit, ſtatum mutat & conditionem mariti ſortitur, adeo ut non valeat ſtatutum vel conſuetudo contraria, *l. 36. ſup. De decurionib.* niſi ſpecialiter à Principe fuerit approbata, & longo uſu recepta. Ut apud Locros, Lycios, Illienſes, Ponticos receptum, ut filij matris originem & nomen ſequerentur, non patris, quod ad familiæ certitudinem facere videretur. Item legibus Romanorum certis caſibus, filij jura maternæ conditionis agnoſcebant. *l. 29. De decurionib. l. 12. ſup. De murilegul. l. 21. & ult. ſup. de agric. & cenſ.* Verum debilior & obſcurior hæc materna nobilitas,
46 illuſtrior quæ à patre derivatur. * Quo fit ut natus ex patre nobili, matre ignobili, nobilis naſcatur. Sequitur enim ille familiam, dignitatem & genus patris, quod juris civilis eſt. *d. l. 36. l. 9. & 10. ff. De Senatorib.* ubi, *licet ex filia Senatoris natus ſit, ſpectare debemus patris conditionem,* juxta illud Virgilij, *lib. 12. Æneid.*

Cui genus à proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis. ———

Facit & in hanc rem *Tit. 29. lib. 2. feud.* ubi filius ex ignobili matre natus, ad hoc ut à ſucceſſione feudi repellatur, ſpeciale pactum requiritur, itaque ſola nobilitas patris, matrem nobilitat & partum. Unde fœminæ nubentes virorum radiis coruſcare, & claritatem ab iis accipere, non adferre dicuntur. *l. 8. ff. De Senatorib.* Item *in l. 13. h. t.* maritorum honore erigi, & genere nobilitari. *l. ult. ſup. De incolis.* Sic enim videmus mulierem fortunam mariti ſequi, & illegitime natam, ſi nubat marito legitimo, quoad omnia legitimam cenſeri. *lib. 3. ſup. De natur. liber.* Tiraquel. *De nobil. cap. 18. num. 2.* Gail. *lib. 1. De pace publ. cap. 6. num. 27.* Addunt & hic Platea & Rebuffus mulierem ignobilem nobili viro junctam liberari à pœnis & quæſtionibus quę
47 in perſonis ignobilium locum habent. * Verum licet maritus nobilis uxorem plebeiam nobilitet, filiique ex ea nati nobiles eſſe cenſeantur, tamen clarior & illuſtrior erit filiorum nobilitas, ſi & matris accedat. *c. fin.* ibi *ab utroque parente illuſtrem* ※ *De præb.* Id vel ex eo liquet, quod in multis Eccleſiis, & Collegiis Canonicorum, ad majores præbendas non admittantur, niſi qui maternæ quoque lineæ, per longam ſeriem, nobilitatem docere poſſint. Quamvis tamen dixerit Gregor. IX. Pontifex. *in c. 37.* ※ *De præbend. Non generis, ſed virtutum nobilitas, vitaque honeſtas gratum Deo faciunt, & idoneum ſervitorem.* Ideo rejicit ſtatutum Argentinenſis Eccleſiæ, quo non niſi genere nobiles, & eminenti doctrina admitterentur, niſi forte fundatio aut alia juſta ratio aliud exigat, Zypæus *De Judice lib. 1. cap. 32. num. 4.* Hinc in ordines equeſtres non adſcribuntur, nec ad ludos catadromorum admittuntur, qui non probaverint utriuſque parentis nobilitatem.

Jure Romano nobilitas geſtis Magiſtratibus, & 48
muniis publicis præcipue acquirebatur, eaque in matremfamilias derivabatur, quæ avum conſularem, & patrem prætorium virum habuiſſet. *l. 1. h. t.* id eſt, ſi illius majores bis ad digniora munera Reipublicæ fuiſſent evecti. Quin & hæc generis claritas in filios tranſmittebatur, ſi mater clariſſimo nupſiſſet. Quo jure & hodie utimur, nam ſi quæ privatæ conditionis viro copulata ſit, nobilitatem quam ex paterno ſanguine meruerat perdit, *d. l. 1. & l. 8. ff. De Senat.* Sic Virginia patricia per nuptias facta plebeia eſt. Livius *lib. 10.* At dices nobilitatem juris naturalis eſſe, & ſanguinis jura minime lege civili tolli poſſe? *l. 34. ff. de pactis. l. 8. ff. de regul. juris.*
* Reſpondeo, licet mulier illuſtris nubat inferioris 49
ordinis viro, nobilitatem generis non omnino tolli, ſed obſcurari, & obumbrari quadam caligine, ac privilegia Principum liberalitate & lege nobilibus conceſſa, contraria lege ſuſpendi. *§. quod autem Inſt. de capit. dimin.* ubi Juſtinianus docet maxima capitis diminutione, non cognationem ſed ejus jus perire. Accurſius *ibi verb. cognationis.* Pichardus *diſp. De nobilit. commun. num. 70.*

Moribus autem quarumdam gentium, non plane 50
obſcuratur nobilitas mulierum illuſtrium, nuptias contrahendo cum abjectæ conditionis viris, quod & olim quidem tributum jure certis familiis, nunc paſſim productum ad illuſtres dominas, quæ Comitiſſæ ſunt aut Duciſſæ, ut maritos nobilitent, & Comitatus aut Ducatus dignitatem in eos transferant, præſertim ſi ea dignitas data ſit illis in dotem, quod conjunctio maritalis, divini humanique juris communicatio id poſtulare videatur: Licet juri communi repugnet, nam per matrimonij conjunctionem cum quacumque, uxor efficitur de familia viri, non autem vir de familia uxoris, cujus caput ſemper eſt maritus. *l. 195. ff. De verb. ſignif.* ad quem etiam pertinet bonorum adminiſtratio.

Hinc in Anglia, Suecia, Dania, Regina nubens 51
marito ignobili, cum quidem Regem non facit, & juramentum fidelitatis & homagium Reginæ præſtatur, non marito, attamen hic aliquo modo coruſcat radiis ſuæ uxoris, quia Reginæ lateris comitatus illum illuſtrat. *l. 1. infr. tit. 18.* Nevizanus *conſ. 40. n. 2.* Tiraq. *De nobilit. c. 18. n. 39. & ſeq.* At in Hiſpania, matrimonio contracto cum Regina, ſtatim maritus conſequi regiam dignitatem & adminiſtrationem declarat lex *regni 9. tit. 1. p. 2.* Pichardus *De nobilit. communic. num. 51. & 61.* ubi exemplum communis uſus adfert de Aragonum Rege Ferdinando, qui Reginam Eliſabetham in uxorem ducens, Regis Hiſpaniæ titulum obtinuit, ut etiam Philippus I. Archidux Auſtriæ, ducta Joanna, Ferdinandi Catholici Regis filia. Quo caſu ut utrique communis eſt regia dignitas, ita & regni gubernatio, nomenque utriuſque præponitur edictis, mandatis,

Digitized by Google

datis, decretis, littera, & moneta utriuſque nomine & effigie cuditur.

52 Inde obſerva fœminas capaces eſſe ſucceſſionis poſſeſſioniſque, niſi nominatim cautum ſit, ut ſoli maſculi ſuccedant, nec tantum in minoribus feudis, ſed & in principalibus ditionibus & regnis. Sic in Hiſpaniæ, Angliæ, Siciliæ, Sueciæ, Neapolis, Bohemiæ, Hungariæ, Cypri, Luſitaniæ, regnis, deficientibus maſculis, ſuccedunt fœminæ, tametſi is ſexus ad regendum minus ſit idoneus: Et poſſit accidere ut Reginæ, & filiæ Regis nubant extero Principi, eoque caſu populus exteri Principis imperio ſubjiciatur. Sic nuptiis Mariæ unicæ Caroli Audacis filiæ cum Maximiliano Imperatore, provinciæ Belgicæ ex domo Burgundica in
53 Auſtriacam devenerunt. * Secùs eſt in regno Franciæ, ubi viget lex Salica, quæ etiam omnibus maſculis de domo Regia deficientibus, arcet fœminas à regni ſucceſſione, ne accidat, quod mox dixi, ut illarum nuptiis populus exteri Principis dominationem patiatur. Nam mulieres ex domo Regia, non domui Regiæ liberos pariunt, ſed ei cui nubunt. Eodem jure cenſentur Ducatus & Comitatus qui aſſignantur ſecundis filiis Regis Francorum, vulgo dicuntur *Appennagia*, de his Choppinus *De domanio lib. 3.* & Vincentius
54 Cabotius *lib. 1. diſp. c. 16. & 17.* * Verum quamvis in Gallia non ſuccedant mulieres in regnum, defuncto tamen Rege, procurationem regni matribus regiis commiſſam eſſe notum eſt. Choppinus *d. loco c. 5.* Præterea ut in aliis regnis, ita & in Gallia, receptum Dominas & Comitiſſas, quæ ſuperiorem Regem agnoſcunt, ſuccedere in feuda & comitatus, deficientibus maſculis, ſi id in inveſtitura feudi cautum ſit, aut ſint feuda fœminea, aut talia quæ non in ſervitij, ſed in fidei obligatione conſiſtant. Gudelinus *De jure feud. p. 3. cap. 3. n. 2.* Quin & mortua Comitiſſa vel Duciſſa, maritus quamvis fuerit inferioris ordinis, dignitate & honoribus, quibus vivente uxore, fruitur, ob memoriam tranſacti matrimonij. Garzia *de nobilit. gloſſ. 1. §. 1 num. 45.*

55 His exceptis, ſatis conſtat ex prioribus uxorem mariti ſui conditione teneri, non tantum ſtante matrimonio, ſed & eo ſoluto. Itaque vidua in memoriam matrimonij, mariti dignitatem & domicilium retinet, ſed utrumque alio interveniente matrimonio permutatur. *l. 22. §. 1. ff. ad municip.* Idem deciditur ab Imperatoribus *in l. 13. h. t.* ſi alterum minoris ordinis virum mulier ſortita ſit, priore dignitate privata, poſterioris mariti ſequitur conditionem. Permiſſum quidem eſt viduis iterare nuptias, ſed dignitatem & privilegia prioris matrimonij amittunt, quia ceſſat illa juris fictio, qua matrimonium in viduitate durare cenſebatur; ſimiliter ſi vidua honeſte vivere deſinat, radij conjugalis ſplendorem & nobilitatem quam ex mariti matrimonio conſecuta fuerat, perdit. *l. 7. verſ. De cæteris Cod. de revocand. donat.* Tiraquellus *d. loco num. 13. & ſeqq.*

Quid ſi de conditione ſecundi mariti dubitetur? 56
Sentio mulierem non retinere priſtinam immunitatem, quod certum ſit contracto matrimonio nullam amplius rationem præcedentis haberi. Quare pendente lite ſuper conditione viri, talis cenſeri debet mulier, qualis nata, ut ſi nobilis ſit, talis tamdiu habeatur. Antonius Faber *ad h. t. defin. 17.* * ubi 57
autem conſtiterit maritum eſſe ignobilem, adeo ejus conditionem ſequitur, ut mortuo marito, prioris dignitatem non recuperet, ut indicat *l. 7. ſup. de murilegul.* ibi, *Non ambigit ſe ſibi & liberis præjudicaturam.* Et Guido Papæ *deciſ. 349. & deciſ. 380.* probat in nobili muliere quæ ignobili nupſerat, judicatum fuiſſe eam obnoxiam eſſe vectigalibus & oneribus, quæ ſolis ignobilibus imperantur. Coſtalius *ad l. 8. ff. de Senatoribus.* & Tiraquellus *de nobilit. c. 18. n. 38.* idem referunt. Eſtque veriſſima opinio de jure communi, ſed Hiſpanico jure expeditum eſt, marito mortuo viduam nobilem recuperare ſuam priſtinam dignitatem & antiquum nitorem, atque contributionibus vectigalium liberari, quibus tenebatur maritus propter generis ignobilitatem, ita probat *l. 6. tit. 2. lib. 4. antiquit. ordin. & hodie l. 9. t. 11. lib. 12. nov. coll.* & Pichardus *ad d. leg. 7. diſput. de nobilit. num. 60.*

Certum quoque eſt de jure communi, viduam 58
prioris mariti immunitatem poſſe à Principe impetrare, quod notandum *ex ult. ff. de Senatoribus,* ubi Ulpianus, *nuptæ prius conſulari viro, impetrare ſolent à Principe, ut nuptæ iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in conſulari maneant dignitate, ut ſcio Antoninum Auguſtum Juliæ Mammeæ conſobrinæ ſuæ indulſiſſe.* Nec refert, quod mulier fuerit plebeia, nam ſufficit eam nobili viro primum nupſiſſe, ut beneficio Principis recuperet nobilitatem, & immunitatem ab omnibus plebeiorum oneribus, quippe quæ nobilitatis privilegio, & Senatorio ordini cohæreat. Antonius Faber *ad h. t. defin. 16.*

Quoniam vero dixi nobilitatem in filios trans- 59
mitti; poteſt dubitari de his qui ante acceptam à patre dignitatem naſcuntur? Et verius eſt eos nobilitatem & immunitatem paternam conſequi, cur enim filiis parentis honorem invideamus, & Senatorij ordinis non eſſe dicamus, licet poſtquam nati eſſent, parens ſenatoriam dignitatem conſecutus fuerit? Siquidem decurionum filij cenſeantur, qui ante acceptum patris honorem nati ſunt *l. 2. §. in filiis ff. De decurionibus, l. 5. ff. De Senatoribus, l. 9. §. pen. ff. de pœnis.* & filij patronorum fiſci qui ante ſunt ſuſcepti. *l. ult. ſup. De decurionib.* Sed his adverſatur *l. 11. h. t.* ubi relatum eſt filios editos antequam parentes obtinuerint dignitatem, privatos

eſſe,quod ſi privati ſunt, plebei ſunt & non clariſſimi. Conciliari poteſt, quod privati filij dicantur, quamdiu pater ſenatoriam dignitatem non eſt conſecutus. Ut ex benigna juris interpretatione poſſunt filij ante ſuſcepti inter clariſſimos referri, & nobilium privilegiis frui,cum non oporteat paternos honores filiis invidere. Duarenus *lib.* 2. *diſput. cap.* 29.& Menochius *conſ.*677.*num.*7. Ne verba poſteriora prioribus repugnent, ibi *à Senatore vel ſolo clariſſimo ſuſceptum, in clariſſimatus ſciendum eſt dignitate manſurum.* nam puto in prioribus verbis munera & iiſdem connexa onera Senatorum filiis ante dignitatem ſuſceptis adimi, poſterioribus honores & præmia tribui, ut expreſſius dicitur *in d.* §. *in filiis.* Idemque in filiabus eſſe ex Conſtitutione Theodoſij, ut liberæ ſint ab auro ſeu munere glebali,quod omnes in dignitate conſtituti pendebant. Fuit enim iſtius muneris exactio poſt ſublata, ut dicetur titulo ſequenti.

60 Manſit tamen urgente publica neceſſitate,voluntaria quædam collatio. Omnes enim illuſtres & equeſtris ordinis viri,rem publicam pro virili juvabant, excitabantque plebeiorum animos ad idem præſtandum, ſine edicto, ſine hortatione Magiſtratus, ita ut ſæpe tantum auri & argenti collatum fuerit referente Livio *lib.* 26. *Ut nec trium viri accipiendo,nec ſcribæ referendo ſufficerent.* Semper enim populus promptior eſt ad contribuendum,dum videt primates ac ditiores id facere,nec ſibi ſolum publica onera imponi,aut in alios uſus quam neceſſarios impendi. Plura de oneribus ſupra *lib.* 10.

61 Quod ad munera publica attinet,ea non niſi gradatim acquirebantur. *gl. in l.* 2. *ſup. quemadm. civit. mun.* Unde qui functus fuerat minore dignitate, ſi ad majorem aſcendiſſet,non ideo prioris dignitatis ſeu militiæ privilegia amittebat. *l.*3.*h.t.* Hinc Julianus Imperator jus Senatorum & auctoritatem ejus ordinis ab omni injuria defendit, quod ejus ordinis eſſet ipſe Princeps, qui ad imperium evehebatur. *l.*8.*h.t.* Hodie per acquiſitionem minoris dignitatis non amitti majorem dicit Maſtrillus *lib.*5.*c.*4.*n.*68. idque in regno Siciliæ,ſecus in Neapolitano. Apud nos qui reſignavit,aut depoſuit dignitatem, & rurſus eam adeptus eſt, honorem priſtinum recuperat,non locum; nam eum retinet,quem ultimo accepit Langlæus *lib.*7 *otij ſemeſtris c.*8. Contra Papon. *lib.*6.*tit.*2.*art.*28. refert curiæ Pariſienſis decreto fuiſſe deciſum, eum qui ab inferiore curia ad conſiliariatum ſuperioris curiæ evocatus eſſet,ſi poſtmodum ob cauſas ad curiam inferiorem rediret, priſtinum locum & ordinem recuperare, ratione dignitatis utrobique geſtæ. Chriſtinæus *ad h.tit. deciſ.* 107.*num.* 12. & 14. notat illum qui recuperat inferiorem dignitatem, non ſubjici examini, ſed eum qui ad majorem conſcendit.

62 Porrò hoc commune eſt tam minoribus quam majoribus poteſtatem gerentibus, nec non etiam honorariis illuſtribus,quod liceat eis ad ſacrum comitatum, ſive curiam Principis venire, ſine ſacra revocatoria, id eſt, ſine facultate Principis, & in provinciis morari,ſi ibi negotia habeant,modo petant commeatum. *l.ult.h.t.* Cum tamen Clariſſimis & Spectabilibus liceret ſine commeatu diſcedere, ſuaſque res inviſere,*l.*15.*h.t.* Quod potius his quam illuſtribus liceret ſine commeatu proficiſci, ratio eſt,quod periculoſior ſemper fuerit potentia & dignitas illuſtrium.Ideò Auguſtus *edixit omnibus Senatoribus ne quis eorum peregrinaretur extra Italiam injuſſu ſuo.* Dion.*lib.*52.& Claudius Imperator vetuit ne ultra ſeptimum milliare ab urbe illuſtres excederent. Forte quod ſuſpecti ſemper habeantur, qui exteros familiarius frequentant,& præſertim exules.

63 Sunt alia Senatorum & nobilium jura, ac privilegia imprimis ad altiores dignitates,& Reipublicę functiones,niſi virtutibus & doctrina deſtituantur, cæteris præferuntur. In bene conſtituta Republica,inquit Simancas *l.*5.*De Republica c.*4. *Honores deferendi ſunt non ditiſſimis, non his qui longiorem majorum ſeriem oſtendere poſſunt, ſed digniſſimis;* nulla enim alia re quam virtute hominis nobilitatem conſtare docet Ariſtoteles *l.*3.*polit.c.*8.ideoque virtutis maxime rationem habendam eſſe in collatione honorum: item virtutis militaris in feudis occupandis. Hinc feuda nobilibus hodie dantur, ut operam ſuam & opem in bello præſtent,ſecundum præſcriptũ modum in feudi traditione.* Dantur & emuntur ditiones 64
& feuda nobilia à plebeis,& qui ab antiquo ea tenuerunt, nobilitatem acquirunt in multis regionibus. Solet & Princeps qui nobilitandi jus habet, nobile feudum concedendo, nobilem poſſeſſorem efficere, vel renovando inveſtiturã iſtiuſmodi feudi,ſi id expreſſerit. Gudelinus *De jure feud.cap.*4.*n.*2. Quod ſi feudum conceſſerit cum omnimoda juriſdictione, intelligetur excepta cognitio ſupremæ provocationis & aliarum rerum,quæ majores judices poſtulant. Nam Princeps per ſuam conceſſionem,vaſallos facere intendit,non ſocios,ut pulchre oſtendit Antonius Faber, *De juriſdict.in ſuo.Cod.defin.* 17. in generalem conceſſionem non venire, quæ quis veriſimiliter non fuerat ſpeciatim conceſſurus, *arg.l.*6.*ff.de pignorib.*& *l.*1.*ff.De donat.* Plura dixi ſupra *lib.*10.*t.*10 *n.*5.

65 Præterea nobiles legationibus funguntur,& ideo ab omnibus honorandi, cum perſonam Principis ſuſtineant & repræſentent. Quin & à parentibus reverentia iis debetur, quia major Legatorum & Magiſtratuum dignitas,quam patris poteſtas,quam ceſſare dixi in muneribus & actionibus publicis,& ſeſſionibus, & omni in loco ubi publica lux Magiſtratus fulgere debet. Ideò Fabius filius conſul,patrem obvium equo juſſit deſcendere, cui pater reſpondit, non ſe deſpexiſſe in filio dignitatem, ſed

expe-

Digitized by Google

experiri voluiſſe an eam tueri poſſet; ſed in privatis ceſſant publici honores inter patrem & filium Magiſtratum. Valer.*lib.2.cap.1.* Tiraquellus *De nobilit.cap.28.n.8.*

66 Videretur enim Princeps contemni, ſi contemneretur Magiſtratus quem poſuit; ideo ei aſſurgere, & de via decedere oportet, ut faciebant Romani. Seneca *epiſt.64. Si conſulem videro, aut Prætorem, equo deſiliam, caput aperiam, ſemita cedam.* Et idem eleganter ubi de magnis viris *epiſt.65. Tantis nominibus ſemper aſſurgo.* Nec tantum hic honor in publico, ſed & in privato loco Magiſtratui debetur. Ipſe quoque Magiſtratus etiamſi major ſit, omnibus honoratis viris, & inferioribus judicibus tenetur honorem præbere. Maſtrillus *lib.5.c.3.n.30. & ſeqq.* Eodemque honore, quo mariti, proſequendæ ſunt eorum uxores durante matrimonio, & eo ſoluto forum & domicilium ſequuntur, ut dictum eſt per *l.13.h.t.* Et ipſi viri non alibi conveniuntur quam in conſiſtorio Principis, ac ob minores cauſas non
67 evocantur, ſed ad eos eundum eſt. * Item ab omni injuria defenduntur, præſertim qui Senatorij ordinis ſunt, inter quos ipſe ſe Princeps cenſet, ut dixi per *l.8.h.t.* Hinc ab extraordinariis muneribus, præcipue perſonalibus eximuntur Senatores in quacumque provincia fuerint conſtituti *l.14.h.t.* & eorum bona quæ in diverſis provinciis poſſident, & homines *l.4.h.t.* niſi ejuſmodi onera & præſtationes, quas judices deſcribunt, auctoritate Principis ſubire teneantur. *l.5.h.t.* cum munus ab eo impoſitum, non tam onus quam honos cenſeri debeat Rebuf-
68 fus *ibi.** Regulariter Senatorij ordinis viri judicum quorumcumque mandatis parere non debent, multo minus eorum deſcriptionibus. Quæ cauſa ut ſi quis judex quædam opera in quibuſdam urbibus curet extruenda, non debeant Senatorum ſubſtantiæ in ſumptum contribuere *l.7.h.t.* Intellige opera ad voluptatem & animi cauſa extruenda, non neceſſaria, à quibus non puto Senatores aut nobiles excuſari, cum æque illa in eorum utilitatẽ extruantur atque plebs. Ideoque reſcriptum ad inſtructionem & reparationem itinerum pontiumque nullum genus hominum, nulliuſque dignitatis aut venerationis meritis ceſſare oportere. *l.4.ſup.De privil. Domus Auguſtæ.* Pyrrhus & Platea *ad d.l.7.*

69 Dico illuſtres non ſubjici judicum mandatis, aut eorum juriſdictioni, ſi tamen grave crimen admiſerint, extra carcerem ſub militari cuſtodia detinentur, & in conſiſtorio Principis accuſatio proponitur & peragitur, nam eo inconſulto nullus judex cognoſcit de cauſis illuſtrium, licet eos poſſit abſolvere. *l.fin. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* Bobadilla *lib. 2. polit.c.16.n.226.* At inferioris ordinis viri & nobiles coram Præfecto prætorio conveniuntur, & audiuntur ſuper accuſatione. *l.16.h.t.* relinquuntur & illis ampliores ſumptus quam plebeis, nempe ut lautius ſe alere poſſint, & ſi qui ex iis non poſſident immobilia, ſatiſdare non tenentur. * Hinc Illuſtres 70
non niſi ex ſcripto in judicium vocari poſſunt, vocatique ſe judicio ſtatutos aut judicatum ſoluturos ſatiſdare non compelluntur, ſed ſatis eſt etiam criminaliter accuſatos id juramento promiſiſſe, cui tametſi non ſteterint, aut per ſuos procuratores comparuerint, hanc perjurij pœnam ſuſtinent, ut in civili cauſa mittatur actor in poſſeſſionem, in criminali ob contumaciam, illuſtratus dignitate priventur damnenturque eo caſu, inconſulto Principe. *l.17.h.t.* Refert Bobadilla *dicto loco, c.16. in fine.* apud Hiſpanos, cauſas illuſtrium coram Rege, aut in ſupremo ejus Senatu agi, propterea quod eos in majore honore habeat, cum illi vaſallis aliiſque præſint, quæ cauſa cur criminis gravioris accuſati, tormentis, vinculis, carceribus eximantur. *l.10.h.t.* niſi rei ſint majeſtatis. *l.3. & 4. ſup. ad l. Jul. maj.* * Hi 71
enim nullo privilegio dignitatis defenduntur, quinimo ut cæteri bona ſua omnia, ita & nobilitatem jam inde à commiſſi, adeoque cogitati criminis die amiſiſſe intelliguntur, ſi quandocumque poſtea ſequatur condemnatio. *l.6. & ult. C. d. tit. ad l. Jul. majeſt.* Ant. Faber *in ſuo Cod. De crimine læſæ maj. defin.8.* Cæterum in Gallia nulla dignitas quæcumque illa ſit, quæſtioni equuleoque accuſatum eximere refert Mornacius, ſi ita res ferat *in l.16. ff. De legib.* * Amit- 72
tunt dignitatem etiam aliorum criminum rei ſecuta condemnatione, nam reatus omnem honorem excludit. *l.1. in fin. Cod. ubi Senat. vel Clariſſ.* Hinc judices qui ſe furtis & ſceleribus inquinarunt, ablatis codicillorum inſignibus & honore exuti, inter infimæ plebis homines habentur. *l.12.h.t.* & capitali ſupplicio ſubjiciuntur, ſi admiſſum ſcelus id poſcat. *l. 3. ſup. De off. Præf. præt. Orient.* Quod ſi crimen ſuſpendio dignum nobilis commiſerit, condemnatuſque ſit, ſolet pœnæ infligendæ modus in alium commutari, ut tradit Jul. Clarus *lib.5. receptar. ſent. §. fin. q.60.n.24.*

Quæritur, an pendente quæſtione delicti, inter- 73
dici interim adminiſtratione muneris debeat? non videtur, ſi perpetui ſint Magiſtratus qui accuſantur, cum ſtatuerit Zeno Imp. ne qui in crimen vocati, ante probationes, injurias patiantur, & ſi illuſtri dignitate fulſerint, habebant facultatem ſedendi quamdiu *cognitio celebratur in aliqua Secretarij parte, quæ judicibus inferior. altercantibus ſuperior eſſe videatur. l.3.§.1. ſup. ubi Senat. vel Clariſſ.* & referente Papiniano, *Magiſtratus capitalis criminis accuſati, priſtinam dignitatem interim retinent, neque ab ejus exercitio ſuſpenduntur. l.17.§.12. ff. ad municip.* tametſi id in Gallia non ſervari referat Loyſeau *Des offices lib. 1. c.14.* Eccleſiaſtici tamen neque jure, neque praxi muneribus ſuis abdicantur, pendente accuſatione, ſed datur eis coadjutor. Anchoranus *in c. omnipotens* X *De accuſat, cap. venerabili.* X *De offic. deleg.* Ar-

gentreçus *ad conſuetudines Britanniæ, art.35. in fin.* Quod locum habet in iis qui jam officiis funguntur, nam recipiendis ſemper obſtat quælibet criminis objectio, *d.l.17.& l.1. Cod. De reis poſtul. l. reus poſtul. ff. de muneribus & honorib.*

74 Certum eſt etiam eum qui ſordidas abjectaſque exercet artes, indignum ſe nobilitate reddere. *l.6. h.t.* artium autem ſordidarum exercitiis non obfuſcatur ſolum nobilitas, ſed & plane tollitur. Illiberales, & ſordidi ſunt quæſtus mercenariorum omnium, ut ait Cicero *lib.3. offic.* quorum operæ, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces authoramentum ſervitutis, atque eam ob cauſam Romæ quæſtus omnis patribus indecorus eſt viſus. Livius *lib.21.* Ex illis tamen natis non obſtant intermediæ majorum ſordes, ſi nihil ipſi egerint, quo privilegiis nobilitatis exciderint, quia priſtinum ſplendorem recuperant, abſurdum enim eſſet à patre ſolo auferri filio, quod non à ſolo patre filius habet *l.3. ff. de interd. & releg.* ratio enim & natura vult acquiſitam ſemel nobilitatem in poſteros derivari *l.1. ibi Bart. & l.11. Cod. h.t.*

75 * Nec illam ab eo amitti, qui agros ſuos coluerit. Imo laudi ſemper habitum fuiſſe, Cincinnati & aliorum exempla teſtantur. Omnis enim nobilitas olim rus habitabat, & ab aratro ad dignitates etiam ampliſſimas revocabatur. Imo licebat alienos agros colere, non lucri cauſa, ſed ut rebus ſuis afflictis conſuleret, & victui neceſſaria compararet. Optima namque ſemper ratio viſa fuit ſibi ſuiſque honeſte proſpicere. Ant. Faber *in ſuo Cod. hoc t. defin.1. & 3.*

76 Facilius autem recuperatur nobilitas, quam acquiritur, non ſufficiet tamen ad illam recuperandam ceſſatio ab exercitio illicitarum artium, & ſordidi lucri, ſed opus erit nova Principis indulgentia, quæ tamen ei qui aliquando generis nobilitatem habuit, neceſſaria non videtur, quod hæc ſemel acquiſita in poſteros derivetur, ut ante dictum *per d. l.1. & 11. h.t & l.8. ff. de reg. jur.* ibi Bart. & Faber *d. loco definit.* 18. Garſia *De nobilit. gloſſa* 1. §.1. *num.* 58.

77 * In Belgio tamen edicto Principum petenda eſt nobilitatis reſtitutio, quam facile & merito obtinent, qui ob hæreſim exularunt, aut quos horrida bella depreſſerunt, vel ſqualidæ captivitates emacerarunt, vel qui artes mechanicas vitæ ſuſtentandæ cauſa exercere coacti fuerunt tales enim laudem & honorem potius quam damnum aut vituperium merentur, cum dulce & decorum ſit pro patria mori. Quæ prudenter conſiderantes noſtri Principes, ne nobiles viteſcerent plurimos tam externos, quam internos humaniſſime ſuſceperunt, & liberaliſſime ſuſtentarunt.

TITULUS II.

De Prætoribus & honore præturæ, & collatione, & gleba, & folli, & ſeptem ſolidorum functione ſublata.

1. *Magna Prætorum dignitas in Republica libera.*
2. *Qualis illorum ſtatus immutata Republica.*
3. *Ad præturam non evocantur viri Clariſſimi in provinciis degentes.*
4. *Ad Magiſtratum non ſunt aſſumendi exteri, ſed interni.*
5. *Quid in Belgio & aliis regnis hac in re obſervetur.*
6. *Aſſumptus ad munus Magiſtratus in aliqua civitate fit ibi civis.*
7. *An jus creandi cives ſpectet ad decuriones civitatis?*
8. *Onus Senatorum fuit glebalis functio & follis, quis ejus valor?*
9. *Sublatum hoc genus tributi, & immunes facti Senatores & alij provinciales.*
10. *Tributa quæ belli tempore fuerunt exacta, remittuntur tempore pacis.*

DE Prætoris officio ſupra *lib.1.* dixi, hic de illius dignitate & honore, fuit autem in libera Republica, magna Prætorum auctoritas, quippe quorum edicta pro jure certo recipiebantur, & illis ſex lictores cum tot faſcibus attribuebantur, & Conſulibus abſentibus, more majorum conſulare munus obibant. Unde & Collegæ Conſulum dicti ſunt. Gellius *lib.13. c.14.* Quin & majeſtatem, quæ in dignitate honorum conſiſtit, præferebant Prætores. *l.9. ff. de juriſdict.* propterea quod ob cauſam publicam eis liceret jus civile corrigere, adjuvare & ſupplere. *l.7 §1. ff. de juſt. & jure.* 1

* Sed hanc majeſtatem & poteſtatem poſteriores Principes perpetuo ſibi reſervarunt. *l.1. & ult. ſup. de legib.* Atque ita ſub iis mutata priſtina Reipublicæ forma, præſertim poſt imperij ſedem tranſlatam Conſtantinopolim, Prætorum dignitas, & poteſtas imminuta eſt, & pauciſſima ex juriſdictione & imperio priſco retinuerunt: Cœpitque eſſe onus Senatorum in edendis populo ſcenicis & circenſibus voluptatibus, & in fabricis oneribuſque publicis. *l.13. C. Th. de Præt. & Quæſt.* ut non fruſtra à Boëtio *lib.3. de conſolat.* ſcriptum ſit, *prætura magna olim poteſtas, nunc inane nomen & Senatorij cenſus gravis ſarcina.* 2

* Ubi vulgo male legitur Præfectura, ſicut & *in l.1. hoc tit.* in qua id conſtitutum ne Senatores viri Clariſſimi ex provinciis in quibus ſedem & habitationem conſtituerunt, ad præturæ dignitatem devocentur, ſed maneat unuſquiſque domi ſuæ tutus atque ſecurus, & ſua honoraria dignitate lætetur. Dico honoraria, nam dignitas 3

Digitized by Google

dignitas quæ adminiſtrationem habet, pleruinque
difficultates & amaritudinem parit.

4 Hinc videre eſt externos non eſſe aſſumendos ad
dignitatem prætoriam. *d.l.1.* Idem etiam *in l.2. ſup.
de off. prat.* quæ ejuſdem Imperatoris & ad eundem
ſcripta, conſtitutum, ut in ipſa urbe Prætores qui
proprium larem in ea habent, non ex provinciis
eligantur, quod & ſupra notatum *tit. De decurion. n.4.*
ut non niſi interni, aut incorporati ad munia muni-
cipiorum admittantur, propterea quod illi melius
cenſeantur ſcire mores & conſuetudines ſuæ pro-
vinciæ, ex qua ſunt oriundi & in qua diutius domi-
cilium habuerunt, quam extranei: Itemque majore
diligentia & fide Reipublicæ ſuæ ſoleant conſule-
re. Ut non obſtet *l. fin. C. De crim. ſacril.* ubi ſacrile-
gium appellatur, ſi quis in eadem provincia in qua
civis eſt, adminiſtrationem ſuſceperit, niſi indul-
5 gente Principe. * His concordant Belgica ſtatuta,
quæ ab officiis exteros arcent, & etiam Belgas, qui
tale jus domi in alios ſtatuunt. Zypæus *de judice l.1.
c.36.* & Maſtrillus *De Magiſtr. l.2. c.7.* docet in Italia
& Gallia exteros removeri à functionibus publi-
cis, eaſque ſolum indigenis conferri, non tamen
ſemper ex eadem provincia oriundis. In Hiſpania
verò in provincia ex qua quis originem ducit, mu-
nus Prætoris, aut fiſcale adminiſtrare prohibetur
ne aut gratioſus, aut calumnioſus apud ſuos eſſe vi-
deatur, quod probat & limitat Bobadilla *l.1. polit.
c.12. n.23. & ſeqq.* Speciali autem permiſſu Princi-
pis, poterit, qui idoneus eſt, in civitate ſua Magiſtra-
tum gerere, & dignitatem aliam perpetuam obti-
nere, juxta *titul. Cod. ut nulli patria ſua admin. ſine ſpe-
ciali permiſ.*

6 Quod ſi ex alia civitate oriundus, Magiſtratui al-
teriùs civitatis præficiatur, illius civis efficitur, &
præcipuis civitatis utitur. *l.35. ff. ad municip.* id eſt,
gaudet omnibus privilegiis, immunitatibus & præ-
rogativis cæterorum civium. Bartolus *in l.1. ff. ad
municipal.* Sic miles civis cenſetur illius loci in quo
ſtipendia meret, & clericus in quo habet ſacerdo-
tium, fruunturque iiſdem privilegijs, quibus illi qui
in civium numerum ſunt adſcripti, ut munera ſub-
eant. Amaya *tit. de incolis num.67.*

7 Sed habetne communitas jus creandi cives? puto
habere, cum id non ſit de reſervatis Principis, ſed
competit decurionibus curatoribuſve civitatum.
Nam tantum in gravioribus actibus Principis in-
terventus neceſſarius eſt, ratione tamen juriſdictio-
nis poterit providere ne aſſumantur in cives inido-
nei, vel repellantur idonei, & prætextu cujuſdam
juris, monopolia inſtituantur. Beſol. *de jure univerſ.
cap. ult. §.3.*

8 Cùm igitur aſſumpti ad Magiſtratum, Senatores,
Prætores, & alij Officiales, civium numero habe-
rentur, ideo eandem ſubibant deſcriptionem, &
pendebant moderatam illationem ſeu penſionem,
quam vocabant aurum glebale, vel follem ſenato-
rium, quemadmodum decuriones aureum corona-
rium, negotiatores argenteum munus. Cujacius in-
ter glebam ſenatoriam, & follem ſenatorum nihil
intereſſe putat. *Novell. 2. Majoriani de indulgent. reli-
quorum.* gleba enim quantitatem non deſignat, ſed
tantum nomen tributi, deductum ex terra ſeu ra-
tione poſſeſſionum. Follis erat quantitas ipſa pecu-
niæ, ſive aurei nummi. *l.2. & 3. C. Theod. quorum ap-
pell. non recip.* Singuli folles ſiliquæ duodecimam par-
tem efficiebant. Simachus *lib.4. epiſt.62.* Itaque Se-
natores quibus nulla poſſeſſio erat, duos folles in
ærarium inferebant. *l.2. C. Th. l.6. tit.1.* Quibus am-
plior era poſſeſſio, pro ea glebalem penſionem, ſeu
annuam auri præſtationem ſolvebant. Nam nec
ipſa domus Auguſta ab auri glebalis collatione
erat immunis. Quod ipſe Princeps ordinis ſenato-
rij cenſeretur. *l.8. ſupr. De dignitatib. d. tit 1. C. Theod.*
At vero quibus res & cenſus anguſtior erat, ſeptem
duntaxat ſolidos fiſco pendebant, nec non illi qui
in proximis erant ſenatui aggregati. *l.4. d. tit.1. Cod.
Theodoſiano. & l.12. C. Theod. De proxim. com. diſp.* * Ve- 9
rum cum hæc minus juſte à Senatoribus exigeren-
tur, Valentinianus & Martianus eos Prætores ele-
ctos id genus oneribus & oblationibus liberarunt,
l.2. h.t. eoque pertinet illud Caſſiodori *lib.4. epiſt.
36. Prudentiſſimi Principis eſt graviter imminutis relin-
quere tributariam functionem, ut redivivis ſtudiis ad
implenda ſolemnia recreentur, qui preſſi damnorum acer-
bitate defecerant. Nam ſi feſſo minime relevetur onus,
neceſſitate cernitur jacere proſtratus. Melius eſt enim præ-
ſentia damna contemnere, quam exiguo quaſtus perpetua
commoda non habere.* Cæterum non tantum Senato-
rum, ſed etiam privatorum omnium poſſeſſionibus
indicta fuit glebalis collatio. *l.86. C. Theod. De de-
curionib.* quæ interdum, ſi clade publica vexati fuiſ-
ſent, imminuebatur, tandem penitus ſublata ejus
exactio. *d.l.2. h.t.* & ſolum tributum jugerum &
prædiorum provincialibus indictum. *ſup. De an-
non. & tribut.* Imò ſi eorum aliquis iſto tributo ni-
mium ſe gravari exiſtimaret, poterat apud Præto-
rem queri, & appellare, *Novell. 128.* aut alias ſe ex-
cuſare, ſi cauſam juſtam haberet.

Hodie ſimiliter extraordinaria tributa, quæ belli 10
calamitas introduxit, remittuntur pacis tempore.
Hinc ſolent Reges noſtri promittere ſe remiſſuros
conceſſa à populo nova tributa, ubi neceſſitas ob
quam impoſita ſunt, fuerit ſublata. In Gallia idem
obſervari dicit Petr. Mathieu, extollens factum
Henrici IV. Regis, qui pace cum Hiſpaniæ Rege
firmata, ſubditis vectigalia extraordinaria remiſit,
& quæ ex antiquis reſtabant, expunxit. *lib. Hiſtor.
Henric. IV.*

TITU-

Digitized by Google

Doctor ad docendum evocatus ſit & acceptus, eum ſecundum gradus antiquitatem inter cæteros collegas locum obtinere, qui in æquali ſunt dignitate, nam ubi dignitas eſt inæqualis, is ſemper eſt prior qui majorem meruit, ut dicetur *infra tit.* 8.

6 * Ita & prior Conſul cedere debeat locum ſecundo, ſi patricius efficiatur, ſed ſi pòſt ille prior patritiatum conſequatur, locum ſuum recuperat. *d.l.*1. *h.t.in fin.* Sæpe enim patritiatus dignitas addebatur conſulari, ut ibi indicatur, *& Novell.Theod.de Honoratis,* ibi *Adjectio alterius, ſi conſularem ſuperat, quanto magis duplicata tanti ſuggeſtus inſula?*

7 Patricij accipiendi ſunt non eo ſenſu, quo illi qui à primis patribus deſcenderant, vel à Julio Cæſare, Auguſto & Claudio fuerunt adſciti. Tacit. *lib.*11. *annal.* Sed qui patritiatus dignitatem multo poſt à Conſtantino magno introductam adepti fuerant, quaſi Imperatoris patres, & in illius concilium aſſumpti; atque ideo patria poteſtate ſolvebantur patricij, *§. filiusf. inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv.* ibi *ſumma patritiatus dignitas filium à patria poteſtate liberat. Quis enim patiatur patrem poſſe filium poteſtatis ſuæ nexibus liberare; Imperatoriam autem celſitudinem non valere eum, quem ſibi patrem eligit, ab aliena eximere poteſtate?* Quæ verba uſurpat quoque Juſtinianus *in l. ult. h. t.* Idem antea *in l. ult. ſup. de decur.* conſtituerat patritiatus dignitatem liberare à curiali fortuna &
8 conditione, præmij & honoris cauſa. * Tantæ enim venerationi erat hæc dignitas, ut nemini ad eam adſpirare liceret, niſi prius aut Conſulatus honore potitus fuiſſet, aut Præfecturæ prætorio Illyrici, vel urbis adminiſtrationem, vel Magiſtri militum, vel Magiſtri officiorum in actu poſitus geſſiſſe noſceretur. *l.* 3. *h.t.* Unde plerique exiſtimant patritiatus honorem majorem eſſe conſulatu, quod dicat ibi Zeno, cæteris omnibus honoribus anteponi. Petr. Faber *lib.*2.*ſemeſtr.c.*2. & Gothofr. ſentiunt majorem quidem eſſe non gradu, ſed duratione, propterea quod conſulatus eſſet annuus, patritiatus vero perpetuus. Indiſtincte tamen Gratianus *in l. un. Cod. Th. h. t.* dicit conſulatum præponendum eſſe omnibus faſtigiis dignitatum. Poſſunt hæc ita conciliari, ut Conſul durante munere conſulari, omnibus dignitatibus præpoſitus fuerit, poſtquam autem eo defunctus eſſet & conſularis tantum titulum retineret, non mirum ſi vinceretur à Patritio, cujus dignitas durabat toto vitæ tempore, nec poterat eam conſequi, niſi conſulatus quoque dignitatem habuiſſet, & ut dictum, præfecturas alias actu geſſiſſet, quæ cauſa, cur præponeretur, non tamen quia conſule major. Loyſeau *des offices c.p. des ſimples dignites de Rome* 10. *n.* 2. 9. Amaya *ad l. fin. de decurionib. c. de Conſulib. n.* 60. Gutherius *de off. domus Aug. lib.*2.*cap.*19.

Verumtamen conſulatus tempore Zenonis ab 9
antiquo ſuo ſplendore defecit, & patritiatus ſub Juſtiniano, ex cujus Novella 62. licuit illuſtribus viris patritiatus codicillos accipere, quamvis nec Conſules eſſent, nec Præfectorij. Huc ſpectat quod dicit Tacitus *lib.*1. *annal.* remanſere *eadem Magiſtratuum vocabula*; ſed non eadem poteſtas, nam Cæſares ſenſim omnem ad ſe urbis & imperij potentiam traxere. Nomen inerat Conſulum, vis & poteſtas aberat, & pro utilitate Principum rerum omnium facies mutata fuit, atque turbatus honorum ordo; nam prior locus & jus ſuffragij tribuit dicta conſtitutio Præfecto urbi, quem ſequuntur Patritij & Conſules, Conſulares, Præfecti prætorio, Magiſtri militum, cæterique illuſtres. *l.* 3. *ſup. de offic. Præfect. urbi.* Sed quomodo id intelligendum, dicam *infra titul. ſeq.*

Patritiis iſtis aliquo modo comparari poſſunt, 10
quos hodie per excellentiam nominamus pares Franciæ, & grandes Hiſpaniæ, vel qui in ampliſſimum aurei velleris, Divi Michaëlis, Sancti Spiritus, aut in ſimilem aliquem ordinem à Regibus, ſummi honoris & quaſi fraternitatis cauſa, adſcripti ſunt, licet diſſentiat Loyſeau *d. loco n.* 30. qui dicit pares Franciæ à feudorũ uſu nomen accepiſſe.

Quid ſi hi proceres concurrant cum aliis ſenato- 11
ribus, quibus jus eſt ſedendi honoratiore loco, num illis ſint præferendi? videtur ita ſentiendum cum procerum dignitas, & titulus illuſtrior eos digniores reddat, & cæteris nobilibus præferat. Quia tamen ſenatoribus ex ſtatuto, aut privilegio jus quæſitum eſt præcedendi ſecundum ordinem & prærogativam ſuæ dignitatis, & temporis, quo eam obtinuerunt, ſentio dictos proceres, quantumvis titulo Illuſtriſſimi inſignitos, ſi in curiam veniant, aut in eam aſſumantur non eſſe præferendos, cum non ut titulati, ſed ut privati locum in curia obtineant, vel ſi ei ſint adſcripti, ut ſenatores vel decuriones ordinem & tempus acceptæ poſſeſſionis ſervare debeant. Itaque quamvis ſenatoria, aut decurionatus dignitas illuſtrior fiat, ab illuſtriore aſſumpta; non tamen inde ſequitur, ut potiore loco ſedeat, vel excludat antiquiorem decurionem qui ſibi jus prius comparavit, & privilegio quæſivit. Facit *l.* 7. *ſup. de poſtul.* ibi *quem meritum nobiliſſimum fecit, aut vetuſtas*, officij ſui gradum retinet, in eoque temporis prærogativam; ſervata tamen hac in re conſuetudo reſpicienda erit. *l.*11.*ff. de decurionib.* Maſtril. *de Mag. lib.*3.*c.*4.*n.*262.*& lib.*4.*c.*7. *num.* 20. *& ſeqq.* Salgado *de regia protect.* 2.*p.c.*9. Gamma *deciſ.*1.*n.*13.*& ſeqq.* Amaya *d.loco,n.*63. ubi plures DD. refert.

Etſi autem Conſulum auctoritas (ut jam tetigi- 12
mus) ſub Principibus imminuta fuerit, cæperintque Conſules ad ea quæ jus privatum ſpectant, ſeſe transferre, ut indicat *tit. ff. de off. Conſul,* tamen

Digitized by Google

non pauca remanſere in eis priſtini ſplendoris veſtigia, atque inter cætera ornamenta conſularia erant in primis toga prætexta, id eſt, purpurea circumtexta, ſive ſtola latis clavis diſtincta, calcei aurati, & cum ſecuribus faſces prælati, & ſella curulis à Principe data, aut permiſſa. Caſſiodorus *lib. 8. p. 9.* Præterea addebantur Conſulum nomina inſtrumentis, atque ab illorum Magiſtratu numerus annorum ſignabatur. *Nov.* 47. Bulenger. *de imperio Rom. lib. 1. c. 24.*

13 Proconſulibus quoque præferebantur faſces, & ſecures in provincia illis decreta, niſi in eam veniret Conſul, aut Proconſul eo abiret, ubi Conſul eſſet, ſive Romæ, ſive alio in loco. Nam ut refert Ulpianus, Proconſul portam Romæ ingreſſus deponebat imperium. *l. ult. ff. de off. Proconſul.* Nec illi tantum Magiſtratus, ſed & reliqui omnes ornamenta dignitatis ſubmittebant ingreſſuri ſenatum, aut comitia. Amplius fecit Pompejus Magnus referente Plinio *l. 7. c. 30.* qui devicto Mithridate, intraturus Poſſidonij domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & faſces lictorios januæ ſubmiſit, cui ſe Oriens, Occidenſque ſubmiſerat. Et hinc ille in bello uſus, ſupremo militiæ præfecto vexilla ſubmittendi, in ſignum debitæ reverentiæ. Similiter Archiepiſcopis Romam ingredientibus crux non præfertur. Oroſcius & alij *ad d. l. ult.*
14 citati à Bobadil. *lib. 3. polit. cap. 3. num.* 18. * Cæterum Conſul vel Prætor dum munere ſuo fungitur, dignitatis ſuæ inſignia negligere non debet in civitate quam regit, decet enim Magiſtratum ſive ſubjecti, ſive primatis domum ingrediatur, inſignibus ſuis uti, quæ Majeſtatem repræſentant, & addunt pondus auctoritati.

15 Sic & hodie Legati, & Proreges ſuorum Principum inſignibus utuntur, iiſdem honoribus afficiuntur. Hi enim abſente ſuo Principe perinde atque ſtellæ, abſente ſole, lucent, non præſente. Videat igitur Princeps ut lumen ſuum prævaleat, nec ullius inferioris nomen ſupra vel juxta ſuum attollatur, quod eſt formidoloſum, ut ait Tacitus *in Agric. & l. 4. annal. Ubi* enim *Princeps ab aliquo ſuorum artibus vincitur, ſtatim ſe illi incautum inteſtumque efficit.* Quod facile evitaverit, ſi honores ſibi proprios, in neminem conferat, & advigilaverit ne ullus eos & inſignia majeſtatis, ſe inſcio, uſurpet.

16 Porro ſignum majeſtatis erat, quod Conſules Romæ, veluti ſupremi Principes aurum in plebem ſpargerent, *l. 2. Cod. Theod. de ſpectacul.* teſſeras quoque orbiculatas & quadratas, quod deinde Martianus Imperator prohibuit, *l. 2. hoc tit.* conſtituens ut loco miſſilium, centum dumtaxat auri, libras ſub initium conſulatus ad refectionem aquæductuum præſtarent, ut paulo ante dixi *per l. 3. eod.* Nam quamvis multorum hominum paupertas profuſis largitionibus ſublevaretur; Conſulum tamen patrimonia exhauriebantur, nullo alio fructu, quam ut captarent plauſum & auram populi; quam inconſultam plauſorum inſaniam vocant Honor & Theod. *in l. 2. Cod. Theodoſ. de expenſ. Ludor.* * Sed hanc Martiani conſtitutionem 17
poſtea Juſtinianus temperavit, permiſitque conſulibus ſparſionem miſſilium, idque ſepties quotannis, ſed ita ut dumtaxat argentum ſpargerent, & in minutioribus nummis, auri & majorum nummorum ſparſione majeſtati Principis reſervata, & munificentia eorumdem conſulum, nec non conjugis matriſve eorum reſtricta ad certam ſummam, & ſeptenarium dierum numerum. *Novell. 105. cap. 2.* Quantitas iſta pecuniæ, quæ à fœminis conſularibus ſpargebatur, propter proceſſum, id eſt, propter acquiſitam dignitatem mariti, cujus radiis ipſa conjux illuſtratur, non referebatur inter donationes prohibitas inter virum & uxorem, ſed juſtum donativum habebatur. *l. un. n. 41. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

An hac permiſſione Juſtinianus ſatis conſulue- 18
rit ipſis conſulibus, aut populo, qui ſæpe admodum pericoloſe tumultuatur, diripiendo & apprehendendo miſſilia, dubitari poſſet? Nam & ipſe Imperator fatetur ſe vidiſſe magna hujus rei incommoda, nempe verbera & vulnera in direptione, & deinde inſanas commeſſationes eorum, qui aliquid nacti erant, *d. Novell. 105. cap. 2. §. videamus enim eos contendentes.* Ideoque conſideratione horum incommodorum, hæc miſſilium jactatio tollenda erat, tum etiam ob eam cauſam, quod bene meriti non poſſent ad hanc dignitatem adſpirare, utpote impares tantis ſumptibus. Recte Caſſiodorus *l. 2. epiſt. 28. & l. 6. epiſt. 13.* ſenſit honorem frequentius deferri otioſis, ſi divitiæ eliguntur, non merita. Quare Leo Imp. ut indigentiæ Conſulum conſuleret, & dignos iſto honore Reſpublica conſequeretur, penitus ſparſionem ſuſtulit. *Nov. 94.* Manſit tamen hic ille mos, ut qui in ſenatum cooptantur, munus aliquod vel donativum collegiis, vel curiæ dare, vel convivium exhibere teneantur.

Hodie quoque bini Conſules ex Patritiis, vel 19
honeſtioribus civibus eliguntur, vel à Principe deſignantur, annua cum poteſtate, & juriſdictione in ſuos cives, quorum privilegia tueri, & quæ ad politiam civitatis ſpectant, ſummo ſtudio tractare debent, & curare affluentium rerum copiam eſſe, ne quid civibus deſit, inſpicere pontes, muros, itinera publica, & reliqua opera civitatis & proſpicere ut quæ collapſa ſunt reſtaurentur, hæc & alia conſulibus commiſſa, qui licet ſint duo, alter tamen æque in ſolidum poteſt decernere, & validè urbis negotia adminiſtrare *arg. l. 1. ff. de off. conſul.* Guido Papæ *deciſ. 452.* vide quæ dixi *ſup. l. 1. tit. 56. n. 6.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS IV.

De Præfectis prætorio, ſive urbi, & Magiſtris militum, & de dignitatibus exæquandis.

1. *Dignitas præfecti prætorio & magiſtri militum prorſus ſumma.*
2. *Qui de ſenatoribus judicarent, & nunc de perſonis illuſtribus.*
3. *Plures creati Præfecti, illorum diviſa dignitas in civilem & militarē. Cur hæc commiſſa Magiſtro militum?*
4. *Quoad dignitatem, Præfecto prætorio par fuit Præfectus urbi & Magiſter militum.*
5. *Depoſita adminiſtratione ille præcedebat qui prior dignitatem acceperat.*
6. *In quo conſiſtat prælatio, & inter quos? Qui in adminiſtratione eſt, præfertur cæteris, etiamſi poſtremo ſit electus.*
7. *Præfecti urbis poteſtas, quomodo à Præfecto prætorio diſcreta, & qui hæc à Magiſtro militum, & quæ utriuſque poteſtas?*
8. *An requiratur ſit Magiſter equitum & peditum, ut ſit par dignitati Præfecto prætorio.*
9. *In aula Regis noſtri duo ſunt Præfecti ſeu Capitanei cuſtodum.*

1 PRæfecti prætorio & Magiſtri militum dignitas militaris & equeſtris fuit ab initio, *l. un. ff. de off. Præfect. præt.* Suetonius *in Tito c. 6.* & ſub Imperatoribus in tantum augeri meruit, ut armorum & legum juriſdictioniſque vis ſumma penes Præfectos prætorio tamquam imperij vicarios fuerit; vice enim ſacra judicabant, quin & cauſis ſenatorum adjudicandis adhibebantur, quibus & Alexander Severus ſenatoriam dignitatem addidit. Lampridius *in illius vita c. 3.* ne ut idem ait, non ſenator de Romano ſenatore judicaret.

2 Hanc in ſenatores Præfecti poteſtatem à Commodo manaſſe arbitratur Gutherius *de off. dom. Auguſtæ lib. 2. c. 3.* cum ante Hadriani principatum equites de ſenatore judicarent. Antoninus hoc ſenatoribus detulit, ut quoties de eorum capite eſſet judicandum, ſecreto pertractaret & de toto negotio cognoſceret. *l. 13. C. Th. de accuſat.* Hinc hodie Illuſtriores, & ordinis aurei velleris, non niſi Magiſtro ordinis ſubſunt, & ab eo judicantur in cauſis gravioribus.

3 Progreſſu temporis, poſt ſedem Imperij Conſtantinopolim tranſlatam, dignitas hæc Sceptro proxima & militaris, facta eſt civilis, & delegata togatis hominibus jure conſultis, qui legum ſunt cuſtodes & interpretes. Conſtantinus pro duobus ab Auguſto primum creatis, *Dion. lib. 55.* quatuor Præfectos inſtituit, duos in Oriente, Præfectum prætorio Orientis, alterum Illyrici; & duos in Occidente, Præfectum prætorio Italiæ, & Præfectum Galliarum; Juſtinianus quintum addidit Præfectum Africæ, atque iis ſuos tractus & provincias varias aſſignavit, quæ deſcribuntur à Pancirolo *in Notitia utriuſque imperij*, & Jacob Gutherio *lib. 2. de off. domus Aug. c. 6.* Item militibus, quibus antea ampliſſimus Præfectus imperabat, Magiſtros militum præpoſuit, *l. 1. ſup. de off. Mag. milit.* periculoſum enim exiſtimavit, tantam potentiam uni committere, eumque rei bellicæ & civili præficere, quæ munia etiam hodie diverſis committuntur, unus enim illis non ſufficit. Arnold. Clapmar. *lib. 2. de arcanis imp. c. 18. in fine.*

Præfecto prætorio & Magiſtro militum dignitate par fuit Præfectus urbi, nam quod hic *in l. 1.* priori loco ponatur, eſt quia univerſo ſenatui Præſidebat. *Novell. 62.* atque omnium primo ſententiæ dicendæ illi jus erat. Caſſiodorus *l. 6. c. 4.* Et hoc intra urbem, cujus præcipue curam eum habuiſſe docui *ſupra l. 1. tit. de off. præf. urbi.* Aſſidebat hic Præfectus Præfecto prætorio, & poſt Præfectū prætorio, Magiſter militum, qui tres Magiſtratus diſcreta & ſeparata officia quidem habebant, ſed tamen pares erant (ut dixi) gradu dignitatis. 4

Sic ut depoſita adminiſtratione qui prius ad eam fuiſſet promotus, ſeu codicillos dignitatis accepiſſet, præferretur, *d. l. 1. h. t.* Quæ lex quamvis tempus promotionis & adeptionis codicillorum reſpiciat, moribus tamen noſtris tempus poſſeſſionis, atque juramenti præſtiti magis attenditur. Idem conſtitutum de Magiſtro militum, ſeu expræfecto equitum peditumque, ut ſi eo munere functus fuiſſet, præponeretur in conſeſſu & dicenda ſententia ei, qui poſtea præfecturam meruit. *l. 2. h. t.* 5

Ex qua notant Interpretes quod etiam nunc adminiſtratione depoſita, remaneat aliquis ſplendor perfunctæ dignitatis, inter eos qui ſunt ejuſdem ordinis & dignitatis, ut videlicet ante provectis detur prior ſedendi locus, ac decernendi loquendique facultas, cum denuo aſſumuntur ad eundem vel alium Magiſtratum. Dico adminiſtratione depoſita, nam is qui adhuc actu adminiſtrat, cæteris ex præfectis antecellit, etiamſi poſtremo fuerit ad eandem dignitatem aſſumptus. *l. 2. §. ſed adminiſtrat. infr. tit. 8.* In qua conſtituti fuere regnante Severo, Papinianus & Ulpianus. 6

Dixi Præfectos iſtos pares fuiſſe quoad dignitatem, nam quoad poteſtatem erat diverſitas, amplior enim erat auctoritas Præfecti prætorio, quam Præfecti urbi, quia hujus Præfecti poteſtas urbe, & centeſimo ab illa lapide terminabatur, atque ab illius ſententia appellabatur. *l. 38. ff. De minorib. l. fin. Cod. De his qui per met. jud. non appell.* At Præfecto prætorio Imperatoris pugio, ut inſigne maximæ poteſtatis tradebatur, hocque vox Trajani teſtatur cum Suram Licinium ad hanc dignitatem 7

Digitized by Google

promoveret. Plin. *in Panegyrico.* Dion. *l.* 44. data & huic Præfecto non urbis, ſed orbis poteſtas, præ cæteris provinciarum Rectoribus, ad publicæ diſciplinæ emendationem, ſine ſpe provocationis ab his, quæ ille decerneret, vel reſtitutionis per alios, quam per ipſum contra ſententiam ſuam faciendæ. *l.* 1. *ff. De off. Præf. præt. l. un. ſup. De ſent. Præf. præt. l.* 11. *& l.* 16. *Cod. Theod. De appell.* Hujus Præfecti poteſtatem latius deſcribens Caſſiodorus, *l.* 6. *var. c.* 8. adjicit illi multa cum Principe eſſe communia; *exhibet enim ſine præſcriptione longinquos, magna quantitate mulctat errantes, fiſcum pro ſua deliberatione diſtribuit, evectiones ſimili poteſtate largitur, vacantia bona præſcribit, delicta provincialium judicum punit, verbo, ſententiam dicit, quidquid eſt quod non habeat commiſſum, cujus vel ipſe ſermo judicum pene eſt, ut non poſſit leges condere; cum ſine appellatione poſſit judicare? Poteſtate igitur dignitas nulla eſt æqualis, vice ſacra ubique judicat, nullus miles de foro ei præſcribit, excepto officiali Magiſtri militum, credo ut vel illis aliquid antiquitus cederet, qui videbantur pro Republica bella tractare.* Inferior tamen illius Præfecti dignitas fuit Conſulari, & Patriciatus honore. Sidonius *l.* 2. *epiſt.* 15. æqualis Magiſtro militum, cui ſoli inter milites cognoſcendi data eſt poteſtas, & imperium in Comitatenſes legiones, quæ Principis latus tuebantur. Dixi de hoc Magiſtro ſupra *l.* 8. *tit. de off. Magiſtr. milit.*

8 Quæritur, an ut hic æqualis ſit dignitate Præfecto prætorio, debeat eſſe Magiſter equitum & peditum? quod videtur velle textus, cum dicit *quisquis magiſterium equitum peditumque ſuſceperit, l.* 2. *h. t.* Contrarium cenſet Joan. de Platea & Rebuffus hìc, propterea quod Magiſter peditum æque pro Republica laboret ac Magiſter equitum. Illis tamen non aſſentior, cum non de labore hìc agatur, ſed de dignitate æquanda ſummo Præfecto, qui quûm poteſtate omnes antecelleret, neceſſarium erat ut Magiſter equitum ipſi æquaretur, eſſet & Magiſter peditum. Equites olim peditibus tam conjuncti erant, ut ſi quis Magiſtrum militum vocaret, & equitum & peditum intelligeret. Reſcripſerunt enim Impp. utroſque ordinis eſſe militaris. *l.* 1. *Cod. de off. Magiſtr. milit. & l.* 1. *&* 2. *infr. de apparit Magiſtr. milit.* Hunc magiſtrum refert apud nos Præfectus vel Capitaneus cuſtodum Principis. Eſtque nunc diſtinctum hoc munus, alius enim præeſt equitibus, alius peditibus.

9 * Item in aula Cæſaris, & Regis noſtri, duo ſunt Duces, alter equitum, qui Hiſpanicè *Capitan de los Archeros*, alter peditum, qui *Capitan de los Alabarderos* dicitur, uterque illuſtris, ſed qui equitibus præeſt, major eſt dignitate, quod ſtationem habeant ſui ad cubiculum Principis, & quocumque eat, proximiores ſequantur, ut olim prætoriani, cur etiam majora habent præmia, & habita ratione temporis, quo munere functi ſunt, arcibus præficiuntur, aut alia ipſis Reipublicæ munia à Principe conceduntur.

TITULUS V.

De Præpoſitis ſacri cubiculi, & de omnibus cubiculariis, & privilegiis eorum.

1. *Præpoſiti ſacri cubiculi magna dignitas; qualis hodie & quod adæquata ſit Præfectura urbicæ & prætoria.*
2. *Illuſtris facta ex æqueſtri. Cur nobiles & ignobiles non niſi gradatim ad honores ſint evehendi?*
3. *Præpoſiti non habebant juriſdictionem in cubicularios, tantum in Cappadocia in tamiacos.*
4. *Depoſita adminiſtratione, adſcribuntur Senatorio ordini, ſine præjudicio tamen eorum qui actu adminiſtrant.*
5. *Recenſentur primi & ſecundi ordinis cubicularij, cur eorum plures dicti eunuchi?*
6. *Servi à domino oblati ſacro cubiculo, fiunt hoc ipſo liberi, & teſtamenta eorum valent præterito domino.*
7. *Confirmatio alicujus actus in quo eſt neceſſaria licentia Principis, utrum valeat poſt mortem diſponentis?*
8. *Privilegia extenduntur ad fœminas cubicularias omnes. Cubicularij ſunt immunes à ſordidis muneribus.*

SEquitur de Præpoſito ſacri cubiculi, cui cura 1
thalami & cubiculi Principis erat commiſſa. Magna ſemper hujus præpoſiti dignitas, propterea quod liberior ei ad Principem pateret acceſſus, & in cubiculo proximo Principis obdormiret, ut hodie facit in Aula noſtri Regis, *El Sumiller de corps, y el Camerero major*, & in Gallia *le Grand Chambellant*, de quo Charondas *l.* 1. *pandect. c.* 24. cujus dignitas aucta ab Honorio & Theodoſio Principibus, & adæquata urbanæ Prætorianæ præfecturæ, atque etiam Magiſteriæ poteſtati, ita ut inter eos ſecundum ordinem promotionis ſit prælatio, & nulla poſt depoſitas adminiſtrationes diſtinctio, *l.* 1. *h. t.* Quod in Macrobij honorem promulgatum fuiſſe refert Pancirolli notitia *c.* 6. & Jac. Gutherius *l.* 3. *de off. Domus Auguſtæ, c.* 29. quod ille ſub Honorio Principe. * Primus Præpo- 2
ſitorum cubiculi inter Illuſtres annumeratus fuiſſet. Nam ſub prioribus Principibus ad dictas dignitates, ne quidem ex clariſſimis, ſed ex equitibus aſſumebantur, quod prudenter factum, ne quis magna nobilitate ſimul & poteſtate

Digitized by Google

teſtate fretus, anſam arriperet aliquid in Principem machinandi, vel ſe ipſum efferendi, veriſſimum enim quod dicit Tacitus *lib* 4. *annal. optimos quoſque mortalium altiſſima cupere.* Ideo Princeps ne nimium potentes nobiles attollat: Neque etiam ignobiles nulla virtute inſignes, ab aulæ ſuæ obſequiis, ad ſummos honores repente transferat, id enim ſine invidia, & magno animorum motu fieri non poteſt. Caveat Princeps ne ſibi accidat, quod Canſtantino, qui Euſebium Præpoſitum cubiculi ſui, quem Ammianus Marcellinus *lib.* 15. vocat thalami cuſtodem, ab ima ſorte ita extulit, ut tandem ipſi Imperatori pene imperaret, & uſque adeo per omnia intolerabilis, ut capitali pœnæ à Juliano addictus fuerit.

3 Præpoſiti ſacri cubiculi omnibus cubiculariis præerant atque hi duo fuerunt Auguſti & Auguſtæ *l. fin. h. t.* nullam tamen in eos juriſdictionem habebant, quia non alium præter Magiſtrum officiorum agnoſcebant judicem, *l. 5. h. t.* Sola ſub Præpoſiti cubiculi juriſdictione fuit diva domus per Cappadociam, ut omnes cauſæ hominum tamiacorum apud illum & Comitem domorum agebantur, atque in rebus tamiacis, Præpoſitus ſacri cubiculi ſuperior eſt Proconſule. *Novell.* 30. hic enim Spectabilis, ille vero Illuſtris.

4 Quin & depoſita adminiſtratione in Senatorium ordinem ſcribebatur, & ſi extra urbem proficiſceretur (agrorum inſpiciendorum, vel alterius rei cauſa) cingulo militari uti poterat, cum hoc ad implendum ejus deſiderium, & ad nullius læſionem reſpicere videatur, *l. fin. h. t.* Inde duo obſervanda, prius cum damno & læſione alterius non cenſeri datum privilegium viris emeritis, qui proinde etiamſi honorarij fiant Senatores, cedere tamen debent quoad emolumenta & honores iis qui actu adminiſtrant, ut *in l. 2. infr. ut dignit. ordo ſerv.* Larrea *alleg.* 105. *num.* 20. Alterum eſt, noluiſſe veteres dignitates eſſe perpetuas, ne diuturna functione & poteſtate, Illuſtres perſonæ inſoleſcerent, retinebant tamen privilegia perfunctæ dignitatis. Apud nos plerumque ſunt perpetuæ dignitates, & earum aliquæ hæreditariæ. In Gallia primus Hugo Capetus, ut ſibi animos Procerum ſuorum devinciret, quorum ope regnum Galliæ occuparat, dignitates has feciſſe perpetuas legitur. Officia tamen coronæ, aut aulæ Regiæ, nulla nunc ſunt hæreditaria, niſi de quibus expreſſe cautum in ordinationibus, quarum mentionem facit Loyſeau *des offices.* & Charondas *d. loco.*

5 Sub diſpoſitione Præpoſiti erant cubicularij omnes, tam primi quam ſecundi ordinis. Primi erant Primicerius Sacri cubiculi, Comes domorum, Comes caſtrenſis, Comes ſacræ veſtis. *l. 2. h. t.* deputatus aſſervandis veſtibus Cæſaris. Cui ſuberant *Miniſteriani ſacræ veſtis*, de quibus *infr. tit. De caſtr. & miniſt. l. 3.* Secundi ordinis Decuriones Palatij, Silentiarij, Magiſter larum, Cultores imaginum domus Auguſtæ, Dietarcha domus Auguſtæ, Scriba cubiculi, Chartularij, Tricliniarcha, & alij hujus generis. Ex conſuetudine Eunuchi dicti, quod caſtrati & ſpadones plures cubiculo Principis adhærerent, eorumque aliqui Præpoſiti caſtrati eſſent, ut Eutropius & Narſes: ſed verius eſt, Εὐνοῦχοι ab Εὐνὴ & ἔχω denominari, quod ſignificat, cuſtodire cubile. Jac. Gutherius *d. loco.* & Amaya *lib.* 3. *obſ. c.* 6. * Attamen omnes erant 6
liberæ conditionis, adeo ut ſi qui ſervi à privatis dominis oblati fuiſſent ſacro cubiculo, ſtatim per aſſociationem, conſequerentur libertatem, *l. 4. h. t.* quoniam proprium eſt majeſtatis principalis, ut non famulorum, id eſt, ſervorum ſicut privatæ conditionis homines, ſed liberorum honeſtis utantur obſequiis. Neque opus erat ad hanc libertatem conſequendam interventione ſcripturæ, aut confectione geſtorum, quia Principis præſentia omnem ſupplet ſolemnitatem, *l. 19. ſup. De teſtam.* Præterea in ſignum obtentæ libertatis, dabatur ſervis facultas condendi teſtamenta, erantque valida, etiam præterito domino, ita ac ſi ab ingenuis condita eſſent. Hinc fit ut nullum jus patronatus dominus haberet, ſed inteſtatorum bona, utpote ſine legitimis ſucceſſoribus, fiſcus vindicaret. Si vero invito domino ſervi irrepſiſſent in cubiculum Principis, eorum vindicatio quinquennij præſcriptione tollebatur, denegabaturque jus perſequendi bona, quaſi peculia eſſent libertorum. *l. 4. h. t.* * Inde notant Interpretes Angel. & Bartol. 7
Principem poſſe privilegium dare defunctæ perſonæ, ejus teſtamentum validum reddendo fictione juris, ac ſtatuendo liberum illum qui ſervus erat, & in confirmationem adducunt text. *in c. quia Joannes* 12. *q.* 5. ubi teſtamentum factum à quodam Archiepiſco citra facultatem Papæ, ipſe Romanus Pontifex poſt mortem ejuſdem Archiepiſcopi confirmavit. Hinc quoque inferunt poſſe Principem feudum aut majoratum inſtitutum poſt mortem inſtitutoris confirmare. Vaſquez *de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 26. num. 89. & ſeqq.* Diſſentit Molina *De Hiſpan. primog. lib. 2. cap. 7. per tot.* & recte, cum ne quidem cum clauſula ex certa ſcientia, quod Princeps ſciat jam mortuum eſſe inſtitutorem, valida ſit hujus majoratus confirmatio, quia res non eſt integra, mortuo inſtitutore, qui debuerat aſſenſum Principis petere, ita ut non teneat quod actum eſt per retrotractionem, accedente confirmatione Principis, in præjudicium deſcendentium, vel aliorum, quibus jus legitimæ in iſta bona erat delatum, aut quæſitum, cui juri Princeps per dictam clauſulam non cenſetur velle derogare, niſi cognita cauſa, ne præjudicium enorme filiis, vel aliis conſanguineis fiat, ut late probat

Digitized by Google

d.loco. Molina, & addit non adverſari *d.c.quia Joannes*, quia Pontifex profitetur ſe confirmare ea, quæ Archiepiſcopus in vita expetiverat, & teſtamento ſuo diſpoſuerat, ſic ut non tam videatur confirmare diſpoſitionem, quam promiſſionem viventi factam implere. Nec quicquam obſtat quod Leo Imperator libertatem ſervo cubiculario Principis datam conſervet, & teſtamentum morientis approbet, *in d.l.4.h.t.* quia non vertitur ibi præjudicium domini, qui ſervum obtulit ſacro cubiculo, ſed ipſius Principis, qui tamen ex benevolentia, vult ſervum cubicularium, non tantum vitæ tempore, ſed & poſt ejus mortem frui conditione & jure liberi hominis. Quod jus ſingulare non debet extendi ad caſus,quibus pręjudiciũ tertio alicui poſſet generari.

8 Præterea hoc privilegium quod Imperator dat ſuis cubiculariis, etiam ad cubicularias, quæ à dominis in ſacrum cubiculum datæ vel dandæ ſunt, extendi vult. *d.l.4.in fin.* Sic ſervitium quod decenter & honeſtè per fœminas exhiberi poteſt, illud obire poſſunt cubiculariæ Auguſtæ. Ipſi autem cubicularij & excubicularij,excepto Comite caſtrenſi, & domorum, poſt finitum officium, antequam primum cubicularij locum obtinerent, his fruebantur privilegiis, quod non ſubirent munera ſordida,nec paterentur durioris fortunæ incommoda, & illorum poſſeſſiones non præſtarent angarias, parangarias, vel etiam paraveredos, domus quoque eorum ubicumque ſitæ, ab omni hoſpitum cujuſcumque dignitatis inquietudine liberarentur.*l.2. h.t.* ubi provinciarum rectoribus eorumque apparitoribus denarum librarum auri mulcta imponitur,ſi hujuſmodi privilegia, vel etiam in parte violari permiſerint, aut tentaverint.

TITULUS VI.

De Quæſtoribus & magiſtris officiorum, & Comitibus ſacrarum largitionum, & rei privatæ.

1. *De dignitate Quæſtoris ſacri palatij, & poteſtate in recitandis epiſtolis Principis, reddendis reſponſis & ſubnotandis.*
2. *Quod munus fuerit Magiſtri officiorum, de quibus cognoſceret?*
3. *Refert hic magiſtratus illum quem vocant Galli*, le grand Maiſtre, *Hiſpani*, Mayordomo mayor.
4. *De juriſdictione & poteſtate Comitis ſacrarum largitionum.*
5. *Quæ cauſæ agitarentur apud Comitem rei privatæ, hic ita curabat ærarium Principis, ut impediret ejus largitiones.*
6. *Procurabat ut ærarium augeretur, ideo impediebat & revocabat largitiones à Principe factas.*
7. *Quibus muneribus liberarentur hi Magiſtratus.*
8. *Acclamatione excipiebantur. Laude magis ducuntur viri illuſtres quam ſpe alicujus præmij.*
9. *Laude dignus Princeps qui in libellum memoriæ tamen ſa,ad rempub.idoneorum nomina,ſociorum,& provinciarum opes,vires.claſſes refert.*

Sequuntur quatuor alij illuſtres Magiſtratus,qui apud Principem degunt, de quorum officiis ſupra *lib.* 1. dixi, & quam varia fuerint Quæſtorum genera. Hic de Quæſtore ſacri palatij & ejus dignitate, quæ à Conſtantino cæteriſque poſt eum Principibus aucta, & ubique litterarum gloria vocata, quod literatis & juriſconſultis tantum daretur. Unde Quæſtor *Juſtitiæ cuſtos,armarium & vox legum appellabatur.* Caſſiodor. *lib.1.var.12. & lib. 6. c.5.* & merito, eſt enim theſaurus famæ publicæ μέγας λογοθέτης legum præſidium, juris aſylum, morum inſtitutorumque ara, æqui bonique columen. Ille enim in Senatu epiſtolas Principis recitabat,leges dictabat, petitionibus ſubſcribebat vel illis reſponſa reddebat & ſubnotabat.*Novell.53. & 114.* Quin etiam dignitates & adminiſtrationes quædam ad ſollicitudinem ejus pertinebant, habebat Adjutores XXVI. ex ſacris ſcriniis, quorum opera ad deſcribenda reſcripta, leges & acta utebatur. *l.13. infr. de proxim.ſacror.ſcrin.* Hoc honore ornatus fuit Tribonianus. Poteſt huic Quæſtori hodie comparari regni Galliæ Cancellarius & Caſtellæ Præſes, per quem Rex legationes ad ſe miſſas audit, & reſpondet eiſdem,regia ſigilla conſervat, hiſque ſubnotat, mandata inſpicit, maleſcripta cancellat & bene ſcripta ſignat, aſſidet Regi in ſacro interiori conſiſtorio,præſidet autem in magno, & in alia conſiſtoria illi patet ingreſſus. Charondas *lib.1.pandect.c.pen.* Loyſeau *des offices lib.4.c.2.* Tholoſan. *lib.47.ſyntagm.cap.22.num.16.* 1

Alter Palatinus Magiſtratus, eſt Magiſter officiorum, qui ex delegatione Principis ſæpe cauſas cum Quæſtore judicabat,& jure Magiſtratus varia judicia exercebat, atque ejus juriſdictioni ſubjiciebantur omnes in ſcriniis militantes, quos Memoriales vocatos fuiſſe legimus; item Magiſteriani & Miniſteriani, Admiſſionales, Cancellarij, Caſtrenſiani, de quorum cauſis civilibus cognoſcebat,non criminalibus,aut tributariis. *l.4. C. Th. De caſtr. & Miniſter.* Fuerunt & ſub hoc Magiſtratu diverſæ ſcholæ, ſeu collegia militum, & miniſtrorum Principis, armatæ & togatæ militiæ, per Orientem & Occidentem, ut ſcribitur in notitia Imperij, & apud Tholoſanum *in ſyntagm.lib.43.c.31.* & Gutherium *de off. dom.Aug.lib.3.c.10.* * Ex parte refert hic Magiſtratus illum quem hodie vocamus ſupremum aulæ Oeconomum, Galli *le grand Maiſtre, qui a la ſurintendence ſur les officiers de la maiſon du Roy*, vocant Hiſpani *Mayordomo mayor*, ad quem palatij pertinet diſciplina, ipſe inſolentiam ſcholarum, mores proceloſos moderationis ſuæ terminis differenat. Ideò ſub ſe habet auſi-

cum

cum judicem, quem vocant Hiſpani *Alcade de corte*, qui de exceſſibus & cauſis miniſtrorum palatinorũ cognoſcat. Per hunc Magiſtrum Principi Senatores venientes offeruntur & inſtruuntur, per eum legatorum quamvis feſtinantium prænunciatur adventus, & iſti principaliter creditur, quod tum neceſſarium eſſe ſentitur. His etiam laboribus æſtimatis, poteſtatem magnam huic Magiſtro decrevit antiquitas, ut nemo judicum per provincias faſſes aſſumeret, niſi hoc ipſe fieri decreviſſet. Hæc & alia refert Caſſiodorus, *lib. 6.* & Pancirol. *in Notitia cap. 62.*

4 Tertius eſt Comes ſacrarum largitionum, cui theſaurorum Principis adminiſtratio erat commiſſa, quique curam gerebat publicæ pecuniæ in varios uſus erogandæ; Hujus comitis juriſdictio erat latiſſima de omnibus enim cognoſcebat quæ ad fiſcum ex publicis debitoribus pertinebant, & ſub illo bona debitorum fiſcalium diſtrahebantur. *l. 2. C. Th. De fide & jure haſtæ fiſc.* de ædificiis publicis decernebat, ne ſplendidæ urbes vetuſtate laberentur. *l. 11. C. de oper. publ.* Hic etiam de proſcriptorum bonis fiſco quæſitis, *l. 5. C. Th. de bonis proſcript.* Item de theſauris inventis, de vectigalibus, commerciis & paſcuis animalium cognoſcebat, ac vice ſacra judicabat, & jus gladij exercebat in eos, qui bona proſcriptorum occultaſſent. *l. 5. C. Th. de bon. proſcript. l. 6. 8. 9. & 12. ſup. De vect. l. 2. ſup. De commerc. l. 1. C. Th. De paſc.* Denique ad hunc Comitem provocatio devolvebatur, cum ſuper fiſcali debito dubitatio emerſiſſet, *l. 39. & 46. C. Th. de appell.* hunc Comitem Galli vocant, *le Threſorier de l'eſpargne*, diſtinctus ab eo qui eſt *Maiſtre de la chambre aux deniers*, & ab aulæ Theſaurario, à quo palatini omnes penſiones ſuas accipiunt.

5 Quartus eſt Comes rei privatæ, quem & ſacri ærarij vocat Cujac. *l. 9. ſup. De jure fiſci.* quod administraret privatam Principis ſubſtantiam, ex qua cenſebantur bona vacantia, caduca, commiſſa, tacita fideicommiſſa, vaga mancipia, theſauri inventi, & quidquid negotij erat, in quo aliquid commodi fiſcalis appareret. Apud hunc Comitem agebantur etiam cauſæ civiles actorum, procuratorum, conductorum, inquilinorum, & ſervorum
6 rei privatæ, *l. 6. ſup. ubi cauſæ fiſci.* * Item de illorum debitis, deque rebus fiſco venditis cognoſcebat, & retractabat bona vendita, vel donata à Principibus, eaque ſacro ærario aggregabat. *l. 8. ſup. De jure fiſci.* eò quòd ſæpe inconſideratè darentur, neque ſemper liberalitatis ſit quibuſvis poſtulatis ſubſcribere, ideo utebatur hâc formulâ, tanquam ex oraculo, *Nimis donatum eſt, nimis habuit, recuperetur.* Mornacius *ad tit. C. de off. Comit. ſacr. larg.*

Unde apparet quanta fuerit hujus Comitis poteſtas, quod potuerit beneficia Principis impedire, adimere, minuere, prævalente utiliore aliqua Reipublicæ cauſa. Quod in primis illi obſervandum, qui præeſt ærario, ne illud diminuatur, ſed potius augeatur, *Libenter*, inquit Caſſiodorus, *patiuntur Principes ſibi contradici pro æquitate ſervanda, conſervandaque cauſa publica. inform. quæſt.* videatur Car. le Bret. *l. 3. c. 9. de la ſouveraineté du Roy.*

Hi quatuor Magiſtratus immunes fuere à ſol- 7
vendo tyronum vel equorum pretio, quo provinciales onerabantur, vicenos & tricenos ſolidos pro equo ſolventes, *l. 1. C. Th. qui à præbyt. tyron.* Item angariis, aut præſtandorum veredorum, recipiendorumve hoſpitum onere non arctabantur. *l. 2. C. eod. tit.* Denique ab omnibus ſordidis præſtationibus & ſumptibus, ipſi & eorum uxores erant immunes. *l. 15. & 18. C. Th. De extraord. & ſord. muner. Grave enim majoribus viſum eſt, ut tolerantibus onera ſenatoriæ dignitatis, ſumptus immodicus adderetur.* Symmachus *Ep. 62. l. 5.* Retinebant autem depoſita adminiſtratione, privilegia dignitatis, nam fiebant Senatorij ordinis, ubique iis honor exhibebatur, acclamatione & ſalutatione excipiebantur, perindè ac ſi reipsâ adhuc adminiſtrarent, nam in memoriam rei benè geſtæ, non poterant ut incogniti præteriri. *l. un. h. t.* * Illuſtres enim 8
magis laude & acclamatione populi, quam aliquo utili præmio delectantur. Quin & omnes, ait Cicero *pro Archia*, trahuntur laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Et *l. 1. offic.* Vix invenitur, qui laboribus ſuſceptis periculiſque aditis, non rerum geſtarum ſuarum mercedem deſideret gloriam, & popularem acclamationem, quâ ſanè, ſi qui alij, digniſſimi ſunt, Theſaurarij & Quæſtores, qui ex fide ſacrum patrimonium, aut bona Reipublicæ adminiſtrarunt & auxerunt, pari imò majori laude Princeps, qui tales viros præfecerit. * Et qui notitiam eorum habet, qui 9
non ſolùm ad ærarij ſui, ſed & pacis & belli munia adminiſtranda ſunt apti, quemadmodum Auguſtus memoriæ causâ in libellum referebat nomina, dotes, obſequia eorum quos exiſtimabat reipublicæ idoneos, etiam majoris momenti negotia, quem ea eventum ſortita fuiſſent, quid actum in ijs benè, quid erratum, & plura talia uſu obſervata. Eo enim libello, referente Tacito *lib. 1. annal. continebantur opes publicæ, quantum civium, ſociorumque in arma, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, & neceſſitates, ac largitiones, quæ cuncta ſua manu perſcribebat.* Hæc Principi ſunt imitanda; Memoria experientiarum quaſi quoddam depoſitum eſt, ſed caducum & fragile, niſi à calamo juvetur, qui illas in charta perennare faciat.

TITUULS VII.

De Primicerio & Secundicerio, & Notariis.

1. *Primicerius honore & ordine primus, alias ſubricerium,*

cenſum, alius domeſticorum, & alius totius officij.

2. *Primicerius Notariorum, Secretarius ſtatus Principis eſt, numeros tractabat, & aliis notariis præerat.*
3. *Tribuni Notariorum. Quod fuerit eorum munus.*
4. *Erat Notariorum ordo, qui cenſus ſcribebant; quod onus nunquam injunctum fuit Notariis Principis.*
5. *Primicerij munus biennale, eo depoſito Magiſterij dignitatem conſequebantur.*
6. *Tribuni Notariorum etiam cum commeatu abſentes, uno gradu inferius demittebantur, & negligentes munus ſuum, ordine pellebantur.*
7. *Princeps poteſt concedere officia nondum vacantia. An conceſſum officium vacaturum per mortem, omnibus modis vacaturum conceſſum videatur.*
8. *Per abſentiam quinquennalem, aut negligentiam privatur quis officio. Et clericus ſuâ prabendâ.*
9. *Judices reſidere debent, & munus per ſe exequi.*

1 HActenus de illuſtribus Magiſtratibus; inter ſpectabiles numeratur Primicerius Notariorum, qui eſt velut primus, ſive in prima cera ſcriptus, quia veteres in ceratis tabulis ſcribebant, unde illæ loquendi formulæ, in prima & ſecunda cera, in ima cera, Suetonius *in Cæſare cap. 83 Noviſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororum nepotes*, &c. *& reliquos in ima cera.* Itaque Primicerius in aliquo officio aut ordine primum locum obtinebat, quem nos vocamus *le Doyen*, ut primicerius fabricenſium, inter fabricenſes primus erat. *l. 2. ſup. De fabricenſ.* Sic etiam vocatur primicerius domeſticorum, protectorum, equitum, *l. 2. & ult. infr. De domeſt. & protect.* primicerius totius officij, item multorum officiorum, quem primum alij ſequuntur, & dicuntur ſecundocerius & tertiocerius; Nam Conſtantinopoli qui uno anno fuerat tertiocerius, ſequenti fiebat ſecundocerius, & tertio, primicerius. *d. l. ult.*

2 Verùm in hoc titulo, tantùm agitur de Primicerio Notariorum, qui Principem locum obtinebat in præclaro Notariorum collegio, dicebatur Notarius Principis. Hiſpani, *Superintendente de las Secretarias del Rey, y Secretario de Eſtado, nomina ſumma curæ & meditamenti*, ut inquit Tacit. *lib. 15. ann.* Nam hujus Secretarij eſt, quod Princeps ſtatuit rectè diſponere, cum judicio ponderare, & prudentia obſervare circumſtantias, à quibus dependere ſolent arcana reipublicæ, per hunc etiam Princeps largitur honores, quemadmodum olim per Primicerium notariorum, qui ideo tractabat numeros & matriculam ſcholarum, Cujacius hic *in l. 2. & in parat. C. de off. Quæſt.* Principis notariis præpoſitus erat, illis imperabat, eos in ordinem redigebat, & officij admonebat, arcas & ſcrinia curiæ imperialis cuſtodiebat. Obſervat Gutherius *lib. 3. c. 9.* ſcrinia quatuor fuiſſe majoris laterculi ita diviſa, ut primum dignitates civiles, ſecundum militares, tertium mandata, & promotiones, quartum conſuetudines complecteretur.

Primicerium ſequebantur Tribuni & Notarij, 3
Pronotarij nunc dicti, qui aliis præerant notariis, ſecretariis, & chartulariis cubiculi Principis, qui emittebant ſymbola, ſive commonitoria, quorum mentio fit *in Novell. 8. 24. 26. & 27.* digniores, ut Tribuni notariorum, intra ſecreta conſiſtorij morabantur, ubi reſponſa componebant & efformabant, ac ſecretiora alia negotia peragebant, ex delegatione Principis, quibus rectè peractis, ſibi viam ſternebant ad illuſtres quandoque dignitates, ut refert Ammianus Marcell. *lib. 28.* Vocant hos Hiſpani *Secretarios de conſultas, de camera, de los conſejos, y chancellerias de ſu Mageſtad*, quorum officiis annexa eſt nobilitas & *honor, qui*, ut dicit Caſſiodorus, *tantùm dabatur egregiis, dum ad imperiale ſecretum tales conſtat eligi, in quibus reprehenſionis vitium inveniri nequeat.* Sed plura meo judicio in his requiruntur, nempe imprimis ut ingenio valeant rerum capaci, & linguæ Latinæ aliarumque ſint periti, atque in variis officiis extra regnum luculenta induſtriæ ſuæ ſpecimina præbuerint, tum demum ad arcana aulæ munia acceſſendi, & dictâ nobilitate & immunitate donandi. Decem iſtorum notariorum primi poſt primicerium, hanc immunitatem Conſtantinopoli habebant, ne hoſpites recipere tenerentur, *l. pen. infr. De metat.*

Erat alius inferior Notariorum ordo, qui bre- 4
ves cenſuum & debitorum in provinciis ſubſcribebant, quibus liqueret quæ penes Minuſcularios ſeu tenuis fortunæ homines debita haberentur. Apud hos notarios ſeu amanuenſes quiſque modum ſuæ poſſeſſionis profitebatur, præſente Magiſtro cenſus in urbe, in provinciis qui illius vicem ſupplebant, ut defenſores civitatum. *l. 31. ſup. De Epiſc. & cler. l. 4. ff. De cenſib.* Dico inferiores notarios circa cenſus fuiſſe occupatos, nam Notariis Principis, & ipſius conſiſtorij etiam abdicato officio nunquam cenſus aut peræquationes vel diſcuſſiones injungebantur, id eſt, liberabantur onere ſcribendi cenſum & prædia ſuſpiciendi, *l. 1. in fin. h. t.* nec ſuſtinebant munera ſordida, nec amittebant privilegia, & nomen notariorum, obſequentem aut majorem dignitatem, ſed utriuſque honoris titulum aſſumere poterant. *d. l. 1. Notitia Imp. Orient. c. 92.* ibi Pancirolus.

Sed hoc peculiare erat privilegium primicerij 5
notariorum quod ultra biennium in officio non cogeretur militare, eoque depoſito Magiſtri officiorum inſulas ſortiretur, hoc eſt, magiſteriam dignitatem vacantem, præponereturque omnibus vacantibus & honorariis, etiam antiquioribus magiſtris, *l. 2. h. t.* Inter Tribunos notariorum & ipſos

Digitized by Google

ſos notarios, ſervabatur temporis prioritas, ut præferretur qui priùs meruerat dignitatem, nec iſta prælatio honoris ullâ gratiâ vel ambitione auferri
6 poterat. * Si verò Tribuni ſuis negotiis occupati ſacrum palatium frequentare, & officium ſuum exercere neglexiſſent, & intra annale ſpatium non fuiſſent reverſi (quamvis cū commeatu abſfuiſſent) pro abſentia quidem unius anni, unius gradus militiæ, ſin duobus annis abſfuiſſent, duorum, ſin tribus, trium, ſi quatuor ſimiliter quatuor graduum ſubibant jacturam, quinquennio abſentes ab ordine removebantur, ſolo militiæ nomine retento, & privilegio antea immunitatis dato. *d.l.2.h.t.* erat autem certus numerus notariorum, & in caſum mortis, aut remotionis ab ordine, alius creabatur.
7 Hinc quæſitum an conceſſum officium per alicujus mortem, à Principe cenſeatur conceſſum, ſi vacaverit per remotionem vel privationem. Præmittendum hic, poſſe Principem ſupremum concedere feuda & officia perpetua, nondum vacantia, quia nullum fit per hoc præjudicium poſſidenti officium, aut habenti feudum, cùm demum poſt ejus mortem jus quæratur deſignato & effectum ſortiatur conceſſio. Jacob. à S. Georgio *De conceſſ. feudi. p. 1. q. 3. & DD.* citati à Maſtrillo *De Magiſtr. l. 1. c. 25. & ſeq.* ubi reſolvit præmiſſam quæſtionem, cenſeri Principem voluiſſe alterum ſubſtituere in officio, in omnem caſum, quamvis in litteris expreſſus ſit caſus mortis, quia hic caſus includit alios, quibus adminiſtratio finitur; Quemadmodum ſubſtitutio concepta in caſum mortis, complectitur omnes caſus quibus hæres à primo inſtitutionis gradu excludi poteſt. *l.4. ff. De vulgari.* Idem enim eſt removeri & privari officio, quod mori, inquit Gloſſa *in Clem. I. verò. mori. ut lite pend.* nam ideo Princeps mortis mentionem fecit, quod crediderit officium per mortem vacaturum, ut ſæpe contingere conſuevit. Caſtrenſ. *conſ. 287. vol. 2.* ita ut mens ipſius ſit, ut deſignatus quocunque alio modo officium vacans obtineat.
8 Quare, ſi poſſeſſor ob negligentiam munere ſuo privetur, idem erit ac ſi moriatur, quod *d.l.2.h.t.* vult, cum ait, eos qui per quinquennium continuum, munus ſuum obire ceſſaverint, exui matriculâ; Quemadmodum clericos, qui Eccleſiam ſuam vel præbendam deſerunt, eâ privari vult canon, ni ad præſtitutum tempus redierint. *tit. De cleric. non reſid.* ubi variis locis decretum, Eccleſias videlicet committendas eſſe illis, qui poſſint & velint reſidere, & eas per ſe adminiſtrare. Similiter Epiſcopos electos jure ſuo excidere, niſi intra breve ſpatium curent ſe confirmandos. Trident. *ſeſſ. 7. c. 9. & ſeſſ. 23.*
9 *c. 1.* * Statutum etiam ut judices reſideant intra provinciam & urbem ſibi decretam, adeo ut nullus poſſit Romam injuſſu Principis adire, nec fines ſuæ provinciæ excedere, niſi voti ſolvendi causâ, *l. 15. ff. De off. præſ.* Sic in Gallia & hìc, ut judices reſideant intra diſtrictum ſuum, & per ſe munus exerceant, ne id deſerant. Unde videre eſt civiles magiſtratus univerſam ſuam juriſdictionem alteri demandare non poſſe, quamvis id ob magna impedimenta poſſint Epiſcopi, quibus utique plenior poteſtas, utpotè à Chriſto data, quam ſecularibus magiſtratibus, ut docet Zypæus *l. 2. De Judice. c. 4. & ſuo tract. De juriſd. Eccleſ.*

TITULUS VIII.

Ut Dignitatum ordo ſervetur.

1. *Sub Imperatoribus dignitates majores confuſæ, & ſæpe commutatæ, & excogitati novi tituli dignitatum.*
2. *Diviſio dignitatum Illuſtrium.*
3. *Recenſetur altera diviſio vetuſtior in quatuor gradus Præfectorum, Proconſulum, Vicariorum, & Exconſularium inter Allectos.*
4. *Ordo inter pares dignitates, ut qui prior eſt tempore, præferatur.*
5. *Inter impares, dignitatis prerogativa ſervatur.*
6. *Præferuntur habentes adminiſtrationem illis, qui eâ functi ſunt, vel vacant, vel honorarij tantùm ſunt.*
7. *Inſignia imaginibus antiquis ſucceſſerunt.*
8. *Recenſentur tria genera officiatorum civilium, qui honorem habebant ſine exercitio muneris.*
9. *Alij dicebantur vacantes, alij honorarij, alij ſupernumerarij, qui & nunc ſunt.*
10. *Hodie vacantes dignitates & officia à Principe quatenus conferantur.*
11. *Qui honeſtiores ſunt & in altiore dignitate conſtituti, etiamnum eâ fungentes alios præcedunt.*
12. *Præcedit ſupremi Senatus Præſes, & Cancellarius omnes Senatores; hi inter ſe ſervant ordinem poſſeſſionis adeptæ.*
13. *Qui priùs conſulendi, aut rogandi, inferenda ſententia.*
14. *Princeps auditis aliorum conſiliis, cur ſuum celare debeat & ſtatuere quod ſibi videtur; aliorum conſilia ne reſpuat.*
15. *Inter Magnates quis nunc ordo obſervetur; Quid ſi recentior dignitas ſit amplior.*
16. *Rectè faciunt officiati & nobiles qui judicio experiuntur, & locum ſuum ac nobilitatem defendunt.*
17. *Quæ ſit ratio cur teneantur ſuam dignitatem defendere.*
18. *In hac materia præcedentiæ plurimùm valet conſuetudo.*
19. *Qui in dignitate conſtituti ſunt, ea ſe dignos præſtare debent, alioſque honorare, ut viciſſim honorentur: caveant detrahere.*
20. *Reges primores ſui regni honorant, caput cooperire jubent, cognatos vocant. Olim Impp. ſuos amicos vocabant.*

Digitized by Google

21. *Volunt ut à ſubditis honorentur & illuſtriſſimi vocentur.*

22. *Habent Magnates juriſdictionem; non poſſunt tamen avocare cauſam.*

1 SUb cura & notitia Primicerij notariorum, de quo ſuperiore tit. erat majus laterculum ſeu Codex dignitatum omnium, & adminiſtrationum, quibus ornabantur Illuſtres, Spectabiles, Clariſſimi & Perfectiſſimi. Confuſæ tandem fuerunt hæ dignitates, & pro temporum varietate commutatæ, & qui erant Clariſſimi, dicti ſunt Spectabiles, aliquando Illuſtres, nam hi tituli ex arbitrio Imperatorum pendebant. Sic Juſtinianus Spectabiles repoſuit inter Clariſſimos, & tales ſæpe Conſules, Prætores & Conſulares vocat, qui tamen ſupra Illuſtres erant, *Novell.* 24. 25. 26. Cujacius *ad l.* 1. *C. de dignit.* Excogitavit quoque nova nomina dignitatum: Excelſus illi eſt Præfectus prætorio Italiæ, Eminentiſſimus Præfectus prætorio per Illyricum & Africam, Glorioſiſſimus Præfectus urbi.
2 * Manſit tamen diſcretio dignitatum, inter majores, medias & minores; Major Illuſtres, Spectabiles & Clariſſimos complectitur; Media equites qui ſecundum locum poſt Clariſſimatus dignitatem dicuntur obtinere; Minor perfectiſſimatus & egregiatus ordinem continet. Atque hic ordo obſervatus fuit tempore Juſtiniani, ut indicat ejus *Novell.* 23.
3 *c.* 3. * Nam ſub aliis Principibus, præſertim ſub Valentiniano & Theodoſio videntur fuiſſe quatuor gradus dignitatum. Primus erat Præfectoriæ dignitatis, quæ ideo nominata eſt apex ſublimis, *in l.* 7. *C. Th. De honor Codicill.* hujus ordinis erant *Conſules, Patricij, Præfecti tam prætorio quàm urbi., Magiſtri militum, ſive equitum, ſive peditum, Præpoſiti ſacri cubiculi.* Secundus gradus Proconſularis, cujus erant, *Quæſtores, Magiſtri officiorum, Comes utriuſque Ærarij, Primicerius Notariorum, Comites Conſiſtoriani, Præpoſiti & Tribuni Scholarum habentes titulum Comitis, alias non, Comites rei militaris, & Principes agentium in rebus.* Tertius erat *Vicariatus dignitas, & hujus erant Comites provinciarum, Conſulares, Præſides, cæterique Rectores provinciarum, Comites vacantes, omnes denique Comites primi ordinis, proximi Scriniorum & Magiſtri depoſitionum.* Quarti ordinis erant *Exconſulares inter Allectos, qui etiam Clariſſimi dicebantur*, qui finito ſuo munere fiebant *Decuriones & Silentiarij, Domeſtici Protectores, Præpoſiti laborum, Militantes in ſacris ſcriniis.* Manſerunt in utroque imperio diu iſtæ dignitates, ſed turbatus earum ordo, adeò ut nec is qui fuit ſub poſteriore Valentiniano, cujus eſt *l.* 2. *hujus tit.* ſatis inde poſſit colligi, cum lex iſta ſit imperfecta.
4 * Saltem indicat ordinem ſervandum eſſe, atque hunc præſcribit inter pares habentes dignitates, ut qui prior eſt tempore, præferatur poſteriori, & potior ſit in publicis congreſſibus, quod jam antea à Theodoſio & Valentiniano fuerat ſtatutum *in l.* 1. *ſup. De Conſulib.* *Quis*, inquiunt Impp. *in uno eodemque genere dignitatis prior eſſe debeat, niſi qui prior meruit dignitatem? Sit igitur*, ajunt Gratianus, Valent. & Theodoſ. *in l.* 2. *ſup. De Præfect. prætor. ſedes prior ante provectis, locus conſpectior, decernendi loquendique facultas antiquior, cui eſt ſplendor adepti magiſtratus vetuſtior.*

Inter gradu impares, dignitatis prærogativam 5
ſervari præcipit *d. l.* 2. ita ut ſuperilluſtres ſemper in conceſſibus præferantur illuſtribus. Item qui in actu poſiti illuſtrem adminiſtrant dignitatem, iis qui ſunt illuſtri dignitate à Principe donati præferantur, quoniam illi honore donati ſunt cum cingulo, & ante geſtæ dignitatis titulum & annonas retinent, atque percipiunt; honorarij autem nullum cingulum geſtant, nec annonas accipiunt, ſed ſolo codicillorum principalium beneficio gaudent, de quibus paulò poſt. Denique vacantes præſentes in comitatu Principis, abſentibus honorariis & ſupernumerariis præferantur. *d. l.* 2. non tamen omnibus. * His autem qui ampliori dignitate præditi 6
ſunt, non præferuntur; veluti quæſtorius vacans non præfertur præfectorio honorario, Comes vacans non præfertur quæſtorio, vel ex magiſtro honorario. Adminiſtratores vero omnibus vacantibus & honorariis anteponuntur, quia retinent inſignia adminiſtrationis, & cingulum, ſine quo Principem adire non licet. Cujacius *ad d. l.* 2. & Jul. Maternus *in ſuo opere.*

Inſignia iſta majorum Magiſtratuum olim erant 7
mulierum imagines, quæ provincias ipſis ſubjectas indicabant, item Codices qui librum mandatorum repræſentabant, denique vultus Principum: atque hæc inſignia Magiſtratibus in publicum prodeuntibus præferebantur. *l.* 4. *ſup. De injur. l.* 28. §. *ad ſtatuas.* 7. *ff. De pœnis.* Hodie inſignia gentilitia imaginibus ſucceſſerunt, quæ & ipſa rerum præclarè geſtarum ſunt ſigna, in quibus proinde Galeæ, Aquilæ, Leones, Gladij, Caſtella, cernuntur, & in clypeis & tapetibus repræſentantur.

Porrò ex dictis videre eſt tria fuiſſe illuſtrium 8
dignitatum genera, abſque exercitio tamen; eorum videlicet qui vacantes, honorarij & ſupernumerarij dicuntur, non comprehenſis adminiſtratoribus, qui in actu poſiti peregerunt adminiſtrationes, quanquam nomen Adminiſtratoris ſe extendat ad omnes eos qui actu adminiſtrant, aut functi ſunt munere aliquo honorifico; & in remunerationem obtinuerunt codicillos alicujus dignitatis, quæ alio nomine inſignitur, quàm muneris quod obiverant, ut patet ex *d. l.* 2. *& l. ult. ſup. De primic. & ſecund.* * Et illi, ut dixi, præferuntur aliis 9
honorariis & vacantibus, qui à vacando dicti, propterea quod non ſolum Imperator illos ornaſſet ſimplici titulo alicujus muneris, ſed quibus etiā orna-

Digitized by Google

ornamenta & inſignia illius muneris re ipſa contuliſſet, ita ut nihil aliud reſtaret quàm exercitium, atque hi *vacantes* etiam *Adſcripti*, *Allecti & Interagentes* dicebantur. Et ideò fruebantur omnibus privilegiis officij, ut probat Cujacius, & de his loquitur Capitolinus *in vita Pertinacis*, *cum Commodus allectionibus innumeris Prætorios miſcuiſſet, Senatusconſultum Pertinax fecit, juſſitque eos, qui Præturas non geſſiſſent, ſed allectione accepiſſent, poſt eos eſſe, qui vere Prætores fuiſſent. Honorarij ſive imaginarij*, qui ſæpe nominantur codicillares, deſcribuntur ſupra *in d. l.2. & l.9. infr. De metatis*; & formulam codicillorum refert Caſſiodor. *l.6. var. c.10.* Quibus citra cingulum, dignitas ſolius honoris cauſa delata eſt, magis ſuffragio, quàm merito, *l.5. & 6. C.Th. De honor. Codicil.* vel ut dicit Auſonius,

—— *Muneris exortes, nomine participes.*

quod præter nomen & titulum, nulla privilegia, nec inſignia dignitatis haberent. Denique *Supernumerarij* erant extra ſtatutorum numerum, & munus aut militiam ordinariorum primùm vacaturam expectabant, interea utebantur titulo & nomine officij, non tamen fruebantur illius emolumentis, de quibus eſt *l.7. infr. De prox. ſacr. ſcrin.* Neque illorum hîc fit mentio *in l.2.* propterea quòd illa lex tantùm agat de Illuſtribus dignitatibus, & ſupernumerarij tantùm eſſent adſcripti in numerum militiæ ſimplicis, aut domeſticorum Cæſaris, aut eorum qui provincias regebant, quod videtur ſignificare voluiſſe Suetonius *in Claudio c.25.* dum ait, *instituit imaginariæ militiæ genus, quod vocatur ſuper numerum quo abſentes & titulo tenus fungerentur.*

10 Ita hodie ſolius Principis eſt munera & dignitates quibuſdam necdum vacantes dare, ſed eâ conditione, ne adminiſtratore vivente titulum uſurpent; alijs verò ut uſurpent, & in collegium admittantur, non tamen jus dicendæ ſententiæ habeant, aut emolumentis fruantur; quibuſdam ita dat, ut velit ſtatim acceptis codicillis & inſtallatione factâ, ſtipendium muneris accipere, non ejus emolumenta, quæ ſunt præmia fortuita laborum, quos ſubeunt ordinarij regentes, nec cenſetur Princeps ea illis velle diminuere, nec jus quæſitum eripere, ut probavi *ſup. l.11. tit. 17.* & latiùs Loyſeau *tract. des ordres. c.10. & aliis locis, des offices.*

11 Redeo ad noſtram *l.2.* quam dixi ſpectare ad illuſtres dignitates, & inter eas ſervandum eſſe ordinem, ne prærogativa honoris & officiorum præcedentiæ turbentur, eo pacto & hodie qui aliis digniores ſunt, honeſtiore loco ſtant, ſedent, progrediuntur, ac præcipuè in publico conceſſu. Sic Adminiſtratores qui in functione ſunt, vel eâ depoſitâ, apud Principem manent, magis merentur honorari, quàm vacantes, vel abſentes quibus mittuntur inſignia dignitatis; & magis qui in urbe regia funguntur dignitate, quàm qui eandem habent in provincia; ideo Magiſtratibus cæteris præferebatur olim Romæ Præfectus urbi. * Prout nunc 12 Præſes ſupremi Concilij, & Cancellarius reliquis Senatoribus, qui inter illuſtres & digniores honeſtiore loco etiam privatus ſedent. Inter ſenatores vero ſervatur tempus adeptæ poſſeſſionis, atque ab eo ſtructibus officij fruuntur. *l.6. §.1. ff. De decurion.*

Quin & ſententiam ferunt, audito priùs relato- 13 re, qui ſeniores ſunt & magis practici: in Senatu tamen Neapolitano, Siciliæ, Pedemontano, Luſitaniæ, poſtremò aſſumptus ſolet priùs ſententiam dicere, ideò fortè ne formidet declinare à ſententia ſeniorum. Tyraq. *in præf. De jure primog.* Ant. Gamma *deciſ. Luſit. 1. n. 13.* Chriſt. *tit. de dignit. deciſ. 106. n.9.* Cæterum in Concilio ſtatus & belli exiſtimo prudentiæ Principis eſſe relinquendum, quo velit ordine vota colligere, ita ut aliquando ætatis, aliquando dignitatis ordinem, nonnunquam nullum ſervet aut inverſum. Si arduum ſit negotium, quod ſubitam poſtulet expeditionem, conveniens eſt præmittere calidiora & ſubtiliora ingenia, quia repentè invenire aliquid poterunt, quod ab aliis poſtea accuratiùs expendi judicarique poſſit, nam ut ait Tacitus, *Scelera impetu, bona autem conſilia mora valeſcunt.*

Monendus Princeps ne ſententiam primus ferat, 14 *ne cæteris adſentiendi neceſſitas fiat.* Tacit. l. *3. annal.* Quin & auditis aliorum conſiliis, ſententiam ſuam ipſe celet, nec ullam rebus conſultis adjiciat reſolutionem, ſed inſciis omnibus, aut pauciſſimis conſciis, conſilium quod placuerit, ſine mora exequatur: Illud quandoque in arena capiendum eſt, & ſtatuendum ex tempore. Non enim habent mandata auctoritatem, ut par eſt, ſi conſtet Principem ea accipere, non dare: Statuere omnia abſque conſilio temeritas eſt; omnia exequi ex aliena ſententia, ignorans ſervitus. Penes eum qui imperat, arbitrium eſſe debet immutandi, adjiciendi, aut rejiciendi penitus id, quod conſiliarij conſulunt. Verùm quamvis omnino expediat, ut princeps in deliberando ſuam (ut dixi) celet ſententiam, in eo tamen non tantopere glorietur, ut exiſtimet ſe non indigere conſilio, aut illud prorſus reſpuat quod ei Miniſtri ſuggerunt: quoniam in graviſſima incideret incommoda; ut Tacito teſte, Pæto accidit, qui *ne alienæ ſententiæ indigens videretur, in diverſa ac deteriora tranſibat. l.15. annal.*

Porrò non tantùm inter conſiliarios & civiles 15 Magiſtratus, ſed etiam inter Magnates Ducis, Marchionis, aut Comitis titulo inſignitos, inter legatos & belli duces, qui intimi ſunt Conſiliarij & patriam defendunt, ſervandus eſt ordo; & tempus non ætatis, ſed obtentæ dignitatis. *l. 1. ſup. De præpoſ. ſacri cub. cùm manifeſtè decretum ſit eum eſſe potiorem, qui præceſſerit, & illum ſubſequi, quem recentius probaverit examen.* Niſi fortè recentior dignitas ſit

Digitized by Google

amplior, quia tunc non habitâ ratione antiquitatis, dignitas poſterior antecellet minorem, quæ primò creata. Tiraqu. *in præf. De jure primogen. n. 79.* Maſtrillus *deciſ. 130. n. 13. & De Magiſtr. l. 4. c. 14. n. 29.* Addit Bobadilla inter hos illuſtres eum præcedere debere, qui gaudet dignitate quæ magis Regi adhæret, ſive qui ad eum magis accedit, *l. 2. polit. c. 6. n. 15.* Item qui pluribus dignitatum titulis eſt ornatus, & poſſeſſionem adeptus præfertur. Periculoſum enim eſt veteris & amplioris dignitatis terminos confundere & invertere; cum Magnatibus quaſi ingenitum ſit circa honoris ſui prærogativam certiſſimè verſari, nec ullius rei jacturam graviùs quàm ejuſdem imminutionem ferre. Atque hinc inter illos lites de prærogativa ſeſſionis ſæpe fuere, & gladio diremptæ. Conſultius faciunt illuſtres officiati Regij & Conſiliarij, qui, ne juribus ſuis præjudicetur, judicio ea committunt, quo tutiùs gradum ſuæ dignitatis & nobilitatis prærogativam defendant, adverſus eos qui indebitum locum uſurpare, aut illos deturbare ex ſuis locis tentaverint.

16 Etenim dignitatem ſuam, ut ſuis ipſi vitiis obſcurare non debent, aut ſupra debitum gradum ſe efferre; ita nec pati, ut ab aliis imminuatur. Ideo Impp. *in l. 1. h. t.* ajunt eum, qui præripuerit honorem aut locum alteri debitum, ſacrilegij reum eſſe, propterea quòd hac in re leges & conſuetudines, tanquam divina præcepta neglexerit.

17 Cur autem adminiſtratores & digniores officiati ordinem ſuum jure defendere teneantur, rationem reddit Theodo. Imp. *in ſuo C. h. t. l. 1.* *Quia nihil tam injurioſum in conſervandis & cuſtodiendis gradibus dignitatum, quàm uſurpationis ambitio, perit enim omnis prærogativa meritorum, ſi abſque reſpectu, vel qualitate etiam provectionis emerita, cuſtodiendi honoris locus præſumitur potiùs, quàm tenetur, ut aut potioribus eripiatur id quod eſt debitum, aut inferioribus proſit, quod videtur indebitum.* Imò leges graviſſimè animadvertunt in eos qui ordinē Magiſtratus turbaverint. Vera enim ratio eſt, quòd ordo & gradus ſit quaſi pars quædam muneris, aut ſaltem unum ex præcipuis illius privilegiis, ut teſtantur litteræ quibus munera conferuntur, in quibus nunquam hæc clauſula omittitur, *cùm omnibus honoribus, prærogativis, juribus & præeminentiis,* quæ ad conceſſum munus ſpectant.

18 Plurimum tamen in hac quæſtione de præcedentia, facit conſuetudo & poſſeſſio decennij continua, niſi illa per vim fuerit introducta, tunc enim vitioſa eſſet, & nihil ſuffragaretur, ut etiam ſi manifeſtè contra jus & rationem introducta probaretur. Maſtrillus *l. 5. De Magiſtrat. c. 4. n. 30. & ſeqq.* ubi multos Doctores refert.

19 Poſtremò non ſatis eſt eos qui in dignitate conſtituti ſunt, locum ſuum tueri, ſed eo ſe dignos præſtent neceſſe eſt, quod fiet, ſi ingenio & virtute auctoritatem augeant. *l. 19. ff. De off. præſ.* Si gravitatem admixtam humanitate teneant, ſi præmeditatò loquantur, ſi mutuum comiter ſalutent, de nemine cujuſcumque ſit ordinis, detrahant. *Videte*, inquit D. Paulus, *ne dum invicem mordetis, ab invicem conſummamini, Galat. 5.* Quare & Anteceſſores verbis & factis colere debent, & illi viciſſim collegis debitum honorem exhibere, quò pertinet *canon 7. diſt. 95. Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe norint, non dominos, honorent clericos quaſi clericos, ut & ipſis à clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur.* Scitum eſt illud Oratoris Domitij, *Cur ego te*, inquit, *habeam ut Principem, cùm tu me non habeas ut Senatorem?* Ideo fortè Tiberius initio ſui Imperij, ut Princeps ſalutaretur, *Conſulibus aſſurrexit, & viâ deceſſit.* didicerat enim ab Auguſto Julij Cæſaris contrario exemplo inſtructo, qui apud Suetonium, *Præcipuam & inexpiabilem invidiam ſibi movit, quòd adeuntes ſe, cùm honorificentiſſimis decretis, univerſos Patres ſedens pro æde Veneris genetricis excepit.*

20 Reges quoque noſtri ſedentes ad colloquium admittunt, ſed honorem viciſſim exhibent legatis exterorum Principum, & ſuis Magnatibus, quos *grandes* Hiſpani, Galli *pares,* & patriæ primates vocant: quin & jubent caput tegere; nam quamvis Ducibus & quibuſdam aliis magnatibus Hiſpaniæ, unà cum dignitate ſua, facultas illa cooperto capite Regem alloquendi data ſit, non tamen id faciunt, niſi in publicis conceſſibus, in quibus etiam ſedendi facultas eſt. Solent quoque Reges ſuos magnates vocare cognatos & amicos, ſic Galli *notre bon Couſin*; Hiſpani, *nueſtro primo*; ut olim Alexander Severus, *amicum ſuum & parentem* vocabat Ulpianum. *l. 4. C. locati. & l. 17. De jure patr.* Theodoſius nominat in epiſtola Auſonium *ſuum parentem*; & M. Antoninus Voluſium Mecianum *amicum ſuum. l. 11. ff. de jure patronat.* & Juſtinianus titulum *fratris* Baſilico Præſidi Tharſenſi tribuit. *Novell. 121. Sic quoties blandiri volumus his qui eſſe amici videntur, nulla procedere adulatio ultra poteſt, quàm ut fratres vocemus,* inquit Quintilianus, *declam. 311.* Nam frater eſt ferè alter. Nec aliud eſt vinculum firmius. * 21 Item vult Rex noſter Duces & Magnates, propterea quòd habeant in ſuis dominiis juriſdictionem, nominari ab omnibus illuſtriſſimos, quod autem etiam excellentiſſimi vocentur, non pragmaticâ ſanctione, ſed uſu invaluit, quo titulo etiam nunc utuntur qui ſunt ordinis aurei velleris, Proreges, Legati extraordinarij ad Reges miſſi, ſupremi militiæ Præfecti, & alij quos ambitio, veteris conſuetudinis limites cogit tranſilire, de his diximus ſuprà *tit. 1. n. 13.* & Bobadilla *l. 2. c. 16.* * 22 Verùm quamvis Duces & Magnates habeant juriſdictionem in ſuis ditionibus, & ſuperiores ſint ordinariis judicibus, non ideo tamen poterunt cauſam apud judicem ordinarium ab ipſo populo electum cœptam, avocare: cùm de ea tantùm per appellationem poſſint

Digitized by Google

poſſint cognoſcere. *Novell. De defenſor. civit.* Avendanius *tract. De exequend. mand. regiis. c. 5.*

TITULUS IX.

De Magiſtris ſacrorum ſcriniorum.

1. *De Magiſtri memoriæ, epiſtolarum & libellorum officio.*
2. *Quibus hodie ſimiles ſint hi Magiſtri & eorum adjutores.*
3. *De magiſtri memoria dignitate & poteſtate.*
4. *Magiſtri ſcriniorum omni honore digni & immunes ab omnibus civilibus oneribus, etiam depoſitâ adminiſtratione.*
5. *Singulare in Scriniariis ut eorum privilegium extendatur ad proximos Scriniorum.*
6. *Non extenditur dignitas ad alios, ſed cum perſona expirat.*

1 HI Magiſtri plures erant, qui & Principes ſcriniorum dicuntur à Lampridio *in Alexandro.* Inter eos primi erant Magiſtri memoriæ, qui annotationes omnes dictabant, emittebant & precibus reſpondebant. *l. ult. ſ-p. De diverſ. reſcript.* omniaque imperij geſta ſervabant. Alij erant epiſtolarum Magiſtri, qui legationes civitatum, conſultationes, conventiones, & preces tractabant. Alij Magiſtri libellorum, qui acta cauſarum & litium, quarum Principis erat cognitio, dictabant, tractabant, & in ſcrinio ſive arca libellorum reponebant, quod apud J. C. eſt *libellos agere, & libellos agente Papiniano, in l. 12. De diſtract. pign.* Refert Lampridius Alexandrum certis horis ſubſcriptioni & lectioni libellorum ſemper dediſſe operam, *ita ut ab epiſtolis & libellis à memoria ſemper adſiſterent, nonnunquam etiam ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, relegentibus cuncta librariis, & iis qui ſcrinium gerebant.* Hoc munus geſſit Ulpianus, cujus conſiliis præcipuè Rempublicam adminiſtraſſe Alexandrum, & in ſummum Imperatorem evaſiſſe aſſerit Lampridius
2 *in vita Alexand. & Maximini.* * Habebant hi Magiſtri ſuos adjutores ex ſcriniis electos, qui omnes Quæſtorem Sacri palatij ſublevabant ab onere ſcribendi, dictandi & referendi, prout nunc Cancellarius habet ſub ſe adjutores, qui eum relevent à cura examinandi & referendi lites, Senatores referendarij & Magiſtri libellorum dicti, *Maitres des Requeſtes*, item Secretarios, qui acta & ſententias ſcribebant, ſervent, aliaſque litteras expediant. Hos Magiſtros ſcriniorũ Hiſpani utcumque comparant *à los adminiſtradores de los Conſejos y Chancillerias reales, à los Secretarios del Rey, y Chancilleres del ſello.* de quorum muneribus & officiis eſt lex Hiſpan. *tit. 15. l. 2. nova recopilat.* Garſia Toletanus *ad h. t.*
3 Magna autem erat iſtorum Magiſtrorum dignitas, ac præſertim Magiſtri memoriæ, qui Comes ordinis primi, & vicariæ poteſtati præferebatur, evehebaturq; ad illuſtres plerumque dignitates, *l. 1. C. Th. De Magiſtr. ſcrin.* Quomodo Valentiniano morbo confecto, cùm Valens Conſtantinopoli moraretur, factione Gallorum Ruſticus Julianus Magiſter memoriæ, auſus eſt ad imperium adſpirare; ſed fruſtra, nam mortis periculo liberatus Imperator, Gratianum filium Cæſarem renunciavit. Ammianus Marcellinus *l. 27.* * Omnes autem Magiſtri ſcriniorum 4
erant ſpectabiles conſultores & aſſeſſores quodammodo Principis, ideo omni honore digni, ut rectè dicat Caſſiodorus *l. 4. epiſt. 4. Jure ſiquidem de ſe benè arbitrabitur æſtimatum, qui regium meretur alloquium, quia dignitas eſt ſubjecti affatus utrumque dominantis.* Item immunes erant ab omni onere indictionis ſibi per aliquem judicem militarem vel civilem injungendæ, ita ut nec quidem præfectus prætorio poſſet eis gravamen publicum vel privatum injungere. Atque hoc beneficium etiam ad filios & proximos ſacrorum ſcriniorum & exproximos propagabatur. *l. un. h. t.* quæ quinquaginta librarum auri mulctam irrogabat iis qui hæc ſtatuta innovari permiſiſſent. * Undè conſtat privilegium unius 5
extendi ad poſteros, atque id eſſe ſingulare in ſcriniariis Principis, non in aliis; privile[illegible] enim perſonæ aut dignitatis alicujus causâ co[illegible] ad proximos non extenduntur. *l. 13. ſup. De [illegible] muner.* ſed cum perſona expirant. Adeò ut nec ad filios vel hæredes ſint tranſitoria, nec poſſit filius primogenitus titulo paternæ dignitatis uti, abſque nova Principis conceſſione, *c. 1. De feudo Marchiæ in uſib. feudor.* * Eſt enim dignitas cui officij adminiſtratio 6
adhæret juris publici, ita ut ſeparari nequeat, nec transferri in alios, cùm ad eam electa ſit induſtria perſonæ. Aliud dicendum ſi in privilegio conceſſa fuerit dignitas pro ſe & hæredibus, vel cum oppidis & caſtris, vel in perpetuum, ut dictũ ſupra *tit. 1. n. 28.*

TITULUS X.

De Comitibus Conſiſtorianis.

1. *Comites olim Principem ſequebantur, idque exemplis oſtenditur.*
2. *Comitatus Cæſaris dici cœptus tempore Adriani, quod Senatus eum comitaretur.*
3. *Dicuntur Comites Conſiſtoriani, Conſiliarij Principis, ei maximè neceſſarij.*
4. *Plures eſſe expedit, nec minor eſt Principis proinde poteſtas.*
5. *Cavendum Principi ne miniſtri imperent, ſint fidi, Prudentes, ſinceri, non adulatores, quibus nihil peſtilentius in Republica.*
6. *Conſiliariis intimis ſimiles ſunt Comites Conſiſtoriani, quorum triplex ordo.*
7. *Quibus privilegiis potirentur Comites iſti & tota eorum familia.*
8. *Privilegium patri conceſſum quandò tranſeat ad uxorem & liberos.*

Digitized by Google

1 COmitis nomen inde dictũ,quod quis causâ of-
ficij Principem comitaretur & ſequeretur. *l.*15.
§.16.*ff. De injuriis.* Legebat autem ipſe Princeps ſibi
Comites & aſſeclas; ſic Tiberius in Germaniam
iturus legit Comites, qui ſibi aſſiſterent in publicis
negotiis obeundis. Tacit. 1. *Annal.* quos tamẽ Otho
non omnium negotiorum voluit eſſe participes,
idem *l. hiſtor.* Nero quoque in Achaiam profectu-
rus Veſpaſianum nullis antea honoribus perfun-
ctum, Comitem habuit. Sueton. *in Veſpaſiano c.* 4.
Item Adrianus Julium Celſum, Salvium Julianum
& alios peritiſſimos Juriſconſultos habuit comi-
tes, eorumque conſiliis imperium adminiſtravit.
2 * Refert de eo Spartianus, Senatum quodammo-
do in aulam ſuam tranſtuliſſe, receptis Senatorum
optimatibus in amicorum cohortem, quæ ſuperio-
rum Imperatorum tempore conſtare ſolebat ex
equeſtri ordine, non Senatorio, & ita domeſticum
quendam Senatum penes ſe habere cœpit, qui, cùm
is continuis delectaretur peregrinationibus, Comi-
tatus Cæſaris dici cœptus eſt, & ipſi amici comi-
tes; Sace[illegible] mitatus ipſa aula Principis nunc dici-
tur. *l.*1.[illegible] *is qui per met. jud. non appell.*
3 Hinc [illegible] omites conſiſtoriani dicti, quod Aſ-
ſeſſor[illegible] Conſiliarij eſſent, & in conſiſtorio
Principi aſſiderent. Conſiſtorium enim eſt locus in
quo qui Principi ſunt à conſiliis, conſiſtunt, & ſa-
lutaria ei conſilia belli paciſque ſuggerunt. Præ-
ſentales olim dicebantur. *l.*13. *Cod. de re milit. & No-*
4 *vell.* 22. *in fin.* * Præter Patricios & Præfectos præ-
torio, quorum ſumma dignitas, Conſiſtorium in-
grediebantur, & conſilij intimi participes erant
Quæſtores, Magiſtri officiorum, Præpoſiti ſacri
cubiculi, Comites ſacrarum Largitionum, Comites
rerum privatarum, Illuſtres omnes, & Principibus
in conſilium ſtatus omnino neceſſarij, quippe tan-
ta molis quanta in Reipublicæ adminiſtratione
eſt, Principis unius mens nequam eſt capax. Jus
omnibus ex æquo dicendum, legatis reſponden-
dum, negotia publica privataque expedienda ſunt,
ut plane neceſſarium ſit viros plures peritos, ac fi-
dos in curarum laborumque partem vocare, quo
felicius negotia publica ad optatum exitum dedu-
cantur, & privatorum cauſæ citiùs decidantur.
Quòd ſi nihil difficilius quàm bene imperare, non
certe id unius hominis fuerit. Et quanquam prudens
aliquando, ſagax & perſpicax ſit Princeps, tamen
conſiliariorum ſuorum miniſterio & conſilio uta-
tur neceſſe eſt, quia plures rem meliùs expendunt
quàm unus, plures igitur audiet Princeps, ſi ſpera-
re & perdurare velit. Quòd affirmant ſacræ litteræ.
Ibi ſalus, ubi multa conſilia. Non exercitus, inquit Salu-
ſtius, *neque theſauri, præſidia regni ſunt, ſed amici.* Nec
exiſtimet ſuam auctoritatem minui, quòd plures
ſint Conciliarij, nam illi ejus nomine agunt om-
nia, & quæ egerunt, Principis auctoritate decer-
nuntur, ideo formula de more inſeri ſolet litteris
& mandatis, *per Regem, aut Principem in ſuo conſilio.*
Quare tantùm abeſt, ut minuatur Principis aucto-
ritas, ut etiam majorem ſibi concilier apud ſubdi-
tos, quòd ea juſta eſſe credant, quæ in conſiſtorio
ex prudentum virorum conſilio ſunt ordinata.
Cavendum tamẽ Principi, ne conſilij nomine ar- 5
bitrium rerum ad ſe aliqui trahant, quo errore ſæpe
regna adminiſtros delapſa ſunt, imò collapſa, quòd
uni aulico familiari rerum ſummam fiderit, & nihil
niſi ex illius præſcripto egerit, licèt ſæpe præter
adulandi & nocendi artem nihil ſciat. Expedit igi-
tur non unum Comitem, ſed plures eſſe ſpectatæ fi-
dei, prudentiæ & induſtriæ, qui à ſecretis conſiliis
ſint, & majora regni negotia tractent penes Prin-
cipem, qui non tantùm ſint Comites, & amici, ſed
& ſtatus præſentis, ut monet Ariſt. 3. *polit. c. ult.* ut
quæ occurrunt, quamvis luctuoſa declarent, reme-
dia ſuggerant, & etiam non rogati ea referant, ſe-
poſito affectu & adulatione, qua nihil iniquius, ni-
hilque facilius, quòd mentem Principis corrumpat
& pervertat. Ne ſi taceant quę ſciunt & intelligunt,
numero adulatorum adſcribantur. Uterque enim
& qui veritatem celat, & qui mendacium dicit,
reus, monente D. Auguſt. Tales Conſiliarij, Ami-
ci & Comites Principis non ſunt, ſed veri hoſtes.
Iſtis Conſiliariis intimis ſimiles erant Conſiſto- 6
riani, qui non codicillis, ſed ex Principis inſtituto
comitativam primi ordinis adipiſcebantur, erant-
que ſpectabiles, & Proconſulibus æquabantur. *l.* 1.
h. t. Sed noſtri ſecretioris conſilij Senatores ſunt
illuſtres. Penua *in l.* 2. *h. t.* quorum aliqui, benefi-
cio Principis, Conſilium ſtatus ingrediuntur, &
ſuffragium dant. Comitum verò primi ordinis
alij in conſiſtorio negotia varia tractabant, alij
deliberabant, aliis intra conſiſtorium arcana tan-
tùm imperij committebantur, atque hi primi or-
dinis *in contubernium Imperatoriæ Majeſtatis ad-
ſciti erant,* & jus ſedendi habebant, non cæteri; de
quibus intelligendus locus ille Divi Ambroſij à
Cujacio relatus, *Ubi ſedit in Conſiſtorio, ingreſſus
ſum, aſſurrexit ut oſculum daret, ego inter Conſiſto-
rianos ſteti. Epiſt.* 27. Quòd & ex Spartiano, & Vo-
piſco probat Jac. Gutherius *lib.* 1. *De off. dom. Au-
guſt. cap.* 17.
Cum igitur Majeſtati Principis aſſidere mere- 7
rentur, non mirum ſi maximis privilegiis decorati
fuerint, ut ubi adſcripti ſcilicet in Senatum, non
tenerentur pendere ſenatoriam collationem, nul-
la curialium conventione vexarentur, eſſent ab
omni functione, omnibuſque muneribus immunes.
Item in excipiendis ſuſcipiendiſque actionibus,
tam ipſi quàm conjuges, liberi, coloni, & ſervi, iiſ-
dem privilegiis uterentur, quæ conceſſa erant
Principibus ſcholarum agentium in rebus. *l.* 2. *h. t.*
ubi quod dicitur de ſervis, referri debet ad cauſas,
in

in quibus judicio intereſſe poterant, videlicet ad criminales, & interdum ad civiles, ſi conveniretur eorum dominus, ſi de momentanea, poſſeſſione ageretur, ſi per vim aut alio modo. Rebuff. & Cujac. *ad d.l.2.*

8 Hic triplex notanda diſtinctio circa privilegium marito datum. Aut enim illud ei competit, quòd genere & ſtirpe ſuá nobilis ſit, aut quòd ratione dignitatis ei acceſſerit, & extenditur ad uxorem & liberos, nam hæc dignitas cùm cognata & unita ſit nobilitati, efficitur tranſmiſſibilis, ſimiliter & privilegium quod ei adhæret, ad uxorem & poſteros tranſit. *l. 8. ff. De Senator. l. 13. ſup. De dignit.* ubi uxor nobilitatur per maritum, & privilegium fori etiam eo mortuo ſortitur, & domicilium retinet. At verò ſi prilegium competebat marito ratione muneris, cui annexa erat dignitas, eo quidem uxor & filij utentur vivente patre, non autem eo mortuo, niſi ſpeciatim Princeps id expreſſerit in privilegio, aut lex velit ad trinepotem uſque extendi. *l. 22. §. 3. ff. ad municipal.* aut privilegium familiæ perpetuum eſſe, ut habet *d.l.2. h.t.* Si denique privilegium competit marito tantùm ratione officij; cui non eſt annexa dignitas, illo vivo ad uxorem vel liberos non extenditur. *l. 5 §. 4. ff. De jure immun.* Barboſa *ad l. quia tale n. 26. ff. ſol. mat.*

TITULUS XI.

De Comitibus & Tribunis ſcholarum.

1. *Quid ſcholæ, & qui eis præſunt.*
2. *Conſtantinus plures honorum gradus fecit, vix ulli honoris titulum denegavit.*
3. *Imperium diviſit, & Senatum, conſules, unum Romæ, alterum Conſtantinopoli deſignari voluit.*
4. *Improbatur omnis imperij diviſio. Conjungendæ potius provinciæ ſunt fœderibus in mutuam defenſionem.*
5. *Honorum tituli quibus deferendi ſint.*
6. *Ad majora officia & Magiſtratus evehendi ſunt nobiles, ad minora plebei, divites ſæpius præferendi.*
7. *Cur præferendi ſint in officiis nobiles.*
8. *Quinam ex illis curam habeant epularum Principis.*
9. *Fugienda epularum libido Principi ipſi, & ſubjectis exitioſa.*
10. *Amplectenda temperantia lex, & menſura in cibo & potu.*
11. *Quis Comes Sacri ſtabuli, quod ejus munus fuerit, & nunc penes quem id ſit.*
12. *Comes ſtabuli non habuit curam palatij, ſed alius erat Comes. Quis nunc talis ſit in aula.*
13. *His Comitibus & Tribunis honor comitativæ defertur, & peracta adminiſtratione Comitibus Ægypti; & Ponticæ adæquantur.*
14. *Qui habuerunt dignitatem ſine adminiſtratione, ubi functi militia fuerant, retinebant titulum dignitatis.*
15. *Cur virtutis templum honori junctum.*

SCholæ ſunt collegia quædam militum, vel mi- 1
niſtrorum Principis, & qui illi adſcripti erant
ſcholares, eorumque præpoſiti Comites, Tribuni ac
Primicerij ſcholarum dicti. *l. 1. infr. De privil. ſchol.*
l. 3. ſup. De off. mag. offic. * Ac plerumque ornati co- 2
mitativa primi ordinis, qui titulus honorarius in-
ventus fuit à Conſtantino Imperatore, dum ſingu-
los quoſque honoribus cumulare cupiebat; nam
vix ulli poſtulanti honoris titulum denegavit, *nec*
cujuſquam ſpes aliquod ab eo beneficium expectantis
fruſtrata eſt. inquit Ammianus Marcel. *c. 25.* Mul-
tos auctoritate, multos Senatoriis officiis, multos
Conſulari dignitate ornavit, Duces plures ab eo
conſtituti ſunt, Comites quoque alios primi ordi-
nis, alios ſecundi, alios tertij conſtituit, atque iſta
ratione alij prope infiniti ſummos honores con-
ſecuti ſunt. * Itaque hic Imperator, ut plures ho- 3
noribus afficeret, diverſos honorum gradus exco-
gitavit. Imò ipſum imperium in varias provincia-
rum diœceſes diſtribuit, novam urbem Conſtanti-
nopolim Romæ æmulam condidit, quæ Orientis
Imperij caput eſſet, Romano veteri occidente, cui
Occidentis Imperij nomen ſiniſtro quodam fato
indidit; uni enim corpori duo capita effinxit, duos
Imperatores procuravit, quorum alter in Orien-
te, alter in Occidente rerum potiretur. Senatum &
ipſe diviſit, & Conſules, unum Romæ, alterum
Conſtantinopoli voluit deſignari, eamque viam
omnino ſecutus eſt, quæ ad evertendum imperium
proclivior patere videretur.

Et tamen non deſunt ex ſcriptoribus qui omnia 4
Conſtantini facta probent. Euſebius *l. 4 c. 1. in vi-*
ta Conſtant. Baldum. *De legib. Conſtant.* Non vide-
tur tamen probanda omnis Imperij diviſio, quia
ad manifeſtam illius ruinam vergit. Quare ſapien-
ter hodie plures gentes, principatus etiam lata
lege dividi non permittunt; ut Galli lege Salicâ,
Hiſpani quibus plura regna & ditiones divinâ pro-
videntiâ obtigerunt, lege regni fundamentali
cavent, ne diſtrahantur aut ſeparentur, utque om-
nium regnorum certus & unicus ſemper ſit hæ-
res. Quin & optimo conſilio id agunt, ut provin-
ciæ omnes quantumvis diſſitæ, in mutuam defen-
ſionem fœderentur, ita ut ſi hoſtis unam impe-
tat, altera exiſtimet ſe id pati, & ad eum propul-
ſandum viros vireſque ſuppeditet, & belli nervum
pecuniam.

Præterea non probo tot honorum ordines, tot 5
munia bellica & palatina quæ Conſtantinus exco-
gitavit, quod & fecit Auguſtus, ut plures Reipubli-
cæ partem caperent, & ſibi haberet obnoxios: nam
enervatur Reſpublica, ſi ſtipendia gerentibus ho-
nores danda ſint: & ſi non dentur, familiæ ſenſim
minuuntur, cum pro honorum titulus ſumptus ſint
faciendi, ita ut majores illi tituli Comitum, Mar-
chionum, Ducum conferendi non ſint niſi nobi-
liſſimis.

Digitized by Google

liſſimis & opulentiſſimis familiis, quæ iſtis honoribus pares ſint.

6 Servabit itaque modum Princeps, ut nempe neceſſarios & utiles, tantùm retineat ac dotet, ut fecit Alexander Severus, qui minus neceſſarios aulâ ſuâ expulit, ne, ut eſt apud Lampridium, annona populum gravaret; ne plures novis titulis aut officiis attollat nobiles, nec eos jacere aut egere patiatur, iis autem potiùs, quia fideliores & ad obſequia promptiores, palatina officia, pro cujuſque dignitate, conferet, in quibus plurimum momenti habet familiæ ſplendor atq; auctoritas: non tamen removeat eos qui virtute ſunt illuſtres, neque verò nobi-
7 litas deeſt, ubi virtus eſt. * Prima igitur officia nobiles occupent, minora inferioris ordinis viris tribuantur, ſæpius verò præferantur viri divites, qui rerum experientiâ ſunt inſtructi, & decentiùs in aula ſe gerere poſſunt. Sic Ariſtotel. *l.2. Pol. c.9.* rationem dat, quòd quaſi impoſſibile ſit, qui egenus exiſtat, eum bene magiſtratum gerere, aut quietem optare. Ideo *l.5.pol.c.8.* ad continendam omnium inter ſe ordinum concordiam, ſtatuit magiſtratus, non uni, ſed omnibus communicandos eſſe, cum ea moderatione, ut viris bonis, divitibus & Nobilibus majores, reliquæ multitudini inferiores deferantur, quæ ſi omnium honorum eſſet expers, fieri non poſſet, ut erga Reipublicæ ſtatum bene afficeretur. Odium enim plebs facile concipit, & publicam tranquillitatem turbat, cùm nihil accipit. Illud tamen expedit, ut aulicis officiis præponantur Nobiles, ex ratione dicta, ne vituperetur Princeps, ut olim Maximinus Imperator, quod nobiles circa ſe, aut in aula ſua nunquam fuerit paſſus, & Vitellius qui magnam imperij partem conſilio hiſtrionum & viliſſimorum hominum adminiſtravit, teſte Suetonio, *c.12.* Prudentiores illi Cæſares qui aulas ſuas ex nobilibus & honeſtioribus civibus compoſuerunt, & iis officia palatina à ſe inventa dederunt, quorũ pleraq; ſed diverſis nominibus etiamnũ ſunt in aulis Auſtriacis, ex domus Burgundicæ inſtituto.

8 In Conſtantinopolitana verò aula, inter alia officia erant Comites & Tribuni, quorum fit mentio *in l. un. h. t.* Imperatoris epulis inquirendis adhibiti, non, ut ibi legitur, *inquietudinis*, quamvis ſatis inquieta & moleſta fuerit iſta epularum conquiſitio & ordinatio, & ſub ſe plures haberent ſcholares, ſive miniſtros, promptumque ſemper Tabularium dominicum, id eſt, eum qui rationes ſumptuum quotidianorum, in epulas Principis & aulicos factas conſcriberet. Pancirol. *in Notit. c.91.* dicit ab Honorio Cæſare hunc Comitem Caſtrenſem, & patrimonij appellatum fuiſſe. Caſſiodorus de hoc Comite *l.6. var. Et ſi*, inquit, *epulas noſtras ſolus ordinatione diſponas, non ſolum noſtro palatio clarus ſed & gentibus neceſſe eſt tradaris eximius.*

9 Tantus erat apparatus & luxus, ut univerſa Principis familia, ex cibis qui ejus menſæ ſuperfuerant, nutriri potuerit. Prudentius Auguſtus, qui non niſi terna aut ſummum ſena fercula exhibebat. Tranquill. *in Auguſto c.74. Cœnam*, inquit, *ternis ferculis, aut cùm abundantiſſimè, ſenis præbebat, ut non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate.* Monet Tacitus Principem, ut fugiat epularum fœdam & inexplebilem libidinem, *2. hiſt.* & amplectatur temperantiæ virtutem, quæ maximè neceſſaria eſt ad tuendam conſervandamque dominationem. Miſera judicatur terra, cujus Principes mane comedunt, beata verò illa, cujus Principes in tempore veſcuntur, ad reficiendum, non ad luxuriam, ut videre eſt
Eccleſiaſt. *c.10.* * Ægyptiorum Reges, ut ſcribit 10
Diodorus *l.1.c.6.* cibo utebantur ſimplici, in eorumque menſam nihil præter vitulum & anſerem inferebatur, vini potandi certa erat conſtituta menſura, qua nec ſarciri venter, nec ipſi inebriari poſſent. Exulare ab aulis debent menſæ miniſtri & œconomi, qui portentoſa ciborum & vinorum genera comminiſcuntur, ut laſcivientes & bacchantes Principes alant, ventre & gula ſibi ipſis hoſtes efficiant, ut de Vitellio & Othone refert Tacitus *l.2. hiſt.* Tales enim Principes inepti prorſus ad rempublicam adminiſtrandam redduntur, nec ſolum ipſi vitia concipiunt, ſed ea in ſubjectos confundunt. *pluſque exemplo, quam peccato nocent.* Cicero *l. de legib.* Nam ſubjectorum ea eſt natura, ut vitia potiùs principum quàm virtutes imitari ſtudeant, flexiles enim quamcumque in partem ducuntur à principibus, atque ut ita dicam, ſequaces ſunt. Plinius *in panegyr.* Eſto, nulla publica mala, nec vitia propria principum epulas luxumque ſequantur, tamen vel ideo exquiſitæ illæ epulæ fugiendæ, quòd vitam abbrevient: vulgares verò amplectendæ, quod illam producant, ut dicebat Maximilianus primus Imp. & ita iis uſus, *teſte Cuſpiniano in ejus vita.* Hodie cura ordinandi Regias epulas pertinet ad Majorem domus, & quem vocant Hiſpani *Contralor y Diſpenſero mayor del Rey*, quibus tota res culinaria cum ſuis miniſtris commiſſa. de quibus infrà *tit.26.*

Iſtis palatinis dignior erat Comes ſacri ſtabuli, 11
hic olim omnibus copiis equeſtribus præerat, dicebaturque Magiſter militum, *l.1. ſup. De off. Mag. milit. l.1. ff. De off. Præf. præt.* quem Græci appellabant Ducem copiarum auxiliarium, quæ ex Gallia & Sicilia petebantur. Legitur apud Nicephorum, eo tempore quo Theodorus Laſcarius Junior imperabat, Michaëlem Comineum Palæologum reconciliatâ gratiâ Magnum Coneſtabulum creatum, & inter proceres facilè ſupremum fuiſſe. In tantum hæc dignitas crevit, ut Valentinianus fratrem Valentem eâ ornaverit, Contzen. *l.7. polit. c.17. §.4.* In Gallia ſumma quoq; ſemper fuit, & cùm bellum eſſet, equitatus Conneſtabulo committebatur, cui ſub-

Digitized by Google

ſuberant plures Mareſchalli. Tholoſ. *l. 6. ſyntagm. c. 8. n. 6.* Et apud Germanos quoque ſumma dignitas eſt, diciturque *Coninckſtabel*, quaſi columen ſeu fulcrum Regiæ dignitatis. Mornacius *ad l. uni. ff. De off. Præt. prætorio.* Item in Hiſpania crevit Comeſtabuli auctoritas, cùm officium Regni perpetuum factum eſt, & adhæret uni ex antiquioribus procerum familiis. Eſt & aulicus Comeſtabulus, quem vocant *Cavallerizo mayor del Rey, y de la Reyna*, cujus etiam magna dignitas & poteſtas in omnes ſacri ſtabuli miniſtros, & alios inferiores qui regunt equos, & pabulum iis procurant. In eam rem olim Comitibus ſtabuli ſportulæ dabantur pro miniſtris & pabulo equorum, ſecundùm conſuetudinem cujuſque provinciæ. *l. 3. Cod. Theod. De coll. equor.* habet ille facultatem utendi quovis Regis equo, uti & obſervatum Conſtantinopoli dicit Curopalates, *tit. de offic. Pal. Conſt.*

12 Non rectè quidam aſſerunt hunc Comitem habuiſſe quoq; curam palatij, quia cõſtat ex hac *l. uni.* diſtinctas fuiſſe dignitates. Comes enim palatij præpoſitus erat cuſtodiæ & ornamentis, item fabricæ palatij, ideo Cujacius illum Architectum palatij vocat, auctoritate Caſſiodori, cui pro honoris inſigni hoc erat attributum, ut auream virgam geſtaret, & Imperatorem in publicum prodeuntem præcederet. *l. 7. var. c. 5.* Hiſpani hunc vocant *Veedor mayor de las obras del Rey*; Galli, *Maître des bâtimens.*

13 Porrò hi Comites & Tribuni ſcholarum, comitativâ primi ordinis & præpoſiturâ erant decorati, intereſſe poterant Imperatoris epulis, & illius purpuram adorare, ſeu eum ſalutare, quod ſummi beneficij loco habebatur, & peractâ militiâ hic honor ipſis deferebatur, ut Comitibus Ægypti & Ponticæ diœceſeos æquarentur, manerentque ſpectabiles. *d. l. un. & Novel. Theod. & Valent. 45.*

14 Cæteri Officiales Palatini, qui honorariam dignitatẽ comitativæ primi ordinis ſine adminiſtratione nacti erant, abdicato munere, retinebant titulum Clariſſimi, ut Rectores provinciarum; merebatur
15 enim illorum virtus hoc præmium: * Nam virtutis præmium, ut ait Ariſtoteles *l. 4. eth.* honor eſt, unde Symmachus *Epiſt. 14. l. 1. Benè ac ſapienter majores noſtri, ædes honoris atque virtutis junctim locarunt; commenti eſſe ibi tramites honoris, ubi ſunt merita virtutis.* In honoris templo nullum oſtium erat, tantumque per virtutis templum aditus patebat, propterea quòd janua ad honorem eſſet ipſa virtus. Hoc cum Princeps conſiderat, immeritis nihil dat, & benè meritos honorat, retentis titulis peractæ dignitatis.

TITULUS XII.
De Comitibus rei militaris.

1. *Comites rei militaris alij majores, alij mediocres, alij minores.*
2. *Dignitate Proconſulari ornabantur, & Vicariis Præfecti præt. in negotiis militaribus anteponebantur.*
3. *De injuria facta militi ſolus Præfectus cognoſcebat.*
4. *Comitibus rei militaris adjunguntur, qui vicem magiſtrorum militum geſſerunt. Quæ nunc Vicariorum auctoritas.*
5. *Quales Comites & Duces exercitui præficerentur.*
6. *Tales & nunc præficiendi, qui rei militaris ſunt peritiſſimi.*
7. *In bello neceſſitate non urgente maturanda ſunt conſilia, non approperanda.*

Superiores Comites ferè ſemper Principem ſequebantur, 1
& officia exercebant in aula. Cæterum & alij Comites ad adminiſtrandas provincias mittebantur, de quibus infrà *tit. 14.* Aliis milites committebantur in remotas provincias deducendi, vel ad limites Imperij, qui Comites rei militaris hic dicuntur, quorum triplex ordo colligitur ex *l. un. ſup. de rei milit. Comitib.* Alij enim erant majores & illuſtres, quales & nunc ſunt Magiſtri militum, Duces exercitus, Gubernatores alicujus provinciæ. Hiſpani eos vocant *Capitanes generales del exercito ó de algun Reyno ó provincia.* Alij mediocres Spectabilibus, & Ducibus digniores, ſed inferiores Illuſtribus, Caſſiodor. *l. 6. var.* qui videlicet alicui legioni præerant in plures cohortes diſtributæ, dicti militum Tribuni, quòd jura militibus ſuis tribuerent, & quæ eorum erant, curarent, ut arma, veſtes, valetudinem: vocant eos Hiſpani *Coroneles y Maeſes de campo.* Alij minores, & clariſſimæ dignitatis, qui cohortibus præficiebantur, uti & nunc, vulgò *Capitanes de cada compania*, quæque autem cohors plures gradus habebat, & nunc habet comitativæ dignitatis.

Porrò utriuſque imperij Notitia duos tantùm 2
ponit Comites rei militaris in Oriente, unum per Ægyptum, alterum per Iſauriam. Reliqui Duces erant, ex quibus qui exercitum ducere meruiſſent in provincias tranſmarinas, eo ipſo primi ordinis Comitativam conſequebantur, atque iiſdem inſignibus & dignitate ornabantur, quâ Proconſules, ut eis aſſurgeretur, & locus dignior cederetur. *l. 1. h. t.* Imò hi Comites in negotiis militaribus Vicariis Præfecti prætorio anteponebantur, ut Vicarij illis in civilibus: quemadmodum enim Magiſtri militum, & Comites, nullam habebant poteſtatem in provinciales, ita nec Præfecti provinciarum in milites, *l. 1. ſup. De off. Vicarij.* * Excipio tamen ordinarios judices, 3
qui ſi militi injuriam feciſſent, Illuſtris Præfectus de ea recognoſcere debebat, & coram militari judice, aut Tribuno cauſa non agitabatur. Præter id Juſtinianus voluit Proconſulem Palæſtinæ in milites habere poteſtatem.

Digitized by Google

Novell. 103. verùm idem erat Præſes & Magiſter
4 militum. * Eſt & illud reſcriptum ab Honorio Imperatore, eos, qui vicem Magiſtrorum militum ſuſceperant peragendam, & milite credito Imperatoria auctoritate ad provincias defendendas, arcendoſque hoſtes deſtinabantur, Ducibus qui eas adminiſtrabant, adæquari, ac Proconſulibus præeſſe, præterquam Aſiæ & Achaiæ, item Comitibus Ægypti & Ponticæ, qui longe ſuperiores fuere. *l.* 2 *h.t.* Licèt enim Vicarij eſſent, & mitterentur à Præfecto prætorio, ut vice ejus provincias regerent, habebant tamen propriam juriſdictionem, datam à Principe, quamvis aliud eſſet in Vicariis Prætorum & Præſidum. Quod ſummè notandum: nam qui etiam nunc propriam habent juriſdictionem à Principe, eis auferri, mutarique nihil poteſt ab iis quorum Vicarij vocantur.

5 Cæterùm toti exercitui unus tantùm Dux præficiebatur, ne ſi plures mitterentur, de prærogativa eſſet contentio, quâ nihil Principi periculoſius, nihilque magis remedio indiget. Quod animadvertens Tiberius, cùm alium deſtinaret in Aſiam, æqualis cum illo dignitatis, qui tunc provinciam illam adminiſtrabat, M. Aletum *delegit è prætoriis, ne Conſulari obtinente Aſiam, æmulatio inter pares & ex eo impedimentum oriretur.* Tacitus *l.* 4. *annal.* Atque hic belli Dux ſummo cum imperio, ac libero ſtatuendi arbitrio mittebatur, cui cæteri Comites, Duces ac Tribuni parebant, iique tales erant, quos nullum belli genus non exercuiſſet, qui noviſſent quantis belli nervis opus eſſet, & unde comparari poſſent, qui ſcirent militem in aciem cogere, quæ cura explorandi, quantus urgendo, trahendoque bello modus, qui prope cognoſcerent vires & loca provinciæ, cui præficiebantur, & adverſus quam ipſis bellum ſuſcipiendum erat, qui unum ex ſuis militibus ſervare mallent, quàm mille hoſtium perdere, qui in tempore milites in hyberna & æſtiva deducerent, & curarent ne in itineribus, morbo aut inediâ perirent. Tacit. *l.* 3. *annal.* & *l.* 3. *hiſtor.* Habebant & hi Duces, ſuos Vicarios, ac Tribunos, qui unà quoque militem ad robur & virtutem exercebant, ut diſceret non tantùm tractare arma, decurrere, & locum tenere, ſed quod caput eſt, ad nutum ſuis centurionibus ac Ducibus obſequi, & quoſvis militiæ labores tolerare.

6 Tales & nunc præficiendi exercitui ſunt, qui rei militaris ſint peritiſſimi, & norint quando expediat pugnare, quando tergiverſari, quando domi bellum excipere, quando id in hoſtilem agrum inferre, quando loco manere, eum munire, & impetum excipere, qui gnari ſint omnium temporum in bello habendam rationem, ubi facto magis quam conſulto opus eſt, quam noxiæ ſint cunctationes; ſæpe enim occaſio magis juvat, quam virtus. Verùm ſi neceſſitas, non urget, non oportet ſe 7
committere fortunæ, nam ea improvida eſt & cæca. Maturanda igitur belli Duci ſunt conſilia, non approperanda, quod enim maturum eſt, nec à nimia temporis mora, nec à celeritate reprehendi poteſt. Optimè huc quadrat Auguſti ſymbolum, *feſtina lentè*; cui non adverſatur illud Alexandri magni, *nihil cunctando*, illud enim de pacis, hoc de belli negotiis debet intelligi, in quo plurimum valet celeritas, quâ res maximè peraguntur, plura in hanc rem Tacitus *l.* 1. & 5. *hiſtor.* Coteræus, & Ayala *de jure belli.*

TITULUS XIII.

De Comitibus & Archiatris ſacri palatij.

1. *Archiatri ſunt medici Principis. Comitativâ primi ordinis nobilitantur, & æquantur Vicariis & Ducibus qui adminiſtrarunt.*
2. *Cur Comites dicerentur.*
3. *Sunt ſecundi ordinis medici Principis & ipſius familiæ, immunitate & honoribus decorati.*
4. *Hodie triplex ordo medicorum eſt in aulâ Regia, ex publico ſunt dotati.*
5. *Medicorum neceſſitas, præſertim tempore contagij, ex publico ideo conducendi & dotandi.*

Similes Comitibus primi ordinis ſunt Archiatri, 1
præcipui medici, & hoc ipſo excellentes cenſendi, quod Principis cubiculum ingredi, & ejus valetudini præeſſe mereantur, quibus etiam licet Principem macerare & fatigare jejuniis, ac contra deſiderium, referente Caſſiodoro, uſque ad ſalutem excruciare. Hi tamen Comitativa primi ordinis honorati, Vicariis & Ducibus qui adminiſtrarunt æquantur, ita ut quoad privilegia inter eos nihil interſit, ſolùm eſt diſtinctio quoad tempus, quo ſuſceperunt inſignia ſpectabilis dignitatis. *l. un. h. t.*
* Nunquam poterant ob medendi curam & neceſ- 2
ſitatem à Comitatu Principis diſcedere, inde Comites dicti, ceſſante contra eos longi temporis præſcriptione: ſolus Præfectus de cauſa iis mota cognoſcit. *l.* 2. *ſup. quib. non objic. longi temp. præſ.* Sic olim Aſſeſſores Præſidum Comites dicebantur. *l.* 4. *ff. De off. Aſſeſſ.* & ſæpe alibi, quorum exemplo Legati à latere nunc ſummi Pontificis vocantur.

Sunt & alij Archiatri, & medici Principis & ip- 3
ſius familiæ in palatio degentes, quibus comitativa ſecundi ordinis datur, immunitaſque ab omnibus oneribus publicis. *l. ult. ſup. De profeſſ. & medic.* ubi plura hac de re. Qui digniſſimi in primis honoribus, cùm ab illis valetudo & vita Principis, qui ſaluti publicæ præeſt, dependeat. Horum autem Medicorum Ulpianus refert juſtiorem cauſam eſſe, quàm Profeſſorum, cùm illi ſalutem Principis &

Digitized by Google

& cæterorum curent, hi verò ſtudiorum tantùm decus. *l.* 1. *ff. de variis & extraord. cognit.*

4 Ut olim diverſi ordinis erant Medici in aula, ita & hodie; nam eſt Protomedicus Regis, qui præeſt cæteris Medicis, eoque nomine nobilitatur & Comes Palatinus efficitur, ſecundum Bart. & Plateam hic, Ant. Fabr. *in ſuo Cod. de dignit. def.* 11. Dein ſunt Medici cubicularij, qui Regis & Reginæ valetudinem curant, quos ſecundi ordinis licet dicere, tertij verò medici familiæ, qui tenentur omnes aulicos adire & curare, ſalario à Principe pro in-
5 duſtria & dignitate cujuſque ſtatuto. * Permiſſum quoque erat curialibus, ut ipſi medicos eligerent, quos morum probitate & artis peritiâ ſpectatos cognoviſſent, quibus ſuam ipſi & liberorum vitam committerent. *l.* 1. *ff. De decret. & ord. faci.* Sic decet Magiſtratum curare, ut ſint medici, pro magnitudine ſuæ urbis ſufficientes & artis periti, iiſque de publico ſalarium detur, præſertim tempore contagionis, quo infecti & eorum domus vitantur. Ideo enim cives vectigalia urbibus perpetuò pendunt, ut ex illis medici & medicamenta infectis procurentur, & pauperum inopiæ ſubveniatur.

TITULUS XIV.

De Comitibus qui provincias regunt.

1. *Quibus tribueretur Comitis titulus.*
2. *Aula erat ſeminarium majorum Magiſtratuum, ac eorum qui ad regendas provincias mittebantur.*
3. *Curandum ut ſemper in aula tales viri formentur, qui apti ſint ad regendum, & norint ſtatum provinciæ in quam mittuntur.*
4. *Conditiones quæ in Comite & Rectore provinciæ requirantur.*
5. *Majoribus Comitibus committebantur magnæ ditiones, minoribus una aut altera, in horum locum ſurrogati ſunt nunc Duces & Comites.*
6. *Quibus æquarentur hi Comites, eorum dignitas & privilegia; iis non licebat depoſita adminiſtratione abire ante adventum ſucceſſoris.*
7. *In Hiſpania mittuntur qui inquirant in acta judicum & moderatorum provinciæ, nec poſſunt hi recedere ante adventum ſucceſſorum.*
8. *Rei Majeſtatis, qui ſucceſſorem non admittunt; cautè & occultè puniendi, maximè illuſtres.*

1 Titulum Comitis Conſtantinus Imper. omnibus iis attribuit, qui præcipuis Imperij officiis præerant, & ſub ſe plures vicarios & miniſtros habebant, uti erat Comes domeſticorum, Comes domorum, Comes palatij, Comes ſacrarum largitionum, Comes ſacrarum diſpoſitionum, qui omnes Principem ſequebantur, quemadmodum alij
2 officia honorifica in aula obeuntes. * Aula enim Principis erat ſchola magnorum Magiſtratuum, in qua plures ad Rempublicam capeſſendam formabantur & inſtruebantur: Inde quoque ſeligebantur qui provincias regerent, vel legationes obirent, quibus vel dabantur, vel ſponte ſe adjungebant Comites, qui inſtructiores redibant, & legatos ipſos vel conſultando juvabant, vel inſpiciendo ne prævaricarentur, retinebant. * Iſtis Aſſeſſo- 3
ribus, qui ſtatum provinciæ ubi aſſederant, jam notum habebant, & vicinarum aliarumque gentium, provincia illa adminiſtranda dabatur, dicebanturque Comites miſſi. Sic Verus Imperator *confecto bello regna Regibus, provincias Comitibus ſuis diſtribuit.* Jul. Capitolinus *in Vero.* Princeps cùm omni in loco eſſe nequeat, per Comites ſuos repræſentatur; quare annitendum ei eſt, ut in ſua aula, & conſilio, tales viri formentur & educentur, qui provinciarum in quas mittendi, ſint periti, & ſuæ poteſtati ſubjectos cum auctoritate poſſit regere, omniaque ad eorum utilitatem referre. Quin & ſæpius eoſdem mittere convenit, ut Auguſtus qui novies Tiberium in Germaniam miſit, quòd gratus ibi eſſet, & plura conſilio, quàm vi obtinuiſſet, referente Tacito. 2. *annal.*

Etenim non omnes ad quaſlibet provincias ad- 4
miniſtrandas, nec ad quælibet negotia tractanda idonei ſunt, Ingenia violenta, meticuloſa, & diffidentia, dura & tetrica, quæ nec ſervire norunt tempori, nec ſeſe ad mores provincialium quibus præficiuntur, accommodare norunt, citiùs negotia turbaverint, quàm compoſuerint. Variis naturæ dotibus pro diverſitate negotiorum opus eſt. Ille adminiſtrandæ provinciæ aptiſſimus fuerit, qui vultu & verbis animum veracem & candidum præ ſe tulerit, qui ad ſui amorem ſubditos alliciat, qui tacita ea in imo ſervet pectore, dum publicare non expedit, qui cum ſuavitate, proponat, cum tolerantia audiat, cum energia obſiſtat, cum ſolertia diſſimulet, cum attentione urgeat, qui liberalitate obliget, argumentis perſuadeat, experientiis convincat, denique prudentiâ decernat, & cum efficacia exequatur.

Habebant autem hi Comites eandem poteſta- 5
tem in provinciales, quàm Duces, interdum majorem, ſi plures Duces ſubeſſent Comitibus, quibus plurium provinciarum adminiſtratio demandata erat, ut Comitibus Africæ, Italiæ, Illyrici, Hiſpaniarum, Orientis, Macedoniæ. Inferiores illis erant Comites qui ex minore laterculo ad unam provinciam aut civitatem regendam mittebantur. Nunc in iſtorum Magiſtratuum locum ſuffecti ſunt gubernatores & Proreges, quorum alij titulo Ducis aut Comitis inſigniuntur, cum poteſtate civili & militari.

Itaque inter dictos Comites varij dignitatum 6
gradus fuere. Nam alij Vicariis, alij Proconſulibus æquabantur. Rectores provinciarum, ſi Comites primi ordinis eſſe meruiſſent, vicariæ dignitatis pri-

Digitized by Google

privilegiis fruebantur poſt depoſitam adminiſtrationem. *l. uni. h. t.* ſive poſtquam ſe planè ſuo munere abdicaſſent, quòd non licebat, niſi jam ſucceſſor Metropolim ingreſſus fuiſſet. *l. 1. ff. De off. præf. Aug.* qui non ultra tres menſes in via poterat hærere. Dion. *lib. 53.* Expedit enim interea eſſe aliquem per quem provinciales ſua negotia explicent, & ideo Comites eorumque Conſiliarij jus dicebant uſque ad adventum ſucceſſoris. *l. 10. ff. De off. procons.* Imò poſt depoſitum Magiſtratum 50. dies in provincia morari debebant, ſi fortè eſſent qui eos malæ adminiſtrationis, aut alicujus criminis accuſare vellent, *l. 3. ſup. ut omnes judices tam civil. quàm milit. & l. 3. ſup. De Aſſeſſorib.* In quo notandum ſolos olim populi Romani Cenſores fuiſſe extra cenſuræ metum depoſito officio, ne præberetur ſcilicet anſa ſingulis quos cenſuiſſent, ulciſcendę illatæ ſibi injuriæ. Livius *l. 9. dec. 3. in fin.*

7 Hodie antiqua iſta ratio contra magiſtratu functos mutata eſt, quæ olim potentiſſimos quoſque in officio continebat. In Hiſpania tamen Romanæ illius ſeveritatis aliquòd etiamnum veſtigium eſt, mittuntur enim in provincias, quos vocant *Peſquiſidores*, qui juſſu Regis inquirant, oſtenſis litteris, in acta Præſidum, Correctorum aliorumque judicum, & ea quæ comperta ſunt, intra præſcriptum tempus ad Concilium ſupremum referant, qua de re latè Bobadilla *lib. 2. polit. c. 21. n. 29. & ſeqq.* Unde non poſſunt Correctores & Judices finita adminiſtratione ſtatim recedere, ſed debent aliquamdiu hærere, quo uſque facta ſit inquiſitio, & advenerint ſucceſſores, & litteras Regias exhibuerint, *juxta d. l. 10.* Quòd ſi recedant, poſſunt puniri, ut docet Amodeus Juſti *tract. de ſyndic. in parte olim poteſt.* Fragoſ. *De regimine lib. 4. diſp. 9. §. 4. n. 74.*

Gravius puniendi Gubernatores & Præfecti provinciæ, qui miſſo ſucceſſore nolunt redire, aut hoc agunt, ut provincialium animos ſibi concilient, hi enim majeſtatis rei ſunt, propterea quòd videantur rebus novis ſtudere. Cautè tamen & occultè puniendi, ubi ſecurior affulſerit occaſio, ne audeant reſpondere ſuo Principi, quod Lentulus Getulicus Tiberio, minis etiam additis, ne ſibi ſucceſſorem mitteret, *firmando velut fœdus quo Princeps cæterarum rerum potiretur, ipſe provinciam retineret*, cujus audax reſponſum diſſimulavit ad tempus Imperator, non ignorans quanti periculi eſſet hujuſmodi inobedientia, ſi foret impunita, verùm ſi ſtatim ſe illi opponeret, *reputabat publicum ſibi odium; extremam ætatem, magiſque famâ, quàm vi ſtare res ſuas.* Tacitus *lib. 6. annal.*

TITULUS XV.

De Profeſſoribus qui in urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitativam.

1. *Profeſſores honorandi ſunt, & connumerandi Comitibus, & Vicariis, ſi viginti annis docuerint.*
2. *Ornantur Epiſcopali dignitate & beneficia iis conferuntur.*
3. *Quibus nunc privilegiis gaudeant juris Doctores, qui per 20. annos probè functi ſunt profeſſione, & quare.*
4. *Dantur hæc privilegia illis qui ſunt probis moribus, docti, facundi & prudentes.*
5. *Propria dos docentis & juriſconſulti ad uſum communem & civilem differere.*
6. *Promovendi non ſunt, niſi probati, & ſtricto examine explorati.*
7. *Nimia ſtudioſorum turba rejicienda, colendaque ars nautica & mercatoria.*

QUemadmodum in urbe Conſtantinopolitana 1 fuit collegium Archiatrorum, ita & liberalium artium Profeſſorum, qui ſi totos viginti annos profeſſionem ſuam probè exercuiſſent, honorabantur comitativâ primi ordinis, & his qui erant ex vicaria dignitate, adæquabantur, *l. un. h. t.* Ad hoc tempus reſpexit Quintilianus, dum ſcribit: *Poſt impetratam ſtudiis meis quietem, quæ per 20. annos erudiendis juvenibus impenderam.* quod argumentum eſt, jam olim poſt annos viginti perinde ac veteranis, Profeſſoribus emerita dari conſueviſſe; item alia præmia finitis laboribus, de quibus *ſup. lib. 10. tit. 52.* Et hoc ſpecimen eſt florentis Reipublicæ, ſi diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur. Symmachus *lib. 1. Epiſt. 73.* nam *ſublatis ſtudiorum præmiis, ſtudia ſunt peritura*, dixit Tacitus *lib. 11. annal.*

Unde etiam poſteriori ævo, in urbe Conſtanti 2 nopolitana Doctores Metropolitanæ Eccleſię Epiſcopali dignitate ornatos fuiſſe legimus, & in Patriarchatu poſt Vicarios locum obtinuiſſe: ſunt & hodie Sacerdotia & Canonicatus multis in locis deſtinati docentibus, & eorum profeſſioni annexi, uti & Juriſconſultis variæ dignitates propoſitæ, & privilegia attributa, iis præſertim qui in Academiis juventutem divinarum atque humanarum rerum notitia, æqui & boni ſcientia imbuunt, & difficiles legum nodos, qua voce, qua ſcriptis expediunt. * Nam hi poſt 20. annorum profeſſionem 3 laudabiliter expletam, non tantùm ſpectabilibus, ut habet Conſtitutio hujus tit. ſed illuſtribus connumerantur, ut paſſim tradunt ibi Interpretes, & ad *Auth. habita C. ne filius pro patre.* fruunturque variis privilegiis, poſſunt enim partes ſuas profitendi ſubſtituto demandare. *l. 6. ſup. De decurion.* & in

Digitized by Google

in cauſa criminali procuratorem ad agendum conſtituere. *l. un. ſup. De injuriis.* item ſe excuſare ab oneribus publicis, ut à tutela vel cura, quam tamen ſi ſponte ſuſceperint, non coguntur ſatiſdare, ſed ſtatur juratoriæ eorum promiſſioni, etiam in cauſa criminali. Præterea addit Bolognet. *in d. Auth. habita n.* 120. Anteceſſores juris, utpote illuſtres, poſſe filiis ſuæ poteſtati ſubjectis donare, quod tamen aliis non licet. Petr. Rebuffus alia Profeſſorum & ſtudioſorum privilegia uſque 180. collegit, & de iis librum peculiarem conſcripſit. Alia plurima ſunt in Academiis conſtituta, tum ratione dignitatis, tum quia Profeſſores & ſtudioſi, majori ex parte ſunt peregrini, quos vectigalibus & aliis contributionibus onerare velle, indignum eſt, cùm multis ſatis injuriis & laboribus à patria ſua remoti ſint obnoxij.

4 Unde hæc privilegia & præmia, non niſi Profeſſoribus, qui judicio ordinis probati ſunt, dantur, & in celebri Academia profeſſionem ſuam exercent, quique laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe demonſtrant, ne alioqui auctoritatem profeſſionis deſtruant, *ſe ipſos* juſtiſſimo Senecæ convitio *exempla circumferentes inutilis diſciplinæ.* Quid enim abſurdius, quàm eos publicè profiteri, qui nullâ civilitatis elegantiâ mores perpoliverunt, cùm faciliùs auditores Doctorum ſuorum vitia, quàm virtutes imitari ſoleant. Ad illos itaque vult Conſtitutio privilegia pertinere, qui docendi peritiam, facundiamque dicendi interpretandique ſubtilitatem, copiamque diſſerendi ſe habere oſtendunt. Artes enim arte facilique methodo

5 docendæ diſcendæque ſunt. * Facilitatem adfert, & quaſi lumen addit eloquentia & perſpicuitas docentis, præcipue Juriſconſulti, ne Juriſprudentia ancipitis ſit uſus, ſed cum vera prudentia juſtitiaq; connexa, ut ne verbotenus ad oſtentationē acutè tantùm, ſed ad uſum popularem atque civilem diſſeratur, ne leges eatenus tantùm diſcantur, quatenus litigandi artem uſumque præbent, ſed etiam jus publicum quàm minimè negligatur.

6 Poſtremò quod Conſtitutio exigit in magiſtris, idem & in diſcipulis publica Reipubl. ſalus requirit, ut ad gradus Academicos non promoveantur, niſi qui judicio ampliſſimi ordinis digni fuerint exiſtimati, & ad ſeveram normam explorati, ne cruda adhuc ſtudia in forum propellant, ne initiatos ſe credant & tantùm inveſtibulo juriſprudentiæ hæreant. Hæc, inquam, ut à principiis ſuis curentur, invigilandum eſt Principi, & illis qui ejus conſilia dirigunt, ut ſelectæ ſint Academiarum leges, ſelecti Profeſſores, & diſcipuli, quos ſcilicet vitæ integritas & ingenium probarit, rejiciatur nimia illa turba ſectantium juris ſtudia, præſertim plebeiorum & miſerorum, ne ars tanta propter tenuitatem, à religionis auctoritate abducatur ad mercedem & quæſtum, ſumma eſt enim perverſio finis juriſprudentiæ, quod ſolo divitiarum voto diſcatur & ad quæſtum convertatur.

Quare magis è re communi eſt, ſi major civium 7 turba, eaque ad tam præclaram ſcientiam, vel aliàs quæ in ſpeculatione conſiſtunt, inutilis, mercatoriæ arti, aut nauticæ, aut militari applicetur, ſiue quibus artibus non viget reſpublica, nec eſſe poteſt. Hanc ob cauſam, ut ad eas quorumcunque animi alliciantur, majora ſtatuenda ſunt præmia. Ingenia enim ſolis ſcientiis exculta non efficiunt, ut provinciæ rerum copiâ affluant, aut incolis frequententur, ſed ars nautica & mercatoria. Optimè id demonſtrarunt Batavi, qui in eo toti fuere & ſunt, ut iſtæ artes aliæque mechanicę & merces undique in ſuas provincias abundanter defluant, unde ipſis nervus belli.

TITULUS XVI.

De Silentiariis & Decurionibus eorum.

1. *Silentiarij & Decuriones eorum qui fuerint, quale eorum officium.*
2. *Silentiarij, decuriones, & uxores eorum non poſſunt alibi conveniri, quàm coram Magiſtro officiorum.*
3. *Quomodo qui clariſſimi ſunt, ſpectabiles & interdum illuſtres dicantur, & è contrario.*
4. *Retinebant privilegia & titulum prioris dignitatis, ad majorem promoti.*
5. *Quibus privilegiis fruerentur; item eorum liberi.*
6. *Quando Senatoribus annumerarentur, & quid inde conſequerentur.*
7. *Silentiarij quamvis ſint in patris poteſtate, ſalaria & alia emolumenta pleno jure ſibi acquirant, nec tenentur ea conferre fratribus.*
8. *Hodie noſtri milites & Advocati ſibi retinent acquiſita.*
9. *Data olim Magiſtratibus & Advocatis ex publico, & privatim ſalaria: Danda & hodie, ne ſordidas artes exerceant.*

Hactenus de Spectabilibus, ſequuntur Clariſſimi, inter quos primò occurrunt Silentiarij, 1 quos Procopius *l.* 2. *Belli Romani*, quietis Miniſtros vocat: illi circa latus Principis militabant, in anteriore ejus cubiculo excubias agebant. *l.* 3. *h. t.* Non erat vile eorum munus, ut ſcribit Zonaras *in Anaſtaſ.* ſed honorificum, atque multis privilegiis fulciebatur, ut mox dicam. Erant autem Silentiarij triginta numero, quibus tres Decuriones præerant, ſinguli denis, & hinc Decuriones dicti, hic vero vocantur Decuriones ſacri palatij, & ſacri cubiculi, & de iis leges 4. & 5. ſcriptæ ſunt ad præpoſitum ſacri cubiculi. * Omnes hi, ne à ſacris abſtraherentur obſequiis, ſubjiciebantur tam in cauſis civilibus quàm criminalibus Magiſtro officiorum,

Item eorum uxores non alium agnoſcebant judicem. *l.4.h.t.* Unde liquet uxorem participem eſſe privilegij mariti, ejuſque forum & domicilium ſequi. Nec adverſatur quod Magiſter officiorum eſſet æqualis dignitate ſilentiariorum Decurionibus, ita ut par in parem non videretur habere imperium, *l.4.ff.de arbitris.* nam quod ſubjicerentur quoad cognitionem cauſarum Magiſtro officiorum, hoc auctoritate legis fiebat, nec arguit quod ſuperior vel æqualis poſſit inferiori ſubjici: aut potiùs dicendum Decuriones Sacri palatij, qui ordo fuit dignitatis, poſt emenſum fideliter obſequium, & depoſitam militiam pares fuiſſe Magiſtris officiorum & Comitibus domeſticorum, ita ut eorum honore ornarentur, taxarenturque inter agentes, *juxta l. 1. h. t.* quin & illuſtratum vacantem cum
3 cingulo nanciſcerentur. * Quò fit, ut non tantùm clariſſimi, ſed ſpectabiles haberentur. *l. 25. C. de excuſ. tut. & l.30. §. fin. C. de inoff. teſt.* nam pro arbitrio Principum iſti tituli dabantur, quo magis officij dignitas & auctoritas creſceret & pluris æſtimaretur. Sic quandoque alius clariſſimi, ſpectabilis, atque illuſtris titulo honorabatur. Sidonius. *l.6. Vir ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris.* alius duplici dignitate, alius unâ tantum fruebatur. Nomen ſpectabilis etiam nunc in quibuſdam Germaniæ regionibus eſt in uſu, in Italia ſordeſcit, quo vix viliſſimi hodie dignantur.

4 Cæterùm decuriones & ſilentiarij qui ad majorem dignitatem meliore ſucceſſu conſcenderant, minoris dignitatis ac peractæ militiæ titulum retinebant & utriuſque privilegiis fruebantur. *l.3. ſup. de dignitat.* poterantque Principis purpuram adorare, & ejus adminiſtratores ſalutare, & conſiſto-
5 rium ingredi, *l.1.h.t.* * Nec ullus quantacunque præditus poteſtate poterat iis imponere angarias, perangarias aut paraveredos: Erant quoque liberi & immunes ab omnibus ſordidis muneribus, de coctione calcis, & gravamine ſuperindicti. *l.3.h.t.* Item à præſtatione tyronum & equorum, nec tenebantur collationem quæ à plerumque pro his poſcebatur ſolvere. *l.2.h.t.* Domus quoque eorum ubicumque illas haberent, liberæ erant ab hoſpitum inquietudine. *d. l.3.* Liberi verò honeſtate comitativâ primi ordinis, vel dignitate Tribunorum, Notariorum, non agnoſcebant onus præturæ, quaſi ſenatorum liberi. *l. 5. h.t.* quod privilegium habebant etiam eorum parentes, & facultatem veniendi ad comitatum Principis, ſine litteris evocato-
6 riis, *d. l. 3.* * Quin & depoſitâ adminiſtratione qui vacantem Illuſtratum adepti fuerant, *juxta l. 1.* & jam inter Illuſtres & Senatores numerari meruerant, honore curiæ & plenâ immunitate, ſine aliqua functione potiebantur, retentis prioribus privilegiis, ita ſcilicet ut nec glebale onus, quod aliàs à Senatoribus ſolvebatur, agnoſcerent, & hoc eſt quod paulò ante dixi, majorem dignitatem circa prioris militiæ privilegia præjudicium non facere. *per d. l. 3. de dign.* dixi alibi de glebali iſta Senatorum collatione, & follium præbitione.

Atque hæc privilegia dictis 30. ſilentiariis, & tri- 7
bus decurionibus competebant, poſtquam per annos 13. inculpatas excubias peregerant. *d.l.3. in fin. h. t.* ibi Gothofr. *h. t.* Erant & alia ſilentiariis conceſſa ab Anaſtaſio, qui plurimum illis favebat, quoniam ex illorum ſchola ad imperium evectus fuerat, referente Nicephoro, *l.16.c.24.* Evagrio, *l.3. c. 29.* Zonarâ & Cedreno *in Anaſt.* Vult enim ſilentiarios, licet in patris poteſtate ſint, quæcumque emolumentorum, vel donationum ſeu hæreditatum nomine, per militiam vel quamlibet ejuſmodi cauſam his acquiſita fuerint, jure caſtrenſis peculij poſſidere, nec ea poſſe parentes ſuperſtites ſibi vindicare, vel auferre, vel etiam poſt eorum obitum fratres, vel eorum alios hæredes in diviſionem deducere: non enim oportet labores aliorum aliis ocioſis fructum vel lucrum adferre. Hac quoque ratione, nec ipſam militiam, nec pretium quod pro ea datum eſt, imputari in legitimam, aut illud cohæredibus conferri permittit Imperator, *in l.5.h.t.* etiamſi militia empta fuiſſet pecuniâ patris, idque confirmavit Juſtinianus *l. 30. §. fin. C. de inoff. teſt. & Novell.53.* Quòd tamen in aliis militiis locum non habet.

Hinc noſtri auctores, emolumenta quæ filij fa- 8
milias militiâ vel advocatione ſibi quæſiverunt, deputant caſtrenſi peculio, ac etiam ea quæ Clericis obvenerunt ex præbendis, ita ut non teneantur ea conferre fratribus. Penna & Rebuff. *ad d. l. 5.* Petr. Belli *lib. de re milit. p.7. tit.6. in fine.* * Qui 9
ſcriptores obſervant magiſtratibus & advocatis data fuiſſe ex publico ſalaria, præter ea quæ ſportularum aut ſtipendiorum nomine à privatis accipiebant, neque obnoxia fuiſſe diviſioni aut collationi, *d. l. 5.* Optandum foret ut magiſtratibus nunc ex publico ſalaria tanta penderentur, quæ ad tuendam dignitatem ſufficerent, aut tales eligerentur, qui tantùm in bonis haberent, ne mercaturis faciendis, aut ſordidis opificiis exercendis impedirentur. Laudabile Alexandri Severi factum, qui Magiſtratus, cęteroſque aulæ miniſtros rebus neceſſariis inſtruebat, eaſque in quadruplum reddere cogebat, ſi officio ſuo non benè functi arguerentur, ut refert Lampridius *in ejus vita.*

TITULUS XVII.

De Domeſticis & Protectoribus.

1. *Domeſtici, Protectores, & Cuſtodes corporis, qui ſint, & quot pro foribus Imperatoris excubarent, cui primùm oblata cuſtodia.*
2. *Qui nunc iſto munere fungatur in aula Cæſarea & Regis noſtri.*

3. Cur

Digitized by Google

3. *Cur corporis cuſtodes Principes habere debeant.*
4. *De ſchola Domeſticorum & Protectorum, deque eorum Primicerio, & quis ei nunc ſimilis.*
5. *Qui ſint primi Domeſtici, & quæ dignitas Decemprimatus. Quibus privilegiis ornentur.*
6. *Illuſtribus & maximè Titulatis reverentia debetur & ſeſſio datur in conſiliis.*
7. *Si Primicerius moriatur ante finitum tempus officij, tranſmittit ad hæredes ſalaria totius anni & ſequentis.*
8. *Quid, ſi in itinere moriatur Officialis, an conſequetur totius anni ſalarium.*
9. *An remotus ob ſuam culpam conſequatur ſalarium pro eo tempore, ſi poſtea abſolvatur.*
10. *Id genus ſalarij aut lucri dicitur caſus militiæ, & hæredibus dabatur.*
11. *Domeſticus Principis qui ſine licentia abeſt, ubi revertitur, ordinem perdit.*
12. *Nolunt Principes ſua negotia negligenter tractari: maximè amant & promovent diligentes miniſtros.*
13. *Negligentes & ſocordes degradantur, & qui ſcelus aliquod in functione ſua exiſtentes, commiſerunt. Quo modò fieret.*

1 IN Prætorianorum militum locum ſucceſſiſſe videntur poſteriori ævo, Domeſtici, Protectores & Cuſtodes corporis, qui omnes idem ferè munus ſuſtinent, & inter ſe differunt non officio, ſed exercitio, ut indicat *lex 6. & 9. C. Th. h. t.* Domeſtici familiarius juxta Principem militant, ejuſque mandatis præſto ſunt, unde Præſentales dicti. *in l. ult. h. t.* & aliis legibus, devotiſſimi, & fidi cubiculi cuſtodes. Protectores armatam militiam exercent, his enim non ſolùm defendendi corporis in comitatu, verùm etiam in acie protegendi lateris Principis ſollicitudo incumbit. *d. l. 9.* unde D. Hilarius in una ſuarum epiſtolarum ſcribit, *votum militum fuiſſe, ut tandem Protectores fierent*, hos nos vulgo vocamus *les gardes du corps.* qui ante fores palatij excubias agunt, ſi grande aliquod periculum immineat. Olim una cohors ſemper præ foribus Imperatoris excubabat, referente Tacito, *14. annal. Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adeſt.* Datum hoc primum Julio Cæſari ut Senatoribus & equitibus ſtiparetur. Quod poſtea oblatum Auguſto; dati item ei 600. milites pro excubiis, qui deinde crevere ad decem millia, conflata partim ex civibus Romanis, partim ex Germanis, & Thracibus, & exteris. Sueton. *c. 55. in Cajo.* Erant & alij cuſtodes ex ſolis Germanis, ſed eorum cohortes diſſolvit Galba, & in patriam remiſit, idem *in Galba c. 12. & in Calig. c. 58.*

2 Hodie priorum Cæſarum exemplo, Auguſta domus Auſtriaca in præſidium & cuſtodiam ſui, Germanorum operâ utitur, propterea, ut opinor, quòd nulla natio Germanicam fide aut armis ſuperet. Dorleans *in Tacit. lib. 1. & lib. 13.* Olim hi cuſtodes, magis milites, nunc magis Domeſtici, quàm milites, quòd aſſidui ſint in aula, & cæſarem, aut Regem comitentur, dicebantur *Sargens d'armes*, quaſi ſervientes armati, nunc *Archiers*, ab armis quibus utuntur honeſti quidem, ſed in dignitate tamen non ſunt, multò minùs qui *Halebardiers* vocantur, quamvis aliquibus privilegiis præſertim *Archiers* muniti ſint. Eſt & in aula Regis noſtri honeſtior illorum militia, qui *Monteri* appellantur, hi enim ob innatam illorum fidelitatem ab antiquis temporibus corporis regij cuſtodiam gerunt, & noctu ante regis cubiculum excubant, eſt & eorum militia quos vocant *Continos*, de utraque videatur Eſcalaria, & D. Amaya *ad Tit. de excuſ muner. n. 14.*

Et ſanè omnino neceſſaria horum militum & 3
Protectorum militia Regibus, & ſummis Principibus, non tantùm ad auctoritatem & internam cuſtodiam, ſed etiam ad externam & contra multorum audaciam. Docet hoc natura in apibus, circa quarum Regem Satellites quidam, cuſtodes ſunt auctoritatis. Teſte Plinio, *l. 11. Tit. 17.* Boni quidem ſubditi, beneficiis & virtute Principum in officio continentur, mali autem vi coërcendi ſunt, & metu à ſceleribus abſterrendi. Accedit quòd ſubditis etiam maximè benevolis fidere non oporteat, timenda ubique eſt perfidia & improbitas.

Domeſticorum & Protectorum ſchola diviſa eſt 4
in equites & pedites, *l. 2. & ult. h. t.* plures & in ea ſunt ordines, majores videlicet & minores quibus præeſt Primicerius, qui idem Tribunus Domeſticorum vocatur, & tribunatu accepto, viris Spectabilibus & Ducibus provinciarum æquatur. *d. l. 2.* Capitol. in Maximino, de eo jam Tribuno quartæ legionis, *Quid tantum laboras, cùm ejus loci jam ſis, ut Ducatum poſſis accipere?* * Hunc primicerium 5
ordine ſequuntur decem primi Domeſtici & Protectores ad exemplum decurionum civitatum inventi, qui & ipſi decem primos habebant, illorum dignitas vocatur *Decemprimatus*, variiſque privilegiis fruuntur, nam habentur inter clariſſimos, prior tamen ordine, digniorem locum occupat: Senatoriam dignitatem, veluti exconſulares, adipiſcuntur, inter allectos, id eſt, habentur beneficio Principis, ut illi qui jam functi ſunt conſulatu. Briſſonius, *verbo conſularis.* Alciat. *l. 4. diſpunct. c. 3.* majoribus quàm Senatores fruuntur immunitatibus, ut colligitur ex *l. 7. C. Th. h. t. & l. 1. infr. de Caſtrenſianis*, ibi *ad nullas præterea Senatorij ordinis vocentur expenſas*, id eſt, glebales functiones aurarias, luſtrationes, vel collationes Syniarchiæ nomine non agnoſcunt, quibus tamen obnoxij erant. Senatores Imp. certas annonas & diſtributiones accipiunt loco ſtipendij, Gutherius, *l. 2. c. 10.*

gau-

Digitized by Google

gaudent quidem ſenatorio nomine, & pleniſſima
immunitate, ut Silentiarij, & quod pro ſummo honore habetur, licet iis attingere & adorare purpuram Principis, & oſculum dare Præſidibus & Vicariis qui provincias regunt, cùm eos ſalutant, pœna graviſſima vicariis impoſita, ſi hæc honorificentia delata Domeſticorum & Protectorum
6 Comitibus non fuerit. *l.1.h.t.* * Hinc puniuntur officiales judicum, ſi cum Illuſtres ingredi voluerint conſilium, eis non pateat ingreſſus, aut reverentia inter ſalutandum illis habita non fuerit, aut denegata ſedendi cum judicibus facultas. Cùm & ipſe Princeps aut gubernator provinciæ ſoleat Illuſtribus honoris cauſa aſſurgere, locum dignum deſignare, eoſque cooperto capite loquentes audire, vide Garſiam Maſtril. *de magiſtr. l. 4. c. 13. n. 166. & ſeqq. & pragmat. Hiſp. de las corteſias.*

7 Porrò officium Primicerij ſeu Comitis domeſticorum & protectorum annuum fuiſſe videtur, ita ut qui hoc anno eſt Secundocerius, ſequenti anno fit primicerius. Quid, ſi in ſecundoceratu deceſſerit is qui præſens erat in comitatu? Placet Juſtiniano ut hæredes ejus conſequantur reliqua ſecundoceratus ſtipendia, quin etiam integra primiceratus emolumenta, perinde atque defunctus ipſe percepturus fuiſſet militiæ fructum & compendium, ſi ſupervixiſſet, *l. ult. h. t.* quod ſingulare eſſe docent Bartolus, Angelus, Alexander & alij, *ad l. 1. §. divus. ff. de variis & extraord. cognit. & l. 4. ff. de off. aſſeſſ.* quoniam aliorum officialium hæredes liberi, vel extranei ſolùm præſentis anni ſalaria, ſolatia & emolumenta conſequuntur. *l. 11. infr. de proxim. ſacror. ſcrin. l. 1. infr. de primipilo & alis.*
8 * Imò ſunt qui ea hæredibus negant deberi, ſi officialis ingreſſurus urbem, in itinere ipſo deceſſerit. Bartolus non tantùm itineris expenſas, ſed & ſalarium totius anni deberi judicat, cùm etiam ægrotanti, *l. 4. §. 5. ff. de ſtatu liberis*, & incapaci fortaſſis ad munus electo, ſalarium debeatur, quemadmodum & procuratori debetur, etiamſi mandatum ejus nullum fuerit. Corſetus, *ſign. verb. ſalarium.* Gothofredus *in notis hic. ad l. ult.* Cabedo *p. 1. deciſ.* 8. Moribus pro rata temporis officialibus & judicibus ſtipendia ſolvuntur. Maſtrill. *De Magiſtr. l. 1. c. 21. n. 51.*

9 Quid, ſi officialis removeatur ob culpam? Non conſequetur ſalarium pro tempore quo fuit remotus, etiamſi à culpa per ſententiam abſolvatur, quod ſufficiat licitè eum fuiſſe ſuſpenſum. Secus ſi removeatur ob culpam alterius, aut civium, lucrabitur enim ſalarium ſi abſolvatur, etiam ejus temporis quo non inſervivit. *l. 5. infr. de re mil.* Sin autem ob propriæ culpæ ſuſpicionem fuerit ab officio remotus, ſolùm pro tempore quo ſervivit, emolumenta accipiet. Bald. *in l. mancipia C. de ſervis fug.* reſidua cedent ſurrogato in officium durante ſuſpicione, quamvis poſtea abſolvatur.

Igitur ceſſante culpa, aut culpæ ſuſpicione, ſi Of- 10
ficiatus Domeſticus, Protector, ante impletum annum deceſſerit, ſalarium tranſmittit ad ſuos hæredes, ut dictum paulo ante. Sed quo jure? caſu militiæ; ita enim hoc ſalarium ſeu beneficium vacans hæredibus quaſi ſolatij loco debetur, ab eo qui ſurrogatus fuit in locum defuncti officiati, aut militis, quique pecuniam debet pro introitu ex communi ſcholæ placito, vel conſtitutionum beneficio, non quidem hæreditatis nomine, quippe cum etiam ſi hæredes non eſſent, tamen iſta ſalaria, aut lucra perciperent ex liberalitate imperiali, quam Juſtinianus vocat βασιλικὴν φιλοτιμίαν, *l. ult. h. t. & l. 11. infr. de proxim. ſacr. ſcrin.* ubi plura de hoc militiæ caſu.

Si autem Officiatus aut Domeſticus Principis 11
per biennium abfuerit à functione ſua ſine commeatu vel facultate, ubi reverſus, non tantùm ſtipendia & ſalaria amittit, ſed etiam locum & gradum, nam ab eo quem obtinuit, priuſquam diſcederet, in ſextum rejicitur, & ſi per triennium abfuerit, in decimum; ſi quadriennium, in noviſſimum; ſi per quinquennium, officio & cingulo privatur, nec ad ullum gradum admittitur, *l. 3. h. t.* ubi addunt Impp. *Indignum eſſe deſides à propriis tamdiu muniis aberraſſe, quos convenit aſſiduos numerari.* * Non vult 12
Princeps aulicos, aut magiſtratus vagari, aut negotia à ſe commiſſa negligenter tractari, ſed ſumma cum diligentia & aſſiduitate ea vult geri, & ita fiet ut cognitâ hâc diligentiâ miniſterium Principi placeat, & qui amabit ardentius & promovebit citius. Eorum enim opera ſæpe & libenter Princeps utitur, quos honoris ſui ſtudioſos, induſtrios, fideles ac diligentes noverit, & hæc recta via eſt attollendi ſeſe, nam ut rectè Tacitus, *quo quis obſequio promptior, honoribus & opibus extollebatur.* * Contra, 13
qui otioſus & negligens eſt, regradatur, aut cingulo exuitur, ut ait *d. l. 3.* ſive quod idem eſt, officio ſpoliatur, & emolumentis quæ ex eo acquiſivit. *l. judices ſup. de annon. & trib.* Quemodmodum degradatur Senator, & ducenarius, causâ tamen cognitâ à Magiſtro officiorum, *l. 3. ſup. de off. Magiſtri offic.* ubi Senator accipiendus eſt ex gradu ſolo militiæ, quo cæteris militantibus antecelleret, quaſi dicas conſiliarium cohortis exauctoratur, & miles, dum fit paganus, aut ex Tribuno tyro, & quivis alius, qui ſceleribus, ſe maculaſſe convincitur, nam ablatis inſignibus & honore exutus, inter plebeios habetur, ne ſibi in poſterum de eo honore blandiatur, quo ſe indignum reddidit, *l. 12. ſup. de dignit.* modus quoque ſervabatur degradationis, quem pulcrè declarat D. Hieronymus contra Jovian. *Finge*, ait, *aliquem Tribunitiæ poteſtatis ſuo vitio regradatum, per ſingula militiæ officia ad Tyronis vocabulum devolutum, numquid ex Tribuno ſta-*

Digitized by Google

ſtatim fiet Tyro? non, ſed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, dein Tyro. Similis degradationis forma inter Eccleſiaſticos ſervatur, *c. ult. 90. diſt.* ubi ob culpam, vel deſidiam, à proprio gradu quis repellitur, *& ultimus omnium ſit in ordine ſuo*; imò ſæpe ex illo ejicitur, & minimis adjungitur, Loyſeau *de la privation de l'ordre, c. 9.*

TITULUS XVIII.

De Præpoſitis laborum.

1. *Varia præpoſitorum genera, & qui fuerint præpoſiti laborum.*
2. *Conſtantinus Imp. labarum in ſignum crucis convertit, & ei præpoſuit milites 50. cuſtodiæ cauſa.*
3. *Nunc etiam in acie defertur vexillum, quod vocant Hiſpani* Eſtandarte Real: *& id cuſtodiunt veterani milites, aliæ ſigna piliferi.*
4. *Qui in palatio Principis fuerint Præpoſiti laborum. Quibus privilegiis fuerint decorati: & cur annumerati decem primis domeſticis.*
5. *Digni immunitate qui iſtis annumerantur, & ad latus Principis admittuntur, filij quoque nobiles efficiuntur.*

1 PRæpoſiti nomen generale eſt, quod pleriſque tribuitur, qui perſonis, vel operibus præſunt. Nam variæ præpoſituræ fuerunt in utraque militia, armata & togata, ut Præpoſitus pagorum, horreorum, annonarum, fabricæ, piſtorum, curſorum, theſaurorum, largitionum, manſionum, baphiorũ, gynæceorum, ſacri cubiculi, caſtrorum. Jac. Gutherius, *l. 3. De off. dom. Aug. c. 22. in fine.* Qui autem fuerint Præpoſiti laborum non ſatis conſtat. Plerique eos ſubſignanis militibus annumerant, quique Præpoſiti erant magno illi vexillo, quod vulgo *labarum* dicebatur, & deferebatur in acie ante Imperatorem, fulgebatque gemmis & lapillis pretioſis; Galli vocant *la Banniere, l'Auriflam.* Hiſpani
2 *Eſtandarte Real.* * Quod primus Conſtantinus Magnus advenit, & in Crucis ſignum convertit, quod in ſomniis vidiſſet ſignum Crucis in cœlo, & Angelos adſtantes, dicenteſque ei, *Conſtantine, in hoc ſigno vinces*, & ex tunc ſignum Crucis in bello præferri juſſit, ut Zoſomenus in ſua hiſtoria memorat, cum ait, *juſſit viros eruditos, ex auro & lapidibus pretioſis vexillum crucis transformare, quod laborum vocatur*, ac ſic Cujacius *ad h. t.* dicit ſe legiſſe in actis Conſilij Nicæni *laborum*: tamen Prudentius qui tunc vivebat, refragatur, qui *labarum* vocat, & ratio carminis poſcit,

Chriſtus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Non malè tamen à Chriſtianis vexillum laborum dici potuit, quod *Crux laborum vexillum* eſſet, militibus datum ad tutelam, & ut quæque pars in acie laborabat, ita in eam quaſi auxilij & liberationis vice inferebatur à præpoſitis. Fuiſſe autem quinquaginta milites à Conſtantino Præpoſitos teſtatur Euſebius *in vita Conſtant. l. 2. c. 8.*

Hodie etiam circa vexillum quod in medio exer- 3
citu ab Ephebo Regio præfertur, cuſtodiæ cauſâ plures concomitantur veterani Duces, prout circa alia ſigna ſunt piliferi, quos vocamus *Halabarderos*, peditum robur, & ſignorum tutelam, d'Orleans *l. 1. in Tacitum. n. 7. Cantabra* hujuſmodi vexilla olim dicta, & Cantabrarij qui ea deferebant in acie. *l. 2. C. Th. De Collegiatis.* Amaya *ad l. 2. C. De excuſat. muner. n. 23.* ſcribit Auguſtum devictis Cantabris, eorum vexillum in Romanorum caſtra invexiſſe, nomenque manſiſſe Hiſpanicum.

Verum his præmiſſis, quia Conſtitutio hujus ti- 4
tuli, & Codicis Theodoſiani, loquitur de Palatina militia, non armata, & dirigitur ad Monaxium Præfectum prætorio, non verò ad Magiſtrum militum; ſentio Præpoſitos laborum non fuiſſe milites, ſed magiſtros operum quibus mediaſtini omnes, cæterique Auguſtæ domus opifices ſuberant. Alciatus, Pyrrhus *ad l. un. h. t.* Amaya *d. loco. n. 28.* Unde poſt emenſum laborem, & ſervitium in palatio præſtitum, otio donabantur. *l. 4. Cod. Theod. De privil. eor. qui in ſacro palat. & l. 3. & 7. C. Th. De domeſticis*, & ad ſimilitudinem decemprimorum domeſticorum honoraria clariſſimatus dignitate fruebantur, habebanturque inter Allectos, quaſi provinciarum fuiſſent conſulares, erantque immunes ab omnibus functionibus, *l. un. h. t.*

Digni ſanè hâc prærogativâ & immunitate, 5
quam ipſi ſibi laboribus redemerant, ut annumerentur decemprimis, quos Principis lateris comitatus illuſtrat. *d. l. un. & l. un. Cod. Theod. h. t.* Sic ſolent Senatores conſiſtorij ut illuſtres, ſe dicere digniores aliis Senatoribus, quod ad latus Principis perpetuò ſint, ejuſque præſentia decorentur. *Jure quidem*, inquit Caſſiodorus, *lib. 7. epiſt. 4. de ſe bene arbitrabitur æſtimatum, qui regium meretur alloquium, quia dignitas eſt ſubjecti affatus meruiſſe dominantis.* Itaque quoties Princeps aliquem ad latus, ad conſilium, ad comitatum ſuum admittit, aut palatinis officiis adhibet, cenſetur eum honoraſſe & nobilitaſſe. *d. l. un. & l. 1. ſup. De domeſticis. & l. 5. ſup. De dignit.* ut & eorum filios privilegiis & immunitatibus gaudere, ſummis præjudiciis firmatum refert Papon. *in Arreſt. lib. 5. t. 4. arr. 4.* quibus ſe juriſconſulti annumerant: non æque illi qui medicinam profitentur, quibus immunitatem aliquam Princeps tribuit, non viduas eorum, aut liberos honorat.

TITULUS XIX.

De proximis ſacrorum ſcriniorum, cæteriſque qui in ſacris ſcriniis militant.

1. *Quatuor fuere ſcrinia ſacra, an & quatuor Magiſtri.*
2. *Proximi ſcriniorum ſecundum à Magiſtris locum obtinent, & eorum vices implent. Item Comites diſpoſitionum illis adæquati fuère.*
3. *Quo honore & reverentia durante militia, & ea peracta cohoneſtarentur proximi ſcriniorum, & Comites.*
4. *Recenſentur plures militantes in ſacris ſcriniis, quorum ſit mentio in legibus* h. t. *& in aliis.*
5. *Numerus memorialium certus, eorum nullus duplici officio fungi poterat, & an nunc poſſit quis officia plura occupare.*
6. *Vacante uno ex ſtatutis ingreditur in numerum unus ex ſupernumerariis, & in locum ultimum, niſi poſterior alius ſit peritior, quem antecellit filius proximi.*
7. *Quantum pro ingreſſu daret ſubrogatus proximo ſcrinij id deinde ei ademptum, & ad hæredes & liberos defuncti, ejuſve creditores transmiſſum.*
8. *Certus eſt numerus Adjutorum, qui eſſe debent in ordine, non ſupernumerarij. Damnatur ambitio officiatorum.*
9. *Laterculenſes, Mello proximi ex ſcrinio memoria epiſtolarum & libellorum poſſunt alios in ſuum locum ſubrogare.*
10. *Id fieri debet cum cauſa cognitione & approbatione Præſidis, & taxato pretio. Optimum foret ſi in filios idoneos: continuarentur officia.*
11. *Servanda forma ſtatuti, ut numerus officialium reducatur ad minorem numerum, ſine præjudicio eorum qui ante fuerant aſſumpti.*
12. *Adjutores promoti ad Laterculenſis gradum, non poſſunt alios ſubrogare, ob morbum vel ſenium.*
13. *Retinendi ſunt ſenes in officiis, ideo non eſt facile admittenda eorum reſignatio.*
14. *Integra ſalaria Adjutoribus, qui abſentandi ſe habent licentiam, præſtantur.*
15. *Item Clericis beneficiatis ſalaria & fructus debentur, ſi ſtudiorum cauſa, aut aliâ abſint cum licentia ſuperioris.*
16. *Diſtributiones quotidianas cur non percipiant abſentes.*
17. *Poſſunt Adjutores conveniri & accuſari ſcripto, aut ſine ſcripto, declarato nomine.*
18. *Conveniri non poſſunt militantes in ſcrinio durante tempore abſentia conceſſa.*
19. *Coram quo conveniantur, juratoria cautioni committuntur: ſportularum modus ponitur, ſervandus in litibus.*
20. *Non debentur ſportulæ judicibus ſine ſcripto cognoſcentibus, nec in cauſis pauperum.*
21. *Militantes in ſacris ſcriniis, quibus privilegiis fruerentur, & ad quos honores eveherentur peracto officio.*
22. *Patebat iis ingreſſus & conſeſſus in Conſiſtoria judicum. Exceptoribus jus erat conſidendi cum ſpectabilibus.*

IN notitia utriuſque Imperij quatuor referuntur 1
ſacri Palatij ſcrinia, Memoriæ, Epiſtolarum, Libellorum & Diſpoſitionum, in quibus annotationes, pragmaticæ ſanctiones, reſcripta Principis, cognitiones & preces reponuntur & ſervantur. *l. 15. C. De teſtam. l. ult. Cod. De aquaductu. l. 3. infr. tit. prox.* Unde quatuor erant ſcriniorum Magiſtri, de quorum munere dixi *ſup. tit. 9.* Negat tamen Cujacius in ſcrinio diſpoſitionum aliquem Magiſtrum fuiſſe, ſed non rectè, nam licet frequenter Comes diſpoſitionum vocetur, *l. 1. Cod. Theod. De proxim. com. diſp.* nomen tamen Magiſtri nuſquam ei denegatum, imò ſæpe Magiſter militiæ, Comes utriuſque militiæ dicitur, quod probant inſcriptiones legum. Jac. Gutherius *lib. 3. De*
off. dom. Aug. c. 6. * Qui his proximum locum & 2
dignitatem in ſcriniis obtinent, Proximi ſacrorum ſcriniorum appellantur, & Promagiſtri, quod abſentibus aut valetudine impeditis Magiſtris, eorum vices implerent, ideo in quatuor prædictis ſcriniis conſtituebantur. *l. 1. h. t.* ex qua colligitur, unumquodque ſcrinium Proximum ſuum habuiſſe, ac priores dignitate fuiſſe Proximos ſcriniorum Memoriæ, Epiſtolarum ac Libellorum, quod maxima eſſet illorum cura, & antecelleret ſcrinii diſpoſitionum cuſtodiam, quæ Comiti diſpoſitionum credita erat, qui parem tamen cum iſtis proximis honorem habebat, ut etiam Magiſtri nomine compellaretur, ut ante dixi, licèt Proximum non haberet, ut alij ſcriniorum Magiſtri. Erant enim diſpoſitionum Comites, ſcriniorum proximis adæquati
ſibique ipſi Proximi. * Unde paria privilegia in- 3
dulta ſunt hiſce Comitibus, ac Magiſtris, & Proximis ſcriniorum. *l. 66. ſup. De decur.* ubi Juſtinianus curiæ libertatem, quam ex antiquis legibus Proximi ſacrorum ſcriniorum conſequuti fuerant, denuo confirmat, & inter ſpectabiles eos recenſet: Gratianus inter eos qui pro præfectis diœceſes adminiſtrant, quales ſunt vicarij, imò vult proximos aliis vicariis etiam verâ adminiſtratione perfunctis, præferri, & immunes eſſe ab omni deſcriptionis onere. *l. 1. h. t.* Theodoſius tam Proximis ſcriniorum quàm Comitibus diſpoſitionum, Comitativæ ſecundi ordinis dignitatem defert. Proximis nimirum & Comitibus, quâ fide, probitate, ac diuturnæ obſervationis induſtria commendantur; hi, inquam, completo tempore ſuæ militiæ, quod olim biennale, nunc annuum eſt, *l. 6. h. t.* abeunt cum cingulo Comitum conſiſtorianorum,

Digitized by Google

rum, ſuntque vacantes, non honorarij. *l.8.h.t.* retinentque privilegia antea ad vitæ diem indulta; merito enim hæc honoris prærogativa defertur iis, quibus ſecretiora imperij negotia committuntur. Plus autem vacantem eſſe quam honorarium ſupra titulo octavo oſtendi.

4 Præter hos Primores, erant alij plures militantes in ſacris ſcriniis, ac priores ſive primates erant *Exceptores*, qui pro loco & ordine ſuo ad commentarios accedebant, *l. 2. Cod. Theod. De muner. actuar.* & peculiari favore eundem Clariſſimatus honorem cum reliquis qui in iiſdem ſcriniis militabant, conſequebantur, uſque ad Melloproximos, id eſt, eos, qui ſequenti anno futuri erant proximi, *l. 5. h.t.* Diſtincti à *Librariis*, qui excepta in mundum redigebant, & ſi in tranſcribendo erraſſent, nihil nocebat. *l. 92. ff. De reg. jur. Amanuenſes* ad manum erant ad ſcribendum, ut *Librarij* ad relegendum. *Alexander*, ait Lampridius, *lectioni Epiſtolarum poſt meridianas horas operam dabat, relegentibus cuncta librariis, & iis qui ſcrinium gerebant*, dicti *Scriniarij* à libellis & Epiſtolis. *Pragmaticarij*, quorum ingeniis pragmaticæ annotationes, ſanctiones, acta cognitionū & arcana committebantur. *Memoriales* erant quæſtores ex diverſis ſcriniis aſſumpti, qui leges & ſcripta excipiebant, & implenda curabant. *l.ult. h.t.* à *Secretis* inter Memoriales numerabantur, item *Cornicularij*, qui præerant cornibus ſecretarij, atque prætorium cuſtodiebant. Caſſiod. *l. 11. var. Latercalenſes* qui laterculo præerant. *l. 13. h. t.* qui omnes ex militibus veteranis ad hanc quaſi quietam honoratamque militiam aſſumebantur. Duplex autem erat Laterculum, majus & minus. Majus, erat Codex quo totius imperij notitia; Minus, quo, dignitatum civilium & militarium, & promotionum ordo continebatur. Majus laterculum erat ſub cura Primicerij notariorum; Minus verò ſub cura & diſpoſitione Quæſtoris, ut conſtat ex notitia utriuſque imperij, & *l.1. & 2. ſup. De off. Quæſt.*

5 Horum omnium certus numerus fuit. Nam *Memoriales* ſtatuti in ſcrinio memoriæ 62. fuere. Epiſtolarum triginta quatuor, Libellorum quoque triginta quatuor, qui omnes ſcripta cujuſlibet ſcrinij exequebantur. *Antiquarij*, ſive librorum ſcriptores in dicto memoriæ ſcrinio, nunquam pauciores quàm quatuor. *l. 10. h. t.* ſupradicti autem Memoriales nullo modo duplici officio fungi poterant. *d.l.10* §.1. ubi plura officia aucupari prohibentur. Minuit id enim officiorum & Magiſtratuum dignitatem (cum ſingula ſingulos exigant) ſi unus occupet officia plurimorum eodem tempore. *l.17.§.4.ff. ad municip.* Vetitum quoque jure Pontificio ne quis pluribus Eccleſiis adſcribatur, ne quis pluribus militiis, dignitatibus, officiis implicetur, ne quis binis, ternis, pluribuſve mereatur cingulis, non conjunctis ex priſca conſuetudine. *c. uni. de Clericis non reſid. in 6. DD. in c.cum olim, de re jud.* Covar. *tom. 2. var. reſol. l. 3. c.13. n. 6.* probat conſuetudine poſſe obtineri, ut quis binis fungatur officiis, maximè ſi exercitium unius alteri non repugnet, vel alterius uſum non impediat.

Vacante itaque officio unius ex ſtatutis, ſurro- 6
gabatur in deficientis locum unus ex ſupernumerariis, qui fuerat ordine temporis antiquior, niſi alius poſterior laborum merito eſſet potior, & quidem ſubingrediebatur is in ultimum ſtatutorum locum, non in gradum quem defunctus tenuerat. Quod procedit niſi defunctus filium reliquiſſet, nam licèt hic parum militiam obſervaſſet, præferebatur ei qui laborum merito muniebatur. *l.7.h.t.* Quod ſingulare, ut hoc habeat filius in ſolatium patris defuncti, & quia prior ordine, poſterior verò ſubrogatus, quamvis illo peritior; nam etiam meritorum patris ratio habenda. Platea *ad d.l.7.n.3.* Hinc placuit filios advocatorum, vel adhuc in tali conſtitutorum officio, vel eorum qui fiſci patronatum depoſuerunt, ſuperſtitum vel mortuorum, extraneis ad idem officium accedentibus vel id petentibus anteponi, eique gratis & ſine ſumptibus ſociari. *l. 3. §. & filios. 5. Cod. de advocat. div. judicum.* Iſtis ſupernumerariis ſimiles ſunt hi, qui habent *la retenuë des offices, ou ſurvivance.* Loyſeau *des offic.* * Cæterum ſupernume- 7
rarius qui in defuncti locum ſurrogabatur; pro ingreſſu præſtare debebat ducentos quinquaginta ſolidos proximo ſcrinij, mello proximo verò vel adjutori quæſtoris, quantum fuerat ordinatum pro conſuetudine uniuſcujuſque ſcrinij, *d. l.7.* Nota veterem morem aliquid præſtandi primoribus alicujus militiæ, artis, officij, corporis. pro ingreſſu & incorporatione. *l. pen. §. 2. ff. De leg. 3.* pro introitu tamen novi Clerici nihil præberi permittit Juſtin. *Novell. 56*, quamvis permiſerit dari in uſus pios. Cujac. *in d. l. 7.* Conſuluit Plinius Trajanum. *Epiſt.* 78. an ubique honorarium pro introitu curiales dare deberent, ille locorum ſervandam eſſe conſuetudinem reſcribit. Nummi hi inter curiales dividi & ſportulæ appellari ſolebant. *l. 6. §. 1. ff. De decurion.* ubi minor ſportularum hujuſmodi capax, non ſuffragij ferendi dicitur. Verùm hoc lucrum quod proximo ſcrinij dabatur pro ſolatio, vel ſuffragio, placuit dein præſtari hæredibus aut liberis defuncti, non hæreditatis, ſed privilegij nomine, vel ſi hæredes non eſſent, creditoribus, qui obligatam habebant militiam. Quòd ſi autem ipſa militia comparata eſſet pecuniâ creditorum, tum hi uxori & liberis defuncti debitoris præferebantur. *l.11.h.t.* idemque repetitur *Novell.53. c. 5.* vide quæ ſupra dixi, *tit. De pignor.*

Inter militantes in ſcriniis numerabantur Sub- 8

adjuvæ & Adjutores, qui nunc vocantur Secretarij in ſcrinio, ſeu cancellaria. Subadjuva erat Adjutoris Vicarius, ut Adjutor Magiſtri ſcriniorum, Caſſiod. *l. 4. var. c. 7.* Dabantur etiam Adjutores levandi laboris gratia, Quæſtori ſacri palatij, valetudine impedito, vel ut multitudine negotiorum obruto opem ferrent. *l. 3. C. de diverſ. off.* Erantque certo numero duodecim ex ſcrinio Memoriæ, ſeptem ex ſcrinio Epiſtolarum, totidem ex ſcrinio libellorum, numero viginti ſex, quem reſtituit Juſtinianus, ante cujus tempora cum plures ambitioſi irrepſiſſent in hæc officia, ſic ut auctus eſſet valde adjutorum numerus, ſtatuit ne impoſterum aliqui fierent ſupernumerarij, aut in locum eorum qui tunc erant, ſubſtituerentur, donec ordo adjutorum ad veterem legitimumque numerum rediret. *l. 13. §. 1. h. t.* Atque ita cohibuit ambitionem, & numerum otioſorum ſæpe hominum hujuſmodi officia petentium reſtrinxit, *Virtute ambire oportet, non favitoribus*, non prece, aut pretio. Et maximè *is qui geſturus eſt magiſtratum, tantùm ab ambitione debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. l. 31. ſup. de Epiſc. & Cler. Malè ſe res habet, cùm quod virtute effici debet, id tentatur pecunia*, inquit Cicero, *lib. 2. off.*

9 Non prohibet tamen Imperator quo minus Adjutores, qui depoſito officio tranſeunt ad melloproximi, vel laterculenſis gradum in ſcrinio epiſtolarum, vel libellorum, aut fiunt memoriales, poſſint accepto pretio, alium coadjutorem in ſuum locum ſubrogare, dummodo Quæſtori libellum porrigant, quo merita ſubrogati exponant, & Quæſtor libello ſubſcribat, die & admiſſione ſub-
10 rogati annotata. *d. l. 13. §. 2. h. t.* * Id ipſum confirmavit *l. ult. eod.* videlicet, ut poſſint laterculenſes alium in ſuum locum ſubrogare, maxime interveniente Quæſtoris approbatione, cùm ad veterem numerum redierint: Itemque militiam ſuam vendere, non tamen ultra centum aureos, eamque in hæredes ſuos tranſmittere, vel in liberos, etiamſi hæredes non extiterint, dummodo approbetur à Quæſtore & dictam ſummam inferant pro introitu, ſecundum ejuſdem Juſtiniani *Novell. 35.* Ex qua liquet non licere Adjutori, vel alteri officiato munus ſuum pro arbitrio reſignare alteri, vel id vendere, niſi ob juſtam cauſam, & approbante ſuperiore, & ſtatuto pretio, idque demum ubi ad majus munus evectus erat. Laudabile ſanè foret, ſi filij ſe capaces redderent ad parentum munia, eaque iis conferrentur; fidelius Principi ſervirent, ubi viderent ſe ob merita parentum aliis præferri, exularetque iſta officiorum venundatio & reſignatio, magno Reipublicæ bono.

11 Igitur non ſufficiet ſubrogationes Officialium, aut deſcriptiones decurionum inſinuari, ſed oportet etiam eas à Præſide approbari. *d. l. ult. & l. 1. ſup. de apoch. publ.* Servanda enim eſt juris ſolemnitas: itemque forma ſtatuti, quæ habet, ut numerus officialium, qui excrevit, reducatur ad priſtinum numerum, ſic tamen ut diminutio non pariat præjudicium illis, qui jam erant aſſumpti tempore reductionis, ſed ſolùm novæ Officialium creationi. Jac. Rebuffus *ad d. l. 13. num. 1.*

Cæterùm non licuit Adjutoribus, qui ad La- 12
terculenſis gradum in ſcrinio memoriæ, vel ad ſecundum locum in aliis duobus ſcriniis provecti fuerant, militiam ſuam vendere, aut ſibi alium ſubrogare, propter morbum, vel ſenium, vel aliam neceſſariam cauſam, conſtitutione alia hoc permittente correcta, quod ſæpe contingeret eos ægritudinem ſimulare, ut à moleſto iſto munere ſe liberarent. Lucas de Penna *ad d. l. ult.* Unde qui hodie dignitate militari, aut Eccleſiaſtica ſe abdicare deſiderat, adverſam valetudinem, vel ætatis ſenium probare debet, ſeque oneribus publicis im-
parem eſſe. *tit. X De renunciat.* * Non enim om- 13
nis ſenectus cauſa eſt, cur honorem quis dimittat. *Plerumque enim*, ut ait Valerius Maximus, *lib. 8. ſeneſcentibus membris eruditorum animus induſtria beneficio, intus florem juventa retinet.* Ideo Laterculenſes & Memoriales, quibus vegeta erat ſenectus, non poterant pro arbitrio ſe munere abdicare: obſervabant enim veteres longa rerum experientia prudentiores eſſe ſenes, quàm juvenes, quorum opera negat Ariſtot. *lib. 3. top. cap. 3.* utendum, ubi prudentia, ſed ubi robore opus eſt. Ideo in *lib. 4. Cod. De auct. præſt.* cauſis gravioribus ſenes interveniunt, retinentur in functionibus, quia aſſidui, providi & temperati; juvenes verò ſæpe temerarij, & impetu quodam feruntur, ut dicant & faciant ea, quæ ſi tacuiſſent, aut non feciſſent, plurimùm eis & Reipublicæ prodeſſe potuiſſet.

Præterea cùm antiquitus non poſſent adjuto- 14
res Quæſtoris à ſcriniis ſuis & functione abeſſe, & abſentes impetrata etiam facultate perderent emolumenta, Juſtinianus vult ea integra ipſis adjutoribus præſtari, ex quocumque ſcrinio ſumpti fuerint, modò conſtet de commeatu & proficiſcendi licentia ad tempus, ita ut nihil eapropter proximis, aut melloproximis offerre teneantur, quamvis Kalendis Januarij ipſo anni initio abfuerint, quo ſalaria erogari ſolent, quique dies feſtus &
ſolemnis fuit. *l. pen. h. t.* * Idem ſervatur in benefi- 15
ciatis & Canonicis, hi enim impetrata reſidentiæ venia ab Epiſcopo ſuo, reditus & ſtipendia percipiunt, certis ex cauſis. Prima & ea juſta ratione commendata eſt, ſi ſtudiorum cauſa abſint, *cap. 4. & 12. X De cler. non reſid. cap. fin. X De Magiſtr.* qui diſciplinæ gratiâ abeſt, abeſſe non videtur, *l. 78. ff. De legat. 3. l. 20. §. Pamphila. ff. De inſtructo & inſtr. leg.* Id quoque continetur, ſi in obſequio ſint Ro-

Digitized by Google

Romani Pontificis, aut Epiſcopi ſui, juſta de cauſa. *cap. 14. & 15. d. t. de Clericis non reſid.* vel etiam ſi quacunque probabili ratione nitantur neceſſarij impedimenti. *cap. 10. ✠ d. t.* At ut illis caſibus fructus integros & illibatos lucrantur, ita quotidianas diſtributiones non percipiunt, ſed cedunt iis, qui certis horis, divinis interſunt. *c. 32. ✠ De præb. cap. 30. De elect. in 6. cap. un. De Clericis non reſid. in 6.* Aliter tamen conſtituendum videtur, ſi ejuſmodi manualibus diſtributionibus, omnes beneficij reditus conſtent, tunc enim certa ſumma ſingulis annis favore ſtudiorum aſſignanda procul dubio eſſet. Eæ autem quotidianæ diſtributiones, & veluti ſportulæ, eâ ratione obtinuerunt, ut Clerici, & alij qui obſtricti ſunt, veluti præmio invitati, miniſteriis ſuis intereſſent, eaque diligenter peragerent.

16 Item, cavet Juſtinianus ut adjutores Quæſtoris conveniri ſeu in jus vocari poſſint, libelli admonitione, ſcripto, aut ſine ſcripto, voce executoris, ſive civilis, ſive criminalis cauſa fuerit. *d. l. pen. in pr. h. t.* Non omnis ergo in jus vocatio vel conventio hoc jure fit ex libello, juris experiundi causâ, & quibuſdam ex privilegio datum eſt, ne conveniri poſſint, niſi ſententia judicis quæ ſcripto contineatur, *l. pen. ſup. De dignitatibus. & l. 2. h. t.* moribus omnis citatio ſcripto inſeritur.

17 Attamen intra tempus commeatus ſeu facultatis proficiſcendi, adjutores, vel cæteri militantes in ſacris ſcriniis, conveniri non poſſunt, nec conjuges eorum, nec liberi. *l. 9. h. t.* Poſt tempus autem finitum ubi reverſi fuerint, tam parentes, quàm liberi, cæterique de familia conveniri poterunt, & debent apud Magiſtrum officiorum, ſi cauſa ſit civilis aut criminalis. *l. 12. h. t.* Quòd ſi verò lis ſit de annonis, vel novis operibus, aut tutelis, Præfectus urbi de ea cognoſcit, non Magiſter officiorum quin & ille ſolet hujuſmodi litem remittere ad alios Præfectos; ut ſi quæſtio ſit de annona, ad Præfectum annonæ; ſi de tutela, ad Prætorem tutelarem; ſi de operibus, ad Architectos. Cujacius

18 *ad d. l. 12.* * Si vero militantes aut memoriales in provinciis litem moveant, aut ipſis moveatur, conveniri debent apud Præſidem provinciæ, nec coguntur ſatiſdare judicio ſiſti, licèt immobilia non poſſideant, ſed juratoriæ ſuæ cautioni committuntur, ſportularum nomine nihil præſtant, ſed tantùm unum ſolidum executoribus agentium in rebus, & cùm judicium ingrediuntur, duos ſolidos, pro editione geſtorum dimidium ſolidum; ſolent quandoque remitti ad arbitrum delegatum, *l. ult. ff. De privil. ſchol.* & illi pro ingreſſu ſolidum unum ſolvunt, tantundem ſi coram aliis Præfectis aut fiſci patronis conveniantur. Aliàs, ut ſcribit Suidas, decima pars ejus quod à debitore petebatur ſportularum nomine, ſive pro mercede judicibus dari ſolebat; ſicut hodie jure Regio Hiſpaniæ, decima ex executionibus ſolvitur, quæ originem habuit hiſce ſportulis. Parlador. *lib. 2. rer. quotidian. cap. fin. §. 1. num. 2. & 3.* * Non puto tamen ſportulas datas fuiſſe judicibus ſine ſcripto 19
cognoſcentibus. Gloſſ. *in d. l. 2. verb. depoſitione*, uti nec hodie, ſi cauſa ſit exiguæ quantitatis, aut pauperum, *Novell. 82.* aut vilium perſonarum. *Novell. 17. cap. 3.* * Addit Imperator *in d. l. 12.* hæc pri- 20
vilegia non tantùm militantibus competere, ſed & eis qui militiam gradu ſoluto, ſive vacante depoſuerunt. * Sunt & alia privilegia: Immunes 21
enim ſunt militantes in ſacris ſcriniis, ab omnibus ſordidis muneribus, & à publicis functionibus, ut ab equorum tyronumve præſtatione, & temonario munere. *l. 4. h. t.* Item ab indictionibus civilibus, etiam poſt completam militiam; ſuper domibus quoque quas in provinciis poſſident, metatorum moleſtiâ liberantur. *l. 9. in fin. h. t.* Quin & poſt viginti annos tranſactæ militiæ, ſi diſcedendum ſibi eſſe decreverint, conſulari honore fulti inter allectos habentur, atque hunc honorem dignitatis tenent, quæ ex conſularibus deferri conſuevit, ita ut nullus poſſit aliquid eis invitis injungere. *l. 3. h. t.*
* Patet quoque iis ingreſſus & conſeſſus in ſecre- 22
taria judicum ordinariorum. *l. 2. h. t.* Primoribus verò officiorum, ut Exceptoribus & Comitibus facultas datur conſidendi etiam cum ſpectabilibus judicibus. *l. 5. h. t.* ut bene notat Cujacius, *ad d. l. 2.* quæ ſi denegata fuerit, aut reverentia inter ſalutandum non delata ab Officialibus, tres libras auri pendunt *d. l. 2.* Denique, ut initio dixi, finito munere, qui altioris gradus erant, cingulo comitativæ ſacri palatij donabantur, atque ita illi, quos fides, ac diuturnæ obſervationis induſtria, litterataque militia commendabant, præmiis ornabantur. *l. 8. h. t.* quorum ſpes ſæpe plus poterat apud Aulicos iſtos, quàm in Principem naturalis propenſio.

TITULUS XX.

De Agentibus in rebus.

1. *Diſtinctio inter Agentes in rebus, & militantes in ſcriniis. Et quam varij illorum gradus.*
2. *Definitur numerus Ducenariorum, & aliorum agentium in rebus, & quod illorum munus fuerit.*
3. *Qui Ducenarij appellarentur; Item Biarchi & Circitores.*
4. *Nemini licebat ſcholarem fieri ſine approbatione Principis, & nomen laterculo inſerebatur.*
5. *Reſignatio, aut venditio officij regij, fieri debet cum approbatione Principis.*
6. *Officiali decedente, ſucceſſor ejus accipit ſalarium totius anni.*
7. *Mortuo aliquo de ſchola Agentium in rebus, in locum*

Digitized by Google

cum ejus ſuccedit proximior , non ulterior.

8. *Servandus ordo, & ratio meritorum habenda, in promotione ad officia.*

9. *Qui ad officia malis artibus evehuntur, ſæpe graviùs ruunt. Quinam ad aula officia eligendi.*

10. *Removeri non debent ſine permiſſu Principis.*

11. *Privilegia varia habent Agentes in rebus, & quod non conveniantur apud alium, quàm Magiſtrum officiorum.*

12. *Quinam præterea apud hunc Magiſtrum reſpondere teneantur. Et qui deputati dicantur.*

1 AGentes in rebus non idem munus obeunt, quod militantes in ſcriniis; hi enim in litterarum præſidiis militabant. *l. 1. C. Th. De proxim. com. diſp.* diciturque eorum militia litterata. *l. 8. ſup. tit. prox.* Illi verò militant in rebus ipſis, & in actu Reipublicæ, & à Græcis dicuntur Magiſteriani, ſuntque eorum gradus varij. Alij erant Tribuni ſcholarum, alij Primicerij, alij Senatores, poſt hos Ducenarij, dein Centenarij, mox Biarchi, poſtea Circitores, exinde Equites, ultimi Tyrones, *l 3. h.t. & l. 1. & l. 3. ſup. De off. Mag. off. l. 1. infr. De privil.*
2 *ſchol.* * Leo Imp. numerum definit *in l. 3. h.t.* hunc videlicet, ut Ducenarij quadraginta octo in ſingulis habeantur, Centenarij ducendi viri, Biarchi ducenti quadraginta dumtaxat, Circitores trecenti, Equites quadringenti quinquaginta. Quæ autem ſint, aut fuerint horum omnium munera, incertum eſt. Reor tamen domi eorum aliquos occupatos fuiſſe, circa palatina negotia domus & familiæ Principis, item foris ejus mandata & litteras detuliſſe, alios curaſſe, ut ex provinciis pecuniæ & ſpecies tributorum nomine debitæ in urbem veherentur, quo munere præcipuè fungebantur Ducenarij, & ob id dicti exactores, procuratoreſve Principis; Sic Apuleius *lib. 7. Aſini*, dicit Procuratorem Principis ducenariâ perfunctum: Ducenaria enim vectigalis, ſeu indictionis nomen eſt, ſicut decima, aut centeſima, quam Procurator agens in rebus vel exigebat, vel de ea judicabat, ad altiorem gradum evectus. Apud Alciatum & Pyrrhum
3 *ad h. t.* * lego Ducenarios appellari judices qui de cenſu ducentorum ſeſtertiorum judicabant, horum cœtus decuria dicta fuit ab Auguſto Cæſare, ut ſcribit Tranquil. apud milites ducenarij vocantur, qui duas centurias, ſeu ducentos viros in acie ducebant; verùm de his militantibus ducibus non agit hic Titulus, ſed de illis nimirum, qui quotidiana domus Auguſtæ negotia (ut dixi) expediebant, & annonam aulicam curabant, qui omnes illis militaribus viris honore æquabantur; nam ducenarij ducentis miniſtris aulicis præerant, centenarij centum. Vegetius *l. 2. c. 8.* & Langlæus *in otio ſemeſtri l. 13. c. 2.* Biarchi, non etiam hic illi, qui provincias circumibant, & curabant ne in viis delicta committerentur, ſed qui adſcripti erant ſcholæ agentium in rebus & ſolicitè agebant, ut annona, & quæ ad victum neceſſaria erant, æqualiter ſemper decurrerent, Βίος enim victum ſignificat; de his *infrà tit. 48. n. 3.* Circitores, quorum & hîc fit mentio, potiùs dicendi circuitores, qui noctu urbem circumibant, ut incendia extinguerent, ſunt & nunc inter milites, qui Duci renunciant, ſi quid culpâ commiſſum ſit, & noſtrates *la Ronda* vocant. Alij inter cives circuitores ſunt, qui per urbem res venales circumferunt, de his eſt *l. 5. §. 4. ff. de inſt. act.*

Huic ſcholæ agentium nemo facilè adjungebatur, qui à majore parte non eſſet electus, & idoneus à Magiſtro officiorum judicatus, atque à Principe probatoriam accepiſſet, quæ in ſcrinio memoriæ reponebatur. *d. l. 3. h.t.* Probatoriæ ſunt litteræ, ſive diplomata, quibus qui ad aliquod officium adſciſcitur, idoneus & probatus renunciatur. Abſque his probatoriis memoriales & agentes in rebus, cæterique apparitores Prætorianæ per Orientem Præfecturæ non recipiuntur: Neque hi etiam qui in diverſorum judicum officiis numerantur, ſolito more militiæ Sacramenta ſortiri poſſunt. *l. 10. infr. de diverſ. off.* Similiter hodie nemo ad palatinum vel militare munus aſſumitur abſque probatoria manu Principis ſubſcripta, & ſacris ſcriniis inſerta, vulgo regiſtrata apud acta judicis, coram quo officialis juramentum præſtat. 4

Unde licèt quis vendendi vel reſignandi muneris jus habeat, in favorem alicujus, non priùs tamen is cui reſignatur, jus ad munus conſequitur, quàm Princeps, vel is qui inſtituendi deſtituendive jus habet, reſignationem acceptaverit, aut venditionem approbaverit, expeditaque fuerit proviſio in ipſius commodum. *juxta cap. 4. & ult. de renunciat.* Ita ut munus iſtud adhuc cenſeatur eſſe in patrimonio Principis, à cujus poteſtate pendet officiorum exercitium & adminiſtratio, ut ait Maſtril. *lib. 1. De Magiſtr. cap. 20. num. 54.* eaque ſolum conceſſa reſignanti, ita ut poſſit officium ab eo ob debita occupari, imò & alteri vendi. Quo fit, ut reſignatio non inducat traditionem officij, quâ transfertur proprietas, quandoquidem illi, qui officia poſſident, nequeant ea libere in alios transferre, ſed debeant in manus collatoris reſignare, & à Principe impetrari, à quo munia publica tanquam fonte dimanant, *& exeunt omnes dignitates, ut à Sole radij*, ut ait Caſſiodorus, *lib. 6. var. Epiſt. 23.* Adeò ut ſine ipſius approbatione & obtentis litteris proviſionis, nemo dici poſſit Officialis regius. Vide quæ dixi *ſup. lib. 10. tit. 62. in fine.* Loyſeau *des offices lib. 1. cap. 3.* 5

Eſtque adeò neceſſaria iſta Principis approbatio, ut ſi Officiarius non reperiatur annotatus & deſcriptus in regiſtro, ſive originali reſcripto, non potiatur immunitate ulla, nec conſequatur emolumenta 6

menta officij, neque ſalaria tranſmittat ad ſuos hæredes, ſi moriatur. Cùm aliàs qui legitimè aſſumptus eſt ad munus, aut in numerum ducenarij, ubi ex hac luce migraverit, ſucceſſores ejus ex teſtamento vel ab inteſtato venientes, totius anni ſalaria conſequantur, ſicut conſequeretur defunctus, ſi viveret, quam ob cauſam locus mortui toto anno vacare debet, *l.3.h.t.* nec poteſt alius interim ſubrogari, ne Reſpublica duobus ſalariis one-
7 retur. * Item nullus de ſchola agentium in rebus locum mortui poteſt occupare, aut eum pecunia invadere, ſed is ei ſuccedit, qui gradu, & meritis proximior eſt. *l.1.h.t.* Quòd ſi quis ulterior, impetrato reſcripto, ſeipſum in locum præ alio digniore intruſerit, ex loco in quem indecenter irrupit,
8 extruditur. *l.2.ſup de off.mag.off.* * Si tamen aliquis præcederet ordine temporis, & alius niteretur meritis, putem hunc eſſe præferendum, juxta textum *in l. 7. ſup. tit.prox.* ubi, *niſi fortè ab eo qui tempore vincitur, laborum comparatione ſuperetur*; eſt enim valdè abſurdum, inquit Boëtius, *lib. de deſcript. ſchol. cap.6.* ut imperitus perito, novellus antiquo, rudisque præferatur emerito. Ideo Avila, *c. 4. de Prat.* relatus à Bobadilla, *lib.1. polit c.3.n.14.* queritur, non dignè penſari merita laborantium, nec ſervari ordinem in deferendis honoribus: *hodie*, inquit, *non morum honeſtas ſed verborum venuſtas attenditur, non ſcientiæ viſus, ſed ſtultitiæ riſus, non puritas manuum,
9 ſed quantitas munerum conſovetur.* * Per hos vitiorum gradus plures debita aliis virtutum præmia præripiunt & dum alijs; perniciem optant, ſibi parant, Tigillini exemplo, qui, ſcribente Tacito, *lib. 1. hiſt. præmia virtutum velocius vitiis adeptus*, ſed ea celeritate & arte qua evectus, eadem interiit, nam *inter ſtupra concubinarum & oſcula & deformes mores, ſectis novaculis faucibus, infamem vitam fœdavit, etiam exitu ſero & inhoneſto.* Caveat proinde Princeps regimini alios præficere, aut in miniſterium domeſticum aſſumere, quàm quos vitæ integritas, & generis claritas commendat, eorum enim probitas & honeſtas innocentiæ Principis opinionem ingenerat, & quales illi ſunt, tales ipſi Principes exiſtimantur. Et ſanè magnum aulæ decus accedit, cùm viri probitate ſpectabiles circa Principum perſonas occupantur, omniaque aulæ negotia ſedulo gerunt & ad uſum componunt. Unde laudatur Alexander Severus à Lampridio, quod Aulam ſuam & comitatum omnem purgaſſet, abjectis ex munerí-
10 bus palatinis cunctis obſcœnis & infamibus. * Sed ſi in palatina officia irrepſerint, aut ſcholæ agentium in rebus ſe ſociaverint aliqui viles & abjecti homines, non ſtatim poterunt à quocumque judice removeri, ſine permiſſu Principis, nam probata ſemel ſchola nullam cenſuram vereri, aut vilitatis judicis contumeliam timere debet; ſi qui igitur in eo numero humiles & abjecti eſſe dicantur, retinendi ſunt, modò probi ſint, & ex fide munera ſua obeant. *l.2.h.t.* Monet tamen Principem ſuum Socrates, *ne ullius abjecti hominis miniſterio utatur, nam quidquid ille deliquerit, ipſi tanquam auctori imputabitur.*

Porro hæc ſchola, quæ & alibi bonorum virorum collegium dicitur. *l. 19. C. Theod. h. t. de agent. in reb.* Vicariam dignitatem adepta eſt, *l. 22. Cod. eod.* Nam hujuſmodi viri agentes & vigilantes in rebus, per ordinem conſequi ſolent principatus inſignia, ut dicitur *tit. ſeq.* penſantur & eorum labores, variis præmiis & privilegiis, inter quæ, illud habent Ducenarij, Centenarij, & Adjuvæ, ut Romæ, aut Conſtantinopoli coram Magiſtro officiorum conveniantur, non coram alio, ſive ſit cauſa civilis, ſive criminalis, multoque magis in hac: abſurdum enim eſſet, ut in ejus ſalutem vel exiſtimationem valeat quiſquam proferre ſententiam, cujus de nulla re pecuniaria poſſit judicare. Hujus autem privilegij prærogativa datur etiam ſubadjuvis, quamdiu officio funguntur, & eo depoſito, ſi ſiant Centenarij. In provinciis autem ut reſpondeant apud Præſidem ſublatâ præſcriptione fori, niſi ſi qua publicæ executionis ſolicitudo eis adjuncta ſit. *l. ult. h. t.* * Hinc obſerva majores & 12
honoratiores judices de cauſis criminalibus cognoſcere, inter quos cenſetur Magiſter officiorum, illum enim judicem in cauſis omnibus ſortiuntur Cubicularij Auguſti & Auguſtæ. *l. 3. ſup. de præpoſ. ſacri cubic.* Silentiarij, Memoriales, & Scholares in Sacris Scriniis militantes, & omnes Agentes in rebus poſt ducenæ vel centenæ gradum *d. l. ult.* Iac. Gutherius *de domo Aug. l. 2. c.20.* & qui ipſis agentibus ſubſerviebant & eos comitabantur, qui dicebantur deputati, prout & ſervi publici armorum fabricæ deputati fuere. *l. ult. ſup. de ſacr. fugit.* Item deputati ſacræ veſtis, qui eas manibus componebant & aptabant. *l.7. §. deputati. infr. de Palat. ſacr. larg.* Pancirol. *in Not.imper.c.64.in fin.*

TITULUS XXI.

De Præpoſitis agentium in rebus.

1. *Officiales Fabricis deputati Barbaricarij cur dicti.*
2. *Qui per annum fuerant in ea ſchola, ad alia munia aſcendebant, quinam excluderentur.*
3. *Senio confecti poterant ſubſtituere alium ejuſdem Scrinij aquè idoneum.*
4. *Quando poſſit artifex alium ſubſtituere & qualem, & quando non.*
5. *An ſubſtitutus remaneret in officio, vel alius conſtitueretur in illo.*
6. *Quæ privilegia competant agentibus in rebus ſive agant ſive conveniantur, circa cautionem, & ſportulas.*
7. *Privilegia collegiis & urbibus gratuitò conceſſa, nun-*

nunquam niſi ob graves Reipublicæ cauſas revocanda.
8. *Multò minùs quæ in contractum tranſierunt; ex quibus communitas utilitatem ſentit.*

1 Hic Titulus à pleriſque omittitur, & ſuperiori conjungitur, quo agitur de ſchola agentium in rebus, in qua diverſa erant officia & plures illis præpoſiti ac armorum fabricis deputati, quorum alij ſubadjuvæ, Adjutores duo, fabricarum tres, totidem Barbaricorum. Alij quinque, ſinguli in ſua diœceſi, Orientis, Aſiæ, Ponticæ, Thraciarum & Illyrici fabricas curabant. Barbaricarij dicti, eò quòd in fabricis arma Carica ſeu Barbarica pararent, quæ Julius Pollux, *l.9.c.7.* enumerat, illi quoque caſſides, bucculaſque auro & argento, expreſſis hominum brutorumque imaginibus exornabant: Alij Phrygiones Barbaricas veſtes conficiebant, & coloratis filis varias formas in iis exprimebant, omnes dicti Barbari, prout etiam cæteri populi, præter Græcos & Latinos: Guther. *de off. dom. Aug. l. 3. c. 22.* & Amb. Calepin. *de propriis nominibus*, dicunt Cariæ & Phrygiæ populos Minoi paruiſſe, ſeſeque exercuiſſe in fabricandis inſignibus, criſtis & armis, quæ dicebantur Carica, ac paſſim barbarica, ſic Homerus *Iliad.* Cares vocat βαρβαροφώνοι, inde & βαρβαρικὸν dicitur armamentariũ, in quo ſpolia & donaria belli paciſq; à Barbaris accepta reponebantur. Virg *2. Æneid.*

Barbarico poſtes auro ſpoliiſque ſuperbi
Procubuere. ———

2 Qui itaque ex agentibus in rebus, in provinciarum officiis primores fuiſſent, & per annum integrum quaterni per ordinem, Subadjuvarum ſolicitudinem in unoquoque ſcrinio fabricarum & Barbaricorum ſuſcepiſſent, gradatim ad principatus ipſius officij gradum aſcendebant. Scrinia fabricarũ erant 15. totidem Barbaricorum. Unde ſexaginta quotannis Subadjuvæ ſcriniorum fiebant, præter eos qui Barbaricos curabant. Pancirol. *in Notitia utriuſque imperij c.71.* Sed ab hujuſmodi officiis arcebantur negotiatores, actores, procuratoreſque rerum alienarum. Eos enim ad hæc officia adſpirare placuit, quorum labores ſcholæ agentium in rebus teſtimonio probarentur. Quo fit, ut adſcripti ſacris ſcriniis, quibus præerant viri ſpectabiles primicerius & tertiocerius, adjuvantes eos in tractatu chartarum, excluderentur, quia cùm eidem ſcholæ adjuncti eſſent, duobus officiis operam ſuam adhibere non poterant, nam præter emolumenta, quæ de prædictis ſcriniis conſequebantur, principatus ſolatio debebant eſſe contenti. * Quod ſi autem
3 morbo, vel ætatis ſenio, vel quocumque alio vitio præpediti, per ſe non poſſent officiales memorati officij curam ſubire, conſideratis præcedentibus laboribus, facultatem habebant chartularium ex eodem ſcrinio aſſumendi, & ſubſtituendi, ſub periculo tamen ſuarum facultatum *l.1.h.t.* ideo maximè advigilabant, ut ſubſtitutus eſſet idoneus, bonis moribus præditus, ſcientiam peritiamque rerum haberet. * Debet igitur is qui munus ſuum implere 4
per ſubſtitutum deſiderat, talem eligere, qui ſit ejuſdem ſcrinij, id eſt, ejuſdem juris & conditionis. Sic Doctor doctorem ſubrogat moribus & ſcientiâ idoneum, non ſcholarem quantumcumque ſufficientem. Similiter artifex artificem æquè induſtrium ſubſtituit: Licèt inter artifices longa ſit differentia & ingenij, & naturæ, inſtitutioniſque: ſufficiet tamen idoneum ſubrogaſſe, niſi artifex ipſe ſuâ operâ ædificium aut rem aliam perficere promiſerit, aut actus talis ſit, qui requirat induſtriam electæ perſonæ, non alterius, *l.31.ff. de ſolution.* Gutierrez *pract. qq. l.1.q.34.* ſi verò actus fieri poſſit per ſubſtitutum, debet hic idoneus eſſe, atque à principio talis, qualis is in cujus locum ſubrogatur, aliàs nulla erit ſubrogatio, & quod geſtum eſt, non ſubſiſtet, quamvis ad tempus tantùm ſit ſubrogatus, Bart. *hic. in l. 1. n. 4.* & Bald. *in l. Parabolani. C. de Epiſc. & Cler.* vide quæ dixi *ſuprà de decurionib. n. 53.*

Hinc quæri poſſet, an ſubſtitutus ad tempus, ſi 5
interea præmoriatur is qui ſubſtituit, permanſurus ſit in officio? quod non videtur, ſed alius erit conſtituendus, cui meritorũ ſuffragentur inſignia, *juxta l. 1. infrà de diverſ. officiis.* Non urget, quòd curator impuberi datus, perſeveret in eadem cura, *l. 25. ff. De tut. & cur. datis.* quia alia ratio eſt publici muneris & officij, quod à Principe confertur; rectè tamen fecerit, ſi ſubſtitutum aliis præferat, modò ejus virtus & eruditio mereantur. Lucas de Penna *in l. pen. tit. ſup.* gaudet autem qui ſubſtitutus eſt, eâdem prærogativâ & privilegiis, quibus is qui eum ſubſtituit, accedente Principis approbatione, dum eligitur.

Privilegia eadem conceduntur Agentibus in re- 6
bus, quæ militantibus in ſacris ſcriniis, ut videlicet conveniantur coram Magiſtro officiorum, nec compellantur fidejuſſores extraneos dare, judicio ſiſti, ſed ex eadem ſchola & numero agentium in rebus. *l. ult. h. t.* Quod noſtri Doctores favore ſtudiorum extendunt ad ſtudioſos & Clericos, ut non teneantur alios niſi ſuæ matriculæ & conditionis fidejuſſores offerre, *l. 33. §. propterea 2. ſup. De Epiſc. & Cler. & l. 12. ſup. De proxim. ſacr. ſcrin.* aut juratoriam cautionem præſtare. Licèt enim non videatur idoneum fidejuſſorem dare, qui dat privilegiatum, *l.8.§.1.ff. qui ſatiſd. cogant.* eſt tamen quid ſingulare in ſtudioſis, & agentibus in rebus, prout & illud, quòd non teneantur majores ſportulas dare, quàm quas executoribus præſtant miniſteriani in urbe litigantes. *l. ult. infr. De caſtr. & miniſtr.* In provinciis leviores ſunt ſportulæ, pro parte nimirum tertia, ejus quod præſtant in ſacris ſcriniis militantes;

Digitized by Google

litantes: & hoc ſive ipſi litigent, ſive procuratores, ſive uxores, liberi, aut ſervi eorum, *l. ult. h. t.* ubi amplius Anaſtaſius Imperator privilegia quæcumque antea conceſſa ducenariis, centenariis, chartulariis, vult competere omnibus agentibus in rebus, & familiæ eorum; etiam poſt depoſitam legitimeque peractam militiam. Et ne quis hæc privilegia agentibus in rebus indulta, ſubdolâ & aſtutâ interpretatione ad diminutionem anteriorum privilegiorum audeat invertere, *verſ. cùm per ab-*
7 *ſurdum.* * Cùm non ſoleat Princeps privilegia minuere, ſed benignâ interpretatione benemeritis dare, & augere ſuam liberalitatem: Nec unquam revocare conceſſionem quamcumque gratuitam collegiis & urbibus factam: quod deceat beneficium Principis eſſe perpetuum, *c. 16. De reg. juris in 6.* modo id publicæ utilitati non adverſetur, nec aliis civibus officiat, quibus forte ante jus aliquod quæſitum eſt. Raró quidem facienda eſt conceſſio privilegiorum; rariùs tamen aut nunquam minuenda aut revocanda: nam præterquam quod fides concedentis minui videatur, periculoſa res eſt liberalitatem, quæ in privilegium tranſiit, revocare; nam ſæpe pertinaciter reſiſtitur & ipſi principes & Reipublicæ in exitium trahuntur; nunquam enim tam grata eſt conceſſio, quàm ingrata revocatio. Non dubito tamen, quin Princeps ſi neceſſitas exegerit, aut privilegium incipiat officere, poſſit id revocare, & derogare quibuſcumque privilegiis gratuitò conceſſis.

8 Non autem illis, quæ ex obligatione procedunt, & in contractum tranſiverunt, ut dixi ſuprà, *l. 10. tit 47. n. 15.* Nam ſæpe revocatio, non tantùm tendit in perniciem corporis illius, cui conceſſum eſt privilegium, ſed etiam totius civitatis, ſi plures inde utilitatem percipiant, quæ ceſſaret, revocato privilegio; Quod proinde minui, aut tolli non debet, prætextu imaginariæ alicujus utilitatis, aut neceſſitatis publicæ, niſi de ea evidenter conſtet. Peckius *ad d. c. 16. De reg. jur. in 6.* Joan. Wameſius. *cent. 1. Reſp. civil. conſ. 1.*

TITULUS XXII.

De Principibus agentium in rebus.

1. *Qui Principes officiorum dicerentur. Poſt ſummas vigilias & labores fiebant Principes agentium in rebus.*
2. *Conſequebantur præfecturas; Nullus tamen officialium ad munus aliquod mittebatur, niſi Principe ordinante.*
3 *Nec ipſo ignorante agentes in rebus citabantur, aut trahi poterant ad alium judicem, etiamſi citati eſſent Senatorii ordinis.*
4. *Alii actus expediebantur coram aliis judicibus.*
5. *Principes hi Proconſulibus & Comitibus æquati: quibus honoribus & privilegiis decorarentur etiam honorarii.*
6. *Retinebant privilegia etiam depoſito officio, & non conveniebantur, niſi coram majoribus judicibus & ex ſcripto, & ſportulas moderatas præſtabant.*
7. *Non onerabantur fidejuſſoria cautione, ſed juratoria poſſidentes immobilia. Quid nunc obſervetur.*
8. *Privilegia ad filios extenduntur. Pater cohortalis militans in ſchola gentium, obtento principatu cohortali conditione ſolvitur, & filius quoque poſt Principatum ſuſceptum, non ante.*
9. *An in Regia ſucceſſione primogenitus cenſeatur, qui natus fuit, antequam defunctus pater regnum acquiſiiſſet.*

PRincipes ſunt primores ſcholarum, qui officia 1
adminiſtrabant, hi principales officiorum vocantur *in l. 1. ſup. de ſent. paſſ.* ut Princeps Officii, Primicerius & Primiſcrinius, qui omnibus imperabat & quid ubique agendum diſponebat, ab eoque omnium diſpoſitionum forma procedebat. In ſcholam autem agentium in rebus recepti, primo Equites, Biarchi, Centenarii, & Ducenarii gradatim fiebant, donec ad Principis gradum aſcenderent, id eſt, primi officiorum magiſtratuum crearentur. *l. 1. C. De off. Mag. offic.* Cùm enim in ea ſchola meliorem vitæ partem conſumpſiſſent, providendo rebus neceſſariis ipſius Principis, & aulæ & familiæ, item per provincias celeriter exequendo mandata Principis, ubi à periculis & laboribus itinerum quieſcebant, tum Ducenarii & Centenarii facti cum honore in provincias mittebantur qui magiſtratuum officiis præeſſent, ac tunc Principes agentium in rebus vocabantur: item Principes Magiſterianorum. *l. 15. & ſeqq. Cod. Theod. De agentib. in reb.* de his Caſſiodorus *l. 11. Cur agentium in rebus miles poſt tot laboris incerta aliquid patiatur ambiguum, qui crebris actionibus excubando, ideo Principis nomen habere promeruit, quia militia ſacramentis cæteros antecellit.* * Quæ verba 2
ſentit Cujacius intelligenda eſſe de Principe officii prætorianæ ſedis, quia ex Mariani ſententia, Principes agentium in rebus ad gubernanda officia Præfectorum prætorio, & urbis & Vicariorum & Proconſulum Africæ, Achaiæ, & Comitis Orientis, Ægypti, & aliorum tractuum dirigebantur, & aſſumebantur, quodque confirmat Novella Theodoſii. *De Princip. agent. in reb. Ut inconſulto Principe, qui ex ſchola agentium in rebus, ad obſequia Præfecturæ prætorianæ poſt infinita diſcrimina, & conſumpta ætatis parte meliore pervenit, primores deſignati officii nihil uſurpent, neque Præfectianus aliquis ſua præſumat militiæ Sacramenta, neque matriculâ eximatur, præter ejus conſcientiam atque conſenſum, ita ut*

eadem matricula officij prætoriani in Principis poteſtate conſiſtat. Ex quo loco patet agentes in rebus poſt exactos labores aſcendiſſe ad officia principatus, & alias præfecturas obtinuiſſe.

3 Præterea nullus officialium, inconſulto Principe, in munus publicum, vel privatum mittebatur, nullus eorum in jus vocari, ad aliud tribunal trahi, aut in eos ulla executio fieri poterat, ſine ordinatione & annotatione Principis. Cauſarum quoq; patroni nullam contra officiales, aut pro illis poſtulationē introducebant ignorante Principe, ſub pœna decē librarum auri. *l. 1. h. t. l. 4. & l. 11. C. Th. eod.* Si qui igitur ex agentibus in jus vocandi citandivè erant, id fieri oportebat conſulto Principe, quantumvis
4 citandi eſſent Senatorij ordinis. * Alij verò actus legitimi, puta inſinuationes donationum & teſtamentorum, qui à Senatus cætu tractari conſueverant, coram Magiſtro cenſus poterant celebrari, nec valebat reſcriptū contra hoc impetratum. *l. 2. h. t.* Non adverſatur, quod dicit Conſtantinus, nullum mandatum poſſe fieri ſenatoriâ præditis dignitate, niſi ab ipſo Imperatore *l. 5. verſ. ſi quid ſup. De dignit.* quia id procedit in eo, qui actu habet adminiſtrationem, ſecus ſi honorariâ Senatoris dignitate præditus, de numero ſit agentium in rebus, quia tunc in omnibus cauſis citari, & coram ſuo Principe conveniri poterat, & debebat ab eodem mandata accipere, non tamen per hoc derogabatur actibus, quos Senatores vel in Senatu tractare, vel coram alijs judicibus complere ſolebant. Platea *ad l. 2.* manebat jus in integrum judicibus in cauſis & actibus eis ſpeciatim commiſſis, *l. 12. §. 1. in fin. Cod. de proxim. ſacr. ſcrin.*

5 Porrò ipſi Principes agentium in rebus, circa lites actionesve exercendas, excipiendasve eadem privilegia habebant, quæ Comites conſiſtoriani, quibus itemque Proconſulibus æquati. *l. 3. h. t. & l. 2. ſup. tit. 10.* Atque ubi ex Ducenarijs facti erant Principes, vel adjutores Magiſtri officiorum, vicariæ dignitatis honore decorabantur. *l. 5. h. t.* Ac militiæ ſuæ ordine, labore decurſo, Comitatívę primi ordinis, cingulo in diem vitæ potiebantur *l. 6. h. t.* ſed hoc principale fuit, ut ijs domeſticos in ſuis actibus habere liceret, quorum fidem induſtriamq; probatam ſibi exiſtimarent; Idem Præſidibus, Ducibus & Comitibus licebat, verum horum domeſtici, completo actu, eundem repetere non poterant, ſecus domeſtici Principum *l. 4. h. t. & l. 5. & 6. ſup. De Aſſeſſ.* Erant ex his honorarij, qui principatus honorem impetraverant, ubi viginti quinque annorum militiam impleverant, ſi fortè ob adverſam valetudinem militiæ finem expectare non poſſent, ex ſcholæ atteſtatione: itaq. ijſdem privilegijs muniebantur honorarij, quibus Principes in actu poſiti, niſi quod hi in conceſſibus, & ſalutationibus judicum illis præponerentur, licet eſſent tempore poſteriores *l. 4. h. t.*

Interdum hi qui actu adminiſtrabant, diutinis 6
militiæ ſtipendijs & laboribus fatigati, quietem ab Imperatore conſequebantur, manentibus videlicet dudum præſtitis ſalvis privilegijs. *d. l. 6. in fine.* Quò fit, ut non poſſent in jus vocari, niſi coram ſupremis judicibus, & ex eorum ſcripto conveniri, tam ipſi quam eorum uxores, liberi & coloni, non amplius etiam quam unum ſolidum executoribus, ſportularum nomine præbere compellebantur, apparitoribus verò præſidialis judicij tertiam tantùm
ſolidi partem. * Item non onerabantur exactio- 7
ne fidejuſſoriæ cautionis, ſed illum dabant fidejuſſorem, quem locorum defenſor idoneum exiſtimaſſet: poſſidentes verò bona immobilia, in urbe, vel in provincijs, juratoriam ſolum cautionem præſtabant. *l. ult. h. t.* Eadem cautio hodiè ſufficit immobilia, vel mobilia pretioſa poſſidentibus, in loco ubi conveniuntur, ſecus ſi in alio, niſi utroque in loco judex jus dicere poſſit. Bart. Jaſ. Coſtalius *ad l. 15. ff. qui ſatiſd. cogant.* Rebuff. *ad d. l. ult.* verius nunquam ijs remitti cautionem judicio ſiſti, & judicatum ſolvi, etiamſi manifeſtè ſint locupletes, & in dignitate conſtituti *l. minor. in fin. ff. De procurat.* Quinam tales ſint, & fidejuſſores idonei, committi ſolet examini & arbitrio judicantis *l. 5. §. 1. & l. 9. ff. qui ſatiſd. cogant.*

Conſtat autem ſecundùm probatam matricu- 8
lam, per gradus & ſucceſſionem deſcendentes ex Principibus agentium in rebus, dicta privilegia & dignitates conſecutos fuiſſe *l. 1. & 3. ſup. De agent. in reb.* Imò quamvis in ſchola agentium, militiam ſortiti non fuiſſent, ſed in ea pater ſe exercuiſſet, & cohortalis exiſtens, poſt laudabilem laborem principatus honorem meruiſſet, filius quoq; ab eo poſt principatum ſuſceptus, liber fiebat ac ſecurus, nec ullis cohortalis officij nexibus obligabatur utpote ex patre libero progenitus. Si verò conceptus fuiſſet ante obtentum à patre principatum, cohortali conditione non liberabatur *l. pen. h. t.*

Hinc quidam exiſtimarunt, filium antequam pa- 9
ter regiam dignitatem obtinuiſſet, Regis filiū non eſſe, ſed eum eſſe & ſuccedere qui ex patre jam Rege genitus eſt: Adeò ut ſentiat Tholoſanus *l. 7. De Republ. c. 9.* patrem privatum, ſi liberâ electione, aut armis, regnum obtiguerit, pro arbitrio ſuo de regno poſſe diſponere, illudquę cuicumq; voluerit ex filijs deferre, imo etiam extraneis. Jure tamen gentium & civili æquum eſt, ut bona paterna filijs debeantur potiùs quam exteris, & inter filios is præferatur qui natus antequam pater Rex eſſet, habenda hic enim eſt ratio ſanguinis, cujus merito ſucceſſionis prærogativa acquiritur. Nec intereſt an quis in ſumma dignitate exiſtens genuerit filium, an ante dignitatem, per text. *in. l. 5 ff. De Senatorib.* Sed ſufficit genuiſſe. A natura hoc jus eſt, nec dignitatis acceſſione mutatur. Imò confirma-

tur

tur duplici vinculo, nam dum pater regiam dignitatem conſequitur, jam filius primogenitus eſt & Regis filius, unde non poteſt ipſi jus ſucceſſionis ſecundogenitus eripere: maximè cùm jus illud non nativitate influat in aliquem, ſed tempore mortis, an quis ſit primogenitus, vel propinquus, ſeu an qualitatem habeat ad ſuccedendum neceſſariam, conſideratur. Non adverſatur *l. pen. h. t. & l. ult. ſup. De decurionib.* quia in illis legibus non agitur de ſucceſſione, ſed de conditione quæ patri inerat, cùm filium gigneret, qui cùm eſſet cohortalis aut curialis, filius ex tali primogenitus, obnoxius manet iſti conditioni, adeoque curiæ obſtrictus, per oblationem, ut non poſſit patris ſuperveniens dignitas eum liberare, ne curiæ aut fiſco præjudicium fiat. Similis de Senatoris filio mota eſt quæſtio *tit. 1. n. 58.* Vide de hac Tiraquell. *De primogen. quæſt. 31.* & Molin. *De Hiſpanor. primogen. l. 3. c. 1 per totum*, Hotomann. *Illuſtr. q. 1. c. 2.* qui tradunt, in regnis, & feudis majoribus, ubique locorum id obſervari, ut primogenito eorum ſucceſſio deferatur, iſque gentilitia inſignia, nullo ſigno diminuta ſolus gerat.

TITULUS XXIII.

De Curioſis & Stationariis.

1. *Qui dicantur Curioſi, quod eorum officium. Quinam mitterentur in provincias*
2. *Unus Conſtantinopoli manebat in Comitatu Principis, dictus Præſentalis; erant & alii Præſentales.*
3. *Mittebantur curioſi in provincias, ut inſpicerent evectiones, non licebat eis naves concuſſione vexare.*
4. *Curſum publicum gubernabant, & curabant ut ſervaretur modus evectionis.*
5. *Fit inſpectio eorum quæ exportantur, ab iis qui jus habent inſpiciendi.*
6. *Non licet pecuniam exigere pro animalibus in curſu non præbitis; aut aliquid à tranſeuntibus extorquere.*
7. *Stationarij & curioſi ſubrogati videntur in locum frumentariorum, quales hi fuerint.*
8. *Erant ex his qui mandata deferrent: Alij qui crimina judicibus nunciarent: neminem tamen in carcerem detrudere iis licebat.*
9. *Inquirendum in crimina, etiam potentiorum, ſed caute Princeps delatoribus credat.*
10. *Non temerè Potentiores puniat, ſi rebellionem metuat; honoribus afficiat, clementiæ ubique memor.*
11. *Non ſtatim divulganda crimina, ſed prius probanda. Quod ſit hodie à fiſcalibus & promotoribus curiarum Eccleſiaſticarum.*

1 EX ſchola agentium in rebus, erant Curioſi, & Curagendarii, qui labore atque ordine ad curſum gerendum, & alia negotia celeriter expedienda explorandave judicio ſcholæ dirigebantur, *l. 1. & 4. h. t. in C. Th.* Nec ex omni numero mittebantur, ſed qui gradum in ſchola meruiſſent. *l. 1. ſup. De off. Mag. off.* Sic videmus in provincias judices mitti, quos ordo militiæ vocat, & peritiæ ſuæ, aut ſcientiæ juris periculum in aliis curiis fecerunt, atque mediocrem vitæ partem in laboribus & curis triverunt. Etenim curioſi officium, curarum jus atq; arbitrium vocatur. *l. 1. C. Th. ne Præfect. exact. curioſ.* Curam agere eſt animi ſolicitudine providere & pervigilem diligentiam adhibere, qualem curioſi adhibebant, per provincias, regiones & littora conſtituti. * Illorum unus Conſtantinopoli dege- 2
bat, & ideo Præſentalis curioſus dicebatur; ut habet Notitia Imperii: prout etiam reliqui in Comitatu præſentes, & qui Principem comitabantur, vocabantur Præſentales. *l. 13. infr. De re mil.* Sic Præſentales Magiſtri militum, qui in præſenti erant, Galli dicunt, *en eſtat, ou ſervice.* Item Præſentales domeſtici. *l. 6. ſup. De advocat. diverſ. jud. l. ult. infr. De domeſt.* perpetuo Principis obſequio deputati. Præſentales milites, Præſentales numeri & ordinis apud Nicephorum, *17. hiſt. 1.*

Curioſi itaque ex ſchola agentium in rebus mit- 3
tebantur in provincias, ad inſpiciendas evectiones, ne quis earum modum excederet: Nihil prorſus commune aut cum judicibus, aut provincialibus habebant: nec eorum naves illicitâ concuſſione vexare poterant. *l. ult. h. t.* multò minùs in ſuos uſus eas retinere, aut impedire quo minus è portu ſolverent. *l. uni. infr. De littor. cuſt.* Erant aliæ naves publicæ, deſtinatæ ad vehendam annonam, & alias ſpecies, quarum inſpectio incumbebat curioſis, qui hærebant ad littora & portus, commonitoriis competentibus inſtructi, *l. 10. C. Th. eod.* ubi Dromonarii erant remiges curſoriarum navium, qui δρόμωνες dicebantur, id eſt, expediti curſus navigia huic rei deſtinata. * Plura negotia curioſis 4
erant commiſſa, quæ celeriter, & intra præſtitutum tempus exequi tenebantur. Cum autem ſemper in itinere verſarentur, ideo eos ſæva pericula adire & vitæ renunciare ſcribit Theod. *in l. 6. ſup. tit. prox.* Duo ex iis in ſingulis provinciis, curſui publico vacabant, & inſpiciebant ne quis ſine diplomate, aut ſupra modum evectionis curreret, *l. 3. & 6. infr. De curſu publ.* item providebant ne plures equos poſtularet, quàm conceſſerat evectio *l. 2. h. t.* quo fit, ut qui unius rhedæ copiam habebat, fruſtra peteret duas, aut plures equos, etiam ſi diceret ſe mandata habere, & feſtinare in obſequium Principis. * Demonſtrabatur ideo priùs judicibus 5
vel curioſis evectio, uti hodie oſtenduntur litteræ tranſitus, & inſpiciuntur merces ab iis qui in locis finitimis, & portubus jus habent inſpiciendi & vectigal exigendi, nec prævalet contumacia aut dignitas ejus qui inſpectionem fieri non permittit, eo colore quòd dicat ſe feſtinare. Platea *in d. l. 2.* Non ta-

Digitized by Google

4. *Referendum Principi num qui provincias gubernant abutantur ſuâ poteſtate.*
5. *Comes largitionum ſolus mandata dabat, non Præſes provinciæ, cui tamen reverentia deferebatur.*
6. *Ea debetur judicibus etiam inferioribus, & eorum ſententia ſequenda, ſi verior ſit.*
7. *Recenſentur varia Largitionum ſcrinia.*
8. *Illis præerat Primicerius, & tres alÿ qui eum ſequebantur.*
9. *Quibus privilegiis & honore illi cohoneſtarentur durante aut finitâ militiâ.*
10. *Palatinorum numerus ſtatutus, & veſtes iis datæ non honorariis.*
11. *Quæ privilegia iis competerent; & quos judices agnoſcerent.*

1 PAlatinorum nomen ad multos extenditur, omnes enim hoc nomine vocantur, qui in palatii ſcriniis militant. Nam Palatini aut ſunt Notarii Principis, ejuſve conſiſtorii, ut qui nunc Secretarii officio funguntur, aut Memoriales agentes in rebus, aut Apparitores diverſorum Comitum, qui proprie Largitionales & Privatiani hic dicuntur. Erant etiam Largitionales urbium & civitatum qui in illis commorabantur, & diſtinguebantur ab officio Largitionalium Comitatenſium, qui intra palatium obſequiis deputabantur. *l. 1. & 7. C. Th. De privil. eor. qui in ſacr. Palat. & l. 1. Cod. Theod. De Palat. ſacr. largit.* Bulenger *lib. 2. D. Imperio Rom. cap. 19.*

2 Hic tantùm de Palatinis, ſeu Apparitoribus Comitum ſacrarum largitionum, & rerum privatarum agitur, qui ab his Comitibus Comitatenſes dicti, qui in palatio conſiſtebant, qui verò in provincias mittebantur, Mittendarii, à mittendo nuncia. Alciatus *ad h. tit.* Cæterùm in illum ordinem non adſcribebantur niſi approbante Principe. *l. 9. h. tit.* Adſcriptorum alii in palatio res largitionum earumque rationes tractabant. *l. 20. C. Th. De palat. ſacr. larg.* Alii inſtabant & impellebant Comitem Orientis, tum cæteros ſpectabiles Magiſtratus

3 monebant, ut officiis ſuis incumberent. * Ex his qui mittebantur in provincias, non omnes corrigebant ea quæ corrigenda erant, ſed tantùm inquirebant diligenter quid ageretur, & ſi quid eſſet emendandum, id referebant, ut publico commodo conſuleretur. Alii ex officio Comitis rerum privatarum idonei quotannis mittebantur in Cappadociam, ad Principatum officii gerendum, & obſervanda ea, quæ ibi Comes domorum ageret, & ad inhoneſtos & impios ejus conatus im-

4 pediendos, *l. 3. h. t.* * Non enim ſemper fidendum iis qui provincias regunt, cùm ſæpe poteſtate præſcriptâ abutantur. Quare in tempore mittendi, qui illorum mores obſervent, & ad Principem referant, ipſius enim eſt ſcire ſuorum vicariorum voluntates & ingenia, num ſint contumaces, feroces, turbidi, inhoneſti, inhiantes dominationi, opes non mediocres parantes, ut eos abdicet, & alios ad regendum aptiores ſurroget. Unde iſtis inſpectoribus, in provincias ituris, quædam ad regimen arcana injungebantur à Principe, vel circa tributorum exactionem à Comite ſacrarum largitionum, cui omnes Theſaurorum & Largitionum Comites per provincias conſtituti ſuberant, ut dixi ſuprà *ad l. un. De off. Comit. ſacr. larg.* & facit *l. 13. & 23. C. Th. De diverſ. off.* Præcipuum tamen Mittendariorum officium erat in provinciis, Præſides & Canonicarios urgere, & inſtare apud eos frequenter, ut tributa exigerentur; itemque pecuniæ fiſcales privatæque ipſius Principis abſque dilatione tranſmitterentur ad largitionalem arcam. *l. 2. ſup. De can. larg. & tit. ſup. De coll. fund. fiſc.* Pancirol. *in Notitia Imperii c. 86.*

Similia mandata juſſu Comitis ſacrarum largitionum, aut rerum privatarum, exequebantur quoque Palatini. Solus enim hic Comes illis mandata dare & arcana injungere poterat, quod nec Præfecto prætorio, nec Præſidibus licebat. *l. 6. h. t.* nullum hiſce magiſtratibus in Palatinos erat imperium, nihil inter illos commune; nam poterant Palatini per ſe & ſuo arbitrio munus ſuum obire, ſalvâ reverentiâ, quam exhibere tenebantur Præſidi provinciæ. * Reverentia non ſolùm ab inferioribus, ſed à majoribus debetur & defertur Magiſtratibus, qui actu adminiſtrant. *l. 4. h. t.* Unuſquiſque judex munus & juriſdictionem ſuam ordinariam ſeorſim exercet. *l. un. ff. De off. Proconſ.* delegatus autem judex ſi adjunctum habeat, ſine eo nihil poteſt. Molin. *ad cap. 26. De ſent. & rejud.* Inferioris autem Judicis Juriſdictionem impedire non poterit major magiſtratus ſuperveniens. *Gloſſ. in l. 3. De metatis* Platea *ad d. l. 4.* ubi addit poſſe inferiorem & majorem magiſtratum congungi, & ſimul judicare, ſi id res & publica utilitas poſtulet, quo caſu non debet ſuperior poteſtas inferiorem deſpicere, & ſi meliùs veritatem inveſtigaverit, eam ſequetur, ut dicitur *in l. 5. ſup. De off. rect. prov. Potioris gradus judicibus ac inferioribus competens reverentia tribuatur. Sed ubi publica tractatur utilitas, etſi minor judex veritatem inveſtigaverit, nulla majori irrogatur injuria.* Eò quoque pertinet *l. 1. ſup. De off. Præf. urbi.* 5 6

Ut varia erant Palatinorum & Mittendariorum munia, ita & ſcrinia largitionũ: alia videlicet erant Exceptorum alia Canonum, alia Numerorum, ſive Nunerariorum, Mittendariorum, Aureæ Maſſæ, Auri ad Reſponſum, à Millarienſibus, Veſtiarii ſacri, ab Argento, à Pecunia, quorum fit mentio *in l. 7. h. t.* eaque ſcrinia latius exponit Notitiâ utriuſque Imperii Pancirol. *c. 75. & ſeqq.* 7

 Sin-

8 Singula ſcrinia ſuos Primicerios habebant, quos ſequebantur alii tres ejuſdem officij præcipui, ut Secundocerius, Tertiocerius & Quartocerius, Primicerius univerſo officio præerat. Secundocerius Exceptorum erat Primicerius, Tertiocerius totius officii baſtagas tractabat, id eſt, res tranſvehendas, & tranſvectas, earumq; ſpecies annotabat. Quartocerius verò officii libellos ſervabat, qui Comiti largitionum porrigebantur, putà illorum, qui ſalaria vel donaria à Principe petebant: reſponſa quoque notabat, & cum oblatis Principi precibus
9 in ſcrinio cuſtodiebant. * Hi ſcriniorum primates tribunorum prætorianorum militum dignitate honeſtabantur, ut Principem ſalutare, & ſacram ejus purpuram adorare poſſent. *l. pen. h. t.* Eâdem dignitate primates ſcriniorum rerum privatarum, finito tempore militiæ ſuæ, decorari placuit, *l. ult. h. t.* & merito, cùm enim par ſimiliſque militia eſſet, æquum viſum fuit, utrumque officium iiſdem privilegiis gloriari. Sed quod ſubjungitur *in d.l. pen. tres primarii ſcriniorum*, legendum *tres primi*, qui juſto honore fruebantur, & inter tribunos militares prætorianos cenſebantur, finito tempore militiæ, nec ullam injunctionem, aut ſolicitudinem privati vel publici negotii ſuſtinebant. Præterea exemplo proximorum ſacrorum ſcriniorum, uno anno officio fungebantur, *l. 11. h. t.* quâ corrigitur *l. 14. C. Th. eod.* quæ in biennium protraxerat hoc officium. Qui autem in uno militaverat, & fuerat Primicerius, poſtea ad exceptorum officium tranſire, & locum alii debitum occupare non poterat, unuſquiſque enim ejus ſcrinii quod primum militando elegerat, ordinem ſequebatur, *l. 5. h.t.*

10 Porrò non ſolum Primiceriis officiorum privilegia & honores dabantur, ſed etiam Palatinis emeritis, ut mox dicam. Omnibus quoque annonæ juxta definitum dignitatis modum, & ſtrenæ & veſtes præſtabantur. *l. 7. & 11. C. Th.* ſi ſtatuti eſſent. fuere enim ſupernumerarii & honorarii. *l. 2. C. Th. de proxim. Comit. diſpoſ.* Statuti fuere 224. Supernumerarii 610. tandem 546. Palatini fuerunt, & Supernumerarii in locum decedentium ſinguli ſubrogati. *l. 15. l. 16. & 17. C. Th. eod. tit.*

11 Privilegia autem fuere, ut nimirum ab omnibus extraordinariis ſuſceptionibus & temonariis excuſarentur, & ſolùm pro jugis ſuis penſitationem agnoſcerent. *l. 1. h. t.* In litibus non convenirentur aut cogerentur reſpondere coram alio, quàm Comite ſub quo militabant, niſi ipſe id permiſiſſet, aut niſi cauſa fuiſſet de ædificatione domorum, ſervitutibus & annonis, quæ coram præfecto urbi decidenda erat. *l. 12. h.t.* In provinciis tamen ordinarios judices agnoſcebat, niſi quæ publica ſolicitudo eis injuncta eſſet. Item ſi cauſa agitaretur criminalis, ſententiam in eos proferre judices provinciales non poterant inconſultis Comitibus. *d. l. 12. in fin.* Quò fit, ut, ſi quis ex miniſtris illorum tabularius, ſuſceptor, colonus in jus deductus, aut à Comite domorum concuſſus fuiſſet, liceret ad Comitem rerum privatarũ recurrere, & officium ejus implorare. *l. 5. ſup. ad l. Jul. repet.* Poſtremò placuit, ut miſſi in provincias exacto anno liberarentur cingulo, id eſt, onere adminiſtrationis *l. 8. h.t.* Eaque finita omnibus privilegiis, quæ ſcholæ agentium in rebus tributa ſunt, fruerentur. *l. 10. h.t.* Hodie qui privilegium habet, eo utitur in perſonali actione, non autem reali, vel criminali, aut ſi conveniatur ob functiones publicas, judicem ordinarium agnoſcit. Platea *ad d. l. 12.*

TITULUS XXV.

De Stratoribus.

1. *Antiquitus ſtratorum munus fuit vias complanare; quò facilius exercitus traduceretur.*
2. *Dein miſſi ſunt qui equos probarent, éoque nomine ſolidum accipiebant.*
3. *An iis dona & xenia accipere fuerit permiſſum; xeniorum modus ſervandus à judicibus.*
4. *Quibus nunc ſint ſimiles ſtratores: & quinam illi qui Principi conſcendenti equum opem ferebant.*
5. *An Proconſules & alij Magiſtratus habuerint ſtratores; quorum cuſtodia tradebantur rei.*

Diverſum olim Stratorum munus, alij itinerum pontiumque curam gerebant, vias in- 1
terruptas ordinabant, & complanabant, quò faciliùs exercitus traduceretur. Vegetius *lib. 2. De re milit.* De hoc munere Dion. *lib. 16. Erant montes, quà Varus ducebat, convallibus crebris intercepti, arbores denſæ, quibus Romani ante hoſtium adventum cædendis, viamque parando, fuerant defatigati.* Poſcebat id militaris diſciplina, ut milites eſſent qui impedimenta de cunctis itineribus amoverent, dicti ſtratores. *l. ult. in fin. ff. De jure immunit. L. 10. ff. Ex quibus cauſis major.* * Ex his poſtmodum ere- 2
cta ſchola, è qua plures mittebantur in provincias juſſu Principis, ut ibi equos militares quos provinciales conferre tenebantur, probarent. Sic Ammianus Marcellinus *lib. 29. Conſtantinus ſtrator paucos militares equos ex his auſus eſt mutare, ad quos probandos miſſus eſt in Sardiniam, jubente Imperatore Valente, lapidum ictibus crebris oppetiit.* Quò pertinet quod idem Imperator hic per omnes provincias edictum ſe miſiſſe dicit, ut à ſtratoribus unus tantùm ſolidus probæ nomine poſceretur, id eſt, propter probationem mutationemve equorum militarium, ne amplius illis accipere, aut à provincialibus offerri liceret, & ſi plus obtuliſſent, aut judices id permiſiſſent, mulctarentur. * Quod in- 3
telligendum puto, ſi ob probatos à ſe equos Stratores plus accepiſſent, quoniam gratitudinis cau-

ſâ

ſâ xenia & dona licebat accipere, etiam judicibus adventantibus in provinciam. *l. 6. §. 3. ff. De off. Proconſ. Nam*, ut reſcripſit Imperator Antoninus, *valde inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim, viliſſimum eſt; omnia, avariſſimum.* Quò pertinet *l. 6. ff. ad l. Jul. repetund.* ut Urbani magiſtratus ab omni ſorde abſtineant, & ne plus doni muneriſve in anno accipiant, quàm quod ſit aureorum centum. Cavere itaque debent magiſtratus & eorum officiati qui in provincias mittuntur, ne modum xeniorum excedant, & plus exigant quàm ipſis præſcriptum ſit, pro ſportulis vel ſalario, & ſi xenia non præſtentur, nulla reprehenſio fiat, & ſi præſtentur plerumque laus inſit, ut ait Marcianus *in l. 214. ff. De verb. ſignif.*

4 Oportebat etiam provinciales in conferendis equis militaribus, certam formam, ſtaturam & ætatem obſervare. *d. l. un.* ibi Cujacius. His ſimiles nunc ſunt, quos Galli vocant *Eſcuyers d'eſcurie*, & *picqueurs de chevaux.* Atque hi ſpeciem aliquam dignitatis habebant, ut refert Suidas: præſertim qui in palatio militabant, quorum officium erat equum freno tenere & conſcendenti Principi opē ferre. Spartianus *in Caracalla: cùm illum in equum ſtrator ejus juvaret, pugione latus ejus confodit.* Eo munere in aula noſtri Regis funguntur, qui vocantur *Caballerizos*; & apud Curopalatem Protoſtratores, qui Principem in equum ſublevabant.

5 * Quorum operâ uti permiſſum quoque fuit Præfecto prætorio, & hodie omnibus Magnatibus non aliis magiſtratibus. *l. 4. §. 1. ff. De off. Proconſ.* ubi Ulpianus: *Nemo Proconſulum, aut Præſidum ſtratores habere poterat, ſed vice eorum milites miniſterio in provinciis fungebantur.* Exiſtimo tamen Proconſules aliquando ſtratores in officio habuiſſe, qui delinquentes militari cuſtodiæ traditos ſervarent; ſtrata eorum curarent, & cibaria, *l. 1. ff. De cuſt. reor.* Ita Cyprianus, ut in ejus vita legitur, *Ductus & ſuſceptus eſt cuſtodiendus à Stratore officii Proconſularis.* Cujac. hic. Unde & in *l. 1. C. Theod.* cavetur, ut neque his qui ſtratorum funguntur officio, neque miniſtris eorum, liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere, & innocentes, intra carcerum ſepta letho dare, aut ſubtractos audientiæ longa tabe conſumere. Milites honeſtiores Tribunis & Centurionibus aliquando ejuſdem cohortis militibus datos fuiſſe legimus apud d'Orleans in *lib. 3. Taciti*, & nunc idem obſervari videmus.

TITULUS XXVI.
De Caſtrenſianis & Miniſterianis.

1. *Caſtrenſiani & Miniſteriani, aulæ miniſtri, in ſolennioribus coronati miniſtrabant.*
2. *Deſcribuntur varia Caſtrenſianorum officia, quæ cum officiis aulæ Regiæ conferuntur.*
3. *Inferioris gradus Obſonatores, Piſtores; Placentarij, Cellarij, Coqui, an hi Nobiles cenſendi.*
4. *Qui fuerint Comites Veſtiarij, ſacræ veſtis, pædagogia, & qui nunc tales in aula Regia.*
5. *Plures erant ordines & formæ iſtorum miniſtrantium. Supernumerarij non pleno Principis beneficio fruebantur.*
6. *Omnes Palatini ſuberant Magiſtro officiorum, & Comiti ſacri palatij.*
7. *Qui per biennium militaverant in palatio, locum faciebant aliis, nec ad idem munus redibant.*
8. *Munera ab ipſo principe conferenda, ne ſuam perdant gratiam.*
9. *Caſtrenſiani cæterique ſubjiciebantur juriſdictioni Magiſtri officiorum: Nunc judici aulæ, exceptis cauſis criminalibus & tributariis.*

CAſtrenſes dicti omnes miniſtri aulæ, & Cæſariani. Caſtrenſiani ac Miniſteriani qui alicui 1
ſacro miniſterio erant deputati. De his Tertull. *lib. De corona militis, c. 12. Eſt etiam*, inquit, *alia militia Regiarum familiarum, nam & Caſtrenſes appellantur, munifica & ipſa, ſolennium Cæſarianorum.* Accipit Caſtrenſes pro Caſtrenſianis, qui munificis coronis redimiti, ſolennibus Cæſarum epulis miniſtrabant, natali die, vel alio, lætitiæ cauſâ. Hi enim dies ſumma cum pompa & laſcivia colebantur, idem *in Apologet. cap. 35.* Hujuſmodi fuit Ælij Veri convivium, quo datæ etiam convivis coronæ lemniſcatæ aureis interpoſitis & alieni temporis floribus. Capitolinus *in Ælio Vero.* Inter Caſtrenſes honoratiores aulæ miniſtros erant *Prægustatores*, qui epularum guſtum explorabant. Auguſtus omnium primus, dein Tiberius prægustatores habuere. Tacit. *lib. 13. annal. Pincerna* vinum infundebant, & illud delibabant, num quid veneni eſſet admixtum. * Nec hodie omittitur vetus hoc 2
inſtitutum prægustandi cibum potumque Principis, per aliquem ex iis, quos vocant in aula Regis noſtri, *Cavalleros de la boca, y trinchantes.* Vini cura nunc eſt in eadem aula, penes *el ſumiller de la cava.* Epulas Regias Comes patrimonij ſollicitâ ordinatione diſponebat, deferebantur autem cibi per miniſteriales nobiliores, qui menſæ miniſtrabant, & pueros pædagogianos, qui & nunc in miniſterio Regis & illuſtrium virorum retinentur: ex his pueris plures vernæ, aut redempti è ſervitiis ſub pædagogo habebantur. Tertull *in Apologet.* illos qui præſtanti erant formâ emaſculare ſolebant, ut pretioſiores redderent. Seneca *De benef. cap. 13.* Plinius de Peſonte adoleſcente, Seiani Spadone à Nerone empto *l. 7.* Quod prohibitum à Domitiano, Nerva & Adriano, poſtremo à Conſtantino ſub pœna capitis. *l. 1. ſup. De Eunuch.* Aulæ ac menſæ Regiæ miniſtris adjungebantur Piſtores, ſeu *panis Curatores*; Hiſpani eos vocant *ſumille-*

res

Digitized by Google

res de la paneteria. * Item *Obſonatores*, qui compa-
3 randis obſonijs præerant, nunc in aula noſtra *Comparadores y guarda mangel*; illorum meminit Martianus *in l. 65. in pr. ff. De legat. 3.* & pædagogorum Ulpianus *in l. 12. §. 32. ff. De inſtr. vel inſtr leg.* Erant, & nunc ſunt plures in aula Coqui, Placentarij, Arcarij, & Cellarij. Coquos domus Auguſtæ ſcribit Baldus habere dignitatem, & connumerari inter Nobiles. *cap. 1. quis dicatur Dux vel March. in uſib. feud.* Addit Mornacius *ad l. 18. ff. De ædil. edicto.* magnum coquum aulæ Regiæ in Gallia, nobilem eſſe, & omnes qui ſunt in palatino miniſterio.

4 Verùm alij alijs ſunt honeſtiores & nobiliores, ac illi præſertim qui ſerviunt in ipſo Regis cubiculo, & curam veſtium ac ornamentorum habent, ut olim Comites veſtiarij, & Comites ſacræ veſtis; illi enim veſtes lineas procurabant, hi quidquid pretioſum & ad ſplendorem regium pertineret, conſervabant, quibus ſuberant procuratores & magiſtri lineæ veſtis, qui linificarijs & lintearijs lintea, mappas, mantilia, induſia facientibus præerant, quia vero hæc ex pecunia vectigalium comparabantur, ſub diſpoſitione Comitis largitionum erant: Pancirolus *in notitia imperij, cap. 74.* cui ſuberat Comes ſacræ veſtis, non autem unus & idem erat, ut putat Caſſiodorus, *lib. 1. var. c. 2.* Magiſtri illi qui lineas veſtes fieri curabant, & factas cuſtodiebant, aliaque ornamenta Regia, dici poſſunt Primicerij in ſcrinio ſacri veſtiarij, ut nunc in aula Regis noſtri *el guarda roba, y joyas*; Galli vocant *Maiſtre de la garderobbe du Roy & les Gentilshommes, & valets de garderobbe & joyaus.* Charondas *lib. 1. pand. du droit Franç. c. 25.* In hac ſchola veſtis ſacræ militabant *Veſtitores & Decani*, de his *tit. ſeq.* quales in Aula Auſtriaca nunc ſunt *los Cavalleros de la camera, y ſus ayudas*, qui principem induunt, aut aſſiſtunt, dum ſe induit & ornat. Præter dicta pædagogia, erant alij pueri nobiles quos vocamus *Meninos o Pages de Camera*; cubicularij, illi olim tunica aurea & tegminibus purpureis induti incedebant, ac venante Principe canes retinebant. Ammian. Marcell. *lib. 26.*

5 Longum foret Caſtrenſianorum omnium officia, & numerum recenſere, quem contraxiſſe Alexandrum legimus apud Lampridium, *Ut tot eſſent homines in ſingulis officijs, quot neceſſitas poſtularet: Ita ut annonas, non dignitatem acciperent miniſtri caſtrenſes inferioris ordinis.* Nam inter eos alij primæ formæ, alij ſecundæ, vel tertiæ fuere, alij in ſchola veſtis ſacræ militabant, alij ſtatuti, alij ſupernumerarij. Bulengerus *lib. 2. De Imper. Roman. c. 40.* Ex ſupernumerarijs ſi quis petiiſſet à Principe, ut in prima, vel ſecunda, aut tertia forma iſtorum officiorum poſſet militare, & Princeps id conceſſiſſet, ultimus ejus formæ quam impetraverat, habebatur. *l. 2. h. t.*

Verùm nihil citra Caſtrenſianorum cæterorum- 6
que palatinorum promotionem, & aulæ diſciplinam decernebat Princeps, ſine conſilio Magiſtri officiorum, quem Ducem eſſe dixi ordinum palatinorum, Pancirolus *in Notitia cap. 62.* quia verò non tantum Caſtrenſianis, & dominicis miniſtris præerat, ſed etiam Ducibus & Comitibus limitaneis & fabricis, *l. fin. infra De re milit.* ideò adhibitus fuit Comes Caſtrenſis, qui Caſtrenſis ſacri palatii nuncupatur in Notitia, ut illi aſſiſteret & pareret: probari id videtur *l. 1. h. t.* Hujus ſpectabilis Comitis mandatis parebant omnes aulici ſacro miniſterio deputati, ut ait *l. 4. in princ. h. t.* Poſteriore ævo dictus Curo palates, cui aulæ cura commiſſa, Galli vocant *le premier Maiſtre d'hoſtel.* * Qui 7
autem in officio palatino ut Caſtrenſiani biennio militaverant, eo finito abdicabantur ſuo munere, & ſequentibus in ordine benemeritis locum faciebant, nec rurſus ad idem munus redire poterant, *l. 1. h. t.* abſque facultate Principis, *l. 2. infr. De diverſ. off.* Vult enim æquus Princeps, ut qui ſe præſente miniſtrant, aliis emeritis ſuccedant, & fructum ſuæ militiæ referant emenſo tempore. *d. l. 1. & l. 2. ae primic. l. 14. & aliis. C. Th. de agent. in reb.*

Item ut ſciant per ſe id fieri, quod omnino ex- 8
pedit, ne beneficia ſuam perdant gratiam, ſi Magiſtro officiorum, & non ipſi principi adſcribantur, qui contemptui erit, ſi munia publica alteri referantur accepta: ob hanc cauſam Tiberius *vehementer increpuit* Junium Gallionem premia Prætorianis militibus proponentem, *velut coram rogitans, quid illi cum militibus? quos neque dicta imperatoris, neque premia niſi ab imperatore accipere par eſſet.* Tacit. *lib. 6. annal.* Princeps enim non ideo in veneratione eſt, quod princeps ſit, ſed quia per ſe præmia tribuit, munia publica confert, præſtita ſibi obſequia remunerat.

Poſtremo beneficii loco concedebatur miniſte- 9
rianis ſacræ veſtis, & eorum uxoribus, ne alterius juriſdictioni ſubjicerentur, quam Magiſtri officiorum, qui etiam Comes hic vocatur *in l. 3.* Quod deinde generatim conceſſum omnibus Caſtrenſianis, Miniſterianis, cæteriſque palatinis, ut non, inquam, alium judicem agnoſcerent, ſed ſub Magiſtri juriſdictione manerent, exceptis cauſis criminalibus & tributariis, & ut non niſi ſcripto convenirentur, conventique cogerentur alium dare fidejuſſorem judicio ſiſti, quam actuarium, vel unum ex ſuæ ſcholæ primatibus, *l. 4. h. t.* ubi modus ſportularum definitur. Hodie quoque Palatini proprium habent judicem, qui cauſas ad munia aulica ſpectantes cognoſcit, & aulicos mutua inter ſe contentione liberat, juxta Juſtiniani *Conſtit. 12. Novell.* Si quæ autem graviores fuerint cauſæ, ad Principem & Magiſtrum officiorum deferendæ ſunt.

Digitized by Google

TITULUS XXVII.

De Decanis.

1. *Qui ſint Decani, & quod eorum officium.*
2. *Fuere ex iis Primicerij quatuor biennales.*
3. *Pertinebant ad juriſdictionem Magiſtri officiorum, & fidejuſſorem dabant priorem ſcholæ.*
4. *Quid allegare debeat is qui ſe dicit exemptum ab ordinario.*
5. *Sufficit ut qualitas juriſdictionem fundans allegetur.*
6. *Qui nunc Decani ſeu Archipresbyteri, & de eorum munere.*
7. *Quod ſit officium Decanorum ruralium, & Primicerij in majore Eccleſia.*
8. *Juſtiniani tempore officium Decanorum verſabatur in humandis deferendiſque mortuis.*
9. *Hodie etiam fraternitates conſtitutæ ad deferendos mortuos.*

1 INter Miniſterianos computantur Decani, dicti olim Decuriones, qui decem viris præerant. Vegetius *l. 2. c. 7.* Sic Sueton. *in Domit. c. 17.* Decuriones cubiculariorum, Decanos appellat, & Tranquillus *in Domitian.* ait, *Domitianum ſaucium ac repugnantem adorti ſunt Clodius Cornicularius, & Saturius Decurio cubiculariorum, vulneribus ſeptem trucidarunt*, Marcellinus miniſtros thori vocat, *l. 14.* conſentit & Pancirol. *in Notit. Imperij Orient. c. 90.* dum ſcribit Decanos cubiculo ſacro inſerviviſſe, Principem induiſſe, cubicula & lectos paraſſe. Addit prætereà eos non fuiſſe ſubjectos Comiti caſtrenſi, uti erant Miniſteriani, ſed Primicerio cubiculariorum, quod & indicant Conſtitutiones hujus tituli.

2 Cæterùm quatuor ex Decanis qui primi in ordine ad hunc Primicerij gradum aſſumebantur, morabanturque in eo officio duobus tantùm annis, nec ad illud iterum reverti poterant, ſed fiebat locus ſequentibus in ordine. *l. 1. h. t.* 3 * Intelligi ſubjectos fuiſſe Decanos Primicerio, in iis dumtaxat quæ ad officium pertinebant, nam quoad juriſdictionem agnoſcebant Magiſtrum officiorum: erat enim hoc privilegium iis tributum, uti & Miniſterianis, ut conventi non tenerentur reſpondere coram alio judice, nec alium fidejuſſorem judicio ſiſti dare præter primicerium ſcholæ, cujus fidei committebantur, ut eos ſiſteret. *l. 2. h. t.* 4 * Ibi per verba, *Sed viri Illuſtris tantùm*, notat Joan. de Platea quòd cùm quis ab ordinario eximitur, & ſub nova juriſdictione conſtituitur, neceſſe ſit ut rationem exemptionis ſuæ reddat, & nominet judicem, coram quo in poſterum conveniri debeat. 5 * Ut autem coram eo judice tanquam competente judicium inchoëtur, addit Gail. ſufficere in libello allegaſſe qualitatem tribuentem ei juriſdictionem, etiamſi non ſit vera, modò de falſitate apertè non conſtet, *l. 1. obſ. 31. n. 2.* ubi Bart. & Caſtrenſem citat, qui ſentiunt nudam narrationem ſufficere ad fundandam alicujus judicis juriſdictionem. Contrarium uſu receptum inſinuat Mynſinger. *cent. 2. obſ. 9.* & Surdus *conſ. 286.*

Porrò ut olim poſt Præpoſitum, cubiculariis 6 præerant Decani, ita eorum exemplo, in Eccleſiis ſunt inſtituti Præpoſiti & Decani, qui cæteros Clericos præcedunt, Archipresbyteri etiam dicti, quorum officium eſt ſuperintendere, & providere ne quid in divino officio incompoſitè Clerici faciant, eis, aliiſque Sacerdotibus, ſi deliquerint, pœnitentiam injungere in foro pœnitentiæ, benedictiones in Eccleſia dare, in præcipuis feſtivitatibus Miſſæ celebrationem ipſi implere, aut aliis demandare; denique circa divina omnia quæ miniſterio presbyteri perfici poſſunt, abſentis Epiſcopi vicem ſupplere, vel præſentis curam minuere. *c. 1. cum duob. ſeqq. X de off. Archipresb.* * Sunt & Deca- 7 ni rurales ſeu exteri vocati, conſenſu Epiſcopi & Archidiaconi conſtituti, qui presbyterorum per minores titulos habitantium & totius plebis vitam jugi circumſpectione cuſtodiunt, non tamen jus coërcendi, ſed dumtaxat reprehendendi habent, & Epiſcopo renunciandi, ſi quid in divinis minùs decenter factum ſit. *c. ult. d. t.* In primariis Eccleſiis & collegiatis ſunt quoque Primicerij inſtituti, tanquam capita acolythorum; lectorum & pſalmiſtarum, *c. perlectis. §. ad Primicerium 25. diſt.* Alicubi Primicerius inter canonicos dignitatem habet.

Nec illud ex altero jure omittendum, quod refert 8 Juſtinianus, in Eccleſia Conſtantinopolitana Decanos 950. conſtitutos fuiſſe, qui curam efferendorum humandorumque defunctorum habebant, *l. 4. & 9. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & Novell. 43. & 59.* ita paſſim Gloſſographi, à quibus receſſit Alciatus & Gregorius *l. 15. c. 21.* quod veriſimile non eſſet in Eccleſia S. Sophiæ tot fuiſſe veſpillones immunitatibus decoratos, ut malint propterea textus iſtos de canonicis ſeu clericis intelligi, ut ſcilicet dicerentur omnes Decani, quòd in decanias eſſent diviſi, uſque juriſdictio competeret in capitula, & in aliquam partem cleri. Exiſtimo tamen veriorem ſententiam illorum, qui decanos in iſtis textibus de ſepelientibus intelligunt. Plurima in eam rem teſtimonia in ſuo gloſſario collegit Joan. Meurſius ex ſacris auctoribus, nihilque clarius in duabus Novellis relatis. Cùm enim Conſtantinopolis abundaret innumeris hominibus, vexareturque ſæpiſſimè contagionibus, nec eſſet in urbe cœmiterium, ut tradit D. Chryſoſt. *homil. 74. in Matt.* non dubiũ eſt quin opus fuerit iſto numero Decanorũ, ad efferendos & ſepeliendos mortuos extra urbem, &

Digitized by Google

& alliciendi fuerint privilegiis ad obeundum mu-
9 nus tam neceſſarium: * Quod etiam nunc obeunt piæ quædam confraternitates, ut in Hiſpania *la cofradia de la cruz, y de la piedad, y de la miſericordia*, & in ipſa aula regis inſtituta eſt confraternitas ad ſepeliendos aulicos, & in Belgio, nominatim Bruxellis, eſt confraternitas, quæ eandem pietatem exercet. Garſia Toletanus in rubrica *hoc tit. n. 3.*

TITULUS XXVIII.

De Menſoribus.

1. *Qui ſint menſores, & quàm variè dicantur & nunc appellentur.*
2. *Hoſpitia parabant & ante exercitum itinera diſponebant. Milites non debent ſibi vias quærere.*
3. *Menſores Primicerium habuerunt, qui biennio expleto, agentis in rebus ultimi militiam ſortiebantur.*
4. *Digniores aulicos ſolent Principes promovere: quod ſi non promoveantur, non eſt cur doleant.*

1 MEnſores à menſura, ſive à metiendo dictos putat Cujacius, referens *ad h. t.* quod incertus quidam auctor ſcribit: *Miniſteriales imperatorum putamus majores in accipiendo, minores in dando menſuras habuiſſe.* Hinc exiſtimarunt aliqui menſores fuiſſe, qui aulicis annonam, & equis pabula metiebantur, *l. ult. infr. de diverſ. off.* alij menſores menſæ miniſtros eſſe dixerunt: alij eos qui domos ſignabant, in quibus milites erant hoſpitaturi; quos vulgò vocamus *Fourriers de l'armée*, promiſcuè in jure metatores. *l. 1. & 2. infr. de metatis.* Propriùs hoc titulo menſores appellari puto eos qui Principem in aliquam civitatem iturum præibant, hoſpitia parabant, & domos ſingulis aulicis deputatas ſigno denotabant, hos Hiſpani vocant *Apoſentadores de ſu Mageſtad, y de Corte*, de quibus eſt *Titul. 15. l. 3. Regia*
2 *nova recop.* * Iidem antequam Princeps ad exercitum proficiſceretur itinera deplanabant, non milites. De illis D. Ambroſius *in Pſalm. 118. ſerm. 5. Miles qui ingreditur iter, viam ordinem non ipſe diſponit ſibi, nec pro ſuo arbitrio viam carpit, nec voluptaria captat compendia, ne recedat à ſignis, ſed itinerarium ab Imperatore accipit, & cuſtodit illud, præſcripto incedit ordine, cum armis ſuis ambulat, rectaque via conficit iter, ut inveniat commeantium parata ſibi ſubſidia:* & paulò poſt: *Moderatè enim ambulat, quia Imperator non quod ſibi utile, ſed quod omnibus poſſibile, conſiderat: ideo & ſtativas ordinat, triduò ambulat exercitus, quarto die quieſcit.* Huc facit quod ſcribit Lampridius Alexandri Imperatoris virtutem extollens, in eo, quod itinerum dies publicè proponerentur: ita ut edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum erat; *Illa die, illa hora ab urbe ſum exiturus, & ſi Dij voluerint, in prima manſione manſurus*, &c. Manſiones pro unius diei itinere accipiuntur, Caſſianus *collat. 24. c. 4.* Sic etiam à Plinio manſio uſurpatur, *l. 12. c. 14. Manſionibus octo, ait, ſtat regio thurifera à monte excelſo*, vel pro ſtationibus militum.

Menſoribus Magiſter officiorum imperabat, pro- 3
ut etiam cæteris Palatinis & agentibus in rebus, *tit. ſup. de off. mag. off. & tit. de agent. in reb.* atque ut hi Principem ex ſuo corpore eligebant, ita & menſores ſibi cooptabant primicerium, qui cùm biennio in eo gradu permanſiſſet, ultimi agentium in rebus locum conſequebatur, id eſt, ejus militiæ tyro fiebat, *l. uni. h. t.* atque ita ſpectabilem dignitatem ſortiebatur, quemadmodum Principes agentium in *l. 3. 5. & ult. ſup. de Princip. agent. in reb.*

Porrò, ut officium Caſtrenſianorum erat an- 4
nuum, ita etiam Menſorum, *l. 1. ſup. de Caſtrenſ.* hodie palatina officia ſunt perpetua, niſi ad altiora detur aſcenſus beneficio Principis, qui plerumque digniores, & qui diutius laborarunt, ſolet promovere, ac negotia iis committere quos in oculis habet. Unde à Principe ſuo ſæpe conſpici non eſt inutile, & licèt in aula non ſemper ſecundi ſpirent venti, captanda tamen occaſio eſt, ſi quid à Principe impetrandum ſit. Si autem non impetrent, ſint ſuâ conditione aulici contenti, nec exiſtiment magnam ſe feciſſe jacturam, ſi non conſequantur petitum officium, aut ſi jam obtento, abdicentur; imò gratiæ potiùs honeſto aliquo titulo agendæ, quemadmodum tempore Vitellij, nonnulli officiis ſuis abdicati fecerunt, referente Tacito *l. 13. annal. Actæque inſuper Vitellio gratiæ, conſuetudine ſervitij.* hoc aulicis ſit ſolatij loco:

Lubrica namque via eſt, magni cecidere cadentque;
Eſt mihi qui hodie, cras tibi caſus erit.

TITULUS XXIX.

De privilegiis eorum qui in ſacro palatio militant.

1. *Recenſentur Palatini qui in aula verſabantur.*
2. *Quodnam erat officium adminiſtrationum, ſive Admiſſionalium, quinam nunc ſimiles.*
3. *Quibus muneribus liberentur in palatio militantes.*
4. *Emphyteuſis filiis & nepotibus conceſſa aut pro ſe & liberis quomodo deferatur.*
5. *Onus temonarium & præbitionem tyronum non agnoſcebant Palatini.*
6. *Diſtinctio utriuſque muneris, & de pentaprotia, & Angaria opere.*
7. *Qui fuerant in obſequiis aulæ, poſt diſceſſum immunes erant, nec poterat iis Numerarij onus injungi.*
8. *Quibus privilegiis fruantur hodie aulici, qui Principi miniſtrant.*

9. Pri-

Digitized by Google

9. *Privilegia retinent etiam functi dignitate, & qui diverſis actibus paruerant.*

10. *Præcipua aulicorum virtutes ſunt patientia & fortitudo in adverſis, & juvare ſuum Principem.*

1 IN palatio militare dicebantur, qui non armis ſed conſiliis opem ferebant, & alia munia aulica obibant. Erantque eorum alij Comites Palatini, alij Comitatenſes, Domeſtici, Largitionales, Privatiani, Mittendarij, Tabularij; Palatini ſacrarum largitionum & rei privatæ. Item inter Palatinos milites inermes numerabantur cubicularij, eorumque Præpoſiti & Memoriales, qui in ſcriniis memoriæ, Epiſtolarum, libellorum, ſacrarumque diſpoſitionum referebantur, nec non Comitatenſes ſingularum urbium, & qui in officio Admiſſionum & Caſtrenſis ſacri palatij militant, qui omnes Palatinorum matriculis erant adſcripti, ſive in aula verſarentur, ſive in civitatibus ſingulis cauſa Palatini officij eſſent conſtituti, quorum meminit Theodoſ.
2 *l. 3. C. Th. eod.* & Conſtantinus hic *in l. 1.* * Omnes parebant Magiſtro officiorum, etiam qui admiſſionales vocabantur. Horum munus erat honoratiores ad Principem venientes admittere. Pancirolus *in Notit. Imperij. c. 65.* quo munere nunc funguntur *les Gentils-hommes de la chambre*, ſive qui ſunt à cubiculis Regis; ſubſiſtebant intra cubiculum Principis, vel ad fores. De Alexandro Lampridius, *Cùm amicis tam familiariter vixit, ut communis eſſet ei ſæpe conceſſus, iret & ad convivia eorum, aliquos haberet quotidianos etiam non vocatos, ſalutaretur vero quaſi unus de Senatoribus, patente velo, Admiſſionalibus remotis, aut ſolis iis qui miniſtri ad fores fuerant.* Horum primus Magiſter Admiſſionum vocabatur. Vopiſcus *in Aurel.* Obſervo intra velum, hoc eſt, conſiſtorium ipſum, admiſſos fuiſſe Comites illuſtres & militares viros qui & nunc in *antecamera* Regis conſiſtunt. Inferioris ordinis juſſos fuiſſe ſubſiſtere inter cancellos & vela à Velariis & Cancellariis, quales Hiſpanicum vulgus *Porteros de ſaleta* appellat.

3 Privilegia varia militantibus in ſacro palatio data fuere, in primis ne ipſi, vel filij, vel nepotes eorum onera municipalia, aut patrimonialia munera, ſordida videlicet, ſubire tenerentur. *l. 1. h. t.* Hinc doctores aſſerunt ſucceſſores frui iſto privilegio ſecundum ordinem ſanguinis, ita ut primò deferatur ad filios, & eis deficientibus ad nepotes.
4 * Idemque etiam obſervari in emphyteuſi datâ alicui pro ſe & filiis, ut primò filiis, dein nepotibus deferri debeat, quaſi vocatis ordine ſucceſſivo. Platea & Rebuffus *ad d. l. 1.* Caſtillo *p. 3. contr. jur. c. 19.* At in Emphyteuſi data pro ſe & liberis comprehendi nepotes, & locum eſſe repræſentationi, ita ut nepos admittatur ad emphyteuſim, avo datam, etiamſi pater avi ſucceſſionem repudiaverit. Tiraquel. *De retract. gentil. §. 1. gloſſa 9.* Charondas *l. 11. reſp 20.*

Præterea Palatini temonariorum obſequium vel 5
pantaprotiæ, aut etiam tyronum præbitionem non agnoſcebant. *l 2. h t.* Quia cum eſſent in miniſterio Principis, & ſic in dignitate; videretur ea fœdari ſi hujuſmodi tributa ſolverent, vel à tyronibus capitationem exigerent. *l. 12. ſup. De excuſat. mun.* Vocabantur enim Capitularij exactores, *d. l. 2.* qui tributum capitulare, tyronum fortè capitibus impoſitum exigebant. *l. fin. §. qui annon. 8. ff. De muner. & honor.* item munus temonarium, ſive aurum ratione tributorum, cujus præſtatio fuit munus ſordidum, non etiam tyronum præbitio, *l. 7. C. Th. De tyronib.* licet contrarium ſentiat Cujac *ad l. 4. ſup. de dign.* * Etenim reparandi exercitus cauſa etiam 6
juniores ad arma conſcribebantur, eorumque poſſeſſionibus fiebat indictio, à qua nulla dignitas excuſabatur, *l. 12. C. Th. De tyronib.* nam etiam Senatores conſtat præbuiſſe tyrones, ſive pro iis aurum tyronicum contuliſſe, qui tamen temonarium munus, utpote ſordidum, non agnoſcebant, *l. 4. ſup. De proxim. ſacr ſcrin.* D. Amaya, *ad l. 2. ſup. De excuſat. muner. n. 53.* dicit temonarium munus fuiſſe ſimile angariæ, cujus indictio, ubi arma, aut aliæ res ad exercitum erant transferendæ, imperabatur omnibus, ut equos, mulos, currus & plauſtra præberent. *l. fin. § 3. & ſeq ff. De muner. & honor.* Cui perſonali muneri, cenſuali, aut ſordido, non erant obnoxij Palatini, item pentaprotiæ onus non agnoſcebant, licèt id ſubirent quinque primi & ſummates decurionum, nam horum periculo fiebant exactiones, & ſi quid fiſco deerat, de ſuo ſupplebant; ſicut Decaproti & Icoſaproti (id eſt, decem primi & viginti primi) tributa exigentes, pro oneribus defunctorum fiſcalia detrimenta reſarciebant. *l. 3. §. 10. ff. De muner ib* Alciatus *in notis ad h. t.* & Jac. Gutherius *l. 3. de off. dom. Aug. c. 24.*

Cæterum Palatini ſuprà relati, ſive adhuc pala- 7
tium obſervaſſent, ſive optatâ quiete donati eſſent, vacationem habebant perſonalium munerum, & caſtrenſe peculium, quibus privilegiis etiam fruebantur agentes in rebus, licèt militiâ nondum ſoluti eſſent. *l. 2. in fin. h. t.* Quin & ea ſoluta, ab aula diſcedentes, non propterea quod ad onera ſubeunda adhuc eſſent idonei, ideò Quæſtoris aut numerarij officium ſuſcipere adſtringebantur, *l. 3. h. t.* poterant enim Numerariorum faſtus, & Quæſtorum rapacitates rejicere, *l. 1. infr. De numerar.* ibi latiùs.

Hodie etiam nullum poteſt onus reale aut per- 8
ſonale, aulicis qui in miniſterio Principis ſunt, injungi, nec ad ulla ſubſidia, vel dona gratuita obſtringi, licèt indictio complectatur tam exemptos quàm non exemptos, ſi domeſtici Regis non ſpeciatim comprehendantur; nec illorum ſtipendia ob ulla debita poſſunt occupari, aut detineri. Habent

Digitized by Google

bent & aliud privilegium, quod exempti, & nobiles non habent, *du ban & arriere-ban*; Et quod dum aulam ſequuntur, eorum filij cenſeantur ubique nati: hinc omnium provinciarum Regi noſtro ſubjectarum privilegiis fruuntur, ac in Belgio & Burgundia qui numerantur *par les eſcrois*, omnium munerum capaces habentur. Denique non tenentur ad reſtaurationem viarum, murorum civitatis, annonæ contributionem, portarum cuſtodiam, aut excubias, milites hoſpitio accipere, vel angarias præſtare, ut latiùs proſequitur Loyſeau *lib. 1. des*
9 *offices, n. 48. & lib. 4. n. 84. & ſeqq.* * Meritò digni ſunt hiſce privilegiis qui Principi miniſtrant, aut quos ejus lateris comitatus illuſtrat, ut ait *l. 1. ſup. De præpoſ. labor.* Utque ea privilegia & inſignia dignitatis retineant, etiam ſi vacationem acceperint ob dignitatem qua functi ſunt. Sic olim in tantum ejus dignitatis, cujus merebantur miſſionem, inſignia obtinebant, ut iis omnibus præferrentur ordine atque conſeſſu, qui regendas provincias vel dignitates ſuſceperant palatinas, atque ita connumerabantur inter clariſſimos, *l. 4. h. tit.* quæ loquitur de aulicis, *qui in palatio militando diverſis actibus pervenerant.*

10 Hinc diſcant aulici per omnia ſuperiorum ſuorum mandatis obſecundare, præcipuaſque ſuas virtutes eſſe fortiter agere, & pati; per patientiam enim facilè aulicas difficultates ſuperaverint, ſiquidem teſte Q. Curtio, *optimè miſerias ferunt, qui eas abſcondunt*, hoc eſt, qui patienti animo adverſa tolerant. Rectè Seneca *lib. 3. de Ira, ſi imbecillior eſt qui te læſit, parce illi; ſi potentior, tace.* Ex qua ſententia colligere eſt patientiæ conjunctam eſſe fortitudinem, id eſt, animum firmum & conſtantem adverſus incommoda aulæ, quæ virtus idcirco in primis neceſſaria eſt, ut Palatini in periculis, diverſiſque actibus juvare poſſint ſuum Principem, & illa ſuperare quæ temporum adfert viciſſitudo. Præterea erga illum ita ſyncerè & ſine fuco ſe gerere valeant, ut tales ſint, quales videri volunt. Sincerè dico, nam pectus aulicorum Principi apertum eſſe debet, & animus promptiſſimus ab obſequia; ac ſic præmia & immunitates jam dictas merebuntur.

TITULUS XXX.

De privilegiis Scholarum.

1. *Quot fuerint ſcholæ palatinæ? Fabricenſium non fuit ſchola ſed corpus certum. Protectorum fuiſſe videtur ſchola undecima.*
2. *Protectores apud nos ſunt milites cuſtodiæ Principis, qui vigilant, dum dormit.*
3. *Fidiſſima cuſtodia Principis eſt amor civium.*
4. *Recenſentur undecim ſcholæ militantium, quæ Principem comitari conſueverant,*
5. *Septem armatæ & duæ inermes ſubjectæ erant Magiſtro officiorum: Duæ armatæ ejus vicariis Comitibus.*
6. *Cur ſcutarij, ſagittarij, clibanarij, armaturæ & gentiles dicerentur.*
7. *Quævis ſchola ſuum habebat Comitem, cui tamen non erat facultas milites ſcholares degradandi, verberandi, ſed hoc Magiſtro incumbebat.*
8. *Nec Comes poterat ſuos domeſticos ducenarios facere.*
9. *Militantes qui primicerij facti ſunt, fruuntur privilegiis clariſſimorum.*
10. *Ubi quis deliquit, ibi punitur, convenitur & coram Præſide ob tributa debita.*
11. *In urbe coram Magiſtro officiorum ipſi & eorum uxores, etiam viduæ, conveniuntur, & fidejuſſorem dant actuarium.*
12. *An vidua gaudeat privilegiis mariti quoad realia.*
13. *Si ſine ſcriptis aut in ſcriptis procedatur in cauſis quid ſportularum nomine pendatur.*
14. *Conſenſu partium fieri poteſt in cauſis levioribus, ut libellus omittatur, & ne ſententia ſcripto feratur.*

UT Palatinorum, ita & Scholarium certa erant privilegia. Scholæ hic pro ordine militantium accipiuntur, præſertim eorum qui tuebantur palatium Principis, unde ſcholæ palatinæ à Marcellino appellantur. *l. 14. Solis*, inquit, *Scholis Conſtantius juſſit. Gallum eſſe contentum palatinis, & Protectorum cum ſcutariis & Gentilibus.* Juſtinianus undecim ſcholas numerat. *l. fin. C. de locato.* Cùm tamen in Notitia utriuſque imperij decem tantùm enuncientur: Exiſtimat Cujacius undecimam ſcholam fuiſſe fabricenſium: verùm hi à ſcholis in Notitia ſeparantur, ita ut fabricenſium fuerit certum corpus, non ſchola, Gutherius *l. 3. C. 10. de off. dom. Aug.* * Quare ſi ſchola undecima quærenda eſt, fortè fuit Protectorum, quod ſenſiſſe videtur Marcellinus *dicto loco.* facit *l. 3. Cod. Theod. h. t. ibi Variis itineribus ad Protectorum ſcholam venire perſpicimus*, quaſi non promiſcue milites ad eam pervenirent, ſed qui ſtrenui eſſent, aut veterani, ex quibus creabantur Protectores, quos ampliora cæteris ſtipendia meruiſſe ſcribit Procopius, *in hiſtoria arcana. Sunt in imperatoria domo dignioris planè ordinis milites; alij quibus quo majori pretio militia nomina ſibi comparant, eo major ab ærario publico ſolvitur penſio. Domeſtici & Protectores vocantur bellica omnino virtutis expertes, & ordine ac dignitate modò in Regia cenſentur.* Eratque illorum ſchola militiæ pedeſtris, totaque ad fores palatij, periculo imminente, excubabat, D. Amaya *ad l. 2. ſup. de excuſ. mun. n. 10. & ſeqq.* Apud nos dicuntur *Gardes du Roy*, & eorum Duces *Capitaines des Gardes*, quibus vigilantibus in ſecuro dormit Princeps. * At dormiat ille æternum ſecurus, tamen ex Claudiano diſcat hos verſus;

Non

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia pila,
Ut tutatur amor. ———

Unum inexpugnabile monumentum amor civium, Seneca *l.1.de clem. c.19.* In id incumbat princeps ut ametur, tanquam ſubjectorum conſervator, & timeatur, tanquam legis anima, in qua ſalus omnium & fortunæ pendent. Fidiſſima quoque principis cuſtodia eſt ipſius innocentia.

4 Alij erant milites qui Principem ſtipabant & ſemper comitabantur. Sic Livia dicebat Auguſto, apud Dionem *lib. 55. Sunt nobis multi milites, quorum alij hoſtibus opponuntur, alij ſtipant, ac nos cuſtodiunt, & domi & foris ſecuritatem præſtant.* Ex his erant Domeſtici Protectores, & Scutarij. Scutariorum triplex fuit ſchola, prima, ſecunda, & tertia; quarta Agentium in rebus, quinta Armaturarum ſeniorum, ſexta Armaturarum juniorum, ſeptima Gentilium ſeniorum, octava Gentilium juniorum, nona ſcutariorum ſagittariorum, decima ſcutariorum clibanariorum, undecima Protectorum & Domeſticorum, ordine ultima, ſed dignitate prima. Hiſce duas inermes ſcholas addit Pancirolus, *in Notitia, c. 63.* Agentium in rebus unam,
5 alteram Silentiariorum. * Septem armatæ Magiſtri officiorum juriſdictioni ſubjectæ erant, *l.2.h.t.* videlicet ſchola ſcutariorum prima, ſcutariorum ſecunda; Gentilium ſeniorum, ſcutariorum ſagittariorum, ſcutariorum clibanariorum, Armaturarum juniorum, & Gentilium juniorum. Duæ armatæ ſub Comitibus Magiſtrorum militum vices agentibus, domeſticorum equitum, & domeſticorum peditum, *id patet ex inſcriptione l. 1. Cod. de venat. ferar.* Silentiariorum Scholam Primicerio cubiculi paruiſſe conſtat, ſed poſtea Magiſtrum officiorum agnovit judicem, & coram eo in cauſis civilibus & criminalibus conveniebantur ſilentiarij. *l. 4. ſup. de ſilentiar.* Sicut etiam Agentes in rebus ſeu Principis nuncij.

6 Porrò ſcutarij à ſcutis dicebantur, quibus ſe undique tegebant. At ſcutarij ſagittarij non ſolùm ſcutis, ſed etiam ſagittis utebantur: ſcutarij clibanarij erant equites cataphracti, qui non ſolùm corpus ſuum, ſed etiam equos armis tegebant. Armaturæ dicebantur milites gravis armaturæ, gladium, ſcutum & longiorem haſtam geſtantes. Gentiles erant idololatræ, Barbari ex diverſis gentibus Romano imperio non ſubjectis collecti. Nullus autem has ſcholas ingredi poterat, qui à Principe probatus non eſſet, & ideo ipſorum nomina in Scriniis majoris laterculi à Notariis tribunis ſcribebantur, ut dixi *ſup. tit. 20. n. 4.*

7 Cuique ſcholæ ſuus præerat Comes, vir ſpectabilis, hunc ſequebatur Primicerius, qui idem Tribunus vocabatur, ipſe quoque ſpectabilis. Poſt hunc decem primi ſcholarum, titulo Clariſſimi decorati. Quorum primus Secundocerius dictus, poſtea hi ad Primicerij gradum promovebantur. *l. 2. ſup. De domeſt. & Protectorib.* Poſt hos erant Ducenarij, deinde Centenarij, mox Biarchi, & alij, de quibus *tit. 20.* dixi. Hos deponendi, corrigendi, verberandive facultatem eorum Comes, vel Tribunus non habebat, ſed hoc ad Magiſtrum officiorum ſpectabat, idque pro privilegio datur ſcholæ agentium in rebus. * Inſuper ne domeſti- 8
ci Comitum ſcholarum, Seniores vel Ducenarij vel Centenarij fiant: Et ne cui domeſtici officium interdictum eſt, fraudem huic interdictioni faciat: erat autem interdictum Senatoribus, id eſt, ſenioribus officij, & Ducenariis, Centenariis domeſticatus officium. *l. 1. h. t.* Hinc fraudem facit, qui prohibetur officium aliquod exercere, & mutato nomine, aliove colore illud ambit & acceptat. *l.29.& ſeq. ff. de legib.*

9 Conceſſum deinde omnibus ſcholaribus, ac præſertim iis qui poſt emenſa ſtipendiorum curricula ad primiceriorum gradum pervenerant, adorata Principis purpura, ut Clariſſimorum Comitum dignitate & privilegiis fruerentur, atque Magiſtri officiorum juriſdictioni ſubjacerent, ne ex alterius cujuſlibet ſententia civile ſubire litigium compellerentur; unde in criminalibus & tributariis cauſis, quia publicæ, hoc privilegium non ſortiebantur, nam adverſus eos de iis cognoſcebant provinciæ Præſides, ne ſub prætextu privilegij, vel flagitiorum creſceret auctoritas, vel publica vacillaret utilitas. *l.2.h.t.*

10 Itaque finito munere, ut nunc etiam eo durante, qua in provincia quis deliquit, illic juri ſubjacet, quod jus perpetuum eſt. *Auth. qua in provincia, Cod. ubi de crim. agi oport.* ſummota fori præſcriptione, & allegatione dignitatis, nam reatus omnem honorem & dignitatem excludit: niſi tamen ſit perſona illuſtris, ut dixi *ſup. ubi Senatores vel Clariſſ. & infr. l. 12. tit. 4. num. 2.* Publicè enim intereſt, ne maleficia maneant impunita, & pacatæ ſint provinciæ, & ideo datur facultas Præſidibus crimina vindicandi, & de tributariis cauſis cognoſcendi, ob facilitatem teſtium & documentorum, quæ in provincia & loco geſti muneris poſſunt exhiberi & præſtari. *l. 2. ſup. ubi de ratiociniis agi oport.* * Aliàs ſi in urbe ſcholares deliquiſſent, vel 11
contraxiſſent, coram Magiſtro officiorum conveniebantur, item matres uxoreſque ipſorum in viduitate permanentes, ac liberi qui ſpecialiter alterius judicis juriſdictioni non ſubjacerent, præterea non tenebantur dare alium fidejuſſorem judicio ſiſti, præter numerarium ſcholæ ſuæ ſive actuarium, & in criminalibus cauſis quinque primates ex triginta viris cum actuario. *l. 3. h. t.* * Ex 12
qua eliciunt Interpretes, viduam honeſtè viventem gaudere omnibus privilegiis, ac ſi maritum haberet ſuperſtitem. Verùm cùm *d. l. 3.* tan-

Digitized by Google

tantùm loquatur de privilegio fori, & de iis, quæ judicia concernunt, non erit extendenda ad immunitatẽ vel exemptionem à muneribus realibus, cùm extincta ſit perſona, quæ cauſa fuit immunitatis. *l. 3. in fin. ff. De cenſib* Gaſp. Ant. Theſaurus. *l. 1. Quæſt. forenſ. c. 9.* Niſi maritus ſit nobilis, quia de conſuetudine nobilitatis jura ad uxorem & liberos tranſeunt. Præterea ſcholares nomine ſportularum tam in urbe quàm in provincia conventi, unum ſolidum executoribus pendebant. Cæterum durante tempore commeatus accepti, ad provincias redeuntes, ibique exiſtentes, non poterant conveniri, niſi pro tributis & criminibus, at poſt tempus commeatus, quod erat quinque menſium, ibi conventi ex delegatione Magiſtri officiorum, committebantur juratoriæ cautioni, ne in quærendis fidejuſſoribus aliquod paterentur detrimentum. *l. 3. h. t.* ubi in fine prolixè dicitur, ut, quoties ſcholares, vel qui ex eorum familia erant, putà uxores, liberi, & ſervi, monebantur ſine ſcriptis, nihil ſpor-
13 tularum nomine penderent. * Si verò cauſa adeo fuiſſet tenuis, ut de ea ſine ſcriptis, partibus conſentientibus cognoſci poſſet, & ſcholares ſuccumberent, pro ſportulis ſolidum ſolvebant. Sin autem cauſæ qualitas exigeret, ut ſcriptò ageretur, interlocutio quoque ſcripto proferenda erat, & quantitas ſportularum decidendarum cognitionum
14 diſpoſita obſervabatur. * Hinc noſtri pragmatici obſervant, conſentientibus partibus poſſe ſententiam ſine ſcriptis ferri, & procedi de plano, item remitti teſtibus juramentum, cum alias teſtibus non juratis, parte contradicente, nunquam credatur, & libellum omitti poſſe & juramentum calumniæ tacite remitti, non autem expreſsè, præſertim parte non urgente, Card Tuſcus *pract. concl. jur. tom. 4 lit. I. concl. 533. n. 3. & 10.* Gail. *pract. l. 1. obſ. 84. n. 2. & 85. n. 2. obſ. 101. n. 1.* Vide quæ ſuprà *l. 2. tit. ult.* de hoc juramento dixi.

TITULUS XXXI.

De Caſtrenſi omnium palatinorum peculio.

1. *Inter privilegia palatinorum eſt, ut filijfamilias habeant peculium caſtrenſe.*
2. *Redditur ratio, & quod illi privilegium habeant, qui aſſidui in palatio laborant, non otioſi equites aurati.*
3. *Quæ donabantur militibus & palatinis in præmium laboris; & quæ pro ſtipendio.*
4. *Commendatur parcimonia, qua filiifamilias peculia ſibi parabant.*
5. *Ut vitia, ita & virtutes ſui Principis, amplectuntur aulici. Quæ parcimonia Principi neceſſaria.*

1 PRivilegium quod jam dudum Conſtantinus dederat omnibus palatinis, ut videlicet haberent caſtrenſe privilegium, *l. 2. ſup. De privil. eorum qui in ſacro pal. mil.* id confirmat Conſtitutione hujus tituli, & extendit ad filiosfamilias in ſacro palatio degentes, ita ut ſi quas res, parcimoniâ ſuâ, vel ſtipendio, vel largitate Principis fuerint conſecuti, eas tanquam in caſtris quæſitas, jure peculij habeant. Neque enim alienos à pulvere & labore caſtrorum putat Imperator, qui ſua ſigna comitantur, & quos laborum prolixitas, & expeditionum difficultas exercuit. *l. uni. h. t.* * Ideoque repetit mi- 2
litantes in palatio peculia ſua præcipua retinere, quæ labore proprio aut donatione ſibi quæſierunt, ut excludat milites, aut palatinos otioſos, quos vulgo auratos equites vocamus, qui titulum, non laborem militiæ ſuſcipiunt, ut conſultus reſpondit Uldaricus Zaſius *conſ. 6. vol. 1.* * Conſequebantur autem 3
milites armati, & palatini corniculas argenteas, in ſignum ſtrenuitatis & aſſidui laboris; item torques aureos, & cingula, & balthea, ob egregia facta. Vegetius *l. 2. c. 7.* quæ ornamenta hodie verſa ſunt in calcaria, & auri præcincturam. Nam dum quis eques auratus creatur, gladio percutitur eoque donatur. Dabantur & olim militibus ac palatinis ſtipendia in ære, veſte, & cibariis, & duplicabantur ob merita. Livius *l. 24. Hiſpanis duplicia cibaria dari juſſit.* * Ex his ſibi peculia parabant, & parcimonia 4
ſua augebant, prudentiores filiifamilias, *& quamquam fortuna vel induſtria plerique eorum pecunioſam ad ſenectam pervenirent, manſerat tamen prior animus*, ut *de aliis novis hominibus* ſcribit Tacitus, *l. 3. annal.* qui in urbem parcimoniam intulerant. Hac enim itur ad virtutem, & ad ſecuritatem iniquis temporibus, quibus ignorari ſumma laus eſt, & ſecuritas bonis.
* Aulici facilè virtutes amplectuntur, ſi Princeps 5
eas colat; is enim in Republica, aut virtutis aut vitiorum exemplum eſt. *Utque in corporibus, ſic in imperio, graviſſimus eſt morbus, qui a capite diffunditur in cætera membra*, ait Plinius *l. 4. Epiſt. 22. in fine.* Si Principem temperantem vident aulici, & parcimoniæ deditum, tales & illi fiunt, ut ſup. dictum *tit. 11.* Nimiam tamen parcimoniam in Principe non laudo, ſed illam, quæ non excludit munera benemeritis debita, excludit verò largitiones, quæ ex injuria fiunt, atque ſumptus qui nullo publico fructu fiunt. Sequuntur dignitates non Senatoriæ.

TITUULS XXXII.

De Equeſtri dignitate.

1. *In ſecundo gradu dignitatis ſunt Equites Romani.*
2. *Erant in magno honore, non etiam externi Equites.*
3. *Ad ſplendorem ordinis, divitiæ ſunt neceſſariæ.*
4. *Ex Equitum ordine centum viri judices olim electi: de quibus judicarent.*
5. *Centumviralis judicij imago in Germania & Belgio, & inter milites Germanos,*

6. Equi-

Digitized by Google

6. *Equeſtris ordo ſeminarium Senatorum. Nunc etiam munia publica potiùs deferuntur Nobilibus & Equitibus, quàm cæteris.*
7. *Expedit Reipublicæ ad eam promovere homines mediocris ingenij, quàm ſublimioris.*
8. *Equites militares Principem ad bellum ſequuntur, quibus ornamentis decorentur. Præferuntur honorariis.*
9. *Non naſcuntur ſed fiunt Equites, & inſigniuntur ſigno Regio, aut cruce donantur in Gallia, & Hiſpania.*
10. *Oſtenditur ipſos. Reges non cenſeri Equites, niſi creentur.*

1. EQuites Romanos ſecundum gradum poſt Clariſſimatus dignitatem obtinere jubet Valentinianus Imp. *in l. uni. h. t.* proinde eodem loco ſunt habendi, quo perfectiſſimi, illi nimirum qui in urbe: Nam in municipiis nati, tantum ſplendoris non habebant. Unde Equites Romanos in urbe agentes, ob ſtrenuam eorum operam ſæpe ab Imperatoribus Illuſtrium & Spectabilium titulo decoratos fuiſſe legimus apud Tacitum *l. 1. annal.* ubi modicos Equites intelligit, qui non Romæ, ſed in municipiis nati erant. Splendentes quoque & inſignes appellat Plinius, *l. 9. c. 15.* d Orleans *in Tacit.* & Tiraquel. *de Nobil. c. 37. in fin.* Pendebant honorum tituli ex arbitrio & libidine Principum, ac pro equitum opera induſtriaque creſcebat vel decreſcebat illorum dignitas & am-
2 plitudo. * Plerumque tamen Equites Romani quod divites eſſent (illorum enim cenſus erat quadringenta millia ſeſtertium, dimidio minor ſenatorio), ideo maximè honorabantur, non ita externi Equites vel municipales, quorum cenſus
3 erat exiguus, Sidonius Apoll. *l. 6. Epiſt.* * Splendor enim ordinum anguſtiâ rei familiaris viləſcit, teſte Seneca *in ſuis declam.* Et *l. 2. De benefic.* in hæc verba loquitur: *Senatorum gradum cenſus aſcendere facit, cenſus Romanum Equitem à Plebe diſcernit, cenſus in caſtris ordinem promovet, cenſu denique in foro Judex legitur.* Si autem cenſus ad equeſtrem ordinem requiſitus, diminutus fuiſſet, etiam honor diminuebatur, & tandem qui hujus ordinis erant, cum ſponte deſerebant deficientibus ſcilicet indies facultatibus. Sed Auguſtus, ut ſcribit Suetonius de eo, *Cum plerique Equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, ſpectare ludos è quatuordecim ordinibus non auderent, id permiſit iis, quibus ipſis parentibuſve equeſter cenſus unquam fuiſſet.* Hinc videre eſt quanto in honore fuerint Equites Romani, ut etiam habuerint jus ſpectandi è quatuordecim ordinibus, id eſt, gradibus theatri, velut ſenatorius ordo in Orcheſtra ſpectabat. Verùm ſub Claudio Equitum ordo ſuo ſplendore cœpit deturbari, per libertinos, quos Equites creabat, dabatque etiam iis jus ſedendi in quatuordecim ordinibus. Martialis id etiam notat ſub Domitiano, *l. 7. Epigram. 64.*

Qui tonſor fueras totâ notiſſimus urbe,
Et poſt hoc dominæ munere factus Eques.

Verùm ſub aliis Principibus, ſemper Equitum 4
ordo in honore fuit. Quin & initio ex illo ordine centum viri judices eligebantur, quibus poſtea additi fuere octoginta. *Sedebant*, inquit Plinius, *Judices centum & octoginta, tot enim conſilus quatuor conſcribuntur* (& nunc cameræ); *ingens utrimque advocatorum & numeroſa ſubſellia præſtantium corona, latiſſimum judicium multiplici circulo ambibat. l. 6. Epiſt. pen.* Diſtinguebatur hoc centumvirale judicium à Senatu: Nam hic legem dabat, ut nunc Princeps, quam ſequi tenebantur judices qui juxta præſcriptam legem de cauſis ſibi commiſſis judicabant, ut centum viri de petitione hæreditatis, teſtamentorum quæſtionibus, de cauſis uſucapionum, & alluvionum, de jure haſtæ, & aliis. Petr. Gregorius *in ſyntagm. jur. l. 47. c. 24.*
* Huic centumvirali judicio correſpondere videtur judicium, quod in Germania & Belgio certis 5
temporibus habetur, collectâ civium aut colonorum multitudine, ubi præeſſe ſolet Prætor, vulgo Scultetus, virga prætoria præpoſita, quæ inſtar haſtæ erecta, ſymbolum eſt juſtitiæ exercendæ, Regiæque poteſtatis. Item inter Germanos milites eſt criminale judicium non diſſimile, cui totius legionis Duces, centuriones aliique præſunt, una cum judice relatore, qui lecta ſententia, & fracto bacillo, reum lictori committit, & mandat ſententiam latam exequi. Ita *in Conſtitut. criminal. Carol. V. Imperat. de cauſis capit. & publico judicio art. 82. & 96.* & Wolgangus Lazius *l. 3. De Republica Roman c. 10.*

Præterea ex Equitum ordine, ad ſenatoriam 6
vel aliam dignitatem evehebantur, id Mæcenas Auguſto ſuaſit, cum dixit, *Equites multis negotiis obeundis clari, digni ſunt, qui in ordinem ſenatorium recipiantur; quin etiam ex his qui ordines in civilibus legionibus duxerant, in Senatum adſcribendi aliquando nonnulli ſunt, modò ne ſtipendia meruerint; quippe turpe ac probrum ſit, eos in Senatorum numero haberi, qui aliquando floreas & corbes geſtaverint.* Dion. *l. 52.* Hinc Lampridius Heliogabalum Imp. accuſat, quod inter alia ipſius portenta ac ſcelera, urbis Romanæ Majeſtatem contemnens, in Senatum plurimos legerit, ſine diſcrimine ætatis, cenſus, generis, & equeſtrem dignitatem ignobilitate polluerit. Contra autem idem Alexandrum Severum laudat, quod libertinos nunquam in Equeſtrem ordinem redegerit, aſſerens equeſtrem locum Senatorum ſeminarium eſſe; in quorum numerum ex jure conſultis relatus fuit Maſſurius Sabinus, jam grandis natu, & Longinus, referente Pomponio, & ad præturam uſque

uſque evectus. *l. 2. ff. De orig. juris.* Non enim tantum ob bellicas virtutes, ſed etiam civilem admiſtrationem, equeſtris dignitas dabatur Juriſconſultis & Senatoribus, licèt ſenatorio ordine minor eſſet.

7 Nunc in pleriſque regionibus, ad Magiſtratum & regimen Reipublicæ promiſcuè ex Nobilium, & Equitum ordine aſſumuntur, evehunturque ad ſuprema concilia. Imò in Hiſpania magno ſibi ducunt honori Equites, poſſe adſcribi Senatorum ordini, ut olim Romani; atque ſufficit illos eſſe virtutibus præditos, & ad regendum idoneos, tametſi in juris ſcientia ſint mediocres; quia, ut ſcribit Thucydides *in Orat. Cleonis l. 3. Intelligimus utiliorem eſſe imperitiam cum modeſtia, quàm peritiam cum immodeſtia, ac tardioris ingenij homines adminiſtrare commodius plerumque civitates, quàm ſolertiores.* Cauſa eſt, quia ignea iſta ingenia, referente Lipſio *in polit.* nimiâ juris ſubtilitate, novandis rebus quàm regendis ſunt aptiora: fervent ſub initia, algent ſub finem, conantur omnia, nihil ad perfectionem adducunt. Accedit quòd obſequij ſint impatientia, & in conſultationibus aliorum ſententiis non libenter acquieſcant; ſed ſubtili ſuâ mente omnia metiuntur, & cum ad rerum circumſtantias attendere deberent, ea ſibi proponunt, quæ nec ſunt, nec unquam erunt.

8 Non diffiteor ex Nobilium ordine plures hodie Principem ad bellum ſequi, & neglectâ togâ, ſago magis delectari, quo ornantur, & dum Equites à Principe creantur, gladio tanguntur in capite, eoque ſuccinguntur. Romani verò Equites præter cingulum & annulum aureum, equum accipiebant, quòd fiebat plerumque ante congreſſum cum hoſte vel obſidionem, ut ſtrenuè ſe gererent, aut commiſſo jam prælio, in remunerationem. Annulos aureos Senatores & Equites tantùm geſtaſſe ſcribit Dion, & Plinius *l. 33. c. 1. Annuli*, inquit, *diſtinxerunt alterum ordinem à plebe, ſicut tunica ab annulis Senatum tantùm.* Atque hi militares Equites ſemper prælati fuere iis, qui codicillis à Principe acceptis, honorarij ſunt Equites, nullo fuſo ſanguine. Ubi tamen militari ordini adſcripti, tenentur munus implere per ſe, aut impediti, per ſubſtitutum, qui ſuis ſumptibus Principem ad bellum comitetur; dato in eam rem fidejuſſore, ut decreto Regis noſtri cautum eſſe ſcribit Larrea *alleg. fiſc. 122. num. 21.*

9 Unde liquet non naſci Equites, ſed propria virtute fieri, & à Principe creari, & alios ab aliis torque ſignove regio diſtingui, probatâ generis nobilitate, aut virtute quæſitâ, ut in Gallia Equites S. Spiritus, & S. Michaëlis, quem pro ſodalitio numine colunt. In Hiſpania Rex, ut Dux Burgundiæ proceres ſuorum regnorum, velleſe aureo ornat, alios rubra cruce S. Jacobi, in formam ſpathæ, alios viridi cruce Alcantaræ, alios Calatravæ cruce, Luſitanos vero cruce Chriſti inſignit, ut Rex Luſitaniæ. Ita & Angliæ Rex Regni ſui primores
periſcelide donat. * Imo ipſi Reges ut iſtis ordini- 10
bus præeſſent, creari debebant prius Equites & ordini adſcribi nam licèt generis nobilitas in poſteros derivetur, non tamen equeſtris dignitas. Hinc legimus apud Petrum Vineam, *l. 3. Ep. 20.* Regem Conrardum Frederici II. Imper. filium ſcripſiſſe ad cives Panormitanos, ſe Equitem velle creari. *Licet*, inquit, *ex generoſitate ſanguinis, quâ nos natura dotavit, & ex dignitatis officio quâ duorum regnorum nos in ſolio gratia divina præfecit, nobis militaris honoris auſpicia non deeſſent: quia tamen militiæ cingulum, quod reverenda ſancivit antiquitas, nondum ſerenitas noſtra ſuſceperat, prima die præſentis menſis Auguſti, cum ſolemnitate tyrocinij, latus noſtrum eligimus decorandum.* Alia referuntur exempla, nominatim de Malcone Scotiæ Rege, qui voluit ab Henrico I. Galliæ Rege Eques creari, & ipſe Galliæ Rex Ludovicus II. ut inunctus erat, à Philippo Burgundiæ Duce militare cingulum accepit, quod exiſtimaret eſſe incitamentum ad virtutem & militiæ gloriam, quâ accenſi Principes libenter ex alto Majeſtatis faſtigio ſe demittunt, & in ordinem equeſtrem nonnullorum ſubjectorum, quorum geſta ſunt illuſtriora, recipi ſociarique cupiunt.

TITULUS XXXIII.

De Perfectiſſimatus dignitate.

1. *Multa honorum genera inventa; Perfectiſſimatus dignitas major Equeſtri.*
2. *Concedebatur a Principe codicillis, quibus inſerebatur titulus dignationis.*
3. *Qui hanc dignitatem obtinere & ad eam adſpirare poſſent.*
4. *An officia publica, & juſtitia vendi poſſint.*
5. *Referuntur Principes qui venundationem, & ſuffragium permiſerunt; laudatur Juſtinianus qui utrumque ſuſtulit.*
6. *Moribus officia quædam publica, matrimonio conſtante acquiſita, communicantur uxori quoad æſtimationem.*
7. *Qui nunc perfectiſſimi vocari poſſint, & qui Magiſtratus verè ſint tales, & egregiatus dignitatem mereantur.*

COnſtantinus Imperator cujus eſt conſtitutio 1
hujus tituli, ut plures extolleret, & animaret, multa honorum genera adinvenit, ac poſt Clariſſimos inſtituit Equites, quos Perfectiſſimi præcedebant. Licet enim Macrobius, *l. 6. Saturnal.* M. Valerium Probum, qui diu Eques militaverat, virum perfectiſſimum appellet, is non ab æqueſtri militia, ſed à Principe hunc honorem obtinuerat, qui co-

Digitized by Google

codicillis ab Imperatoribus concedebatur, *l. un. h. t.* à quibus & ſæpe ordo dignitatum mutatus; nam qui inter Clariſſimos erant, quandoque in jure vocantur ſpectabiles, item perfectiſſimi qui altio-
2 ris erant ordinis. * Ubi enim Imperatores aliquem in Magiſtratum allegerant, ſimul addebant, quâ vellent eum dignitate frui, & titulo uti. Hinc plerumque fiebat, ut Præfectus urbi aliquando Illuſtris foret, quandoque tantùm Spectabilis, ſic Præſides non ſemper Clariſſimi, ſed aliqui Perfectiſſimi, ut auctor eſt Marcellinus *lib.* 21. ſic ſcribens de Conſtantino: *Nec ſub eo quiſpiam cum clariſſimatu profectus eſt, qui aliàs perfectiſſimi dicebantur.* Ideo bene notat Alciatus *l.* 3. *diſpunct. c.* 4. haſce dignitates non fuiſſe acceſſiones officij, ſed ubi illud aliquis acceperat, tunc Princeps ſecundùm viri merita & ante geſtos honores, Clariſſimatus vel Perfectiſſimatus dignitatem aut aliam largiebatur.

3 * Hac autem Perfectiſſimatus dignitate plerumque decorabantur qui minimas provincias regebant, ut erat Præſes Arabiæ, *l.* 18. *ſup. De pœnis.* & Dalmatiæ, quem inter perfectiſſimos Notitia locat, item Magiſter cenſus. *l.* 52. *ſup. De Epiſcopis & Clericis.* Primicerius ſcriniorum, *l.* 7. *ſup. De Palatinis ſacrarum largitionum*, & quicumque hujus dignitatis inſignia à Principe impetraverant, dummodo tales eſſent, quales Conſtitutio noſtra requirit, nam qui ſervili, vel curiali conditioni erant obnoxij, vel alterius vilis miniſterij opifices, piſtores, negotiatores, aut qui ſibi honorem venali ſuffragio emerant, ad eum non evehebantur. *l. un. h. t.*

4 An ergo vetitum officia publica vendere aut emere? Omnino, idque probat *d. l. un.* & ratio, quòd cum officia ſint inſtituta, ut ſubveniatur Reipublicæ, debet Princeps illi de viris idoneis & benemeritis providere, id autem non permittit iſta venundatio, quæ ſemper divitias virtuti præfert, crumenam meritis. Eſt ſanè res non minùs periculoſa, quàm ignominioſa vendere, & haſtæ ſubjicere, quod virtuti debetur. Tollitur enim virtutis & eruditionis ſtudium, ſi tantum ad honores pateat aditus iis, qui ſunt opulentiores, quorum unicum eſt ſtudium pecuniam datam recuperare, tum lucrum facere. Accedit, quòd non facilè ſubditi eos revereantur, quos ſciunt pecuniâ, non virtute ad honores eſſe evectos. *Ex quo*, inquit Seneca, *pecunia in honore eſſe cœpit, verus honor cecidit, mercatores & venales invicem facti, quærimus non quale ſit quidque, ſed quanti. Epiſt.* 115. Quare Alexander Imperator venundationes iſtas officiorum omnino prohibuit, ſubindicans neceſſe eſſe, *ut qui emit, vendat.* & Conſtantinus ſuorum prædeceſſorum leges hujuſmodi venundationem permittentes ſuſtulit, ut patet ex *l.* 1. *Cod. Theod. De honori-*
5 *bus & codicillis.* & conſtitutione hujus tituli. * Nec refert, quòd pòſt Julianus Imperator permiſerit aliquid ſuffragij nomine accipere, Theodoſius & Arcadius jus ſuffragii confirmaverint, *l. un. ſup. De ſuffragio.* nam illi abuſi ſunt ſuâ poteſtate, & dum ſtudebant benefacere ſuis aulicis, aut augere ærarium, Rempublicam diminuebant. Fuerunt enim Principes & nunc multi ſunt agris ſimiles, modò fertiles, modò ſteriles. *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres*, inquit Tacitus, *& cætera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.* Inter meliores meritò recenſendus Juſtinianus Imperator, qui vetuit aliquid dari ſuffragij nomine: dixi *ſup. De ſuffragio*, aut accipi à judicibus, & aliis qui civilem adminiſtrationem habent, *Novell.* 8. *in princ.* omni eos vult abſtinere corruptione & acceptatione, iis ſolùm contenti, quæ à fiſco dantur. Quod non aliter fiet, niſi & ipſi dignitates obtineant ſine mercede: ad eas igitur *accedendum non ambitione, vel pretio, ſed probatæ vitæ teſtimonio*, ut ait *l. ult. ſup. ad l. Jul. De repetund.* de venundatione iſta officiorum in Gallia uſurpata, videatur Loyſeau *des offices. l.* 3. *c.* 1. Le Bret *De la ſouveraineté du Roy*, *l.* 2. *c.* 5. Larrea, *alleg. fiſcal.* 119. *num.* 23. apud nos officia juſtitiæ, & alia publica non ſunt venalia, & extat edictum Regis noſtri, quo juramentum præſtare coguntur qui ea obtinuerunt, ſe ob id nihil dediſſe aut promiſiſſe. Vide ſupra *De ſuffragio.*

In Hiſpania, Gallia & alij regnis, officia quæ- 6
dam publica, quæ conſiſtunt in nudo miniſterio, qualia ſunt officia decurionatus, tabellionatus, ſcribæ, vendi ſolent, obtentâ prius Principis licentiâ, dummodo venditio fiat moderato pretio, idoneo viro & in utilitatem reipublicæ. Quin & ſi conſtante matrimonio hujuſmodi officia fuerint per maritum acquiſita, ſcribit Covarruvias, *lib.* 3. *var. c.* 19. *n.* 4. communia eſſe viro & uxori, quia licèt ipſa ſit munerum publicorum incapax quoad functionem, non tamen quoad illorum juſtam æſtimationem, quandoquidem officia empta ſint communi pecuniâ; alioquin poſſent mariti variis modis uxores ſuas defraudare, & effugere acquiſitorum matrimonio conſtante communionem, quæ moribus diverſarum gentium inducta receptaque eſt, & à veteribus commendata licèt ab iis non uſurpata: ita Columella *in præfat. l.* 12. *nihil in domo conjugali dividuum conſpiciebatur, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium eſſe juris ſui diceret, ſed in commune conſpirabatur ab utroque.*

Hodiè hic titulus Perfectiſſimi in deſuetudinem 7
abiit. Poſſunt tamen inferiores magiſtratus, & qui in minoribus urbibus jus dicunt, eo titulo appellari, cùm nunc quoad jus dicendum quælibet civitas ſit inſtare provinciæ. Erat poſt Perfectiſſimatum, Egregiatus dignitas & ordo quidam egregiorum virorum, cujus fit mentio variis in locis Cod. Theod.

Theod. *in l.* 1. *De murilegul. l.* 3. *De cohort. l.* 1. *De honoribus & codicillis.* Cæterum, ut ſcribit Lactantius. *l.* 5. *c.* 15. *Nemo egregius niſi qui bonus & innocens fuerit: Nemo Perfectiſſimus niſi qui omnes gradus virtutis impleverit.* Sic oportet Magiſtratum, cujus eſt juſtitiam exſequi, bonum & juſtum eſſe, id eſt, omni virtute præditum, liberalem erga egenos, gratum erga benemeritos, contra improbos nocenteſque immiſericordem atque inexorabilem. Budæus *in l. juſtitia. ff. de juſtitia & jure.* & Franc. Zypæus. *De judice l.* 1. *c.* 5.

TITULUS XXXIV.

Qui militare poſſunt, vel non poſſunt; & de ſervis ad militiam, vel dignitatem adſpirantibus; & ut nemo duplici militiâ, vel dignitate & militiâ ſimul utatur.

1. *Duplex militia, armata & inermis.*
2. *Militare eſt licitum, & bellum juſtum ut in pace vivatur.*
3. *Credant milites ſe juſte militare, & ſe poſſe hoſtem occidere.*
4. *Milites probati in militiam recipiendi, ex iis augenda ſunt cohortes. Qui non ſint militiæ adſcribendi.*
5. *Qui in fraudem munerum, vel qui litis cauſa militiam petiit, rejicitur.*
6. *Item mutus & ſurdus & membris debilitatus. Quid, ſi eunuchus ſit aut ſpado.*
7. *An ruſtici & coloni poſſint ad militiam admitti, aut cogi.*
8. *Servi non ſunt in militiam recipiendi, nec ad ullam dignitatem evehendi.*
9. *Si ſciente domino militiam, aut dignitatem obtinuerint, privatur dominus dominij & patronatus jure.*
10. *Poſſunt tamen ſervi domino ſciente nec reclamante ordinari.*
11. *Curiales aut cohortales non militant, neque Clerici nec milites alia negotia exercent.*
12. *Duas militias diverſi generis nemo habere poteſt.*
13. *Nec etiam Clericis licet habere duas præbendas.*
14. *Permiſſum vendere civilem militiam, non eam quæ haberet annexam adminiſtrationem.*

1 EXpoſita dignitatum diviſione in civiles & militares, hoc titulo & aliquot *ſeqq.* plenius de re militari acturi ſumus. Duplex autem eſt militia armata & inermis. Armata dicitur, quam milites cincti & in numeros relati profitentur. Inermis, quam ſubeunt illi, qui Reipublicæ adminiſtrandæ præficiuntur: De utraque agunt hujus tituli Conſtitutiones, ac præſertim de armata militia: Hanc eligere cui non licet militare, grave crimen habetur, & augetur, ut in cæteris delictis dignitate, gradu, ſpecie militiæ, *l.* 2. *ff. h. t.* * Militare in bello juſto 2 delictum non eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt. *c. militare. c.* 23. *quæſt.* 1. Bellum juſtè ſuſcipitur, ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur. *c. noli.* 23. *quæſt.* 1. Quo ſpectat memorabilis Martiani Cæſaris ſententia, donec liceret in pace vivere, non debere Principem arma ſumere, cum tot tantaque mala ex bellis etiam juſtis oriantur. Sunt quidem bella prima facie læta, exitu vero difficilia & luctuoſa; ideo ea execratus fuit Auguſtus; qui non niſi magna ex cauſa bellum indixit, jactantis enim ingenij & leviſſimi eſſe dicebat, ardore triumphandi & ob lauream coronam, in diſcrimen, per incertos eventus certaminum, ſecuritatem civium præcipitare. Quamobrem, ut medicus ad malum curandum ultimo demum loco ferrum adhibere ſolet, ſic Princeps, ſi nulla alia reperiatur medicina, bellum ſuſcipiet, ut ſuorum civium utilitatem tueatur, totumque Reipublicæ corpus curet, ne dum partem aliquam tuetur, alias deleat. *Ut enim tutela, ſic omnis procuratio Reipublicæ, ad eorum utilitatem qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa, gerenda eſt,* Cicero *l.* 1. *offic. &* 8. *ad Attic. ep.* 11. de cauſis belli dixit *tit. ut armor. uſus inſc. princ. interd. ſit.*

Qui vero militiæ nomen dare cupiunt, ne ſint 3 ſoliciti de juſtitia belli, ſed credant Principem ſuum juſtè bellum ſuſcipere (arcana enim imperij revelanda non ſunt) & poſſe ſe militare, atque hoſtem in bello occidere, imo niſi fecerint, ſe reos futuros imperij deſerti & contempti. *c. miles.* 23. *q.* 5. *l.* 3. *in fin. ff. ad l. Corn. De ſicar.* Nam quod Divus Joannes Baptiſta dixerit militibus, de ſalute ſua ſolicitis, neminem concutiatis, *Luc.* 3. ita intelligendum eſt, ne generaliter milites alicui injuriam faciant, ne quem militiæ metu terreant, indebitum extorqueant, ſed ſint contenti ſuis ſtipendiis.

Porro qui milites eſſe volunt, offerre ſe debent 4 his, qui probandi jus habent, *l.* 1. *h. t.* ut ſunt Magiſter militum, & belli Duces, per quos Imperator certior fiat, quot legiones, quotve cohortes habeat, ad quem uſque numerum novi milites colligendi, veteribuſque ſurrogandi ſint, & num ex aliis numeris veniant. Nam hæc prima cura ſupremi Ducis eſſe debet, ne cohortes veteres minuantur, ſed novo milite permixto veteri, impleantur, perpetuo integræ conſerventur. Utque milites ſurrogandi ſint idonei & utiles ſuæ Reipublicæ; nam non quivis ad militiam recipiendi ſunt. Hinc obſcuri, vagi, ignominia miſſi, rei criminis capitalis, hæretici, & omnes infamia laborantes prohibentur militare. *l.* 4. *ff. h. t. l.* 2. *§. milites. ff. De his qui notant. inf.*

Præterea in fraudem civilium munerum, nemo 5 armatæ militiæ nomen aſſumere poteſt. *l.* 2. *h. t.* Et qui litis cauſa militiam appetierit, poſtulante ad-

Digitized by Google

adverſario ſolvi ſacramento debet, *l. 1. §. 1. h. t.* nam militare privilegium ad alicujus injuriam porrigi non oportet. *l. 40. ff. de admin. tut.* Non tamen omnis qui litem habuit & ideo militaverit, exauctorari jubetur, ſed qui eo animo militiæ ſe dedit, ut ſub obtentu militiæ pretioſiorem, ſeu duriorem ſe adverſario faceret. *d. l. 4. §. 8.* Sic & qui metu criminis in quo reus fuerat poſtulatus, nomen militiæ dederit, ſtatim ſacramento ſolvendus eſt, *l. ult. h. t.*

6 Item mutus aut ſurdus miles eſſe non poteſt, talis enim nec ſacramentum præſtare, nec Ducis imperium, aut tubæ ſignum audire poteſt: proinde qui in ejuſmodi vitium in bello incidit, mitti ſolet. *l. 4. ff. De teſt. mil.* Qui etiam membris ita debilitatus eſt, ut inhabilis ſit militiæ, in militem recipiendus non eſt. *d. l. 4. §. 12. ff. h. t.* Quo numero non eſt habendus, qui cum uno teſticulo natus eſt, vel unum amiſit, nam jure militabit, ſecundum Divi Trajani reſcriptum, Sylla enim & Cotta Duces memorantur eo habitu fuiſſe naturæ, *d. l. 4. in princ.* Nempe qui unum tantum habet teſtem, neque morboſus neque vitioſus debet cenſeri, cum generare poſſit. *l. 6. §. ult. ff. De ædil. edicto.* Eunuchos igitur in militiam non adſcribimus, quia ad eam vires & viros deſideramus. Non tamen negamus multos ſpadones milites ſtrenuos extitiſſe; nam Narſes ſpado fuit & Juſtiniani temporibus exercitui præpoſitus, Gothos Italia expulit. Cyrus autem ad ſui cuſtodiam ſpadones tantum habuit, quo magis in officio eſſent, eos præter illecebras voluptatum, firmiſſimum præſidium ratus. Xenophon *in pædia Cyri 7.*

7 Cum igitur vires in militibus deſideremus, affirmari poſſet ruſticos & colonos in milites eſſe recipiendos. Scriptum enim à Catone *De re ruſt.* ex agris viros fortiſſimos, & milites generoſiſſimos gigni. Experimur etiam nullum laborem detrectare manus, quæ ab aratro ad arma, vel alia munia transferuntur. Unde Seneca *Epiſt. 51.* ſcribit fortiorem eſſe militem qui ex fragoſo venit. Prohibet tamen Valentinianus colonos, ruſticos, vel ſaltuenſes, ad ullum quamvis humilioris militiæ locum admitti, *in l. 3. h. t.* quod non minus è Republica ſit, ut ſint qui agros colant, quam qui bella gerant. Quomodo neque cogendi ſunt inviti ab hujuſmodi functionibus ad caſtrenſe tranſire ſtipendium. *d. l. 3. in fin.* indecens enim arma tractare eos, qui agrorum ſordibus implicantur, & muneribus adſtringuntur. Hinc edictum eſt eos, qui cum agros colerent, ad militiam convolarunt, ad priorem conditionem & ad rura ſua eſſe revocandos. *l. 1. ſup. De ſerv. fugit. colon. & l. fin. ſup. De mancip. & col. patr.* Neceſſarium enim eſt in bene conſtituta Republica, alios eſſe qui eam defendant alios qui agros habeant & colant: prout etiam utile, alios eſſe qui imperent, alios qui pareant. Ariſtot. *polit. 1. & 2.* * Imperant domini, ac eorum plerique 8
utramque militiam exercent. Subſunt ſervi, & prohibentur ab omni militia, tam armata quam civili, alioqui ſi inter numeros deprehendantur, capite puniuntur. *l. 11. ff. De re mil.* Ideo Spartani ad ſupplementum exercitus ſervos ſuos manumiſerunt. Juſtinus *l. 3.* Idem *l. 41.* Romani etiam interdum bello Punico, & bellis civilibus urgente neceſſitate ſervos militiæ adſcripſerunt, eoſdem quoque M. Antoninus Imperator ad militiam paravit, & voluntarios exemplo Volonum appellari juſſit. Jul. Capitolinus *in vita Antonini.* cùm tamen antea ſervi niſi depoſitâ ſervitute, nulli militaverint, nec ullos honores geſſerint. Neque illi qui ſtatus controverſiam patiebantur. *l. 8. ff. De re mil.* licèt revera liberi eſſent. Refert tamen ex reſcripto Trajani ad ſumendum capitale ſupplicium ex ſervis, an voluntarij ſe obtulerint, & in illos animadvertendum erit: ſi electi ſint, inquiſitor peccavit, ſi vicarij dati, penes eos culpa eſt, qui dederunt. Plinius *Epiſt. l. 10.* Et quidem ſi ſciente domino ſervi obtinuerint militiam, privabitur dominus & dominij & patronatus jure: ſi vero ignorante domino ſervi militiam meruerint, ſpoliati militia ad dominum pertrahentur. *l. 6. h. t.* * Sic Do- 9
mitianus Claudium Pacatum etſi centurio fuiſſet, domino reddidit; non mutatur ſervi ſtatus ſi ad dignitatem vel civiles honores illicitè adſpiraverit: ut ſi ſervus fuerit Prætor deſignatus, vel datus judex. *l. 3. ff. De offic. Præt. l. 2. ſup. De ſent. Interloc.* Atque eo caſu, quo non militia ſed dignitas, volente domino, ſervo acquiritur, idem jus ſervatur, quod per *d. l. 6.* eſt diſpoſitum, ut dominus ſpolietur dominio ſervi, & jure quod pertinet ad patronos, *l. pen. h. t.* quæ Conſtitutio Juſtiniani eſt.

Ipſe deinde ſanxit, ſi ſciente nec contradicente 10
domino ſervi ordinarentur, ſive in clerum allegarentur, ipsâ allectione liberos & ingenuos fieri, ſin ignorante domino, poſſe eos intra annum in ſervitutem retrahi, poſt annum eſſe ſecuros *Novell. 123. c. 17.* Contra Leo Imperator *In Nov. 9. & 11.* perpetuum Domini jus eſſe voluit, quantocumque tempore ejus ſervi inter ſacra officia latuiſſent. Neque mutarunt Canones Leonis conſtitutionem in ſervis, qui ad minores dumtaxat ordines eſſent promoti, ſed in promotis ad ſacros aliter rem temperaverunt. *c. 13. §. præterea qui filij ſint legit. 2. & 7. de ſervis non ordin. & c. ex antiquis. 9. cum ſeq. &c. ſi ſervus. 19. diſt. 54.* Idem Leo hic conſtituit, ne decurionum filij & muneribus civilibus obnoxij, curialis aut cohortalis conditionis ullam armatam militiam in poſterum arriperent, *l. 4. h. t.* quia cum implicati ſint functionibus, quæ totam hominis operam deſiderant, non poſſunt commodè ſimul armatam mi-

Digitized by Google

militiam exercere. Et ut Plato in ſua Republica conſtituit, ſingulos ſingulas artes exercere convenit, *Dialog. 2. & 3.* quomodo in Sacris conſtituti & Deo militantes, implicare ſe non debent negotiis ſecularibus, & arma tractare, ſed orationes & lacrymas fundere, quæ ſunt arma ipſorum propria adverſus hoſtes. *c. non pil. 23. q. 8 cap. ſi quis, ult. 36. diſt. cap ſi quis Epiſc. & cap. ſi vobis. 23. q. 8.*

1 Quòd ſi militaverint, amittunt gradum. Milites quoque ad aliud munus ſeſe conferre prohibentur, agriculturam vel mercaturam exercere, aut quæcumque negotia gerere. *l. 31. & l. ult. ſup. de locato.* ideo in provincia domum vel agros comparare non poſſunt, ne ſtudio agriculturæ militiam negligant. *l. 13. ff. de re mil.*

2 Hinc quoque duas militias diverſi generis, aut dignitatem & militiam eodem tempore quis habere non poteſt. *l. 5. h. t.* Sed ſingulæ ſingulis perſonis committi debent. Cùm nequeat una eademque perſona duobus in locis in ſolidum reſidere; cuicumque igitur duæ militiæ obtigerunt, ſive ex armatis ſive civilibus, debet unam eligere, & alteram deponere apud Magiſtratum intra tres menſes; ſi tamen militia; qua decedendum eſt, inter eas habeatur, quas licet diſtrahere, clementia Imperatoris concedit eam in alium transferre & pretium conſequi, *d. l. 5.* ſuam hanc conſtitutionem confirmat Juſtinianus, *l. ult. h. t.* quæ Græca eſt, hoc addito, ut ſi lapſo tempore, utramque militiam retinere ſtudeat, & fortè duplici militia utatur, utramque

3 amittat. * *Non enim*, inquit Livius, *l. 39. unus duos ſimul Magiſtratus, præſertim curules, capere poteſt, aut gerere.* Quare ſi ſupplicandum de re vetita Principi exiſtimaverit; pro temeritate, quamvis infructuoſa, decem librarum auri pœnâ plectetur. *d. l. 5.* Sic etiam in beneficiis, qui duo conſecutus eſt, quæ reſidentiam exigunt, eligere poteſt, quod retinere malit, *c. 7. & 14. ✗ de præbend.* alterum liberè dimittere debet, non pretium ſperare, quod in beneficiis ſimoniæ ratio non admittit. Imò per acceptationem ſecundi, cui cura annexa, vacat ipſo jure primum, *c. 28. ✗ de præb.* ſuper quo penſionem ſibi reſervare, non videtur eſſe ex mente Canonum.

4 Permiſſum quidem fuit civilem militiam vendere aut reſignare moderato pretio, ut dixi *ſup. tit. 19. n. 10.* Talis erat militia Adjutorum quæſtoris, *l. ult. ſup. de proxim. ſacrorum ſcriniorum.* Silentiariorum, *l. 30. ſup. de inoff. teſt.* domeſticorum Principis, *l 6. in fin. ſup. de advoc. diverſ. jud. Novell. 53 c. 5.* quædam aliæ nec vendi, nec pignori dari poterant, *l. 5. ſ p. quæ res pign. dari:* nec hodie poſſunt ſaltem militiæ digniores, quæ annexam habent juriſdictionem, aut Reipublicæ adminiſtrationem. Nundinatio enim Magiſtratuum omnis improbitatis principium eſt & finis, *Nov. 8,* vide quæ dixi ſupra *tit. 33.*

TITULUS XXXV.

Negotiatores ne militent.

1. *Qui ſint negotiatores, quo differant à mercatoribus.*
2. *Negotiatores non debent militare, nec milites negotiari.*
3. *Prædia conducere, aut in provincia in qua militant, comparare prohibentur. An & alio titulo acquirere.*
4. *Excipiuntur armorum negotiatores, & argenti diſtractores ſeu nummularij.*
5. *Milites Palatini negotiari poſſunt obtenta licentia à Principe.*
6. *Non ideo utuntur præſcriptione fori.*
7. *Neque ſcholaſtici negotiantes, ſed coguntur coram provinciæ Præſide reſpondere.*
8. *Militiæ non adſcribebantur niſi nobiles & honeſtiores cives.*
9. *Inter pedeſtres erant quoque gregarij milites, qui caligati dicebantur, unde ita dicti.*
10. *Hodie Mercatores & viliſſimi quique militant, qui eis præficiuntur, fiunt nobiles ſi non ſint.*

In primis differunt negotiatores à mercatoribus, quòd negotiatores advehendis magnis mercibus occupentur, & ergaſterio, tabernæ, officinæ, mercimoniis deputatæ præſint, vocant eos Galli *marchant en gros*: mercatores vero, qui minutiariam procurant, ac per ſe exercent negotiationem, dant aut accipiunt, ut majora recipiant & lucrentur. Hanc diſtinctionem probat Marcianus, *in l. 5. ff. de legat. 3.* Sunt etiam negotiatores qui annonam urbis adjuvant, & Reipublicæ hac in parte ſerviunt, quorum labores remunerandi ſunt. *l. 5. § 3. ff. de jure immun. & l. 1. ff. de nundin.* ne deſtituatur annonæ præbitio. * Verum Juſtinianus negotiatores qui ergaſteriis præſunt, militare prohibet, *l. un. in pr. h. t.* & Fredericus Imp. gladium geſtare, niſi cum peregrè abeunt, ſuæ ſellæ alligatum, ne quem lædant innocentem, ſed ut à prædone ſe defendant *tit. 27. §. ſi quis ruſtic. 1 l. 2. feudor.* Solis militibus & nobilibus uſus armorum eſt relictus. Ergo ut negotiatores militare non debent, ita nec milites negotiari, aut occupari privatis negotiis. Qui enim fieri poteſt, ut negotientur milites ſimul & inimicis reſiſtant, rationes ſuas & ſimul excubias agant? 1 2

Quapropter ſapienter Leo Imperator prohibuit milites alienarum rerum conductores, aut procuratores, aut fidejuſſores, aut mandatores fieri, *l. 31. & ult. ſup. de locato.* ne omiſſo armorum uſu in aliud opus ſe conferant, aut agrorum cultui inſudent, ut dicitur *in l. 15. infr. & l. 13. ff. de re mil.* Quæ ratio cur milites prohibeantur in provincia in qua merent, prædia comparare, *l. 9. ff. de re mil.* An etiam titulo donationis vel permutationis, aliove acqui- 3

Digitized by Google

acquirere ? ſic puto, nam illa ratio quæ milites emere, eadem alio quocumque titulo comparare vetat. Tam enim quod donatione, aut alio modo acquiſitum eſt prædium, quàm quod emptum, à militia avocare poteſt. Accedit quòd non liceat Rectoribus & Magiſtratibus provinciarum, quocunque titulo à provincialibus res immobiles, aut mobiles comparare. *l.46.& l.62.ff.de contrah.empt.* domum aut navem extruere in eadem provincia, *l.46.§.2.ff.de jure fiſci.l.un.Cod.de contract.jud.* Sed in hoc melior eſt conditio militum, quod domum comparare non prohibeantur, (quia ceſſat ratio digreſſionis à ſignis) *d.l.13.* nec ruſtica prædia emere impletis ſtipendiis, & acquirere ea prædia quæ majorum ſuorum olim fuerunt *d.l.9.*

4 Cæterum negotiatores, utpote utiles omnibus contractibus, aliam quamcumque militiam ſibi acquirere poſſunt, ſolùm armata militia abſtinere prohibentur. *l.un. h.t.in princ. verſ. hos enim.* Excipit Juſtinianus armorum negotiatores, & fabricenſes, qui arma in publicis officinis cudunt, qui poſſunt armatam militiam adipiſci, & ſimul ſuam negotiationem retinere. *l.un.h.t. in fin.* cum tamen aliis duplicem militiam, vel dignitatem habere non liceat, ut dixi *ſup. tit.* Sed ratio quæ Imperatorem movit, forſitan ea fuit, quod exiſtimaret habiliores ad arma milites eos futuros, qui artem conflandorum armorum tenerent. Præterea argenti diſtractoribus aut nummulariis ſpeciatim concedit, relictâ negotiatione, unam aliquam ſortiri militiam, & in ea ætatem complere. Militiam intelligit civilem, non armatam. Unde apparet, quam ſit alienum à militiæ dignitate negotiationes exercere, *l.12.in fin. infr. de cohort.* Sidonius Apollinaris *l. 1. epiſt.* 8. miratur omnia in Repub. inverti, dum ait: *Vigilant fures, dormiunt poteſtates, fœnerantur clerici, negotiatores militant, milites negotiantur, ſtudent pilæ ſenes, aleæ juvenes.* Plura apud Fornerium, *l. 2. ſelect. lect.*

5 *c. 3.* * Scribit Cujacius hîc ex beneficio Principis licere alicui ſimul & militare & negotiari, idque probat per text. *in l. un. ſup. in quib. cauſis milit. for. præſ.* ſed non puto armatis militibus id unquam beneficio Principis fuiſſe conceſſum, ſed palatinis tantum per conſtitutionem hujus tit. & ante eam etiam ſine licentia licuiſſe eis per pro-

6 vincias negotiari. * Quo caſu hujuſmodi milites negotiatores conventi coram Præſide provinciæ, coram eodem reſpondere tenebantur, nec uti poterant præſcriptione fori, nec tum quidem cum negotiandi facultatem à Principe impetraverant, cùm tamen is miles qui ad privata negotia componenda commeatum à Principe impetraſſet, propter illud beneficium fori præſcriptione uti poſſet. *d. l. uni.*

7 Militare quoque dicuntur ſtudioſi qui amore ſcientiæ in Academiis morantur, qui tamen ſi in provincia negotiationem aliquam exerceant, & ex cauſa negotiationis conveniantur coram judice ordinario illius provinciæ, non habent jus revocandi ad Rectorem, qui judex eſt ſcholaſticorum, ſed coram iſto ordinario reſpondere tenentur. *l.fin. ſup.ne juriſd.*

Porro tanti olim fiebat armata militia, ut ad eam non ſuſciperentur niſi digniores cives, & equeſtris ordinis; inſinuat id Juſtinianus *in Novell. 33. in verb. milites etiam altiore nitentes faſtigio, & ibi: ſcituris militibus, qui præſenti legi non eſſe obediendum exiſtimant, quod cingulo denudati inter privatos habebuntur.* ut ſupra privatos & vulgares fuiſſe milites vel inde conſtet, tum ex aliis legibus, quæ milites nobilibus æquant, & militiæ & generis rationem haberi volunt, *l. 4. ſup. ad l. Jul. majeſt.* * Quanquam inter pedeſtres ordines eſſent gregarij milites, qui caligati dicebantur, ex infima vulgi ſorte aſſumpti. *l. 21. ſup. de nupt.* Caligati, à caliga, quâ utebantur; idque declarat Tacitus, *l. 1. annal.* de Caio Germanici filio, qui Tiberio poſteà ſucceſſit, *jam infans*, inquit, *in caſtris genitus, in contubernio legionum educatus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant: quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia, eo tegmine pedum induebatur.* Caligulam facem generis humani vocat Plinius, *l. 7. c. 8.* & rectè, caligam vero ſangnine tinctam & libidinibus fluentem nominat d'Orleans, *d.loco in Tacit.* 8 9

Moribus hodiernis neutiquam prohibentur militare negotiatores, dum non in ipſa militia & prætextu ejus militare velint. Quin etiam viliſſimos quoſque è plebe militiæ adſcribi, & præconis voce invitari indies videmus. Præficiuntur tamen iis qui per plures annos militiam obiverunt, quo pacto nobiles fiunt, ſi genere nobiles non ſint. Sic in feudis nomen militis pro nobili uſurpatur, quòd nobilium ſit milites ducere, & pro patria militare, *tot. tit.de vaſall.milit.* & ante pauca ſæcula, ut ſoli nobiles feuda poſſidebant, ita ſoli militabant defendendæ ditioni, quam majores olim devicerant. 10

TITULUS XXXVI.

De re militari.

1. *Diſciplina militaris magni eſt momenti, eâ neglectâ decrevit Romanorum imperium.*
2. *Servanda eſt à belli Ducibus diſciplina, & habendus militiæ delectus.*
3. *Qui milites probent, recipiant, & quid in iis conſiderandum.*
4. *Minus accurata eſt probatio, quæ nunc fit à Commiſſariis, & Capitaneis, qui ſolent ex cauponis & officinis, milites colligere.*
5. *An conveniat invitos ad militiam cogere.*
6. *Laudabile ultro ſe militiæ offerre, quod faciunt*

 ve-

Digitized by Google

voluntarij, puniuntur qui militiam detrectant.

7. *Tutius eſt ex domeſticis ac ſubditis militares copias colligere, quàm ex externis.*

8. *Externorum militum duces inuſitate militari mercimonio, provincias exhauriunt.*

9. *Ut milites à furtis & ſceleribus ſe temperent, præſtare deberent juramentum olim uſurpatum. Morte puniebantur militum furta.*

10. *Commeatus parcè dandus militibus. In caſtris continendi ne vagentur.*

11. *Emanſores puniendi, causâ cognitâ.*

12. *Milites è ſuis numeris ad alios non ſunt transferendi citra Principis facultatem: Nulli niſi meritis & ordine promovendi ſtrenui & exercitati.*

13. *Item transferri non poſſunt à legione in aliam legionem, vel vexillationem, quænam Comitatenſis & Riparienſis diceretur.*

14. *Equitum & peditum magna vis & utilitas, ſecuriùs peditum operâ uti.*

15. *Milites exercere ſe oportet in armis, & aliis muniis bellicis.*

16. *Non debent civilem curam aſſumere, nec eis civilia negotia mandari.*

17. *In officio contineri debent, & exerceri etiam pacis tempore exemplo Romanorum.*

18. *Duces belli promovere debent militares exercitationes.*

19. *Principes qui varias habent ditiones, ſemper alere debent exercitum, aut certum numerum militum.*

20. *Varia privilegia militibus conceſſa; qui intra numeros ſunt.*

21. *Ob omiſſas profeſſiones pœna commiſſa non tenentur. Eſtque militis res empta ejus pecuniâ.*

22. *Carceri ob æs alienum mancipari nequeunt, milites condemnati non ultra tenentur, quàm facere poſſunt. Excuſantur à muneribus.*

23. *Milites dum Reipubl. operam præſtant, læſi reſtituuntur, & bona eorum creditoribus addici non poſſunt.*

24. *Militibus non nocet juris ignorantia, non tamen excuſat in delictis, non ſubeunt pœnam plebeiorum. Quid hodie.*

25. *Quod privilegium habeant milites circa factionem teſtamenti.*

26. *Ab hoſtibus captus, ſi interea militiæ tempora compleantur, ſtipendia accipiet, ut veteranus. Quando ea complentur.*

27. *An illius temporis quo apud hoſtes fuit, ſtipendia accipiat.*

28. *Deſertor ſi reſtitutus fuerit à Principe, ejus temporis, quo apud hoſtes fuit, ſtipendia non recuperat.*

29. *Quid dicendum de militibus noſtris, legato, aut ſyndico, qui ab hoſtibus capiuntur, à quo ſint redimendi.*

30. *Sacramento ſoluti quam immunitatem habeant.*

31. *Honeſtè miſſi, à muneribus habent vacationem, & alia privilegia.*

32. *Ignominiâ miſſi infamiâ notantur, & ad nullos honores admittuntur.*

33. *Ob delictum, graviùs puniuntur milites, mitiùs tamen cum iis agitur in caſu infamiæ poſt miſſionem.*

34. *De delictis militaribus & pœnis. Qui puniantur milites contumaces, non obtemperantes Ducum mandatis, nec eos protegentes.*

35. *Saluti propriæ conſulendum, quando vis eſt cui reſiſti non poteſt.*

36. *Quid, ſi miles Tribuno reſiſtat; aut quid, ſi Tribunus in caſtigando modum excedat.*

37. *Quid, ſi miles alium militem vulneraverit, aut ſibi vim intulerit, aut ebrius exiſtens deliquerit.*

38. *Quâ pœnâ puniatur qui excubias deſerit, aut in iis dormit, aut in bello non pugnat, aut arma amittit, vel ea alienat.*

39. *Quid, ſi Præfectus arcem quam tenet, amittat, aut hoſtibus dedat, vel alium ſubſtituat.*

40. *Arcem muniens ac tenens invito Principe, vel non admittens ſucceſſorem, reus eſt majeſtatis.*

41. *Fugam incipiens, transferens ſe ad hoſtes, eorum partibus favens, ultimo ſupplicio plectitur.*

42. *Quæ ſit exploratorum pœna; Furca gravior quàm gladij. Fuſtium levior flagellorum pœna; Inde fuſtuarium.*

43. *In ſeditioſos acriter animadverſum, ſortitione in quoſdam.*

44. *Priùs ſedanda ſeditio, quàm in auctores animadvertatur.*

45. *Ad ſedandam ſeditionem efficax remedium præſentia ipſius Principis.*

46. *Abſtinendum à deliciis quæ reddunt milites effœminatos.*

47. *Mulieres non caſtra ſequebantur: poſtea permiſſum militibus uxores ſecum ducere, an id expediat.*

48. *Sunt illæ neceſſariæ ad munditiem. Caſtra munda eſſe oportet.*

49. *Sordes ne projiciantur in flumen, nec in eo miles ſe lavet, aut publicè natet. Utilis natandi uſus.*

50. *De judicibus & judiciis militaribus. Quot fuerint Magiſtri militum in Oriente & Occidente.*

51. *Conveniuntur milites, coram ſuis Ducibus & judicibus.*

52. *Remittuntur ad ſuos judices. Præſes provinciæ non cognoſcit de cauſis aut delictis militum.*

53. *Quid, ſi delicta ſint enormia & non militaria, num poterit præſes de iis cognoſcere.*

54. *Quid, ſi poſtquam in jus vocatus miles eſſe cœperit, aut pactus ſit ſe non uſurum privilegio fori.*

55. *Sportularum in judicio militari ſolvendarum exactio minuenda.*

56. *Quid, ſi totus numerus litiget vel conveniatur, & univerſitas condemnetur.*

57. *Solent apparitores duplicia ſalaria exigere à corpore quod citant, ſed non juſtè.*

Res

Digitized by Google

1 RES militaris ad diſciplinam & exercitium militiæ pertinet. Quanti autem momenti ſit diſciplina militaris, docet ipſa quotidiana experientia. Et certè nullâ aliâ re populum Romanum ſibi orbem terrarum ſubegiſſe, niſi armorum exercitatione, diſciplinâ caſtrorum, uſuque militiæ, ſatis conſtat ex Vegetio, Livio & aliis ſcriptoribus. Inter quos pulchre Quintilianus id expreſſit *in milit. Marian.* cùm ait, *Si verè æſtimemus imperium populi Rom. ad hanc diem militari diſciplinâ ſtetit. Non enim nobis aut multitudo major eſt, quàm Cimbris, aut majores opes, quàm locupletiſſimis regnis, aut mortis contemptus facilior, quàm pleriſque barbaris, cauſam vitæ non habentibus: Principes nos fecit ſeveritas inſtitutorum, ordo militiæ, amor quidam laboris, & quotidianâ exercitatione aſſidua belli meditatio.* Hæc revera Rempublicam ſuſtinent, *quæ ſi ilabantur, & nomen Romanum & imperium amittemus,* dicebat Alexander Severus *apud Lampridium*. Atque ita accidit, nam ſenſim corruptis moribus per luxum & laſciviam, neglecta diſciplina, Romani qui ante belli gloria omnes populos ſuperaverant, ab omnibus ſuperati ſunt.

2 Cum ergo in tutela diſciplinæ militaris, atque *in ejus quodammodo ſinu ſerenus tranquilluſque beatæ pacis ſtatus conquieſcat*, ut ait Valerius Max. *l. 2. c. 7.* conniti omnino debent belli Duces, ut antiquæ militiæ diſciplinam, quantum hæc tempora patiuntur, revocent, eamque quoad ſe, & quoad milites ſervent, & ſervari curent.

3 Habeant quoque delectum militum; quales & quàm idonei ſint ad militiam, explorentur; recipiant eos, quibus dura ſunt corpora, ſtricti artus, minax vultus, magnus animi vigor, *quibus ſudor, pulvis, & alia, epulis jucundiora ſunt.* Vegetius *l. 1. c. 7.* Verùm hoc probandi jus, recipiendique milites, Zeno Imp. Principi ſoli reſervavit. *l. pen. h. t.* neminem in numero equitum vel peditum, ſine Principis probatoria ſociari permittens, quòd illi ſoli conveniat ſupplere, vel implere numeros, non Ducibus, aut Tribunis, ut ante diſpoſuerat Antoninus Imp. *in l. 1. ſup. qui milit. poſſ.* ibi *offerte vos*
4 *his, qui probandi jus habent.* * Sed hoc jus conniventia Principum iterum redit ad Duces belli, & commiſſarios militares, qui in locum demortuorum militum alios ſubrogant, & ſæpe plures ſe collegiſſe referunt, quàm collegerint, aut ærarium patiatur, nec inſpiciunt cui armorum generi ſint aptiores, ignavos & promiſcuè viles ex popinis & culinis ſeſe offerentes admittunt, aut invitos cogunt. Contra Valentiniani & Theodoſij conſtitutionem, ne educantur ex caupona, ex miniſterio tabernarum famoſarum, ex coquorum & piſtorum numero, quod plerumque molles ſint & voluptatibus dediti. Tacitus *l. 2. hiſt. Degenerat à robore ac virtute miles aſſuetudine voluptatum*: bellicoſus ille, qui ſudo & udo cœlo eſt aptus, qui ad omnes labores impiger invenitur, qui famem pro condimento, naſturtium, aut tabacum pro alimento, humum pro cubili, arbuſtum pro tabernaculo habet. Ideo Vegetius ex officinis fabrorum, ex agris, ex laniensis, milites legendos, etiam invitos cenſet, ubi urget neceſſitas.

Invitos tamen cogere non probant Politici, 5
propter incommoda quæ reipublicæ inde poſſent obvenire; nam quæ fides illis qui catenis & verberibus ad militiam adiguntur? & quid inhumanius quàm liberos homines, ad pugnam, veluti canes invitos ad venationem impellere? Non inficior tamen vel maximè è Republica eſſe, immodeſtos illos & impuros homines, peſſimiſque exemplis famoſos, qui quocumque acceſſerint, ex rapto vivunt, vicos & agros devaſtant, & infinita alia ſcelera patrant, ad militiam impellendos eſſe, ne juventus furum & perditorum hominum conſortio inutilis & vitioſa reddatur. Quod optimum eſt remedium levandæ Reipublicæ ab ignavâ, turbulentâ, & ſeditioſâ plebe. Sic ſentina improborum è navi Reipublicæ exhauritur.

Laudandi autem maximè milites qui non im- 6
pulſi, ſed propriâ animi inductione, militiæ ſe offerunt & adſcribunt, qui Voluntarij, & Dati dicuntur: hiſce enim plerumque numeri ſupplentur. *l. 4. §. 10. ff. h. t.* Tanti enim Vitellius Imp. fecit voluntarios milites, ut delectum ea conditione in urbe habuerit, ut illis non modo miſſionem poſt victoriam, ſed etiam veteranorum juſtæque militiæ commoda polliceretur. Tranquil. *in Vitellio.* Grave delictum fuit detrectare munus militiæ, & graviſſimum tyrocinium evitare. Hinc qui ad edictum olim non reſpondebat, ut proditor libertatis in ſervitutem redigebatur: Et pater qui filium militiæ ſubtraheret belli tempore, exilio & bonorum parte mulctabatur, ſi in pace fieret, cædebatur fuſtibus, filius in deteriorem militiam mittebatur. Si verò pater filium delectum ad bellum debilitaſſet, ut inhabilis eſſet militiæ, deportabatur. *d. l. 4. §. 10. & ſeqq.* quòd inhumanum ſit alicui vitium & detrimentum adferre, quo honores adipiſci prohibeatur.

Lex erat, ut Romani cives decennio militarent, 7
auctore Tacito *l. 4. annal.* Athenienſes quoque tutius judicarunt cives ipſos militare, quàm exteros colligere, aut in auxilium vocare. Demoſth. *Olynthia. 1.* Nam domeſtici ac ſubjecti fideliores ſunt, & ardentiùs pro patria pugnant, in qua bona habent. Curtius *l. 9.* Externi verò tantùm ſtipendia, & prædas quærunt, non patriæ ſalutem; & ſæpe, ut ait Tacitus, *refragantur; non juberi, non regi amant, verùm cuncta ex libidine agere. lib. 1. hiſtor.* Quare periculoſum uti operâ externorum militum, ſi aut viribus, aut multitudine internis prævaleant, ſi in patria hæreant, nec illico ictibus hoſtiû objiciantur.

Accc.

Digitized by Google

8 Accedit, quòd externorum militum ſupremi Duces, qui domi plerumque commorantur, ingentia accipiant ſtipendia præter ea quæ ex hybernis corradunt, ita ut opulentiores ſint ſine provinciis, quàm qui plures habent provincias. Tantum hodie confert militare illud mercimonium, cujus prædulcis odor plures in has provincias pellexit, & internos milites externis permiſcuit, ut verendum ſit, ne aliquando eveniat, quod ſcribit Cominæus: *Incidere poteſt tempus, cùm externorum furor & repentinus impetus ſit pertimeſcendus:* Addo ego & noſtrorum militum, qui externos mores induere, qui nihil aliud quàm ex rapto vivunt, infimam plebem & ruſticos affligunt, eorumque agros miſerè devaſtant.

9 Quæ rapinæ, aliave ſcelera ut evitentur, milites dum in numeros referuntur, juramentum præſtare deberent, ſe inprimis numeros non deſerturos, nihil rapturos, nihil furto ablaturos, aut ſtrenuo milite indignum commiſſuros. Similem juramenti formam Romanis uſitatam refert Gellius *l.* 16. *c.* 4. Eratque Lex ſevera, *Nemo pullum rapiat.* Teſtatur tranquillus *in vita Tiberij*, quòd Tiberius capite puniverit Prætorianum militem, qui è viridario pavonem furto ſuſtulerat. Peſcennius autem decem milites qui ablatum gallinaceum comederant, ſecuri percuti juſſit, ut refert Spartianus *in Peſcennio:* & Carolus Burgundiæ Dux quendam ex patibulo ſuſpendi juſſit, qui aniculæ mulieri gallinam ſubtraxerat. Plura exempla vide apud Coteræum, *De jure militum, lib.* 3. *cap.* 11.

10 Quapropter qui militibus præeſt, parciſſimè debet commeatum dare, ſed milites in caſtris continere, ne divagentur, ne provinciales expilent. *l.* 12. *ff. h. t.* Idem cavetur Conſtitutionibus Gratiani & Valentiniani, ut *milites nullam evagandi per poſſeſſiones habeant facultatem, ſed cum ſignis propriis in manſionibus ſolitis maneant l.* 11. *h. t.* Turpe enim eſt & perniciofum prædia & poſſeſſiones provincialium, militum moleſtiâ fatigari, & derelictis ſuis numeris per aliorum agros inſolenter evagari. Quare Arcadius & Honorius Impp. Rectoribus provinciarum reſcripſerunt, ſi quos tales milites repererint, correptos cuſtodiendos curent, donec de iis Imperator decreverit, quid fieri oporteat. *l.* 13.
11 *§. ult. h. t.* * Habet enim iſta evagatio ſpeciem emanſionis, non deſertionis, ideo militari diſciplinæ adhuc ſubjecti manent. Nam emanſionis levius eſt delictum, gravius deſertionis, de utroque infra *tit.* 46. Cavetur præterea *in d. l.* 13. ne milites miſſi ad negotia, ſuis vacent (ſi inde diſciplina militaris offendatur, vel aliena obſequia peragant ſine juſſu Principis, neque è numeris decedant citra facultatem Tribuni, à quo ſi mittantur ad comitatum Principis, cauſas profectionis ſtatim Magiſtro militum exponant, ut reſponſo accepto, ad ſuos numeros citò revertantur. Adeò enim odioſum erat vagari & à ſignis abeſſe, ut miles qui in commeatu ageret, non videretur Reipublicæ causâ abeſſe. *l.* 1. *ff. h. t.* * Cùm ita adſtricti ſint milites 12
ſuis numeris, non poterit is qui exercitui præeſt, eos à numeris ad alios numeros, etiam majores pro arbitratu ſuo transferre, niſi ob publicam utilitatem, & merita Princeps ipſe id conceſſerit, *l.* 14. *h. t. Quia honoris augmentum non ambitione, ſed labore, ad unumquemque convenit pervenire.* Non enim debet quis ad dignitatem vel militiam aliam, aliorum ſuffragio, ſed meritis, atque ordine numerorum evehi. Is namque cæteros debet antecedere, quem ſtipendia longiora, vel labor anteire fecerit. *l.* 2. *ſup. Præf. præt. Afr.* Unde veteri inſtituto nemo ad Tribunatum admitti poterat, niſi priùs alam duxiſſet, nemo alam ducere, niſi cohorti præfuiſſet, cui & is ſolùm præficiebatur, qui aliquod inſigne facinus edidiſſet. Quamvis etiam conſtet in indignos, & impuberes militares honores collatos fuiſſe, *l.* 8. *§. jam verò.* 7. *ff. De excuſ. tutor.* Idque ob natalium ſplendorem & parentum in rem publicam merita, ut etiamnum fit. *ter l. ult. ſup. De teſtam. mil.* Quamvis major ratio ſit habenda, ut Duces, Tribuni, Centuriones ſeligantur viri ſtrenui & exercitati, per gradus elati, utriuſque fortunæ gnari, prudentes, non genere tantùm, ſed magis virtute eximij.

Notandum quod ſcribit Imperator *d. l.* 14. ſe 13
interdicere Comitibus & Ducibus, ne ſolùm milites injuſſu ſuo transferant à numeris in numeros; verùm etiam ne à legionibus in legiones, quod levius eſt, ſive legiones fuerint comitatenſes, ſive riparienſes, vel palatinæ. Comitatenſes milites erant in comitatu Principis, Palatini palatio deputati, Riparienſes collocati ad ripas, qui transferri non poterant ad alios numeros abſque Principis nutu; ſic apud Tacitum Riparienſes & Ripuarij milites dicuntur qui ripam Rheni ſuis ſtationibus muniebant. Cujacius *l.* 1. *obſ.* 25. dixi ſuprà *De fundis limitroph.* Legiones à numeris ſeparantur *in l.* 13. *h. t.* & à vexillationibus *l.* 2. *ſup. De hæred. decur. & l.* 8. *infr. De erog. mil. ann.* Legiones ſunt peditum, Vexillationes equitum turmæ, quia velis ſeu flammulis utuntur. Vegetius *lib.* 2.

Pedites equitibus adjuncti ſunt, & utriſque mag- 14
na vis & utilitas. Nam equites, pedites protegunt, prædas agunt, ſuſtinent & perfringunt hoſtilem equitatum. Quandoque pedites præferendi equitibus, pro ſitu regionis, nam referente Tacito, *Pedites tardius vincunt, ſed ſecurius*, eſtque in iis belli robur, quia majori conſtantiâ & animo equitum ordines perturbant, quam ipſi uniti ab equitibus frangi & perturbari poſſint; ſuſtinent hoſtium impetum ac minori ſtipendio aluntur & retinentur. Imò in eo maxime peditibus præſtant equi-

Digitized by Google

equites, quod ſecurius fugam arripiant, ut de ſuis queritur Cyrus Perſarum Rex, apud Xenophon-
15 tem. *l.3.* * Quapropter monet Tacitus, milites ad priſtinos mores eſſe revocandos, *Ne quis à ſignis ſuis decedat, ne pugnam niſi juſſus ineat, ſed diligenter ſtationes, vigilias, diurna nocturnaque munia agitet.* Idem Leo Imp. maximè commendat, cum ait, Milites qui à Republica armantur, & aluntur, ſolis debent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, & cuſtodiæ animalium, vel mer-
16 cimoniorum quæſtui. * Sed propriis muniis inſudare militiæ, ut armorum quotidiano exercitio ad bella ſe præparent. *l. 15. h. t.* Hujus exercitij nobilitatem ſi milites negligant, & ad civiles curas animum adjecerint, militia ſtatim & privilegiis omnibus militaribus nudantur. *l. 16. h. t.* qualia ſunt munera perſonalia, quæ illis inhibentur, *d. l. 15.* Qui vero eos privatis negotiis implicarint, & Reipublicæ ſubtraxerint, Juſtinianus edixit, facultatibus omnibus, quæ ſtatim publico ærario addicuntur, ſine exceptione ſpoliandos. *Novell. 16. in præf.* Illi ſiquidem privatis ſimul & publicis negotiis incumbere nequeunt, quorum virtutibus & Barbarorum petulantiæ frenum injicitur; & Reipublicæ commoda non mediocriter amplificari videntur. Puniuntur quoque judices & viri militares, qui contra interdictum hoc, auſi fuerint milites tam regiis quam privatis poſſeſſionibus, diverſiſque aliis obſequiis deputare ac implicare. *d. l. 15. in fin.* Ideo Poſthumium Conſulem damnatum ſcribit Florus, quod opera militum in colendis agris ſuis fuiſſet uſus.

17 Nec tantum belli ſed & pacis tempore, perinde ac ſi hoſtis immineret, exercitiis militaribus operam dare debent milites, & campeſtri meditatione omnia quæ in bello evenire ſolent prænoſcere, veluti ordinibus non turbatis celeriter & æqualiter incedere, jaculari, arma dextere tractare, ictus deflectere, in orbem pugnare, ad ſigna coire, caſtra munire, eaque movere, foſſas tranſilire; omniaque alia facere, præter labores, famem, ſitim, inediam, cum opus eſt, ferre. Sic Romani milites quorum melior diſciplina, die ſeptimo ſe exercebant ſub poſtremis Imperatoribus, Spartianus *in Avidio, Exercitium*, dicit, *fuit omnium militum, ita ut ſagittas mitterent, & armis luderent: Dicebat enim miſerum eſſe, cum exercerentur athletæ, venatores, & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor eſſet futurus labor, ſi conſuetus eſſet*, & Seneca *Epiſt.* 18. *Miles in media pace decurrit ſine hoſte, vallum jacit.* Et Tertullianus: *Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo.*

18 Hiſce exercitiis & certaminibus milites ſe aptiores ad veros conflictus reddent, & inertiam libidinemque depellent, ſi belli Duces ea exercitia promoveant, & ignaviam pœna, diligentiam præmio remunerent; Sic ſtrenui evadent milites, & Duces magnam ſibi gloriam comparaverint, ſi, inquam, ut Taciti verbis utar, *Legiones operum & laboris ignaras populationibus lætantes, veterem ad morem reduxerint, l. 11. annal.* atque ita ſpes affulgere poteſt, ut exercitum aliquando bene inſtitutum habeamus.

Quæ prima cura Principis eſſe debet, nec non 19
pacis tempore, ut certum habeat militum numerum, repellendis hoſtium incurſionibus. Hanc ob cauſam feuda olim data militibus, ut nunquam deeſſent qui fines tuerentur. Sic à Carolo V. Cæſare data privilegia & immunitates certis militum ordinibus, quos vocant *Bandes d'ordonnanse*, in Belgij defenſionem ac ſecuritatem, atque hi præſto eſſe debent quacumque data occaſione, licet pacis tempore ſtipendia non mereant: præter hos in limitibus præſidiarij conſtituendi ſunt, præſtito illis ſtipendio etiam pacis tempore. Nunquam enim belli cogitatio omittenda eſt, vel apparatus repellendo hoſti neceſſarius. Quoniam *nemo*, inquit Lampridius, *provocare facilè audet, aut facere injuriam ei Regno aut populo, quem intelligit expeditum atque promptum eſſe ad vindicandum. Sint* igitur *prompta omnibus arma, ac ſi res poſcat, exercitus plurimorum virorum.* Tacit. *de morib. Germ.*

Ad remunerandam militum operam quam Rei- 20
publ. navant, ob juris imperitiam varia conceſſa ſunt privilegia, quorum ſumma tantum capita, brevitatis cauſa, hic perſtringemus. Et imprimis omnibus militibus, ne ob omiſſas profeſſiones, res eorum in commiſſum cadant, proſpectum eſt, *l. 3. ſup. de vectigal.* etiam non in caſtris & expeditionis actu verſantibus, dummodo in numeris exiſtant. *l. 7. eod. Tit.* Unde non ſufficit, ut milites fruantur privilegiis, ſint in matricula, ſed intra numeros relatos eſſe oportet. *l. 17. h. t. l. 3. & 4. ſup. de off. mag. mil.*

Præterea quamvis res empta pecunia mea, non 21
ſit mea, nec à me vindicari poſſit jure communi, *l. 8. ſup. De rei vind.* Empta tamen pecunia militis, fit ipſius, vindicarique ab ipſo poteſt, *d. l. 8.* non aliter quàm ſi tutor vel curator pecunia ejus, cujus negotia adminiſtrat prædia in nomen ſuum comparaverit, utilis actio illi, cujus pecunia fuit, datur ad rem vindicandam. *l. 3. ſup. arbitr. tutelæ l. 2. off. quando ex facto tutor.* Item licet ei qui ſe indebitas pecunias ſolviſſe contendit, probatio incumbat, miles tamen eo onere levatur, quod in adverſarium transfert, qui ſe bene accepiſſe probare debet *l. 25. §. 1. ff. de probat.* * Item ex cauſa æris alieni milites 22
in carcerem duci non poſſunt: condemnati non ultra quam facere poſſunt, tenentur, id eſt, quatenus facultates ferunt, habita ſcilicet ratione ne egeant. *l. 6. l. 18. & ſeq. ff. de re jud.* Unde bonis cedere non tenentur, ut eſt communis opinio, *l. 1. ibi Bald. & alij ſup. qui bonis cedere poſſ.* eamque procedere puto, ſi

ſi debitum ſit contractum in militia, uti præſumitur: Cui privilegio cum perſonæ cohæreat, non contractui, milites renunciare non poterunt. *l.* 14. *ff. ſol. matr.* ibi Alexander. Prætetea milites excuſantur à tutela, & ab aliis muneribus publicis, *l.* 3. §. 1. *ff. de muner. & honor.* nec coguntur inviti teſtimonium dicere, *l.* 3. §. *fin. ff. de teſtib.* ne propter utilitatem publicam cogantur abeſſe à ſuis ſignis, ubi tuentur Rempublicam univerſam. *l.* 31. *ſup. de*
23 *locato.* * Quæ cauſa eſt, ut quomodocumque læſi fuerint, in integrum reſtituantur; ſi nimirum dum in caſtris ſunt, vel ſtativa occupati, res eorum uſucaptæ, à creditoribus venditæ, vel actiones eis competentes tempore amiſſæ ſint. *Tit. de reſtit. milit.* ſi non defendantur abſentes Reipublicæ cauſa, poſſideri quidem bona eorum ex cauſa judicati poſſunt, non tamen omnino creditoribus addici; qui tamen ſi ea diſtraxerint jure pignoris, reſtituentur milites perſoluto debito, vel refuſo pretio venditionis, ſi fortè minoris veniit pignus,
24 quam ſit debitum *l.* 4. & 6. *ſup. de reſtit. mil.* * Eſt quoque inter privilegia militaria, quod militibus non noceat juris ignorantia, quod arma magis quam jura ſcire præſumantur. *l.* 4. §. 1. *ff. De jur. & facti ignor.* Silent enim inter arma leges. Unde temerè additâ hæreditate non tenentur ultra quam in bonis eſt *l. fin. ſup. de jure delib.* Aditionis dies non cedit. *d.* §. 1. Poſt ſententiam permittitur eis exceptionem peremptoriam opponere. *l.* 1. *ſup. De jur. & facti ign.* In delictis tamen non excuſat ignorantia, quod ab iis natura duce abſtinendum ſit, in eo tamen favetur militibus, quod non ſubjiciantur quæſtionibus, nec plebeiorum pœnis, etiamſi emeritis ſtipendiis miſſi ſint. *l.* 8. *ſup. De Quæſt.* Itaque nec ad beſtias, nec in furcam damnari poſſunt *l.* 3. §. 10. *ff. h. t.* Idem in nobilibus locum habere quidam hodie volunt, & in ductoribus & tribunis militum; ſecus in militibus privatis, nam illi quotidie torquentur, & in furcam damnantur. Jul. Clarus §. *fin. quæſt.* 64. *n.* 18. Verum hoc privilegium ceſſat in crimine læſæ Majeſtatis, proditionis, maleficij, falſi, vel privati carceris. *l.* 1. *ſup. ad l. Jul. maj. l.* 7. *ſup. De maleſ. & l. ult. ſup. de privat. carc.*

25 Quoad teſtamenta, tam larga militibus teſtandi facultas permittitur, ut omnes omnino ſolemnitates in teſtamentis requiſitæ, illis remiſſæ ſint. Nam Divus Trajanus permiſit, ut quo modo poſſent, & quo modo vellent, facerent teſtamenta, ſufficereque nudam voluntatem teſtatoris. *l.* 1. *ff. de teſt. mil.* §. 1. *Inſt. de milit. teſt.* Quod ita demum verum eſt, ſi dum milites in expeditione agunt, teſtentur, & duobus ad hoc vocatis teſtibus, voluntas militis probetur, in ipſo tamen prælio etiam nullo vocato, & ſufficit ſi in clypeo, vel in pulvere hæredem ſcribat etiam ex parte, nam pro parte teſtatus decedere poteſt, etiam duobus teſtamentis, ex tempore & ad tempus hæredem inſtituere, & certarum rerum, eodem teſtamento hæredem facere, & eidem ſola exhæreditatione adimere hæreditatem. De his plura dixi *ſup. de teſtam. militis*, deque omnibus hiſce privilegiis, ſuis locis.

Venio ad ea quæ Conſtitutionibus hujus tit. 26
continentur, & militibus competunt. Sed dubitari poſſet de milite qui ab hoſtibus captus eſt: & is perinde habetur, & privilegiis fruitur, ac ſi militaret. Quare ſi interea ejus tempora militiæ complentur, cum cæteris veteranis præmia & emerita accipiet. *l.* 3. §. 12. & *l.* 5. §. 7. *ff. h. t.* Cenſetur autem militiæ tempora compleviſſe, qui viginti annos in ea perdurarit. Atque eam ob cauſam Antoninus Imperator ei nulla ſordida munera indici voluit *l.* 2. *h. t.* Et ſanè nihil ſordidum, nihil ignobile decet militem. Id vero non tantum armatis militibus conceditur, ſed etiam iis qui in ſpectabilium Ducum officio militant, quos poſt completam ſuam militiam Imperatores prohibuerunt ſcholæ agentium in rebus ſociari, cum illos poſt exacta ſua munia ad ea rurſus revocari minime deceat. *l.* 3 *ſup. de off. mil. jud.*

Porro qui poſtliminio reverſus eſt, ſtipendia & 27
donativa temporis, quo apud hoſtes fuit, accipere non debet, niſi illi beneficio ſit indultum. *l.* 1. *h. t.* Nec adverſatur quod mox diximus, ſi expleto militiæ tempore redeat, ut veteranum reſtituendum, & emerita accipere, per *d.* §. 12. quoniam diverſa ſunt emerita accipere & ſtipendia: illa quidem ob militiæ tempus expletum emeritis dantur militibus; hæc autem etiam ante illud tempus ob annuam menſtruamve mercedem illis ſolvuntur. Interim tamen ſtipendia ejus temporis, quo quis voluntariè apud hoſtes fuit, ei danda non ſunt, niſi liberalitate Principis illi ſit indultum, ad exemplum ejus qui ex cauſa deſertionis reſtituitur in militiam, ſtipendium tamen & donativum medij temporis non accipit, niſi Princeps id ei conceſſerit. *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* * Nam præterquam quod 28
Principi favendum ſit, dicendum eſt, militi bello capto & poſtliminio reverſo, non deberi ſtipendium, cum pro mortuo habeatur: multo minus deſertori, niſi talem non fuiſſe appareat, ut quia fortè probavit ſe ex commeatu abfuiſſe, *l. pen. ff. h. t.* At vero is qui voluntate ſua fuit apud hoſtes, & ex indulgentia eſt reſtitutus, ſtipendia ejus temporis quo militiam deſeruit, exigere non poterit. *l.* 5. *h. t.* Imo, ſi in deſertione diem extremum obierit, bona ejus confiſcari D. Marcus & Antoninus conſtituerunt. *l.* 4. *h. t.*

Quid de militibus noſtris, qui ab hoſtibus ca- 29
piuntur, dicendum? Et ſi citra culpam ſuam capiantur, reverſi recuperabunt ſtipendia, & reliqua medij temporis donaria. *gl. in l.* 3. §. 12. *ff. h. t.* Aufert,

Digitized by Google

frer. *in addit. ad Capell. Tholoſ. q. 359. verſ. ſecus autem.* Eadem reſervanda ſunt legato & ſyndico, qui cum iter facerent, aut mandatum ſuæ civitatis deferrent, in via capti fuere ab hoſtibus. Imo judico ab ipſo Principe vel civitate redimendos eſſe, & ſumptus quos fecerunt, reddendos, quandoquidem ob publicam cauſam ſe periculis expoſuerint, & urgente neceſſitate munus legationis coacti fuerint ſuſcipere, *l. 1. §. 1. ff. De muner. & honor.* Huc facit, quod officium publicum non debeat gerenti eſſe damnoſum. Bart. *in l. 61. §. qui vero. ff. de furt.* Atque hanc ſententiam ſumma æquitate niti dicit Coſtalius *ad l. 2. ff. ad l. Rhod. De jactu.* & ſecundum eam judicatum fuiſſe affirmat Mornatius, *ad l. 26. §. non omnia 6. ff. mandati* & Chriſtinæus *ad h. t. deciſ. 136. num. 7.*

30 Verum, quia paulo ante dictum completæ militiæ tempora viginti annis terminari, obſervandum eſt id non eſſe perpetuum, ſed nonnullos ante id tempus ſacramento ſolvi. In quibus ea eſt differentia, quod immunitatem continuam & civilium munerum remiſſionem non habeant. Nam qui intra quinque annos militia ſolutus eſt, nullam ſibi vindicabit immunitatem, qui autem poſt quinque annos, unius anni habet immunitatem, qui poſt octo, biennij, qui poſt duodecim, triennij, qui poſt quindecim, quadriennij, qui poſt viginti, in perpetuum abſolvetur. *l. 8. §. 3. ff. de excuſat. tutor.* Sed ſacramento ſolutos bifariam diviſimus, *l. 10. tit. 54.* aut enim honeſtè ſolvuntur, aut ignominioſe. Honeſtè poſt honeſtam & cauſariam miſſionem, ignominioſe poſt ignominioſam: de utraque repetendum, quia id exigunt Conſtitutiones hujus Tituli.

31 Honeſtè miſſi prohibentur denuo ſine mandato Principis ſacramentum aſſumere, neque enim illis facilè datur inſtauratio, obtentu recuperatæ valetudinis melioris, cum neque temerè, neque inconſulto dimitti conſueverint, *l. 6. h. t.* Cæterum quamvis non fruantur privilegiis, quibus illi qui impletis ſtipendiis miſſi ſunt, aliis tamen veteranorum privilegiis gaudent, & præmia veteranis conceſſa percipiunt, retinentque integram famam. Neque enim hæc miſſio, cum honeſta & cauſaria ſit, aliquam exiſtimationis maculam adſpergit. *l. 8. h. t.* Præterea illis tanquam merentibus, præmij loco tribuitur, ut eorum teſtamenta militiæ tempore facta etiam intra annum poſt miſſionem valeant. *l. 21. & 26. ff. De teſt. milit.* Idque confirmavit Juſtinian. *§. ſed hactenus Inſt.*

32 *eod. tit.* de quo vide *ſup. De teſt. mil. n. 2.* * At vero ignominia miſſi milites ob delictum vel crimen ex edicto Prætoris infamia notantur, *l. 1. ff. De his qui not. infam.* & ideo nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri ſolent, uti poſſunt, nec in iis locis morari, in quibus ſpecialiter prohibentur, *l. 3. h. t.* cujuſmodi ſunt Aula Principis & Urbs Roma. Apud Germanos ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo nefas erat, qui enim ignominia notabantur milites, nec æra percipiebant, nec militaribus gaudebant privilegiis, nec ullum habebant cum gladiis teliſque commercium. Tacitus. *De morib. Germ.* Nam in jure omnino ſimiles iis habentur, qui nunquam militarunt. Propterea quod neque ipſi, filiive eorum ullam habent immunitatem, aut privilegium.

Obſervandum tamen quòd licet in pœnis quæ 33
militibus infliguntur, jura ſint atrocia; mitiùs tamen in caſu infamiæ cum iis agitur, quam cum aliis. Nam notati milites ex eo delicto, quod in Paganorum perſonam poteſt cadere, poſt miſſionem famoſi non ſunt *l. 7. h. t.* Adeoque nota quæ propter delictum militare interceſſit, exiſtimationem militis veterani lædere, non cenſebitur, quamvis quædam delicta pagano aut nullam aut leviorem pœnam irrogent, militi vero graviorem, *l. 14. ff. de pœnis.* Neque enim jus patitur quemquam infamem militare. *d. l. 3. h. t.* Nunc de delictis & pœnis militaribus agendum.

Sunt autem delicta militaria quæ milites in 34
exercitu, vel in caſtris contra militarem diſciplinam admittunt. Hinc qui rem à Duce prohibitam fecerunt, aut mandatis non obtemperarunt, capite puniuntur, etiamſi res bene geſſerint. *l. 3. §. 15. ff. h. t.* Corrumpitur enim & diſſolvitur omne imperatoris officium, ſi miles non obſecundet mandatis, ſed pro libitu ſuo agat. Ideo Manlius Torquatus filium ab hoſte provocatum & victoriam referentem, occidi juſſit, quod non expectato Imperatoris juſſu pugnaſſet. Hinc Paulus dixit diſciplinam caſtrorum antiquiorem Romanis fuiſſe, quam charitatem liberorum. *l. 19. §. 7. ff. De cap. & poſtl.* Item qui Ducem ſuum protegere noluerunt vel deſeruerunt, occiſo eo, capite puniuntur. *d. l. 3. §. ult.* Eadem capitalis pœna legibus Hiſpaniæ eſt ſtatuta in eos qui Regem ſuum deſeruerunt, *l. 3. Tit. 19. p. 2.* ibi Greg. Lopez. Unde Anaſtaſius apud Colchos ab Imp. Juſtiniano judex delegatus ſententiam tulit, ut Ruſticus & Joannes ob interfectum Febacem Ducem, capite plecterentur, qui eum cum poſſent, non protexiſſent, ſed turpiter deſeruiſſent. * Si tamen tanta ſit vis, cui reſiſti non 35
poſſit, licebit militi ſaluti conſulere, *d. §. fin.* ſecundum quam diſtinctionem puto eſſe intelligenda jura feudorum in vaſallo qui dominum dereliquit in prælio, de quo, *c. 1. & c. ſi quis miles, quib. mod. feud. amit.* ubi enim vaſalli auxilium prodeſſe non poteſt, quid mors vel captivitas proderit?

Augetur & crimen dignitate Ducis, ſimiles ei 36
manus intulerit, *l. 6. §. ff. h. t.* coërcetur & ille qui Duci aut Tribuno caſtigare ſe volenti reſtiterit. Nam ſi vitem tenuerit, militiam mutat, ſi ex indu-

ſtria fregerit, capite punitur, *l.* 13. §.4.*ff.eod.* Cavendum tamen Tribuno, ne modum in caſtigando excedat, & militem aliter puniat, quam vite, fuſte, aut gladio, *d.l.*3.§.16. quia ſi fuſte militem invadat, & non caſtigandi animo ob crimen, ſeverius cædat, puto militi defenſionem eſſe licitam. *arg. l.* 5. *ſup. De jur. fiſci.* Alias nullo pacto Duci reſiſtendum eſt: nam omnis contumacia adverſus Ducem & Præſidem eſt capitalis. *d.l.*6.§.2.

37 Petulantiæ delictum adverſus commilitonem committitur, de quo Menander. *Si quis*, ait, *commilitonem vulneravit: ſi quidem lapide, militia ejicitur, ſi gladio, capitale admittit*, *d. l.* 6. §. 6. Si vero miles ſeipſum vulneraverit, vel alias mortem ſibi conſciverit, ſiquidem impatientia doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluit, non animadvertitur in eum, ſed ignominia mittitur; ſi nihil tale prætendat, capite punitur. Per vinum aut laſciviam lapſis capitalis pœna remittenda eſt, & militiæ mutatio irroganda. *d. l.* 6. §.7. Voluntas enim & judicium, quod nullum in ebriis eſt, diſtinguit maleficia *l.*1.*ff. ad l.Corn. de ſic.* Sed prudentiſſimè Carolus V. Imperator edicto cavit, ne cui ebrietas in delictis excuſationem præberet.

38 * Nec jus excuſat dormientes vigiles, quorum diligentia freti reliqui dormiunt, nam eos capite puniendos reſpondit Paulus, uti & illos qui excubias deſeruerunt. *l.* 10.*ff. h. t.* & Modeſtinus eos qui ſtationis munus reliquerunt, plus quam emanſores eſſe dicit, ac pro modo delicti aut caſtigandos aut gradu dejiciendos. *l.* 3. §. 5. *ff. eod.* Quæ pœna licet jure ſtatuta, non poteſt tamen non dura videri. Nam miles qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum undique pertimuit, poteſt idem poſtea & miles melior eſſe, & vir bonus. Similiter qui pugnare olim deſtiterat, ignominiæ cauſa, vena illi ſecabatur; ut ſanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerat, cum ignominia amitteret. Muretus, *l.*13. *var.c.ult.* nota fuit meritæ & ultimæ animadverſionis, cum clementia remiſſæ. At vero in eos ultimo ſupplicio animadverſum fuit, qui in bello arma amiſerant, aut alienaverant, quod hoc crimen deſertioni eſſet affine, *d.l.*3.§.13. & quidem ſi omnia alienaſſent: nam ſi tibiale vel humerale tantum quis amiſiſſet vel alienaſſet, verberibus caſtigari ſolebat: ſi vero loricam, gladium, ſcutum deſertori ſimilis erat, niſi quod tyroni facilius parceretur. *l.*14.§.*arma.ff.h.t.*

39 Cæterum arcis Præfectus, ut olim, ita & nunc, qui eam ut oportuit, non defendit, aut caſtra hoſtibus conceſſit, lege Julia majeſtatis tenetur. *l.*3.*ff. ad l. Jul. majeſt.* Hujus diſciplinæ tam ſeveri cenſores ſunt Hiſpani, ut ex eorum conſtitutionibus Præfectus arcis, etiam alio ex juſta cauſa ſubſtituto, qui arcem non tenuit, aut eam hoſtibus tradidit, nihilominus fit reus criminis læſæ majeſtatis, *l.* 1. *&* 6. *Tit.* 28. *p.* 2. Niſi fortè Præfecto arcis ab hoſtibus occupatæ vel iis deditæ, nulla omnino culpa aut negligentia imputari poſſit, hunc à pœna ſecurum eſſe debere æquitas ſuadet: præſertim ſi nobilem ſubſtituerit, ut conſuluit Oldrad. *conſ.* 29. dicens hanc eſſe conſuetudinem ſuæ patriæ. *arg. l. ult. ff. de cuſt. reor.*

Eſt quoque reus criminis læſæ majeſtatis, qui arcem tenet, citra Principis juſſum, aut eam munit, & firmat; Item qui ſucceſſorem non admittit, ſed ſibi locum retinet: qui exercitum in inſidias deducit, & hoſtibus providit de commeatu, equis, pecunia, armis, quæ tamen ne quidem ipſis vendi poſſunt, *l.* 1. *ſup. quæ res export. non deb.* Petr. Belli, *de jure belli p.* 8 *t.de delict.mil.num.*68. 40

Præterea is qui in acie prior fugam fecit, ſpectantibus militibus propter exemplum capite puniendus eſt. *l.*6.§.3.*ff. h.t.* Idem in nobilem fugientem Regia Hiſpaniæ lege ſtatutum eſt. *l. ult. Tit.* 21. *p.* 2. Nec ſolum fugere, & locum cedere, turpe eſt, ſed etiam hoſtibus ſe dedere; Itaque ij qui armis victi ſe hoſtibus dedunt; aut ad eos transfugiunt, poſtliminio carent, *l.*17.*&* 19. §.4.*ff. de captivis & poſt.* Quis enim eorum miſereatur qui malo conſilio & proditoris animo patriam relinquunt, ut auxilio hoſtibus contra patriam eſſe poſſint, quocirca hoſtium numero habendi. Imo cum hoſtes alij captivi ſervantur, ſupplicio ultimo transfugæ afficiendi, *l.* 7.*ff.h.t.* ubicumque inventi interficiendi ſunt, *l.*3.§.*ult. ff. ad l. Corn. de ſic.* Exemplo Marcelli, qui Leontinis captis ad duo millia transfugarum ſecuri percuſſit. In hoſtium quoq; numerum referendi ſunt, qui eorum partibus favent, ac ſcelerata factione hoſtibus prædandi facultatem in ſuos dederunt, aut cum illis prædam diviſerunt; hos enim vivos comburi jubet Conſtantinus *in l.*9.*h.t.* 41

Exploratores vero & renunciatores qui ſecreta hoſtibus nunciant, etiam proditorum loco habentur, & capitis pœnas luunt. *l.*6. §.4 *ff. h. t.* & vivi exuri, aut furcâ ſuſpendi ſolent, *l.*38. §. 1. *ff. de pœnis.* Gravior furcæ pœna, quam gladij, quia ignominioſa magis, Levior quoque fuſtium, quam flagellorum pœna, nam ſervi flagellis cædebantur, fuſtibus liberi homines & quidem tenuiores, *l.*10.*&* *l.* 28. §.2. *ff. de pœnis.* Hoc genus pœnæ Fuſtuarium dicitur, quo damnatus fuſte leviter tactus à Tribuno, mox à cæteris militibus fuſtibus, lapidibus, gladiis petebatur. Hodie moris eſt bombardas in eos exonerare. 42

Item qui ſeditionum auctores ſunt, proditorum loco habentur, atque hi ad palum alligabantur, aut ſecuri percutiebantur, reliqua vero multitudo decimabatur, id eſt, decimus quiſque ſorte ducebatur ad ſupplicium, ut docet Cicero *pro Cluentio: Statuerunt*, inquit, *majores noſtri, ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animad-* 43

Digitized by Google

animadverteretur, ut metus videlicet ad multos, pœna ad paucos perveniret. Sic apud Tacitum *l. 14. annal.* Caſſius, *Et ex fuſo exercitu, cum decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur, habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publicâ rependitur.* & *1. hiſt. Si omnium itaque culpa fuit, decet paucorum eſſe pœnam*, ne omnes velut uno ictu exhauriantur, vel planè tollantur.

44 Cæterum nihil in hujuſmodi ſeditionibus feſtinatione tutius, ubi facto magis, quam conſulto opus, inquit Tacitus. In ſeditionum vero auctores non ſtatim animadvertendum, ſed ſedata ſeditione, quam quacumque ratione leniendam eſſe idem auctor monet: *Ne ſubita coërcitio plus damni in rempublicam ferat. 3. annal.* Saluberrimum & illius conſilium ad continendam militarem fidem, ubi ſeditio timetur ut longis ſpatiis diſtineatur exercitus, ne viribus & vitiis milites miſceantur.

45 Quod ſi fortè iis immixti jam fuerint diſſimulet Princeps, dum remedium paratur; nullum inter alia poteſt eſſe efficacius, quàm ipſius Principis præſentia. *Ita Divus Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit, l. 1. annal.* Auctoritate multitudo concitata mitigatur & arma ponit. Bene tamen prius expendere oportet iſtud remedium, num neceſſitas Principis præſentiam exigat, quæ ſæpe periculoſa, ſi populo & militi ille ſit exoſus, ut fuit Tiberius, qui tamen cum videret temporis ſui mores corrigi à ſe & emendari non poſſe, id per ſucceſſorem ſuum fieri voluit. Tacit. *l. 2. annal.* hic in ſeditione militari, illud quoque conſilium ſuggerit, alios contra alios concitare. Nam *remedium tumultus* eſſe ſolet *alius tumultus. l. 2. hiſt.* Id conſilij datum fuit Romano Senatui, in quadam populari conjuratione, ut fractis per diviſionem diſcordiæ conjuratorum viribus, plebem plebe componeret.

46 Præterea non ſolum delictis militaribus abſtinendum, ſed etiam aliis quibuſcumque, ut furto, homicidio, rapina, adulterio, ſcortatione. *Impudici nec apud Ducem, nec apud Commilitones ullius momenti ſunt*, inquit Suetonius *in Claudio*: Nam ſtupra & adulteria milites planè molles & effœminatos reddunt, quæ cauſa fuit, cur olim mulieres caſtra quæ caſta eſſe deberent, non ſequerentur. At in caſtris noſtris nihil minus quam libido caſtratur. Quid igitur mirum noſtram militiam infamem & infelicem eſſe, cum in ea tot deteſtanda crimina
47 perpetrentur ſæpe impune; * Quæ ut impedirentur & libido è caſtris profligaretur, Conſtantinus Imperator conſtituit; ut obtenta venia Principis, milites ſecum uxores, & familiam ſuam in caſtra ducerent, *l. 10. h. t.* iniquum enim videbatur milites matrimonij fructu & uſu privare, qui ſi uxores præſentes habeant, à ſcortis abſtinebunt, laſſati à pugna in illarum ſinum redibunt, levamento uxorio reficientur. Si dicas, è re militari magis eſſe pauciores eſſe conjugatos, qui plerumque ſunt timidiores, & magis ſoliciti de uxoribus & liberis conſervandis, quam de hoſte debellando, contrarium videmus in Germanis, qui ſtrenui & fortiſſimi ſunt milites, licet plures ſint conjugati, quorum uxores non exiguam exercitui adferunt utilitatem, omnia enim quæ ad victum ſunt neceſſaria, maritis ſuis procurant, unde fit, ut nulla cura diſtracti, toti armis vacent. Quinimo veteres Germani, teſte Tacito, non niſi ſpectantibus uxoribus pugnabant, earum vocibus excitabantur, &, ſi quando vulnus accepiſſent, curabant ipſæ protinus, & ſuis manibus obligabant.

Sunt & mulieres mundiciei ſtudioſæ, quæ etiam 48
pars diſciplinæ militaris, non in poſtremis ponenda. Oportet milites valetudinis eſſe curioſos, mundos, caſtra quoq; munda; ideo olim aſpergebantur & verrebantur contra luem & contagionẽ. *Quocirca 49
prohibitum eſt provida Conſtantini conſtitutione, ne quidquam ſordidum projiciatur in flumẽ caſtris vicinum, *l. 12. h. t.* ibi ne ullus ſcilicet immundo fimo ſordidatis fluentis commune poculum polluat, neve abluendo equorum ſudores deproperans publicos oculos nudatus inceſtet, ſed procul à cunctorũ conſpectu in inferiore parte fluminis hoc ipſum faciat: Idem ſtatutis locorum edictum eſt, quia inhoneſtum in publico flumine ſe lavare more pecudum, & natare in conſpectu hominum. Natandi quidem uſus neceſſarius eſt militibus, quia non ſemper flumina pontibus tranſeuntur, non tamen in ſuburbiis, ſed procul à conſpectu (ut ait dicta lex) nare diſcant, atque equites ſuos equos doceant, ut olim Romani;

—— Undoſum frangere nando,
Induti thorace vadum.

Silius *lib. 8. de equit.*

Supereſt ut de judicibus & de judiciis militaribus 50
pauca dicamus, quæ *ad l. ult. h. t.* ſpectant. Olim duo fuerunt Magiſtri militum in Occidente, alter equitum, peditum alter, in præſenti vocati, quod in Principis comitatu degerent & ejus latus tuerentur; nam imperant palatinis & comitatenſibus legionibus, ſumma erat illorum poteſtas in milites, atque eorum cauſas civiles & criminales audiebant & terminabant. In Oriente quinque Magiſtros militum fuiſſe Notitia docet, eoſque recenſet Pancirol. *ibi c. 30.* quorum duo erant in præſenti, unus per Orientem, quartus per Thraciam, quintus per Illyricum. Quoniam vero maximum ipſis rei militaris onus incumbebat, ad alios Magiſtros & Duces limitaneos aliquem ex ſuis apparitoribus mittebant, qui à ſe miſſa mandata impleri curarent. Hæc reſponſa vocabantur, & ad reſponſum qui deſtinabatur, vel reſponſalis, *l. ult. h. t.* hinc Prætores Piſidiæ, Lycaoniæ, Thraciæ, Moderator Helle-

noponti,& alij copiarum Duces, inter milites Reſponſales habebant qui à ſe juſſa exequerentur. Hos Græci Apocriſarios appellabant, noſtri legatos, quales ſunt apud Principes, atque illi quoque habebant ſuos adjutores & exceptores.

51 Hodie vero ex hac Anaſtaſij conſtitutione, Magiſtri militum Præſentalium & Ducum ſuorum juriſdictioni parent, quamvis ipſi Duces ſubſint Magiſtro militum per Orientem. Voluit itaque Anaſtaſius omnes milites coram Ducibus ſuis tam in civilibus cauſis quam criminalibus reſpondere. Idem aliis Imperatoribus viſum eſt *in l. 1. & 2. ſup. De offic. Magiſt. milit. & l. 6. ſup. De juriſdict. omnium jud. l. 1. ſup. de exhib. reis.* Nec mirum militaribus viris conceſſam eſſe judicandi facultatem, cum videamus alios homines qui alicujus rei peritiam
52 habent, de ea ferre ſententiam. * Præterea Duces & Tribuni quamvis per uſum quotidianum jam ſint approbati, ſolent cauſas ſuorum militum, ſive militares fuerint, ſive non, arbitrio delegare, aut principiis numerorum. *d. l. ult.* Nunc eas committunt judicibus, quos in ſuis legionibus habent, juris legumque militarium peritos, qui lites dirimunt, criminales autem non aliter quam relatione facta ad Principem: Nam tantum in caligatos & viliores milites eo inconſulto, animadverti Ducibus exercitus permiſſum eſſe indicat Venulei reſponſum, *in l. 9. ff. de cuſt. & exhib. reor.*

Præſes itaque provinciæ in nullos milites juriſdictionem habet: ſed ſi deliquerint in ſua provincia, poterit quidem eos ſub cuſtodia conſtituere. *l. 1. ſup. De exhib. & tranſmit. reis. & l. 13. hoc Tit.* & etiam audire, *l. 3. ff. eod.* ſed eos cum elogio ad Duces ſuos & judices ſub quibus militant, re-
53 ferre & remittere debet. *d. l. 9.* * Verumtamen ne provinciæ Præſes jure ſuo penitus privetur & in adminiſtratione ſua & regimine turbetur, hæc inter ipſum & judicem militarem moderatio ſervanda erit, quam proponit Gloſſa *in l. 6 ſup. De juriſdictione omn. jud.* In militari quidem delicto ſolus judex militaris tam cognitionem, quàm coërcitionem habet. *d. l. 1. & l. 3. ſup. De offic. Magiſtri militum.* niſi fortè miles in deſertione agens delictum commiſerit, *l. 3. ff. h. t.* quo caſu Præſes de deſertione militis cognoſcet, non ut ſuper delicto militari, ſed ut de privilegio ejus & judice conſtare poſſit. Nam & privilegiatus à judice alieno citatus comparere, & privilegium allegare tenetur. *l. 2. ſup. De excuſ. veter. L. 1. ff. De vacat. & excuſ. mun.* Itaque deſertor, ſi ob delictum ad judicem vocetur, de privilegio militiæ præſes cognoſcere, & re cognita illum ad judicem ſuum remittere debet. Quod ſi vero miles commune crimen ſeu publicum commiſerit, ſiquidem id leve ſit, & mediocre, cognitionem habere præſidem, coërcitionem verò magiſtri eſſe militiæ dicta gloſſa cenſet, ſin gravius delictum ſit, præſidem loci ubi id admiſſum eſt, cognitionem atque coërcitionem habere affirmat: & jubet *l. fin. ff. De accuſat. cum d. l. 3.* Joan. à Sande *in deciſ. Friſ. l. 1. Tit. defin. 4.*

Quod ſi poſteaquam quis in jus vocatus eſt, miles eſſe cœperit, in ea cauſa eſt, ut jus revocandi forum non habeat, quaſi præventus; nam ubi lis eſt cœpta, ibi finiri debet. *l. 7. & 30. ff. de judiciis.* Unde qui metu criminis, in quo jam reus fuerat poſtulatus, nomen militiæ dedit, ſtatim ſacramento ſolvendus eſt. *l. fin. ff. h. t. l. un. ſup. De reis poſtul.* & ſic ad judicem ſuum remittendus. Similiter ſi quis jam miles, profeſſus fuerit, non uſurum ſe fori præſcriptione propter cingulum militiæ, pactum ſervandum eſt. *l. pen. ſup. De pact.* 54

Ut autem reliqua judiciorum ſolemnia & forma, ita & ſportularum ratio immutata eſt, nam mitius tractantur milites, quam cæteri quoad ſportulas, & litium expenſas, cùm non teneantur ultra unum ſolidum præſtare Adreſponſo & adjutoribus ejus, non officio Ducenario. *l. ult. h. t.* ubi in perſona quoque eorum qui cum militibus litem habuerint, eandem formam & moderationem ſportularum ſervari voluit Imperator. 55

Si verò cauſa ad totum numerum pertineat, duplum præſtatur: debebit autem numeri univerſitas duos ex ſuo corpore, ſive ex primatibus conſtituere, qui conveniantur, & per ſyndicum ſuum litigare. *d. l. ult. §. ut autem omniſariam.* Hinc univerſitas ſi quid egerit criminosè, & conveniatur, debet per ſyndicum ab ordine conſtitutum reſpondere. *l. 3. & ſeq. ff. quod cujuſque univerſ. nom.* condemnata autem univerſitate, quia plures ex ea eſſe poſſunt innocentes, ſolet pecuniariis coërceri ſtipendiis, *juxta l. 57. ff. de judic.* Sic ſtatuto militari cavetur, ut ſi plures unius legionis damnum grave dederint, id à tota legione pro rata ſtipendij cujuſque ſarciatur. 56

Poſtremò apparitores & officiales judicis, qui citant, aut exequuntur, duplicata ſalaria exigunt, *d. l. ult.* ibi, *duplicata quantitate.* ex quo invaluit, ut procuratores qui corpori ſerviunt, duplum ſalarij nomine ſoleant exigere, ſed non juſtè: cum non majoris ſit laboris citare corpus, quàm privatum, & divinum ſit elogium, quemque pro labore ſuo mercedem debere accipere, quæ hodie ſi ſtatuta non ſit, ſolet à ſuperiore ſtatui pro conditione cujuſque, & tempore quo operam impendit, rerumque caritate. Jacob. Rebuffus *ad h. t.* 57

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXXVII.

De Caſtrenſi peculio militum & Præfectianorum.

1. *Quid ſit peculium, & ejus diviſio.*
2. *Caſtrenſe peculium non liberat filium à patria poteſtate, habetur hic tamen pro patrefamilias.*
3. *Quæ res caſtrenſis peculij eſſe cenſeantur, & quæ non.*
4. *Hæreditas matris non eſt in caſtrenſi peculio, hæreditas fratris commilitonis, quà commilitonis, non quà fratris æſtimatur.*
5. *Frater hæres inſtitutus à fratre, debebit ex iiſdem bonis relinquere legitimam patri.*
6. *Peculium caſtrenſe quomodo ab inteſtato ad patrem pertineat.*
7. *Quis ſit effectus, an pater jure peculij, an jure hæreditario bona accipiat.*
8. *Jus caſtrenſis peculij habent Præfectiani cæterique merentes in officio Præfecti prætorio.*
9. *Quinam jus quaſi Caſtrenſis peculij habeant, & quo à militari jure differat.*

1 PEculium dicitur quaſi puſilla pecunia, ſive
puſillum patrimonium, conſiſtitque ex eo quod
parſimonia ſua quis paravit, vel officiis meruit
ab aliquo ſibi donari. Eſtque homini ſimile, quia
naſcitur, creſcit, decreſcit, ac moritur; Peculium,
vel eſt paganum, vel caſtrenſe, vel quod medium
inter utrumque obtinet, quaſi caſtrenſe. Nos hic
de caſtrenſi peculio militum & Præfectianorum
dicemus ac in primis præmittimus hanc regulam,
milites in patria poteſtate manere, ſed tamen ca-
ſtrenſe peculium proprium habere, in quo nullum
2 jus eſt patri. *l.3.h.t.* * Itaque militia non liberat fi-
lium à poteſtate patria, quamvis quoad peculium
caſtrenſe filius habeatur pro patrefamil. *l. ult. ſup.
De inoff. Teſt.* adeo ut inter patrem & filium mili-
tem (inter quos aliàs nulla lis eſſe poteſt) ex cauſa
caſtrenſis peculij ſit actio. *l.4 ff. De judic.* Qua ra-
tione filius miles peculium hoc liberè alienare
poteſt, & de eo diſponere, cum tamen res alterius
peculij alienare, vel agere ſine patris voluntate
non poſſit, *l.2.h.t.* neque ex quacumque cauſa pe-
cuniam creditam accipere, ſi quam tamen filius-
fam. miles acceperit, non juvatur S.C. Macedo-
niano. *l. ult. §. pen. ſup. ad S.C. Maced.* Hinc quo-
que quamvis inter patrem & filium quem in po-
teſtate habet, donatio non conſiſtat. *l.2.l.31.§.2 ff.
De donat.* donatio tamen à patre filiofamilias cau-
ſa militiæ facta valet, & datum efficitur caſtrenſis
3 peculii, *l. 3. & 4. ff. h. t.* * In quo quidem peculio
res mobiles, vel ſe moventes donatæ à patre ineſſe
poſſunt; non autem prædia, quæ eunti in caſtra
filio pater donaverat. *l. 4. ſup. famil. erciſc.* Verum-
tamen ea prædia quæ occaſione militiæ filiisfam.
obveniunt, caſtrenſi peculio cedunt. Nam Alexan-
der Imp. ſcripſit, ea omnia quæ eunti in militiam
donata ſunt, & quæ occaſione militiæ in caſtris
quæruntur, effici caſtrenſis peculij, *l. 1. h. t.* in quo
tamen ea præcipua habere debet, quæ concedente
patre in caſtra detulit *l.4. ff. h. t.* * Quæ vero alia oc- 4
caſione filiofamil. obvenerunt, non pertinent ad
peculium caſtrenſe, ut hæreditas matris, quamvis
in militia delata ſit, *d. l. 1.* ſed hæreditas uxoris ex
reſcripto Divi Adriani, militiæ affectione marito
filiofamilias relicta caſtrenſis peculij cenſetur. *l. 13.
ff. h. t.* quòd tamen ſecus eſt in dote marito data,
vel promiſſa, quæ cohærens matrimonij oneribus,
liberis communibus, qui in avi ſunt poteſtate, con-
fertur. *l.16. ff. eod.* Aliter etiam ſe res habet in hære-
ditate, quam frater patruelis in alia provincia me-
rens, fratri patrueli, cum quo nunquam militavit,
reliquit; non enim quæſita videri poteſt peculio,
cum non militiæ cauſa, ſed ſanguinis ratio occa-
ſionem capiendæ hæreditatis præbuerit, *d.l.16.§.1.*
Si vero frater patruelis, idemque commilito fue-
rit, & hæreditatem reliquerit, ſucceſſionem ejus
peculio caſtrenſi quæſitam videri reſcribit Gor-
dianus Imp. *in l. 4. h. t.* quandoquidem ambo in
iiſdem caſtris militaverint, peregrinationis labor
& obeundorum munerum conſortium, affectioni
fraternæ nonnihil addidit: quinimo vice mutua
chariores invicem ſibi donaſſe credendum eſt. Hinc
Triphoninus ſcriptum reliquit; ſi quis & ante no-
tus, & amicus potuit ante dare & non dare, niſi
commilitium charitatem auxiſſet, ſi ante commili-
tium factum teſtamentum eſt, non futuram ca-
ſtrenſis peculij hæreditatem: ſi autem poſtea, pe-
culio annumerabitur. *leg. 19. ff eod.*

Poteſt itaque miles filiusfamilias à commilito- 5
ne vel alio milite hæres inſtitui, atque tunc ſine
patris arbitrio pro hærede ſe gerere poterit, nam
ſocietas illa laboris affectioni fraternæ nonnihil
(ut modò diximus) addidiſſe videtur, per *d. l. 4.* ne-
que inter cives tantum, ſed inter nos & barbaros,
atque adeò inter nos & hoſtes, militaris illa con-
ſuetudo & affectus fraternum ſæpe ſuperat. Inſti-
tutus igitur à fratre frater militiæ affectione, fa-
ctuſque ſui fratris hæres, ſi de iiſdem bonis teſtari
voluerit, oportebit inſpecto jure novo patri legi-
timam relinquere, quoniam licet in perſona fra-
tris teſtatoris fuerint bona profectitia, in perſona
tamen fratris hæredis jam ſunt adventitia, *juxta
l. cum oportet. C. De bonis quæ liber.* Quæ ſententia
locum etiam habet, inter fratres ſimul ſtudiis ope-
ram dantes, ut ſi unus ſtudij cauſa à patre donatio-
nem acceperit, iſque fratrem hæredem fecerit;
ejuſmodi hæreditas quamvis ſit quaſi caſtrenſis,
adventitio jure quæſita eſt, & in ea habebit is fra-
ter ſecundus patrem ſuum hæredem. *l. 4. & d. l.
cum oportet, §. ſub hac. C. De bonis quæ liber.* Ideo-
que

que ei relinquenda erit legitima. *Auth. Presbyteros. in fin. Cod. De Epiſcopis & Clericis.*

6 At quid, ſi filius recuſet adire hæreditatem, quæ ei ex caſtrenſibus bonis obvenit? Pater eam adire poteſt, ut ad eum tam dominium, quàm uſusfructus pleno jure perveniat, ac ſi fuiſſet ab initio hæres inſtitutus, ideo commoda & incommoda hæreditatis ſubibit, quorum nulla unquam pars ad filium poterit redire. Nam Imperatores reſcripſerunt peculium filij defuncti, qui militaverit, penes patrem remanere. *l. 5. h. t.* neque ſi filius decedat inteſtatus, bona ejus patri deferuntur, ut hæreditas, ſed tanquam peculium. Si autem teſtatus eſt, peculium caſtrenſe ad hæredem, ut hæreditas
7 perveniet. * Multum enim intereſt an pater ſuccedat jure hæreditario, an jure peculij, quia ſi jure hæreditario debet adire hæreditatem, aliàs non tranſmittet, ut in *l. un. §. in noviſſimo ſup. De caduc. toll.* & ſi inventarium non fecerit, in ſolidum obligatus erit. *l. fin. §. ſin autem. ſup. De jure delib.* & perpetuo obnoxius creditoribus ex quaſi contractu. *l. 3 §. ult. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. l. 17. ff. h. t.* At ſi pater bona occupet jure peculij, non tenebitur ea adire, quamvis enim moriatur, antequam bona filij vindicet, rectè tranſmittet, & etiam inſciens. *l. 1. §. ſi is qui ff. De collat. bonor.* neque ultra vires peculij obligabitur, etſi inventarium non fecerit. *§. præterea Inſt. quod cum eo qui in ali. pot.* Viglius *Inſt. quib. non eſt permiſſ. teſt. fac. in princ. n. 22.*

8 Atque hæc de prima tituli parte: ſecundâ autem cavetur, ut Scriniarij exceptores, & alij in officio Imperiali merentes, qui Præfectiani dicuntur, habeant etiam caſtrenſe peculium. *l. ult. h. t.* Erant & ex iis apparitores Præfecti prætorio, qui palatini quoque reputabantur *l. 8. ſup. de officio Rector. prov.* niſi eo tempore quo Præfectus rebus militaribus erat occupatus, eadem tamen privilegia conſequebantur, ac illi qui in legione prima adjutrice militabant, in qua legione erat ipſe Princeps, cujus fit mentio in *l. ult infr. de apparit. Præf. præt.* ſecundæ verò legionis *in l. 1. ſup. de Profeſſ. & med.*

9 Idem jus datur Conſulibus, Proconſulibus & Præfectis legionum, & Præſidibus provinciarum, ac omnibus generatim qui in diverſis dignitatibus vel adminiſtrationibus conſtituti à Principe conſequuntur quaſdam largitates: item viris diſertiſſimis cauſarum patronis, viriſque devotiſſimis memorialibus & agentibus in rebus, nec non Magiſtris ſtudiorum, qui publica ſalaria percipiunt. *l. ult. C. de inoff. teſt.* In eo tamen hi omnes, militibus armatis cedunt, quod ipſorum peculium non caſtrenſe, ſed quaſi caſtrenſe ſit, deturque eis facultas teſtamentum condendi, non ut militibus quo voluerint modo, ſed ſecundùm præſcripta legum, communi & conſueto ordine obſervato. *d. l. ult.*

TITULUS XXXVIII.

De Erogatione militaris annonæ.

1. *Annona ſummè curanda, & ad exercitum deferenda.*
2. *Annona militaris ex quibus rebus præſtabatur; Quid buccellatus, & poſca.*
3. *Parcimonia & vita dura in caſtris neceſſaria.*
4. *Singulis diebus annona præſtanda militibus, & vinum quandoque moderatum, novum non vetus.*
5. *Præſtanda annona ante lapſum anni militi: quid, ſi eam neglexit percipere, & tempore caritatis pretium ipſius petat.*
6. *Quid, ſi creditor differat frumentum petere, & expectet in tempus quo eſt carius.*
7. *Stipendia militum Romanorum, quando cœperint dari, & quanta eſſent, & nunc ſint, & cur media pars aſſervaretur apud ſigna.*
8. *Exactores & Opinatores debent annonam recipere intra anni ſpatium, nullum illis cum provincialibus commercium.*
9. *Proximi poſſeſſores ſuſtinent onus conferendæ annonæ militibus, quæ conſiſtebant etiam in fœno, paleis, &c.*
10. *Capitale militibus domos provincialium vi ingredi, & eas expilandi causâ cœnam vel diſcretionem petere.*
11. *Excuſant ſe milites non ſibi ſolvi ſtipendia. Quæruntur provinciales, in duplum obligari, ſolutis tributis. Hæc non ſufficere affirmat Princeps.*
12. *Deficiente ærario alendus eſt exercitus de privatorum agris, quos protegit, ſed alimenta iſta ſunt Principi imputanda, aut ab eo compenſanda.*
13. *Juſtè diſtribuenda annona: puniantur exactores qui plus accipiunt quàm oportet.*
14. *Et Tribuni & Duces, qui militum ſtipendia intercipiunt, & numeros defraudant. Frequens hodie delictum.*
15. *Laborum militarium habenda ratio. Varia præmia diſtribuenda etiam in hæredes transferenda.*
16. *Exemplo militum, Miniſterianis militantibus in ſacris ſcriniis, & aulicis, è manu Quæſtoris annonæ ærariæ dantur.*
17. *Annonariæ ſpecies non pluris vendi debent, quam in foro publico diſtrahuntur. Quid ibi ſtellatura.*
18. *Statutum pretium rebus venalibus non licet mutare, pœna contra facientibus impoſita.*
19. *Ab Actuariis conficiebantur pittacia ſeu brevia erogationis faciendæ; ſi ea celaſſent, nec tradidiſſent expleto triginta dierum ſpatio, mulctabantur.*
20. *Erogationi præpoſiti quale juramentum præſtarent. Solatium militis quid ſit.*
21. *Quid, ſi aliquid mutuo datum eſſet militi ante erogationem.*
22. *Quid, ſi cum commeatu abſint plus quàm triginta*

ginta milites; quæ ſupernumerariis eroganda fuerant, cedunt fiſco.

23. *Conſtare debebat erogatorem pecuniam ſolviſſe, ſi eam retinuiſſet, militia ejiciebatur.*

24. *Mortuo milite, debitum ſtipendium erogator uxori vel liberis perſolvebat.*

25. *Milites non debent ad cuſtodiam alicujus deputari ſine juſſu Principis. An tunc ex publico annonas percipiant.*

26. *Poſſunt ſubditi petere ſubſidia à Principe ſi immineat hoſtis. Item ut concedat ſalvam guardiam; quis hujus effectus.*

27. *Qui ſe dant in clientelam, caveant ne in ſuas arces admittant externum militem.*

1 SUpra dixi annonas, & panes civiles, ſalaria, & reditus in diverſis Speciebus de publico miniſtrata fuiſſe populo. *Tit. 22. & ſeq. l. ſuper.* Hic de Annona militari dicendum; quæ jure merito apud Ariſtotelem, *l. 6. c. 8.* ad primam quaſi legem Reipublicæ refertur. Nam quemadmodum turpe eſt patrifamilias, ſi uxorem, liberos, famulos fame vexari ſinat, ita & Principi, ſi exercitui de annona non provideat, cujus prima cura Romanis Principibus ſemper fuit. Nihil enim non cogitat jejunus miles, conſpirationes meditatur, militiæ fit deſertor, & imperij, reverentiam Ducis excutit. Quare annona, omni abjecta prorſus mora, ad exercitum deferenda eſt, & militibus diſtribuenda.

2 Annonæ militaris in primis ſunt ea, quæ victus cauſa militibus erogantur, ut panis, caro, vinum, oleum, acetum, ſal. *l. 1. h. t.* ubi Conſtantinus voluit milites ſuos percipere duobus diebus buccellatum frumentum, tertio die panem, uno die vinum, altero acetum, uno die laridum, aliis duobus carnem vervecinam. Buccellatum intelligo panem bis coctum, ſeu ut Marcellin. *l. 18.* frumentum ad uſus diuturnitatem excoctum. Cibum vero coctum venalem proponere in caſtris vetuit Metellus, cum eſſet in Africa. Val. *De diſcip. mil. l. 2.* In expeditione vinum bibere etiam prohibitum, ſed contenti eſſe debebant milites aceto & buccellato, Spartianus *in Nigrino.* Idem *in Adriano*, refert Adrianum cibis caſtrenſibus uſum fuiſſe, hoc eſt, *larido, caſeo, & poſca, exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli, & auctoris ſui Trajani.* Poſca erat potus ex aqua ace-

3 tique mixtura temperatus. * Hæ expeditionis tempore erant epulæ, hæ lautitiæ, non militum tantum, ſed & Ductorum. Quæ cauſa, cur nunquam fame laborarent. Unde verum illud magnum vectigal parſimonia, in primis neceſſaria in caſtris, ubi & vita duriter agenda, ne milites ſegnes, deſides & imbelles fiant, & annona deficiat, utrumque enim malorum peſſimum in exercitu, ut norunt antiqui & noſtri Duces, qui plerumque annonæ militaris prodigi & diſciplinæ negligentiores, rem ſæpe infeliciter geſſere.

Quamobrem providus Imperator, frugalitatem 4
expeditionis tempore ſervari mandat, *in d. l. 1.* & diebus ſingulis annonam parce præberi, & per capita, id eſt, ſingulis. *l. 6. h. t.* Quamvis interdum ſinguli in decem aut ſeptem dies annonam ſecum deferrent, ut legere eſt apud Spartianum in Alexandro, qui ita milites ſuos expeditionis tempore inſtruebat. Modico quoque vino utebantur, eoque novo, à menſe Novembri, quia veteris vini ſumptuoſa videbatur erogatio. *l. 10. h. t.* Illo namque menſe jam deſinebat muſtum eſſe flatulentum, & concoctu difficile. Hodie militi vinum non datur, vix cervisia, quæ ex tritico & hordeo conficitur, teſte Ulpiano *in l. 9. ff. De tritico, vino, vel oleo legato,* ubi vinum datur; detur potius vetus, quod corpus nutrit, triſtitiam omnem pellit, & ad prælium militem animat.

Poterant milites, ſi vellent, non dietim, ſed ſtato 5
tempore totam annonam frumentariam percipere, ante tamen quam annus laberetur, quam ſi recuſaſſent, aut non percepiſſent, fiſco poſt annum deferebatur. *d. l. 6.* Neque pro annona, quam quis fertilitatis tempore petere potuiſſet, aut recuſaſſet, poterat repetere pretium tempore caritatis. *l. 7. h. t.* nam ut militi annonam vendere non licebat, ita nec pretium aliquod pro illa accipere: Sic ſi cum haberet unde ſe ſuſtentaret, oblatas ſibi ſpecies repudiaſſet, quia viliores, & callidè expectaret majorem annonæ caritatem, ut pretia ejus anni pro ſpeciebus debitis exigeret, merito utrumque amittere vult lex. * Cujus diſpoſitio licet 6
æquitate nitatur inter milites, non procedit tamen in privatorum debitis, puta, ſi quis habeat annuum debitum in frumento, vino, vel alia re fungibili, & diſtulerit plurium annorum pretium percipere; huic enim vel pretium, vel ſpecies præſtabuntur, quanti fuere quo die ſolvi debuerunt; non quanti poſtea fuerint exorta caritate. Accurſ. & Platea *ad d. l. 7.* & DD. *ad l. vinum ff. De reb. cred.* Papon *l. 13. Arreſtor. Tit. 2. art. 12. & ſeq.* At ſi debitor fuerit in mora ſolvendi ſpecies ad præſtitutum diem, non videtur iniquum creditori præſtare, quanti hic ſua intereſſe probaverit, quod arbitrio judicis committendum fuerit. Atqui hic effectus moræ eſt, ut ab ea quanti res plurimi fuit, præſtare debitorem oporteat, ut habet communis ſententia, *per d. l. vinum* ſecundum quam cenſetur contracta mora per interpellationem legitimam, & per lapſum temporis.

Milites ſupra annonarias ſpecies, etiam ærarias 7
accipiebant, ſtipendia videlicet, ſine quibus ante diu militaverant. Nam Senatus ultro requirentibus Tribunis, publicè ſtipendia decreviſſe refert Livius, *l. 4: Id tanta lætitia acceptum, ut manus Se-*

Senatorum prenſarent, verè patres eſſe dicerent, & ſanguinem omnem nomine Reipublicæ profuſuros teſtarentur. Quo tempore ſcribit idem auctor, necdum argento ſignato Romam uſam, ſed ære tantum. Quantum autem fuerit militare ſtipendium, eſt incertum, cùm alii pluris, alii minoris conducerentur; ex Tacito tamen conjicio, militiam ipſam gravem, quandoque infructuoſam fuiſſe, *denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari lib. 1. ann.* accipiebant itaque denarium milites in diem, qui paulò plus eſt quàm argenti drachma, cujus ponderis eſt regale noſtrum. Ita ut in menſem plus minus tria aurea ſcuta peditibus darentur, ut hodie noſtris qui minimo merent; equitibus triplum: pro meritis verò ſtipendia militum aucta fuiſſe ſcribit Leonardus Portius *lib. 2. De ſeſtert.* & Pet. Belli *De jure belli p. 7. tit. 5.* Miror tamen creſcentibus rerum pretiis, non creviſſe tot ſeculis ſtipendia militaria, ſed decreviſſe potiùs in dies, diminuta pecuniæ bonitate. Niſi dicas præter ſtipendia habuiſſe milites annonam & ſubſidia alia à provincialibus, & à Ducibus donaria, quorum dimidia pars aſſervabatur apud ſigna, ne per luxum, aut inanium rerum comparationem à contubernalibus abſumeretur. Veget *lib. 2. c. 20.* Suet. *in Domit. c. 7.* Duplici ferè fine, ut continentior eſſet miles, & ut majori pro ſignis ſuis dimicaret audacia. Nec tantùm militibus, ſed omni hominum generi eæ res curæ ſunt, ſine quibus vivere non poſſunt.

8 Annonarias itaque ſpecies provinciales conferebant, eaſq; ſuſceptores exigebant, nonnunquam mittebantur Opinatores, qui apud Præſides inſtarent, ut id quod debebatur, intra anni ſpatium tranſmitteretur. *l. 7. ſup. De exact. tribut.* Ideo præceperunt Imperatores, ne ullum illis eſſet cum provincialibus commercium, ut faciliùs ab eis totius debiti ſumma exigeretur, & quamprimum mitteretur. *l. 11. h. t.* Quia verò retardatio & mora longior diſpendium adferebat, iidem voluerunt, à vicinioribus locis ad caſtra conferri ſpecies annonarias: ſic ut milites in veteranis caſtris conſtituti, de conditis ibi duas partes acciperent, tertiam annonæ partem ii, qui provinciam incolebant; advehere cogerentur *l. 4. h. t.* nihil enim invehere debent milites præter fœnum & paleas.

9 * Licet Vegetius *lib. 2. cap. 19.* referat legitimos milites falces, fœnum, aquam, ſtramen in caſtra portare conſueviſſe. Paleas quidem à vigeſimo non ampliùs lapide debebant convectare. *l. 2. h. t.* Fœnum autem etſi illi quoque deferrent, debebat id tamen à provincialibus, juxta modum à Valentiniano definitum, militibus ſecundum capita præſtari, neque enim expedit plus æquò gravari provinciales, quorum commoda ſunt Principum divitiæ. *l. 8. h. t.*

Eſt periculoſum, & pernicioſum valdè, prata è 10
quibus pabulum pro equis colligitur, militum moleſtiâ fatigari. *l. fin. ſup. ne paſcuis publ.* Imò capitale domos provincialium vi ingredi, aut expilandi causâ cœnam, vel, ut dicunt noſtri milites diſcretionem petere, lupina iſta diſcretio eſt. Ideo Imperatores jubent, ne cœnaculorum nomine, milites à provincialibus aliquid exigant. *l. 3. h. t.* Quid, ſi offeratur? habet oblatio concuſſionis metum, dare non vult, quod nolens offert, ideo etiam punitur acceptio. Huc pertinet Juſtiniani Conſtitutio, ut citra querelam ſumptuumve provincialium milites alantur, & nihil præter legitimas collationes, & ſtipendia ſua exigant. *Novell. 130.* Ideo enim hæc militibus dantur, ut ſe alere poſſint, ſine incommodo provincialium, *d. l. 3. in fin.* utque manus contineant à rapinis; ſed hoc militum vitium adeo invaluit, ut ſive iter faciant, ſive hoſpitentur, nullæ leges coërcendæ rapacitati ſufficiant.

Excuſant ſe quòd ſtipendia non ſolvantur, nec 11
ſubſidia ſubminiſtrentur. Contrà Provinciales queruntur, & meritò, ſe non obligari in duplum, & Principi, & militi, & tributa, ac ſuperindictiones quas pendunt, debere ſufficere. Non ſufficere reſpondet Princeps, ne quidem addito ſuo patrimonio, tot tantiſque neceſſariis rei bellicæ ſumptibus. Quid tandem? alendus eſt miles, qui pro principis & patriæ ſalute ſanguinem ſuum profundit. Meritò igitur ſtipendia & ad victum neceſſaria illi ſuppeditanda; à Principe autem ſuppeditari non poſſunt, petenda igitur à provincialibus, quorum cauſa bellum geritur. * Si dicant ærarium penè 12
totum in plura officia impendi, pleraque ſine militia, ſcholas militares ſine numero, & hinc militi in fundo famem & miſeriam. Querelæ quidem juſtæ hæ ſunt, ſed populariùm non eſt inquirere in cauſas Principis, cui ſummum datum eſt imperium & popularibus *obſequii gloria relicta*, ut dicit Tacitus *lib. 6. annal.* Rectè tamen fecerit Princeps, ſi hujuſmodi officia, & immenſa immeritis ſtatuta ſtipendia, minuat, aut potiùs tollat: ut fecit Carolus V. in Comitiis Valliſoletanis, ſatius eſſe judicans paucos intra priſtinæ ſuæ ſortis limites conſiſtere, quàm populum crebris exactionibus opprimere. Si igitur aliunde exercitus ali non poſſit, quàm à provincialibus, alimenta ab iis præſtita, à Principe reſtituenda ſunt, niſi remittat ipſe quod ſibi ex extraordinariis indictionibus debetur, aut alio modo compenſet, ut dixi *lib. 10.* & probant Theologi, Layman, Malderus, Bonacina, & alij.

Præterea curet Princeps, ut ea quæ provinciales 13
impendunt, æquâ lance diſtribuantur. Liberaliùs enim contribuunt, ubi vident ſua bene diſtribui, promptiores quoque ſunt ad omnia obſequia. Quamobrem ſeveriſſimè animadvertendum in Exactores & Opinatores, qui plus à populo quàm ſta-

Digitized by Google

14 ſtatutum ſit, acceperint. * Longe autem ſeveriùs in Magiſtros militum, ſi ſuo non rectè fungantur officio, ſi ſtipendia militum intercipiant, ſi alios ad numerum explendum ſurrogent, qui verè milites non ſunt. Audiant quid ſtatuat Juſtinianus, *in l. fin. §. & unumquemque, 9. ſup. De offic. Præf. præt. Afr. magis enim debent Duces & Tribuni ſupra deputata ſibi emolumenta, ſecundùm labores ſuos de noſtra largitate remunerationem ſperare, & non de commeatu militum, vel de eorum ſtipendiis ſibi lucrum acquirere,* quæ rapina potiùs dicenda eſt. Quid enim ſceleratius quam neceſſaria ad victum militibus, & quidem ſuis eripere? Quæ major perfidia, quam numeros mentiri, cùm ſtipendia pro mille ſuppeditantur, ſæpe non ſint ſexcenti milites. Unde denudatæ neceſſariis præſidiis arces, acies, alarum atque cornuum robore, periclitantur, fugantur, deduntur. Generoſus verò Dux potiùs de ſuo prærogabit ſtipendia, & augebit numeros, & ſic ſe dignum remuneratione præſtabit, viamque ad

15 honores ſibi pandet. * Solet enim bonus Princeps, eos, qui fortiter & ſtrenuè munere ſuo funguntur, promovere ad altiores ordines, arma gentilitia, ſive nobilitatis inſignia iis donare, ſtipendia augere, egenis fundos aut cenſus dare; ſi divites & nobiles ſint, excellſioris dignitatis titulo eos ornare: Romanos illos imitans, qui præter arma gentilitia, cingula, vexilla, haſtas, armillas, coronas, phaleras, torques, annulos, duplicata etiam ſtipendia, ſuis militibus & Ducibus pro meritis donabant. Hinc Impp. Honorius & Theodoſius voluerunt, ad excitandos juvenum animos, quibus laborum intuitu conceſſum fuerat numeros regere, eos præter ſtipendia æraria, annonas etiam & capitationes percipere, & ſi quis eorum antequam acciperet, in fata conceſſiſſet, debitas annonas, & quidquid quovis titulo quæſitum fuiſſet, id omne ad hæredes devenire. *l. 14. h. t.* Alexander Severus non tantùm annonas hæredibus reſtitui voluit, ſed etiam eos promoveri, & viduis unde honeſte viverent, ſuppeditari, ob merita maritorum; Idque merito, milites enim fundamentum & ſecuritas ſunt imperii. Unde *aurum & argentum rarò cuiquam niſi militi diviſit, nefas eſſe dicens, ut diſpenſator publicus in delectationes ſuas & ſuorum converteret id quod provinciales dediſſent.* Atque ita animati milites, nec ferrum, nec flammam metuebant, teſte Lampridio.

16 Ad ſimilitudinem militum, quibus ærariæ præbebantur annonæ, etiam miniſterianis in ſacris ſcriniis militantibus, ac univerſis officiis dignitatum aſſignabantur, quia verò hi, qui ad annonarum exactionem mittebantur, pro cupidine & libidine ſua graviter ex provinciarum viſceribus eas eruebant, placuit ut deinceps ex manu quæſtorum acciperentur, *l. 15. h. t.* Sic hodie non quis per ſe, aut per ſuos annonas exigit à provincialibus, ſed eas ex ærario capit, pretio taxato (quæ taxatio adæratio vocatur) ita ut non plus exigere poſſit, quàm debeatur. Vult ibi Imperator annonas adærari, id eſt, ad æs, ſeu ad pretium ſpecies redigi, taxationeque adhibitâ æſtimari. * Hinc placuit ſpecies re- 17
ſtantes non aliter adærari, & pluris vendi quàm in foro publico diſtrahuntur, ut non nimis gravetur qui emit, & aliquo compendio, is qui diſtrahit, foveatur, *l. 12. h. t.* Vocat Imp. ſpecies reſtantes quæ ex præterito debentur, quid autem per ſtellaturam intelligat, eſt valde incertum. Exiſtimo ex privilegio, propoſitas in foro fuiſſe ſpecies annorias, ſeptem totos dies, venales, quas milites viliori pretio conſequebantur: ideoque iis loco teſſeræ communis, datam fuiſſe ſtellatam teſſeram, dictamque illam diſtributionem, ſtellaturam, & in illa ſpecies alias ſolere dari, ac conſtitutum ne in ſtellatura fraus militibus fieret, Pet. Gregor. Tholoſanus *in ſyntag. jur. l. 36. cap. 30. n. 16.* Aliter Cujacius, Alciatus hic, & Dorleans *in Tacitum l. 1.* Hinc in venditione ſpecierum, præſertim in caſtris, ſtrictè ſervanda ſunt edicta, quæ auctoritate Ducis belli & ſupremi juridici promulgantur. * Quam-
obrem ſi pro annona militibus pecunia dabatur, 18
non licebat ſtatum & taxatum pretium mutare ſi quis id mutare tentaſſet, in centum auri libras ab Imperatore condemnabatur, & ſacrilegij pœnas incurrebat. *l. 13. h. t.* Ideo Præfecti annonæ non debent eſſe remoti ab exercitu, qui pretia curent, & ſatellitum Præfectus advigilet maximè, ut caſtris bene de neceſſariis provideatur, utque ea tutè deferantur, ne hi qui provident copiis, quales vulgo *vivanderos*, excedant in adæratione taxationeve rerum venalium, eaſque vitient.

Præterea, ut majori fide & cautione annonæ 19
colligerentur, erogarenturque, Impp. Arcadius & Honorius voluerunt breviaria & libellos confici, ſecundùm quos ſuperindicta exigerentur, & ad ſacra ſcrinia mitterentur. *l. 5 h. t.* Si quid verò Actuarij, vel Optiones à ſuſceptoribus amplius accepiſſent, quàm in mandatis Imperatorum & breviariis continebatur, duplum reddere compellebantur. *l. 9. h. t.* & ſi expleto triginta dierum ſpatio pittatia ſua ſeu breves non tradidiſſent, ac excludere quidquam aut lucrari tentaſſent, ſimulque ſuperſediſſent erogare, è propriis facultatibus damnum militibus ſarcire cogebantur, *d. l. 5.* nec ulla admittebatur excuſatio, quia annonarum diviſio, non niſi præſentibus Actuariis & Optionibus fieri poterat, prout etiã exactio, non niſi à ſuſceptoribus & exactoribus, qui ne defraudarent milites aut provinciales, referenda omnia erant in breves.

Quæ cauſa cur omnes hi qui erogationi præpo- 20
nebantur, ex Conſtitutione Anaſtaſij Cæſaris juramen-

ramentum præſtarent ſe videlicet ſuſceptam curam diligenter peracturos, & ſecundum Imperatoris præſcriptum manu ſuâ militibus ſolatium & annonam erogaturos, ſine fraude & dolo, *lib. 16. in pr. h. t.* Prærogabatur quandoque militi ſolatii loco aliqua pecunia, ſtipendio imputanda, *d. l. 16. & l. 1. ſup. De re mil.* quæ nunc dicitur *el ſocorro*.

21 Sic ſi Actuarius ſolatium aut aliquid annonarum mutuum dediſſet militibus, id tempore erogationis recipiebat, & ex pacto in ſingulos ſolidos tremiſſem, id eſt, ſolidi tertiam partem, non amplius, idque durante dilatæ ſolutionis tempore. Si verò hujus pactionis inter actuarium & militem initæ prætextu, lis aliqua orta fuiſſet, ea per juramentum veritatis inquirenda erat & terminanda, interim pecunia ab erogatore, non ut hactenus tribuebatur, ſed apud devotiſſima principia deponebatur. Fiebat etiam apud eadem principia depoſitio pecuniæ, quoties milites per commeatum ab-

22 erant. * Hinc, ſi per Imperatorem, dato commeatu, triginta milites abeſſe contigerat, quod illis debebatur, apud principia, ut dixi, ſequeſtrari debebat, ita tamen, ut, cùm rediiſſent, pecuniam acciperent. Si verò plus quàm triginta Tribunus dimiſiſſet, illi qui ſupra numerum fuerant, ſtipendiis erogandis expungebantur, atque ea pecunia in ærarium fiſcale conferebatur; eis tamen indemnitas ex facultatibus tribuni præſtabatur, quia non debebat, nec poterat commeatum tam multis dare. *d. l. 16. §. ſuper his.* Rectè inde receptum, ut iis qui ſine cauſa abſunt à numeris, vel tempore quo luſtrantur, nihil tribuatur, ſed ærario applicetur.

23 Præterea, ne quid ex dicta Conſtitutione omittam, oportebat decem Primates aut Tribunos atteſtari, unumquemque militem à ſuo erogatore partem ſibi debitam accepiſſe, eaque atteſtatio per Erogatorem Principi dabatur, factâ relatione per Tribunum vel Primates numerorum intra tres menſes, ſi autem differret erogationem, atque ita pecuniam apud ſe retineret, damnum ſi quod milites ſuſtinuiſſent, ſtatim farciebat, ac eo ipſo, cingulo militiæ privabatur, & erogationis curam Magiſter militum ad alium transferebat. *d. l. 16. §. hoc etiam & ſeq.* Hæc verò ut Principi innoteſcerent, & videret quid Erogatores, & Opinatores commiſiſſent, duo milites pro reliquis verba facturi, commeatu accepto, Principem adibant, eique exponebant, quid fraude Erogatorum perpeſſi fuiſſent.

24 Demum Anaſtaſius Imperator obſervari cenſuit, ut pecuniæ omnes quæ mortuis militibus, ad diem uſque mortis debitæ ſunt, per Erogatorem uxoribus ac liberis eorum repræſententur. Eſt enim æquum liberos eorum ſalaria accipere etiam temporis, quo in ægritudine languerunt. Nam illi quoque inſervire intelliguntur, qui ægri ſunt, qui cupientes ſervire propter adverſam valetudinem impediuntur. *d. l. 16. §. fin. & l. 14. h. t. & l. 4. §. 5. ff. De ſtatu liber.*

Conſtitutione poſtremâ præſcribit idem Imperator, ne milites à ſtationibus ſuis abſcedant, nec à quocumque loci alicujus tuendi causâ vocati, deputentur ſine juſſu Principis, nec aliàs annonas de publico percipiant, quàm quas iis in locis unde mittuntur, ſolent accipere: ſed ſi quid amplius eis præſtari oporteat, id fiat ab iis à quibus vocantur, & quorum loca tuentur: ſi verò recuſetur, milites à loco ubi morantur, ne recedant; ſi receſſerint, ad ſuam ſtationem redire jubentur, *l. ult. h. t.* ubi triginta librarum auri mulctâ puniuntur officiales Rectorum provinciarum, qui hujus legis præſcripta violaverint, aut violari permiſerint. 25

Unde licèt ſubditis, hodie ſubſidia à ſuo Principe petere, dum imminet metus hoſtium, vel aliud periculum, ſed tunc ipſi cogentur militem alere, & ſumptus neceſſarios ferre. Solent quoque ſubditi ſecuritatis cauſa affigere foribus ſuarũ ædium inſignia ſui Principis, ſed non niſi ejus permiſſu. Nam id Dux belli non poteſt concedere, niſi ſpeciatim hoc ipſi à Principe ſit conceſſum, alias enim abuteretur ſuâ poteſtate. *l. 1. ſup. ut nemo privat. titulos prædiis impon.* Le Bret, *De la ſouveraineté du Roy, lib. 4. cap. 4.* Eſt enim ſolius Principis ſubditos & vicinos protegere, eis concedere vela regia, ſeu ſua inſignia (cum expreſſa *ſalva guardia* inſcriptione) quorum effectus & ſignificatio ea eſt, ut Princeps intelligatur protectionem, & cum protectione, illorum conſervationem contra vim & violentiam quamcumque in ſe recepiſſe, nec paſſurum ſuſceptos à cuſtodia ſua tutelaque divelli. 26

Hâc fiduciâ freti, ſæpe vicini populi ſolent ſe, etiam in clientelam dare potentiori vicino; quod dum faciunt, cautè in protectionis capitulis ſui rationem habere debent, ne illi arces ſuas præſidio militari ſervandas committant, aut militum tranſitum per ſua loca permittant, ne inde occaſio ſubjectionis potiùs, quàm protectionis oriatur. Eo enim pacto ſcimus multos liberos populos vel in ſervitutem ſe conjeciſſe, vel libertatem ſuam læſiſſe. Non enim leges veretur potentia major, nec auctoritatem ambitio. Quod fidei & tutelæ ipſius commiſſum fuit titulo defenſionis naturalis, poſt ut ſuum vi detinet. 27

TITULUS XXXIX.

De excoctione & tranſlatione militarium annonarum.

1. *Opinatores non exigant excoctionem panis, ubi familiæ non conſiſtunt. Aliàs nemo excuſatur.*
2. *Procuratoris negligentia in omittendo excoctionem panis nocet domino.*
3. *Puniebantur qui ad exercitum malè coctos panes fere-*

ferebant; & qui delicatiores cibos venales importabant.

4. *Crevit Romanum imperium, ſervatâ diſciplinâ & parſimonia, decrevit admiſſis voluptatibus.*

5. *Turcæ nunc, veteres Romanos ſequuntur, qui diſciplinâ & frugalitate imperium protulerunt.*

1 NOn ſatis eſt annonas colligere, niſi illæ transferantur ad caſtra, aut loca ubi milites degunt, ut ipſis diſtribuantur. Ob id per diverſas provincias delegabantur Exactores & Opinatores, ut annonas frumentarias colligerent, vel imminerent judicibus *l. 11. ſup. Tit. prox.* Quia vero hi ſolebant panis excoctionem efflagitare à provincialibus, etiam in locis ubi nullæ familiæ conſiſtebant, jubent Imperatores Arcadius & Honorius veterem conſuetudinem obſervari. *l. 1. h. t.* Nam illa perpetuæ legis vicem obtinet. *l. ult. ſup. quæ ſit longa conſ.* Abuccellati tamen excoctione qui militibus præparabatur, & tranſvectione annonæ, nullius familia excuſabatur, adeo ut nec Principis domus ab his haberetur immunis. *l. 2. h. t.* Nam dum rei frumentariæ inopia contingebat, tum ſummæ erat annonæ difficultas, eo ipſo quod bona pars annonæ è pane & frumento colligeretur.

2 * Hinc Romani etiam cum copia eſſet annonæ, frugalitatem tamen & menſuram ſervabant, & expeditionis tempore buccellatum militibus diſtribuebant, cujus proinde excoctionem ſi quis neglexiſſet, graviſſime puniebatur, non procurator tantum cui coctionis cura incumbebat, ſed & dominus procuratoris contumaciæ conſcius, in quadruplum ejus quod pro capitatione ipſi erat injunctum, damnabatur. *d. l. 2. §. fin.* Ex quo patet, quod quandocumque procurator eſt contumax, ſi dominus ejus contumaciam non purgavit, puniatur. Quando autem contumacia & negligentia procuratoris in omittendo noceat domino, vide Doctores quos refert Bernard. Græveus *concl. 45.* Platea *ad l. 2. h. t.* Tholoſanus *in ſyntagm. jur. l. 49. cap. 4. num. 21.*

3 Puniebantur quoque qui panem non melioris farinę, bene coctum, & juſti ponderis ad exercitum tranſmittebant, qua in re hodie graviſſimè peccatur. Quid enim iniquius, quam panem non purum, juſti ponderis, ac ſtato tempore non diſpenſare, & miſeros præcipuo ſuo ſolatio privare? Buccellato pane duobus diebus milites Romanos in expeditione victitaſſe, parcè vino, & poſca uſos fuiſſe dixi *ſuperiori Tit.* Imo ne delicatioribus cibis aſſueſcerent, & molliores fierent illi, quibus erant facultates, interdicta caſtra fuere iis, qui cibos delicatiores venales importabant, neque reverti licebat, niſi frumenta adveherent. Boterus *l. 9.*

4 Hac tam exacta diſciplina & parſimonia Romani rerum domini evalere, perſpiciebant enim non tantum, ut Livii verbis utar, *l. 30* ab hoſtibus armatis Reipublicæ ſuæ periculum imminere, quantum à circumfuſis undique voluptatibus; quas ubi dein admiſere, ſenſim collabi cœpit imperium, & poſt Cannenſem Cladem, atque aliquot aliàs penè totum collapſum eſt, admiſſis, inquam, Capuæ deliciis, ut idem auctor in hæc verba: *Jam tunc minimè ſalubris militari diſciplinæ Capua, inſtrumentum omnium voluptatum delinitos militum animos avertit à memoria patriæ.* Valerius Maximus *l. 9. c. 1.* Sic multi hodie ea ſpe freti, relictis ſuis opificiis, ad bellum accinguntur, ſed cum vident ea ſe fruſtrari, & plus ſatis eſurire, nec licere ad priſtinum opus reverti, ſtudio latrocinandi & deprædandi incumbunt, idque impune, quaſi in hoc vitæ genere omnia licitè agere liceat, Simancas *De Republ. l. 9. c. 7. pag. 583. n. 18.*

Quanto ſatius foret veterum Romanorum 5
exemplo diſciplinam ſervare, ſtipendia militi ſtato tempore perſolvere, curare ne annona unquam deſit, & id agere ut miles victu tenui ſit contentus, ſic omnes prædandi viæ obſtruerentur. Regidos veteres ſeveræ diſciplinæ obſervatores Romanos, hodie Turcæ imitantur, apud quos in militia, ſumma eſt ſeveritas, & victus auſteritas, nullus enim apud eos vini uſus, buccellato contenti & oryza, ac pulvere quem ex ſalita carne commolita, ſecum ferunt, & ſic trecenta ſæpe militum millia in caſtris ſuſtentant. Hinc eorum imperium tam latè prolatum & penè par Romanorum, quod facile à nobis poſſet recuperari, ſi diſciplina & concordia vigeret.

TITULUS XL.

De militari veſte.

1. *Continuatio tit. Quo tempore darentur militibus veſtes, & canon veſtium inferretur.*
2. *Antiquitus milites ſibi veſtes & arma procurabant.*
3. *Data dein fuerunt veſtes ex publico & chlamydes adærata ſingulis ſolidis.*
4. *Quantum provinciæ certæ conferrent pro tributo veſtium.*
5. *Ex eo quinque partes in pecunia militibus erogabatur, ſexta pars in veſtibus ſervabatur pro textura & confectione.*
6. *Quomodo honoratiores milites & equites ſeſe ad bellum ornarent.*
7. *Comparantur milites ſervis ratione obſequii, & veſtis, & victus.*

QUemadmodum ad militum vitam neceſſaria 1
eſt annona, ita ad conſervationē corporis veſtes, nam ut illa vires auget, & vitam tuetur, ita hæ

ſanitatem corporis conſervant, & nocitura arcent. Ideo victus & veſtes paria cum ſint, de utriſque pari diligentia ab Imperatoribus cautum. Cur Valentinianus & Valens qui ſingulis diebus, aut certè competenti tempore, annonam militibus præſtari voluerunt, *l. 6. ſup. De Erogat. milit. annon.* iidem & veſtes dari, ineunte ſcilicet vere & hyeme, atque omnem pecuniam veſtium militarium à Calendis Septembris, uſque ad Calendas Aprilis inferri ſacris largitionibus, propoſita pœna Rectori provinciæ vel ejus officio, ſi totum canonem non curaſſet exſolvi. *l. 1, h. t.* eſt autem illa arbitraria & committitur Præfecto prætorio ad quem dirigitur Conſtitutio.

2 Antiquitus milites ex ſuo ſtipendio ſibi veſtem, arma, tentoria parabant, ut refert Tacitus *l. 1. annal.* diſtributa & iis in ſtipendia terga boum *l. 4.* dum ait Druſum Friſiis Transrhenanis populis tributum juſſiſſe, *ut in uſus militares terga boum penderent.* Sic & Polybius tradit arma, veſtes, & frumentum, quæ militibus dabantur, imputari eorum ſtipendiis, *in vita Grachi.* Cum tamen Plutarchus *in vita Grach.* Scribat Gracham legem tuliſſe, ut veſtes militibus darentur, ſine ſtipendiorum diminutione. Inter Imperatores Alexander referente Lampridio, donavit militibus ocreas, braccas, & calceamenta præter veſtes militares, & qui eum ſequuti ſunt Imperatores honoratioribus militibus veſtes, aut earum prætium, præter ſtipendia dari præceperunt, gregariis tantum veſtes, ſeu chlamydes.

3 * Sic Arcadius & Honorius non binos tremiſſes, ſed ſingulos ſolidos pro chlamydibus ſuis, omnibus militibus per Illyricum dari juſſerunt. *in l. 3. h. t.* Chlamydes ſunt propriè veſtes militares, Plautus *in Curcul. Quaratis chlamydem, & macheram hanc, unde ad me pervenit.* quamvis etiam alii iis uterentur, quin & fœminæ & pueri, unde pueriles chlamydes vocat Ulpianus *l. 23. §. 2. ff. De auro & argento leg.*

4 Ad harum veſtium onera, tributum ſive canonem provinciæ omnes pendebant. In Thracia per vicena capita hominum, veſtis una militaris exſolvebatur; in Scythia & Myſia per tricena capita veſtes conferebantur, interim dum aliud conſtitutum eſſet. Idem in aliis diœceſibus, ut in Ægypto, Aſia, & Ponto. Provintiæ autem Orientales, anno, quo aurum comparatitium conferebant, cogi non poterant ad veſtium militarium præſtationem, ſed compenſatio fiebat, exceptis Oſdroëna & Iſauria, quæ aurum non debebant: dicitur aurum comparatitium, quia ideo conferebatur, ut emerentur veſtes militibus, *l. 2. h. t.* ibi Cujacius. Idque per juga vel capita, quia aliquando ſecundum jugera, aliquando per capita hoc tributum exigebatur, & in militare ærarium conferebatur.

5 Ut autem ex publico hæ veſtes ſolvebantur, ita etiam conficiebantur, quod colligitur *ex l. fin. h. t.* ubi Imperatores Honorius & Theodoſius voluerunt quinque partes adærationis, ſeu pretii collati, militibus erogari in pecunia, ſextam vero partem pro textura & confectione Gynæceariis conferri. Hi enim plerumque opera fœminarum pannos rudes tergebant, vel texebant, ex quibus veſtes militares conficiebantur, juxta æſtimationem prædictæ ſummæ, & dabantur junioribus gregariiſque militibus; in ipſa quam deſiderabant ſpecie.

6 Nam honoratiores & equites pretium accipiebant (ut dixi), & patet *ex d. l. fin.* ex quo ornatas melioriſque materiæ veſtes ſibi fieri curabant, item ephippiis & frænis decentibus equos ſuos inſtruebant, baltheo ſe ornabant, purpurea vero trabea in funere commilitonis. Unde *trabeati equites,* apud Tacitum *l. 3. annal.* nos dicimus *des bandes*: pedites quoque erant honeſte induti, calceati, & bene armati; ſed non licebat iis zonam ad bellum, aureos vel argenteos nummos ſecum ferre, ne ad hoſtem aliquid prædæ perveniret. Spartianus *in vita Peſcennii.*

7 Noſtris militibus, præſertim exteris, ſæpe veſtes hyemales dantur, & honoratioribus ex meliori panno, ſed id detrahitur illorum ſtipendiis. Melior ſanè conditio famulorum noſtrorum, qui certis anni temporibus duplicem veſtem, præter ſtipendium accipiunt. Unde veteribus illis Romanorum ſervis, milites potius comparandi ſunt; nam quale erat dominis in ſervos imperium, tale nunc belli Ducibus in miltes. Illi à dominis ſuis miſerum victum & veſtitum accipiebant, hi à ſuis Ducibus vix tantum, unde miſeram vitam trahant, & corpus tegant, atque in modum ſervorum obediunt. Dorleans *in Tacitum l. 1.* Coteræus *l. 1. De re milit. c. 33.*

TITULUS XLI.

De Metatis & Epidemeticis.

1. *Metatores qui, cur Gallicè* Fourriers *dicti.*
2. *Officium metatorum qui caſtris ponendis loca eligunt, & quomodo ea diſponant, & vallari curent.*
3. *Illis ac toti exercitui præeſt Præfectus caſtrorum, quem vocamus* Maître de camp general: *quod ejus munus.*
4. *Milites intra urbis mœnia in turribus collocandi ſunt, non in pagis, apud ruſticos.*
5. *Tranſeundum celeriter per pagos, nulla annona, vel capito ullo à poſſeſſoribus exacto.*
6. *Item per regionem ſociorum non prædas agendo.*
7. *Diviſio hoſpitii inter dominum & militem ut fiat. Hi non occupant principales ædium partes.*
8. *An civibus liceat, datâ pecuniâ ſe liberare à neceſſitate hoſpitis recipiendi.*

9. Mi,

Digitized by Google

9. *Milites & Metatores plura exigendo metata, quam indigent, grave dant Regi & Ruſticis damnum.*

10. *Hoſpitii onus patrimoniale munus, & qui eo liberi ſint.*

11. *Domus Principum, prætoria Præſidum, & villa agricolarum immunes ſunt a metatione, & reſiſtere poſſunt villici ſi vis ipſis inferatur.*

12. *Tranſitus occaſione provinciales nulla onerantur exactione, aut introitu. Quid ſi ſumptum aliquem fecerint?*

13. *Pœna metatorum, & Ducum, & eorum qui ab hoſpitibus pecuniam extorquent.*

14. *Ut leges militares ſtrictè ſerventur, militibus ſolvenda ſunt ſtipendia.*

1 NOn ſolum veſte militari, de qua ſuperiore titulo, ſed & hoſpitio, opus eſt, ut commode quis militare poſſit; ideo quæ à provincialibus præbentur hoſpitia, vocantur metata. Metatores vero & menſores qui hoſpitii deſignandi & parandi gratia præcedunt, recte dicti *fourriers, car ils ſe fourrent, & entrent librement dans les maiſons pour connoiſtre la commodité*, aut ſi mavis à foribus, quod iis notas præfigant, adjecto nomine ejus qui hoſpitio accipiendus eſt, quas qui delere auſus fuerit, ad inſtar falſi reus tenetur. *l. 1. h. t.* Dum Princeps aliquo proficiſcitur & urbem ingreditur, ſunt alij metatores qui aulicis deſignant hoſpitia, hos Hiſpani vocant *Apoſentadores de la corte*, & hoſpitia *poſadas*; Græci epidemeticos, quod in urbe metarentur, Alciatus *ad h. t.* epidemetica etiam accipi pro collatione pecuniæ, quam à civibus extorquebant milites, probatur *per Novell. 134. c. 1. & l. 9. h. t.*

2 Præter hos ſunt metatores, qui præcedentes locum caſtris ponendis eligunt, ut ſcribit Vegetius, hi ſimul proſpiciunt ne quid illis officiat, puta ne quis mons emineat, unde ab hoſtibus periculum ſit, vel locus adeo depreſſus, ut à flumine, vel tempeſtatibus inundari ac mergi poſſit; id quod olim Cæſarianis militibus magnum attulit damnum; neve à vicina ſylva incendi, quod Craſſo ſociali bello contigit, qui ejuſmodi incuria cum omnibus prope copiis, ſubito igne ab hoſte ſuppoſito, crematus eſt, & Camillus incendio proximæ ſylvæ Volſcorum caſtra delevit. Hiſce proſpectis præfigunt inde metas, metatores, & caſtra vallanda curant; quod dum fit, collocandi ſunt circumcirca equites, ne quod extruitur cerni poſſit, excubiæ ita diſponendæ, ut vis, aut dolus hoſtium nocere nequeat. Intra caſtra obſervant metatores, ut ſedes vulgo *barracas*, quas ſibi communi auxilio milites commorandi cauſa conficiunt, ſint ordine diſpoſitæ, viæ rectæ, ita ut facilior ſit incurſio in agros vicinos, & tutiſſimus in caſtra reditus, atque lignorum, pabuli, & aquæ copia ſuppetat. De forma ipſa caſtrorum vide Alexandrum ab Alexand. *genial. dier. l. 1. c. 12.* Polybium *l. 6.* Coteræum, & alios.

Hi metatores ſubſunt Præfecto caſtrorum, cujus officii eſt, ut tuto, ſalubriter & commode caſtra diſponantur. Olim excoctus miles laboribus ad hoc munus deligebatur. Vopiſcus *in Aurel. Aurelianum fortiſſimum virum ad inſpicienda & ordinanda caſtra deſtinavimus.* Hunc vocamus *Maiſtre de camp General*, qui acies ad pugnam diſponit, dat mandata, caſtra ordinat, ea metatur; quare rei militaris peritiſſimus & vigilantiſſimus eſſe debet, non tyro, ſed ut ait Tacitus *l. 1. annal. qui diu manipularis, dein centurio, mox caſtris præfectus, antiquam duramque militiam revocet.* Vide de eo plura ſupra *Tit. 12. in fine.* 3

Cæterum metatores non tantum militibus ex procinctu redeuntibus, hoſpitia parant, ſed etiam ad bellum proficiſcentibus, non tamen alibi quam intra urbis mœnia, in turribus juxta ſolum, non autem in ſuperioribus contignationibus, forſan metu proditionis: ſed in pedeplanis turrium novi muri. *l. 7. h. t. & l. 13. C. Th. eod.* Atque in hiſce locis pedites præſertim collocandi ſunt; Tribuni & equites in diverſoriis vicinis, & ſi hæc non ſufficiant, in privatorum domibus. Facilius enim milites in ſuburbium ambitu contineri, & eorum inſolentia coërceri poterit, quam ſi diſperſe habitent, aut in pagis metata conſtituantur, quæ licet non forent diuturna, ſunt tamen ruſticis infauſta, qui nunquam ſecuri eſſent, & per militum rapacitatem impedirentur agros ſuos colere, magno Reipublicæ damno. 4

Quamobrem Juſtinianus *in Novell. 130.* jubet ne Præfecti legionum, aut milites à ruſticis occaſione tranſitus, per concuſſionem quippiam accipiant, neve ad alia loca mutant, quaſi illic neceſſe habeat manere exercitus; & ob hanc cauſam à poſſeſſionibus ac prædiis extorqueant pecunias. Et antea Honorius & Theodoſius poſſeſſores ab omni inquietudine liberos eſſe voluerunt, & ut milites pagos celeriter tranſirent, nihil quod ſibi vel animalium paſtui neceſſarium eſſet, peterent, vel acciperent, etiam volentibus hoſpitibus. *l. 5. h. t.* 5

* Voluit & Aurelianus Imp. dum per regionem alicujus vicini amici exercitus ducitur, in officio contineatur, ne vel moleſtus, vel damnoſus ſit iis, per quorum fines ducitur, & ductio illa per amicorum agros, non minus maleficio careat, quam quæ per proprios fiat. Vopiſcus *in Aureliano.* Felicia illa ſæcula, & digni Principes qui imperarent, quibus orbis pateret, cum ne quidem balneum liceret à domino ædium petere. *l. 6. h. t.* & ſponte tradentes ea quæ milites extorquebant, pœnam non effugerent. 6

Digitized by Google

7 Cæterum cum milites præſidij, vel hiemandi cauſa, civitatibus imponendi ſunt, curet magiſtratus ne nimium graventur cives, *l.4.ff. De off. proconſ.* aut tenuioris conditionis homines, lumine unico, vel brevi ſupellectili, ad militum uſus tranſlatis, priventur, & injuriis vexentur, *l.6. §.5. ff. De off. præſid.* Omnia prius loca inveſtiganda ſunt, quam ut privatorum habitationes, quæ cuilibet gratiſſimam præbent requiem, ab inquietudine metatorum liberentur. Servandum illud Arcadij & Honorij præſcriptum, ut domus in tres partes dividantur, quarum primam dominus domus eligat, ſecundam miles, tertia adhuc domino relinquatur. Plenum enim eſt æquitate & juſtitia, ut cui domus ſucceſſione obvenit, aut cujus pecuniis empta eſt, vel extructa, meliorem partem ſuæ domus retineat, ab omni moleſtia & inquietudine liberam. *l.2.h.t.* Milites vero in aliis cœnaculis ſibi metata faciant. Quod & ſtatuit Juſtinian. *in d. Novell.130.* Non enim oportet milites eſſe nimis delicatos, ſed memores ſui nominis, quod à militia, hoc eſt, duritia & laborum patientia acceperunt, quovis loco ſint contenti. Placuit etiam Imperatoribus tabernas ſeu officinas mercibus deputatas, liberas à dicta diviſione manere, niſi forte ſtabulum militi in tertia domus parte deeſſet. Præterea ut inter milites longa eſt differentia, ita & iidem ſtatuerunt, ut illuſtrioribus militibus, & in dignitate conſtitutis non tertia domus pars, ſed dimidia daretur, hac videlicet conditione, ut alter eligat, alter æquis partibus dividat, *d. l.2. in fin.* ubi ſi quis Illuſtriorum militum iis ſanctionibus contravenerit, libram auri ſolvere cogitur; ſi Manipularis aliquis, aut Caligatus, militia privatur. Quantum diſtamus ab hiſce moribus! prædia ruſtica liberè invadit miles, tanquam propria, urbana ſibi etiam gregarius adſumit, & dominum detrudit in angulum domus, imo ipſam matremfamilias è thalamo ſuo deturbat.

8 Quæritur, an liceat civibus data pecunia ſe redimere à metatis. Non licere videtur indicare Zeno Imperator *in l. ult. h. t.* quia abrogans Epidemetica, id eſt, collationem pecuniæ (juxta *Novell. 134. cap. 1.*) vetat ne Præſes dum provinciam oberrat, hac ſpecie aliquid à provincialibus extorqueat, neve aliquos hoſpitio gravet, ut alios exoneret. *juxta l. ult. ſup. quemadm. civil. mun.* Verius tamen exiſtimo poſſe cives cum militibus, quibus metata aſſignata ſunt, paciſci, ut accepta pecunia hoſpitio renuncient, & alio tectum quærant: ſiquidem etiam adæratio in aliis muneribus & oneribus recepta approbataque ſit. *l. 13. & l. 15. ſup. De erog. t. milit. annon.* Facit quod dicunt Imperatores eos qui metata ſuis domibus præſtant, ſive hoſpitia præbuerint metatoribus, ſive quolibet pacto eis ſatisfecerint, nullam debere ſubire moleſtiam, ac multo minus quicquam penſionis, vel diſcuſſionis domus gratia, per ſolvere, *l.9.h.t.* Inde apparet cives accipientes hoſpitio milites, & pecunia ſe redimentes, non teneri ad aliam penſionem vel diſcuſſionem pro domo, ſed poſſe ſe quovis modo liberare, prout faciunt civitates & provinciæ, quæ adæratione & pecuniæ præſtatione ſe liberant onere accipiendorum militum. Non obſtat *d. l. ult. h. t.* quæ tantum prohibet extorſionem, non autem moderatam oblationem, videatur Otto Tabor. *tract. De metatis, p. 2. cap. 5. num. 8.*
* Ubi autem miles pecuniam promiſſam, ſeu æſtimationem accepit, alium civem onerare non debet: & ſi in ea urbe domum poſſideat, non poteſt petere aliam ſibi hoſpitij gratia aſſignari. *d. l. 9.* 9
Metatori quoque prætextu metatorum; quibus in eo itinere forſan non eget, non licet aliquid in uſum ſuum exigere, aut fraudem admittere, aſſignando plura metata, quam ſint milites, ut lucrum inde tribunus vel centurio ſibi quærat, aut captet, tanquam redempti hoſpitij pretium; maxima enim damna exceſſu iſto dantur ruſticis, non minora Regi, cui tanto minus ad publicas neceſſitates conferre poſſunt: quibus expilatis & expulſis, annona conquirenda & advehenda pluris ſæpe regi conſtat, quam integri exercitus ſtipendium.

Munus hoc recipiendi hoſpitio patrimoniale 10
eſſe dixi, *lib. 10. tit. 41. per l.3. & J.C. in l. 11. ff. De vacat. excuſ. mun.* Idcirco quemadmodum pauci, principali beneficio & ſingulari privilegio, à muneribus patrimonialibus ſunt immunes, ita & ab hoſpitiorum onere, ut illuſtres, qui ipſi illuſtrem dignitatem geſſerunt, non honorarij, vel vacantes, *d.l.9. in fin.* Item Conſules & Patricij, quia ſuperilluſtres, ita ut dum vivunt, tres domos habeant ab hoſpitio liberas, eorum hæredes ac parentes duas. Conſulares viri tantum duas ſemis, ſeu duas dimidias domos, hæredes eorum unam ſcilicet ſemis domum; Præfecti & Magiſtri militum dum vivunt duas domos: hæredes eorum unam: Magiſtri officiorum vel Quæſtores unam: Item immunes ſunt Comites ſacrarum largitionum, ac rerum privatarum, Comites domeſticorum & protectorum, quorum ſinguli ſingulas domos liberas habent, dum vivunt, memorati eorum hæredes dimidiam ſuæ domus partem *l. 10. h. t.* ubi qui illuſtres honorarias dignitates qualecunque ſine actu à Principe codicillis impetrarunt, æquo animo hoſpitibus ſuas domos pandent, pro tertia demum parte. Excipiuntur decem primicerij poſt primicerium notariorum, quorum præclara ſpectabiliſque militia eſt, & Reipublicæ maxime utilis; ideo Leo Imperator voluit ab hoſpitum gravamine, ſingulas illorum domos, quas in urbe Conſtantinopolitana poſſident, eſſe immunes. *l.11.h.t.* Eadem exceptio porrigitur ad proximos ſcriniorum,

rum, hi enim cum eorum magiſtris æque ſunt ſpectabiles, & ab onere iſto hoſpitis recipiendi liberi. *l. 9. ſup. De ſacror. ſcrin.* Archiatri, ſeu medici ſacri palatij, & urbis Romæ magiſtri liberalium artium, inſigneſque pictores, ac Doctores legum, ab hac hoſpitali moleſtia ſunt etiam immunes. *l. 8. h. t.* uti & Clerici, cum quia eorum perſonæ ſanctæ ſunt & inviolabiles, tum quia infert hoc onus perſonalem quandam vexationem, quæ recipientis verecundiam, pulſare ac lædere videtur. *c. non minus. c. adverſus. ꝟ De immun. Eccleſ.* Si tamen urgeat neceſſitas, & laici ſupra modum ita onerentur, ut militibus recipiendis ſint impares, æquum fuerit à Clericis & aliis exemptis ſubſidia ſuppeditari. *d. c. adverſus. ibi* DD. & Ant. Faber. *in ſuo Cod. l. 9. Tit. 30. defin. 26.* Gaſp. Theſaur. *qq. forenſ. l. 1. quæſt. 93.*

11 Similiter Fabricenſium domus, excepto caſu quo Princeps eſſet excipiendus, *l. 4. h. t.* & prætoria ordinariorum judicum ab hac hoſpitali moleſtia liberantur, excuſanturque Præſides provinciæ, ſi præſentes ſint, & alij ſuperveniant. *l. 3. h. t.* Claudius Imperator Patrum decreto prohibuit milites domus ſenatorias etiam ſalutandi cauſa ingredi. Tranquil. *in Claudij vita.* Multo minus licebit domos privatas Imperatoris vel ejus prædia hoſpitandi gratia accedere, & ſi ad ea quis metator acceſſerit, Theodoſij reſcripto, ſine injuria poterit armis expelli, non minus quam ſi ſacrilegus eſſet. *l. 5. infr. h. t.* Siquidem ubi quis illicitè verſatur, inde pellendum eſſe nemo dubitat. Imo ſi metator ad deſignanda hoſpitia ad villas ruricolarum acceſſerit, poterit ab illis expelli, nec eſt quod crimen violentiæ in publicam perſonam exercitæ pertimeſcat, cum ſibi arbitrium ultionis ſuæ, lege permittente ſit conceſſum, *d. l. 5.* Multa enim ſingularia favore agriculturæ legibus conſtituta ſunt, ſolum optandum foret ut eæ ſervarentur, & quas noviſſime promulgavit Juſtinianus, ut citra querelam ſumptumve provincialium miles hoſpitetur & alatur, præter legitimas collationes, non ob cibum militis, non ob paſtum equi quippiam exiga-

12 tur. * Quod ſi, dum tranſit exercitus, militi aliquid annonæ nomine collatores ſuppeditaverint, aut ſumptum aliquem fecerint, in tributa publica reputetur, tantoque minus fiſco præſtetur, quanto plus inſumptum fuerit, aut id reddetur ex communi canone totius provinciæ, vel ex arca præfectoria. Nam iniquum eſſet, ut milites bona poſſeſſorum gratis abſumerent. Quapropter collatores curare debent, monumenta confici coram Præſide, Epiſcopo, aut locorum Defenſore, in quibus annotari debet quantum & à quibus ſit inſumptum. Quæ acta eandem vim probationis obtinent, ac ſi recauta ſive apochæ datæ fuiſſent. *Novell.* 130. ubi præterea prohibet Imperator, ne Duces militiæ, vel diaſoſtæ, qui exercitum ducunt, aliquid à provincialibus vel civitatibus occaſione tranſitus exigant, item ne milites ab hoſpitantibus petant introitus, quorum vel ipſum damnatum eſt nomen; non enim tam gratus eſt hoſpitio miles, ut adventus donativum mereatur.

Pœnam ſtatuit exilij in metatores, qui ab hoſpitibus per concuſſionem pecuniam acceperint; in duces dupli ejus quod accepere, & privationis cinguli, *d. Novell. 130. c. 6.* Conſtitutiones Galliæ & noſtræ ultimum ſupplicium. Petr. Greg Tholoſanus *l. 19. Syntagm. jur. c. 8. n. 10.* Sed hodie tanta militaris licentia eſt, ut conſtitutiones & edicta Principum non curentur: hoſtes ac milites noſtri nullo diſcrimine per agros noſtros graſſantur, ſive tranſeat, ſive ſubſideat exercitus. 13

Huic malo præſentiſſimum remedium ſuggerit Vopiſcus *in Aurel.* Una, inquit, *tuendæ diſciplinæ militaris, etiam latrociniorum coercendorum certiſſima ratio, ſi militibus certo ſtipendia ſolvantur. Neque enim diſciplinam ſervare poteſt jejunus exercitus, dum quod deeſt, ſemper raſumat armatus.* Unde rectè Imp. Aurelianus militares leges tales militibus præſcribit, ad Vicarium ſuum ſcribens; *Si vis ſecurus eſſe, imo ſi vis vivere, manus militum contine.* Nemo aliena rapiat, ſegetem nemo, *nemo atterat, nemo pullum rapiat, uvam nemo decerpat, annonâ ſuâ miles ſit contentus, & de præda hoſtis, non de lacrymis provincialium vivat. Stipendium in baltheo, non in popina habeat.* 14

TITULUS XLII.

De Salgamo hoſpitibus non præbendo.

1. *Non licet militibus ſalgami nomine, culcitras, ligna, oleum extorquere.*
2. *Oblata an liceat accipere: & quid Salgami nomine veniat.*
3. *Non ſolutis ſtipendiis, an liceat militi neceſſaria extorquere. Moribus Salgamum datur militibus.*
4. *Cauſa extorſionum attribuuntur fœminis & calonibus, qui caſtra ſequuntur, ex quibus ſunt expellendi.*
5. *In præſidiis nunc dantur ſupellectilia militi, quæ reſtituenda juxta inventarium.*
6. *An damna & ſumptus, quos ex militum tranſitu & hoſpitatione aliqui paſſi ſunt, ſarciri debeant a communitate.*

DIxi ſuper. Tit. eam hoſpitalitatem eſſe ſervandam, ut nihil ab hoſpitibus milites petant quod eorum victui, vel jumentorũ paſtui ſit neceſſarium: Adjecit hic Conſtantinus, ne quis Tribunorum aut militum Salgami gratia, culcitram, lignum, oleum ab hoſpitibus ſuis extorqueat, ſed nec illis volentibus in prædictis ſpeciebus aliquid auferat *l. uni. h. t.* 1

Digitized by Google

2 Quid, ſi amicus hoſpes, vel conjunctus, offerat? Inhumanum eſſet Salgamum oblatum non accipere, cùm hic nulla ſit extorſio, quam lex vetat. Platea *ad d. l. uni.* Salgami nomine ſignificari exiſtimat Cujacius herbas conditas, & Pancirolus herbas quæ ſale condiuntur, ut oleæ, cappares & ſimiles. Amaya *tit. ne opere collat. n.* 11. Frequentius ac verius ſalgama dici puto eſculenta quæ ad uſum & victum patrisfamil. aſſervantur, ut oleum, ſal, piper, & alia ad condiendos cibos neceſſaria. Alciatus, Pyrrhus, Tholoſanus & Garſia Tolet. *ad h. t.* hæc Hiſpani vocant, *todas las zarandajas que ſon meneſter para guiſar de comer, como aceyte, mantica, ſal, leña,* quæ licet vilis pretij ſint, non debent tamen præſtari militibus, è levi exigendi occaſione arrepta, illa in immenſum abutantur. *l.* 5. *tit. ſup.* Stipendium enim, quod eis tribuitur, debet in ea quæ neceſſaria ſunt, converti, ne hoſpitibus ſint moleſti & oneri. *d. l. un. in fin.*

3 Quid, ſi ſtipendia non ſtato tempore præſtentur, licebitne militi ab hoſpite, id quo opus habet, extorquere? Minime, niſi fames urgeat, quæ nullis legibus poteſt coërceri: Item ſi neceſſarius fuerit miles defenſioni hoſpitum, aut ſi ea ſolum accipiat quæ conſuetudine legitima illi debentur: uti nunc militibus præſidiariis dantur ligna, ſal, oleum, candelæ; & dum tranſeunt, communis victus, qui ſi non detur, exigi poterit. *l.* 27. *§. ſi quid.* 3. *ff. de uſufructu.* ubi videtur quod quando tranſit exercitus, ad id quod eſt neceſſarium pro victu conferre debeant prædia illius loci. Poterit ergo miles victum exigere, ſi talis vigeat conſuetudo, de qua loquitur Modeſtinus *in l.* 32. *§.* 6. *ff. de admin. tutor.* vel domini prædiorum temporariam contributionem ſuſtinent. Videantur Malderus, Bonacina *de juſtit. & jure* & Zypæus *de judice lib.* 4. *c.* 9. Chriſtinæus *ad h. t.* Dixi, ſi ſtipendium non præſtetur; Nam eo præſtito, poteſt miles à vi & con-

4 cuſſione prohiberi, & puniri. * Harum concuſſionum cauſæ ſæpe attribuuntur calonibus & mulieribus caſtra ſequentibus, quæ velut impedimenta & onera proſcribendæ ſunt: Mulieres enim milites enervant, & ad rapinas, aliáve ſcelera impellunt. Calones verò id unde militibus vivendum eſt, devorant, & ruſticis plerumque infeſtiores, ſalgamum quod nullo jure debetur, ſurripiunt: Optimè Lipſi. *lib.* 5. *polit. c.* 13. dum laudat diſciplinam Romanam, ait: *Hæc mea, hæc pulchra militia eſt, non iſta noſtra, ubi in agmine plus calonum, imo ſcortorum eſt, quàm militum.*

5 Præter Salgama quæ conſuetudo & edicta Principum noſtrorum modeſtè & temperanter præſtari militibus jubent, ſolent de more ipſis ſupellectilia commodari in præſidiis, quorum reſtitutio facienda juxta inventarium, antequam milites aliò migrent, ſi hoſpites id facere neglexerint, & damnum aliquod paſſi fuerint, id ſarciendum non eſt. *l.* 13. *§. exercitu.* 7. *& l.* 15. *§.* 2. *ff. locati.* ubi dominus prædij damnum ſuſtinet, quod incurſus hoſtium dedit.

At verò damnum quod tranſitus vel hoſpitij 6 causâ, milites villis vel pagis dederunt, id pro rata à communitate tota reſtituendum judico; Item ſumptus, ſi qui facti ab uno vel altero fuerint, cùm hoc onus ſit publicum, nam licet à privatis ſubeatur, debet tamen per adæquationem, quod prærogatum eſt à tota provincia repeti. Non obſtat, quod fortuitum belli caſum nemo præſtare teneatur. *l.* 23. *§. fin. ff. de Reg. jur.* nam verum eſt, quando caſus iſte non omnes, ſed ſingulos ſpectat. Itaque quamvis aliqui ſolverint, id communitatis nomine cenſentur feciſſe. *l.* 21. *ff. de negot. geſt.* ita ut omnes ad reſtitutionem teneantur. Sic Lege Rhodia omnes contribuunt & damnum ſarciunt. *l.* 2. *§.* 3. *ff. ad l. Rhodiam. De jac.* Atque damnum ſocietati datum, vel quod quis pro communitate paſſus eſt, ab ea recuperat. Cauſa quippe horum damnorum & ſumptuum fuit communis neceſſitas & utilitas, ne videlicet tota provincia devaſtaretur, & villæ periculo militaris inſolentiæ exponerentur, à quo cùm per nonnullos proprio ſumptu ſervatæ fuerint, æquum eſt, eum ab omnibus rependi. Gail. *lib.* 2. *obſ. c.* 22. *n.* 5. Maſtrill. *deciſ. Sicil.* 164. *n* 14. *& ſeq.* & alij quos refert Klockius *De collectu c.* 17. *n.* 260. *& ſeqq.*

TITULUS XLIII.

De Commeatu.

1. *Quid ſit commeatus, parce militi dandus tempore expedisionis.*
2. *Qua pœna puniatur miles qui tempore expeditionis à ſignis abeſt: Officiati cur abeſſe non debeant.*
3. *Milites qui ſine commeatu emanent, quo modo mulctentur.*
4. *Sine juſſu non licuit longiùs à tubæ auditu diſcedere.*
5. *Qui commeatu accepso non rediit, cenſetur deſertor, pro numero temporis. Examinantur cauſa emanſionis.*
6. *Palatini, Magiſteriani, Senatores, ſine commeatu recedere non poterant, & puniebantur diminutione dignitatis. Quid nunc juris.*
7. *Coram quo Judice conveniantur, qui rei ſua componenda causâ abſunt, cum aut ſine commeatu.*
8. *Commeatus etiam accipitur pro annona & victu.*
9. *Commeatus procuratio Duci incumbit: cavendum ne hoſtis à tergo relinquatur.*
10. *Loca explorentur, caſtra muniantur præſidio, & pontes ſternantur.*

COmmeatus eſt facultas quæ à Duce exercitus 7 datur militibus recedendi, & eundi ad tempus.

pus, quo velint. Olim hiſce verbis dabatur: *Si quis veſtrum ſuos inviſere vult, commeatum do, primo verè adſitis edico.* Livius *lib.* 30. Scribit Macer officium regentis exercitum, non tantùm in danda, ſed etiam in obſervanda diſciplina conſiſtere; quapropter inter alia monet, ut parciſſimè commeatus detur, ne equus militaris extra provinciam du-
2 catur, *l.* 12. *ff. De re milit.* * Eſt enim inconveniens valde ut miles vel equus militaris diu à ſignis & exercitu aberret, & ſpecie commeatus latrocinandi flagitiis occupetur. Ideo etiam Imperator Conſtantinus prohibuit Tribunis & Præpoſitis expeditionis tempore commeatum dare militibus. Et ſi quis eo præſertim tempore, quo Barbarorum fiunt incurſiones, commeatum dederit, vel ſi quis miles, cùm apud ſigna eſſe deberet, abſuerit, is capite plectatur. *l.* 1. *h. t.* Hanc legem imitatur hodiernum edictum Regis noſtri. *Nemo Officiatorum majorum vel minorum abſit à ſuo milite, ſine Præſidis caſtrorum licentia; ſi ſecus faxit, deponitor, etiam magis caſtigator, ut factum meruerit.* Propterea quòd præſentia Officiatorum diſciplinam conſervet, & militis petulantiam coërceat. Aliàs effunditur, ut vi retentus fluvius cataractis amotis. Miles utplurimum ſub diſciplina eſt, quemadmodum puer ſub ferula, ad oculum uterque bonus, alius ab illo qui ſub Alexandro Cæſare, de quo Lampridius, *Iniit Parthicam expeditionem, quam tanta diſciplina, tanta reverentia ſui egit, ut non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur, quacumque iter legiones faciebant, Tribuni accincti, Centuriones verecundi, milites amabiles erant; ipſum verò ob hæc tot & tanta bene-
3 ficia, provinciales ut Deum ſuſcipiebant.* * Raro igitur militibus dandus eſt commeatus, idque tantum ubi cauſa urſerit ad res proprias obeundas. Militibus verò præſidiariis, ab iis qui limites & confinia cuſtodiunt, ne quidem ab eorum Duce dabitur, ſub pœna dejectionis. *l.* 2. *§.* 9. *ſup. de off. Præf. prat. Afr.* Mitius agunt Honorius & Theod. Impp. *in l. fin. h. t.* qui ſtatuunt, ut milites qui ſine commeatu per annum domi permanſerint, ſi poſtea ad ſigna ſua revertantur, decem ſequentibus poſtponantur, ſi per biennium, viginti, ſi per triennium, triginta, quartus autem annus nullum omnino veniæ locum relinquit.

4 Hinc liquet militibus nullo modo licere ſtationes ſuas deſerere, nec abſque juſſu Tribuni extra munimenta abire. Imò ut à rapinis continerentur, non licuit longius à tubæ auditu abſcedere, Appianus *in Lybico.* Quòd ſi militum aliquis à Tribuno ad Principem miſſus fuiſſet, illico ſe offerebat Præſidibus & Magiſtris militum, cauſas ſuæ profectionis exponebat, iis expoſitis cum reſponſo ad ſuos remittebatur. *l.* 13. *ſup. de re milit.* ne hac occaſione diutiùs emaneret, & negotia propria ageret. Etenim miles qui quod ſibi utile eſt agit, Non videtur Reipublicæ causâ abeſſe. *l.* 1. *ff. de re mil.* nec is qui commeatu accepto domi ſuæ moratur. *l.* 34. *ff. ex quib. cauſ. major.* * Unde quod 5
Imperator reſcripſit, eum qui cum commeatu abeſt, in omnibus pro præſenti haberi. *l.* 9. *ſup. de proxim. ſacror. ſcrin.* id verum eſt, dum durat tempus commeatus, nam qui id exceſſit, emanſoris vel deſertoris loco eſt; habetur tamen ratio dierum quibus tardius reverſus eſt, item hyemis, navigationis, vel itineris, & ſi ſe probet valetudine impeditum, vel à latronibus detentum, ſimilive caſu moram paſſum, dum non tardius à loco profectum ſe probet, quàm ut occurrere poſſet intra commeatum, reſtituendus eſt. *l.* 14. & *l.* 3. *§.* 7. *ff. de re mil.*

Datur commeatus non tantùm militibus ar- 6
matis, ſed etiam togatis & Palatinis, qui ſi ſupra commeatus diem ſex menſibus abſuerint, & ſibi vacaverint, proprij gradus, dignitatiſque dimmutione coërcentur. *l.* 2. *h. t.* Solebant quoque Senatores venia petita à Senatu, ſeceſſus gratiâ petere Syracuſas, vel Siciliæ oppida, in quibus ſua prædia, vel alia amœna loca habebant. Sub principibus verò non licuit Senatoribus aut Illuſtribus urbe excedere ultra ſeptimum militare, ſine Principis permiſſu. Quò facit *l.* 22. *§.* 6. *ff. ad municip.* & *l.* 15. *ſup. de dignit.* Hinc apud Suetonium *in Claud. c.* 16. *Notavit multos, & quoſdam inopinantes, & ex cauſa novi generis, quòd ſe inſcio & ſine commeatu, Italia exceſſiſſent.* Quod intelligendum de potentioribus, quorum diuturnior abſentia Reipublicæ noxia, & Principi ſuſpecta. Unde hodie Illuſtribus & Senatoribus non licet abſque venia, etiam negotiorum ſuorum causâ, ab urbe, aut curia abeſſe.

Huc pertinet *l. ult. ſup. in quib. cauſ. mil.* ex qua 7
colligere eſt, Palatinum ſive agentem in rebus, ſi rei ſuæ componendæ cauſa in provincia ſine commeatu moretur, poſſe ibidem conveniri nec fori præſcriptione uti, eo quòd commeatum omnino nullum habebat, aut ſi habeat, ſed non ut componat res ſuas privatas, pro privato, non pro militante, & palatino haberi: ſi verò commeatum ſuorum negotiorum cauſa habeat & conveniatur, ipſum intra tempus commeatus conventum fori præſcriptione uti, & ad ſuum judicem revocare poſſe certum eſt. Compoſitis autem rebus, ſi ad aulam redierit & tunc conveniatur, ab aula evocari non poterit. Idque nunc obſervatur, ut aulici non niſi coram aulæ judice, vel conſilio ſecretiore Principis conveniantur, ut Doctores docent, *ad d. l. ult.* & ex noviſſimis Vulteius & Mornacius.

Commeatus præterea apud bonos auctores pro 8
cibariis accipitur, ad publicam alimoniam exercitus, vel civitatis, vel alicujus privati. Cicero *pro*

 lege

lege Manil. Jam commeatu & privato & publico prohibemur; & apud Tacitum ſæpe pro frumento, quod ex Aſia deferebatur, in uſum populi Romani. Miles vero qui in partem ſtipendij alimenta ex commeatu, id eſt, publico accipiebat, Commeatalis dicebatur. Coteræus *l. 1. De jure milit. c. 38. in fine.*

9 Eſt autem Ducis exercitus commeatum procurare, & annonæ Præfectum conſtituere, qui rem frumentariam ſumma diligentia curet; nam ab ejus officio robur & vita militum pendet. Utile quoque eſt habere civitatem aliquam commeatibus ſuppeditandis opportunam, & à qua facilis ſit ad caſtra tranſitus. Caveat Dux exercitus nimium in hoſtile ſolum progredi, hoſtibus arcibuſque à tergo relictis, ne præcludatur commeatus, conetur potius eum hoſtibus eripere, atque eo deducere, ut ſine ferro bellum finiatur.

10 Si autem conſtituit in hoſtili agro caſtra figere, & hoſtem invadere, ante omnia induſtrios & fidos exploratores præmittat, qui motibus hoſtilibus intendant, conſilia rimentur & referant. Interea omni induſtria conatuque locum aliquem occupet & muniat, qui refugij & belli ſedes ſit, omnibuſque locis à tergo relictis imponat firma præſidia, quo commeatus, ſarcinæ & impedimenta tutius ſequantur, pontes ſternat, ut ſi neceſſitas exegerit, facilius ſit regreſſus. Cæſar. *De bello Gall. lib. 4. & 6.*

TITULUS XLIV.

De Tyronibus.

1. *Quâ ætate milites legi, & in numeros referri poterant.*
2. *An pupilli militare poſſint: cur Principum filij militiæ aſſuefaciendi.*
3. *Qua ætate apud Hiſpanos ad bellum unus de familia educatur.*
4. *Onus iſtud educendi unum ex familia ad bellum, non eſt diſſimile ab onere præſtandi tyronis apud Romanos, ubi de auro tyronico.*
5. *Qui tyrones dicantur, eorum gradus erat poſterior, ad altiorem qui promoveantur.*
6. *Juvenes militiæ incumbere debent; notabantur tyronum brachia, ne vagarentur, aut fugerent.*
7. *Servi militiâ prohibentur, & qui alienum ſervum militiæ inſcribit, punitur.*
8. *Tyrones mitiùs puniuntur. Item ſi arma amittant, vel alienent.*
9. *Arma poſtliminio non redeunt. Quid juris apud Hiſpanos, ſi nobilis arma amittat aut alienet.*

1 QUi militibus præeſt, parciſſimè iis commeatum dare debet (ut dictum ſuperiori titulo) aut quemquam minorem ſeptemdecim annis tyrocinio adſcribere. Hanc ætatem ſeptemdecim annorum ut poſtulando, ita & militiæ aptam cenſuit C. Grachus in ſuis legibus, referente Plutarcho *in vita Grach.* Laborantibus tamen Romanis contra Veios delectu habito, non modo juniores conſcriptos refert Livius *l. 5. & 6.* ſed etiam ſeniores coactos nomina dare, ut urbis interea cuſtodiam facerent, quod & Camillus juſſit. Rurſus poſt Cannenſem cladem Decius Julius dictator, juniores decem & ſeptem annis, imo & prætextatos militiæ adſcripſit, notatique ſunt, qui majores annis ſexdecim illo bello non militaſſent. Petr. Belli. *De arte milit. p. 1. cap. 7.* Conſentit Lipſius *De milit. Rom. lib. 1. dial. 2. Ecce in juventutis inopia quidam tum etiam prætextati milites capti, id ne fraudi iis eſſet, & quia præter Servij ac vetus inſtitutum, lege ſubventum fuit, & anni illi in ſtipendia venerunt, haud ſecus quàm ſi à decimo ſeptimo cœpiſſent.* * Jure 2
etiam conſtat impuberes nobilium ad militiam admiſſos fuiſſe, *per l. fin. ſup. De teſt. milit.* ſed ad exemplum non trahitur, quod Princeps aliquibus ob merita parentum indulſit, *l. 1. §. 2. De conſtit. Princ.* Neque quod filios ſuos impuberes militiæ aſſueſcere velit, cum cauſæ plures eſſe poſſint. Quatuor fuiſſe Tiberio cauſas refert Tacitus *2. annal.* ob quas ambos filios ſuos Germanicum & Druſum in caſtris inter arma educari voluerit, ut nimirum militiæ aſſueſcerent, ut exercitus ſtudia pararent, ut procul aulæ deliciis educarentur; & denique ut filio utroque legiones obtinente tutior ipſe & ſecurior viveret. Qui in caſtris totam ætatem traducit, multa experiundo, temporis lucrum facit; qui in aula, luxu, cæremoniis & inanibus oblectamentis, illud malè perdit.

Poſteriori ævo Fredericus Imperator aptam ma- 3
gis militandi ætatem, ab anno vigeſimo quinto ad ſexageſimum ſtatuit. *conſtit. de qualit. & ætat. pupilli. in fin. in uſib. feud.* Verum ea conſtitutio de duello agit, quod per ſe ſuſcipere qui minor eſt viginti quinque annorum, non tenetur. In Hiſpania extat Conſtitutio Philippi III. Regis, anno 1609. latâ, quâ cavetur, ne ſint minores octodecim annis, qui militiæ nomen dant, aut ad eam ex quaque familia aſſumuntur, quoniam plena eſt pubertas, & apta bellicis laboribus ætas, quam ſuadebat Mæcenas Octaviano, ne ea minores ad equeſtrem dignitatem eveheret. Dion. *l. 52.* Narbona *De ætate ad omnes act. an. 18. q. 2. n. 8.*

Modus ille cogendi milites ex quavis familia 4
apud Hiſpanos, non videtur eſſe diſſimilis ab onere præſtandi tyronis à ſingulis agrorum poſſeſſoribus, quod ſi non feciſſent, loco tyronis pendebant auri tributum, quod dictum aurum tyronicum, de quo tantopere queritur Vegetius *l. 1. c. 7. Hinc tot ubique ex hoſtibus illatæ clades, dum longa pax militem incurioſius legit, dum poſſeſſionibus indicti tyrones*

tyrones

rones per gratiam aut diſſimulationem probantur. Eo pertinet quod ſcribunt Socrates *l. 3. hiſtoria Eccleſ.* & alij. de Valente Imp qui numerato pretio vendidit militem, qui ex provinciis à poſſeſſoribus præſtabatur, cum juſſiſſet, ut pro quovis milite aurei octoginta à tributariis exigerentur. Ab isto onere taxationis immunis nullus poſſeſſor erat, niſi qui eſſet miles, dabatur enim istud militari cingulo. *l. 3. & l. 18. Cod. Theod. De tyronib* Unde *& in l. 3. ſup. De condict. ob turp. cauſ.* reſcribunt Impp reſtituendum eſſe militi, quod evitandi tyrocinij cauſa dederat, ut ibidem dixi, ſive aurum tyronicum, quod ab eo exactum fuerat ex cauſa agri ſui militaris, ut Mornacius *ad d. l. 3.* ſcribit.

5 Juvenes itaque non poterant evitare tyrocinium, ideo priuſquam militiæ adſcriberentur, in ſcholis militaribus ſe exercebant, & anno integro tyrocinij onera ſuſtinebant graviſſima & penè intolerabilia, atque ut illis aſſueſcerent, ſcribit Vegetius *l. 1. Tyrones pondus ſexaginta librarum ferre conſueviſſe. & c. 13. pro frumento hordeum accepiſſe, ſi parum in exercitio profeciſſent.* Inde tyrones dicti, quos Hiſpani *ſoldados biſoños* vocant, ubi autem in numeros relati erant, poterant milites appellari. *l. 42. ff. de teſt. milit.* Nunc eadem ſunt militum & tyronum jura, non tamen ſtipendia æqualia, nec gradus, nam illi celſiorem gradum obtinent, quibus laborum aſſiduitas & ſtipendiorum prolixitas ſuffragantur Tyrones poſteriori loco ſemper ponuntur. *l. fin. h. t.* & exiguo fruuntur ſtipendio, quod augeri ſolet ſecundum merita & dignitates, quas judicio Principis conſequuntur. Principis enim eſt, non habita ratione natalium, ſed virtutis bellicæ, validiſſimos & ſtrenuos junioribus præferre, non autem hos illis, ut ſæpe videre eſt. Cum fragile ſit & infirmum juvenilis ætatis conſilium, multiſque captionibus expoſitum, *l. 1. ff. De mino-*
6 *ribus.* * Ideoque juvenilis ætas perpetuo armis aſſueſcere debet, ut tandem per laboris aſſiduitatem, & patientiam in veteranorum locum inſcribi, & gradum militiæ altiorem conſequi poſſit. Juventus exercita, inquit Tacitus, in pace decus, in bello præſidium eſt. *De moribus Germanor.* Quapropter Imperatores nullum tyronem longius à ſignis evagari voluerunt, *l. 1. h. t.* ſed militiæ ſuæ incumbere. Abſurdum quippe eſt illam militiæ perpetuitatem, quam vix dum elegerunt, nullo inchoato negotio relinquere. Illorum autem, quo ab aliis diſcerni poſſent, exemplo fabricenſium, nota brachiis inurebatur. *l. 3. ſup. De Fabricenſibus.*

7 Licet enim ſervis fugacibus etiam nota in fronte fieret, erat hæc nota turpis, & ignominiæ indicium; at illa tyronum nota, nobilitatis inſigne. Quamobrem ad nobilem illam militiæ artem, ſervi qui natura abjecti, non admittebantur: & ſi quis alienum ſervum in tyrocinio militiæ ſcribi curaſſet convictus aut proditus, libram auri ærario cogebatur inferre. *l. 2. h. t.*

Denique tyrones privilegium habent, ut illis, ſi 8
quid erraverint, facilius ignoſcatur, debet enim judex partim ætati, partim Imperitiæ nonnihil condonare. Et ſi plures ſimul militiam deſeruerint, & deinde intra certum tempus reverſi fuerint, gradu pulſi, in diverſa loca diſtribuendi ſunt; tamen tyronibus in hoc parcendum eſt, qui ſi iterato hoc admiſerint, pœna competenti afficientur. *l. 3. §. 9. De re militari.* Præterea in hoc etiam jura favent tyronibus, ut quamvis arma amittere vel alienare grave crimen militare cenſeatur, attamen tyroni in hoc crimine facilius parcitur. *l. 14. in fin. ff. De re milit.* ut prudentiores aliquando effecti, Rempublicam à qua aluntur, diligentius tueantur. * Cum ergo turpiter, & non ſine flagitio arma 9
amittantur, ideo reſpondit Marcellus ea non redire poſtliminio. *l. 2. & 3. ff. De captiv. & poſtlim. rev.* quemadmodum nec illi revertuntur poſtliminio, qui armis victi hoſtibus ſe dediderunt. *l. 17. ff. d. t.* Mirum tamen quod lex Hiſpaniæ, arma in bello amiſſa ex præda fortè facta ſarciri jubeat, *l. 4. & 5. Tit. 25. p 2.* Adeo ignominioſum eſſe indicat dicta lex in bello arma amittere, vel in expeditione ea vendere, ludere, vel oppignorare, ut nobilibus ex hac cauſa infamiæ notam inurat, & nobilitatis prærogativam adimat. *l. ult. Tit. 21. p. 2.* ibi Lopez. Apud nos quoque non perdidiſſe ſolùm, ſed & arma mutaſſe, ac propriæ cohortis ſignis dimiſſis, alterius cohortis arma ſumpſiſſe, grave crimen eſt, quod edicto Regio coërceri maxime oportet. Coteræus *l. 3. c. 9.* Ayala *l. 3. De jure belli. cap. 16.*

TITULUS XLV.

De Littorum & Itinerum cuſtodia.

1. *Littora & Itinera cuſtodienda, ne illicita merces ad hoſtes deferantur.*
2. *Evecturi merces extra provinciam, notificent in quem locum eas deferant, alioquin punientur.*
3. *Utile Reipublicæ merces ut annotentur, & ne exportentur, quibus opus habemus.*
4. *Exemplo Hiſpaniæ, quæ merces pretioſas vilibus commutat, & è regno aurum ſinit efferri, aut negotiari.*
5. *Bene habendi ſunt mercatores, littora & itinera curanda, reficienda.*
6. *Fuit veteribus Romanis magna itinerum cura.*

UT belli domique res bene gerantur, maxime 1
littorum & itinerum habenda eſt cura & cuſtodia, de hac Honorius & Theodoſius Imperatores

tores ſaluberrimam legem promulgarunt, ut in littoribus maris & fluminum, & iu itineribus cuſtodes ponantur, qui obſervent ne illicitæ merces ad barbaras gentes deferantur, & naves quæ à portu vel littore dimittuntur, nullam concuſſionem vel damna ſuſtineant, ſi tamen naucleri declarent in quam provinciam ituri ſint. *l. uni. h. t.* Mercium illicitarum nomine continetur vinum, oleum, liquamen, id eſt, garum vel oxigarum, item ferrum, vel quodvis armorum genus, quo validiores reddi poſſunt hoſtes. Quo pertinet *l. 1. ſup. quæ res export. neq.*

2 Unde prudenter fecerit mercator ſi indicaverit Officiali portus (qui olim erat Comes ſacrarum largitionum) vel alteri ad id conſtituto, genus mercium quod evecturus eſt extra provinciam, qua declaratione, & litteris tranſitus acceptis, ac in notitiam relatis, tuto licebit abire; alioquin ſi illicitas merces mercator, vel dominus navis, vel rectores impoſuerint, navis fiſco vindicatur, & ſi abſente domino, id à magiſtro, vel gubernatore, nautáve aliquid factum ſit, ipſi quidem capite puniuntur, commiſſis mercibus: Navis autem domino reſtituitur, ſi ipſo neſciente contigerit, non enim debet is navi ſua privari, niſi delicti conſcius fuerit. *l. 11. §. 2. ff. de publican. & vectigal.* latè Bobadilla *l. 4. politia c. 5.*

3 Utile præterea Reipublicæ merces quæ evehuntur & invehuntur, inſpicere, & annotare, propter vectigalia, quæ ex iis ærario inferuntur; quorum exigendorum jus omnes ſemper gentes probarunt, præterquam ea, quæ ex rebus ad victum neceſſariis exiguntur: Item ne merces illæ exportentur, quibus poſtea Reſpublica indigeat, aut eæ conquirantur, quibus depauperetur, ut ſunt illæ quæ animi & luxus cauſa importantur, de quibus queritur Tiberius apud Tacitum *l. 3. annal. Lapidum cauſa pecuniæ noſtra ad externas, aut hoſtiles gentes transferuntur.*

4 Queritur & Hiſpania, cujus incolæ, ſummo labore & periculo ex remotiſſimis orbis plagis, merces pretioſiſſimas advehunt, quas exteri exiguo pretio emunt, vel neſcio quibus crepundiis ex ære, ſtanno, plumbo, confectis permutant, vicinos ditant, ſe depauperant. Imo ipſi Hiſpani aurum argentumve Genuenſibus mercatoribus committunt, ut eo negotientur, & pro eorumdem negotiationibus plurima perſolvunt cambia: Aliis mittunt ſericum, lanam, chalybem, ferrum aliaſque merces, quæ diverſimodè elaboratæ revehuntur in Hiſpaniam, & ingenti coëmuntur pretio ob vecturæ ſumptus & artificium. Hinc publica illa inopia, quæ regna maximè enervat, alendi potiùs artifices ſunt & præmio invitandi, qui mercibus ibi natis neceſſaria conficiant, ſic pecuniæ à provinciis non efferentur, ſed aliunde inferentur, aut aliis mercibus neceſſariis commutabuntur.

Ut autem copia utilium mercium inferatur, in 5
primis bene tractandi ſunt mercatores, ne ſcilicet nimiis tributis graventur, neve exactorum injuriis ſubjaceant, ſed potius privilegiis alliciantur, flumina purgentur, viæ publicæ terra marique tutæ ſint & reficiantur. Cùm enim Princeps ex vectigalibus commodum percipiat, curet oportet, ut modis omnibus advectiones ſint faciles ac tutæ. *l. 1. ff. de ripa munienda.* * Quanta autem fuerit ve- 6
teribus Romanis viarum cura & cuſtodia, indicat lex Viaria Sempronij, à Caio Sempronio, Q. Cæcilio Metello Conſ. lata, quam cum Auguſtus negligi videret, juſſit ut à patribus propriis ſumptibus viæ publicæ reficerentur, & cuſtodirentur, atque exemplo Appij Cenſoris, qui Appiam ſterni curaverat, ipſe Flaminiam, Conſulum tempore inchoatam, multiſque locis intermiſſam, refecit, & promovit. De cura hac & tuitione viarum librum ſcripſit Papinianus noſter, cui titulus, *de officio Aſtynomi,* cujus tantum ſupereſt fragmentum *in l. 1. ff. de via publ.* Le Bret., *de la ſouveraineté du Roy. l. 2. c. 13.* Dorleans *in Tacit. l. 3.* Zypæus *de Judice, l. 3. c. 22. n. 20.*

TITULUS XLVI.

De Deſertoribus & Occultatoribus eorum.

1. *Qui dicuntur militiæ Deſertores, & Emanſores.*
2. *Deſertionis & Emanſionis cauſa examinanda.*
3. *Deſertores militiæ qualiter puniantur, & filius à patre oblatus.*
4. *Qualiter jure novo puniantur Deſertores & eorum Occultatores.*
5. *Deſertores ſi armis ſe defendant, ne capiantur, poſſunt à quocumque occidi.*
6. *Qui autem deſerant, ut ſe ad prædas convertant, capite puniuntur.*
7. *Devictis hoſtibus, diſtribuendæ ſunt prædæ in milites, qui continere ſe debent.*
8. *Humaniter tractandi ſunt victi, & pro incolis habendi.*

Deſertores ſunt tyrones & milites qui belli 1
tempore à ſignis abſunt, vel per prolixum tempus extra caſtra evagati, inviti plerumque reducuntur. *l. 1. §. 1. h. t. & l. 3. §. 3. ff. De re milit.* quo diſtinguuntur ab Emanſoribus, qui poſtquam diu abfuerunt, ſponte ad caſtra regrediuntur *d. l. 3. §. 2.* Iis proximi ſunt qui ad diem commeatus non veniunt, & perinde in eos, ac in deſertores & Emanſores ſtatuitur; facta tamen prius copia dicendi, num fortè quibuſdam caſibus detenti fuerint, propter quos venia digni videantur. *d. l. 3. §. 7.* Levius itaque delictum emanſionis habetur, ut erro-

Digitized by Google

erronis in ſervis gravius diſertionis, ut in fugiti-
2 vis. * Examinantur autem cauſæ emanſionis, cur
& ubi quis fuerit, quid egerit, & datur venia affe-
ctioni parentum, valetudini, & ſi ſervum fugien-
tem ſit perſecutus, vel alia ejuſmodi cauſa, *l. 4. in*
fin. ff. d. t. ſed & ignoranti adhuc diſciplinam Ty
roni ignoſcitur, ut dictum ſupra. *Tit. 44. n. 7.* Non
autem omnes Deſertores ſimiliter puniendi ſunt,
nam habetur ratio ordinis, ſtipendiorum, gradus
militiæ, loci, muneris deſerti, anteactæ vitæ, refert
etiam num ſolus, vel cum pluribus, ſemel aut ite-
rum quis deſeruerit, aliúdve crimen, ut ſi furtum,
deſertioni adjunxerit, *l. 5. ff. d. t. De re milit.* ubi
etiam ratio temporis habenda dicitur, nam qui in
pace deſeruit, eques gradu pellendus eſt, & pedes
militiam mutat: in bello idem admiſſum capitale
3 eſt. * Gravius quoque in eum ſtatutum fuit, qui
poſt deſertionem, in aliam militiam ſe dedit, & le-
gi paſſus eſt. *d. l. 4. §. 9.* Sic ſi in urbe deſertor inve-
niatur, capite puniri debet; alibi apprehenſus ex
prima deſertione, reſtitui poteſt; ſi iterum deſerat,
capite puniendus eſt: ſi verò ſe offerat ex indul-
gentia Principis in inſulam deportatur. *d. l. 5. §. 4.*
& filius deſertor à patre ſuo oblatus in deterio-
rem militiam dandus eſt, ne videatur pater ad
ſupplicium filium obtuliſſe. *l. 13. §. ult. ff. De re*
milit. eſt enim nonnihil pietati paternæ indul-
gendum.

4 Imperatores autem mitius hic agunt cum De-
ſertore, ſi ſponte proceſſerit, peccati anterioris
ſupplicium timere non debet. *l. 1. §. 1. h. t.* at qui
Deſertorem agro tectove receperit, atque apud ſe
diu paſſus fuerit deliteſcere, actor quidem, vel pro-
curator loci, qui hoc ſciens commiſerit, capitali
ſupplicio ſubjugatur, dominus vero ſi hujus rei
conſcius fuerit, prædij, in quo deſertor latuit, amiſ-
ſione punitur: nec tantum qui deſertorem occul-
tat, punitur, ſed etiam judex qui gratia vel diſſimu-
latione pœnam deſertori irrogare neglexerit.
Qui vero deſertores prodiderit, præmio afficitur.
d. l. 1. & ſervus libertate donatur. *l. ult. ſup. quib. ex*
cauſ. ſerv. pro pr.

5 Cæterum, ſi deſertores inventi vi reſiſtant, tan-
quam rebelles in ipſis temeritatis ſuæ conatibus
opprimi debent, *l. 2. h. t.* & defunctorum in deſer-
tione bona publicari. *l. 4. ſup. De re milit.* Cum an-
tea tamen Imperatores Arcadius & Honorius per-
miſiſſent cuilibet deſertores opprimere, & com-
munis quietis cauſa ultionem publicam exercere.
l. ult. ſup. quando lic. unicuique ſine jud. Quod ſi lit-
teris miſſionis ſe tueri velint, judex ſolicita cau-
tione diſquirat, an veræ ſint, ne fictis Teſtimoniis
6 delictum ſuum excuſare conentur. *d. l. 2.* * In deſer-
tores autem eos ſeveriſſimè animadvertet, qui re-
lictis militaribus caſtris, ſe ad deprædationem
vel latrocinium contulerint. *l. 3. h. t.* Severiſſima
autem illa pœna mors eſt, & merito, cum duplex
committant crimen, deſertionis & latrocinij. *l. 28.*
§. 13. ff. De pœnit. & d. l. 5. §. 3. quod neque morte
extinguitur, *d. l. 4. ſup. De re milit.* nec abolitionem
recipit. *l. ult ſup. de abolit.*

Eodem ſupplicio afficiendi ſunt, qui militiam 7
non quidem deſerunt, ſed ſigna; proprius Hiſpa-
nice, *que deſamparan ſus vanderas*, & necdum par-
ta victoria prædas agunt. Idem ſtatuit Rex noſter,
ne victoria ob prædam è manibus elabatur, ea au-
tem obtenta, in præmium prædas permittit; ita ta-
men ut abſit omnis inhumanitas, & deprædatio ſit
fructus victoriæ, non crudelitatis exercitium. *De*
evertendis (inquit Cicero *l. 1. offic.*) *diripiendiſque*
urbibus, valde illud conſiderandum eſt, ne quid teme-
rè, ne quid crudeliter fiat; idque eſt magnanimi viri,
rebus agitatis punire ſontes, multitudinem conſervare, in
omni fortuna, recta atque honeſta retinere. Igitur ad
avertendam militarem inſolentiam, poſt confli-
ctum & obtentam victoriam, Dux belli prædas
ex æquo diſtribuet, quia ſine iis militem in diſci-
plina continere vix poterit. * Et in debellatas civi- 8
tates imperium ne ſumat, ſed victoriam clementia
temperet, ſi enim laudatur temperantia in ſingulos;
quantò magis in populos. Laudat veteres Roma-
nos Saluſtius, ea moderatione uſos fuiſſe in victos,
ut eos miſcerent victoribus, eodemque loco in
poſterum haberent. Contra Athenienſes victis
omnia eripiebant; atque illos adeo exoſos habe-
bant, ut nullo commercij jure dignos exiſtimarent.
Quid ipſis aliud exitio fuit, quanquam armis pollerent,
niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor no-
ſter Romulus tantum ſapientiâ valuit, ut pleroſque popu-
los eodem die hoſtes, dein cives habuerit. Juſtinus. Exem-
plum ſanè imitandum; nam ſi victi tanquam alie-
nigenæ habeantur, hoſtilem ſemper retinent ani-
mum. Quare Claudius Imp. jus civitatis Romanæ
devictis provinciis dedit, Tacitus *l. 11. an.* hoc
namque medio, paulatim diſcunt ferre imperium
victoris, poſtquam id præſcripſit temporis diu-
turnitas, & ſublata eſt libertatis priſtinæ memoria.

TITULUS XLVII.

De Veteranis.

1. *Qui veterani dicantur, iis Impp. multa privilegia & honores contulerunt. & quare.*
2. *Ac præſertim Conſtantinus veteranis conceſſit immunitates à muneribus civilibus, & à vectigalibus, & circa venditiones.*
3. *Item à muneribus perſonalibus liberi ſunt veterani: an etiam patrimonialibus, & portitorio onere?*
4. *Privilegia veteranorum, alia ad teſtamenta, alia ad pœnas pertinent.*

5. Hec

5. *Hæc privilegia perſonalia veteranorum etiam ad eorum filios extenduntur.*
6. *Veterani ab injuriis defenduntur, & honorantur protectoriâ dignitate.*
7. *Veterani qui ſe latrociniis dederunt, privilegia ſua amittunt.*
8. *Volens uti privilegiis Veteranorum, evidentibus probationibus, non jurejurando, cogitur probare honeſtam miſſionem.*
9. *Quid, ſi in poſſeſſione ſit privilegiorum.*
10. *Veterani forum mutant, judicium militare non coguntur amplius obſervare.*
11. *Hodierna militia an veteranos habeat: illorum pluris facienda exigua manus, quam imperita multitudo.*
12. *Turpe ſpretis veteranis præferre tyrones.*
13. *Qui fit, ut tanta vis auri collata, tam exiguos faciat in bello progreſſus.*

1 DE Tyronibus, qui primò arma induunt, dixi paulo ante; nunc de Veteranis, qui illa diu tractarunt, ac in militia permanſerunt. His priusquam à muneribus oneribuſque vacatio concederetur, Imperatores voluerunt vigeſimum annum militaſſe, *l. ult. ſup. de his qui non impl. ſtip.* quo expleto exiſtimavit Antoninus indecorum eſſe eis ſordida munera indici. Quare Veteranos eos eſſe ſentio, qui vicena ſtipendia impleverunt, & emeriti ſunt milites. *l. 2. d. t. qui plene ſtipendiorum numero funguntur*, ubi plura dixi. Inde emeritum, quod eſt præmium emeritis debitum. *l. 5. §. 7. ff. De re milit.* Eorum autem tanta ſunt commoda & privilegia, ut Imperatores certatim illos honoribus & præmiis cumulaſſe videantur, & meritò, cùm publici honores, à publica utilitate dependeant, & illis digni cenſeantur, qui totos ſe Reipublicæ dedunt, nec aliud virtutis præmium, quam honores eſſe ducunt. Huc facit, quod ſcribit Caſſiodorus, *l. 7. Epiſt. 30. Æquitati convenit, ut unusquiſque ad fructum militiæ emenſo tempore debeat pervenire, & laboris recipiat præmium pro compenſatione meritorum, & cum ad tempus venerit conſtitutum, optato honore potiatur.*

2 Ex Impp. nullus plura privilegia & honores Veteranis contulit, quam Conſtantinus; is enim cum ſalutatus eſſet à Præfectis, Tribunis, & viris eminentiſſimis, acclamatum eſt, *Auguſte Conſtantine, Deus te nobis ſervet, veſtra ſalus, noſtra ſalus, verè dicimus, jurati dicimus.* Adunati veterani exclamarunt: *Conſtantine Auguſte, quo nos veteranos factos, ſi nullam indulgentiam habemus? Si muneribus & oneribus univerſis locis conveniri non ſinamur?* Imperator ſe agnoſcens veteranorum virtute non minimam utilitatem conſecutum fuiſſe, iis ut redderet, quantum jure poterat, non quantum videbat eſſe ex dignitate, vel merito, reſpondit ſe veteranorum fortunam magis augere velle, quam minuere, quare iis conceſſit, ut nullo munere civili, nec in operibus publicis convenirentur, quibuſcumque nundinis interfuiſſent, nihil ob venditionem propoſitam, expoſitaſque merces, dare cogerentur, quinimò publicanos, qui, ut ſolent, negotiantibus ſemper adſunt, veterani à ſe repellerent, ut quieto poſt ſuos labores ocio perfruerentur, *l. 1. h. t.* ubi etiam fiſco interdictum, ne ullum ex veteranis inquietet, ſed liceat eis emere, vendere, & pecuniam tractare, agitare mercimonia, atque interim ſuis uti beneficiis. Quæ ut 3
paucis complectar, dico veteranos, qui confectis legitimis ſtipendiis honeſtam miſſionem conſecuti ſunt, habere immunitatem munerum perſonalium. Perſonalia autem munera ſunt, quæ corporis labore & animi ſolicitudine fiunt, *l. 1. §. illud, ff. de muner. & honor.* unde excuſari eos à navium fabrica, & ne exactores tributorum fiant, reſcripſit Divus Antoninus, *l. fin. §. h. t.* item à curis & tutelis, *l. 8. ff. De excuſ. tut.* dixi ſupra, *De excuſ. veter.* à cura annonæ, ab hoſpitis receptione. *l. fin. §. pen. ff. De muner. & honor.* quod tamen patrimoniale magis onus eſſe videtur, *l. 3. §. 14. d. t.* Patrimonialia verò munera ſunt, in quibus ſumptus maximè poſtulatur, atque ea utpote ſolemnia omnes ſuſtinere oportet. *l. 2. in fin. ff. h. t.* Sunt tamen veterani immunes à capitatione, collatione extraordinaria, & portatorij onere, quod patrimonij eſſe Bartolus aliique exiſtimant, atque id ab iis præſtari qui pontem vel locum aliquem tranſeunt, tanquam pædagium. Fit autem hujus deportatorij oneris mentio *in l. 1. in fin. h. t.* At poteſt id propriùs accipi, pro cura perferendæ pecuniæ fiſcalis, annonæ, & veſtium militarium, qua liberatur qui ſenio, aut corporis imbecillitate (non aliena à veteranis) vexatur. *l. 2. §. 7. ff. De vacat. & excuſ. mun.* Item *in l. ult. §. tyronum. 3. ff. De munerib.* ibi *vel rei convehendæ ſive perſequendæ, vel pecuniæ fiſcalis*, perſonale munus eſſe dicitur, à quo tantum veteranos excuſari crediderim; nam à patrimonialibus neque milites, neque veteranos, neque Pontificem, neque quemquam alium, etiam privilegio ſubnixum excuſari, cenſent juris auctores. *in l. ult. §. ab hujuſmodi. ff. De muneribus. ad l. 2. ff. 1. cum l. ſeq. ff. h. t. & Tit. ſup. De muner. patrim.* Non adverſatur gloſſa, *in l. 2. ſup. de re milit.* quæ dicit à ſordidis patrimoniorum muneribus Veteranos excuſari, quia non loquitur de patrimonialibus, aut perſonalibus, ſed de ſordidis militiæ muneribus, à quibus excuſari veteranos docet Cujacius ibi, & Georg. Acacius, *lib. De privil. veter.*

Habent præterea privilegium veterani; tam quoad teſtamenta, quam quoad pœnas. Itaque ſi teſtamentum fecerint de caſtrenſi peculio, id pertineat 4
ad

ad eum quem hæredem reliquerint; ſi verò inteſtati deceſſerint, nullis relictis liberis, vel fratribus ſuperſtitibus, ad parentes eorum jure communi pertinebit. Sed eatenus hoc illis conceditur, quatenus militant, vel poſt miſſionem intra annum tantum. *Inſt. De teſt. milit. §. ſed hactenus.* Si autem veteranus deceſſerit, univerſa bona etiam paterna ad hæredem caſtrenſium pertinent. *l. 13. ff. De teſt. milit.* At veterani qui tempore militiæ peculium ſibi acquiſiverunt, militiam autem depoſuerunt, communi jure teſtantur; item damnati ex delicto militari, nam eorum bona non occupantur à fiſco. *l. 1. & 2. ff. De veteran. & mil. ſucceſſ.* ſed de his plura dixi ſupra *de milit. teſt.*

5 Quoad pœnas, hoc privilegium habent veterani, ut neque illi, neque liberi eorum in metallum, opuſve publicum, vel ad beſtias damnentur, nec fuſtibus cædantur. *l. 1. & 3. ff. h. t.* Quod etiam decurionibus conceſſum eſt, *l. 11. ſup. de quæſtionib.* Verùm eâ differentiâ, ut decurionibus, liberiſque eorum omnibus, uſque etiam ad pronepotes, id datum intelligamus. *l. 9. §. 13. ff. de pœnis.* Veteranis verò eorumque liberis uſque ad primum gradum dumtaxat, quod Imperator Antonius Senatui reſcripſit. *l. 5. ſup. de pœnis.* itaque circa pœnas & quæſtiones tantùm liberis veteranorum privilegium datum eſt, non alijs. Unde apparet illud perſonale eſſe, nam ſi reale eſſet, ad omnes omnino hæredes tranſiret. Hoc autem ſolis filijs ob perſonam & honorem parentum indulgeri, oſtendunt dictæ leges: ac multa alia præmij loco parentibus fuiſſe data, imò etiam agros & prædia honoris causâ ab Imperatoribus aſſignata. *l. 11. ff. de evictionibus. l. 16. ff. de acquirendo rerum dominio.*

6 Sanè Conſtantinus, ubi multis præmijs veteranos donaſſet, ſedulo providit, ne incongruis pulſarentur injurijs, præcepitque provinciarum Rectoribus, in eos animadvertere, qui injuriarum in eos fuiſſent auctores; cùm indignum eſſet pati illos injurijs affligi, quibus à Principe tanta data eſt immunitas, *l. 2. h. t.* & protectoria dignitas tanquam pretium longi laboris acceſſit, ut ſcribit Symmachus, relatus à Cujacio *in d. l. 2.* Ex his enim mittebantur ad juvandas in provincijs neceſſitates publicas, ſic à Conſtantino decem Protectores in Galliam ad hanc rem miſſos fuiſſe ſcribit Marcellinus; itemque ijs nobilium rerum cuſtodiam mandatam. *lib. 15. & 19.* Gutherius *de*
7 *offic. dom. Aug. lib. 2. cap. 15. in fin.* * Si tamen ex negligentia vitæ neque rus colerent, neque aliquid honeſtum peragerent, ſed ad latrocinia ſe conferrent, omnibus veteranorum privilegijs exuti, pœnis competentibus à provinciarum Rectoribus ſubjiciebantur. *l. 3. h. t.* Similiter nobiles ob flagitia ſua privilegijs exuendi ſunt: non enim habentur pro nobilibus vel militibus qui latrocinijs ſe dediderunt.

Ut autem prædictis privilegijs quis fruatur, ho- 8
neſtam miſſionem probare debet, per epiſtolam teſtimonialem, ut inſinuat Cujacius, *hic ad l. 1.* vel etiam per teſtes, *l. 7. ſup de fide inſtrum. ibi DD. & in cap. 12. X. de privileg.* ibi Innocentius. An non ergo ſufficiet ſi juret ſe honeſtè miſſum? ſufficere dicit Accurſius, ſimiles integræ famæ fuerit, *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.* ubi qui talis eſt, eſt cur potius credatur quòd ab hoſtibus captus fuerit, quàm quòd ad eos transfugerit, ita & hic ſtandum videtur ejus juramento. Veriſimilius tamen eſt, id non ſufficere, quoniam *d. l. 7.* requirit probationes evidentes, quæ certam fidem faciant non adverſatur *d. §. 6.* quia ibi creditur militi, ne videatur deliquiſſe, id eſt transfugiſſe; in dubio enim quilibet præſumitur bonus, niſi contrarium probetur, quæ ratio in noſtro caſu ceſſat. Nam etiamſi miles non ſit honeſtè miſſus, non propterea tamen præſumitur deliquiſſe, cùm potuerit ob morbum citra delictum impetraſſe cauſariam dimiſſionem, quam non juramento, ſed litteris dimiſſorijs probabit quiſquis veteranorum privilegijs frui deſiderat. * 9
Quid, ſi illis aliquamdiu fruitus ſit, aut in poſſeſſione fuerit privilegiorum? non cogetur probare, imò nec titulum ſuæ poſſeſſionis dicere, niſi actor aliquid probaverit, *l. 16. ſup. de probat.* actore namque nihil probante, reus propter poſſeſſionem vincit; ſed ex quo actor fundavit ſuam intentionem, poſſeſſio nihil prodeſt reo, quominus condemnetur, ut autem condemnationem evitet, exceptio aliqua ab eo adferenda eaque probanda eſt. *l. 12. ff. de probat.* Interdum & qui in quaſi poſſeſſione eſt, tenetur probare ſuum privilegium, niſi negetur fuiſſe miles, in numeros relatum probet neceſſe eſt, quia milites non naſcuntur, ſed fiunt. Item qui dicit ſe exemptum ab Ordinarij juriſdictione, probare ſuam exemptionem tenetur, quia non prodeſt ei poſſeſſio, cùm ordinarius fundatam habeat ſuam intentionem, & probatam ex eo, quòd ſibi in omnes provinciales data ſit juriſdictio. *cap. 7. de privileg. in 6.*

Ad veteranos quod attinet, conſtat eos jure ex- 10
emptos eſſe à judicio militari, cùm militare deſierint, vel ſaltem non cogendos judicium illud obſervare, niſi ante miſſionem in eo lis conteſtata fuerit, tunc enim velut necdum cingulo depoſito, ſub militari judice res tractanda finiendaque eſt. *l. ult. h. t.* Itaq; veterani forum mutant, ut mulier per nuptias, niſi ante eas litem inchoaverit, *l. pen. ff. de juriſd.* inter utrumq; tamen id diſcriminis eſt, quod mulier prioris judicis juriſdictioni, ſi velit, poſſit ſe ſubjicere, veteranis verò non liceat duciano judicio ſe ſubjicere. Cujac. *ad d. l. ult.*

Cæterùm hodie, ut in multis, à priſca illa militari 11
diſci-

Digitized by Google

diſciplina receſſum eſt,ita etiam veteranorum nomen obſolevit,nec alia privilegia iis,quàm quæ aliis non emeritis militibus dantur.Non tamen nego ſolere Principes,ſenio fractos, laboribuſque confectos milites, honeſtâ miſſione præmiiſque ac perpetuo ſtipendio donare. Verùm quamdiu veterani noſtri arma geſtare poſſunt, illis militandum eſt,& merito,pluris enim facienda eſt illorum exigua manus, quàm inexercitata & belli imperita multitudo, quæ cædi expoſita, minima quæque formidat, & fugam magis quàm gloriam medita-
12 tur. Vegetius *lib.* 1. *cap.* 1. *de re mil.* * Quòd licèt noſtri belli duces id ſatis obſervent, non tamen deſiſtunt ſpretis veteranis, tyrones ad meliora militiæ munia evehere, conſanguinitatis, aut nobilitatis reſpectu,aut precibus aut pretio moti. Unde non tantum honori ſuo, ſed & Reipublicæ nocent, dum enim pugnandum eſt,vix ullos veteranos, in quibus tota ſpes victoriæ ſita eſt, inveniunt, & his præfectos tyrones vident, qui ſæpe pugnare detrectant. Atque ita diſciplinæ militari & ærario illuditur, dum ſine diſcrimine tyrones eliguntur, &, quod intolerandum,hi ſæpe in diem unum aut alterum, honoris & ſtipendij causâ, duces vel ſigniferi creantur; imò non raro Tribunus ſine milite deſignatur,adeo ut hujuſmodi numerus miſſorum (quos *reformados* vocamus) in immen-
13 ſum creverit; * Decreveritque ærarium,ita ut numeri militum ali non poſſint, ſint & cohortes paucorum militum,& ex iis plures miſſi,aut officiales, qui aucto ſtipendio fruuntur, nec majus præſtant obſequium, quàm gregarij milites, quorum pleri que corpus adeo famelicum & debile trahunt, ut arma tractare nequeant. Tot ſtrenui viri miſeri eſſe debent,ut magnis illis ventribus bene ſit. Quæ cùm ita fieri videamus, non eſt cur miremur, unde tanta vis auri ex omnibus provinciis collecta, tam exiguos faciat belli progreſſus.

TITULUS XLVIII.

De filiis officialium militarium qui in bello moriuntur.

1. *Declaratio tituli, & quod filij militum ducerentur ad tralia.*
2. *In paternam vocabantur militiam, ſive parentes ſacramento tenerentur, ſive militiâ miſſi eſſent.*
3. *Filius unicus, vel ex multis primogenitus in munus patris ſuccedit.*
4. *An filius cui collatum eſt munus, teneatur fratribus ſuis aliquid dare.*
5. *Filius in bello mortuus prodeſt patri.*
6. *Statuto diſponente quod filius ſecundogenitus patri ſuperſtes in ſucceſſione præferatur nepoti ex filio primogenito mortuo ante patrem; an id procedat ſi filius primogenitus in acie obierit.*
7. *Præmia mortuis parentibus debita,dantur filiis.*
8. *Filij ſenatorum cur cum parentibus curiam ingrederentur.*
9. *Aſſumebantur etiam quorum parentes non tractaverant Rempublicam.*
10. *Hodie Principes ſolent providere filiis officialium; An etiam poſthumis.*
11. *An officia, ad quæ obeunda eruditione opus eſt, filiis ad ea necdum idoneis relinquenda ſint.*
12. *Intereſt Principis non ſtatim filios ad munia parentum promovere,& expectativas concedere.*

INſcriptio hujus tituli non reſpondet legibus, 1
quibus non ſolùm agitur de filiis, qui in parentum defunctorum militiam ſuccedunt, ſed etiam ſuperſtitum officialium, qui adhuc militant, vel militiâ miſſi ſunt, ad quam eorum filij admittuntur: Ne autem ipſis incapacitas objiceretur, Romani milites filios ſuos ita educabant, atque induratos reddebant, ut ſemper illis caſtra pro civitate eſſent, ſol pro umbra, ferrum & mucro pro ſupellectile, ac ipſa militia otij loco ipſis videretur.

Nec exiſtimabant eos paternam peritiam & 2
gloriam aſſequi poſſe,niſi exercitum ſequerentur; ſciebant enim illos æternum victuros, ſi vel in acie,vel in conflictu mortui fuiſſent,aut ſibi ſuperſtites, in militiam ſuam ſucceſſuros. Quod & ſtatuit Conſtantinus Imp. *in l.* 1. *h. t.* ubi ait: *Hi qui ex officialibus quorumcumque officiorum geniti ſunt, ſive eorumdem parentes adhuc ſacramento tenentur, ſive jam dimiſſi ſunt,in parentum militiam vocantur.* Similiter Gratianus Imp. voluit filios primipilariorum ad conditionem parentum vocari, non curiæ addici. *l.* 2. *h. t.* De primipilo dicetur *tit.* 63. * Extat alia 3
Græca conſtitutio à Cujacio hic reſtituta,qua viri militaris in bello defuncti filius unigenitus, vel ex multis major natu, in ejus locum ſuccedit, & eaſdem annonas accipit, niſi pater altiorem biarcho gradum obtinuerit, putà, ſi ducenarius aut centenarius fuerit, quo caſu filius biarchi munus aſſequitur, *l. ult. h. t.* cujus erat annonam curare, qui apud Hiſpanos *Proveedor de viveres.*

Hinc quædam ad uſum adferri poſſunt, & quæ- 4
ri: An filius, cui munus patris à Principe collatum eſt,vel aliud ob merita patris,teneatur fratribus ſuis aliquid dare. Bald. Angel. Jaſon, & quos citat Bobadilla, *lib.* 3. *polit. cap.* 8. *num.* 291. ſentiunt, ſi officium vendibile non ſit,nec reſignari poſſit, nihil jure dandum eſſe fratribus, licèt ob merita patris illud conſecutus fuerit, cùm, ut dictum eſt,ſoleat Princeps filio pleno jure paternam militiam concedere, modò ad eam ſit idoneus. Si tamen pater nihil reliquerit,unde cæteri fratres vivant, æquum eſt tantum à fratre illis aſſignari,

unde

Digitized by Google

unde honeſtè ſe poſſint ſuſtentare, ſi reditus muneris id permittant: non fratribus mendicandum eſt. Quare dicit *d. l. ult.* majorem natu in quem collatum eſt munus, *fratrum ſuorum curam habiturum.* Quemadmodum & eum, qui in jus primogenituræ ſuccedit, teneri fratres alere, & ſorores inopes dotare, probat Lud. Molina *lib. 2. De Hiſpan. primog. c. 15. n. 59. & ſeqq.*

5 Porrò ut filij idonei in parentum militiam vocantur, ita & parentes militum ob filios commoda conſequuntur. Siquidem licèt filius ab hoſtibus captus, ac necdum reverſus ad excuſationem munerum perſonalium patri prodeſſe nequeat, tamen ſi in bello perierit, prodeſſe poteſt. *l. fin. ff. De excuſ. muner.* ad jus quoque trium liberorum, & ad tutelæ excuſationem, *l. 18. ff. De excuſ. tutor.* pro Republica autem cecidiſſe & in æternum vivere intelligitur, qui in acie interemptus eſt, non etiam in obſidione, vel aliàs ex cauſa belli. Hinc conabantur parentes amore patriæ ducti, filium primogenitum in locum ſuum & militiam ſubrogare. *l. 5. Infr. De cohortal. & princ. corn.*

6 Quid ergo ſi ſtatuto cautum ſit, ut filius ſecundo natus patri ſuperſtes, in ſucceſſione avita præferatur nepoti ex filio primogenito mortuo ante patrem? Certè, ſi filius ille primogenitus in acie pro Republica ceciderit, putarem hoc caſu nepotem præferendum, quia ſcilicet pater ejus cenſetur in æternum vivere, cui ſucceſſio jure primogenituræ debetur, ac ita judicatum fuiſſe ſcribit Balt. Ayala, *De jure belli lib. 3. cap. 7. num. 21.* nec obſtare, quod privilegia militum ad alienam injuriam porrigi non debeant, & beneficia ad damnum alterius non conferantur, quoniam nulla injuria hìc infertur filio ſecundogenito, cui nihil adimitur, ſed tantùm non acquiritur, non enim videtur rem amittere is cujus propria non fuit, *l. non videtur. ff. De reg. jur.* nec poteſt videri deſiiſſe habere, qui numquam habuit. *l. non poteſt. ff. De reg. jur.*

7 * Nec enim hoc caſu dici poteſt, privilegia militum ad alienam injuriam porrigi; quia nulla hìc fit injuria alteri, & jure communi ſi nepos in parentis ſui locum etiam extra bellum mortui ſuccedat. *§. cum filius. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt.* Sitque hoc ſtatutum juri communi contrarium ſtrictè intelligendum. Panormitanus *in cap. ex parte.* ꝟ *De decimis.* Maximè cùm lege Regia Hiſpaniæ ſtatutum ſit, ut præmia quæ quis ob ſtrenuam operam in bello præſtitam meruit; eo mortuo filiis & proximè agnatis debeantur. *l. 5. tit. 27. p. 5.* Quod & à Romanis obſervatum, & lege Solonis apud Athenienſes cautum fuit, ut illorum filij, qui in bello occubuiſſent, publicè alerentur, & bonis diſciplinis imbuerentur. Nam teſte Cicerone *Philip. 7.* ejuſmodi mortuorum vita, in memoria vivorum poſita eſt.

Præterea non tantùm militum filij, ſed & Senatorum, paternæ dignitatis ſtatū acquirebant; ideo licebat iis cum patribus curiam ingredi, ut publicis negotiis aſſueſcerent, ut dixi ſup. *lib. 10. tit. 40. num. 5.* & probat id Tacitus, *lib. 11. annal. Apud majores*, inquit, *virtutis id præmium fuerat, cunctiſque civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratus, ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin primâ juventâ, conſulatum ac dictaturas inirent.* 8

* Item filij quorum parentes tantùm fuerant honorarij, munia publica & ſimul dignitatem acquirebant, quam parentibus non communicabant, ceſſante in publicis muneribus patriâ poteſtate, aut ſaltem ejus interquieſcente. Facit quod ait Ulpianus ſententiam Saturnini volentis matres conſularium eſſe conſulares, nuſquam in jure relatam, receptamve eſſe, *l. 1. §. fin. ff. De Senator.* atque ita Senatorum filij ſuam dignitatem parentibus non communicabant, fortè ideo quòd honor non aſcendat, ſed deſcendat. 9

Hodie quoque filij, quorum parentes & majores publicis honoribus fuerunt decorati, quaſi jure hæreditario, Reipublicæ curam accipiunt, aliiſque præferuntur. Imò in quibuſdam regnis cenſetur quædam quaſi obligatio, ita ut injuriam feciſſe dicatur Princeps, ſi alteri munus donaverit, ut refert Valaſcus, *conſult. 129. num. 13.* aſſerens hujus æquitatis & obligationis non videri indignos poſthumos, ut in tempus nativitatis hoc jus & equitas, quam Princeps exercet erga filios officialium, illis reſervetur. Facit *l. 7. ff. De ſtatu hominum.* ubi qui in utero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur. Ac indè fit, ut etiam venter mittatur in poſſeſſionem, ſitque ſpes naſcendi. *l. 1. §. ſi filius ab hoſtib. ff. de ventre in poſſ. mit.* In officia tamen publica, quæ perſonæ induſtriam & eruditionem requirunt, non ſuccedunt filij qui necdum capaces ſunt, multò minùs nondum nati, de quibus ſpes incerta. 10

* Fateor quidem magnum eſſe partus favorem, ſed majorem totius corporis Reipublicæ, cujus intereſt officia non ſuſpendi: niſi conſtet Principem voluiſſe ſine diſcrimine providere filiis viduæ, ob mariti merita. Officia verò ad quæ obeunda non opus eſt doctrina, ſed cum periculo vitæ exercentur, qualia ſunt apparitorum & aliorum id genus juſtitiæ miniſtrorum, ſi in exercitio ſuorum officiorum occidantur, hæredibus relinquenda ſunt, ut in Gallia judicatum refert Loyſeau *des offices lib. 1. cap. 12. num. 33.* 11

Poſtremò notandum expedire nonnumquam, ut differatur ſucceſſio in officia parentum, ne filijfamil. jure hæreditario ea ſibi deberi putent, ut interim illa expectantes ſpe erecti, majori ſtudio 12

Digitized by Google

ſe dignos reddant. Nulla enim merces viliori pretio emitur, quàm quæ præmiorum expectatione emitur. Et certè magis ad ſerviendum allicit ſpes futuri, quàm præmij accepti memoria. Atque hinc facilè apparet quàm noxiæ ſint expectativæ, ſive futuræ ſucceſſiones in muneribus publicis, & præmijs; id quod expendebat Tiberius; cùm ſeſe Gallo opponeret contendenti, ut quinto quoque anno nominarentur Candidati, qui ſucceſſuri eſſent in functionibus publicis, ita enim fore dicebat, ut obſequia & induſtria aliorum planè deſinerent. Tacitus *lib.* 2. *annal.* Qua in re non iſtud ſolũ damnum ponderavit Tiberius, ſed etiam quod occaſionem perderet gratiæ faciendæ, in quo dominatus ſui vires conſiſtere exiſtimabat, *atque ita favorabili in ſpeciem oratione vim imperij retinuit.*

TITULUS XLIX.

De oblatione votorum.

1. *Continuatio. Receptæ acclamationes, & vota ſuſcepta pro ſalute Imperatoru, non pro alijs.*
2. *Idque die tertio Calendis Januarij ipſis Calendis Conſules auſpicabantur Magiſtratum, & alia ſolemnia fiebant, & ſtrenæ mittebantur.*
3. *Dabantur ſtrenæ ab Imperatore, & is viciſſim munera à Senatu populoque accipiebat. Servatur & hic mos apud alias gentes.*
4. *Cur Imperatores oblationem votorum coarctaverint, & quæ ratio eam exigendi, cùm fuerit voluntaria.*
5. *Sumptuarijs legibus conviviorum luxus, & dona coërcentur.*
6. *Moribus hodiernis excogitatæ ſunt variæ oblationes, initio voluntariæ, nunc exactæ & perpetuæ.*

1 QUemadmodum à militibus latæ acclamationes fiebant in exercitu, dum Imperator caſtra obiret, ut indicat *l.* 1. *Tit. ſup. De veteranis.* & nunc fiunt à ſubjectis pertranſeunte Rege, in hæc verba, *vive le Roy*, vivat Rex: ita etiam ineunte anno, pro ſalute Imperatoris vota concipiebantur, non pro alijs. Ac *unum omnium votum erat ſalus Principis.* Plinius *in paneg.* Unde Tiberius ægrè tulit pro Nerone etiam & Druſo à Pontificibus vota concipi, & ſupplicationes fieri, quæ pro ipſo factæ fuerant, & ſoli Principi fieri debent. Tacitus *lib.* 4. *annal.* Eò pertinet quod ait Cajus J.C. *in l.* 233. *§.* 1. *ff. de verb. ſignif. Poſt Calendas Januarias die tertio, pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur.* *

2 Nam ipſis Calendis Conſules deſignati, auſpicabantur Magiſtratum, & Conſulatus ſui nomina dabant. Caſſiodorus, *lib.* 2. *Epiſt.* 1. *Felix à Conſule ſumat annus auſpicium, portamque dierum tali nomine dicatus annus tempus introeat.* Hæ Calendæ inter omnes erant celebriores, cultu, lætitiâ, ſacrificijs, veſtibus novis; imò convivia publica privataque inſtituebantur, & ſi quis madidus vino fuiſſet, vitio ei non dabatur: tum aleâ ludebant domini promiſcuè & famuli; nec ſervis tunc periculum ullum, nam iſti dies æquam dabant omnibus libertatem, flagella & verbera ceſſabant, omnia plena pacis, libertatis, voluptatis, omnes ſibi mutua munera mittebant, quæ ſolemnia vocat J. C. Paulus, *in l.* 12. *§.* 3. *ff. De adminiſtr. tut.* quia in more poſita, & annua; mittebanturque hæc munera parentibus, cognatis & amicis. * Ab 3

Imperatore quoque dabantur viris ſtrenuis, unde ſtrenæ dictæ, viciſſim à Senatu populoque dona accipiebat Imperator, ob memoriam ætatis Saturni, quâ homines liberales erant, atque ipſi Imperatori vitam longævam apprecabantur omnes. *Die Calendarum Januarij pro æde Capitolini Jovis, cum paululum curuli ſella præſideret.* ita Suetonius, *in Auguſto. c.* 57. Poſtea nomine totius populi, à Præfecto urbi Imperatori aurea munuſcula oblata fuere, ea formula, quam refert Symmachus, *lib.* 10. *Epiſt.* 28. ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium: *Sumite defenſores publicæ ſalutis auro ducta munuſcula. Bonis Principibus bene parta libamus.* Hic mos apud alias gentes Principi ſuo munera offerendi obtinuit, ut apud Perſas & Judæos, *Reg. lib.* 1. *c.* 16. & in Aſia minori, & apud Chinenſes, referente Dorleans, *lib.* 4. *annal. in Tacit.* & ibi Lipſius & Bulenger. *De Imp. Rom. lib.* 2. *cap.* 31. & etiam apud Chriſtianos, quamvis iis vetitum fuerit *obſervare dies qui dicuntur Ægyptiaci, & Calendas Januarias, in quibus comeſſationes, & ad invicem dona donantur, quaſi in principio anni, boni fati augurio. c. non obſervetis.* 26. *q. fin. & can. ſi quis. eod.*

Verum hæc munera & oblationes, quæ ab initio ex voto, ac devota in Principem voluntate, 4 ſponte à ſubditis offerebantur, in conſuetudinem abierunt, & moderatæ petitæ fuere à Principibus Arcadio & Honorio, *in l. un. h. t.* ubi volunt, ut quando votis communibus felix annus aperitur ſive incipit, una libra auri ex ſolidis obryzatis Principibus offeratur, non in maſſa, ſed in ſeptuaginta duobus ſolidis auri obryzati, id eſt, puri ac probè decocti, ut dixi *ſup. tit. De veter. numiſm. pot.* Cujacius & Amaya, *ad d. l. uni.* At cur Imperatores hanc ſummam præſcripſerunt, cùm nemo ad eam conferendam cogi poſſet, & eſſet meræ voluntatis? nam aurum coronarium, quia erat munus voluntarium, Gratianus & Valentinianus ſuſtulerunt. *l. un. ſup. De auro coron.* Num ergo Imperatores ſequentes oblationem hanc extorſerint? minimè. Sed moris erat Principi offerre munera, in memoriam egregiorum ipſius facinorum, feliciumque ſucceſſuum. ut notat Le Bret. *lib.* 3. *De la ſouveraineté du Roy. c.* 7. Verùm cùm alius alium conaretur ſuperare, & liberalem erga Principem animum oſtendere, atque inde nimia offerentium erogatio facultates exhauriret, illa hujus legis

gis

gis cauſa fuit, ne ſcilicet auri libram oblatio aut munus ſtrenarum excederet. Non itaque cogunt Imperatores ſubjectos munera præſtare invitos, ſed volentium liberalitatem moderantur, ne ultra præſcriptum ſe extendat.

5 Quemadmodum & ante eos plures leges latæ fuere ſumptuariæ, quarum aliæ veſtium pretia præſcribunt aliæ ędificationes & familiã dirigunt, aliæ conviviorum luxum coërcent, ut lex Fannia, aliæ munerum licentiam, ut Cincia, hæc tamen non tam conſervandarum familiarum gratiâ lata videtur, quàm ut immodica Senatorum cupiditas refrænaretur, qui donis, & muneribus acceptis, omnem plebis, & clientum ſubſtantiam ſibi vindicabant. Hinc Marcus Cato, *Quia legem Cinciam de donis & muneribus excitavit, niſi quia vectigalis & ſtipendiaria plebs eſſe Senatui cœperat?* Livius *lib.* 34. De hiſce legibus videantur Roſinus, *De antiq. Rom.* & Petr. Gregorius Thol. *lib.* 9. *ſyntagm. jur. cap.* 19.

Meritò plebs noſtra, ut olim Romana, queri
6 poteſt, ſe vectigalem factam, & onera ſibi impoſita eſſe perpetua. Novæ enim indies excogitantur oblationes, quæ cùm ad tempus tantùm petantur, ubi conceſſæ tanquam debitæ exiguntur, & ſingulorum facultates æſtimantur, imò etiam Eccleſiaſticorum, ſi quæ ſubſit cauſa. Ita ut oblationes illæ quæ initio erant liberæ voluntatis, nunc ſint neceſſitatis & perennes. Specioſa quidem illis invidiæ minuendæ cauſa, imponuntur nomina, re autem ipſa meræ ſunt petitiones, ne dicam extorſiones, ab otioſis aulicis plerumque ad inopiam redactis, excogitatæ, magis compendij ſui gratiâ, quàm ut Principi ſubveniatur, in cujus ærarium pars minima infertur. Illæ tamen preces dicuntur apud Hiſpanos ſubſidia, de quibus eſt *tit.* 1. *lib.* 1. *nova Recopil.* Item *el ſervicio Real.* quod initio blandè & voluntariè introductum fuiſſe dicit Bobadilla, *lib.* 5. *polit. cap.* 5. *num.* 4. *in fine.* in Gallia vero auxilia, indictiones, largitiones, pactiones, de quibus Petr. Gregor. Tholoſanus, *lib.* 5. *ſyntagm. jur. cap.* 6.

TITULUS L.

De Numerarijs, actuarijs, & chartularijs, & adjutoribus, ſcriniarijs, & exceptoribus ſedis Excelſæ, cæterorumque judicum tam militarium, quàm civilium.

1. *Continuatio, & quàm varij fuerint in officio majorum judicum officiales.*
2. *Quod olim, & jure novo fuerit officium numerariorum, qui tabularij poſtea vocati.*
3. *Numerarij Præfecti prætorio liberi ſunt conditione curiali, & cingulum militiæ habent.*
4. *Actuarij qui dicantur; diverſa munera tractabant, quibus nunc ſimiles.*
5. *Nullum actuariis commercium cum numerariis. Civitatum actuarij non ordinabantur ſine approbatoria.*
6. *Acta coram Notario vel Officiali, qui non eſt ſolemniter electus, rata non habentur.*
7. *Numerariis adjungebantur Adjutores & Chartularij, qui eis aſſiſterent quaternis vicibus cur non diutius.*
8. *Iſti adjutores eligebantur ex ſcriniorum numero, vel ex omni turba pro diverſitate diœceſium.*
9. *Indecorum deſcendere: & promovere domeſticos ad officium actuarij, & ab iis quid lucri percipere: à quibus nunc eligantur.*
10. *An Judex poſſit acta, quæ ab actuariis fieri debent, expedire.*
11. *Cur ſubſcriptio neceſſaria ſit inſtrumentis.*
12. *Exceptores qui à fiſco ſtipendia non percipiunt, quamvis decuriones fiant, debent operam cœptam perficere, & ſuæ curiæ munera agnoſcere.*
13. *Promoti ad dignius officium, debent operam cœptam perficere: Non coguntur pro Republica mutuam pecuniam ſumere, & ſe obligare. Qui ſcriniarios habuerint.*
14. *Tabularij non debent ſe immiſcere alterius officio, aut alio in loco inſtrumenta facere.*
15. *Quid, ſi ſint Notarij Pontificis, aut Imperatoris, aut Regis, ſed non ex numero.*
16. *Noſtri Notarij ſunt perpetui. Olim Tabularij ſeu Numerarij biennales, poſtea annales.*
17. *Propter fraudes quas ſæpe committebant, ſubjiciebantur tormentis; & pro debitis una cum debitoribus detinebantur, quouſque ſolverent executoribus.*
18. *Qui ex fide munere ſuo functi fuerant, honorabantur, & qui in officio erant Præfecti prætorio, comitativam dignitatem conſequebantur.*

Actum ſupra de civilibus & militaribus judicibus, nunc ſequitur de eorum officialibus, quorum ut varia erant genera, ita & diverſa nomina, ideo fortè quòd diverſas res tractarent, aut in diverſorum judicum officio eſſent. Alij enim erant in officio Prætorianæ ſedis, quam excelſam tituli hujus inſcriptio intelligit: alij in officio Præfecti urbi, alij in officio Magiſtri militum, aut Ducis belli. Horum autem judicum tam civilium, quàm militarium officiales memorantur Numerarij, Actuarij, Chartularij, Adjutores & exceptores ſcriniarij, qui omnes rationes publicas tractabant. 1

Antiquitus Numerarij pecunias publicas exigebant, & ſuſceptoribus numerabant, ac publica munera ærarijs inferebant. Iſidorus *lib.* 8. *cap.* 4. Jure novo Codicis rationes fiſcales inſtrumenta & cautiones receptæ ſolutæve pecuniæ ſcribebant, idcirco eorum nomen in Tabulariorum mutatum fuit, *l.* 2. *h. t.* rationem aſſignat Cujacius *in l.* 13. *ſup.* 2

lege Manil. Jam commeatu & privato & publico prohibemur; & apud Tacitum ſæpe pro frumento, quod ex Aſia deferebatur, in uſum populi Romani. Miles vero qui in partem ſtipendij alimenta ex commeatu, id eſt, publico accipiebat, Commeatalis dicebatur. Coteræus *l. 1. De jure milit. c. 38. in fine.*

9 Eſt autem Ducis exercitus commeatum procurare, & annonæ Præfectum conſtituere, qui rem frumentariam ſumma diligentia curet; nam ab ejus officio robur & vita militum pendet. Utile quoque eſt habere civitatem aliquam commeatibus ſuppeditandis opportunam, & à qua facilis ſit ad caſtra tranſitus. Caveat Dux exercitus nimium in hoſtile ſolum progredi, hoſtibus arcibuſque à tergo relictis, ne præcludatur commeatus, conetur potius eum hoſtibus eripere, atque eo deducere, ut ſine ferro bellum finiatur.

10 Si autem conſtituit in hoſtili agro caſtra figere, & hoſtem invadere, ante omnia induſtrios & fidos exploratores præmittat, qui motibus hoſtilibus intendant, conſilia rimentur & referant. Interea omni induſtria conatuque locum aliquem occupet & muniat, qui refugij & belli ſedes ſit, omnibuſque locis à tergo relictis imponat firma præſidia, quo commeatus, ſarcinæ & impedimenta tutius ſequantur, pontes ſternat, ut ſi neceſſitas exegerit, facilius ſit regreſſus. Cæſar. *De bello Gall. lib. 4. & 6.*

TITULUS XLIV.

De Tyronibus.

1. *Quâ ætate milites legi, & in numeros referri poterant.*
2. *An pupilli militare poſſint: cur Principum filij militia aſſuefaciendi.*
3. *Quâ ætate apud Hiſpanos ad bellum unus de familia educatur.*
4. *Onus iſtud educendi unum ex familia ad bellum, non eſt diſſimile ab onere præſtandi tyronis apud Romanos, ubi de auro tyronico.*
5. *Qui tyrones dicantur, eorum gradus erat poſterior, ad altiorem qui promoveantur.*
6. *Juvenes militiæ incumbere debent; notabantur tyronum brachia, ne vagarentur, aut fugerent.*
7. *Servi militiâ prohibentur, & qui alienum ſervum militiæ inſcribit, punitur.*
8. *Tyrones mitiùs puniuntur. Item ſi arma amittant, vel alienent.*
9. *Arma poſtliminio non redeunt. Quid juris apud Hiſpanos, ſi nobilis arma amittat aut alienet.*

1 Qui militibus præeſt, parciſſimè iis commeatum dare debet (ut dictum ſuperiori titulo) aut quemquam minorem ſeptemdecim annis tyrocinio adſcribere. Hanc ætatem ſeptemdecim annorum ut poſtulando, ita & militiæ aptam cenſuit C. Grachus in ſuis legibus, referente Plutarcho *in vita Grach.* Laborantibus tamen Romanis contra Veios delectu habito, non modo juniores conſcriptos refert Livius *l. 5. & 6.* ſed etiam ſeniores coactos nomina dare, ut urbis interea cuſtodiam facerent, quod & Camillus juſſit. Rurſus poſt Cannenſem cladem Decius Julius dictator, juniores decem & ſeptem annis, imo & prætextatos militiæ adſcripſit, notarique ſunt, qui majores annis ſexdecim illo bello non militaſſent. Petr. Belli *De arte milit. p. 1. cap. 7.* Conſentit Lipſius *De milit. Rom. lib. 1. dial. 2. Ecce in juventutis inopia quidam tum etiam prætextati milites capti, id ne fraudi iis eſſet, & quia præter Servij ac vetus inſtitutum, lege ſubventum fuit, & anni illi in ſtipendia venerunt, haud ſecus quàm ſi à decimo ſeptimo cæpiſſent.* * Jure 2
etiam conſtat impuberes nobilium ad militiam admiſſos fuiſſe, *per l. fin. ſup. De teſt. milit.* ſed ad exemplum non trahitur, quod Princeps aliquibus ob merita parentum indulſit, *l. 1. §. 2. De conſtit. Princ.* Neque quod filios ſuos impuberes militiæ aſſueſcere velit, cum cauſæ plures eſſe poſſint. Quatuor fuiſſe Tiberio cauſas refert Tacitus *2. annal.* ob quas ambos filios ſuos Germanicum & Druſum in caſtris inter arma educari voluerit, ut nimirum militiæ aſſueſcerent; ut exercitus ſtudia pararent, ut procul aulæ deliciis educarentur; & denique ut filio utroque legiones obtinente tutior ipſe & ſecurior viveret. Qui in caſtris totam ætatem traducit, multa experiundo, temporis lucrum facit; qui in aula, luxu, cæremoniis & inanibus oblectamentis, illud malè perdit.

Poſteriori ævo Fredericus Imperator aptam ma- 3
gis militandi ætatem, ab anno vigeſimo quinto ad ſexageſimum ſtatuit. *conſtit. de qualit. & ætat. pupilli. in fin. in uſib. feud.* Verum ea conſtitutio de duello agit, quod per ſe ſuſcipere qui minor eſt viginti quinque annorum, non tenetur. In Hiſpania extat Conſtitutio Philippi III. Regis, anno 1609. latâ, quâ cavetur, ne ſint minores octodecim annis, qui militiæ nomen dant, aut ad eam ex quaque familia aſſumuntur, quoniam plena eſt pubertas, & apta bellicis laboribus ætas, quam ſuadebat Mæcenas octaviano, ne ea minores ad equeſtrem dignitatem eveheret. Dion. *l. 52.* Narbona *De ætate ad omnes act. an. 18. q. 2. n. 8.*

Modus ille cogendi milites ex quavis familia 4
apud Hiſpanos, non videtur eſſe diſſimilis ab onere præſtandi tyronis à ſingulis agrorum poſſeſſoribus, quod ſi non feciſſent, loco tyronis pendebant auri tributum, quod dictum aurum tyronicum, de quo tantopere queritur Vegetius *l. 1. c. 7. Hinc tot utique ex hoſtibus illatæ clades, dum longa pax militem incurioſius legit, dum poſſeſſionibus indicti tyrones*

rones per gratiam aut diſſimulationem probantur. Eo pertinet quod ſcribunt Socrates *l. 3. hiſtoria Eccleſ.* & alij. de Valente Imp qui numerato pretio vendidit militem, qui ex provinciis à poſſeſſoribus præſtabatur, cum juſſiſſet, ut pro quovis milite aurei octoginta à tributariis exigerentur. Ab iſto onere taxationis immunis nullus poſſeſſor erat, niſi qui eſſet miles, dabatur enim iſtud militari cingulo. *l. 3. & l. 18. Cod. Theod. De tyronib.* Unde & in *l. 3. ſup. De condict. ob turp. cauſ.* reſcribunt Impp. reſtituendum eſſe militi, quod evitandi tyrocinij cauſa dederat, ut ibidem dixi, ſive aurum tyronicum, quod ab eo exactum fuerat ex cauſa agri ſui militaris, ut Mornacius *ad d. l. 3.* ſcribit.

5 Juvenes itaque non poterant evitare tyrocinium, ideo priuſquam militiæ adſcriberentur, in ſcholis militaribus ſe exercebant, & anno integro tyrocinij onera ſuſtinebant graviſſima & penè intolerabilia, atque ut illis aſſueſcerent, ſcribit Vegetius *l. 1. Tyrones pondus ſexaginta librarum ferre conſueviſſe. & c. 13. pro frumento hordeum accepiſſe, ſi parum in exercitio profeciſſent.* Inde tyrones dicti, quos Hiſpani *ſoldados biſoños* vocant, ubi autem in numeros relati erant, poterant milites appellari. *l. 42. ff. de teſt. milit.* Nunc eadem ſunt militum & tyronum jura, non tamen ſtipendia æqualia, nec gradus, nam illi celſiorem gradum obtinent, quibus laborum aſſiduitas & ſtipendiorum prolixitas ſuffragantur Tyrones poſteriori loco ſemper ponuntur. *l. fin. h. t.* & exiguo fruuntur ſtipendio, quod augeri ſolet ſecundum merita & dignitates, quas judicio Principis conſequuntur. Principis enim eſt, non habita ratione natalium, ſed virtutis bellicæ, validiſſimos & ſtrenuos junioribus præferre, non autem hos illis, ut ſæpe videre eſt. Cum fragile ſit & infirmum juvenilis ætatis conſilium, multiſque captionibus expoſitum, *l. 1. ff. De mino-*

6 *ribus.* * Ideoque juvenilis ætas perpetuo armis aſſueſcere debet, ut tandem per laboris aſſiduitatem, & patientiam in veteranorum locum inſcribi, & gradum militiæ altiorem conſequi poſſit. Juventus exercita, inquit Tacitus, in pace decus, in bello præſidium eſt. *De moribus Germanor.* Quapropter Imperatores nullum tyronem longius à ſignis evagari voluerunt, *l. 1. h. t.* ſed militiæ ſuæ incumbere. Abſurdum quippe eſt illam militiæ perpetuitatem, quam vix dum elegerunt, nullo inchoato negotio relinquere. Illorum autem, quo ab aliis diſcerni poſſent, exemplo fabricenſium, nota brachiis inurebatur. *l. 3. ſup. De Fabricenſibus.*

7 Licet enim ſervis fugacibus etiam nota in fronte fieret, erat hæc nota turpis, & ignominiæ indicium; at illa tyronum nota, nobilitatis inſigne. Quamobrem ad nobilem illam militiæ artem, ſervi qui natura abjecti, non admittebantur: & ſi quis alienum ſervum in tyrocinio militiæ ſcribi curaſſet convictus aut proditus, libram auri ærario cogebatur inferre. *l. 2. h. t.*

Denique tyrones privilegium habent, ut illis, ſi 8 quid erraverint, facilius ignoſcatur, debet enim judex partim ætati, partim Imperitiæ nonnihil condonare. Et ſi plures ſimul militiam deſeruerint, & deinde intra certum tempus reverſi fuerint, gradu pulſi, in diverſa loca diſtribuendi ſunt; tamen tyronibus in hoc parcendum eſt, qui ſi iterato hoc admiſerint, pœna competenti afficientur. *l. 3. §. 9. De re militari.* Præterea in hoc etiam jura favent tyronibus, ut quamvis arma amittere vel alienare grave crimen militare cenſeatur, attamen tyroni in hoc crimine facilius parcitur *l. 14. in fin. ff. De re milit.* ut prudentiores aliquando effecti, Rempublicam à qua aluntur, diligentius tueantur.

* Cum ergo turpiter, & non ſine flagitio arma 9 amittantur, ideo reſpondit Marcellus ea non redire poſtliminio. *l. 2. & 3. ff. De captiv. & poſtlim. rev.* quemadmodum nec illi revertuntur poſtliminio, qui armis victi hoſtibus ſe dediderunt. *l. 17. ff. d. t.* Mirum tamen quod lex Hiſpaniæ, arma in bello amiſſa ex præda forte facta reſarciri jubeat, *l. 4. & 5. Tit. 25. p. 2.* Adeo ignominioſum eſſe indicat dicta lex in bello arma amittere, vel in expeditione ea vendere, ludere, vel oppignorare, ut nobilibus ex hac cauſa infamiæ notam inurat, & nobilitatis prærogativam adimat. *l. ult. Tit. 21. p. 2.* ibi Lopez. Apud nos quoque non perdidiſſe ſolùm, ſed & arma mutaſſe, ac propriæ cohortis ſignis dimiſſis, alterius cohortis arma ſumpſiſſe, grave crimen eſt, quod edicto Regio coërceri maxime oportet. Coteræus *l. 3. c. 9.* Ayala *l. 3. De jure belli. cap. 16.*

TITULUS XLV.

De Littorum & Itinerum cuſtodia.

1. *Littora & Itinera cuſtodienda, ne illicita merces ad hoſtes deferantur.*
2. *Evecturi merces extra provinciam, notificent in quem locum eas deferant, alioquin punientur.*
3. *Utile Reipublica merces ut annotentur, & ne exportentur, quibus opus habemus.*
4. *Exemplo Hiſpania, qua merces pretioſas vilibus commutat, & è regno aurum ſinit efferri, aut enegatiari.*
5. *Bene habendi ſunt mercatores, littora & itinera curanda, reficienda.*
6. *Fuit veteribus Romanis magna itinerum cura.*

UT belli domique res bene gerantur, maxime 1 littorum & itinerum habenda eſt cura & cuſtodia, de hac Honorius & Theodoſius Imperatores.

 tores.

tores ſaluberrimam legem promulgarunt, ut in littoribus maris & fluminum, & in itineribus cuſtodes ponantur, qui obſervent ne illicitæ merces ad barbaras gentes deferantur, & naves quæ à portu vel littore dimittuntur, nullam concuſſionem vel damna ſuſtineant, ſi tamen naucleri declarent in quam provinciam ituri ſint. *l. uni. h. t.* Mercium illicitarum nomine continetur vinum, oleum, liquamen, id eſt, garum vel oxigarum, item ferrum, vel quodvis armorum genus, quo validiores reddi poſſunt hoſtes. Quo pertinet *l. 1. ſup. quæ res export. neq.*

2 Unde prudenter fecerit mercator ſi indicaverit Officiali portus (qui olim erat Comes ſacrarum largitionum) vel alteri ad id conſtituto, genus mercium quod evecturus eſt extra provinciam, qua declaratione, & litteris tranſitus acceptis, ac in notitiam relatis, tuto licebit abire; alioquin ſi illicitas merces mercator, vel dominus navis, vel rectores impoſuerint, navis fiſco vindicatur, & ſi abſente domino, id à magiſtro, vel gubernatore, nautáve aliquid factum ſit, ipſi quidem capite puniuntur, commiſſis mercibus: Navis autem domino reſtituitur, ſi ipſo neſciente contigerit, non enim debet is navi ſua privari, niſi delicti conſcius fuerit. *l. 11. §. 2. ff. de publican. & vectigal.* latè Bobadilla *l. 4. politia c. 5.*

3 Utile præterea Reipublicæ merces quæ evehuntur & invehuntur, inſpicere, & annotare, propter vectigalia, quæ ex iis ærario inferuntur; quorum exigendorum jus omnes ſemper gentes probarunt, præterquam ea, quæ ex rebus ad victum neceſſariis exiguntur: Item ne merces illæ exportentur, quibus poſtea Reſpublica indigeat, aut eæ conquirantur, quibus depauperetur, ut ſunt illæ quæ animi & luxus cauſa importantur, de quibus queritur Tiberius apud Tacitum *l. 3. annal. Lapidum cauſa pecunia noſtra ad externas, aut hoſtiles gentes transferuntur.*

4 Queritur & Hiſpania, cujus incolæ, ſummo labore & periculo ex remotiſſimis orbis plagis, merces pretioſiſſimas advehunt, quas exteri exiguo pretio emunt, vel neſcio quibus crepundiis ex ære, ſtanno, plumbo, confectis permutant, vicinos ditant, ſe depauperant. Imo ipſi Hiſpani aurum argentumve Genuenſibus mercatoribus committunt, ut eo negotientur, & pro eorumdem negotiationibus plurima perſolvunt cambia: Aliis mittunt ſericum, lanam, chalybem, ferrum aliaſque merces, quæ diverſimodè elaboratæ revehuntur in Hiſpaniam, & ingenti coëmuntur pretio ob vecturæ ſumptus & artificium. Hinc publica illa inopia, quæ regna maximè enervat, alendi potiùs artifices ſunt & præmio invitandi, qui mercibus ibi natis neceſſaria conficiant, ſic pecuniæ à provinciis non efferentur, ſed aliunde inferentur, aut aliis mercibus neceſſariis commutabuntur.

Ut autem copia utilium mercium inferatur, in primis bene tractandi ſunt mercatores, ne ſcilicet nimiis tributis graventur, neve exactorum injuriis ſubjaceant, ſed potius privilegiis alliciantur, flumina purgentur, viæ publicæ terra marique tutæ ſint & reficiantur. Cùm enim Princeps ex vectigalibus commodum percipiat, curet oportet, ut modis omnibus advectiones ſint faciles ac tutæ. *l. 1. ff. de ripa munienda.* 5

6 Quanta autem fuerit veteribus Romanis viarum cura & cuſtodia, indicat lex Viaria Sempronij, à Caio Sempronio, Q. Cæcilio Metello Conſ. lata, quam cum Auguſtus negligi videret, juſſit ut à patribus propriis ſumptibus viæ publicæ reficerentur, & cuſtodirentur, atque exemplo Appij Cenſoris, qui Appiam ſterni curaverat, ipſe Flaminiam, Conſulum tempore inchoatam, multiſque locis intermiſſam, refecit, & promovit. De cura hac & tuitione viarum librum ſcripſit Papinianus noſter, cui titulus, *de officio Aſtynomi*, cujus tantum ſupereſt fragmentum *in l. 1. ff. de via publ.* Le Bret., *de la ſouveraineté du Roy, l. 2. c. 13.* Dorleans *in Tacit. l. 3.* Zypæus *de Judice, l. 3. c. 22. n. 20.*

TITULUS XLVI.

De Deſertoribus & Occultatoribus eorum.

1. *Qui dicuntur militiæ Deſertores, & Emanſores.*
2. *Deſertionis & Emanſionis cauſa examinanda.*
3. *Deſertores militiæ qualiter puniantur, & filius à patre oblatus.*
4. *Qualiter jure novo puniantur Deſertores & eorum Occultatores.*
5. *Deſertores ſi armis ſe defendant, ne capiantur, poſſunt à quocumque occidi.*
6. *Qui autem deſerunt, ut ſe ad prædas convertant, capite puniuntur.*
7. *Devictis hoſtibus, diſtribuendæ ſunt prædæ in milites, qui continere ſe debent.*
8. *Humaniter tractandi ſunt victi, & pro incolis habendi.*

DEſertores ſunt tyrones & milites qui belli tempore à ſignis abſunt, vel per prolixum tempus extra caſtra evagati, inviti plerumque reducuntur. *l. 1. §. 1. h. t. & l. 3. §. 3. ff. De re milit.* quo diſtinguuntur ab Emanſoribus, qui poſtquam diu abfuerunt, ſponte ad caſtra regrediuntur *d. l. 3. §. 2.* Iis proximi ſunt qui ad diem commeatus non veniunt, & perinde in eos, ac in deſertores & Emanſores ſtatuitur; facta tamen prius copia dicendi, num fortè quibuſdam caſibus detenti fuerint, propter quos venia digni videantur. *d. l. 3. §. 7.* Levius itaque delictum emanſionis habetur, ut erro-

erronis in ſervis gravius diſertionis, ut in fugiti-
2 vis. * Examinantur autem cauſæ emanſionis, cur & ubi quis fuerit, quid egerit, & datur venia affectioni parentum, valetudini, & ſi ſervum fugientem ſit perſecutus, vel alia ejuſmodi cauſa, *l. 4. in fin. ff. d. t.* ſed & ignoranti adhuc diſciplinam Tyroni ignoſcitur, ut dictum ſupra. *Tit. 44. n. 7.* Non autem omnes Deſertores ſimiliter puniendi ſunt, nam habetur ratio ordinis, ſtipendiorum, gradus militiæ, loci, muneris deſerti, anteactæ vitæ, refert etiam num ſolus, vel cum pluribus, ſemel aut iterum quis deſeruerit, aliúdve crimen, ut ſi furtum, deſertioni adjunxerit, *l. 5. ff. d. t. De re milit.* ubi etiam ratio temporis habenda dicitur, nam qui in pace deſeruit, eques gradu pellendus eſt, & pedes militiam mutat: in bello idem admiſſum capitale
3 eſt. * Gravius quoque in eum ſtatutum fuit, qui poſt deſertionem, in aliam militiam ſe dedit, & legi paſſus eſt. *d.l.4.§.9.* Sic ſi in urbe deſertor inveniatur, capite puniri debet; alibi apprehenſus ex prima deſertione, reſtitui poteſt; ſi iterum deſerat, capite puniendus eſt: ſi verò ſe offerat ex indulgentia Principis in inſulam deportatur. *d. l. 5. §.4.* & filius deſertor à patre ſuo oblatus in deteriorem militiam dandus eſt, ne videatur pater ad ſupplicium filium obtuliſſe. *l. 13. §. ult. ff. De re milit.* eſt enim nonnihil pietati paternæ indulgendum.

4 Imperatores autem mitius hic agunt cum Deſertore, ſi ſponte proceſſerit, peccati anterioris ſupplicium timere non debet. *l. 1. §.1. h. t.* at qui Deſertorem agro tectove receperit, atque apud ſe diu paſſus fuerit delitescere, actor quidem, vel procurator loci, qui hoc ſciens commiſerit, capitali ſupplicio ſubjugatur, dominus vero ſi hujus rei conſcius fuerit, prædij, in quo deſertor latuit, amiſſione punitur: nec tantum qui deſertorem occultat, punitur, ſed etiam judex qui gratia vel diſſimulatione pœnam deſertori irrogare neglexerit. Qui vero deſertores prodiderit, præmio afficitur. *d.l.1.* & ſervus libertate donatur. *l. ult. ſup. quib. ex cauſ. ſerv. pro præ.*

5 Cæterum, ſi deſertores inventi vi reſiſtant, tanquam rebelles in ipſis temeritatis ſuæ conatibus opprimi debent, *l.2.h.t.* & defunctorum in deſertione bona publicari. *l.4. ſup. De re milit.* Cum antea tamen Imperatores Arcadius & Honorius permiſiſſent cuilibet deſertores opprimere, & communis quietis cauſa ultionem publicam exercere. *l. ult. ſup. quando lic. unicuique ſine jud.* Quod ſi litteris miſſionis ſe tueri velint, judex ſolicita cautione diſquirat, an veræ ſint, ne fictis Teſtimoniis
6 delictum ſuum excuſare conentur. *d.l.2.* * In deſertores autem eos ſeveriſſimè animadvertet, qui relictis militaribus caſtris, ſe ad deprædationem vel latrocinium contulerint. *l. 3. h. t.* Severiſſima autem illa pœna mors eſt, & merito, cum duplex committant crimen, deſertionis & latrocinij. *l. 28. §.13. ff. De pœnis. & d. l. 5. §. 3.* quod neque morte extinguitur, *d. l. 4. ſup. De re milit.* nec abolitionem recipit. *l. ult. ſup. de abolit.*

Eodem ſupplicio afficiendi ſunt, qui militiam 7
non quidem deſerunt, ſed ſigna; proprius Hiſpanice, *que deſamparan ſus vanderas*, & necdum parta victoria prædas agunt. Idem ſtatuit Rex noſter, ne victoria ob prædam è manibus elabatur, ea autem obtenta, in præmium prædas permittit; ita tamen ut abſit omnis inhumanitas, & deprædatio ſit fructus victoriæ, non crudelitatis exercitium. *De evertendis* (inquit Cicero *l. 1. offic.*) *diripiendiſque urbibus, valde illud conſiderandum eſt, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat; idque eſt magnanimi viri, rebus agitatis punire ſontes, multitudinem conſervare, in omni fortuna, recta atque honeſta retinere.* Igitur ad avertendam militarem inſolentiam, poſt conflictum & obtentam victoriam, Dux belli prædas ex æquo diſtribuet, quia ſine iis militem in diſciplina continere vix poterit. * Et in debellatas civi- 8
tates imperium ne ſumat, ſed victoriam clementia temperet, ſi enim laudatur temperantia in ſingulos; quantò magis in populos. Laudat veteres Romanos Saluſtius, ea moderatione uſos fuiſſe in victos, ut eos miſcerent victoribus, eodemque loco in poſterum haberent. Contra Athenienſes victis omnia eripiebant; atque illos adeo exoſos habebant, ut nullo commercij jure dignos exiſtimarent. *Quid ipſis aliud exitio fuit, quanquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientiâ valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuerit.* Juſtinus. Exemplum ſanè imitandum; nam ſi victi tanquam alienigenæ habeantur, hoſtilem ſemper retinent animum. Quare Claudius Imp. jus civitatis Romanæ devictis provinciis dedit, Tacitus *l. 11. an.* hoc namque medio, paulatim diſcunt ferre imperium victoris, poſtquam id præſcripſit temporis diuturnitas, & ſublata eſt libertatis priſtinæ memoria.

TITULUS XLVII.

De Veteranis.

1. *Qui veterani dicantur, iis Impp. multa privilegia & honores contulerunt, & quare.*
2. *Ac præſertim Conſtantinus veteranis conceſſit immunitates à muneribus civilibus, & à vectigalibus, & circa venditiones.*
3. *Item à muneribus perſonalibus liberi ſunt veterani: an etiam patrimonialibus, & portatorio onere?*
4. *Privilegia veteranorum, alia ad teſtamenta, alia ad pœnas pertinent.*

5. *Hæc privilegia perſonalia veteranorum etiam ad eorum filios extenduntur.*
6. *Veterani ab injuriis defenduntur, & honorantur protectoriâ dignitate.*
7. *Veterani qui ſe latrociniis dederunt, privilegia ſua amittunt.*
8. *Volens uti privilegiis Veteranorum, evidentibus probationibus, non jurejurando, cogitur probare honeſtam miſſionem.*
9. *Quid, ſi in poſſeſſione ſit privilegiorum.*
10. *Veterani forum mutant, judicium militare non coguntur amplius obſervare.*
11. *Hodierna militia an veteranos habeat: illorum pluris facienda exigua manus, quam imperita multitudo.*
12. *Turpe ſpretis veteranis præferre tyrones.*
13. *Qui fit, ut tanta vis auri collata, tam exiguos faciat in bello progreſſus.*

1 DE Tyronibus, qui primò arma induunt, dixi paulo ante; nunc de Veteranis, qui illa diu tractarunt, ac in militia permanſerunt. His priusquam à muneribus oneribuſque vacatio concederetur, Imperatores voluerunt vigeſimum annum militaſſe, *l. ult. ſup. de his qui non impl. ſtip.* quo expleto exiſtimavit Antoninus indecorum eſſe eis ſordida munera indici. Quare Veteranos eos eſſe ſentio, qui vicena ſtipendia impleverunt, & emeriti ſunt milites. *l. 2. d. t. qui pleno ſtipendiorum numero funguntur*, ubi plura dixi. Inde emeritum, quod eſt præmium emeritis debitum. *l. 5. §. 7. ff. De re milit.* Eorum autem tanta ſunt commoda & privilegia, ut Imperatores certatim illos honoribus & præmiis cumulaſſe videantur, & meritò, cùm publici honores, à publica utilitate dependeant, & illis digni cenſeantur, qui totos ſe Reipublicæ dedunt, nec aliud virtutis præmium, quam honores eſſe ducunt. Huc facit, quod ſcribit Caſſiodorus, *l. 7. Epiſt. 30. Æquitati convenit, ut unusquisque ad fructum militiæ emenſo tempore debeat pervenire, & laboris recipiat præmium pro compenſatione meritorum, & cum ad tempus venerit conſtitutum, optato honore potiatur.*

2 Ex Impp. nullus plura privilegia & honores Veteranis contulit, quam Conſtantinus; is enim cum ſalutatus eſſet à Præfectis, Tribunis, & viris eminentiſſimis, acclamatum eſt, *Auguſte Conſtantine, Deus te nobis ſervet, veſtra ſalus, noſtra ſalus, verè dicimus, jurati dicimus.* Adunati veterani exclamarunt: *Conſtantine Auguſte, quo nos veteranos factos, ſi nullam indulgentiam habemus? Si muneribus & oneribus univerſis locis conveniri non ſinamur?* Imperator ſe agnoſcens veteranorum virtute non minimam utilitatem conſecutum fuiſſe, iis ut redderet, quantum jure poterat, non quantum videbat eſſe ex dignitate, vel merito, reſpondit ſe veteranorum fortunam magis augere velle, quam minuere, quare iis conceſſit, ut nullo munere civili, neo in operibus publicis convenirentur, quibuſcumque nundinis interfuiſſent, nihil ob venditionem propoſitam, expoſitaſque merces, dare cogerentur, quinimò publicanos, qui, ut ſolent, negotiantibus ſemper adſunt, veterani à ſe repellerent, ut quieto poſt ſuos labores ocio perfruerentur, *l. 1. h. t.* ubi etiam fiſco interdictum, ne ullum ex veteranis inquietet, ſed liceat eis emere, vendere, & pecuniam tractare, agitare mercimonia, atque interim ſuis uti beneficiis. * Quæ ut paucis complectar, dico veteranos, qui confectis legitimis ſtipendiis honeſtam miſſionem conſecuti ſunt, habere immunitatem munerum perſonalium. Perſonalia autem munera ſunt, quæ corporis labore & animi ſolicitudine fiunt, *l. 1. §. illud, ff. de muner. & honor.* unde excuſari eos à navium fabrica, & ne exactores tributorum fiant, reſcripſit Divus Antoninus, *l. fin. §. h. t.* item à curis & tutelis, *l. 8. ff. De excuſ. tut.* dixi ſupra, *De excuſ. veter.* à cura annonæ, ab hoſpitis receptione. *l. fin. §. pen. ff. De muner. & honor.* quod tamen patrimoniale magis onus eſſe videtur, *l. 3. §. 14. d. t.* Patrimonialia verò munera ſunt, in quibus ſumptus maximè poſtulatur, atque ea utpote ſolemnia omnes ſuſtinere oportet. *l. 2. in fin. ff. h. t.* Sunt tamen veterani immunes à capitatione, collatione extraordinaria, & portatorij onere, quod patrimonij eſſe Bartolus aliique exiſtimant, atque id ab iis præſtari qui pontem vel locum aliquem tranſeunt, tanquam pædagium. Fit autem hujus deportatorij oneris mentio *in l. 1. in fin. h. t.* At poteſt id propriùs accipi, pro cura perferendæ pecuniæ fiſcalis, annonæ, & veſtium militarium, qua liberatur qui ſenio, aut corporis imbecillitate (non aliena à veteranis) vexatur. *l. 2. §. 7. ff. De vacat. & excuſ. mun.* Item *in l. ult. §. tyronum. 3. ff. De munerib.* ibi *vel rei convehendæ ſive perſequendæ, vel pecuniæ fiſcalis*, perſonale munus eſſe dicitur, à quo tantum veteranos excuſari crediderim; nam à patrimonialibus neque milites, neque veteranos, neque Pontificem, neque quemquam alium, etiam privilegio ſubnixum excuſari, cenſent juris auctores. *in l. ult. §. ab hujuſmodi. ff. De munerib. ad l. 2. ff. 1. cum l. ſeq. ff. h. t. & Tit. ſup. De muner patrim.* Non adverſatur gloſſa, *in l. 2. ſup. de re milit.* quæ dicit à ſordidis patrimoniorum muneribus Veteranos excuſari, quia non loquitur de patrimonialibus, aut perſonalibus, ſed de ſordidis militiæ muneribus, à quibus excuſari veteranos docet Cujacius ibi, & Georg. Acacius, *lib. De privil. veter.*

Habent præterea privilegium veterani; tam quoad teſtamenta, quam quoad pœnas. Itaque ſi teſtamentum fecerint de caſtrenſi peculio, id pertinet ad

ad

ad eum quem hæredem reliquerint; ſi verò inteſtati deceſſerint, nullis relictis liberis, vel fratribus ſuperſtitibus, ad parentes eorum jure communi pertinebit. Sed eatenus hoc illis conceditur, quatenus militant, vel poſt miſſionem intra annum tantum. *Inſt. De teſt. milit. §. ſed hactenus.* Si autem veteranus deceſſerit, univerſa bona etiam paterna ad hæredem caſtrenſium pertinent. *l. 13. ff. De teſt. milit.* At veterani qui tempore militiæ peculium ſibi acquiſiverunt, militiam autem depoſuerunt, communi jure teſtantur; item damnati ex delicto militari, nam eorum bona non occupantur à fiſco. *l. 1. & 2. ff. De veteran. & mil. ſucceſſ.* ſed de his plura dixi ſupra *de milit. teſt.*

5 Quoad pœnas, hoc privilegium habent veterani, ut neque illi, neque liberi eorum in metallum, opuſve publicum, vel ad beſtias damnentur, nec fuſtibus cædantur. *l. 1. & 3. ff. h. t.* Quod etiam decurionibus conceſſum eſt, *l. 11. ſup. de quæſtionib.* Verùm eâ differentiâ, ut decurionibus, liberiſque eorum omnibus, uſque etiam ad pronepotes, id datum intelligamus. *l. 9. §. 13. ff. de pœnis.* Veteranis verò eorumque liberis uſque ad primum gradum dumtaxat, quod Imperator Antonius Senatui reſcripſit. *l. 5. ſup. de pœnis.* itaque circa pœnas & quæſtiones tantùm liberis veteranorum privilegium datum eſt, non alijs. Unde apparet illud perſonale eſſe, nam ſi reale eſſet, ad omnes omnino hæredes tranſiret. Hoc autem ſolis filijs ob perſonam & honorem parentum indulgeri, oſtendunt dictæ leges: ac multa alia præmij loco parentibus fuiſſe data, imò etiam agros & prædia honoris causâ ab Imperatoribus aſſignata. *l. 11. ff. de evictionibus. l. 16. ff. de acquirendo rerum dominio.*

6 Sanè Conſtantinus, ubi multis præmijs veteranos donaſſet, ſedulo providit, ne incongruis pulſarentur injurijs, præcepitque provinciarum Rectoribus, in eos animadvertere, qui injuriarum in eos fuiſſent auctores; cùm indignum eſſet pati illos injurijs affligi, quibus à Principe tanta data eſt immunitas, *l. 2. h. t.* & protectoria dignitas tanquam pretium longi laboris acceſſit, ut ſcribit Symmachus, relatus à Cujacio *in d. l. 2.* Ex his enim mittebantur ad juvandas in provincijs neceſſitates publicas, ſic à Conſtantino decem Protectores in Galliam ad hanc rem miſſos fuiſſe ſcribit Marcellinus; itemque ijs nobilium rerum cuſtodiam mandatam. *lib. 15. & 19.* Gutherius *de offic. dom. Aug. lib. 2. cap. 15. in fin.* *

7 Si tamen ex negligentia vitæ neque rus colerent, neque aliquid honeſtum peragerent, ſed ad latrocinia ſe conferrent, omnibus veteranorum privilegijs exuti, pœnis competentibus à provinciarum Rectoribus ſubjiciebantur. *l. 3. h. t.* Similiter nobiles ob flagitia ſua privilegijs exuendi ſunt: non enim habentur pro nobilibus vel militibus qui latrocinijs ſe dediderunt.

Ut autem prædictis privilegijs quis fruatur, honeſtam miſſionem probare debet, per epiſtolam teſtimonialem, ut inſinuat Cujacius, *hic ad l. 1.* vel etiam per teſtes, *l. 7. ſup de fide inſtrum. ibi DD. & in cap. 12. ꝟ. de privileg.* ibi Innocentius. An non ergo ſufficiet ſi juret ſe honeſtè miſſum? ſufficere dicit Accurſius, ſimiles integræ famæ fuerit, *arg. l. 5. §. 6. ff. de re milit.* ubi qui talis eſt, eſt cur potius credatur quòd ab hoſtibus captus fuerit, quàm quòd ad eos transfugerit, ita & hic ſtandum videtur ejus juramento. Veriſimilius tamen eſt, id non ſufficere, quoniam *d. l. 7.* requirit probationes evidentes, quæ certam fidem faciant non adverſatur *d. §. 6.* quia ibi creditur militi, ne videatur deliquiſſe, id eſt transfugiſſe; in dubio enim quilibet præſumitur bonus, niſi contrarium probetur, quæ ratio in noſtro caſu ceſſat. Nam etiamſi miles non ſit honeſtè miſſus, non propterea tamen præſumitur deliquiſſe, cùm potuerit ob morbum citra delictum impetraſſe cauſariam dimiſſionem, quam non juramento, ſed litteris dimiſſorijs probabit quiſquis veteranorum privilegijs frui deſiderat. * 8

9 Quid, ſi illis aliquamdiu fruitus ſit, aut in poſſeſſione fuerit privilegiorum? non cogetur probare, imò nec titulum ſuæ poſſeſſionis dicere, niſi actor aliquid probaverit, *l. 16. ſup. de probat.* actore namque nihil probante, reus propter poſſeſſionem vincit; ſed ex quo actor fundavit ſuam intentionem, poſſeſſio nihil prodeſt reo, quominus condemnetur, ut autem condemnationem evitet, exceptio aliqua ab eo adferenda eaque probanda eſt. *l. 12. ff. de probat.* Interdum & qui in quaſi poſſeſſione eſt, tenetur probare ſuum privilegium, niſi negetur fuiſſe miles, in numeros relatum probet neceſſe eſt, quia milites non naſcuntur, ſed fiunt. Item qui dicit ſe exemptum ab Ordinarij juriſdictione, probare ſuam exemptionem tenetur, quia non prodeſt ei poſſeſſio, cùm ordinarius fundatam habeat ſuam intentionem, & probatam ex eo, quòd ſibi in omnes provinciales data ſit juriſdictio. *cap. 7. de privileg. in 6.*

Ad veteranos quod attinet, conſtat eos jure exemptos eſſe à judicio militari, cùm militare deſierint, vel ſaltem non cogendos judicium illud obſervare, niſi ante miſſionem in eo lis conteſtata fuerit, tunc enim velut necdum cingulo depoſito, ſub militari judice res tractanda finiendaque eſt. *l. ult. h. t.* Itaq; veterani forum mutant, ut mulier per nuptias, niſi ante eas litem inchoaverit, *l. pen. ff. de juriſd.* inter utrumq; tamen id diſcriminis eſt, quod mulier prioris judicis juriſdictioni, ſi velit, poſſit ſe ſubjicere, veteranis verò non liceat duciano judicio ſe ſubjicere. Cujac. *ad d. l. ult.* 10

Cæterùm hodie, ut in multis, à priſca illa militari diſci- 11

Digitized by Google

diſciplina receſſum eſt, ita etiam veteranorum nomen obſolevit, nec alia privilegia iis, quàm quæ aliis non emeritis militibus dantur. Non tamen nego ſolere Principes, ſenio fractos, laboribuſque confectos milites, honeſtâ miſſione præmiiſque ac perpetuo ſtipendio donare. Verùm quamdiu veterani noſtri arma geſtare poſſunt, illis militandum eſt, & merito, pluris enim facienda eſt illorum exigua manus, quàm inexercitata & belli imperita multitudo, quæ cædi expoſita, minima quæque formidat, & fugam magis quàm gloriam medita-
12 tur. Vegetius *lib. 1. cap. 1. de re mil.* * Quòd licèt noſtri belli duces id ſatis obſervent, non tamen deſiſtunt ſpretis veteranis, tyrones ad meliora militiæ munia evehere, conſanguinitatis, aut nobilitatis reſpectu, aut precibus aut pretio moti. Unde non tantum honori ſuo, ſed & Reipublicæ nocent, dum enim pugnandum eſt, vix ullos veteranos, in quibus tota ſpes victoriæ ſita eſt, inveniunt, & his præfectos tyrones vident, qui ſæpe pugnare detrectant. Atque ita diſciplinæ militari & ærario illuditur, dum ſine diſcrimine tyrones eliguntur, &, quod intolerandum, hi ſæpe in diem unum aut alterum, honoris & ſtipendij causâ, duces vel ſigniferi creantur; imò non raro Tribunus ſine milite deſignatur, adeo ut hujuſmodi numerus miſſorum (quos *reformados* vocamus) in immen-
13 ſum creverit; * Decreveritque ærarium, ita ut numeri militum ali non poſſint, ſint & cohortes paucorum militum, & ex iis plures miſſi, aut officiales, qui aucto ſtipendio fruuntur, nec majus præſtant obſequium, quàm gregarij milites, quorum plerique corpus adeo famelicum & debile trahunt, ut arma tractare nequeant. Tot ſtrenui viri miſeri eſſe debent, ut magnis illis ventribus bene ſit. Quæ cùm ita fieri videamus, non eſt cur miremur, unde tanta vis auri ex omnibus provinciis collecta, tam exiguos faciat belli progreſſus.

TITULUS XLVIII.

De filiis officialium militarium qui in bello moriuntur.

1. *Declaratio tituli, & quod filij militum ducerentur ad prælia.*
2. *In paternam vocabantur militiam, ſive parentes ſacramento tenerentur, ſive militiâ miſſi eſſent.*
3. *Filius unicus, vel ex multis primogenitus in munus patris ſuccedit.*
4. *An filius cui collatum eſt munus, teneatur fratribus ſuis aliquid dare.*
5. *Filius in bello mortuus prodeſt patri.*
6. *Statuto diſponente quod filius ſecundogenitus patri ſuperſtes in ſucceſſione præferatur nepoti ex filio primogenito mortuo ante patrem; an id procedat ſi filius primogenitus in acie obierit.*
7. *Præmia mortuis parentibus debita, dantur filiis.*
8. *Filij ſenatorum cur cum parentibus curiam ingrederentur.*
9. *Aſſumebantur etiam quorum parentes non tractaverant Rempublicam.*
10. *Hodie Principes ſolent providere filiis officialium; An etiam poſthumis.*
11. *An officia, ad quæ obeunda eruditione opus eſt, filiis ad ea necdum idoneis relinquenda ſint.*
12. *Intereſt Principis non ſtatim filios ad munia parentum promovere, & expectativas concedere.*

INſcriptio hujus tituli non reſpondet legibus, 1
quibus non ſolùm agitur de filiis, qui in parentum defunctorum militiam ſuccedunt, ſed etiam ſuperſtitum officialium, qui adhuc militant, vel militiâ miſſi ſunt, ad quam eorum filij admittuntur: Ne autem ipſis incapacitas objiceretur, Romani milites filios ſuos ita educabant, atque induratos reddebant, ut ſemper illis caſtra pro civitate eſſent, ſol pro umbra, ferrum & mucro pro ſupellectile, ac ipſa militia otij loco ipſis videretur.

Nec exiſtimabant eos paternam peritiam & 2
gloriam aſſequi poſſe, niſi exercitum ſequerentur; ſciebant enim illos æternum victuros, ſi vel in acie, vel in conflictu mortui fuiſſent, aut ſibi ſuperſtites, in militiam ſuam ſucceſſuros. Quod & ſtatuit Conſtantinus Imp. *in l. 1. h. t.* ubi ait: *Hi qui ex officialibus quorumcumque officiorum geniti ſunt, ſive eorumdem parentes adhuc ſacramento tenentur, ſive jam dimiſſi ſunt, in parentum militiam vocantur.* Similiter Gratianus Imp. voluit filios primipilariorum ad conditionem parentum vocari, non curiæ addici. *l. 2. h. t.* De primipilo dicetur *tit. 63.* * Extat alia 3
Græca conſtitutio à Cujacio hic reſtituta, qua viri militaris in bello defuncti filius unigenitus, vel ex multis major natu, in ejus locum ſuccedit, & eaſdem annonas accipit, niſi pater altiorem biarcho gradum obtinuerit, putâ, ſi ducenarius aut centenarius fuerit, quo caſu filius biarchi munus aſſequitur, *l. ult. h. t.* cujus erat annonam curare, qui apud Hiſpanos *Proveedor de Viveres.*

Hinc quædam ad uſum adferri poſſunt, & quæ- 4
ri: An filius, cui munus patris à Principe collatum eſt, vel aliud ob merita patris, teneatur fratribus ſuis aliquid dare. Bald. Angel. Jaſon, & quos citat Bobadilla, *lib. 3. polit. cap. 8. num. 291.* ſentiunt, ſi officium vendibile non ſit, nec reſignari poſſit, nihil jure dandum eſſe fratribus, licèt ob merita patris illud conſecutus fuerit, cùm, ut dictum eſt, ſoleat Princeps filio pleno jure paternam militiam concedere, modò ad eam ſit idoneus. Si tamen pater nihil reliquerit, unde cæteri fratres vivant, æquum eſt tantum à fratre illis aſſignari, unde

unde honeſtè ſe poſſint ſuſtentare, ſi reditus muneris id permittant: non fratribus mendicandum eſt. Quare dicit *d. l. ult.* majorem natu in quem collatum eſt munus, *fratrum ſuorum curam habiturum.* Quemadmodum & eum, qui in jus primogenituræ ſuccedit, teneri fratres alere, & ſorores inopes dotare, probat Lud. Molina *lib. 2. De Hiſpan. primog. c. 15. n. 59. & ſeqq.*

5 Porrò ut filij idonei in parentum militiam vocantur, ita & parentes militum ob filios commoda conſequuntur. Siquidem licèt filius ab hoſtibus captus, ac necdum reverſus ad excuſationem munerum perſonalium patri prodeſſe nequeat, tamen ſi in bello perierit, prodeſſe poteſt. *l. fin. ff. De excuſ. muner.* ad jus quoque trium liberorum, & ad tutelæ excuſationem, *l. 18. ff. De excuſ. tutor.* pro Republica autem cecidiſſe & in æternum vivere intelligitur, qui in acie interemptus eſt, non etiam in obſidione, vel aliàs ex cauſa belli. Hinc conabantur parentes amore patriæ ducti, filium primogenitum in locum ſuum & militiam ſubrogare. *l. 5. infr. De cohortal. & princ. corn.*

6 Quid ergo ſi ſtatuto cautum ſit, ut filius ſecundo natus patri ſuperſtes, in ſucceſſione avita præferatur nepoti ex filio primogenito mortuo ante patrem? Certè, ſi filius ille primogenitus in acie pro Republica ceciderit, putarem hoc caſu nepotem præferendum, quia ſcilicet pater ejus cenſetur in æternum vivere, cui ſucceſſio jure primogenituræ debetur, ac ita judicatum fuiſſe ſcribit Balt. Ayala, *De jure belli lib. 3. cap. 7. num. 21.* nec obſtare, quod privilegia militum ad alienam injuriam porrigi non debeant, & beneficia ad damnum alterius non conferantur, quoniam nulla injuria hìc infertur filio ſecundogenito, cui nihil adimitur, ſed tantùm non acquiritur, non enim videtur rem amittere is cujus propria non fuit, *l. non videtur. ff. De reg. jur.* nec poteſt videri deſiiſſe habe-
7 re, qui numquam habuit. *l. non poteſt. ff. De reg. jur.* * Nec enim hoc caſu dici poteſt, privilegia militum ad alienam injuriam porrigi; quia nulla hìc fit injuria alteri, & jure communi nepos in parentis ſui locum etiam extra bellum mortui ſuccedat. *§. cum filius. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt.* Sitque hoc ſtatutum juri communi contrarium ſtrictè intelligendum. Panormitanus *in cap. ex parte. ij. De decimis.* Maximè cùm lege Regia Hiſpaniæ ſtatutum ſit, ut præmia quæ quis ob ſtrenuam operam in bello præſtitam meruit; eo mortuo filiis & proximè agnatis debeantur. *l. 5. tit. 27. p. 5.* Quod & à Romanis obſervatum, & lege Solonis apud Athenienſes cautum fuit, ut illorum filij, qui in bello occubuiſſent, publicè alerentur, & bonis diſciplinis imbuerentur. Nam teſte Cicerone *Philip. 7.* ejuſmodi mortuorum vita, in memoria vivorum poſita eſt.

Præterea non tantùm militum filij, ſed & Sena- 8
torum, paternæ dignitatis ſtatū acquirebant; ideo licebat iis cum patribus curiam ingredi, ut publicis negotiis aſſueſcerent, ut dixi ſup. *lib. 10. tit. 40. num. 5.* & probat id Tacitus, *lib. 11. annal. Apud majores*, inquit, *virtutis id præmium fuerat, cunctiſque civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratus, ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin primâ juventâ, conſulatum ac dictaturas inirent.* * Item filij quorum parentes tan- 9
tùm fuerant honorarij, munia publica & ſimul dignitatem acquirebant, quam parentibus non communicabant, ceſſante in publicis muneribus patriâ poteſtate, aut ſaltem ejus interquieſcente. Facit quod ait Ulpianus ſententiam Saturnini volentis matres conſularium eſſe conſulares, nuſquam in jure relatam, receptamve eſſe, *l. 1. §. fin. ff. De Senator.* atque ita Senatorum filij ſuam dignitatem parentibus non communicabant, fortè ideo quòd honor non aſcendat, ſed deſcendat.

Hodie quoque filij, quorum parentes & majo- 10
res publicis honoribus fuerunt decorati, quaſi jure hæreditario, Reipublicæ curam accipiunt, aliiſque præferuntur. Imò in quibuſdam regnis cenſetur quædam quaſi obligatio, ita ut injuriam feciſſe dicatur Princeps, ſi alteri munus donaverit, ut refert Valaſcus, *conſult. 129. num. 13.* aſſerens hujus æquitatis & obligationis non videri indignos poſthumos, ut in tempus nativitatis hoc jus & equitas, quam Princeps exercet erga filios officialium, illis reſervetur. Facit *l. 7. ff. De ſtatu hominum.* ubi qui in utero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur. Ac indè fit, ut etiam venter mittatur in poſſeſſionem, ſitque ſpes naſcendi. *l. 1. §. ſi filius ab hoſtib. ff. de ventre in poſſ. mit.* In officia tamen publica, quæ perſonæ induſtriam & eruditionem requirunt, non ſuccedunt filij qui necdum capaces ſunt, multò minùs nondum nati, de quibus ſpes incerta. * Fateor quidem 11
magnum eſſe partus favorem, ſed majorem totius corporis Reipublicæ, cujus intereſt officia non ſuſpendi: niſi conſtet Principem voluiſſe ſine diſcrimine providere filiis viduæ, ob mariti merita. Officia verò ad quæ obeunda non opus eſt doctrina, ſed cum periculo vitæ exercentur, qualia ſunt apparitorum & aliorum id genus juſtitiæ miniſtrorum, ſi in exercitio ſuorum officiorum occidantur, hæredibus relinquenda ſunt, ut in Gallia judicatum refert Loyſeau *des offices lib. 1. cap. 12. num. 33.*

Poſtremò notandum expedire nonnumquam, 12
ut differatur ſucceſſio in officia parentum, ne filijfamil. jure hæreditario ea ſibi deberi putent, ut interim illa expectantes ſpe erecti, majori ſtudio

ſe

ſe dignos reddant. Nulla enim merces viliori pretio emitur, quàm quæ præmiorum expectatione emitur. Er certè magis ad ſerviendum allicit ſpes futuri, quàm præmij accepti memoria. Atque hinc facilè apparet quàm noxiæ ſint expectativæ, ſive futuræ ſucceſſiones in muneribus publicis, & præmijs; id quod expendebat Tiberius; cùm ſeſe Gallo opponeret contendenti, ut quinto quoque anno nominarentur Candidati, qui ſucceſſuri eſſent in functionibus publicis, ita enim fore dicebat, ut obſequia & induſtria aliorum planè deſinerent. Tacitus *lib. 2. annal.* Qua in re non iſtud ſolú damnum ponderavit Tiberius, ſed etiam quod occaſionem perderet gratiæ faciendæ, in quo dominatus ſui vires conſiſtere exiſtimabat, *atque ita favorabili in ſpeciem oratione vim imperij retinuit.*

TITULUS XLIX.

De oblatione votorum.

1. *Continuatio. Recepta acclamationes, & vota ſuſcepta pro ſalute Imperatoru, non pro alijs.*
2. *Idque die tertio Calendis Januarij ipſis Calendis Conſules auſpicabantur Magiſtratum, & alia ſolemnia fiebant, & ſtrena mittebantur.*
3. *Dabantur ſtrena ab Imperatore, & is viciſſim munera à Senatu populoque accipiebat. Servatur & hic mos apud alias gentes.*
4. *Cur Imperatores oblationem votorum coarctaverint, & qua ratio eam exigendi, cùm fuerit voluntaria.*
5. *Sumptuarijs legibus conviviorum luxus, & dona coërcentur.*
6. *Moribus hodiernis excogitata ſunt varia oblationes, initio voluntaria, nunc exacta & perpetua.*

1 QUemadmodum à militibus latæ acclamationes fiebant in exercitu, dum Imperator caſtra obiret, ut indicat *l. 1. Tit. ſup. De veteranis.* & nunc fiunt à ſubjectis pertranſeunte Rege, in hæc verba, *vive le Roy*, vivat Rex: ita etiam ineunte anno, pro ſalute Imperatoris vota concipiebantur, non pro alijs. Ac *unum omnium votum erat ſalus Principis.* Plinius *in paneg.* Unde Tiberius ægrè tulit pro Nerone etiam & Druſo à Pontificibus vota concipi, & ſupplicationes fieri, quæ pro ipſo factæ fuerant, & ſoli Principi fieri debent. Tacitus *lib. 4. annal.* Eò pertinet quod ait Cajus J.C. *in l. 233. §. 1. ff. de verb. ſignif. Poſt Calendas Januarias die tertio, pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur.*
2 * Nam ipſis Calendis Conſules deſignati, auſpicabantur Magiſtratum, & Conſulatus ſui nomina dabant. Caſſiodorus, *lib. 2. Epiſt. 1. Felix à Conſule ſumat annus auſpicium, portamque dierum tali nomine dicatus annus tempus introeat.* Hæ Calendæ inter omnes erant celebriores, cultu, lætitiâ, ſacrificijs, veſtibus novis; imò convivia publica privataque inſtituebantur, & ſi quis madidus vino fuiſſet, vitio ei non dabatur: tum aleâ ludebant domini promiſcuè & famuli; nec ſervis tunc periculum ullum, nam iſti dies æquam dabant omnibus libertatem, flagella & verbera ceſſabant, omnia plena pacis, libertatis, voluptatis, omnes ſibi mutua munera mittebant, quæ ſolemnia vocat J. C. Paulus, *in l. 12. §. 3. ff. De adminiſtr. tut.* quia in more poſita, & annua; mittebanturque hæc munera parentibus, cognatis & amicis. * Ab 3
Imperatore quoque dabantur viris ſtrenuis, unde ſtrenæ dictæ, viciſſim à Senatu populoque dona accipiebat Imperator, ob memoriam ætatis Saturni, quâ homines liberales erant, atque ipſi Imperatori vitam longævam apprecabantur omnes. *Die Calendarum Januarij pro æde Capitolini Jovis, cum paululum curuli ſella præſideret.* ita Suetonius, *in Auguſto. c. 57.* Poſtea nomine totius populi, à Præfecto urbi Imperatori aurea munuſcula oblata fuere, ea formula, quam refert Symmachus, *lib. 10. Epiſt. 28.* ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium: *Sumite defenſores publica ſalutis, auro ducta munuſcula. Bonis Principibus bene parta libamus.* Hic mos apud alias gentes Principi ſuo munera offerendi obtinuit, ut apud Perſas & Judæos, *Reg. lib. 1. c. 16.* & in Aſia minori, & apud Chinenſes, referente Dorleans, *lib. 4. annal. in Tacit.* & ibi Lipſius & Bulenger. *De Imp. Rom. lib. 2. cap. 31.* & etiam apud Chriſtianos, quamvis iis vetitum fuerit *obſervare dies qui dicuntur Ægyptiaci, & Calendas Januarias, in quibus comeſſationes, & ad invicem dona donantur, quaſi in principio anni, boni fati augurio. c. non obſervetis. 26. q. fin. & can. ſi quis. eod.*

Verum hæc munera & oblationes, quæ ab ini- 4
tio ex voto, ac devota in Principem voluntate, ſponte à ſubditis offerebantur, in conſuetudinem abierunt, & moderatæ petitæ fuere à Principibus Arcadio & Honorio, *in l. un. h. t.* ubi volunt, ut quando votis communibus felix annus aperitur ſive incipit, una libra auri ex ſolidis obryzatis Principibus offeratur, non in maſſa, ſed in ſeptuaginta duobus ſolidis auri obryzati, id eſt, puri ac probè decocti, ut dixi *ſup. tit. De veter. numiſm. pot.* Cujacius & Amaya, *ad d. l. uni.* At cur Imperatores hanc ſummam præſcripſerunt, cùm nemo ad eam conferendam cogi poſſet, & eſſet meræ voluntatis? nam aurum coronarium, quia erat munus voluntarium, Gratianus & Valentinianus ſuſtulerunt. *l. un. ſup. De auro coron.* Num ergo Imperatores ſequentes oblationem hanc extorſerint? minimè. Sed moris erat Principi offerre munera, in memoriam egregiorum ipſius facinorum, feliciumque ſucceſſuum, ut notat Le Bret. *lib. 3. De la ſouveraineté du Roy. c. 7.* Verùm cùm alius alium conaretur ſuperare, & liberalem erga Principem animum oſtendere, atque inde nimia offerentium erogatio facultates exhauriret, illa hujus legis

Digitized by Google

gis cauſa fuit, ne ſcilicet auri libram oblatio aut munus ſtrenarum excederet. Non itaque cogunt Imperatores ſubjectos munera præſtare invitos, ſed volentium liberalitatem moderantur, ne ultra præſcriptum ſe extendat.

5 Quemadmodum & ante eos plures leges latæ fuere ſumptuariæ, quarum aliæ veſtium pretia præſcribunt aliæ ędificationes & familiã dirigunt, aliæ conviviorum luxum coërcent, ut lex Fannia, aliæ munerum licentiam, ut Cincia, hæc tamen non tam conſervandarum familiarum gratiâ lata videtur, quàm ut immodica Senatorum cupiditas refrænaretur, qui donis, & muneribus acceptis, omnem plebis, & clientum ſubſtantiam ſibi vindicabant. Hinc Marcus Cato, *Quis legem Cinciam de donis & muneribus excitavit, niſi quia vectigalis & ſtipendiaria plebs eſſe Senatui cœperat?* Livius *lib.* 34. De hiſce legibus videantur Roſinus, *De antiq. Rom.* & Petr. Gregorius Thol. *lib.* 9. *ſyntagm. jur. cap.* 19.

Meritò plebs noſtra, ut olim Romana, queri
6 poteſt, ſe vectigalem factam, & onera ſibi impoſita eſſe perpetua. Novæ enim indies excogitantur oblationes, quæ cùm ad tempus tantùm petantur, ubi conceſſæ tanquam debitæ exiguntur, & ſingulorum facultates æſtimantur, imò etiam Eccleſiaſticorum, ſi quæ ſubſit cauſa. Ita ut oblationes illæ quæ initio erant liberæ voluntatis, nunc ſint neceſſitatis & perennes. Speciosa quidem illis invidiæ minuendæ cauſa, imponuntur nomina, re autem ipſa meræ ſunt petitiones, ne dicam extorſiones, ab otioſis aulicis plerumque ad inopiam redactis, excogitatæ, magis compendij ſui gratiâ, quàm ut Principi ſubveniatur, in cujus ærarium pars minima infertur. Illæ tamen preces dicuntur apud Hiſpanos ſubſidia, de quibus eſt *tit.* 1. *lib.* 1. *nova Recopil.* Item *el ſervicio Real.* quod initio blandè & voluntariè introductum fuiſſe dicit Bobadilla, *lib.* 5. *polit. cap.* 5. *num.* 4. *in fine.* in Gallia vero auxilia, indictiones, largitiones, pactiones, de quibus Petr. Gregor. Tholoſanus, *lib.* 5. *ſyntagm. jur. cap.* 6.

TITULUS L.

De Numerarijs, actuarijs, & chartularijs, & adjutoribus, ſcriniarijs, & exceptoribus ſedis Excelſæ, cæterorumque judicum tam militarium, quàm civilium.

1. *Continuatio, & quàm varij fuerint in officio majorum judicum officiales.*
2. *Quod olim, & jure novo fuerit officium numerariorum, qui tabularij poſtea vocati.*
3. *Numerarij Præfecti prætorio liberi ſunt conditione curiali, & cingulum militiæ habent.*
4. *Actuarij qui dicantur; diverſa munera tractabant, quibus nunc ſimiles.*
5. *Nullum actuariis commercium cum numerariis. Civitatum actuarij non ordinabantur ſine approbatoria.*
6. *Acta coram Notario vel Officiali, qui non eſt ſolemniter electus, rata non habentur.*
7. *Numerariis adjungebantur Adjutores & Chartularij, qui eis aſſiſterent quaternis vicibus, cur non diutius.*
8. *Iſti adjutores eligebantur ex ſcriniorum numero, vel ex omni turba pro diverſitate diœceſium.*
9. *Indecorum deſcendere: & promovere domeſticos ad officium actuarij, & ab iis quid lucri percipere: à quibus nunc eligantur.*
10. *An Judex poſſit acta, quæ ab actuariis fieri debent, expedire.*
11. *Cur ſubſcriptio neceſſaria ſit inſtrumentis.*
12. *Exceptores qui à fiſco ſtipendia non percipiunt, quamvis decuriones fiant, debent operam cœptam perficere, & ſuæ curiæ munera agnoſcere.*
13. *Promoti ad dignius officium, debent operam cœptam perficere: Non coguntur pro Republica mutuam pecuniam ſumere, & ſe obligare. Qui ſcriniarios habuerint.*
14. *Tabularij non debent ſe immiſcere alterius officio, aut alio in loco inſtrumenta facere.*
15. *Quid, ſi ſint Notarij Pontificis, aut Imperatoris, aut Regis, ſed non ex numero.*
16. *Noſtri Notarij ſunt perpetui. Olim Tabularij ſeu Numerarij biennales, poſtea annales.*
17. *Propter fraudes quas ſæpe committebant, ſubjiciebantur tormentis; & pro debitis una cum debitoribus detinebantur, quouſque ſolverent executoribus.*
18. *Qui ex fide munere ſuo functi fuerant, honorabantur, & qui in officio erant Præfecti prætorio, comitativam dignitatem conſequebantur.*

Actum ſupra de civilibus & militaribus judicibus, nunc ſequitur de eorum officialibus, quorum ut varia erant genera, ita & diverſa nomina, ideo fortè quòd diverſas res tractarent, aut in diverſorum judicum officio eſſent. Alij enim erant in officio Prætorianæ ſedis, quam excelſam tituli hujus inſcriptio intelligit: alij in officio Præfecti urbi, alij in officio Magiſtri militum, aut Ducis belli. Horum autem judicum tam civilium, quàm militarium officiales memorantur Numerarij, Actuarij, Chartularij, Adjutores & exceptores ſcriniarij, qui omnes rationes publicas tractabant. 1

Antiquitus Numerarij pecunias publicas exigebant, & ſuſceptoribus numerabant, ac publica munera ærarijs inferebant. Iſidorus *lib.* 8. *cap.* 4. Jure novo Codicis rationes fiſcales inſtrumenta & cautiones receptæ ſolutæve pecuniæ ſcribebant, idcirco eorum nomen in Tabulariorum mutatum fuit, *l.* 2. *h. t.* rationem aſſignat Cujacius *in l.* 13. *ſup.* 2

Digitized by Google

De ſuſceptorib. addit etiam numerarios Prætorianæ ſedis rationum notitiam habuiſſe; cæterorum verò Judicum tabularios fuiſſe conditionales, *l.* 8. *Cod. Theod. De numerar.* hi enim conditioni ſuæ & curiæ reddebantur, adſtringebantur ejus muneri-
3 bus. * Certis tamen modis eos fortunæ curiali ac moleſtia liberatos fuiſſe, declarat Juſtiniani Conſtitutio *in l. 66. ſup. De decurionib.* Aliter quoque Valentinianus & Valens de numerariis officij Prætorianæ ſedis ſanxerunt, quàm Jovinianus Imperator ſanxerat ſanciendum. Hic enim numerarios, omiſſo cingulo, conditionis curialis conſcios viliores, neceſſitati publicæ obſecundare præceperat: at illi Principes numerarios cingulum & militiæ ordinem retinere juſſerunt, *l. 3. h. t.*

4 Alia aliis Judicum officialibus munia committebantur, præſertim actuariis, qui numerorum rationes tractabant, & ſpecies annonarias, quas à ſuſceptoribus accipiebant, militibus erogabant, *l. 5. ſup. De erogat. milit. ann.* item acta conſcribebant, ex quibus conſtaret quid & quantum ſingulis militibus pro annona erogatum eſſet, juxta ordinem *l. 9. ſup. de erogat. milit.* Iſtis actuariis ſimiles nunc ſunt in noſtro exercitu, *los Proveedores*
5 *de la gente de guerra y de las armadas.* * Fuêre & Præfecto prætorio, Proconſulibus, Præſidibus, Vicariis, Præfecto urbi ab actis, qui videlicet illorum acta, rationesque ſervarent & ſubducerent, ſed prohibitum iis cum numerariis habere commercium, ne communicatis inter ſe rationibus quid fraudis molirentur, *l. 6. h. t.* Præter hos, erant Actuarij urbis Conſtantinopolitanæ, Antiochiæ, & aliarum civitatum, penes quos claſſium notitia conſiſtebat, & equorum curulium, qui ex diverſis locis in urbem conferebantur, non tamen hi creari poterant, niſi approbante Principe, ut mos erat, *l. 7. h. t.*

6 Hinc notant Interpp. dum creantur officiales, ſervandum eſſe veterem morem uſitatum, aliàs creationem, & quæ acta fuerint, tamquam à falſo actuario, nullius eſſe momenti, *d. l.* 7. de qua plura dixi *lib.* 10. *tit.* 32. *numer.* 5. facit & *l.* 10. *ff. de decurionib.* ubi acta decurionis, qui ſalaria percipit, cùm ſecundùm legem creatus non ſit, non tenent. Non obſtat *l. Barbarius.* 3. *ff. De offic. Præt.* (quam etiam *d. n.* 5. expoſui) ubi acta geſtaque per ſervum, non quidem ipſo Jure, ſed humaniùs valere dicit Ulpianus. Etenim quando quis à Principe aut libero populo eſt electus, quamvis ob defectum aliquem non poſſit eſſe, non officit tamen iſte error, quo minùs acta per eum valeant, propter utilitatem publicam; at quando quis eſſe poteſt, ſed non eſt electus ſervatâ formâ debitâ, tunc acta per eum nullius ſunt momenti, *DD. add. l. 3.* Addit Rebuffus *in d. l. 7.* ſe obtinuiſſe, quod Syndicus aliquis non ſervatâ formâ creatus fuiſſet, non convocata ſcilicet ad pulſum campanæ, velut moris eſt, communitate.

Quoniam verò actuariorum & numerariorum 7
Præfecti prætorio magnus eſſet labor, nec poſſent annotandis conficiendiſque commonitoriis, præceptionibus, evectionibus, & aliis ſufficere, *l. ult. ſup. De fabric. & l. pen. infr. De execut.* ideo illis adjuncti ſunt Adjutores & Chartularij, qui ſedulò reviderent rationes, eiſque ſubſcriberent, atque inſpicerent ea quæ à ſcriniis emittebantur, *l.* 10. *h. t.* ibi Cujac. & Gothofred. Gutherius *De off. dom. Aug. lib.* 2. *cap.* 14. & nos *ſup. lib.* 10. *tit.* 23. *num.* 9. de chartulariis plura. Non tamen numerariis adjungebantur, niſi quaternis vicibus, & quidem interpolatis, anno videlicet intermiſſo. Scriniarij adjutores non etiam poterant dictis numerariis aſſociari, plus quàm quaternis vicibus, in ſingulis intermiſſo biennio. Tollenda namque fuit frequens numerariorum & adjutorum adjunctio, ne quid fraudis ab iis diuturna ſocietate in rationibus committeretur, & damnum Reipublicæ inde daretur. * Hinc 8
numerarij non pro arbitrio ſibi adjutores jungebant, ſed electos admittere tenebantur. Eligebantur autem ex ſcriniorum certo numero, vel ex omni turba, pro diverſitate diœceſium. Itaque in provincia Orientis, non niſi ex numero 30. primorum aſſumebantur, & in Aſiana ex 50. primis. At in Ponto & Thracia paſſim ex toto corpore deſignati adjutores mittebantur, quibus non licebat munus recuſare, aut ad chartulariorum officium, quod erat exiguum, deſcendere, *d. l.* 1.

Hinc nonnulli putant indecorum eſſe, ut qui ad 9
aliquem honoris gradum aſcendit, ad minorem poſtea deſcendat: aut ut judex domeſticum promoveat ad officium actuarij, ut lucrum inde participet. Ideo interdum Principes vel domini juriſdictionales, actuarios eligunt, & officia per ſuam juriſdictionem conferunt, atque diſtribuunt. Iſti actuarij extra ædes Judicum habitant, alij ſunt domeſtici ipſis convivéntes, qui privata negotia obeunt. Olim erant Cancellarij qui ad privatos homines Judicum nomine epiſtolas ſcribebant. Sed poſtea Honorius prohibuit Judicibus, qui ſtatam habent juriſdictionem, ne ſibi eligerent Cancellarios, quaſi domeſticos, aut eos in provinciam ducerent, *l. 8. ſup. de aſſeſſ. & domeſt.* ſed ex officiis ibi eligerentur. Agricolam laudat Tacitus, quòd nihil publicæ rei per ſuos libertos, aut ſervos fieri voluerit. *in ejus vita.*

Non minùs turpe videtur, ſi Judex acta, quæ no- 10
tariis, actuariiſve curiæ incumbunt, ipſe conficiat, cùm illorum opera uti oporteat, non privata. Uſu tamen receptum dicit Papon. *lib. 6. arr. tit. 6. art. 2. & 3.* poſſe Judicem acta, quæ voluntariæ ſunt juriſdictionis, per ſe expedire, non verò qui juriſdi-
ctionis

Digitized by Google

ctionis ſunt contentioſæ. Actuarium quoque Judicis officio fungi poſſe, partium aut Procuratorum aſſenſu in re non contentioſa, affirmat Chriſtinæus *ad l.10.n.12.*

11 Infertur ex *d. l. 10.* omnia commonitoria, præceptiones & inſtrumenta publica, nullam vim habere, niſi in mundum ſint redacta, perfectè extenſa, & ſubſcripta manu actuarij & teſtium, quia ſubſcriptio eſt loco teſtimonij, quo Notarius teſtatur contenta in inſtrumento eſſe vera, alioquin non careret ſuſpicione falſi, *d.l.10.§.ſi quid.* & quoties aliquid ex ſolemnibus omittitur. Penna & Rebuff. *ibi num. 3.* Petr. Greg. Tholoſan. *in ſyntagm. Jur. lib.48.cap.42.num.21.*

12 Fit hîc mentio Exceptorum ſacri ſcrinij, qui ordinariis Judicibus obſequebantur, nec cohortali militiæ adſcripti erant, nec à fiſco aliquas conſequebantur annonas; licet hi tractarent pecunias civiles, & annonis civilibus deputatas, vel aliis operibus. Hi autem exceptores, quamvis decuriones eſſent, vel fierent, tenebantur munus ſibi injunctum implere, eoque finito, ad curiam ſuam redire, atque onera propriæ civitatis agnoſcere, *l. 5. h. t.* Sic plures ſunt in curiis Regiis rationum fiſcalium exceptores, ſive auditores. Penna *in d.*

13 *l. 5.* * Qui ſi ad majus officium, puta Magiſtrorum cameræ rationum promoveantur, debent priùs operam cœptam perficere, & ſuæ cameræ, ſeu curiæ onera interim ſuſtinere; nam major dignitas ſuperveniens, non tollit minorem, *l. 3. ſup. de dignitatibus.* ibi Platea *& ad d. l. 5.* Exceptores verò Prætorianæ ſedis numero 60. in dignitate conſtitutos, & ab oneribus exemptos fuiſſe Notitia teſtatur. Gutherius *De off. dom. Aug. lib. 2. c. 14.* Scriniariis ejuſdem ſedis hoc quoque fuit conceſſum, ut ſi in publicas neceſſitates quid eſſet impendendum, non cogerentur eo nomine pecuniam mutuam ſumere, aut ſe obligare, ne inde depoſito officio periclitarentur, damnumve aliquod ſentirent, *l. 8. h. t.* Commercio mutui eis non omnino interdicebatur; neque Scriniariis illuſtris ſedis: Obſerva non tantùm Præfectos prætorio, ſed & Magiſtros militum, & limitum Duces, & Comites utriuſque ærarij, & Proconſulem Aſiæ, & Caſtrenſem Sacri palatij, Scriniarios habuiſſe & Cancellarios, qui illis operam adhiberent. Cujacius *ad d. l. 8.*

14 Præter dictos officiales, in ſingulis provinciis bini numerarij, ſeu tabularij eſſe conſueverant, quorum alter largitionum ratiocinia, alter ad arcam fiſcalem pertinentia tractabant; ſed ne horum officia confunderentur, interdictum fuit, ne alter alterius officio ſe immiſceret, aut quid ex ſuo officio ad aliud illicitè transferret, vel uſurparet, pœnâ graviſſimâ ei impoſita, & qui ſciens id non detexiſſet, atque Judici qui hoc delictum punire diſſimulaſſet, *l. 4. h. t.* quò pertinet *l. 13. ſup. De ſuſceptor.* vide quæ ibi dixi *num. 4.*

15 Unde obſerva, tabellioni unius loci non licere ſe immiſcere muneri alterius tabellionis, vel inſtrumenta facere alio in loco, quàm illo, cujus ipſe tabellio eſt: illius enim exercitium non ſe extendit ultra juriſdictionem creantis: niſi fortè quis ſit Notarius Apoſtolicus, aut Imperialis, qui ubique locorum dicitur poſſe conficere inſtrumenta tam Eccleſiaſticorum, quàm laicorum, ut ſe obſervaſſe aſſerit Chriſtinæus *ad h. t. deciſ. 153. num. 20.* ſed verius, hunc Notarium in terris Eccleſiæ, & per totum imperium conficere poſſe inſtrumenta, non autem extra illud, cujus nudum miniſterium (ut dixi) non ſe extendit ultra metas conſtituentis. Abbas *in c. cum P. tabellio. de fide inſtr.* & citati à Fragoſo *lib. 5. diſp. 13. §. 11. num. 329. de Reipubl. regim.* qui addunt, deficientibus Notariis, Numerariis, aut abſentibus iis poſſe coram aliis Notariis fieri quælibet inſtrumenta & acta judicialia, ſecus ſi adſint Notarij deputati iſti loco, tunc reputantur inſtrumenta per Notarios etiam Regios, vel Imperiales ſcripturæ privatæ, ut probandum ſit per teſtes in iis contenta eſſe vera. Platea *ad l. fin. ſup. De re milit.* Gomez. *ad l. 3. Tauri num. 46.*

16 Eſt apud nos certus numerus Notariorum, ad quem admiſſi & creati legitimè, in functione ſua manent, quamdiu volunt, niſi ob cauſas amoveantur. Olim illi, qui Præſidibus ſuberant, triennales erant, *l. 2. in fin. h. t.* poſtea biennales. Sed Imperator ad petitionem officij Magiſtri officiorum, voluit tabularij officium uno anno concludi, *l. 11. h. t.* & ne eo depoſito, poſſint actuarij vel Tabularij fieri milites, ne ſi rationibus reddendis eſſent obnoxij, militiæ privilegio eas reddere ſubterfugerent. Imo nec numerorum Actuarij nomina militiæ dare poterant, *l. 9. h. t.* nam plerique eorum erant conditionales (ut ſuprà dixi) & finito officio ad curiam ſuam revertebantur, *l. 17. & l. 26. C. Th. ne diverſ. off.*

17 Ex his obſervo, quàm fuerint Imperatores ſolliciti propter vorax & fraudulentum Actuariorum propoſitum, fallaces quæſtus & fraudes quas frequenter in rationibus ſubducendis & inſtrumentis conficiendis committebant, & ideo ſi gravitas cauſæ exigeret, ungulis, eculeis, & lacerationibus eos ſubjici voluerunt, *l. 1. h. t.* Etiam eo caſu, quo neglexiſſent, debitores fiſcales, & eorum quantitates deſcribere, & ſub teſtificatione indicare Judicibus exactoribus tributorum, ſimul atque in provinciam veniſſent: Imo pro ipſis debitis unà cum debitoribus detinebantur, donec executoribus ſolutum eſſet, *l. 2. h. t.* quæ loquitur de Actuariis Præſidum; nam qui Præfecto

Digitized by Google

fecto prætorio parebant, curialium conditioni non erant obnoxij (ut initio dixi) nec tormentis ſubjiciebantur, niſi in graviſſimo ſcelere fuiſſent deprehenſi, *l. 11. C. Th. De numerariis, & l. 3.*
18 *eod.* * Qui verò probè munere ſuo perfuncti fuiſſent, cum honore, & acclamatione dimittebantur, *l. ult. h. t.* ita ut locum habeat, quod ſcribit Sidonius Apol. 1. *Epiſt. Numerariorum ſeu potiùs Advocatorum more, quorum cùm finiuntur actiones, incipiunt dignitates.* nam hi qui erant in officio Præfecti prætorio Numerarij, Cornicularij, Primiſcrinij, Chartularij, comitativam primi ordinis adipiſci, & ejuſdem dignitatis privilegia conſequi merebantur, ſi id ſua interlocutione Præfectus prætorio declaraſſet, nec opus erat Principis approbatione, aut ſanctione aliqua. Scripta eſt *d. l. ult.* ad Præfectum prætorio per Illyricum, in cujus officio erant Numerarij quatuor, Daciæ, Macedoniæ, operarum, auri, qui ibi recenſentur, & à Mariano Scoto, & Pancirolo *in Notitia Imperij cap. 15.*

TITULUS LI.

De curſu publico, angariis & parangariis.

1. *Curſus publici antiquitas: & cur inſtitutus?*
2. *Imperatores cùm ſe vellent populo commendare, curſus onus remittebant.*
3. *Quis diceretur curſus fiſcalis, vehicularis, clabularis, & caballaris: hoc curſu eximebatur tractus Orientalis præterquam tribus ex cauſis.*
4. *Diſcrimen inter agminales equos & veredos & paraveredos. Qui veredarij, curſores, nuntij angari.*
5. *De angariis & parangariis, quarum præſtationes rebus, non perſonis indicuntur; ab iis ulli eximuntur, ſecus quæ perſonis indicebantur.*
6. *Quibus committeretur curſus publici exhibitio, & quid præberent Saiones, Stationarij, Parochi.*
7. *Obſervabant Protectores curſus, ne nimium rheda onerarentur. Item birota, & veredi.*
8. *Veredorum ornamenta quanta fuerint, illi non fuſtibus, ſed flagellis agitabantur.*
9. *Majoribus equis ad curſum uti non licebat, nec per aliam viam ire, quàm publicam: in dolo eſt qui per devia incedit.*
10. *Præfectus præt. paraveredis uti poterat, habebat coërcitionem in curioſos & miniſtros omnes curſus publici.*
11. *Injurias vindicabat, nec eas hippocomis inferri in viis patiebatur.*
12. *A quibus darentur evectiones, ſine quibus non licebat uti curſu publico.*
13. *Continebant evectiones formam & numerum equorum, quem excedere non oportebat, nec per Orientem, niſi ſpeciatim data eſſet licentia à Principe.*
14. *Qui formam evectionis tranſgrediebatur, vel unam mutationem pertranſibat, aut evectionem alteri vendebat, graviſſimè puniebatur.*
15. *Quibus permiſſus fuerit curſus publicus. Quando Ducibus & Præſidibus, & quibus Legatis.*
16. *Curioſi curabant ne pabula in ſtationibus equorum deeſſent, & ut ſtabula præpararentur:*
17. *Item ut exhiberentur ſolita miniſteria à provincialibus, & dimitterentur quotidie certus numerus equorum, & ne muliones receptarentur.*
18. *Diſcrimen inter veterem & noſtrum curſum; Princeps in eo conſtituendo ſibi jus retinet, & conſtituit magiſtrum curſorum.*
19. *Oſtenditur exactiorem eſſe hodiernum curſum, & magnam Reipublicæ & omnibus utilitatem adferre.*

HActenus de dignitatibus civilibus & militaribus, earumque officijs, nunc agendum de 1
curſu publico, quem Magnus Cyrus Perſarum Rex primus inſtituit, ut celeriùs ſcire poſſet, quid per vaſtum ſuum regnum ageretur. Obſervat enim Xenophon. *l. 8. de Cyri inſtit.* hunc Regem diuturni itineris inter capedine ſtabula conſtituiſſe, & equorum curatores, certoſque homines, qui litteras eò perlatas, inde ad proximum ſtabulum deferrent, ex quo ad vicinum denuò transferrentur. In hiſce ſtabulis ſive manſionibus equi alebantur ex publico, ad uſum curſorum, quos Angaros & Aſtandas vocabant. Cyrum imitati ſunt Græci. In Herodoto enim legere eſt, ab iis certos nuncios in vijs regijs conſtitutos, qui mutuas ſibi operas præſtabant, & ſuorum Principum incredibili celeritate edicta deferebant. Scribit & Suetonius publicum curſum Romæ ab Auguſto inſtitutum: *Quo celeriùs cognoſci poſſet, quid in quaque provincia gereretur, juvenes primò modicis intervallis per militares vias, dein vehicula diſpoſuit; commodius id viſum eſt, ut qui à loco eidem præferrent litteras, interrogari quoque ſi quæ res exigeret, poſſent, in Auguſt. c. 40.* Verùm & ante Auguſt. notus fuit hic curſus, cùm de ſeipſo ſcribat Cæſar *l. 3. Niſi nuncij de victoria Cæſaris per diſpoſitos equites eſſent allati.* & poſt Auguſtum non fuit neglectus, ſed ab alijs Imperatoribus ſervatus.

Hinc cùm omnes tenerentur equos curſo- 2
res emere & alere, pecuniam in pabula & paleas conferre, ſtabula exſtruere & reficere, *l. 2. 7. 19. & 21. h. t.* Antoninus Pius provinciales iſto onere ſublevaſſe dicitur. Capitol. *in Anton. Pio.* & Divus Hadrianus, ut illorum gratiam captaret, hoc curſorium & vehiculare munus ad fiſcum traduxit. Spartianus *in Hadriano: Statim curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus*

tus iſto onere gravarentur. Intelligit magiſtratus municipales,quorum erat,equos curſorios exhibere, *d.l.19.h.tit.* Idem de Severo ſcribit, fiſci pecunia equis diſpoſitis & vehiculis, accitos ad ſe, aut in provincias miſſos ſumptuum moleſtia ſublevaſſe. *in Severo.* Provinciales itaque vehicula præſtare fuere coacti,& agminales equos,angarias & vere-
3 dos, *l. fin. §. patrimonior. ff. de muner. & honor.* * Vehicularis curſus primùm vehiculo conficiebatur. Ammianus *lib. 20, l.2. & 5. C.Th. de curioſis.* fuit & curſus Clabularis,à clabula, quod eſt genus vehiculi. Cujac. *in l.22. h.t.* ubi mendoſè legitur, *ambularius curſus*: quo ſublevabatur Orientalis tractus propter alia onera,quæ frequenter ſuſtinuerat: exceptis tribus cauſis,ſi tranſirent milites,ſi legati,ſi arma transferrentur,quibus ex cauſis ſolus Præfectus præt. evectiones faciebat,& ex ipſius arca ſumebatur quod dari ſolebat animalium locatoribus in mercedem, *d.l.22.h.tit.* ubi exiſtimo cum Briſſonio *in lexico Calv.* caballarem curſum dicendum eſſe potiùs,quàm clavicularem ſeu clabularem, & ſuffragatur *l.14. ſup. De erogat. milit. ann.* ubi caballationis ratio habenda dicitur, quando militibus fit erogatio: dabatur & Tribunis rheda meritoria, ſive evocati irent ad Principem,ſive in caſtrorum mutatione & metatione, ſive in urbe;facit *l.un.ſup.De honor.* ubi vehiculis ſuæ dignitatis quiſque utebatur.

Sed videamus quid diſtent agminales equi, à ve-
4 redis,& paraveredis,& angariis. Equos agminales vocat Budæus, qui agmen exercitus ſequebantur, ad convehenda impedimenta, *in notis ad pandect.* Paraveredos Cujacius intelligit equos majores, quos poſterior ætas parafredos nominat; veredos equos curſuales ac veloces.Hinc veredarij qui veredis in diverſa loca mittebantur,alij rhedas, currus, aut carpenta agebant,unde carpentarij dicti,alij pedites curſores erant. Alexander ſervos eſſe voluit qui nudis pedibus currerent. Sueton. *in Auguſto.* Erant & ingenui nuntij & tabellarij quos inhumaniter Verus cogebat curſitare. Item angari velociſſimi. Bulenger. *lib.3. de Imp. Rom. cap.40. in fine.*

Inde *Angariæ* ab agendo dicuntur tranſitus per
5 viam publicam, quæ & curſum habet; *Parangariæ* tranſitus per viam non ordinariam, quem tranſitum præſtare tenentur ſubditi. Eſt & alia Angariarum ſignificatio,nam ſunt angariæ jumentorum & plauſtrorum præſtationes, quas expeditionis tempore, vel qualibet alia publica neceſſitate, provinciales agnoſcebant, imò & qui provinciales non erant, nec incolæ, obligabantur illico equis, mulis, aſinis, curribus & carrucis in viis, navibus per mare,fluviiſque, Reipublicæ ſubvenire, prout etiam hodie. *l.2. ſup. quib. muner. vel præſt. & l.1.ſup. quemadm. civil. mun. indic.* Hæ autem præſtationes non perſonales, ſed patrimoniales poſſeſſionibus patrimoniiſque indicebantur, *l. fin.§. patrimon.* quæ ſi ad publicæ annonæ tranſvectionem, pontium, viarum, portuum, aquæductuum & mœnium, aut aliam inevitabilem neceſſitatem injungerentur, nemo ab iiſdem, quantocumque etiam privilegiatus, excuſationem merebantur. Ait enim Theodoſius Imp. nullũ penitus cujuſlibet ordinis ſeu dignitatis, tempore expeditionis excuſationem angariarum vel parangariarum habere, *l.21. h.t.* Idem *in l.11.ſup. De ſacroſ. Eccleſ.* Ad præſtationes verò angariarum, quæ ad curſum publicum pertinebant, quia perſonales erant, Clerici, Cubicularij, Silentiarij, Decuriones eorum, & multi alij non vocabantur, *l.2.§.3. ſup. De Epiſc. & Cler. & l.2. ſup. De Præpoſ. ſacri cubic. & l.3. ſup. De ſilent. & decur.* ne hac functione occupati, quæſitæ dignitati officerent. Quare Arcadius rem vehicularem, quæ patrimonij munus eſt, ab hac curſus vehicularis ſollicitudine ſeparat. *l. fin. ff. De muner. & honor.*

Etenim curſus publici exhibitio ſecundum loco- 6
rum conſuetudinem, curialibus, vel cohortalibus committebatur, vel aliis ex electione Præfecti prætorio, ſub idonea cautione, *l.14.h.t.* Hinc clabularij, qui ut cuſtodes curſus publici per ſingulas manſiones locabantur, *l.2. & l.13.C. Theod. eod.* Item Mancipes, qui etiam huic muneri erant mancipati, & curam præcipuè habebant manſionum, equorum & locorum, qui & præpoſiti vocabantur, *l.24.35. & ſeq. C. Theod. eod.* iis parebant ſaiones, apparitores, ſtationarij, ad quinquennium conducti, quo tempore impleto, accipiebant mancipatum; hi curabant annonam, & fœnum, & equos, curſores fatigatos hoſpitio accipiebant, recentes recentibus equis imponebant. Parochi præbebant *ligna ſalemque*, & alia ad victum neceſſaria, juxta illud Horatij. Erant & curſus publici Protectores, munifices, veredarij, vehiculorum præfecti, tabularij ac commentarij vehiculorum. * Iſti Protectores obſervabant, ne 7
quid ultra debitam menſuram rhedæ, angariæ, aut veredo imponeretur. Rheda 100 pondo ſubvectabat. Angaria 1500. Birotæ 200. Veredi 30. Currus 60. nec plura onera ferebant, *l.28. 30. & 41. Cod. Theod. eod.* Birotæ erant vehicula cum duabus rotis, quibus adjungebantur tres mulæ, Rhedis verò octo mulæ æſtivo tempore, hyemali decem applicabantur. Sed etſi multæ in eodem loco rhedæ eſſent, ſingulæ tantùm uno die emitti poterant, *l.35. & 40. Cod. Theod. eod.*

Ne autem plus juſto veredi ornamentis onera- 8
rentur, placuit ne ſexaginta libras auri ſella cum frenis, & iiſdem ſexaginta averta, ſive mantica (ad veſtes & alia neceſſaria condenda) excederet, alioquin fiſci juribus deputabatur, & ſella ſcindebatur in fruſta, exceptis auri centenariis, puto legendum aurigenarijs,quæ ornamenta erant veredorum, ab auribus uſque ad os protenſa, ea-

Digitized by Google

que in ſacculis hippocomi ſive muliones ſervabant, & iis equos ornabant, civitatem intraturi, ac ſecum, domum revertentes, referebant, *l. 12 h. t.* Ut autem non licuit equos curſuales, & alia animalia ultra modum receptumve morem onerare, ita nec equos curſui publico deputatos lignis aut fuſtibus agitare, ſed flagellis & calcaribus, *l. 1. h. t.* quibus nunc qui utitur, ſi equus inde factus fuerit deterior, vel extinctus, non tenetur; ſecus ſi fuſtibus equum percuſſerit. Bartolus & Platea *ad d. l. 1.*

9 Cæterùm non licebat Præſidibus & Procuratoribus Cæſaris, & aliis officialibus, quibus ex publico civitates annonas & capita ſubminiſtrabant, paraveredos provincialium uſurpare, aut curſui publico moleſtiam aliquam facere. Sunt enim hi majores equi agminales ad transferenda impedimenta ad exercitum deputati, *l. 1. h. t.* ſed nec per aliam viam quiſquam eundi habebat facultatem, niſi per publicam, quæ canalis dicebatur, *d. l. 2. & l. 2. C. Th. de curioſis.* Unde ſi quis per publicum curſum iter faciens, cujuſcumque dignitatis vel militiæ ab itinere recto divertiſſet, pœna in eum competens proferebatur, *l. 5. h. t.* Hinc auctores dicunt, dolum præſumi in eo, qui præter conſuetum quid agit, aut non rectâ viâ, ſed per devia incedit, Everard. *conſ. 45.* Leon. *conſ. 23. num. 5.*

10 Solus enim Præfectus prætorio paraveredis & curſu publico, pro arbitrio, uti poterat, *d. l. 2. in fin.* Quin & habebat coërcitionem in curioſum & miniſtros curſus publici, quos recenſui, & in omnes qui non legitimè in curſu iſto verſabantur, *l. 3. ſup. De curioſis.*

11 Nec patiebatur hippocomos aut ſtabularios, dum equos per curſum publicum producerent, indigna ſpoliatione vexari, aut injuria affici à veredariis, auferendo ipſis ſaga, ſeu inſtrata equorum: Hanc injuriam etiam removere tenebantur Judices alij, & curioſi, *l. 13. h. tit.* Plerumque enim ex Magiſterianis ſive Agentibus in rebus, Curioſi mittebantur, ut injurias in itinere publico commiſſas ad Præfectum, aut Præſides deferrent, & cujuſlibet rei rationem haberent, atque inſpicerent evectiones curſus publici. Gutherius *De off. dom. Auguſt. lib. 3. cap. 13. & ſeqq.*

12 Hæ autem evectiones tantùm dabantur à Principe, vel Præfecto prætorio, vel Magiſtro officiorum, non ab aliis Magiſtratibus, *l. 9. h. t.* Huic Magiſtro ſuberant Curioſi per diverſas provincias conſtituti (Magiſteriani hic vocantur & Curagendari) qui ejuſmodi evectiones ſive deplomata ſibi exhiberi poſtulabant. Nam non licebat uti curſu publico ſine evectione, ideò ab omnibus tranſeuntibus poſtulabatur, & qui eam exhibere detrectabat, de-

13 tinebatur, & graviſſimè puniebatur, *l. 3. h. t.* * Continebat autem evectio numerum equorum, quibus curſum agere licebat, qui verò ſupra numerum evectionis equos publicos uſurpare, aut extra ordinem commovere præſumebat, parhippus dicebatur, ſive transgreſſor formæ curſui publico datæ. *l. 4. h. t.* ubi Julianus hanc formam & licentiam non excedi mandat, & Anaſtaſius *in l. ult. h. t.* nemini licere cujuſcumque ſcholæ, officij, vel militiæ, ſeu conditionis per Orientis provinciam ob quamcumque cauſam proficiſcenti ſeu redeunti, vi evectionis datæ à Præfecto prætorio præter unum veredum, & unum paraveredum movere, niſi ſpecialis equorum quantitas à Principe data fuiſſet, aut plures equi neceſſarij eſſent, ad vehendas pecunias publicas. Hinc hodie multis in locis non licet cuiquam cujuſcumque ſit conditionis, præſtantiores equos in alias regiones abducere, aut merces evehere, niſi accepto diplomate ſeu facultate id faciendi.

Quamobrem Agens in rebus, qui ordinem & 14
numerum evectionis non ſervabat, vel à recta curſus publici via divertebat, aut pro una mutatione, ſupra numerum evectionis veredum uſurpaverat, in quadruplum animalis pretium damnabatur, *l. 15. h. t.* graviſſimè quoque & is puniebatur, qui impetratam evectionem alteri vendebat, debebat enim impetrans ſua evectione uti, non alteri equos curſui deputatos locare, aut merces aliò evehendas, vendere, *l. 10. h. t.* * Quòd ſi autem 15
privatus aliquis evectionem impetraſſet, ea uti non poterat, *l. 11. h. t.* præſumebatur enim importunitate aut obreptione obtenta. Etenim ſoli Agentes in rebus, Senatores, Præſides, Rationales, Magiſtratus majores, Legati, Epiſcopi à Principe evocati, evectione utebantur. Privatis tamen, quos ſublimitas adminiſtrationis illuſtraverat, evectionum facultas erat, ut Ex magiſtris equitum & peditum in actu poſitis, non honorariis, *l. 45. Cod. Theod. eod.* Non enim niſi bene merentibus evictiones dabantur, & quidem urgente cauſa. Unde nec omnibus legatis, ſed iis qui de diverſis gentibus ad Principem properabant, permiſſus fuit curſus publicus, *l. 16. h. tit.* Senatori quoque cùm à Principe evocabatur, aut ab eo diſcedebat, *l 6. h. t.* Ducibus verò & Præſidibus in provinciam decretam proficiſcentibus, uti licebat curſu publico; at ubi jam ſemel ſedes fixerant, non ampliùs eo, aut angariis utebantur, nec eorum officiales. *l. 20. h. t.* ſed propriis jumentis exequi tenebantur militarem expeditionem.

Et Curioſorum erat hæc obſervare, item ne pa- 16
bula ſtationibus ſive manſionibus equorum deeſſent, aut iniquo pretio æſtimarentur per mancipes, & ſtationarios, ne provinciales ultra quàm juſtitiæ ratio ſinebat, prægravarentur, *l. 18. h. t.* conferendo pabula & pecuniam pro equis, & præterea paraveredos, *l. 19. h. tit.* ſed ut quotannis tantùm quarta pars veredorum (ſenioribus venditis)

Digitized by Google

ditis) à provincialibus ſepararetur, eorumque impenſis ſtabula ſarta tecta ſervarentur, *l. 7. h. t.* quod utile iis & publico, quia fimetum ex animalibus ad ſtercorandos agros pro ſolario habebant.

17 * Item ut exhiberent ſolita miniſteria, id eſt, equos, mulos, boves, aſinos. Hinc ut agendi itineris poſſet eſſe moderatio, proficiſcente Vicario, triginta aſini, veredi decem tantummodo movebantur; item ne plures veredi per dies ſingulos ex utraque parte manſionum dimitterentur, ſub pœna quinque librarum auri in negligentes ſtatuta fuit, *l. 8. h. t.* In receptantes verò & ſubtrahentes muliones mutationibus deputatos, decem librarum argenti, *l. 17. h. t.* ut enim grave crimen eſt perſuadere ſervo fugam, ita & receptare deſertores, ſtabularios & adſcriptitios alienos, *l. 12. ſup. De agricol. & cenſ.*

18 Hæc ſecundum leges hujus tituli de veterum curſu, inter quem & noſtrum hoc in primis diſcrimini eſt, quod ille publicus eſſet & fieret ſumptu publico, & ad utilitatem publicam, atque non ſine evectione ſeu diplomate Principis, nec omnibus ille curſus permitteretur, niſi iis quibus Princeps, Præfectus præt. vel Magiſter offic. conceſſiſſet, *l. 9. h. t.* Noſter verò privato ſumptu conficitur, & privatis omnibus conceditur ſine diplomate, niſi Princeps ob certas cauſas prohibuerit ſummo veredariorum Præfecto, equos dare ſine ſcedula. Hic autem Præfectus. Curioſo in comitatu olim ſimilis, illuſtri ſtirpe oriundus, à Principe conſtituitur, cui in omnes veredarios imperium eſt, & *ſtafetas* (quos celeres litterarum curſores vocamus) deſignat, atque beneficio Principis omne commodum ex iſto munere proveniens ſibi acquirit; ſed omnes ſumptus ſuſtinet & ſalaria præbet curſoribus, aliiſque miniſtris & faſciculos litterarum Principis, & Legatorum ejus ubique exiſtentium, deferendos curat: atque in præmium probè navatæ operæ ſolent ejus hæredes, permittente Principe, in munus ſuccedere, ſaltem in Hiſpaniæ regnis, & Belgio, ubi hic præfectus *Grand Maiſtre des poſtes*, Hiſpanicè *Correo mayor* appellatur, Garcia Tolet. *ad h. t num 6.* & Larrea *alleg. fiſc. 50.*

19 Eſt & aliud diſcrimen, quòd nimirum veterum ille curſus eſſet nimiùm ſumptuoſus, propterea quod vehiculis fieret, iſque etiam tardior; nam ut plurimùm aſinis & bobus utebantur ad tranſvectiones rerum. Noſter verò curſus exactior celeriorque eſt, per brevia intervalla equis diſpoſitis, & in omnem horam paratis, qui quocumque lubet, currunt, & exiguo tempore magna ſpatia curſores emetiuntur, quod quantam utilitatem ad commoda Reipublic. conferat, quotidiana demonſtrat experientia. Per hos enim curſores Princeps intelligit quid ubique geratur, motus gliſcentes compeſcit, mandata dat ſubditis, & magiſtratus ſua ad Principem obſequia, & reſponſa deferunt. Per hos Legati explorant arcana, & ſciunt, quid in aulis Principum agatur, ut ea Principibus ſuis denuncient. Per hos merces ſuas per totum terrarum orbem mercatores diſtrahunt, pecunias quocumque locorum paucis verbis mittunt, & ut paucis concludam cum Caſſiodoro, omnes beneficio iſto celeritatis ſolicitudines & deſideria ſua expediunt.

TITULUS LII.

De Tractoriis & Stativis.

1. *Nemo utebatur curſu publico, qui non acceperat à Præfecto prætorio tractoriam.*
2. *In tractoriis ſcribebantur ſtativa & manſiones ubi alebantur curſores ex publico. Diſcrimen inter ſtativa & manſiones.*
3. *Tractoriæ continebant duos dies ad iter arripiendum, & quinque ad id perficiendum.*
4. *Inſpicienda erat evectio & ſubnotanda. Similiter nunc inſpiciuntur litteræ liberi tranſitus, & regiſtrantur.*
5. *Graviſſimè puniebatur qui ſine diplomate curſum uſurpabat.*

SUbſerviebat curſus publicus, de quo ſup. Tit. iis, 1
quibus Principes, Præfecti prætorio, & Magiſtri officiorum faciebant poteſtatem. *Evectiones*, inquit Conſtantinus, *ab omnibus poſtulentur, & tam Judices, quam cuſtodes publici curſus minimè tranſire patiantur, antequam ſeriem evectionis adſpexerint, l. 3. tit. ſup.* Evectiones iſtæ erant diplomata, ſive litteræ, quibus curſu publico utendi facultas dabatur, atque diem certum continebant, intra quem veredis uti licebat, eoque termino lapſo, irrita erant, ut ad Plinium Trajanus ſcribit. *Epiſt. 6.* Quòd ſi præter veredos etiam viaticum Princeps largiebatur; hæc diplomata *tractoria* appellabantur, non tractatoria; ut
ſcribunt veteres interpretes. * Illis adſcribeban- 2
tur ſtativa, id eſt, diverſoria, & manſiones in quibus perſecutores & ductores animalium onera ferentium, & nuncii Principis alebantur ſumptu publico, ſed non alia ipſis neceſſaria præſtabantur. Briſſonius, Cujacius, Alciatus, & Gothofred. *ad h. t.* Gutherius *D. off. domus Auguſt. l. 3. c. 15.* qui notant diſcrimen inter ſtativa & ſtationes: illa erant loca ad commorandum & quieſcendum, itinere unius diei confecto: hæ verò ſunt breviora intervalla, quæ Gallicè *le lieu de la poſte*, Hiſpanicè *las ventas y eſtancias donde paran los correos y poſtas*, ubi equos mutare licet, non iiſdem uti & ad aliam
ſtationem progredi. * Præterea non erat per- 3
miſſum iis qui tractorias acceperant, ultra triduum in ſtativis locisve ſolitis hærere. Hinc à Theodoſio & Honorio Principibus ſtatutum, ut qui

Digitized by Google

equos publicos deducunt, tractoriis acceptis, intra duos dies iter arripiant, & ad id perficiendum quinque & ne ultra hoc temporis ſpatium, ad reſidendum ſeu hærendum in quo libitum fuerit loco, copiam nanciſcantur. *l.un.h.t.* Inde Platea, Corſetus, & alij colligunt, poteſtate alicui facta frumenti extra territorium evehendi, unius ſeptimanæ ſpatium ad eam rem dari, quo lapſo, poſſe detineri, *d.*
4 *l.3.* * Cùr ergo evectio diem certum haberet, intra quem veredis uti liceret, ideo ea nō tantùm à cuſtodibus publici curſus erat inſpicienda, ſed etiam à Præſide provinciæ ſubnotanda. *l. 22. C. Th. De curſu publ.* & qui falſo diplomate uſus fuiſſet, pro facti qualitate puniebatur, *l 27. ff. ad l. Corn. de falſ.* Unde ad avertendas fraudes, nunc vigiles aut ipſi publicani, certis ſtationibus conſtituti, obſervant tranſeuntes cum mercibus, alioſque viatores à quibus litteras liberi tranſitus petunt, & reddunt alias, quas in tabulas referunt; atque ab hiſce tabulis curſores invenere nomen tabellario-
5 rum. * Graviſſima namque pœna coërcebatur is, qui abſque diplomate profectus fuiſſet, ut ſcribit Caſſiodorus *lib. 5.* his verbis: *Excedentium improbam præſumptionem, tali te præcipimus diſtrictione reſecare, ut ſive Gothus ſit, aut Romanus, qui ſine noſtra, aut eorum quorum intereſt evectione, veredum præſumpſerit attingere, per unum equum, centum ſtatim ſolidos a te cogatur exſolvere. Et de illis pari quoque ſeveritate cenſemus, qui ſupra evectionum numerum, curſuales equos uſurpare præſumunt.*

TITULUS LIII.

De Apparitoribus Præfectorum prætorio, & privilegiis eorum.

1. *Pars altera hujus libri, de apparitoribus; varia eorum nomina recenſentur olim & nunc uſurpata.*
2. *In officio Præfecti prætorio plures fuere officiales.*
3. *Apparitorum diverſa functiones, diverſa quoque commoda, quanta fuerint ſalaria, & unde dicta.*
4. *Cornicularij, Præfectiani, Primiſcrinij poſt miſſionem adorabant purpuram Principis, & immunitates conſequebantur.*
5. *In bona ſuorum officiatorum ſuccedebat ab inteſtato Præfectus prætorio. An nunc etiam dominus feudi vaſallo ſine hæredibus mortuo?*

1. HÆc de dignitatibus & earum officiis, quæ prima hujus poſtremi libri pars: ſequitur altera, quæ eſt de Apparitoribus Magiſtratuum, qui antiquitus Viatores, Lictores, Accenſi, Stratores etiam dicebantur. Poſtea dicti fuere Executores & officiales, atque inter hos diverſæ adjectiones, prout cuique Magiſtratui apparebant, Cæſarianorum, Catholicorum, Præfectianorum, Præfectoriorum, Magiſterianorum, Auguſtalium, Rationalium, Præſidialium, Largitionalium, Opinatorum: quorum diverſis titulis mentionem fecimus, quibus poſterior ætas adjecit Maſſarios, Bajulos, Bedellos, Biruarios, Oſtiarios, Nuntios, Clientes, Servientes, quorum opera Magiſtratus, Judices, & Rectores Provinciarum utuntur. * Præfecto prætorio plures of- 2
ficiales ſuberant, Domeſtici, Protectores, Agentes in rebus, Palatini utriuſque officij, Cornicularij, Præfectiani, Primiſcrinij, Numerarij, Exceptores, Lampadarij, qui lampades & faſces in ſacris ſcriniis accendebant, & Præcones, inter quos numerandi Apparitores. Quo autem numero fuerint, ob varias temporum mutationes ſciri non poteſt, niſi quòd Juſtinianus ſtatuerit ut officium Præfecti prætorio Africæ eſſet 398. virorum, qui per diverſa ſcrinia, & undecim ſcholas dividebantur, *l. 1. §. item officiis, ſupra De off. Præf. præt. Africa.* Sed in aliorum Præfectorum officio plures fuiſſe officiales, veriſimile eſt.

Horum munus fuit juſſa Præfectorum implere, 3
litigantes in Judicium introducere, in jus vocare, & prehendere, acta ſcribere, recitare, ſententias exequi, obvios ſummovere, jubere via decedere, & caput denudare, fores virgâ percutere, quæ omnia ad nos uſque manavere, & ab antiquis etiamnum retinemus. Magna verò commoda apparitores percipiebant; nam à provinciis annonas, id eſt, cibaria habere conſueverant, *l. 15. ſup. De erog. mil. ann.* pro quibus poſtea pecunia à Principe quandoque 700. aureorum primatibus officij aſſignata fuit; cæteris miniſtris ex publico certum ſalarium datum, ſive ſtipendium exemplo militum. Plinius *lib. 31. cap. 7. Sal honoribus,* inquit, *militiæque interponitur, ſalaria unde dicta.* Præter hæc ab iis qui eorum opera utebantur, alia emolumenta percipiebant; veluti pro ingreſſu huis, ternos, quaternoſve aureos, pro locorum conſuetudine aut privilegio perſonarum. *l. pen. §. pen. & ult. ff. De legat. 3. l. 33. §. 5. ſup. De Epiſc. & Cler.* pro his citandis, pro actis ſcribendis, edendis, recitandis, inſtrumentis exhibendis, ac denique pro ſingulis actibus totidem aut plures aureos minuſve, pro cujuſque conditione & locorum uſu exigebant; ſimiliter cùm ſententias exequebantur, & pignora capiebant, & vendebant, ſua habebant ſalaria, ut Judices ſportulas, & advocati honoraria *l. 1. ſup. De ſportul.* vide Argentræum *ad conſ. Britan. art. 22. not. 3.*

In his officiis nonnulli erant qui cæteros antece- 4
debant, ut Cornicularij, Præfectiani, & Primiſcrinij, quorum hic fit mentio. Cornicularij munere ſuo rectè perfuncti, Principis purpuram adorabant, & commitativam primi ordinis conſequebantur, & immunitatem tam civilium quàm militarium indictionum, *l. 1. h. tit.* Atque ita cùm libero otio

Digitized by Google

otio donarentur, non cogebantur poſt miſſionem aliud munus ſuſcipere: nec Præfectiani ſeſe exactionibus provincialium immiſcere, lucri vel quæſtus causâ, aut horreorum cuſtodiam gerere, *l. 2. hoc tit.* Nec officiales ſolùm, qui ſcrinia habuere, ſcriniarij dicti & regendarij, & eorum Primiſcrinij, ac Numerarij, in officio Præfecti præt. militantes, terminatis militiæ ſuæ obſequiis, deſideratam requiem ſortiebantur, qui finis laborum eſt, *l. 3. h. t.* Ideò humanum genus militat, ait Caſſiodorus, *lib. 11. var. epiſt. 18.* ut peractis ſudoribus quieſcat. At multi nunc ſunt, qui licet amplas divitias conflaverint, iis tamen nunquam implentur, nuſquam laſſati laboribus, quietem quærunt. Gaudebant autem hujus Præfecti apparitores, in libero iſto ocio & quiete, multis privilegiis: Nam erant immunes ab omnibus oneribus perſonalibus, nec aliis Judicibus quàm civilibus ſuberant, *d. l. 3.* ubi additur in fine ac nominatim de Præfectianis, ut qui in prima Principis legione militaſſent, ſolùm coram Præfecto prætorio convenirentur, in provinciis verò coram Præſidibus, niſi publicum officium aliquod eis eſſet injunctum: Item ſi ab inteſtato ſine ſucceſſore legitimo morerentur, ut bona eorum omnia non fiſco, ſed arcæ præfectoriæ addicerentur. . .

5 Hinc uſu receptum, bona juris feudalis deſerta, quorum nullus eſt vaſſallo ſucceſſor, ad dominum feudalem etiam ſi imperium non habeat, devolvi. Nam ejuſmodi bona, deficientibus hæredibus, ex quadam tacita vel expreſſa feudorum conventione, menſæ domini conſolidantur. Argentræus *ad conſuet. Britan. art. 511. num. 3.* contra Molinæum aſſerit, etiamſi de conceſſione non appareat, talem tamen formulam ſubintelligi oportere, ut bona quocumque modo vacent, non ad alium redeant, quàm dominum feudi; nam quiſque ſibi potiùs quàm alteri beneficium acquiri vult. Præterea non aliter infeudationes fieri conſtat, quàm his verbis: *Pro te & hæredibus & ſucceſſoribus tuis.* Igitur iis deficientibus, excluſo fiſco, aut domino qui in loco altam Juſtitiam habet, ad dominum feudi bona redire debent, etiamſi ei tantùm ſimplex juriſdictio competat. Platea & Rebuff. *ad d. l. 3.*

TITULUS LIV.

De Apparitoribus Præfecti urbis.

1. *Apparitores Præfecti urbis qui fuerint & eorum Præfectus.*
2. & 3. *Liberum eis adorare Principis purpuram, quod pro beneficio dabatur. Quamdiu manſerit ille mos.*
4. *Urbaniciani qui piſtores concutiunt, piſtorum corpori addicuntur.*

Apparitores propriè officiales, & eorum officium apparitio dicebatur. Sic apud Ammianum Marcellin. *lib. 16.* legere eſt, Præfectum apparitionis, Præfecturæ prætorianæ, atque hic Præfectus ſive Præfectianus, ut apparitoribus Præfecti præt. præerat, ita Urbanicianus Præfecti urbis miniſter; ac in ejus officio Primicerius cæteros apparitores præcedebat: quibus completâ militiâ, numeroque ſtipendiorum, Principis purpuram adorare ſingulis annis erat liberum; non autem officialibus Rectorum provinciarum, quamvis officiis ſuis rectè functi fuiſſent, *l. 1. h. t.* * Nam beneficij loco dabatur facultas adeundi Principem & ejus purpuram adorandi, idque non omnibus, ſed in dignitate conſtitutis & emeritis, prout hodie primoribus & conſiliariis intimis permiſſum in Hiſpania manum Regis deoſculari in feſtis ſolemnioribus, & Romæ pedem Pontificis. Adrian. Turnebus *lib. 2. adverſ. cap. 11.* Larrea *alleg. fiſc. 31. num. 32.* Hic autem ritus obſervatur in adorando Principe, duo ejus veſtem purpuream extollebant, quam adorans oſculabatur. Cœlius Rhodiginus, *lib. 20. cap. 8. in fin.* * Ad ingreſſum cubiculi ſtabant Scrutatores, qui obſervarent ingredientes, & inſpicerent, num cui ſub veſte ferrum lateret. Suetonius *in Claudio c. 14.* Aderant & Admiſſionales, quos Galli oſtiarios vocant, nonnulli archiatrios, quorum munus erat volentes Principis cubiculum ingredi, admittere, vel repellere, illis præerat Magiſter officiorum, ut dixi ſup. *tit. 20. num. 2.* Plinius laudat fœlicitatem Trajani, quòd pleroſque admitteret, nec paſſus unquam fuerit ſe adorari, *in Panegir.* ut ante Heliogabalum Vitellius Caligula. Et hic mos duravit, uſque ad Diocletianum, qui primus omnium poſt Caligulam & Domitianum, Dominum ſe palam dici paſſus eſt, & adorari ut Deum cùm ante boni Imperatores in modum Judicum ſalutari voluerint, non adorari more Perſarum. Lampridius *in Alexandro*, & de aliis Cæſar Bulengerus *lib. 1. de Imper. Rom. cap. 16.* 1 2 3

Porrò Apparitores dum fungebantur munere, ſuos Præfectos venerabantur, & eorum mandatis promptiſſimè obſecundabant, & maximè cavebant ne quem offenderent. Sed Urbaniciani ſæpe hic peccabant, & clandeſtina fraude piſtores urbis concutiebant; ideo ſtatutum ab Honorio & Theodoſio, ut, ſi accuſati atque convicti fuiſſent, perpetui paneficij corpori addicerentur, *l. 2. h. t.* Idque per Præfectum urbi, qui ut cæteris rebus præerat, ita & annonæ urbicæ, & piſtoribus, ut dixi ſuprà *lib. 11. tit. 15. num. 7.* 4

TITULUS LV.

De Apparitoribus Magiſtrorum militum, & privilegiis eorum.

1. *Magiſtri militum quando & quot inſtituti in Oriente & Occidente?*
2. *In officio habebant apparitores, qui erant ordinis militaris, & à muneribus immunes.*
3. *Erant apparitorum alij ſtatuti, alij ſupernumerarij.*
4. *Statuti erant ſub juriſdictione Magiſtri militum, Supernumerarij ſub Præfecto urbi & Præſid. An non etiam ſub Magiſtro officiorum fuerint Statuti?*
5. *Numerarij, qui ſunt in officio Magiſtri militum per Orientem, completâ militiâ, quæ privilegia conſequentur?*
6. *Non dabantur præmia & honores niſi benè meritis indignum, quod hodie etiam indignis & infamibus conferantur.*

1 Magiſtri militum, quorum conſilio milites in expeditionibus utebantur, quo tempore fuerint inſtituti, non conſtat. Illud certum eſt, poſt Alexandrum, à poſterioribus Imperatoribus Magiſtros militum introductos, & Conſtantinum, poteſtatem quam habebant Præfecti prætorio ordinandi puniendique milites, in duos Magiſtros militum, unum equitum, alterum peditum, contuliſſe, Zoſimus *lib.* 1. Pancirol. *in Notitia imperij Orient. cap.* 30. Cæterùm Theodoſius Imp. ut omnibus ex partibus hoſtibus occurreret, quinque Magiſtros militum creavit in Oriente, in Occidente duos qui ante fuerant retinuit; & voluit ut Principem comitarentur, & quod illi ſemper adeſſent, in Præſenti dicti fuere, *l.* 4. *h. t.* & eorum poteſtas magiſteria, *l.* 3. *eod.*

2 Qua milites in officio continebantur, & ſi qui eo non rectè functi fuiſſent, apparitores denunciabant, qui illorum poteſtati annumerabantur, erantque ordinis militaris, *l.* 2. *h. t.* ideò peculium caſtrenſe, quemadmodum & Præfectiani habebant, non tamen jure militari teſtari poterant, *l.* 16. *ſu. De teſt. milit.* Item ut illi, à muneribus perſonalibus & ſordidis erant exempti, *l.* 1. *h. t.* admodùm enim honeſto loco ſemper fuere Apparitores Magiſtrorum militum, equitum ac peditum; Ita ut eorum numeris adſcribi non poſſent curiales, cohortales, aut cenſibus adſcripti, *l.* 3. *h. t.* quia iis à conditione ſua, ut curia recedere non licebat, aut ad eam retrahebantur.

3 Erant in hac apparitorum ſchola trecenti ſtatuti, ſive intra numerum, qui Magiſtri militum præcepta & ſententias exequebantur, cæteri Supernumerarij: ſtatuti, fori præſcriptione muniti, non alium agnoſcebant Judicem, quam ſuum Magiſtrum: Supernumerarij verò, quaſi nec militantes juriſdictioni Præfecti urbi aut Præſidum ſuberant, *l. ult. h. t.* quia nedum adſcripti matriculæ, & tantùm ſperabant ſe ſucceſſuros in locum Statutorum, *l.* 8. *Cod. Theod. De palat. ſacr. larg.* Sic Canonici expectantes ſeu ſupernumerarij, ſuffragio & ingreſſu capituli excluduntur. Rebuff. *ad d. l. ult.*

Non rectè Accurſius & Gothofredus *ad d. l. ult.* 4 ſentiunt, ſtatutos apparitores ſortitos fuiſſe juriſdictionem Magiſtri officiorum, non Magiſtri militum, quia obſtaret *l.* 2. *h. tit.* quæ vult apparitores Magiſtri militum, ordinis eſſe militaris, atque militibus armatæ militiæ annumerari. Quilibet enim Magiſtratus in ſuos miniſtros habebat juriſdictionem. Erat quidem major juriſdictio, & dignitas amplior Magiſtri officiorum, quòd præeſſet, atque jus diceret palatinis ordinibus, cubiculariis, aliiſque miniſtris aulæ Principis, fabricenſibus, Ducibus & Comitibus limitaneis, *l.* 8. *infr. De diverſ. offic.* non tamen diminuebat Magiſtri militum poteſtatem, quam in milites & apparitores ſuos habebat. Verum quidem eſt, Magiſtrum officiorum Imperatori ſolere quotannis indicare, quiſnam eſſet numerus militum in provincia, quæ juriſdictioni ejus erat ſubjecta, & quaſi ex ſpecula milites obſervabat; ſed ipſius non erat eos judicare, nam id ad præfectum legionis pertinebat, qui abſente Legato tanquam illius Vicarius imperabat, & primi ordinis dignitatem habebat. Vegetius *lib.* 2. *cap.* 9. Omnes tamen Præfecti, Tribuni, Centuriones, milites & officiales uni exercitus Duci & Magiſtro militum parebant, *l.* 9. *ff. De cuſt. & exhib. reor.* cui etiam nunc parent omnes qui ſequuntur caſtra.

Præterea legimus apud Ammianum Marcel. *l.* 19. 5 & Gutherium *de off. dom. Aug. l.* 2. *c.* 9. Apparitores Magiſtri militum habuiſſe Præfectum, qui apud nos *premier Huiſſier*, qui præcedebat incedente Magiſtro, & numerarios apparitionis, qui Magiſtri militum mandata & apparitorum relationes annotabant. Magiſtrorum autem tam præſentalium, quàm Orientalium numerarij, qui ordine & militiæ ſtipendiis fuerant decorati, ab omnibus indictionibus erant immunes, & Tribunorum prætorianorum militum honore accumulabantur; principes verò officij, qui probè munere ſuo functi fuerant, aggregabantur Tribunis vigilum militaribus, *l.* 4. *h. t.* * Atque hiſce præmiis poſt exantlatos labores, 6 & ſummas vigilias, officiales Præfectorum afficiebantur. Quo docemur, non niſi bene meritis præmia eſſe conferenda: indignum autem, ſi non tantùm ſine examine, & æquilibrio meritorum, ſed nihil meritis, imò ſæpe infamibus perſonis & ob turpem & infamem cauſam conferantur. *Ubi malos præmia ſequuntur, haud facilè quiſquam gratuito eſt bonus, malitia præmijs excitatur, ubi ea ademſerit, nemo*

Digitized by Google

mo omnium gratuito eſt malus. à Romanis honores rari & tenues dabantur, & ob eam cauſam glorioſi, nunc autem effuſi atque obſoleti. Videmur quaſi ignorare Reipublicæ opibus metienda eſſe præmia; nimia ſanè profuſio Principes & Reſpublicas ſæpe perdidit.

TITULUS LVI.

De Apparitoribus Proconſulis, & Legati.

1. *Ut Magiſtratus alij majores, medij & minores, ita provincia diviſa. Proconſules majores, medias Conſulares, minores Præſides gubernabant.*
2. *Proconſulum dignitas diminuta, niſi eorum qui conſulari poteſtate mittebantur. Quæ eorum inſignia: Quot legatos habuerint:*
3. *Quot apparitores: Quis eorum caput: Omnes liberi erant, nulli Reipubl. functioni obnoxij.*
4. *Non utendum militari executione, quia plerumque violenta, ſed apparitorum.*
5. *Apparitores nihil exigant, niſi quod debetur.*
6. *Probos apparitores & miniſtros adſciſcant Judices, & curent, ne alienis officiis ſe ingerant.*

1 OLim pro imperio Magiſtratus, & magnitudine provinciæ, plures vel pauciores erant apparitores, Provinciarum Magiſtratus aut Proconſules erant, aut Conſulares vel Correctores, aut Præſides. Proconſules majoribus provinciis præficiebantur, ut Aſiæ, Achaiæ, Africæ, Cappadociæ, Armeniæ primæ, & Paleſtinæ, quas in numero majorum Provinciarum Juſtinianus eſſe voluit, ſicut & illas quibus Comites, Prætores & Moderatores dedit, qui jus etiam in milites habebant, *Novell.* 20. 25. 26. 30. & 31. Mediis Provinciis Rectores, Conſulares imperabant; item Correctores, ſed hi conſularibus ornamentis non utebantur, ut illi, enſem tamen & chlamidem geſtabant, quibus Proconſules carebant. Correctores dicti ſunt Prætoris nomine abolito: quia ut ſcribit Dion, Prætoris & Conſulis nomen tantùm in Italia permanſit, cujus Rectores Prætores & Conſulares appellabantur. Minoribus Provinciis Præſides perficiebantur, dicebanturque Judices ordinarij. Ita hos Præſides interpretatur Juſtinianus *in Novell.* 103. Paleſtinam, inquit, quondam Proconſul tenuit, ſed eo amiſſo ad Magiſtratum quem vocant ordinarium devenit, id eſt, Præſidem. Sola Ægyptus Præfectum Auguſtalem ex ordine equeſtri habuit. Strabo *lib.* 17. & Dion. *lib.* 53. In Provincias inferiores mittebantur ſæpe Quæſtores, qui poſt Procuratores Cæſares ſunt appellati.

2 Proconſules unum aut plures habuiſſe Legatos, exemplo Conſulum, opinatur Alciatus *ad h. t.* & patet *ex l. 2. eod.* & ex Cicerone, Proconſulem Aſiæ tres elegiſſe optimos, Tuberonem videlicet, Halienum & Gratidium, *Epiſt. 1. ad Quint. fratr.* Huic Proconſuli Helleſpontus adjectus eſt, ab Honorio & Theodoſio, quòd ejus Conſulares iniquè ab apparitoribus vicarianis Ponticæ vexarentur, *l. 1. ſup. De off. Comit. ſac. patr.* In provinciam proficiſcens hic Proconſul per mare iter facere tenebatur, ac primùm Epheſum Metropolim ſe appellare, ut ſatisfieret deſideriis Aſianorum, *l. 4. §. 5. verſ. quædam. ff. de off. Proconſ. & Leg.* ingreſſus autem Provinciam mandare ſuam juriſdictionem Legato poterat, non antè; ſententias verò ipſe Proconſul ferebat, *l. 1. ſup. De off. Proconſul.* atque ab eo ad Præfectum urbi Conſtantinopolitanæ appellabatur, *l. 23. ſup. De appell.* fuit Proconſulum magna dignitas & auctoritas (ut dixi *ſup. de off. Proconſ.*) ſed diminuta deinde, & facti Proconſules quaſi Conſulum vicarij, niſi quòd quibuſdam in ampliorem provinciam miſſis, conſularis dignitas attribueretur, & eodem honore haberentur, quo Conſules, atque ut illi inſignibus, utique faſcibus & ſecuribus, uterentur, vehiculo quoque argenteo & cohorte.

Poſtea habuerunt quadringentos apparitores, 3 *l. 2. h. tit.* quorum primus erat princeps ex Ducenariis ſcholæ agentium in rebus, qui Clariſſimus vocabatur; *l. fin. ſup. De Princip. agent. in reb.* & cingulo utebatur, ut pauci alij apparitores, quamdiu officio fungebantur; erant autem omnes liberi homines, non alicui Reipublicæ functioni obſtricti. Quo fit ut curiales, piſtores, negotiatores, trapezitæ, veſtiarij qui menſas & veſtes conficiunt & vendunt, cæteriſque corporibus obnoxij, ſi apparitores Proconſulum facti fuiſſent, ſuis muniis mox reſtituerentur, *l. 1. h. t.* prohibebantur omnibus militiis, *l. 12. infr. tit. 58.* ubi de his plura.

Cæterum quamvis apparitores eſſent ſimiles 4 militibus, ex iis tamen aſſumi non poterant. In negotiis privatorum nunquam tuitio vel executio militibus tribuebatur, *l. 1. ſup. de off. mil. jud.* ſed illa fiebat, ut nunc fit per apparitores: cur non per milites? quia violenta illorum executio & ferè hoſtilis, ac præter alia incommoda, plerumque hæc involvit ut unus pro altero, aut cum altero, cùm ad eum non ſpectet, luat. Sapienter Tiberius cenſuit non utendum militari manu & vi, ubi legibus agi poſſit. Tacit. *lib. 3. annal.* Igitur ſecundum legum præſcripta apparitores, & alij Judicum miniſtri modeſtè ſe exhibeant, cives ſine violenta in Jus trahant, niſi ſe armis defendant, *l. 9. §. pen. ff. ad l. Aquil.* nihil abullo eorum percipiant, ſed æqui ſint in ſuo munere, ac dum exequuntur, humani, *arg. cap. 8. Novell. 8.* * Quia verò ſæpè hic excede- 5 bant apparitores Proconſulum, & indigna ab officialibus poſtulabant, ideo ſtatuunt Impp. Arcadius.

dius & Honorius, ne proconſulare officium poſtulet, niſi quod exigere conſuevit, aut jure debetur, item ne alienis officiis imprudenter ſe immiſceat, *l. ult. h. t.* quæ lex ſpeciatim dirigitur ad Proconſu-
6 lem Africæ.* Sed ad omnes etiam Judices pertinet, & tacitè monet, ne ullos miniſtros adſciſcant improbos, ſordidos, turpi aut indebitæ acceptioni paratos, ne per eos dignitatem ſuam minuant, & ignominiam parent; ſolent enim vitia officialium & domeſticorum etiam dominis affingi: nec enim creduntur probi improbis miniſtris delectari, deinde eos coërceant ne ſe officiis aliorum ingerant, ſed ſolicitudini ſibi demandatæ invigilent, nihil ſupra attentent. Idem quoque monet Juſtinianus *in Nov. 80. cap. 8. & in Novell. de mand. princ. 17. cap. 5. in fin.* jubet ut Judices officiales ſuos contineant, & ne permittant eis quid attentare, aut ſubjectos impellere; neve ut Officiales videantur quidem ſubjecti illis, pro veritate autem præſint illorum voluntati.

TITULUS LVII.

De Apparitoribus Comitis Orientis.

1. *Comes Orientis fuit Vicarius Præfecti præt. Orient. diminuta à Juſtiniano hujus Comitis adminiſtratio.*
2. *Habuit ſexcentos apparitores, non plures, quòd illi ſufficerent publicis neceſſitatibus.*
3. *Tribuni plebis, ædiles, decuriones non habebant niſi domeſticos miniſtros, eoſque fidos: iis utendum & paucis.*
4. *Apparitores, executores & catholiciani vocabantur, item beneficiarij. Qui nunc vocentur.*
5. *Quando apparitorum numerus augendus.*

1 CUm Perſæ imperij Romani hoſtes, Meſopotamiam aliaſque vicinas regiones devaſtarent, miſſus eſt Comes vir ſpectabilis, qui Orienti cum militum robore præeſſet, hunc autem Vicarium fuiſſe Præfecti prætorio Orientis, multis auctoritatibus probat Pancirolus *in Notitia imperij c. 104.* & imperaſſe quindecim provinciis, quas ſuprà *De off. Comit. Orient.* recenſui. Verùm Juſtinianus hunc Comitem duabus provinciis præfecit, nimirum
2 primæ Syriæ & Siriſticæ regioni, *Novell. 8. c. 5.** Cùm itaque anguſtior reddita eſſet hujus Comitis adminiſtratio, abunde ſufficere viſus eſt numerus ſexcentorum apparitorum, quos in officio ſuo habebat, *l. un. h. t.* Non enim plures aſſumendi ſunt, quàm
3 publica neceſſitas exigit.* Hinc Tribunis plebis, Ædilibus, Duumviris, minoribus Magiſtratibus nulli dati fuere apparitores, vel executores, quia non habebant vocationem, nec prehenſionem; utebantur enim tantùm unius aut alterius miniſtri domeſtici opera, qui fidelis eſſet, & arcana celaret. Et rectè, paucis miniſtris ac fidis utendum: nam iis quorum fides non eſt explorata, arcana communicanda non ſunt, nec in officio eorum opera utendum. Quare ſcribit Rebuff. pauciores miniſtros admittendos eſſe, nec plures præſidiarios poſſeſſioni imponendos, quam qui ad cuſtodiam ſufficiant, *ad l. un. h. t.*

Hoſce apparitores & miniſtros, vocat executores Ulpianus *in l. 3. §. 8. ff. de negot. geſt. & l. 50. ff. de evict.* ab exequendo; & Imperator Cæſarianos & Catholicianos, *l. 9. §. fin. ſup. de bonis proſcript.* quòd illi eſſent in cauſa Cæſaris Præfecto prætorio per Orientem adminiſtri: id enim Catholicum univerſale & generale ſignificat. Item beneficiarij dicebantur qui Præfectis ſuberant: Sic enim omnes, inquit Vegetius *lib. 2. cap. 7. conſecuti aliquod munus in officio Præfectorum, beneficiarij, vel ordinarij vocantur*; ita & hodie qui feuda poſſident, beneficiarij ap- 4
pellantur.* Apparitores verò noſtri executores, 5
viatores, Judicum nuntij, bajuli dicuntur, apud Hiſpanos *Alguaziles*. Eſtque in Curiis certus ſtatutorum numerus, quem Judicibus licet excedere, modò id fiat citra Reipublicæ ſumptum, *l. fin. in fin. ſup. de off. mag. milit.* Si quæ tamen neceſſitas, aut cauſæ executio majorem numerum poſtulet, de publico illis danda ſunt ſalaria, ne manus, ut ſolent, ultra porrigant. Sed ſi in loco ſint ſufficientes apparitores, non rectè fecerit Judex ſi novos creet, & ſtatutorum emolumenta diminuat, aut quæ illis debentur eripiat, quandoquidem labores ſubeant & in exequendis cauſis aliiſve negotiis ipſius imperio præſto ſint. Nam non omne quod licet honeſtum eſt. Labores enim præmium merentur, eoque Judex illos, quorum operam ſibi putat eſſe neceſſariam, alliciat, atque promoveat, non metu terribili & neceſſitate libertati incongrua, à ſe alienet, *juxta l. 1. ſupr. de aſſeſſor.* Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 15. num. 91.*

TITULUS LVIII.

De Cohortalibus, & Principibus, Cornicularis & Primipilaris.

1. *Cohortalium militia, diverſis Judicibus & poteſtatibus parebat, ut militaris Magiſtro militum.*
2. *Varia cohortalium miniſteria, alij chartas vel tabulas fiſcalium debitorum tractabant; alij alia, ubi inſerti fuerint matricalis.*
3. *Probatoria opus erat ut ad aliud munus promoverentur; ita hodie litteris Principis.*
4. *Per Illyricum certus fuit numerus cohortalium, cui non niſi probi & induſtrij aſcribebantur.*
5. *Maxima ſolicitudo nunc eſſe debet, circa officiales, ſcribas, & alios miniſtros Judicum, quorum fide ſtatur.*
6. *Cohortalibus præficiebantur principes & prima-*

ni

Digitized by Google

tes officiorum, ex quorum aſſenſu illi officium exercebant.

7. *Duplex militia Cornicul[a]riorum. Quod eorum munus. & Commentarienſium, & Clavicul[a]riorum?*

8. *Cur Stationarij carcerem habere non potuerint?*

9. *Sine mandato Judicis nemo incarcerandus; illud in ſcriptis exhibendum: Et quando non ſit opus mandato.*

10. *Apparitores qui juſtè aliquem capiunt, an poſſint reſiſtentem impunè occidere?*

11. *Apparitoribus auxilium petentibus in ſuo munere, quivis adeſſe debet. Quomodo auxilium eis præſtandum?*

12. *Unde profluxit mos iſte petendi auxilium?*

13. *Quod fuerit officium Primipili: qui Primipilarij nuncuparentur?*

14. *Apparitores Præſidum quamvis longo tempore functi fuiſſent officio, eo non liberabantur, niſi Primipili officium geſſiſſent.*

15. *Cohortalium conditio oneroſa, non omnino tamen dignitatis expers: nemo ea liberabatur affectando aliam militiam.*

16. *Filij ejuſdem erant fortunæ, pater eos in ſuum locum ſubſtituebat, aut curiæ addicebat.*

17. *Parentes curare debent ut filij bonis artibus imbuantur, & adſcribantur alicui militiæ, eadem cura ad Magiſtratum ſpectat.*

18. *Principes officij non debebant adſpirare ad aliam militiam, aliàs carebant ſalariis, & ſuæ civitati reſtituebantur.*

19. *Qui habet unum officium non debet aliud affectare: quando non proſit conceſſio proprio motu facta?*

20. *Per ſecundam conceſſionem non derogatur primæ; quamvis fiat ex certa ſcientia.*

21. *Cohortales declinantes onera, aut fugientes retrahebantur.*

22. *In cohortalem criminis reum, & latitantem, profertur ſententia, ſi citatus non compareat.*

23. *Quomodo citandus ſit abſens crimino ſus ad audiendam ſententiam.*

24. *Ignominioſè miſſus apparitor, interdum reſtituebatur a Principe, qui ſolus id poteſt.*

1 AD ſimilitudinem militum inſtituta olim fuere palatina officia; atque ut milites armati per cohortes diſtributi, Magiſtro militum parebant, ita milites inermes, ut cohortales apparitores & executores alicui cohorti aut ſcholæ adſcripti, erant ſub imperio Præfectorum, Proconſulum, & aliorum Judicum. Magnus autem fuit horum officialium numerus, ex quo plerumque aſſumebantur, qui per cohortes ſeu curias tributa exigerent, executores dicti, alij cohortales qui tabulas vel chartas fiſcalium debitorum tractarent, & munimenta publica conſcriberent, *l. 26. C. Th. h. t.* Gutherius *De off. dom. Aug. lib. 2. cap. 15.* * Ut autem varia
2 erant Præſidum negotia, ita varia cohortalium miniſteria; omnes tamen qui ea obibant, in eadem erant cohorte, & ſicut miles in numeros relatus verè miles dicitur, ita tum demum cohortales dicebantur, quando in matriculam nomina ipſorum erant recepta. Unde cohortalium corpus conſtituebatur. Cui non tot tantaque fuere privilegia, quanta militibus ipſis, aut Magiſtratibus, neque tantum ſtipendij aut annonæ dabatur. Huc pertinet quod Valentinianus ſcribit, eos qui chartas, vel tabulas, vel quæcumque alia miniſteria cohortis optaverant, non antè ad ea accedere permitti, quàm eorum nomen in matriculam eſſet relatum, *l. 10. h. t.* Hæc miniſteria ab initio ſuſcipere voluntatis fuit, ſed ubi ſemel relatione nominis facta in matriculam ſuſcepta erant, neceſſariò expediebantur; ita ut qui ſemel cohortalium corpori adſcriptus eſſet, ſponte conditionem ſuam ampliùs deſerere non poſſet. * Quo fit, ut nullus 3
Judicum quemquam ex cohortalium numero ſine ſacra probatoria probare auderet, aut ad aliud munus promovere; niſi ſi cui mandare vellent curſus publici exhibitionem, *l. 2. h. t.* nec enim tanto muneri adminiculum denegari publica permittebat utilitas, facit & *l. 14. ſup. De curſu publ.* Solebant (ut ibi dixi) Præſides quotannis ex cohortalibus aliquot mittere ad manſiones, qui curarent exhibitionem curſus publici, & evectiones inſpicerent. Hinc quamvis Judices in ſuis curiis nunc poſſint Officiales, Apparitores, & Executores conſtituere, non tamen eoſdem ad alia officia promovere, ſine probatoria, id eſt, non obtentis litteris Principis, quibus approbentur, *l. 17. ſup. de re milit.* * Qui verò jam ſuſcepti & approbati 4
olim fuerant in officio Magiſtrorum militum, cohortalium nomen, & legionariorum privilegium retinebant, coram rectoribus provinciarum, *l. 4. h. t.* Horum enim officiis præſidialibus plures ſuberant, ac per Illyricum, ex quo plurima ac maxima neceſſitatum emolumenta percipiebantur, ſingulis Præſidibus Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novi, Daciæ Ripenſis, centum cohortales obſecundabant; atque ad hujuſmodi miniſtrorum obſequia adhibebantur, non qui vano militiæ nomine immenſa lucra ſectarentur, ſed qui Reipublicæ utiles, induſtrij & neceſſitatem officij debita ſollicitudine exequerentur, *l. 9. h. t.*

Horum exemplò ſummus delectus hodie adhi- 5
bendus eſt, in iis adſciſcendis, quorum opera Judices uti debent, & in quorum humeros non tantùm partem curæ ſuæ, ſed & famæ & animæ reclinant: atque eò major cura adhibenda eſt circa eos, qui ſunt ab actis, Graphæos, ſcribas, Notarios, auctuariorum adjutores, ſubadjuvas, exceptores, cùm hi in partem Judiciorum & rerum agendarum veniant; & magis nunc ſtetur eorum fidei, quàm apparitorum contrarium referentium,

Digitized by Google

tium. Cynus *in l. ſi quis. 21. C. De falſis.* Imo tanta fides Notariorum ſcriptis tribuitur, ut teſtibus non interrogatis, plenè probent, quanta non olim. Baldus & Jaſon. *in l prætor in princ. ff. De edendo.* & apertè à Juſtiniano *in Novell. 73. §. ſi verò nullus.* declaratur. Vult enim, teſtes inſtrumentis forenſibus ſubſcriptos, de illorum voluntate interrogari, &, ſi mortui fuerint, ſcripturam fide carere.

6 Erant itaque Judices maximè ſoliciti, ut Officiales haberent aptos, ſedulos, fidos: verùm in aſſumendis apparitoribus & cohortalibus, quorum numerus erat maximus, tantam cautionem adhibere non poterant: curabant tamen ne cohortales poteſtate ſua abutentes, ultra id quod erat debitum à provincialibus elicerent, vel pecuniæ aut rei alicujus extorquendæ cauſa terrorem injicerent, & concuſſiones facerent, ſed ſuo munere probè & decenter fungerentur; id autem ut fieret, præpoſiti eis ſunt principes cohortalis officij, ſive majores officiales cohortis, Accurſius *hic & in l. 4. de apparit. mag. milit.* ex quorum aſſenſu & annotatione liceret executiones facere, non pro arbitrio & libidine ipſorum, prout etiam Agentes in rebus conſulto priùs ſuo principe officium exercebant; hic autem princeps unus erat, primates plures, *tit. de Princip. agent. in reb.* Gutherius *lib. 2. c. 15.*

7 Inter hos collocabantur Cornicularij, illorumque munus tam in armata, quàm palatina militia, erat honorificum, *l. 8. & 9. C. Th. De diverſ. off.* Cornicularij armati dicti à corniculo, quod erat ornamentum militare, & inter dona militaria recenſetur à Livio *lib. 10.* palatinæ verò militiæ Cornicularij, erant Præfectorum officiales, qui cornibus ſecretarij, itemque ſententiis damnatorum exequendis præerant, ut ſcribit Maternus *lib. 2.* atque tranſactis corniculis, 700. ſolidos recipiebant, ac Principis purpuram adorabant, *d. l. 8.* Caſſiodor. *lib. 11. var. 36.* Non diſſimile officium habebant Commentarienſes ſeu Clavicularij, quibus carcerum & catenarum cura mandabatur, atque quæſtionibus, quæ de criminum reis habebantur, intererant. Pancirolus *in Notitia Imperij cap. 11.* iis parebant Stationarij, ex cohortalium grege aſſumpti, qui ſtationes agebant, ut milites vigilias; item debita tributa, aut legata relicta exigebant, *l. 1. h. t.* ubi ea extorquere, aut ſuperexactionem facere Stationarij prohibentur, utique etiam aliquem in carcerem conjicere, aut apud ſe habere in cuſtodia, licet manifeſtum eſſet crimen. Idem de Curioſis dictum
8 *ſup. tit. 23. n. 8.* * Ratio eſt, quia iis tantùm facultas denunciandi indicandive reos commiſſa erat, non etiam eos incarcerandi, quod privatis non licet, *l. un. ſup. De privat. carcer.* quales cenſebantur Stationarij. Quo fiebat, ut ob injuriam acceptam, accuſatio coram iis non proponeretur, ſed coram Præſide, qui habebat juriſdictionem, *l. 8. ſup. De accuſationib.* ubi plura *num. 3.*

Porrò hæc officia cum Romano imperio ferme 9
ſunt extincta; aliqua tamen eorum permanent veſtigia: pauci hodie relicti ſunt nuncii, apparitores, & executores, qui litigantes citent & judicata exequantur, unus aut alter Commentarienſis, ſeu cuſtos carceris, pauci miniſtri Judicū & ſatellites, qui delinquentes capiant. Neminem tamen capere poſſunt & in carcerem detrudere, qui fixos habet lares, ut habet Edictum *anni 1611. art. 39.* niſi in flagranti delicto deprehenſum, aut ex ſpeciali Judicis mandato, idque in ſcriptis obtento, *l. 6. ſup. De exhib. reis.* Bart. *conſ. 83.* Alexander *conſ. 133. n. 1. & 2. lib. 6.* Felinus *c. 1. n. 10. De judiciis,* qui ſcribunt exhibendum eſſe mandatum ſi petatur, aliàs poſſe reum, niſi capiatur ob manifeſtum delictum, reſiſtere apparitori, *l. 5. ſup. De jure fiſci.* ibi Bart. & Luc. de Penna *num. 5. verſ. nota etiam quod non creditur.* Verùm licet in flagranti aut manifeſto delicto poſſit abſque mandato reus capi, debet tamen deduci ad Judicem. Amaya *ad l. 5. n. 15. C. de jure fiſci.* Si poſt delictum capiatur in fuga, dicetur nihilominus in continenti captus, & in flagranti delicto; in hoc enim deprehenſus reus etiam à privato quolibet capi, & Judici tradi poteſt, ac debet intra 24. horas, ne, ſi ſecus fiat, committatur crimen privati carceris, *l. 25. ff. de adulter.*

At quid ſi apparitores ex mandato Judicis, dum 10
conantur reum capere, ille ſe armis defendat? Sentio reſiſtentem, ſi ſe non capi patiatur, occidi poſſe, ſive pro debito civili, ſive delicto etiam non capitali, *l. 4 ſup. De his qui ad Eccleſ. confug.* ibi, *Si armorum fiduciâ reſiſtendi animum inſania impellente conceperit.* Dummodo tamen apparitores moderamen in aggreſſu ſervaverint, aliàs enim non licet eis aliquem reſiſtentem occidere, non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, *l. 3 ff. De juſt. & jure. l. 2. ſup. ad l. Corn.* Gomez. *tom. 3. var. cap. 9. num. 6.* Fachinæus *lib. 9. controverſ. cap. 73.*

Quòd ſi apparitoribus, dum aliquem capere ni- 11
tuntur, vis inferatur, aut capiendus reſiſtat, qui præſentes ſunt tenentur ipſis opem ferre, præſertim ſi auxilium implorent, acclamando *(à l'aide)* Hiſpanicè *(aqui del Rey)* & niſi manum porrigans, arbitrariè puniuntur; videntur enim contemnere auctoritatem regiam, ubi denegant miniſtris munus exequentibus auxilium. Verùm periclitari de ſua ſalute nemo cogitur, nec ſuam alienæ poſtponere: fuit enim alia ſervorum conditio ex S. C. Syllaniano, quàm liberorum, *l. 1. ff. ad S. C. Syllan.* * Et 12
ſatis eſt ſi auxilium præſtent manu, aut clamore, aut alio modo, neque ulla auxiliantium eſt pœna, ſi apparitores occiſi ſint, *d. l. 1. §. tuliſſe. ff. d. t.* Clerici excipiuntur, qui ad vocem apparitoris non

Digitized by Google

non coguntur ei opem ferre, *c. ult. ne Cler. vel Monach. in 6.* Argentræus *ad conſ. Britan. art. 21.* Id autem profluxit ex veteri Romanorum more, quo auxilium invocantes, acclamabant, *Quiritum fidem!* Varro *lib. 5. De lingua Latina.* Unde *Quiritari*, inquit Budæus, *eſt Deum hominesque implorare.* Etenim iſtorum apparitorum poteſtas, ex perſona Regis qui eos hac facultate exequendi capiendique donat, perpendenda eſt, non ex propria illorum perſona.

13 Præter officiales, erant primipili & primipilarij, illi cohortalium militum legioni præficiebantur, militarem quoque annonam per capita militum dividebant. Ideo in adæranda annona militari, ſervari pretia fori rerum venalium voluit Valentinianus, dum ſcripſit, ut in ſpeciebus primipilaribus adærandis, eadem pretij taxatio ſervaretur, quæ in venalibus publicis poterit reperiri, *l. 8. h. t. & l. 6. C. Th. eod.* ibi, *Primipilaribus, qui ad p[illegible]ſcenaos milites ſolemniter ad limitem deſtinantur.* Verùm qui jam primipili honore functi fuerant, primipilarij nuncupabantur, ut ſcribunt Ant. Auguſtinus, Alciatus, & Covarruvias *lib. 1. var. reſol. cap. 16. num. 7.* à quibus diſſentiunt veteres, Accurſium ſecuti ex depravata traductione, *l. 8. §. ult. ff. De excuſ. tutor.* ubi exiſtimantur primipilarij exercere primum pilum, de quo plura infrà *tit. 63.*

14 Cæterùm ad hoc primipili officium promoti, ordinarij dicebantur, nec ab eo immunes erant officiales, præterquam apparitores Præfectorum aut majorum Judicum: ordinariorum enim Judicum ſeu Præſidum apparitores, qui jam ſpeculatorum vel ordinariorum attigerant gradum, & quaſi in ſpecula ante alios poſiti, etiam omnibus officij gradibus completis, à cohortalium neceſſitate qua adſtringebantur, liberari non poterant, niſi primipili munus geſſiſſent, *l. 7. h. t.* ideò fortè à jureconſulto Paulo perpetui appellantur, *l. 34. ff. de reb. credit.* quòd perpetuo in provinciis munere cohortalium fungerentur, nec cooptati eſſent à Præſide, nec in provinciam deducti. Cujacius *in parat. ubi quis de curiali vel cohortali. & in l. 3. ſup. De canon. largitional.* nam miniſtri, quos Præſes ſecum in provinciam ducebat, non dicebantur cohortales, ſed domeſtici. Si verò illi ob ſcelera ſua ſoluto militiæ cingulo addicerentur infamiæ, aut nondum expleta militia ignominioſè mitterentur, ex eorum bonis paſtum primipili compleri placuit, *d. l. 7. in fin.* Nam ab iſta primipili neceſſitate ne quidem privilegiati erant immunes. Unde cohortales Syriæ, qui magna à Divo Diocletiano obtinuerant privilegia, ne videlicet ad ſolicitudinem baſtagæ, vel functionem naviculariam, vel ad curiam inviti devocarentur; nihilominus competenti ſolicitudine primipili functionem complere, atque annonæ militaris rationem reddere tenebantur, *l. 3. h. t.*

Unde videre eſt oneroſam fuiſſe cohortalium 15
conditionem, tametſi publicam, & honorificam; quemadmodum etiam curialium, quorum tamen onera tanta erant, ut propemodum obſcurarent honores, nec liceret eis, uti nec cohortalibus, illa onera declinare, aut aliam militiam affectare. Quo pertinent Theodoſij & Valentiniani Conſtitutiones, ut ſi cohortalis, apparitor, aut obnoxius cohorti, ad ullam aſpiraſſet dignitatem, ſpoliatus omnibus impetrati honoris inſignibus, ad ſtatum priſtinum revocaretur, liberis ejus etiam in tali conditione ſuſceptis fortunæ patriæ mancipandis. Itaque ſi quis ex his auſus fuiſſet ullam affectare militiam, nulla præſcriptione temporis muniebatur, præter eam quæ ex 40 annis colligitur, ſed ad conditionem propriam retrahebatur, *l. 12. h. t.* ubi in fine additur, à cohortali militia ſummoveri trapezitas, veſtiarios, & alios negotiatores, non quidem omnes, ſed qui ergaſteriis adhærent, id eſt, aliquid operæ mechanicæ exhibent, aut merces venales proponunt, quæſtus quotidiani causâ. Opifices, ait Cicero, in ſordida arte verſantur; neque quicquam ingenuum poteſt habere officina.

Multò minùs filij cohortalium, aut curialium, audebant ad aliam aſpirare fortunam, vel militiam, ob nexum & conditionem avitam, cui erant obnoxij, *d. l. 12. & l. 35. ſup. De decur.* * Sic qui plures ha- 16
bebat filios, primogenitum in ſuum locum velut hæreditario jure ſubſtituebat, alterum amore patriæ ductus, civitati addicebat, cæteros in militiam, quam elegiſſent, mittebat, niſi ipſe pater alicui militiæ aut cohorti eſſet adſcriptus, quam, ut dixi, ſequebantur filij: ſi autem duos tantùm haberet filios, primum cohorti, alterum civitati deſtinabat; ſi unicum, probè inſtructum ordini patriæ reſtituebat, nullo contra hanc formam reſcripto Principali valituro, *l. 5. h. t.* ubi ita reſcriptum ad primipilarios, qui per Oſdroënam regionem militabant.

Quo admonentur parentes, ut à teneris annis 17
filios in militari diſciplina imbuendos curent, aut iis artibus, quas ipſi profitentur, quòd faciliùs fieri poteſt, cùm filij in eas artes plerumque propenſiores ſint; idque, ut dixi, à teneris annis curandum, nam, ubi adoleverint, nihil proderit cura, neque paterna admonitio: qui non eſt emendatus ſurculus, arbor corrigi non poterit, niſi excidatur. Meminerint parentes bonam filiorum educationem atque inſtitutionem, ad familiæ & Reipublicæ ſalutem, malam ad everſionem quàm maximè tendere. Ariſtoteles *lib. 5. polit. cap. 9.* Quòd ſi officio deſint, aut mortui ſint, Reſpublica parens eſt, & hanc curam parentum loco ſupplere debet, ſed & maximè in hoc officium ſuccedit, cùm filij jam ſunt adultiores, & adſcribendi alicui ſcholæ.

Ad cohortales redeo, ex quorum corpore, item- 18

que curialium ſchola, qui aſſumpti fuerant in principes cohortalis officij & primipilarij, ad aliam militiam adſpirare non poterant, vel miniſteriis ſibi contra publicam utilitatem blandiri, vel ad aliam quamlibet dignitatem in præjudicium prioris ſtatus, ſeu curialis conditionis accedere, etiamſi annotationem clementiæ Principalis impetraſſent; nam emeritis ſtipendiis ſuæ civitati reſtituebantur, *l. pen. h. t.* Idem repetitur *in l. ult. eod.* quæ eſt pars *l. pen. Cod. de off. rect. provinc.* ut ſi quis cohortalibus obſequiis obligatus, regimen provinciæ affectaſſet, aut cingulum militiæ vel dignitatis meruiſſet, careret impetratis, etiamſi ultronea Principis liberalitate dignitatem iſtam ſibi fuiſſe delatam jactaſſet: ſalaria quoque cohortalinæ militiæ amittebat & per ſe primipili munus implere cogebatur, ac deinde tradebatur ſuæ civitatis curiæ, ſi curialis fuiſſet; nam cohortalem, completa militia, ad aliam dignitatem aſpirare potuiſſe ſcribit Cujacius, ſed non ante completam ſuam militiam, niſi ex certa ſcientia id Princeps conceſſiſſet, *d. l. 12. & l. ult. h. t.*

19 * Non adverſatur *l. pen. eod.* ubi, *etiamſi quis ſpeciali annotatione indulgentia Principalis, dignitatem obtinuiſſe videretur,* ea carere debebat, quamvis militiam ſuam complevíſſet, ita ut ei non prodeſſet Principalis conceſſio, quia ibi adſtrictus ſuæ curiæ ſtatutis, ad eam redire cogebatur. Quod eſt ſingulare, nam regulariter tenet reſcriptũ proprio motu Principis conceſſum, *c. ſi motu proprio. De præbend. in 6.* Sic ſi ſtatutum dicat, quòd qui habet unum officium, non poſſit aliud acceptare, certè ſi acceptet, non tantùm officio obtento, ſed & univerſis ſalariis & privilegiis prioris officij privatur.

20 Hinc eliciunt interpretes, quòd Princeps motu proprio reſcribendo, aut officium alicui concedendo, non præjudicet illi qui habet titulum anteriorem, *l. fin. ſup. De locat. præd. civil.* quòd præſumatur Princeps importunitate motus, aut circumventus, quoties in præjudicium tertij, aut juris publici, quid facit, *l. 1. ſup. De petit. bon. ſubl.* Et quamvis declaret ſe ex certa ſcientia ſecundam conceſſionem facere, non ideo primæ conceſſioni præjudicium fit; quia requiritur expreſſa derogatio præcedentis conceſſionis, *DD. in d. c. ſi motu. & c. ſi pluribus. de præb. in 6.* Bart. *in l. fin. Cod. ſi contra jus vel util. publ.* Grammaticus *deciſ. 66. num. 23. & 30.* & alij relati à Larrea *deciſ. fiſc. 50. num 47.* qui ſcribunt, ſecundum privilegium non valere contra primum, niſi expreſsè primum revocetur, *c. veniens. 19. de reſcript.*

21 Cùm autem graviorem militiam officiales ſuſtinerent, nec poſſent ad aliud officium adſpirare, aut priore defungi, niſi poſt emerita triginta ſtipendia, *l. 12. h. t.* tantiſque oneribus obnoxij eſſent, ut nonnunquam ea ipſorum utilitati obſtarent, non mirum, cùm in ipſorum arbitrio non eſſet, onera iſta declinare, interdum nonnullos aufugere, ea ſpe, ut inter peregrinos liberiorem fortunam conſequerentur. Hoc verò ne ipſis aufugientibus eſſet commodum, Imperatores voluerunt eos revocari, & retrahi ad cohortem ſuam vel curiam unde aufugerant, *l. 17. & 39. ſup. de decurionib.*

Quòd, ſi autem ob crimen aufugiſſent, edictis re- 22
vocabantur, adjecto termino, cui ſi non fuiſſet ſatisfactum, in latitantes à Præſide pro delicti qualitate ſententia proferebatur, ſine ſpe veniæ, aut indulgentiæ Principalis, *l. 6. h. t.* Nec obſtat reſcriptum Divi Severi & Antonini, ne abſentes inaudita cauſa damnentur, *l. 1. ff. De requir. reis.* nam excipiuntur aliquot caſus, quibus Jure communi criminum rei abſentes condemnantur, quos refert Clarus & Farinacius; inter eos eſt hic, quando officiales Judicum in officio delinquunt: hi enim peremptorio edicto citati, ſi intra terminum non venerint, ſed latitent, condemnantur, *d. l. 6.* prout aliàs in civilibus fieri conſuevit, *l. 71. & ſeq. ff. De Judiciis.* Sic ſi apparitoris, aut cohortalis venali perfidia factum ſit, ut reus ante præſcriptum tempus è carcere effugiat, Imperatores volunt apparitorem competenti ſupplicio ſubjacere, & etiam in abſentem inſurgi, *l. 21. ſup. De pœnis.* * Publicè enim 23
intereſt hujuſmodi corruptiones & ſordes punire. Amaya *ad l. 2. Cod. De executor. trib. num. 32.* & Gutierrez *lib. 1. pract. civil. q. 72. & ſeqq.* ſcribunt, in abſentem ex quocumque crimine ſententiam ferri, & executioni mandari, ſecundùm leges regni Hiſpaniæ, *l. 3. tit. 10. lib. 4. Recop.* & aliorum regnorum; non ſufficere tamen ſimplicem citationem, ſed adjecta comminatione, cum præfixione termini, probationes fieri debere, ut liquidò de crimine conſtet, priùs quàm in abſentem criminoſum ſententia feratur. Gomez *ad l. Tauri 76. n. 10.* addit multis in locis latitantem haberi pro confeſſo, & ſic contra eum ferri ſententiam ſine ulteriori probatione, multoque magis in officialem fugientem tempore ſyndicatus, *per l. 3. C. De aſſeſſ.* Idem probat Bobadilla *in ſua polit. lib. 5. c. 1. n. 118.* quòd non alia ratione impelli videatur Officialis ad fugam, niſi timore culpæ, quâ ſi vacaret, ſatis tutus eſſet ſua innocentia; nam ut benè Seneca: *bona conſcientia prodire vult, & conſpici; ipſas nequitia tenebras timet. Epiſt. 97.* Nihil magis indecorum & à dignitate Officialis alienum, quàm fuga: ob quam tamen non puto ſtatim eum eſſe privandum ſuis ſtipendiis, ſi modò ad Judicium redierit, & ſe omnibus conſpiciendum præbuerit.

Ubi autem quis ex cohortalium grege latebat, aut 24
ob crimen extra officium commiſſum fuerat ſtipendiis privatus, aut ocio traditus, quieſcere debebat, ſed ſi ad priſtinum officium aliquando redire optabat, id à Principe impetrare oportebat per reſcriptum

tum inſinuatum Præfecto prætorio, *l.11.h.t.* Nam ſolius Principis eſt, remiſſionem criminum, & reſtitutionem prioris ſtatus concedere, *l. 1. ſup. De ſent. paſſis.* ubi reſtituit Imperator ad preces Præfecti prætorio, cujus erat poſt eum ſumma poteſtas, neque tamen eò porrecta.

TITULUS LIX.

De Apparitoribus Præfecti annonæ.

1. *Annonæ præfectura quanta apud Romanos?*
2. *An Præfectus annonæ fuerit ordinarius Magiſtratus?*
3. *Suberat Præfecto urbi, & uterque annonæ curam agebat: dein ſeparatos habuere apparitores.*
4. *Cura Præfecti annonæ & apparitorum ejus circa diſtributionem annonæ.*
5. *Apparitores intra ſuos fines executionem faciunt, quandoque extra, obtentâ licentiâ Judicis.*

1 MAgnis viris annonæ curam domi militiæque demandatam fuiſſe, & leges noſtræ & hiſtoriæ docent, & res porrò exigit. Elocant nunc aliqui rei frumentariæ curam minùs exigenti, ſeu viliſſimo pretio licitanti, ſed incommoda, quæ referre hujus loci non eſt, contrarium ſuadent. Apud Romanos inter prima urbis munera annonæ præfecturam fuiſſe ſcribit Dio *lib.55.* eamque Auguſtum affectaſſe, & Præfectum urbi hanc curam agnoviſſe. Sed cùm hic Præfectus pluribus negotiis diſtentus, non poſſet annonæ vacare, novus Magiſtratus creatus eſt, & vocatus Præfectus annonæ. Panciroḷ. *in Notitia Imperij cap. 26.* Pomponius tamen dicit non fuiſſe Magiſtratum, ſed extraordinarium Judicem, *l.2.§.deinde Corn.Silla.ff. De orig. jur.* cujus munus in tribus conſiſtebat, in comparanda annona, ſervanda & diſpenſanda, ne pars aliqua plebis inopia laboraret.

2 Verùm hic Pomponij locus ſic intelligendus eſt, ut Præfectus annonæ non eſſet ordinarius Magiſtratus, id eſt, ſingulis annis crearetur, ut alij Magiſtratus, ſed extra ordinem utilitatis gratia, videlicet quando penuria & caritas annonæ populum urgeret, quod colligitur ex Livio *lib.4.dec.1.* Præfectum annonæ fuiſſe Ulpianum, teſtatur *l. 4. Cod. De contrah. & committ. ſtipul. & l.4.C.locati* anno ſalutis 223. quo Alexander imperare cœpit.

3 Quanta autem fuerit hujus Præfecti auctoritas & poteſtas, docet Caſſiodorus *lib.6.var.* Suberat tamen Præfecto urbi, quamvis uterque æquali poteſtate, ac diligentia annonæ civilis curam gereret, & ſeparatos haberet apparitores, qui annonariæ functionis executioni operam darent. Atque dati Præfecto urbi Urbaniciani, Præfecto vero annonæ Annonarij vocabantur. Statutum deinde ab Imperatoribus Gratiano & Valentiniano, ne Urbanæ præfecturæ apparitores annonario officio ſeſe inſererent, ſed appaſitorum emulatione ſepoſita, annonæ præfecturæ miniſterio fungerentur. *l.1.h.t.*

* Ut ſcilicet juſto pretio, pondere, ac menſura omnis annona veniret, & ingruente neceſſitate ſciretur quantum in tota urbe eſſet frumenti, quanto populus egeret: ideo ſingulis vicis & inſulis præficiebantur apparitores, qui quod cujuſque neceſſitati ſupereſſet, in hebdomadas, in menſes vendi juberent, partirenturque ne quid cuiquam deeſſet; homines inutiles, validos mendicantes, otioſos decoctores, profuſos heluones, uſurarios qui aliena exedebant, & ſuis abutebantur, ablegarent; denique annonæ canonem exigerent, quem ante exigere ſolebat ipſe Præfectus, qui niſi probaſſet ſe muneri ſuo non defuiſſe, unà cum ſuis apparitoribus obnoxius tenebatur, *l.2.h.t.* 4

Ex prædictis obſervandum, non licuiſſe apparitoribus deſignatis uni Præfecto, ad alterius territorium, vel officium tranſire, ſed debuiſſe miniſterio ſuo eſſe contentos: ſic & nunc omnibus ferè in locis, apparitores ibi habent ex officio poteſtatem, ubi creantur & præficiuntur. Siquidem non ubique officio apparitoris fungi poſſunt, nec in omnibus, ſed tantùm in præſcriptis locis & limitatis curiis; niſi ſit curia ſuprema, ut in Gallia, Parlamentum Pariſienſe; in Hiſpania Supremum Conſilium, cujus apparitores mandata exequi ubique poſſunt. Solet quandoque cauſa urgente, impetrari facultas exequendi à Regio Senatu, vel à Judice ſeu domino loci, ac per ejus apparitorem executio fieri. Petr. Gregor. Tholoſanus *lib.47. ſyntagm. cap. 40. num. 26.* In cauſa verò annonæ & tributorum, etiam non petitâ veniâ, ubi liquidum eſt debitum, executionem poſſe fieri ubique & per quemcumque apparitorem, ſcribunt Platea & Jacobus Rebuffus *ad d. l. 2. h. t.* 5

TITULUS LX.

De diverſis officiis, & apparitoribus Judicum, & approbatoriis eorum.

1. *Continuatio, & quo modo officium hic accipiatur, & diſtinguatur à militiis.*
2. *Officiales honoratiores erant aliis, qui alicui corpori erant obſtricti.*
3. *Quæ officia ſine probatoriis Principis non donarentur.*
4. *Apparitores Proconſulum Aſiæ, Comitis Orientis, & Præfecti Auguſtalis, non fiebant ſine ſacra probatoria.*
5. *Quid de officialibus Præſidum, ac illorum principe?*

Digitized by Google

6. *Majores dignitates data fuere codicillis.*
7. *Non dabantur niſi conſtaret de vitâ probitate & vera religione.*
8. *Improbi rejiciendi, niſi certa in iis ſpes melioris, frugis ſuadeat eorum promotionem.*
9. *Ad majora officia promovendi nobiles, ad minora plebei, inopes non omnino negligendi.*
10. *Præficiebantur adminiſtrationi, qui erga patriam erant bene affecti, retinebantur in ea Officiales.*
11. *Cur indigenæ non poterant officia gerere in ſua patria, ſed exteris darentur; nunc ſecus obtineat.*
12. *Intelligere officia debent, qui iis præficiuntur: non debent ad majora officia admitti, qui malè in primo ſe geſſerunt.*
13. *Qui malè officio ſuo functi fuerant, ad aliud aſpiraprare non poterant, etiamſi reſcriptum impetraſſent.*
14. *Officiales ad ſuum officium redire cogebantur, ſurrogato in ejus locum Præpoſito.*
15. *Cur rationem officij reddere tenerentur?*
16. *Officialium, ac Ducum, & Præpoſitorum Judex erat Magiſter officiorum.*
17. *Magiſtri militum per Orientem juriſdictioni ſuberant Duces & Comites limitanei, idque longa conſuetudine.*

1 HUcuſque diſtinctè actum eſt de apparitoribus
diverſorum officiorum; deinceps communia
quædam diverſis officiis proponemus. Neque enim
novum eſt poſt titulos ſingulares ſubjicere titulum,
qui generatim de eadem materia differat. Officia
hîc pro officialibus, videlicet cohortalibus, ap-
paritoribus, & aliis miniſtris Judicum accipiun-
tur, *& in l. 1. ſup. de bonis vacant.* qui & alibi ad-
minicula dignitatum vocantur. Sunt qui eandem
eſſe officij & militiæ ſignificationem exiſtiment,
ſed minùs rectè. Quoſdam enim milites nullo offi-
cij genere ornatos fuiſſe, ex eo conſtat, quòd Im-
peratores, eorum qui aliqua dignitate præditi
erant, officia, aliorum verò militias ſimpliciter
dicant, ad eos ſæpiùs officia referant, qui in urba-
na verſantur militia, ut ſunt Proximi ſacrorum
2 ſcriniorum, *l. 13. ſup. De proxim. ſacror. ſcrin.* * Illi
autem qui nulla dignitate ornati in provincias mit-
tebantur, ut ibi Præſidum aliorumve Judicum
mandatis parerent, officiis ſibi injunctis erant ob-
ſtricti, quemadmodum curiales, & adſcriptitii
coloni; honoratior tamen ac melior iſtorum offi-
cialium conditio, quia finito militiæ ſuæ tempo-
re, ad aliam ſplendidiorem aſpirare poterant,
l. 7. h. t. ut dictum ſuprà *tit. 58. num. 16.* & de
Baſtagariis & Murireguli *lib. 11.* annonæ quo-
que hujuſmodi officiis ſolebant delegari, & exem-
plo militum adærari, *l. 15. ſup. De erogat. mil. ann.*
3 Horum officiorum nonnulla ab iis ſolis, vel à
quibus apparebant, Magiſtratibus donabantur ex
veteri more, *Novell. 35.* Erant alia in quibus ne-
ceſſe erat Principem fieri auctorem & ab eo litte-
ras, quas vocant probatorias, obtinere. Quæ au-
tem fuerint iſta officia, quæ ſine probatoriis non
concederentur à Præſidibus, enumerantur à Leo-
ne Imperatore, *in l. 9. h. t.* ubi Memoriales, &
Agentes in rebus, & Apparitores Prætorianæ per
Orientem præfecturæ, non paſſim, nec licenter
ſolitis auctoritatibus, vel litterarum exemplaribus
recipiebantur, ſed ex authenticis manu Principis
ſubſcriptis. Non itaque ſufficiens erat habere au-
ctoritates, id eſt, litteras quas Præfecti prætorio
& alij Magiſtratus dabant iis, quos militiæ ſuæ
aſſignabant, ſed oportebat eas ratas, approbataſ-
que accipere à Principe, ita ut nullus iis dolus aut
fraus poſſet annecti. Præter iſtos Officiales qui
hujuſmodi probatoriis Principis confirmari de-
bebant, & ſubſcribi ab eo cujus juriſdictioni ſub-
jiciebantur, recenſentur & alij ab eodem Leone
& Zenone Impp. *in l. ult. h. t.* ſcilicet Agentes in
rebus palatinorum, ſcrinij ſacrarum epiſtolarum,
& qui erant in officiis Præfectorum prætorio
Orientis, & Illyrici, & Urbi, Proconſulum, Co-
mitum, Magiſtrorum militum, atque omnes qui
erant alicujus Magiſtratus officio deputati. * Ap- 4
paritores quoque Proconſulis Aſiæ, Comitis
Orientis, Præfecti Auguſtalis, Vicariorum, & alio-
rum ſpectabilium virorum, non aliter creabantur
quàm emiſsâ ſacri ſcrinij probatoriâ, *l. 6. h. t.* vo-
cantur in Novellis diplomata apparitionis, qui-
bus Apparitores iſti probabantur, & idonei renun-
ciabantur. Emittebantur hæc ex ſcrinio epiſtola-
rum, alia verò ex ſcrinio Libellorum, aut ex ſcrinio
Memoriæ accipiebantur: prout erant officia, quo-
rum omnium notitia ſubjicitur *in d. l. ult. §. item*
ſcrinij ſacr. ir. epiſt. * Officiales minores Præſidum in 5
albo tantùm, vel apparitorum matriculis ſcribe-
bantur: omnes habebant principem, qui officia
dirigebat, nam nullus officium ſuum exequi, aut
aliò mitti poterat, niſi princeps ordinaſſet; hic
vel ex eodem officio, aut corpore, vel ex ſchola
Agentium in rebus creabatur, *l. 11. Cod. Theod. De*
princip. agent. in reb. Gutherius *De off. dom. Aug. lib.*
3. cap. 3.
Majora officia & dignitates, codicillis à Principe 6
ſubſcriptis dabantur. Hinc codicilli Conſulares,
Proconſulares, codicilli Perfectiſſimatus, Clariſſi-
matus, Senatorij, Honorarij, *l. 23. Cod. Theod. De Prat.*
& Quæſt. l. 5. Cod. Theod. De Perfectiſſ. dignit. l. 74. Cod.
Theod. De decurionibus. Hodie quoque Judices, Ma-
giſtratus, & aliæ dignitates auctoritate Principis
conſtituuntur, & codicilli dantur, quos ubi quis
accepit, ſacrilegij inſtar eſt dubitare, an dignus ſit,
quandoquidem eum elegerit Imperator, *l. 3. ſup.*
De crim. ſacril. quia etiamſi contra leges quis promo-
veatur,

Digitized by Google

veatur, dum ſcit Imperator, legibus ſolvit, *l. 57. ff.*
7. *De re jud.* * Scire verò præſumitur, quia qualitates, & merita aſpirantium ad officia ipſi proponi ſolent, à Præfecto prætorio, *Novell. 8.* neque priùs codicilli, aut probatoriæ dari, quàm de vitæ probitate, & ſinceri animi juſtitia, ac religione certò conſtiterit: nihil enim periculoſius, quàm hominem improbum, & à vera religione alienum alicui Reipublicæ officio præficere; cùm ea ſit improborum conditio, ut, quò plus valent, plus noceant. Ideo Leo Imperator, probos, & qui Catholicam profitentur religionem, ad officia admitti jubet, *l. 9. h. t.* ut etiam ad togatorum conſortium, *in l. ult. ſup. De poſtul.* qua de re tres juratos teſtari oportebat apud acta, priusquam prolatâ probatoriâ in officia reciperentur. Idem in militibus armatis requirit Conſtantinus, ut ſcribit Cujacius *ad d. l. 9.* Fuit ea laus hujus Imperatoris, qui licet diverſa inſtituerit officia, non niſi viros probos, nec ullius criminis ſuſpectos eligi volebat; ſatius enim putabat eligere *officiis potiùs non peccaturos, quàm damnare cùm peccaſſent*, Tacitus *in Agric.*

8. Quid ſi quis privatus vitioſam agat vitam, aut rumore vulgi impius habeatur? Certè ſi in eo ſpes quædam eluceat melioris frugis, & ſpecimina ediderit ſe aliquando Reipublicæ poſſe eſſe utilem, tantum abeſt illum ab officiis arcendum, ut etiam invitandum exiſtimem. Idque cum Tiberio apud Tacitum *lib. 3. annal.* ubi dicit: *non ex rumore ſtatuendum, multos in provinciis, contrà quam ſpes, & metus fuerit, egiſſe: excitari quoſdam ad meliora magnitudine rerum, hebeſcere alios.*

9. Porro ad majora officia evehendi ſunt nobiles, ad minora plebei; odium hi facilè concipiunt & publicam turbant tranquillitatem, cùm nihil accipiunt. Ex his divites præferendi, qui ad obeunda Reipublicæ munia plus habent ocij; non omnino tamen ab officiis excludendi ſunt pauperes probi & induſtrij. Neque enim turpis eſt paupertas, ſed magni animi plerumque teſtimonium præbet, cùm cæteræ adſunt virtutes. Eſt ipſa induſtriæ mater, cùm interim opulentia negligentiam ſæpe pariat, & inſolentiam, & aliorum contemptum. Pauperum rationem habuiſſe videntur Imperatores, cùm ajunt: *qui exiguam rei familiaris ſubſtantiam habent, militare in apparitorum numero non vetantur. l. 4. h. t.*

10 Cæterùm officia quæ adminiſtrationem habent, conferenda non ſunt iis, qui malè patriæ afficiuntur, tales enim ad Rempubl. evertendam, ſua poteſtate & auctoritate non raro abutuntur. Ideo Romani eos cum poteſtate in provinciam mittebant, quorum ſtudium & amor erga illam ibi perſpectus erat: apparitores quoque & officiales majorum Judicum in patria illa retinebantur, ubi liberos habebant, propterea, quòd his veluti pignoribus majori benevolentia ac fide provinciæ obſtringerentur, & ut monerent magiſtratus de ritu patrio ac provinciæ ſtatutis: provinciæ, inquam, ex qua nec illi oriundi eſſent.

Vetitum enim ne apparitores, præfectiani, vel 11
qui alij ex officiis palatinis, in eam provinciam cujus municipes vel indigenæ erant, mitterentur, & puniebatur primiſcrinius à quo miſſi, atq; ipſi executores: majori verò pœna mulctabantur domeſtici, ſtratores, agentes in rebus, & palatini utriuſque ærarij, qui in officia patriæ irrepebant, *l. 3. h. t.* Imò ſacrilegij crimen committere dicebantur, qui intra eam provinciam, in qua provinciales & cives habebantur, adminiſtrationis officium gerebant; niſi quibus ſpeciatim hoc Imperator permiſiſſet, *l. ult. ſup. de crim. ſacril.* ratio fuit juſtiſſima, ne aſſiduis amicorum aut affinium precibus, quibus ſe putabant allectos, quippiam contra jus & leges molirentur. Sed iſta Juris diſpoſitio multis in locis obſolevit, quòd exteris nunquam tantus in patriam ſit affectus, quantus indigenis: Accedit quòd hi morum animorumque provinciæ gnari, meliùs curent res patriæ notas, privilegia ardentiùs ſervent, & cives amore & benevolentia ad virtutum cultum provocent. Variarum gentium mores atque leges in hanc vel illam ſententiam refert Beſoldus *diſſ. de Magiſtrat. cap. 1. num. 3.* Quid in Belgio obſervetur, dixi ſuprà. Quid in Hiſpania, vide Bobadillam *lib. 1. polit. cap. 12. num. 25.*

Permagni quoque refert, ut priuſquam quis ad 12
Reipublicæ adminiſtrationem aſſumatur, intelligat jus & rationem ſui officij. Sæpe magiſtratuum & officiorum Reipublicæ ſunt candidati, qui quod petunt, non intelligunt, diſcere regendi artem volunt, dum regendum eſt. Turpe ſanè, teſte Cicerone, ejus civitatis aut provinciæ, quam quis regendam ſuſcipit: Jura ignorare. Ut autem rectiùs ea diſcat, conſulat peritiores, quoſque minoribus majoribuſve cingulis bene uſos fuiſſe conſtiterit; Et ita ſe in minori officio gerat, ut ad altiorem militiam aſpirare mereatur. Nam non alij ad ſplendidioris militiæ privilegia admittuntur, quàm qui priorem militiam continuo labore compleverunt, & honoribus ſe dignos oſtenderunt, inquiunt Impp. Theod. & Valentin. *in l. 2. h. t.* eos verò excludunt, qui ſtudio exercendæ cupiditatis officia altiora ambiunt, aut eam ob cauſam aſſurgere conantur, ut in iſto dignitatis gradu conſtituti, ſcelera ante commiſſa occultare, vel alia impunè committere valeant. Quod & hodie ſummo ſtudio à magnis & opulentis fieri videmus, idque plerumque ut licentiùs in provinciales graſſentur, & privatis ſuis rebus proſpiciant. Obſervandum hîc foret, quod refert Plinius *Ep. 3. de Betica: Senatui*, inquit, *placuit bona defuncti, quæ habuiſſet ante provinciam, à reliquis ſeparari; illa*

filiis.

Digitized by Google

filiis, hac ſpoliatis relinqui, ut illi officio abdicati, ſententia Judicis, juberentur reſtituere, quæ à provincialibus, malis artibus acceperant.

13 Olim quoque apparitores majorum Judicum, qui ob culpam vel negligentiam fuerant per ſententiam Judicis, diſcincti, & officio remoti, ad nullam aliam militiam aſpirandi habebant facultatem, ne quidem impetrato Principis reſcripto, *l. 5. h. t.* propterea quòd non rectè officio functi fuiſſent. Etenim rem ſe bene geſſiſſe in minori officio, oſtendere oportebat eos, qui altiorem militiam vel Magiſtratum adituri erant, ut Zeno quoque decrevit *in l. 1. ſup. ut omnes Judic.* adeòque magiſtratuum geſtorum rationes oſtendere. Latè Borel. *de magiſtrat. lib. 1. cap. 16.* Quamobrem iis, qui ignominiosè militia abdicati fuerant, ad eam redire non licebat, niſi obtento ſpeciali Principis reſcripto; quòd ſi verò id per obreptionem impetraſſent, quinque librarum auri incommodo mulctabantur, *l. 2. h. t.* Inde colligitur, opus eſſe ſpeciali reſcripto, ut quis recuperet intermiſſam militiam, vel ad aliam aſcendat, quando in priore negligenter ſe geſſit; ſecùs ſi in ea non deliquerit: non enim prohibetur, reſcripto generali obtento, munus aliud petere. Platea *ad d. l. 2. & 5.*

14 * Quòd ſi Præfectianus, Cohortalinus, aut alius officialis rationibus obnoxius relicto ſuo officio ad præpoſituram caſtrorum vel militum (rectiùs limitum) tranſiiſſet, retrahebatur ad officium ratiocinij, atque ibi cogebatur rationes ſuas oſtendere ac reddere, alio à Magiſtro militum in locum ſuum præpoſito ſurrogato, *l. 1. h. t.* cui laborum aſſiduitas ſuffragaretur, *l. fin. ſup. de tyron.* nemo enim promovebatur, niſi priore officio functus fuiſſet (ut dixi *per l. 7.*) & rationes ejus reddidiſſet.

15 Cauſa cur finitis, aut renunciatis officiis, rationes ab officialibus & adminiſtratoribus etiamnum reddantur, eſt ut avaritiæ tollatur occaſio, & juſtior accuratiorque ſit adminiſtratio, & eorum impediatur ambitio, dum non ſervato militiæ ordine, officium aliis debitum conantur præripere. Idque Zeno Imperator vetat, cùm ait: *ne per ambitionem, vel gratiam, aut cujuſlibet occaſionis obtentu, vel laborum ſeu ſolicitudinum ſpecie, publicorum aliquando liceat cuipiam graduum ſeriem conturbare, & temporum ratione calcata dudum militantibus anteferri, & quæ longis prolixiſque ſtipendiis defenſa jam pollicentur ſenectutis gratioſa feſtinatione ſurripere, l. 2. ſup. de primicer.*

16 Poſtremò officiales dicti, non niſi ante Magiſtrum officiorum conveniri poterant, & ſi in munere ſuo deliquiſſent, coerceri; immò etiam Duces & Comites eorumque officia, & caſtrorum Præpoſiti illius ſuberant juriſdictioni, *l. 8. h. t.* atque ob id pedaneum judicem, vel aſſeſſorem juriſperitum habebant, qui de illorum cauſis cognoſceret, *Novell. 82. cap. 1.* Singuli Duces & Comites unius provinciæ limites tuebantur, ſingulis verò oppidis unus Præpoſitus præficiebatur: Horum munus erat imperij limites cuſtodire, milites in id ſibi aſſignatos exercere, in officio continere, & proſpicere iis de annona, *Novell. 31. cap. 3.* Pancirol. *in notit. cap. 139.* * Illuſtribus tamen Magiſtris 17 milit. conſuetudine ac poteſtate, quam in Duces & Comites limitaneos Orientis, Thraciarum, & Illyrici longo tempore obtinuerant, reſervata, *d. l. 8. in fin.* Caſſiodor. *lib. 1. var.* Ex hoc loco nihil commodius videri poteſt, quàm ut, qui duces ac milites prudenter regere conſueverunt, ij ſoli in eos imperium & juriſdictionem habeant, reſtrictam tamen legibus. Olim quidem in libera Republica, ejuſmodi imperium in milites ordinariis legibus ſolutum erat, Polibius *lib. 6. de re milit. & dom. Rom. diſcip.* adeoque in caput militis, qui exercitui imperabat, ſine ſolemniis aliàs conſuetis ſtatuere poterat: nam res militaris moram non patitur, naſcente conjuratione, ſeditione militum, aut hoſte imminente.

TITULUS LXI.

De Executoribus, & Exactoribus.

1. *Exactores, qui mittuntur pro tributis exigendis, non debent ſuâ auctoritate ea exigere ſed Præſides urgere.*
2. *Si executores contrà quam mandatum eſſet, exigerent, repelli poterant, & puniri.*
3. *Ut fures puniuntur, ſi bona vi capiant, aut prædia alterius pro alicujus debitis invadant.*
4. *Commiſſa exactio non durabat ultra annum.*
5. *Executoribus duarum cauſarum exactio committi poterat, unâ tantùm commiſsâ non antè aliam poterant ſuſcipere, quàm priorum rationem reddidiſſent.*
6. *Uni plura eodem tempore officia mandari nequeunt; nec plures unius officio ſe immiſcere, & mutua vice id gerere.*

Inter officiales majorum Magiſtratuum recenſentur Executores & Exactores, qui etiam Apparitores, Præfectiani, Palatini & Opinatores dicebantur, mittebanturque per provincias, non ut vagarentur, & provincialibus militari terrore formidinem inferrent, eoſque cogerent tributa ſolvere, ſed ut inſtarent Præſidibus & officiis eorum, ut ſua auctoritate & periculo ſuo, univerſa debita exſolverentur, *l. 1. h. t.* Sic nec hodie exactoribus licet facere executionem, irrequiſito Judice, domino loci aut ejus officiario; alioquin ſi quid contrà fecerint, graviſſimè mulctantur, *juxta l. 7. ſup. de exact. tribut. & l. 2. ſup. de canon. larg.* 1

Quo

2 Quo pertinet conſtitutio Græca huic titulo in fine inſerta, ne Executores & Exactores canonicarij in provincias miſſi à Principe, vel ab aliqua illuſtrium poteſtatum, reos exigerent, aut ſportulas acciperent, antequam mandatum quod deferebant, Præſidi provinciæ inſinuaſſent, quo ſcilicet rei exemplum inde ſumere poſſent, atque etiam ipſis reis libellum edidiſſent, facit quoque Novella Juſtiniani 128. *cap.* 10. Quòd ſi igitur quidquam Executores contrà quàm eis mandatum eſſet, exegiſſent, licebat provinciæ moderatori eoſdem vinctos ad Præfectum prætorio mittere puniendos: Quin etiam provinciali manu & vi repelli poterant, etiamſi quid provinciales deberent, propterea quòd non ſervato modo, aut ſine mandato exegiſſent. *l.5.h.t.*

3 * Multò magis Executoribus reſiſti poterat, & nunc poteſt, ſi pignora in e[illegible]tione ultra modum debiti capiant, ſi poſſeſſionem aut bona alterius, pro alienis debitis publicis vel privatis invadant, & apprehendant, *l.4.h.t.* grave enim id non ſolùm legibus, verumetiam æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis vel delictis, alios moleſtari, *l.un.* ſup. *Ut nullus ex vican. pro alien.* ubi plura in hanc rem adduxi. Idcirco ſi Executores ab hujuſmodi iniquitatibus non ſe temperent, ſed audeant provinciales gravare, & eorum bona capere ultra quantitatem debitam, ac definitam à Judice, tanquam fures puniuntur, *l.8.ſup. De furtis.* Coërcenda pœnis eſt iſtorum hominum avaritia & rapacitas, quam Majoriani Novella deſcribit *tit.4. De indulgent. reliq. or. Præfectiani ſiquidem atque Palatini, vel aliarum poteſtatum Apparitores exactione ſuſcepta, per provincias diſcurrentes exactionibus poſſeſſorem concutiunt, & ita omnia pro arbitrio ſuæ deprædationis extorquent, ut cùm aliqua pars certa, vel minima publicis compendiis inferatur, duplam, aut ampliùs ſportulis avidus & prævalens executor accipiat.*

4 * Quare ne diutiùs moleſti eſſent Præfectiani, & alij Apparitores provincialibus, placuit ut intra annum ſibi commiſſam exactionem peragerent, & ad Judicem ſuum remearent, eique renunciarent, quid ſua inſtantia exactum eſſet, quidve in debitis haberetur; quinam reliquatores, & quorum vitio reliqua contracta eſſent. Quòd ſi exacto anno non redirent, nec regionis viſcera deſiſterent deprædari, abſoluti cingulo, militia abdicabantur, primoribus officij decem librarum auri mulcta propoſita. Sin redire diſſimulabant, ligati ferreis vinculis, cohortalium cura ad competentem Judicem tranſmittebantur, nec eandem exactionem iterare poterant, eóve prætextu in provincia manere, quod alia officia eis eſſent injuncta, *l.3.h.t* ut honores, ita officia continuari non debent, & qui in eorum adminiſtratione delinquunt, quamvis ſint delegati à Principe, poſſunt tamen à Præſide provinciæ coërceri & remitti. Rebuff. & Platea *ad d. l. 3.* facit *& l. 5. eod.* ubi correptus à Præſide, ad Præfectum prætorio ſub proſecutione ducitur.

5 Huic Præfecto ſuberant officiales in provincias miſſi, ut Executores, Exactores, Tractores, & Summarij. Tractores, quorum fit mentio *in l. 6. h.t.* delegationes tributorum proximæ futuræ indictionis ſignificabant: horum nomen uti & curatorum abolitum dein fuit à Juſtiniano, Summariis retentis, qui rerum æſtimatores ſunt, *Novell.64.* Interdum à Præfecto executoribus committebatur exactio duarum cauſarum, unâ tamùm commiſsâ, non antè licebat aliam ſuſcipere, quàm reverſi injunctæ ſibi prioris cauſæ rationem reddidiſſent. Si fortè tamen in ea provincia, ad quam publici negotij exequendi causâ, aliqui proficiſcerentur, ibidemque alia cauſa eſſet peragenda, poterat illis hujus executio demandari, *l. 6. h. t.* quemadmodum etiam legato plures legationes injungi, præſertim ſi ſumptus & itineris compendium ſuaderet, *l. 16. ff. De legationibus.* Tertia tamen exactio non injungebatur, priuſquam de prioribus reſponſum præbuiſſet Executor, qui ſi ſimul duas vel etiam tertiam paſſus fuiſſet exequendam ſuſcipere, non ſolum cinguli & bonorum amiſſionem, verumetiam perpetui exilij ſupplicium ſubibat, eadem pœnâ Numerario ejuſque adjutoribus, ad quorum curam res hæc pertinebat, impoſitâ, *d.l.6.in fine.*

6 Hinc ut non poſſunt uni plures executiones mandari, ita nec officia gerenda committi. Rectiùs enim ac meliùs negotia plures quàm unus conficiunt, & ſinguli officium ſuum diligentiùs obeunt, ſi uni intendant, quàm ſi in plures partes eorum induſtria ac cura diſtrahatur. Et aliquando hujuſmodi officia talia ſunt, ut alterum alteri ſit impedimento. Nec facilè credendum eſt, unum pluribus rebus ac negotiis ſufficere, *l.14.ſup. De aſſeſſorib.* Quare in provinciam miſſus exactor, admonitor, portitorve præcepti, agens in rebus, vel palatinus, vel apparitor Præfecti prætorio, hoc tantum poteſtatis arripiebat, quantum curæ ſpecialiter eſſet mandatum, id eſt, quiſque officium ſuum ſeparatim obire debebat, non mutuas ſibi operas præſtare, aut alienæ rei ſe immiſcere, ne viderentur cuncti agere quod ſingulis credebatur, *l.1.h.t.* nam non tantùm turbantur officia, ſed etiam eorum rationes confunduntur, ubi ſe plures immiſcent; quod non minùs pernicioſum, quàm cùm quis ambitione motus conatur omnia expedire, & dum non poteſt, vicarios & ſubſtitutos introducit. Quod Jure & moribus prohibitum, niſi hoc ſpeciali beneficio Principis fuerit conceſſum, *l. 60. ſup. De decurionibus, ubi plura num. 52. & hoc libro tit. 21. num. 3.* Maſtril. *De Magiſtr. l. 1. c.29.* Quam formam ſervare oporteat in executione facienda, expoſui *ſup. lib.7. tit.53. De execut rei jud. num.6.*

TITULUS LXII.

De lucris Advocatorum, & concuſſionibus officiorum, ſeu apparitorum.

1. *De quibus lucris hoc titulo agatur.*
2. *Coërcebantur Officiales, qui præter ſolemnia exigebant à provincialibus indebita.*
3. *Item Ducenarij, Centenarij, & Advocati fiſci, qui alios in officio continere debent, ipſi in ſuo delinquunt.*
4. *Benigni eſſe debent Judices & Advocati fiſci, in cognitione, actioneve cauſarum fiſcalium.*

1 DE illicitis lucris, concuſſionibus, & deprædationibus, quas faciebant non ſolùm Executores & Exactores, de quibus titulo ſuperiori, ſed etiam majorum Judicum officiales, ut apparitores & compulſores in provinciam miſſi, hoc titulo agitur. Frequenter enim ab iſtis officialibus alimonia, & multa alia, præter ſolemnes penſitationes indigniſſimè poſtulabantur, non modò in civitatibus, ſed & in manſionibus, id eſt, nocturnis diver-
2 ticulis, cum curſu publico uterentur. * Ideò variæ leges latæ, quibus monentur cuncti Judices, ut provinciales tueantur, *l. 2. h. t.* neve quid patiantur fieri, aut exigi quod ad prædam provincialium præſertim incorporatorum pertineat, *l. 4. h. t.* Adjecerunt Græci pœnam tripli. Cujacius ibi; quam Gratianus Imperator auxit, ac Ducem non ſolùm quod ipſe, ſed & domeſticus, manipularis & miniſter per injuriam extorſiſſet, in quadruplum exſolvere juſſit, *l. 1. ſup. ad l. Jul. repetund.* Si verò apparitor aut compulſor à Principe miſſus, in deprædatione convictus argueretur, etiam inconſulto Principe, à Proconſule dicta pœna, aut alia legibus competente
3 coërcebatur, *l. 3. h. t.* * Item ſi quis à Ducenariis, Centenariis, & fiſci Advocatis læſum ſe eſſe cognoviſſet, adeundus ipſi Judex erat, & injuria vel concuſſio probanda, quâ probatâ, competenti ſeveritate vindicabatur, *l. 1. h. t.* Quamquam non ſatis ſeverè puniri queat rapacitas & avaritia iſtorum officialium, præſertim Advocatorum fiſci, qui cùm probi & puri eſſe debeant, & minores officiales in officio continere, & delinquentes corripere, ipſi in ſuo munere delinquunt, & ex alieno compendia ſectantur, non contenti ſuis ſtipendiis, quæ magna ſunt, & olim fuere 600. aureorum, *l. 7. §. 4. ſup. de Advoc. diverſ. judicum.* ut ſic puras haberent manus, ne indebita à provincialibus extorquerent, aut eos ficto crimine calumniáve vexarent, *l. 3. ſup. De Advocat. fiſci.*

4 Quamobrem non ſatis eſt, eos, qui hujuſmodi officiis præficiuntur, dici & videri viros probos, ſed Principis eſt inquirere an verè tales ſint, & manſueti animi, quique rem duram non ipſi exaſperent, & adverſus fiſci debitores, aut quos criminis reos eſſe credunt, non excandeſcant, ſed benignitate actionem modumque temperent, qui in fiſcalibus compendiis non legum verba, in quæ quis imprudens fortè impegerit, ſectentur, ſed animam legis ſeu rationem: & hanc ſemper ad ſenſum humaniorem benignioremque traducant, præſertim Judices ſacri ærarij & Advocati fiſci, ubi de tributis, vectigalibus, aliiſque fiſcalibus negotiis cognoſcunt; atque ita, monente Caſſiodoro *lib. 1. var. Epiſt. 22.* per medium juſtitiæ tramitem moderati incedant, ut nec calumnia innocentes gravent, nec juſtis petitionibus retentatores exonerent. Illa enim vera lucra judicamus, quæ integritate ſuffragante percipimus.

TITULUS LXIII.

De Primipilo.

1. *Quis Primipilus, & quod ejus officium?*
2. *Quot cohortes habuerit?*
3. *Adminiſtrabat annonam, & eam inter milites diſtribuebat.*
4. *Si ex adminiſtratione debitor ſupererat, ejus bona & dotalia uxoris fiſco erant obnoxia.*
5. *Separabantur bona, & dotalia petebat fiſcus, mariti bonis deficientibus.*
6. *An privilegium fiſci ex cauſa Primipili, adverſus Quæſtores hodie competat?*
7. *An non ſaltem adverſus eos qui annonæ curam habent?*
8. *Cauſa primipilaris eſt publica, ideò dotalia bona & liberorum ſunt obnoxia.*
9. *Quæ commoda darentur primipilariis, & quibus muneribus eſſent exempti.*
10. *Conveniendus eſt reus occaſione primipilatus coram ſuo Judice.*
11. *Moribus noſtris debitores poſſunt arreſtari in fori actoris. Officiales Præſidum non poſſunt extra provinciam in jus trahi.*

APparitores & Officiales Judicum, de quibus 1
hactenus, omnibus officij gradibus completis, à cohortalium neceſſitate qua adſtringebantur liberari non poterant, niſi Primipili adminiſtrationem peregiſſent, ut dixi ſuprà *De cohortal.* quæ præclariſſima erat: dicebatur enim Primipilus Comes primi ordinis, & Præfectus decimæ legionis, quam ſexaginta centuriæ eidem obſequentes ſequebantur. Pomponius Lætus *lib. De Magiſtr. Roman.* erat namque legio decima cæteris præſtantior ac prima, & per excellentiam ejus Centurio Primipilus dicebatur. Livius *lib. 7.* & milites primipilarij, ſummoque in honore habebantur, quia magno honori etiamnum ducimus, primæ exercitus parti præfici, & fuit ea de cauſa inter maximos belli duces, ad

ad necem uſque nonnunquam decertatum.

2 At verò Vegetius *l.2.c.8.* ait, veterem conſuetudinem hanc fuiſſe, ut ex primo principe legionis promoveretur Centurio primipili; qui non ſolùm Aquilæ præerat, verumetiam quatuor centurias, hoc eſt quadringentos milites in prima acie gubernabat. Hic tanquam caput totius legionis merita conſequebatur & commoda, ſicut Primicerius in officio Præfectorum prætorio. Pilum autem, ne quid omittamus, miſſile majus erat, ferro triangulo, unciarum novem, haſtili pedum quinque & ſemis, nunc ſpiculum dicitur, quod ſcutatos pedites, & loricatos equites ſæpe tranſverberat.

3 Præterea huic Centurioni tanquam legionis principi annona militaris committebatur, *l. 3. 7. & 8. ſup. de cohortal.* & clariùs exprimitur *l. 6. Cod. Th. eod.* dum ait, *Primipilaribus qui ad paſcendos milites ſolemniter ad limites deſtinantur.* Neque refragatur Vegetius *lib.2. c.9.* quia licet aſſerat curam annonæ ad officium Præfecti legionis pertinere, non ob id negat primipilo jus eſſe adminiſtrandi & annonam inter milites diſtribuendi. Quinimo Alciatus, Antonius Auguſtinus, Coraſius, aliique à Covarruvia *lib.1.var.reſol.cap.16.num.7.* relati, dicunt militarem annonam primipilum, quandoque paſtum primipili appellari, *per d.l.3.7.& aliis.* Conſtat autem ex Vegetio *d.lib c.8.& 20.* præter annonam quam primipilus inter milites diſtribuebat, etiam dimidiam ſtipendiorum partem ipſis apud ſigniferos aſſervaſſe: item donativa quæ accipie-
4 bant aliaque commoda. * Hæc autem ſi ſtato tempore non reddidiſſet militibus, vel ut oportebat, diſtribuiſſet, vel aufugiſſet non redditis rationibus, tunc ejus bona, & dotalia uxoris pro hujuſmodi debito fiſco Cæſaris tenebantur, *l. 4. ſup. De Epiſc. & Cleric.* Eo pertinet quod hic reſcribunt Impp. Diocletianus & Maximianus, utilitatem publicam præferendam eſſe privatorum contractibus, atque ita cauſam primipilarem adminiſtrari debere, ut nihil omittatur, quod Reipublicæ neceſſarium eſſe videatur, & ideo non priùs ſatisfieri doti mulieris, quàm fiſco ſatisfactum fuerit ob cauſam primipili, *l.3.h.t.*

5 Si tamen bona mariti ob adminiſtrationem primipilarem à fiſco occupata ſint, res quas mulier ſuas eſſe liquido probaverit, ab aliis ſeparari debent, ac ei reſtitui, *l. 1. ſup. de privil. fiſci.* Bona quidem dotalia uxorum obligantur neceſſitati maritorum, hoc ſcilicet ordine, ut tunc ad mulieris patrimonium periculum perveniat, cùm univerſis viri ac nominatorum facultatibus exhauſtis, nihil reſiduum invenietur. *l. 4. ſup. in quib. cauſ. pign. tac. contrah.* Tunc enim res in dotem datas, vel poſſeſſiones dotis titulo obligatas petere fiſcus poterit. Eſt & illud multò gravius, quod Divus Aurelianus ſanxit, ex ſola primipili cauſa liberos, etiam ſi patribus hæredes non exiſtant, teneri, *l. 4. h. t.* licet eum, qui paterna hæreditate abſtinuerit, Procurator Cæſaris prohibeat ex perſona patris conveniri, *l. 1. ſup. de repud. hæred.* Dicit ex ſola, nam ab aliis paternis creditoribus, ſi neque patri ſucceſſerunt, & nihil ex ejus bonis habent, conveniri nequeunt. *d.l. 4.*

Quæri poteſt, an fiſcus jus, quod habet ex cauſa 6
primipilari, exercere hodie poſſit adverſus Quæſtores regios? Affirmat Angelus *ad l.1. Cod. De privil. fiſ.* quia Quæſtorum noſtrorum munus ſimile eſſe exiſtimat muneri primipili, cùm teneantur procurare annonam, aut ſaltem curare ut pecunia ærario inferatur, ad annonam aliaque neceſſaria comparanda, unde pendet publica utilitas. Contrà Paul. de Caſtro *ad d.l. 1.* dicit munera illa non eſſe eadem, & materiam non admittere extenſionem, propterea quòd nimis dura, nec producenda ad conſequentias contra Juris regulas, *l. 14. ff. De legib.* Quid enim durius, quàm filios teneri ad debita patris, etiam ſi illi hæredes non exiſtant, & rem dotalem à fiſco auferri ut ſibi ſatisfiat? *d. l. 3. & 4. h. t.* Juſtè quidem, cùm multa haberent commoda, hæc & alia incommoda ſubibant primipili, propter pericula quæ ob eorum avaritiam, aut ſegnitiem Reſpublica patiebatur. Quare quod de iis ſtatuit lex, ad Quæſtores, qui verſantur extra caſtra, extendendum non eſt, ſpecialis enim & publica ratio in primipilo, in cæteris indicat jus commune obſervari, *l. 12. ff. De Jud.* * Dico extra caſtra, 7
nam qui militaris annonæ curam habent, aut ſtipendia militibus ſolvunt, ſi officio ſuo, quod primipilari ſimile eſt, non rectè fungantur, eodem jure coërcendos eſſe publica poſcit utilitas, *arg. l. 64. in fin. ff. De condit. & demonſtr.* Peregrinus *De jure fiſci lib. 6. tit. 6. num. 43.* Ant Merenda *lib. 6. controver. jur. cap. 39.* Le Bret *de la ſouveraineté du Roy, lib. 3. c. 10.* dicit in Gallia bona Quæſtorum, aut eorum qui retinent pecuniam apparatui bellico & exercitui deſtinatam, item dotalia earum quæ iis nuptæ ſunt, tacitè obligari & priùs occupari à fiſco, *juxta dictam l. 3. & 4.* ex dicta ratione, quòd privatæ cauſæ publica præferatur. * Eſt qui- 8
dem dotis cauſa aliquatenus publica, ſed comparativè poſita cum cauſa primipilari, privata cenſetur; Reipublicæ enim parum nocet, unius aut alterius mulieris, vel etiam plurium dotes perire, plurimùm verò obeſt unius negligentia vel dolus in pecunia vel annona diſtribuenda, utriuſque enim fruſtratio tendit ad everſionem Reipublicæ. Nam milites annona & ſtipendiis privati, ſigna & exercitum deſerunt, ſine quo Reſpublica defendi, & conſervari non poteſt. Coraſius *lib. 5. miſc. c. 4.* Non abs re igitur veteres annonam & ſtipendia robur & nervum Reipublicæ eſſe dixerunt, & cauſam primipilariam cæteris potiorem.

Digitized by Google

Unde non ſatis ſeverè in eos animadverti poterat, qui in hoc munere deliquerant. E contrario verò, qui eo rectè functi fuerant, maxima iis commoda donabantur, atque ea ſtatim poſt adminiſtrationem deberi incipiebant, & ſi is qui ea percipere debuerat, priùs rebus humanis eximeretur, hæredibus portio reſidua ſalva erat, *l.1.h.t.* dico poſt adminiſtrationem; nam dum quis militat, non commoda ſed ſtipendia accipere dicitur. Commoda dabantur ob rectè navatam operam in adminiſtratione primipilari, vel ob victoriam, & virtutem in ludis præſtitam, ut etiam militibus, vel poſt eorum mortem uxoribus, aut filiis qui parentum conditionem ſequebantur.

9 Quanta autem fuerint ejuſmodi primipilariorum commoda, ſciri non poteſt, conſtat tamen ex Papin. *in l.32.ff.de alimen.legat.* patrem primipilarem inter filios facultatibus diviſis, filiæ ex commodis primipili 300. aureos reliquiſſe, quæ erat ejus portio, eaque debita ex primipilarij officij adminiſtratione. Præter annonas & hujuſmodi commoda, quibus contenti eſſe debebant primipilarij, alia conſequebantur privilegia, & immunitates, atque ex conſtitutionibus Imperatorum, excuſationem omnium tutelarum niſi quòd filiorum primipilarij tutores exiſterent. Qui verò primipilum expleverat, ſi, cùm tutelam ſuſcepiſſet unius filij primipili, rurſus in neceſſitates militares eſſet aſſumptus, deponebat ſolicitudinem tutelæ, *l.10.§.5.ff. de excuſ. tut.* Præterea primipilarius munerum omnium, ac maximè tutelarum per annum, poſtquam eſſet reverſus, vacationem habebat, *d.l.10.in pr.*

10 Cæterùm nullus ex primipilaribus ad ullam militiam, qua priori damnum daretur, aſpirare poterat. *l.13.ſup.De cohortal.* neque obtentu nominis primipili civiles actiones transferre ad alium Judicem, *l.2.h.t.* Quare ſi primipilus aliquem convenire vellet occaſione ſui primipilatus, id facere debebat, non coram ſuo, ſed coram proprio ejus Judice, juxta Juris regulam: actor forum rei ſequitur, *l. 2. ſup. de juriſdict.* Quandoquidem reus in pari cauſa ſemper favorabilior ſit. Qui autem forum cujusque æſtimetur, ex domicilio quod habet & loco in quo degit, aut ex obligatione quam ibi contraxit, aut ratione rei ſitæ, dixi *ſup.lib.3.*

11 Illud obiter annotare ſufficiet, in hiſce regionibus, aliiſque, hunc invaluiſſe morem, ob ſummam difficultatem ſequendi debitores exteros, ut ij quovis loco deprehenſi, detineri, Judicioq; ſiſti queant. Peckius *De jure ſiſtendi.* eſt & illud Jure noviſſimo ſancitum, ne primipilarij, cohortales & officiales Præſidum, atque decuriones, cum detrimento Reipublicæ cui ſerviunt, ex ſua provincia aliò litis cauſa abſtrahantur, citra ſpecialem juſſum Principis, eumque Præfecto prætorio inſinuatum, *Novell.* 151.

TITULUS LXIV.

Publicæ lætitiæ, vel Conſulum nunciatores, vel inſinuatores conſtitutionum, & aliarum ſacrarum, vel judicialium litterarum ex deſcriptione, vel ab invitis ne quid immodicum accipiant.

1. *Continuatio Tituli, ejuſque ſumma, ut publica lætitia nuncietur modico præmio.*
2. *Quibus ex cauſis publica lætitia indicetur?*
3. *Victoria, & belli gloria ad Principem referenda.*
4. *Belli Duces non ſunt extollendi, nec eorum effigies colendæ aut in vexillis deferendæ.*
5. *Nunciatores pacem referebant, quo nuncio omnes lætantur.*
6. *Felices Principes, qui æquam pacem amplectuntur: huic ſtudendum, obtentâ victoriâ.*
7. *Nunciatores novos Conſules publicabant: horum dignitas ſub Imperatoribus diminuta.*
8. *Quanam die creationis fierent, publicæ lætitiæ causâ.*
9. *Exponitur contextus legis 1. hujus tit. quæ ibi pœna?*
10. *An pœna Jure ſtatuta extendi poſſit ad mortem, ob Judicum & eorum officialium nimiam negligentiam.*
11. *Judices nec lucrum à privatis exigere, nec permittere ut quid extorqueatur ab invitis: ubi exponitur ſenſus Conſtitutionis Græcæ 2. h. t. adjectæ.*
12. *Donatio immodica lætitiæ causâ facta, an teneat?*
13. *Donatio modica à Rectoribus Reipublicæ nunciatoribus facta, eſt in rationes recipienda.*

Cum non ſolùm milites & Magiſtratuum officiales à provincialibus pecunias extorquerent, ut dictum ſuprà, ſed etiam qui publicam lætitiam nunciarent; illicitæ illorum exactiones hìc vetantur. Oblata enim felicis nuncij alicujus opportunitate, facilè nunciatores illi quidlibet à populis exigebant, quibus tamen ne id facerent, ex publico compendia dabantur, & permiſſum ut ſine immodico pretio publicam lætitiam nunciarent, *l.1.h.t.* 1

Quibus autem de cauſis publica lætitia promulganda cenſeretur, patet ex inſcriptione Tituli, & *d.l.1. Ut ſi bella deſinerent:* cùm hæc, referente Oſorio, nihil aliud ſint quàm urgentia in alterutrum mala, mala ſcilicet ejuſmodi, quæ fuerunt, vel nunc ſunt, aut manifeſta peccata. His ceſſantibus, juſta fuerit lætitiæ publicæ cauſa, 2

Quem-

Digitized by Google

3 Quemadmodum & illa, *ſi orirentur victoriæ*, quæ licet à Duce belli partæ fuerint, ſunt tamen ad ipſum Principem referendæ; *Qui quidem hoſtes vinci vult, ſed miniſtros viciſſe tacitè indignatur, ſuæ demptum gloriæ exiſtimans, quidquid cedat alienæ*, ita Curtius *lib. 6.* & ſic ſe res habet: tantum enim detrahitur de Principis exiſtimatione, quantum Duci belli nunciatores adſcribunt; ideo Tiberius *bellica Germanici gloria angebatur*, Tacitus *lib. 1. annal.* & graviſſimè puniebat nunciatores, qui gloriam ob victoriam ſibi debitam Germanico attribuebant; nec immeritò, ne dum belli Dux militiæ gloria & auſpiciis incipit clareſcere, Principi ſuo præferri videatur. Unde ſæpe diſſidia, emulationes, & Reipublicæ mutatio exoritur, quæ ſine magnis motibus fieri non poteſt. Itaque intereſt publicæ tranquillitatis, omnem belli gloriam ad Reipublicæ caput referre; ut fecit Agricola, qui *nunquam in ſuam famam geſtis exultavit, ad auctorem & ducem, ut miniſter, fortunam referebat*, Tacit. *in Agricola*, cautior factus exemplo Silij, qui malam à Tiberio iniit gratiam, quòd gloriaretur, prælata ſua legionibus effigie, ſe exercitum in officio continuiſſe, adeoque dictitare ſoleret, Tiberium nemini alteri quàm ſibi debere imperium, idem *4. annal.*

4 Quæ cauſa, cur Tiberius ne quidem effigies Ducum ſuorum coli voluerit, aut in vexillis deferri: de Neronis effigie in vexilla aſſumpta, *criminatus eſt nihil reliquum eſſe, niſi ut caperent ferrum, & quorum imagines pro vexillis ſecuti forent, Duces, Imperatoresque deligerent:* videbat enim hæc in ſuæ & Reipublicæ ſalutis detrimenta vergere, & nihil prodeſſe hoſtem externum vincere, ſi ex victoria hoſtes domeſtici naſcerentur. Sæpe horum malorum cauſa fuere denunciatores, qui totam belli gloriam Ducibus adſcriberent, & animos populi à Principe ſuo alienarent, quo majora à populo præmia obtinerent, ita ut non tam viderentur publicæ lætitiæ, victoriæque nunciatores, quàm triſtitiæ publicæ & diſſidij auctores.

5 Plerique tamen nunciatorum malebant pacem nunciare, propterea quòd ſperarent ſe ampliſſimis præmiis à populo donandos: his enim nunciis, non modò populus cui ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta, atque agri lætari videntur, ut dixit Cicero *pro l. agraria. & in Philip.* Et D. Auguſtinus, *Tantum*, inquit, *eſt pacis bonum, ut in rebus terrenis, atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò poſſit melius inveniri, lib. 19. De*
6 *civit. Dei c. 11. & 12.* * Pacis igitur intentione geruntur bella, ut tandem ad optabilem eorum finem deveniatur, quem qui non reſpiciunt, non juſtè bellum gerunt, unde tot tantaque damna & incommoda ſibi ſuiſque ſubjectis inferunt. Feliciores illi, qui iſta avertunt, & omnia quæ ſuccedere poſſunt, expendunt, atque rebus ſecundis non adeò inflantur, quin æquæ paci ſe ſubmittant. *Nam*, ut inquit Livius *lib. 23. ſi prætermittamus hoc tempus, quo magis dare, quàm accipere poſſumus videri pacem*, verendum eſt, ne publica lætitia vana evadat.

Præter pacem nunciatores iſti ineunte anno novorum Conſulum nomina publicabant; Hinc videre licet ſub Gratiano, Valentiniano & Theodoſio auctoribus, *d. l. 1.* in ſummo honore fuiſſe Conſulum dignitatem, cùm in ipſorum creatione publica fieret gratulatio, ornarenturque trabea regali & toga prætexta. Sub anterioribus Principibus diminuta quidem fuit illorum poteſtas, ut ipſi ſe ſuamque dignitatem extollerent, cæteris depreſſis: nam aliquando die una 25. Conſules ſuffecti fuere, nullo priùs obito Magiſtratu, nec Januario menſe, ut florente Repub. ſed Martio & Julio, aliiſque menſibus. Xiphilinus *ex Dione 72.* * Verùm creationis die 7 8
non ſolùm præmia nunciatoribus dari ſolebant, ſed etiam pecuniæ ſpargi & miſſilia in vulgus projici, quorum uſus poſt fuit temperatus, ut dixi *ſup. de Conſulib.* Nullum præterea Romani lætitiæ genus prætermiſêre, dum Imperatores crearentur, ſive in agendis Deo gratiis, victimis vario ritu immolandis, ſeu exhibendis ludis, extruendis ignibus, dandis accipiendiſque muneribus, ſeu denique in celebrando triumpho ſoli Imperatori à populo Romano dari ſolito. De his Lipſius, Cæſar, Bulengerus, & ex juriſperitis Joſeph. Moniardus ad *interpret. rub. hoc tit.*

Statuerunt autem dicti Imperatores, ut publica 9
lætitia ſine immodico pretio nunciaretur, ne quid à provincialibus extorqueretur, aut ne iis invitis deſcriptio aut cenſus imponeretur: utque Judices & eorum Officiales ſoliciti eſſent, ne præmia iſta nunciationum legitimum modum excederent, ne turpi colludio quæreretur à miſeris pretium gaudiorum: quòd ſi id fuiſſet ſacrilega diſſimulatione violatum, pœnâ infamiæ & privationis bonorum, tam accipientes nunciatores, quàm Judices immodica præmia perſolvi cogentes, plecterentur: Officiales verò triginta auri libris mulctarentur, *d. l. 1. h. t.* * Quæ pœna licet pecuniaria ac Jure expreſſa, 10
poterit ea tamen ad deportationem & quandoque ad ultimum ſupplicium extendi; ſi nimirum tanta ſit Judicis & Officialium negligentia, aut culpa adeò evidens, ut junctis aliis circumſtantiis, iniquiſſimam eorum deſidiam arguant, veluti ſi odio, aut pretio corrupti id fecerint, ex quo Reipublicæ grave damnum detur. Imò quamvis nulla eſſet conſtituta pœna, poſſet nihilominus acerbiùs in Judices legum violatores, eorumque miniſtros animadverti, ut rectè ſenſit Amaya *ad l. 3. num. 19. Cod. De canone l. rgit.* Diſſentit. Farinacius *tom. 3. crim. quæſt. 111. num. 414.*

Eorum enim eſt, puras Deo & Principi ſervare 11
manus, nullos pati numerarios lucri avidos, nec à

Digitized by Google

privatis id ſperare, aut iis delinquentibus diſſimulare, *d.l.1.* contentos eſſe ſtipendiis fiſcalibus. *Novell.82.c.7.* nec alios permittere ea tranſcendere, quæ ipſis in præmium aut ſtipendium jure decreta ſunt.

Quod cùm neç olim exactè obſervaretur, ſubſecuta eſt altera ejuſdem ferè argumenti Græca Conſtitutio, cujus hic fit mentio, quæ voluit *Inſinuatores conſtitutionum, & aliarum ſacrarum vel judicialium litterarum*, quibus immunitas, vel privilegium, vel aliud gaudij novi nuncium continetur, ſex dumtaxat aureos præmij loco accipere, & ab eo qui ampliùs accepiſſet, quadruplum reddi. *l.2. h.t.* ubi Judicum & Officialium erat curare, ne ab invitis immodicum præmium acciperetur, aut quid ultra ſex aureos. Hoc præmium quod à volentibus dabatur, jucundi nuncij gratia, Evangelium Græci vocant, ſic & Cicero ad Atticum; Hiſpani *albricias*.

12 Quid, ſi quis ſciens & volens audito lætitię nuncio, ultra præſcriptum modum pecuniam donaverit, An donatio erit valida? Invalida videtur, quia quodam animi impetu facta: Lætitia enim æque eſt animi motus, atque ira, quæ mentis perturbatio rationis eſt expers, dum enim quis nimiam exardeſcit in iram, aut nimio obruitur vino, quaſi apud ſe non eſt, itaque ſi id quod præ iracundia aut ebrietate geſtum eſt, ratum non habetur, niſi apparuerit perſeverantia, animi indicium fuiſſe; ſic etiam quæ donata præ nimia lætitia, alicujus momenti æſtimanda non ſunt, tanquam ab eo cui nimio gaudio judicium ereptum eſt. Contra tamē ſuadet *l.1.h.t.* quæ permittit nunciatori publicæ lætitiæ modicum dari: multo ergo magis liberalitatem exerceri in bene meritos & neceſſarios affectionis, & publicæ gratulationis cauſa, *l.5.ff. De donat.* cùm quiſque ſit dominus & moderator rei ſuæ. Ut non obſtet quod de ira & ebrietate objicitur, cùm utraque animum obruat, & mentem omnino alienet, adeò ut homo infra hominis ſpeciem dejiciatur, & ex homine brutum quodammodo reddatur.

Inſuper ea quæ Adminiſtratores Reipublicę nun- 13
ciatoribus læta nuncia deferentibus donant, rata & valida ſunt, adeò ut in rationes publicas ſint referenda, ut ſi nunciaverint ea quæ lex noſtra hic proponit, felicem ſcilicet belli exitum, pacem compoſitam, Principis in Provinciam adventum, natum ei hæredem, & ſimilia. Eſcobar *De ratiociniis. cap.24.n.21.* ubi plures Doctores refert, qui ſentiunt ſi quid modicum vel immodicum donatum fuerit, arbitrio judicantis relinquendum eſſe. Idem ſcribit Menochius *lib.2.arbitr.caſ.145.* cùm tamen jus, modicum definiat ad duos aureos. *l.10.ff. De dolo.* vel ſex, quod inſinuatoribus conſtitutionum datur. *d.l.2.h.t.* Inſinuatores hic Sacrarum litterarum vocantur, qui mandata Principum inſinuabant, ſeu publicabant, item juſſiones Magiſtratibus perferebant, ut patet ex inſcriptione, *l.2.ſup. De off. ejus qui vicem alicujus judicis.* Hic verò ſit finis, quem Deus dedit, cui laus, honor, & gloria, & Sanctiſſimæ Matri-Virgini.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM,

Prior numerus Librum, alter Titulum, tertius Numerum deſignat.

A.

ABigei qui? Abigeatus crimen & pœna. 9. 37. n. 1. 2 3. 4
Quid ſi à ſtabulo abigant pecus. Quæ pœna ſecundum mores. ibid. n. 5. & 6.

Abolitio.

Abolitio quid, quotuplex, à quo petenda, & quam ob cauſam. 9 42 n. 1. 2. 3
Abolitio an concedatur reo invito; quando etiam conſentiente utraque parte non concedatur. ibid n. 4. 5
Abolitio ſingulorum criminum petenda, effectus abolitionis. ibid. n. 6. 7
Abolitio generalis quid, quibus de cauſis concedatur. 9. 43. num. 1.
In quo diſtinguatur à privata. ibid n. 2
Abolitioni ſimilis eſt indulgentia Principis, quis ejus effectus. ibid n. 3
Num tollat infamiam, & pœnam fiſco debitam, & intereſſe partium. n. 4. 5
Qui obtinet indulgentiam criminis, non fatetur crimen. num. 8
Priuſquam obtineatur, cum hæredibus defuncti facienda eſt pax, quid, ſi diſſentiant, aut nolint. n. 6. & 7

Acceptilatio

Acceptilatio quid, quomodo fiat, qui poſſunt accepto ferre. 8. 44. n. 1. 2
Effectus acceptilationis: An aliæ obligationes tolli poſſint acceptilatione. n. 3. 4. 5

Accuſatio.

Accuſatio, inquiſitio, denunciatio, qui differant. 9. 2. n. 1. 2. 3
Accuſare qui poſſint, vel non. 9. 1 n 1 2. 3. 4. 5. 6. 7 8
Accuſatus quando poſſit ſuum accuſatorem accuſare. n. 10
Accuſantis contumacia & ceſſatio quomodo puniatur. n. 11. 12. 13
Accuſare ejuſdem criminis non poteſt, ſemel abſolutus excipiuntur caſus. n. 15. 16 17
Accuſationi quanto tempore præſcribatur. n 18
Cur Judex de crimine interrogare non debeat. n. 23. 24. 25
In quibus delictis non ſit locus præſumptioni. n. 19. 20
ab Accuſatione deſiſtens, incidit in pœnam S. C. Turpilliani. 9 45. n. 1. 2. 4
Mulier dicto S. C. quando ſit obnoxia, vel non. n. 3

Actio.

Actio quid ſit: quid juris, ſi quis debitorem compellat. 4. 10. num. 8
Actio alia in rem, alia in perſonam, quid utraque perſequamur. n 9
Actionis utriuſque diſcrimen. Actio perſonalis cui & in quem detur. n. 10. & 11
Actio directa quando transferatur, & utilis quomodo competat. n. 12. & 14
Actione perſonali ceſſa, an hypothecaria quoque ceſſa ſit, num 15
Actione hypothecaria agi poteſt adverſus eum qui rem poſſidet, n. 12
Actionis & nominis ceſſio, quibus caſibus valeat, 4. 35 n. 18. 19
Actio in rem & in perſonam vendi poteſt, quæ exactio transferatur. 4 39. n. 11. 12
Actionis venditæ aut ceſſæ quis effectus. n. 13
Actio in rem exercenda ubi res ſita. 3. 19. n. 1
Actio defuncto competens an transeat ad hæredem, 4. 17. num. 2
Actio ex delicto actoris non competit hæredi. n. 3
Quid ſi lis ſit conteſtata, aut aliquid ex delicto ad hæredem pervenit. n. 4
Actio Confeſſoria & negatoria, quibus detur; cui incumbat probatio, 3. 34 n 31
Quis poſſidere dicatur. Quid in has actiones veniat, n 32. 33. 34
Actiones hæreditariæ quæ ſint, contra quos dentur, 4 16. n. 1.
Actio contra debitores hæreditarios quæ detur, n. 2
An ſinguli hæredes teneantur in ſolidum; in quem hypothecaria moveatur, n 3
Actio utilis & in factum quando detur & quibus, 3. 35. n. 16.
Actio L. Aquiliæ quotuplex, quibus detur, contra quos & cur non datur in hæredem, n 14 & 15
Actione L. Aquiliæ vindicatur damnum ab uno vel pluribus datum, n. 11. 12
Actiones noxales ex qua cauſa, ad quid, & adverſus quos dentur, 3. 41. n 2. 3. 4. 9
Quando noxæ deditio non liberet dominum, n. 6
Actio ad exhibendum quæ, cui & adverſus quem detur, quæ in eam veniat, 3. 42. n. 1. 2. 3. 4. 5
Actionis hujus finis ejuſque uſus hodie, n. 10
Actio Pauliana cui detur, adverſus quem, & quando, & ad quid, 7. 65. n. 1. 2. 3. & ſeqq.
Actio familiæ erciſcundæ cui & adverſus quos detur, quæ res in eam actionem veniant, 3. 36 n 3. 4. 5
Actio communi dividundo cur introducta, quibus & contra quos detur, & ad quid, 3 37. n 1 2. 3. 4. 5
Actio finium regundorum qualis, qui ea agant, ad quid competat, 3 39. n 5. 6. 7. 9
Actio finium regundorum an præſcriptione longi temporis extinguatur, n 10
Actio funeraria perpetua, qui ſumptus petantur, quibus & adverſus quos detur & quando ceſſet. 3. 44. n. 16. 19
Actio receptitia ſublata. 4 18 n. 12
Actio inſtitoria & exercitoria qui inter ſe differant, 4. 25. n 11
Actio quod juſſu, de peculio, & de in rem verſo, quando detur, ejus cauſa, utilitas, 4 26 n. 2. 3. 4. & ſeqq.
Actionis de peculio quis finis, coram quo intentanda & quamdiu duret, n. 13. & ſeqq.
Actiones de peculio, tributoria, & de in rem verſo, an poſſint eodem libello cumulari, n 17
Actio civilis & criminalis quando concurrere poſſit & ſimul intentari, 9 31 n. 4
Actione civili intentata, criminalis præfertur, interdum non, n 5. & 6
Actio vi bonorum raptorum datur omnibus quorum intereſt, 9. 33. n 2
Adverſus quos detur, quibus de rebus, & coram quo judice intentetur, num 3

Actio.

Digitized by Google

Actio empti, ſive ex empto, quando & ad quid competat 4. 49. *n* 1 & 2
Actio venditi ad quid detur. *n.* 15
Actio ex pacto de retrovendendo quænam detur. 4. 54. *n.* 14.
Actio redhibitoria quando, cui & ad quid detur. 4. 48. *n.* 1
Actio quanti minoris ad quid detur, quamdiu utraque duret. *n.* 5. 7
Actione redhibitoria quid opus, an etiam pertineat ad locationem jumenti morboſi, vel ad res donatas. *n.* 8. 9. 10.
Actio rei uxoriæ tranſlata in actionem ex ſtipulatu; utriusque diſcrimen. 5. 13. *n.* 1. 3
Actio ex ſtipulatu de dote eſt bonæ fidei, cui & contra quem competat, ad quid, quo loco inſtituenda. *n.* 4. 5. 6. 17.
Actio ex ſtipulatu an detur marito pro dote promiſſa; & quis Actionis hujus finis. *n.* 9. 18
Actio rerum amotarum, quando: de quibus rebus & cui competat. 5. 21 *n.* 3
Actio iſta quid contineat, & quatenus contra hæredes amoventis detur. *n.* 4 5
Actio tutelæ cur arbitrium vocetur, cui & contra quem detur, & quid in eam veniat. 5. 51. *n.* 1. 2. 3
Actio tutelæ contraria ad quid detur, & actio utilis contraria quibus, contra quos detur & quando. 5. 58. *n.* 1. 7.
Actio de rationibus diſtrahendis quid, & quam tollat actionem. 5. 51. *n* 13 & *ſeqq.*
Actio ſubſidiaria adverſus quos detur, & quando ceſſet 5. 75. *n.* 1 2. 3. 4.
Actione ſubſidiaria qui magiſtratus non teneantur. *n.* 5
Actio ſervi corrupti quando & ad quid detur. 6. 2. *n.* 30

Actor.

Actor condemnari poteſt, ſi obnoxius ſit reo. 7. 45 *n.* 18
Actor à curatore datus appellare, & appellationem proſequi debet 7. 62. *n* 4
Actor abſens compelli poteſt ad judicium peragendum. 3. 1. *n.* 21.
Actoris contumaciæ quæ ſit pœna. 3. 1. *n* 20
Actor edere actionem tenetur. Quando reus actori edere inſtrumenta debeat. 2. 1. *n.* 11. 12 13
Actor durante tutela quando detur, quo differat à curatore. 5. 61. *n* 1. & 2

Addictio.

Addictionis in diem pactum duplex, quæ utriuſque vis. 4. 54. *num* 2.
Addictionis pacto reſolvitur contractus, meliori conditione oblata, quando ea oblata cenſeatur. *n* 3
Non cogitur venditor meliorem conditionem acceptare. *n.* 4 5
An reverſa re ad venditorem eidem reſtituendi ſint fructus interea percepti. *n.* 6

Aditio.

Aditio & geſtio pro hærede ſunt res diverſæ, verum effectus ejuſdem 6. 10. *n* 20
Aditio hæreditatis quomodo fiat, & qui adire eam poſſint. *n.* 19. 22.
Aditio nomine furioſi, pupilli, infantis per quos fiat. *n* 23. 24.
Adire hæreditatem an cogi poſſit, qui de ſtatu ſuo litigat. *n.* 29.
Aditionis effectus. *n* 30 & 31
Adita hæreditas tranſmittitur. Quando non adita transmittatur ex jure deliberandi. Item ex potentia ſuitatis. 6. 52. *n.* 1. 2. 3
Adiri hæreditas poteſt clauſis tabulis 6. 32. *num.* 1. & 51. *num* 4.
Aditio confundit actiones inter creditorem & debitorem ſibi ſuccedentes. 4. 15 *n* 4
Aditio hæreditatis per inſtitutum, cur tollat vulgarem ſubſtitutionem. 6. 26. *n.* 6

Adoptio.

Adoptio quid, quotuplex, à quibus, & apud quem fiat. 8. 48 *n* 1.
Adoptionis & arrogationis ſolemnitas, qui adoptari & arrogari poſſint. *n.* 2. & 3
Adoptare vel arrogare qui prohibeantur. *n.* 4. 5
Adoptio hodie patris naturalis jura non diſſolvit, niſi ab aſcendentibus fiat *n.* 6
Adoptatus an parentis adoptantis nobilitatem acquirat. 12. 1. *n* 28.
Adoptivus non excludit ſubſtitutum ex clauſula, *ſi ſine liberis.* 6. 42. *n.* 15

Adſcriptitij.

Adſcriptitij coloni qui, ſola conductio non facit eos adſcriptitios 11. 47 *n.* 3. 4
Adſcriptitij non poſſunt vendi, permutari, legari. Quid, ſi quis eos emat. *n.* 5 6
Adſcriptitij coguntur redire ad locum ubi nati. Quatenus teneatur qui eos detinet. *n.* 7. 9
ex Adſcriptitio & libera nati ventrem ſequuntur, ſibique acquirunt. *n* 33
Adſcriptitiæ cum libero homine vetita conjunctio, & inter adſcriptitios diverſi prædij *n.* 34

Adſeſſor.

Adſeſſores qui dicantur, qui iis uſi, quinam eſſe poſſint. 1. 51 *n* 1. 2. 3.
Adſeſſoris officium in quibus conſiſtat & juvet magiſtratum. *n.* 4 5
Aſſidere cur nequeat diverſis magiſtratibus. *n* 6
Adſeſſoris emolumenta, privilegia, & ſalaria debita hæredibus. *n.* 7. 8
Adſeſſoribus quid commune cum eorum domeſticis. *n.* 9, & 10.

Adulterium.

Adulterium quid & à quo committatur: An etiam cum ſponſa alterius de futuro. 9. 9 *n* 1 2 3
Agit propter violatam ſponſam ſponſus de ſtupro, non de adulterio. *n.* 4
Adulterij qui accuſent, intra quod tempus, & quis hic ordo ſervandus in accuſatione. *n* 5. 6 7. 8. & *ſeqq.*
Si vidua manſerit mulier, ab ea inchoabitur accuſatio. *n.* 15.
Ante conteſtationem litis mulier abſens non revocatur, nec accuſatur, ſecus poſt *n* 16
Permiſſum Patri ſoli occidere filiam in adulterio inventam, non avo, non filiofamil. Quando marito id liceat. *n.* 20. 21
Quid jure Novellarum hic ſtatutum, & quid hodie. *n.* 22. 23.
Adulterij quæ olim & nunc pœna; cur vetita tranſactio. *n.* 24. 25.
Qua pœna puniatur qui duas uxores habet. *n.* 30
Uxoris ignorantia excuſat, poteſt dotem repetere. *n.* 31
An vidua propter ſtuprum amittat dotem *n.* 35
An delictum hoc filiæ, noceat patri ejus quoad dotem. *n.* 36
An amittat mulier dotem propter adulterium commiſſum in matrimonio putativo. *n.* 34 & 38
Cauſæ excuſantes à pœna adulterij *n.* 41. 42. 43. 44
Adulterij accuſatio quando ceſſet, & pœna poſt quinquennium. *n.* 46
Adulterij ex præſumptionibus condemnari quis poteſt. *n.* 33.

Advocatus.

Advocati unde dicti, laudabile eorum munus. 2. 7. *n.* 1
Advocatorum privilegia & ſalaria. *n.* 2. 3. 4 5. 13
Advocatum non habenti judex dat. *n.* 6.
Advocatorum conditio ætas & tempus ſtudij. *n.* 7. 8 9
Advocati officio fungi non poſſint curiales. *n.* 10
Advocati prohibentur à ſuo foro abeſſe, coguntur cauſas ſuſcipere, & ſuſceptas ſine fallaciis defendere. *n.* 14. 15. 16.

Digitized by Google

Advocati fiſci qui, ex quorum ordine ſumpti, 2. 9. n. 1
Eorum ſalarium, de quibus cognoſcant, privilegia, honores, n. 3. 4. 5
An iis gaudeant filij advocati fiſci, & eo mortuo ſalarium accipiant, n. 6
Advocatorum error qui clienti noceat, 2. 10. n. 1
An noceat libellos ſeu preces concipienti; n. 2
Advocatorum in jure omiſſa cur Judex ſuppleat. 2. 11. n. 1. & 2

Ædes, ædificium.

Ædes vicini intercidens incendij avertendi cauſa, an teneatur L. Aquilia, 3. 35. n. 7
Ædes novas ædificare, aut collapſas reficere, an quis cogatur, 7. 10. n. 1
Ædificia ædificantibus quæ ſervanda: Item in conſtruendis balneis, mænianis, quæ illa ſint, n. 2. 3. 4. 5
Ædificare & cingere fundos muris licet, non tamen ad æmulationem alterius, n. 6
Ædificatum deſtruere quis non poteſt, ſed ornatum transferre; vel auferre ſine incommodo ædificij, n. 7. 8
An venditio materiæ ædibus detractæ valeat, ſi domum communem unus ſociorum, iis invitis reſtauret, qui cuntulendum, n. 9. 10. 11. 12. 13

Ædilitiæ actiones.

Quis iis agat, quæ vitia redhibitioni locum faciant. 4. 58. n. 1. 2. 3
Quando vitia noceant venditori: & cui incumbat probatio rem fuiſſe vitioſam tempore venditionis, n. 4

Æquitas.

Æquitatis prætextu non licet recedere à mente Legis, 1. 13. num. 17
Æquitas præferenda ſtricto juri, n. 18

Agentes in rebus.

Quam varij illorum gradus, qui differant à militantibus in ſcriniis, quis eorum numerus & privilegia, 12. 20. n. 1. 2. 11
Qui ducenarij, Biarchi, Circitores, & eorum munus, n. 3. 4. 6. 7. 8
Reſignatio aut venditio officij publici fieri debet cum approbatione Principis, n. 5
Mortuo aliquo de ſchola Agentium in rebus, ſuccedit proximior, n. 7
Servandus ordo, & ratio meritorum habenda in promotione ad officia, n. 8
Quinam ad officia aulæ aſſumendi à Principe, n. 9
Agentes in rebus quæ privilegia habeant, ſive agant, ſive conveniantur, 12. 21. n. 6

Ager.

Ager deſertus, incultus & derelictus quid, inter hos diſcrimen, 11. 58. n. 1. 2. 3
Ager ſterilis quid, quibus aſſignetur, n. 5
Agros deſertos an invitus quis cogeretur ſuſcipere, n. 7
Agri colendi ſuſcipiebantur ſub canonis præſtatione, n. 8
Agros tributarios emens omiſſis ſterilibus, tenetur etiam pro iis ſolvere tributa fiſco, n. 11
Agros patrimoniales ſub certa canonis præſtatione accipienti, non eſt augendus canon ob meliorationem, n. 14
Agri peræquatore alicui addicti, fiebat eorum dominus, n. 17
Agros deſertos licet hodie colere, non occupare. Quid, ſi dominus non redeat, n. 19
Agros proprios colere non officit nobilitati, 12. 1. n. 74
Agri ut colantur maxime curare debet magiſtratus, 11. 63. num. 2.

Agricolæ & Cenſiti.

Agricolarum prior & felicior ſtatus, origo, diſtinctio inter Adſcriptitios, Colonos, Cenſitos, & Inquilinos, 11. 47. n. 1. 2. 3. 4
Cenſiti & Adſcripti prædiis vendi, permutari, legari nequeunt. n. 3
Emens adſcriptitios ſine prædiis ad quid teneatur: prædium vendi ſine colonis nequit, eorum privilegia, & pœna ſi fugiant. n. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12
An poſſit dominus ſervum aut colonum vagabundum propria manu capere. n. 14
Nulla præſcriptione ſe tueri poſſunt adſcriptitij adverſus domini vindicationem. n. 18
Colonorum liberi parentum conditionem ſequuntur, ut ſint coloni liberi terræ tamen addicti. n. 19
Coloni qui ſe poſſeſſores prædiorum eſſe dicunt, repelluntur præſcriptione temporis, & diutina præſtatione redituum. n. 20
Pendente lite inter dominum & colonum ad quem pertineant reditus. n. 21. 22 & ſeqq.
Agricolarum apud nos eſt differentia, quæ præſtent dominis ſuis. n. 29. 30
Quid item adſcriptitij & ex iis nati. n. 31. 32. 33
Agricolæ & mancipia reipublicæ ſequuntur fundos & conditionem matris, ad nullos honores & munera civitatis adſpirare poſſunt. 11. 67. n. 1. 2. 3

Æſtimatio.

Æſtimatio pecuniæ mutuo datæ, aut vini, ad quod tempus referenda. 4. 2. n. 24. 27
Æſtimatio quæ præſtatur in contractibus ſtricti juris & bonæ fidei. n. 28

Alea.

Aleæ origo, cur aleæ luſus prohibitus, ſolventi datur repetitio. 3. 41. n. 1. 2. 3. 4
Qui luſus exerceri poſſint: Acquiſita in ludo vetito an retineri poſſint. n. 5. 6
An ludens ad creditum, ſub fide ſolvendi, obligetur, quid de conſuetudine, & circa ſponſiones quæ fiunt, n. 7. 8. 9. 10

Alienatio.

Alienatio judicij mutandi cauſa facta quando cenſeatur, quæ actio inde oriatur, cui detur, & contra quem, 2. 55. n. 1. 2. 3. 4
Alienatio fundi dotalis inhibita per l. Jul. 5. 23. n. 1. 2. 3. 4
Alienatur fundus æſtimatus, niſi aliter convenerit. n. 5
Alienare quas res poteſt maritus. n. 6. 7
Alienationi juratæ non licet contravenire. n. 9
Alienatio rerum minoris ſine decreto prohibita. 5. 71. n. 1. & 2
Alienationis nomine quæ hic veniant. n. 4
Alienatio quibus perſonis permittatur & quibus ex cauſis, n. 5. 6
Adverſus alienationem cum decreto factam, an minor reſtituatur. n. 9. 10
Alienationis prohibitio ex cauſa fideicommiſſi hæredibus facta, ad quot generationes duret. 6. 42. n. 26
Alienationi ſi conſenſerint extra familiam illi quorum reſpectu facta eſt prohibitio. n. 14. 25
Alienatio in fraudem creditorum, qualiter revocetur, & fraus conſideretur. 7. 75. n. 8. 9
Alienata in fraudem patroni, qua actione & quouſque reſcindantur. 6. 5. n. 1

Alimenta.

Alimenta præſtanda ſunt liberis naturalibus, etiam inceſtuoſis jure canonico. 5. 25. n. 4
Alimenta an ſint præſtanda filio robuſto & diviti per patrem, quando id onus matri incumbat. n. 5. 6. 7
Alere ſororem an frater teneatur, & patruus nepotes ex fratre. n. 8. 9. 10
Alimenta relicta pauperibus, an etiam forenſibus debeantur, 11. 24. n. 9
Alimenta relicta pauperibus civibus ſuperior augere debet. num. 8
Alimenta pupillis Prætor decernit. 5. 50. n. 1
Alimentorum cauſa relictum cenſetur, quod in annos ſingulos relinquitur. 6. 37. n. 20
Super Alimentis an liceat tranſigere. 2. 4. n. 11

Alluvio.

Alluvio & circumluvio quid, & utriuſque jus & contra quos receptum. 7. 41. n. 1. 2. 3

Digitized by Google

Alluvionis jus in lacu aut ſtagno non obtinet. n 4

Alluvione non augetur fundi tributum, nec minuitur diminutione alluvionis, contra ſi accedat innudatio. n 5.6

Hodie loca paluſtria ſibi reſervat Princeps, item flumina & inſulas. n 7.8 9

Ambitus.

Lex Julia de ambitu non vetat honores petere, ſed emere & invadere. 9.26 n.1.5

Quæ ejus pœna, & qua puniatur quid dignitatem, qua functus, repetivit. n. 3

Ambitus lex quare dicatur ceſſare in curia Principis. Quid hodie cautum? n 4. 7

Simonia committitur circa beneficia Eccleſiaſtica. n.8.9

Antichreſis jure canonico damnata, exceptis duobus caſibus. 4 32. n.16

Anatociſmus prohibetur utroque jure. n.19. & 20

Annona.

Annona & Capitatio debetur Aſſeſſoribus in præmium laboris. 1.51. n.1

Annonæ inſpectio ad quem pertineat, & quam habeat poteſtatem. *ibid.*

Annonæ Præfectus. 1.42. n.1 & 2

Annonæ ſolent in fiſcum redigi, conſiſtunt in frumento, vino, oleo, pane. 10.16. n.1

Annonas alendis militibus recipiebant Suſceptores & Optiones. n 24

Annona popularis vel militaris vendi non poteſt. 4 40. *num.* 2

Annona civilis & panes gradiles populo dabantur per gradus. 11.24 n 1. & 2

Annonæ cura quibus olim & nunc commiſſa, quid Sextarius. n. 4. 5

Panes gradiles quibus nunc ſimiles, eum eos diſtrahi permiſſum. n 5. & 6

Annonæ & fructus Eccleſiaſtici, beneficij poſſeſſore mortuo, in quos transferantur. n. 7

Angariæ & parangariæ præſtatio quæ, nemo ab ea eximitur. 12.51 n.5. & 10.42

Apocha.

Apocha, antapocha, cautio quid, hujus petitio omiſſa an noceat, 4.21. n 3

Apocha publica eſt ſecuritas; quæ priuſquam detur, fieri debet ſolutio. 10.22. n.1.2.3

Apocham publicam habens ſecurus eſt, nec ei opponi poteſt exceptio non numeratæ pecuniæ. n 10.12

Qui dicit ſe ſolviſſe, id probare tenetur, ſed debitor tributi, ſi oſtendat ſe tribus annis ſolviſſe, præſumitur retrò ſolviſſe. n. 5

An id extendatur ad privatos debitores, emphyteutam, colonum? n 7.8

ſolutio facta uno anno pro tribus, aut per intervalla, non inducit juris præſumptionem. n. 9

Apocha ſolutionis amiſſa ſufficit ad probationem liber rationum: Quid, ſi in eo non ſit deſcripta? 10 30. n.8.9.10

Apoſtata, Anabaptiſta.

Apoſtatæ hæreticis deteriores, quæ eorum pœna. 1.7. n.1.2

Et quæ ſtatuta in iterantes Baptiſma. 1.6. n.1.2

Apoſtoli.

Apoſtoli qualiter petendi, dandi ſunt omiſſa cautione de exercenda appellatione. 7.59 n 25.26

Apoſtolos ſi appellans petere omiſerit, aut Judex dare denegaverit, quid juris n 28.29.30

Apparitor.

Apparitorum functiones & commoda diverſa, in officio Præfecti prætorio. 12.53. n 1.2.3

Apparitores in officio præcedebant Cornicularij, Præfectiani, Primiſcrinij, qui poſt miſſionem adorabant Principis purpuram. n. 4

Apparitores gaudebant multis privilegiis. *ibid.*

His ſuccedebat ab inteſtato Præfectus prætorio, ut nunc dominus feudi vaſallo ſine hæredibus mortuo, n.4. & 5

Apparitores Præfecti urbis qui fuerint, permiſſum iis adorare purpuram. 12.54. n 1.2

De adoratione purpuræ & admiſſione ad Principem n.3

Apparitores Magiſtri militum quot inſtituti in Oriente & Occidente. 12 55 n.1

Apparitorum alij inſtituti, alij ſupernumerarij, benemeritis data præmia. n 3.4.5 6

Apparitores Proconſulis quot, quis eorum caput, munus. 12.56. n.3.4.5

Apparitores probos admittere Judices debent & curare ne ſe alienis officiis immiſceant. n 6

Apparitores Comitis orientis quod ſufficerent; diminuta hujus Comitis adminiſtratione, paucis utendum & fidis. 12.57. n 1.2 3

Apparitores, executores & Catholicani dicti, qui nunc vocentur, eorum numerus quando augendus. n 4.5

Appellatio.

Appellatio quid, quotuplex, ejus finis, & qui poſſint appellare. 7.62. n 1.2.3

Appellandum ab inferiore ad ſuperiorem, ab ordinario & à Delegato ad Delegantem. n 6 7

Appellare cur liceat à Delegato ad Proconſulem, non item a Principe n 8 9.10

Appellare à quibus Judicibus liceat, & ad quos n 11.12.13

Appellare cur gradatim oporteat Jure civili, ſecus Canonico n 14.15

Appellare in quibus cauſis liceat, an in criminalibus n 17.18

Appellatur à definitiva, interdum ante, & a quovis gravamine. n 19

Appellatio quomodo facienda, & quando interponi debeat n 20. 21

in Appellatione interponenda, quæ obſervatio, quid Judex facere debeat. n.12.25.35. & *aliis.*

in Appellatione ſuccumbens, præter expenſas, etiam pœnam præſtat n 18

Appellationis effectus n.41 & *ſeqq.*

Appellatione interpoſita nihil innovandum Judicis eſt attentata revocare, & de illis quandoque judicare. n 44 45

Aqua & Aquæductus.

Aquæductus aut ſunt publici aut privati 11 42. n.1

Aquæ ducendæ jus quanto tempore præſcribatur, item res quæ in uſu publico n. 2. 3

Aquæductibus noxia prædia & arbores fiſco vindicantur. *num.* 4

Prædia à fiſco annotata poſt incorporantur patrimonio Principis, ſine cujus aſſenſu aqua deducitur. n 5

Aqua deducenda ex ipſis formulis, ab iis qui jus impetrarunt. n 6.7

Aqua quæ ſervit palatio Principis, non deducitur. n. 8

Aquæductus ſunt bene curandi & purgandi à poſſeſſoribus. *num.* 9

Pecuniam deputatam reſtaurando aquæductui, non eſt in aliud opus convertenda. n. 14

An dominus aquæ ſervientis uſu prohibeatur. 3 34 n 10

An dominus aquæ eam continere aut à curſu avertere poſſit. n 11

Aquæhauſtus, pecoris ad aquam appulſus, ruſticæ ſunt ſervitutes. n. 12

Arbiter, Arbitrium.

Arbiter quis, alius juris, alius compromiſſarius. 2 56 n 2.3

Arbitri qui, quot conſtitui poſſint, vel non, & in quibus cauſis. n.4 5.6

Quid, ſi arbitri diſſentiant. Quid, ſi diverſas ſententias dixerint tres arbitri. n 7 8

Ab Arbitris ex compromiſſo appellare an liceat. An ſit reductio ab Arbitri ſententia, intra quod tempus petenda, An liceat appellare à Judice qui ſuper reductione cognovit. n 13.14 15.16.17.18

Arbitri ſententia quam vim habeat n 19. Quando ſolvatur compromiſſum, n. 10. An tranſmittatur ad hæredes, num 21

Arbitrium.

Arbitrium tutelæ dicitur actio tutelæ, quid in eam veniat. 5.51 n 1.2 3
Quid, ſi plures geſſerint coram quo conveniendi. n. 7

Argentum

Argenti pretium pro auro theſauris Principis inferebatur 10.75. n 1 2 3
Auri libra quanti? An fiſcus debeat accipere quamvis monetam. num. 4

Arma.

Armorum uſus cur prohibitus, niſi ad uſum venationis; itineris. 11.46. n. 1. 2. 3
Arma qui geſtare poſſint. Quid, ſi cum armis aliqui fugiant. n 4 5 6
Arma non deferuntur in locum judicij. n 10
Armatorum collegia ſeditionibus compeſcendis utilia. n 13. 14
Arma movere inſcio Principe non licet, puniuntur graviſſime moventes n 15

Arra.

Arræ interventus quid operetur in emptione venditione. 4.38 n 20
Arrarum conditio, ſecutis vel non ſecutis nuptiis. 5.1. n. 16
Arræ datione non deſinit res eſſe integra. 4.45. n 3

Arrogatus

Arrogatus qua cautione tranſeat in poteſtatem arrogatoris. 8 43 n 7
Item arrogati liberi. Quid juris, ſi arrogator mancipet arrogatum, n 8 9
Arrogato impuberi quarta ſine cauſa emancipato debita, an ſit omnium bonorum arrogatoris. n. 10
Arrogator an poſſit impuberi ſubſtituere. n 11
Arrogatus quomodo arrogatori ſuccedat. 6.55. n 15

Ars, Artifices

Artium liberalium utilitas & neceſſitas. 10.64 n 1. 2. 3
Artifices quam immunitatem habeant. n 4
Inter Artifices & artes differentia. n. 5
Artificum & opificum officia varia; quæ non præbeant immunitatem n 9
Artifices noſtri non habent ſcholam prout veteres nec immunitatem. n 10
Magiſtratus cogere poteſt artifices ut laborent, & taxare illorum numerum, & merces quas vendunt n 11. 12 13
Artifices tenentur exercere artes ſuas in officinis, non privatim. 11 11 n 7
Artifices non poterant à corpore liberari, niſi dato ſubſtituto. 11.7. n 29

Aſſecuratio.

Aſſecurationis contractus inter mercatores & nautas qualis, an ſit licitus 11 5 n 22
Aſſecurationis tempore ſi merces erant direptæ, an ſuſceptor periculi teneatur. n 23

Aſſertor.

Aſſertor olim requirebatur qui ſervum defendere. 7.17. n 1
Hodie ipſe ſervus per ſe reſpondere poteſt & per procuratorem. n 2. 3
Aſſertor qui diſtet à procuratore. n. 4
Cauſæ liberales terminatæ non retractandæ, nec trahendæ ad alium judicem n. 5. 6. 7
Si ſervus venditus pendente cauſa liberali moriatur, debetur evictio. n 8

Aſſeſſores.

Aſſeſſores qui ſint, & qui iis uti, quinam eſſe poſſint: An infames 1.51. n 1. 2 3
Aſſeſſoris officium in quibus conſiſtat, ut juvet magiſtratum n 4. 5
Aſſeſſoris emolumenta, privilegia, an & ejus hæredibus debeantur. n 7. & 8
Aſſeſſoribus quid commune cum domeſticis ſeu ſcribis judicum. n. 9 & 10

Athleta.

Athletæ nomen quid ſignificet, quos ludos exercuerint 10.53 n. 1
Athletis victoribus magna præmia propoſita, & quæ n. 2. 3. 4
Athletæ & qui in ſacris certaminibus deſerviebant, infamia non notabantur n. 5
Athletarum exemplo, ſtudioſis & Doctoribus dantur præmia & tituli n. 8. 9. 10. 11
Doctores præferuntur magiſtratibus. ibid.

Auctio.

Auctio publica fiebat haſta in foro poſita. 10.3 n. 1. 2. 3
ejus ſolemnitatis origo. ibid.
Auctionis & haſtæ fides quanta ſit, quis Judex eam decernat. n 1. 4
Poſt Auctionem non auditur plus offerens. n. 11. 12
Auditur fiſcus, ſi dicat ſe rem non vendidiſſe, ſed ſolum venalem expoſuiſſe n. 13.
Auctionis forma non ſervata res reſtituitur cum fructibus. num 17
Quid venditionem nullam reddat. n. 18

Auctoritas.

Auctoritas Tutoris in negotiis pupillorum quando interponenda. 5.59 n 1 2
Auctoritas in quibus cauſis neceſſaria vel non. Quid, ſi ſine ea pupillus contrahat n 4. 5
Auctoritatis interpoſitæ effectus. An obligetur pupillus naturaliter. n 8. 9.
Auctoritatem ſi male Tutor interpoſuerit, aut eam denegaverit, quid juris. n. 10

Aula.

Aula ſeminarium majorum Magiſtratuum, ac eorum qui ad regendas provincias mittuntur. 12.14. n. 2
in Aula tales viri formari debent, qui apti ſint ad regendum & norint ſtatum provinciæ in quam mittuntur. n. 3
Aulicos digniores ſolet Princeps promovere, ſi non promoveantur, ne doleant 12 28 n 4
Aulicorum immunitas, privilegia, virtutes, quibus ornati eſſe debent. 12.29. n. 3. 4

Aurum.

Auri exportatio ad Barbaros cur vetita. 4 63 n. 1
Aurum luſtrale à quibus præſtaretur. n 2
Aurum negotiatorium quid, cur ſublata dein ejus præſtatio. 11. 1. n. 3. 4 5
Aurum coronarium quibus offerebatur. 10.74 n 1. 2
Aurum hoc præſtitum à Judæis ſuis Patriarchis, numquam a Romanis coacte exactum n. 8
Hodie oblatio tranſit in legem. An dominis liceat ad furnos ſuos & molas ſubjectos ſuos cogere. n 8 9. 10
Auri bonitas ad quot caracta aſcendat, hæc quot habeant grana. 11.10 n. 12
Auri & argenti puri marca, non facile mutanda n 13. & ſeqq.
Aurum publicum non diu retinendum, nec ex eo lucrum faciendum. 10 72. n 1 2
An poſſint receptores unam ſpeciem pecuniæ pro alia dare, aut paciſci de aliquo lucro, pro anticipanda ſolutione. n. 3. 4. 5
Aurum quod collatoribus præſtatur, æqua lance ponderari debet 10.75. n 1
Auri ponderator in ſingulis civitatibus conſtitutus, qui de valore, & quantitate judicat, an ejus dicto ſtandum, n. 2. 3. 4

B.

Baphi.

Baphi ſunt tinctores, non erant ſervi. 11.17 n. 1 & 8
Baphij & Gynæcij Procuratores qui ſint, & eorum munus. n. 13 14

Baſtagarij.

Baſtagariis incumbebat vectura rerum fiſcalium. n 26
Baſtagarum Præpoſiti quid curabant, item Baſtagarij, iis non licebat ad aliam militiam tranſire. n. 27

Bellum.

Bellum inter ſupremos Principes: illis ſolis licet bellum indicere. 11.46. n. 15. 16. 17

Bellum juſtum adverſus quos geratur, ejus juſtitia & cauſæ. num 18.19
Bellum offenſivum non facile ſuſcipiendum. n. 20
Bellum omne pacem reſpicit. Quinam pacem facere poſſint. n 21 22.23
Belli damna an Princeps remittere poſſit, ut pacem obtineat. n. 25
Berytus metropolis, & Tyrus; cujus auctoritate fiant plures metropoles. 11.21.n.1.2.3

Bona fides, Bona.

Bona fides neceſſaria ad uſucapionem, num omni tempore præſcriptionis interveniente debeat. 7.26.n.10
Bonæ fidei poſſeſſoris & uſufructuarij differentia. 3.33. num 32
Bonæ fidei poſſeſſor quos fructus faciat ſuos. 3.32 n 21.22
Quos reſtituere teneatur. n.23.24
Bonorum poſſeſſio, ſive jus ſuccedendi, à Prætore impetrandum. 6 9.n.1.2
Intra quod tempus petenda poſſeſſio, coram quo, & qui ad eam petendam admittantur. n 3 4.5.6
Bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas cui detur, & quare. 6 11.n 1.2
Quæ requirantur ut detur. Quid, ſi de jure teſtamenti quæſtio ſit. n 3 4 5
Bonorum poſſeſſio contra tabulas quibus detur, vel non. 6 11 n 1.2
Cur detur ſuis præteritis, & poſthumis. n.3.4.
Petita contra tabulas bonorum poſſeſſione, legata quibus præſtentur. n 7. 8
Bonorum poſſeſſio contra tabulas liberti patronis liberiſque eorum datur. 6.13.n.1.2
Bonorum poſſeſſio unde liberi, quo ordine deferatur. 6.14. num.1.2
Bonorum poſſeſſionem avi, an petere poſſit nepos, relicta hæreditate patris. num.3
Bonorum poſſeſſio Unde Legitimi, Unde cognati, cui detur. 6.15.n.1.2
Bona Libertorum quomodo deferantur patronis. 6.4 n.1.2
Bona materna quæ, quod jus ſit in iis filio & ejus patri. 6. 60. n.1.2
Bona filij adventitia quatenus pater adminiſtrare debeat, non alienare. n. 5 6
Bona adventitia alienata poteſt filius vindicare, niſi obſtet præſcriptio. n 7. 8
Bonorum diſtinctio in profectitia, adventitia, & caſtrenſia. 6.61. n.1.2
Quod jus habeat pater in his bonis. ibid.
Bonorum publicatio qualiter & ex quibus cauſis decerni ſoleat. 9.49 n 1.2.3
Bonis confiſcatis, an veniant etiam actiones & jura. n. 4. 5
Bona acquiſita inter conjuges damnato marito an ſint uxori ſalva. num.7
Ex quibus bonis æs alienum diſſolvendum. n. 4
Bona hodie non confiſcantur, ſed relinquuntur hæredibus damnati exceptis quibuſdam caſibus. n 19.20.& ſeqq.
Bona ante reatum donata liberis, & fideicommiſſo ſubjecta, non confiſcantur. n. 9. 10
Bona eorum qui ſibi mortem conſciverunt quatenus publicentur. 9 50.n.1 & 2
Bona principatus quæ? bona coronæ nequeunt alienare ſine conſenſu ordinum. 10.1.n 7 8
Bona quæ appanagia dicuntur, quo pacto & quibus concedantur. num 10
de Bonis quæ Princeps jure ſuperioritatis acquiſivit, rectè diſponit num 9
Bonis Principis aſſervandis qui hodie præſint. n.11
Bona ſcelere quæſita fiſcus auferens, quatenus obligetur. num 11
Bona alicujus ſi publicentur ſtatu integro manente, non prohibetur alia acquirere. n.34
Bona vacantia quæ, quid de his ſtatuit lex Julia Caducaria. 10.10. n.1.& ſeqq.
Quomodo fiat iſtorum bonorum deſcriptio & incorporatio. num.31
in Bonis vacantibus an fiſcus ſuccedat ut hæres. n.32 34
Bona vacantia, item ſpuriorum, cedunt hodie dominis locorum. n 9.10.11.12
in Bonis alienigenarum quis hodie ſuccedat. n.15.16.17
Bona derelicta & quæ domino carent, an uti vacantia ad fiſcum pertineant. n 22
Bona ob tempeſtatem è navi projecta, errata, & inventa cui cedant. n.23.24 25
Bona quæ deferuntur in fiſcum, nemo poteſt ſibi impetrare. 10.12. n 1
Bona delata impetrare non licet, donata revocari poſſunt. n. 3. 4
Bona coronæ unita & incorporata fiſco non impetrantur. n. 5. 6
Bona in quibus jus habet dominus feudi, debent diſtrahi, ſi præceſſerit condemnatio. num 7
Bona regalis patrimonij an donare poſſit Princeps. 10.14. num.8
Bona donare ſatius eſt in feudum, quam urbes & caſtra donare. num.9
Bona immobilia quæ majorum fuere, non prohibetur extraneus acquirere 11.51 n 4.
Bona patrimonialia in extraneum alienata, licet retrahere. num. 5.

C

Cadaver.

Cadaver ſepeliendum, præterquam in atrocioribus delictis. 9.6 n.7
Cadaver ob grave crimen furcæ ſuſpenſum, aut datum medicis ad anatomiam. ibid.

Caducum.

Caducum, & quæ in cauſa caduci dicerentur. 6.51.n 2 3.4
Quid in his correctum. ibid.

Calendæ.

Calendæ dies celebres. 11 40 n 16
Calendæ Januariæ apud Romanos maxime celebres, vota eo die nuncupata 12 49.n.1 2
Calendis Januariis omnia captabantur, convivia inſtituebantur, ſtrenæ dabantur, conſules creabantur. n. 3.

Calculatio.

Calculatio an retractetur ob modicum errorem, ſi approbata ſit. 10.1 n 14
Calculatio ſemel facta an reiteranda: quid, ſi dolo fuerit facta. n.15.16

Calumniatores.

Calumniatores qui, & ſi non probant, quod intendunt. 9 46. n. 1. 2
Calumniatorum pœna, excipiuntur caſus à pœna excuſantes. n.3 4 5.6
Calumnia quo tempore punienda. n 8. 9.
Calumniæ juramentum cur introductum, quando id præſtetur & coram quo judice & quibus perſonis remittatur. 2 59 n 1.2.3.4
Calumniæ juramentum in quibus præſtetur, an omitti, vel remitti poſſit. n.7.8 9.10.11

Canon.

Canon rationalium titulorum quid ſit. 10.23 n.1
Canones ſive largitiones collectæ referebantur ad theſaurarios, inde mittebantur ad Comitem ſacrarum largitionum. num.2
Chartularij qui; eorum privilegium: qui defenſores. n. 9. 10
Canonum largitionalium duplex area, duo numerarij. n.11
In quos à Principe largitiones faciendæ. n. 12

Capitatio.

Capitationes voce venit tributum capitis: eo exempti Theſſalonicenſes. 10.16 n 35

à Capita-

Digitized by Google

à Capitatione qui cum Romana plebe immunes. 11 48. n. 1. 3
Capitationem qui pendebant, & quod tributum fuerit. n. 2
Capita civium non cenſebantur, ſed æſtimabantur eorum bona. num 4
An Princeps poſſit cives ſuos alienare & alterius facere. n. 5. & 6

Captus.

Captus ab hoſtibus teſtamentum facere non poteſt, ex æquitate deinde valuit. 6. 22. n. 7
Captus ab hoſtibus ubi reverſus, fingitur nunquam captus jure poſtliminij. 8 51. n. 1
Captos ab hoſtibus lex Cornel. fingit mortuos ipſo momento captivitatis. num 1
Captus ab hoſtibus ſi interea militiæ tempora compleantur, ſtipendia recipiet ut veteranus. 12. 36 n. 16
Captus quamdiu apud hoſtes fuit, an illius temporis ſtipendia accipiat. n. 17
Captus ab hoſtibus legatus, aut ſyndicus civitatis, à quo redimendus. n. 19
Capienda & diſtrahenda ſunt pignora tributorum cauſa. 10 21. n. 12
Iniquus tributi exactor, & qui ante diem pignus vendidit, ad quid teneatur n. 6
Captus a latronibus teſtari poteſt. 6. 22. n. 11

Carcer

Carcer privatus prohibetur ſub pœna. 9 5. n. 1
Carcere concludere permiſſum parentibus, dominis, marito. num. 2. 3
Carceratus cruciatum ſentire non debet, & ſtatim audiendus. 9 4. n. 2. 3 4
in Carcere ſeparato viri & mulieres continentur, quando hæ ob debitum incarcerentur. n. 6 7
in Carcere mortuus præſumitur culpa cuſtodis. n. 8
Carcerem effringentes, & effugientes & conſpirantes, qua pœna puniantur. n. 13. 14. 15
Incarcerari nemo debet ſine mandato judicis, quando eo non ſit opus. 12. 58. n. 9 10
Carcerem cur habere non potuerint ſtationarij. n. 8
An poſſit impune occidi, qui non patitur ſe capi à miniſtris. n. 10
An præbendum ſit auxilium miniſtris id petentibus. n. 11. 12
Carceri ob æs alienum mancipari nequeunt milites. 12. 36. num 22
in Carcerem detrudi num poſſint debitores tributorum, recuſantes ſolvere. 10. 19. n. 19. 20
in Carcerem non detruditur Illuſtris ob debita. n. 21
Carcerari num poſſint forenſes ob non ſolutam collectam ad quam tenentur ratione bonorum. n. 22. 23. 24.

Caſtrenſiani.

Caſtrenſiani & Miniſteriani, aulæ miniſtri, varia horum officia cum officiis aulæ Regiæ collata. 12. 26. n. 1. 2. 3
Qui fuerint Comites Veſtiarij, ſacræ veſtis, pædagogia, & qui nunc tales in aula noſtri regis n. 5
Plures erant ordines & formæ iſtorum miniſtrantium, omnes ſuberant Magiſtro officiorum & Comiti ſacri palatij. n. 6. 7. 8

Caſtrenſe peculium.

Caſtrenſe militum peculium quid, ejus diviſo, & quod ab inteſtato ſit patris, quis iſtius rei effectus. 12. 37. n. 1. 2 6. 7
Jus Caſtrenſis peculij habent Præfectiani cæterique militantes in officio Præfecti prætorio. n. 8
Quinam habeant ius quaſi caſtrenſis peculij. n. 9
Caſtrenſe peculium cur habeant omnes Palatini ſeu militantes in palatio Principis. 12. 31. n. 1. 2
Quæ militibus & Palatinis donabantur in præmium, & quæ in ſtipendium. num. 3
Quæ parſimonia Principi neceſſaria, ejus virtutes uti & vitia aulici amplectuntur. n. 4. 5

Cautio.

Cautio ſeu ſatisdatio quotuplex, quæ ſufficiens. 2. 57. n. 1. 2
Cautionem qui non præſtent, quam præſter actor, procurator rei defenſor. n. 3 4 5
Cautio ab uſufructuario quæ & quare præſtanda. 3. 33. n. 4. 5. 6
Cautionem an remittere poſſit teſtator in uſufructu. n. 7 8
Cautio an ſit de ſubſtantia in quaſi uſufructu. n. 9
Cautio legatorum & fideicommiſſorum ſervandorum cauſa quare introducta. 6. 54 n. 1
Cautio hæc à quo præſtanda & quibus præſtetur. Quid, ſi hæres eam recuſet n. 2 3 4
Cautionem hanc an teſtator poſſit remittere. n. 5
Cautionem quam præſtet legatarius de implendo modo, & quæ ſit cautio Mutiana 6. 45 n. 2
Cedere dies quando dicatur & conditionales dies. 6. 53. n. 1. 2
Annui legati dies cedit initio cujus anni. n. 9

Cenſus, cenſitores.

Cenſus acceptio varia, item forma cenſendi. 11. 57. n. 1 2. 3
Cenſendi qui, magis aut minus gravandi. n. 4
Cenſum graviorem imponere non debet peræquator: pœna ejus. n. 8 9 10
Cenſiti & inſcripti in æſtimio poſſunt ejus inſpectionem petere. n. 12
Cenſendi modus ut ſervetur, bona omnia ſunt in æſtimium referenda. n. 11
Æſtimatio facienda pro fructuum quantitate, ſæpius neceſſaria peræquatio n. 13 14. 15
Prædium deſertum alteri à peræquatore aſſignatur ſine onere cenſus ſolvendi n. 17
Volens recuperare rem ſibi obligatam, reſtituere debet expenſas meliorationis. n. 18
Coloni & Vaſalli inſolita onera præſtare coacti, poſſunt alia loca quærere. n. 19

Ceſſio.

Ceſſionis beneficium inducendi ratio. 7. 71. n. 1
Ceſſio qualiter facienda & quibus permiſſa, vel non. n. 2. 3. 4. 5. 6
Ceſſio ex quibus cauſis fieri aut non fieri poſſit. n. 10. 11
Ceſſionis effectus, eſt liberare debitores à moleſtiis, non a debito. n 12. 13 14
Cedens non liberatur à civili obligatione, ſed actio & executio ſuſpenditur. n. 15
Ceſſionis auxilium non prodeſt fidejuſſoribus cedentium, num. 16
Cedenda quæ ſint, an cedantur bona teſtamento relicta. n. 17 18. 19
Ceſſionis beneficio renunciari an poſſit. n. 20 21
Ceſſio cur infamiam non irroget, & quòd integrum ſit cedenti ante venditionem pœnitere. n. 22
Induciæ quinquennales conſenſu creditorum debitori dantur, an iis impetratis liceat bonis cedere n. 24 25
Creditorum major pars poteſt remittere partem debiti. num. 26
Cedentis bona quomodo inter creditores dividantur. n. 27. 28
Ceſſionis & dationis in ſolutum differentia. n. 29
V. de Ceſſionis beneficio plura. 7. 53. n. 23 & ſeqq.

Citatio

Citatio ſeu vocatio in jus, quomodo fiebat & nunc fiat. 2 2. n. 1
Citari qui poſſint, aut non poſſint, ſine venia judicis. n. 2. 3
Citari imo capi poteſt de fuga ſuſpectus n. 4 5
Citationis forma, quæ cautio præſtanda & dilatio. n. 6
Citatio quotuplex, non rite facta, vel omiſſa, facit ſubſecuta nullius eſſe momenti. n. 7
Citari an debeat qui præſens eſt in judicio. n. 8
Citatio ubi facienda; quid, ſi citandus plures domos habeat. n. 8 9. 10. 11

Citandus ſi ſit extra territorium, vel non ſit de territorio citantis. n 12.13
Quid ſi ſit miles vel clericus factus. n. 14
an Citatus mittens procuratorem excuſetur. n 15
Citationis varij effectus. n. 16

Civitas.

Civitati hæreditas relinqui poteſt. 6.24 n. 12
Civitas non poteſt imponere collectas ſine conſenſu Principis. 10 17. n 10
Civitas urgente neceſſitate moderatam acciſiam imponit. n. 11.12
Civitas ſi jure collectandi abutatur, aut eo uti recuſet, quid juris n. 13.14
Civitatis major pars an poſſit gravare ſingulos cives, ſi litem ſuſtineat. n. 15. 16
Civitas debitrix prius ſua bona excutere debet. n. 19
Civitates non habent jus vindicandi bona vacantia. 10.10. num. 2
Civitas non habet jus dandi immunitatem. 10.46 n 9.10
Civitatis oneribus ſubjiciuntur qui erant & poſtea efficiuntur cives. 10. 39. n. 22
Civitas an habeat tacitam hypothecam in bonis ſui adminiſtratoris. 11.29 n. 12
Civitas an poſſit facere ſtatutum quo præferatur creditoribus. n. 13
Civitatis ſtatuto auferri poteſt jus alicui ex civibus quæſitum. n. 14
Civitates liberæ quæ iura habeant & qua forma procedat venditio rerum civitatis. n. 15 & 16
Civitas ex cauſis ab onere relevatur & id imponitur a iis civitatibus. 11 56 n 16
Civitas & ejus adminiſtratores quatenus ex mutuo accepto obligentur. 10.6. n 1
Poſſunt aliis pecuniam fœnori dare, ſed eam ex publicis rationibus accipere vetitum. n. 2

Claſſici, claſſes.

Claſſici milites, incenſiti, & accreſcentes qui. 11.12. n. 1
Claſſes apud Romanos duæ quæ Italiam tuerentur. n 2
Claſſes variæ in Oriente & Occidente. n 3 4
Claſſicorum numerus augendus ex incenſitis, n 6
Claſſicis præficiuntur nunc Almiraldi, quibus conceſſa juriſdictio. n. 7
Maris dominium & defenſio eſt Regis, qui commoda percipit. n 8.9
Claſſes parare tenetur Princeps, ut tuto navigare liceat. num 10
Claſſes conducunt ad conſervandas diſſitas provincias. n 11
Claſſium cura committitur Almiraldo, quæ ejus juriſdictio. n. 12

Clauſula.

Clauſulæ codicillaris quæ ſit vis. 6 36. n 8
Clauſula *integro ſtatu* quæ donata intelligantur. 10 10. n 4
Clauſula *cum omni jure* omnis juriſdictio cenſetur conceſſa num 5
Clauſula *motu proprio* ſi princeps aliquem à tributis exemerit, an id cæteris ſit oneri. 10 16. n 32.33
Clauſula *motu proprio* facit ut conceſſio à principe facta valeat. 10 25. n. 4
Clauſula *appellatione remota* quid operetur. 7.62 n. 22
Clauſula *tant qu'il nous plaira* uti intelligenda. 12.1. n 10.12

Clericus.

Clericus non niſi coram ſuo Epiſcopo comparere cogitur. 3.13. n 11
Clericus ſi ſit hæres laici, an coram ſeculari Judice comparere debeat n 12
Clericus ratione rei an conveniri coram laico poſſit. 3. 19. num 6
Clericus an poſſit coram ſeculari judice conveniri. 7. 45 n. 19
Clericus non poteſt prorogare juriſdictionem judicis ſeculari. 3.13. n. 16
Clerici perturbatores & filij inobedientes expelli poſſunt. 9 15 n 1 9. 5 n. 3
Clericus an de jure rectè teſtetur, & quid de conſuetudine. 6.22. n. 21
Clericus iure civili jurare non cogitur. 4 1 n 18
Clerici quando teneantur ad collectas. 10.17. n. 22
Clericorum gradus, ætas, capacitas ad beneficia, officium & illorum privilegia. 1.2 n. 5 6.7
Clerici an diſponere poſſint de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis. n. 14 15
An fructus inter hæredes defuncti & ſucceſſorem Clerici dividantur. ibid.
Clericus ſi reus ſit alicujus criminis, an poſſit laïcus eum apprehendere. 11.11. n 8.9
Clericis omnis inquieta venatio interdicitur. 11.44. n. 7
Clerici frumenta ſua vendere tenentur, & reſtituere pretium ſi taxam exceſſerint. 10.26. n. 7

Codicilli.

Codicilli quid, eorum origo & uſus. 6.36. n 1
Codicillos quis faciat, quæ in iis ſolemnitas & obſervatio. n 2. 3
Codicillorum effectus, quando rumpantur & confirmentur, n 4. 5 6
Codicillis relinquuntur legata & fideicommiſſa, non item hæreditas. num. 7
Codicillis quid ſi directo data ſit hæreditas. n 8
datur hæredi optio, utrum jure teſtamenti an fideicommiſſi ſuccedere velit. n 9
Codicilli plures validè fieri poſſunt, non teſtamenta. n. 10
Codicillis tutor datur. 5.27. n 5

Cæcus, cœlebs.

Cæcus dari poteſt judex. 3.1. n 5
Cæcus qua forma teſtamentum facere poſſit. 6.22. n. 6
Cœlibatus pœna hodie ſublata. 8 58. n. 1
Cœlibes legata & hæreditates capere poſſunt. n. 2
Cogitationis pœnam nemo patitur interdum conatus punitur. 9.8. n. 15

Cohortales.

Cohortales non militant, neque Clerici. 12.34 n. 11
Cohortalium militia quibus Judicibus parebat. 12.58 n 1
Cohortalium numerus & varia miniſteria; probatoria opus erat, ut promoverentur. n 2.3.4.5
Cohortalibus præficiebantur principes & primates officiorum. n. 6
Cohortales à munere non liberabantur, niſi primipilari officium geſſiſſent. n 14
Cohortalium conditio oneroſa, non omnino tamen dignitatis expers. n. 15
Cohortalium filij ejuſdem erant fortunæ, & patribus ſuccedebant n. 16
Curare debent parentes & magiſtratus, ut pueri bene inſtruantur. n. 17
Cohortales declinantes onera, fugientes, aut latitantes, retrahebantur n 21.22.23.24
Cohortali ab inteſtato decedenti ſuccedit collegium. 6 62, num 3

Collatio bonorum

Collatio quid, ejus origo, qui inter ſe conferrent, & hodie qui & quibus conferant. 6.20 n. 2.3.4.5
Collatio in qua ſucceſſione locum habeat, an poſſit prohiberi n. 6
Quæ bona conferantur vel non, & quæ conferat emancipatus n 9
Peculium caſtrenſe, adventitium, acquiſita vivo patre, impenſæ in ſtudiis, libris, gradu, militia, & redemptione filij, an conferantur. n 10.11.12 13
An donatio ſimplex conferatur & uſuſfructus adventitiorum, quem pater filio remiſit. n. 19.20
Collatio quomodo fiat, & an res ipſa ſit conferenda, & ad quos tranſeat. n 23.24

Collatio æris.

Aurum pro ære fiſco ſolvi poteſt, & qui hodie res iſta procedat. 10.29 *n.*1 2.3

An cogatur quis in quavis pecunia ſolutionem accipere. *num* 4

Quid, ſi convenerint de reddendis nummis aureis, an poterit in ære ſolvi. *n.* 5

Collatio donatorum

Ut Princeps ſubjectorum animos ſibi conciliet, ſolet quibuſdam collationem remittere, vel alios ab ea relevare, vel adærare. 10.28 *n.*1.2.3

Hodie conceditur relevatio & remiſſio ob deteriorationem prædiorum. *n.* 6 & *seq.*

Collatio fundorum.

Collatio ſive ſolutio penſionum, quas pendere debent coloni fundorum fiſcalium, benigne eſt facienda, injuſti exactores coercendi. 11.73 *n* 1.2.3.4

Conductores nobiles, & emphyteutæ à collatione fundorum patrimonialium non eximuntur. 11.64 *n* 1 2.3

Solventibus datur apocha de receptis, & liberantur collatores oblatione & ſolutione per terminos. *n.*4.5

Collegium & Collegiati.

Collegium habere non omnibus permiſſum, probari debet à Principe. 11.17 *n.*1 2.3

Collegium religionis cauſa licitum non tamen exemptum à juriſdictione ſeculari, quæ collegia ſint reipub. utilia. *n.* 4.5

in Collegium ſuſcipiendi qui ſunt probati & ejuſdem artis. *num* 7

in Collegiis duobus nemo eſſe poteſt, & qui ab uno recedit, partem communem petit *n.* 6

Collegia alia aliis nobiliora, & gaudent privilegiis, an etiam ſupra numerum aſſumpti. *n.* 8.9 10.11 12

Collegiatis debentur lucra, excluſis extra ordinem aſſumptis. *n.* 13

Collegium non mutatur mutatis perſonis, illius jus in uno reſidet & conſervatur. *n.* 14

Collegiati cum licentia à collegio recedere & chartopratos ſubſtituere poterant. *n.* 15

Collegiati poſſunt & nunc ſtatuta facere, quæ ipſos ligent non alios. *n.* 18 19

Collegæ ſuſtinent ſumptus injuncti muneris, quos unus facit à conſortibus recuperat. 11.37.*n.*1.3

Collegæ publico quæ actio contra alium detur. Et eo caſu quo munus deſeruerit. *n.* 5

Colluſio.

Colluſio detecta facit ut judicatus ingenuus redeat ad priorem ſtatum. 7.20. *n.*1.2

Coloni.

Coloni in alias colonias tranſlati prædia ſua cogebantur vendere, niſi Princeps concederet, ut ea retinerent. 10.1.*n* 32.33

Coloni patrimoniales qui de ſucceſſione ſua litigant, remittendi ſunt ad Præſidem. 10.63. *n.*3

Coloni Illyricani à ſua terra recedere non poterant, ſub pœna quæ etiam manebat in eos qui colonos recepiſſent. 11.52 *n.* 1.2

Concedere ſolet Princeps uni terræ majora privilegia *n.* 3

Curare debent poſſeſſores fundorum ne Coloni agros deſerant. *n.* 4

Coloni cenſiti non poſſunt à dominis ultra conſuetum cenſum gravare. 11.49. *n.*1.2

Colonus agere poteſt ut ſibi præſtetur cautio ne in futurum gravetur. *n.* 3

Colonus in cauſis civilibus dominum in jus vocare prohibetur; accuſare poteſt ſi criminaliter injuriam ſuam proſequatur. *n.* 4. 5

Coloni quoque Paleſtini non poterant à terra recedere. 11.50. *n.* 1.

Colonum fugitivum poteſt dominus propria auctoritate capere, *n.* 2, 3

Coloni Thracenſes erant liberi, adhærebant tamen ſuæ terræ. 11.51 *n.* 1

Coloni hodie qui in annos aliquot agros conduxerunt, non licet eis agros deſerere. *n.* 2. 3

Coloni ſeu Metroici, qui terras ſibi publicè datas poſſidebant, eas in exteros vendere, aut donare prohibebantur. 11. 55 *n.* 1. 2

Bona tamen patrimonialia acquirere, vel alienata retrahere eis permiſſum. *n.* 4. 5

Coloni alij ſimplices, alij adſcripti fundis emphyteuticis. 11. 62. *n.* 1

Coloni nequeunt aliam terram colere, nec dare libertatem mancipijs. *n.* 3. 4

Comites.

Comitum origo, unde dicantur, illorum ſymbola, dominia. 12. 1. *n.* 11. 13. 18.

Comes an præcedat Marchionem. *n.* 17

Comes ſacrarum largitionum, & ſacri patrimonij quis, quæ ejus poteſtas. 10. 1. *n.* 6 & 12. 6 *n.*4

Comes rei privatæ de quibus cognoſceret & quæ procuraret. 12. 6 *n.* 5. 6

Comites hi ſub ſe habebant largitionales, Privatianos, Palatinos, quibus publica exactionis cura commiſſa. 10. 23 *n.* 2. 3. 4.

Comites Conſiſtoriani ſunt Conſiliarij Principis, cur plures eſſe expedit, 12. 10. *n.* 2. 3. 4

Cavendum Principi ne miniſtri imperent, ſint fidi, prudentes, non adulatores. *n.* 5

Comitum conſiſtorianorum triplex ordo, eorum privilegia. *n.* 6 7. 8

Comites & Tribuni præerant aulæ miniſtris, quorum varia munera. 12 11. *n.* 8 9

Comes ſacri ſtabuli quod ejus munus, & nunc quale ſit in noſtra aula. *n.* 11

Comitibus & Tribunis honor comitativæ defertur, & peracta adminiſtratione Comitibus Ægypti & Ponticæ adæquantur. *n.* 11

Comes rei militaris quis, qua dignitate ornaretur, & quibus præerat. 12. 12. *n.* 1. 2. 3

Comitibus rei militaris adjunguntur qui vices magiſtrorum militum gerunt. *n.* 4

Comites & Duces exercitibus quales præficerentur; nunc præficiendi qui rei militaris ſint peritiſſimi, *n.* 5. 6

Comites cur Archiatri palatij dicerentur, triplex ordo medicorum qui ex publico dotati. 12. 13. *n.* 1.2.3.4 5

Comites qui provincias regunt, quibus æquarentur, eorum dignitas & privilegia. 12. 14. *n.* 5

Comitibus majoribus committebantur majores ditiones, minoribus una aut altera, in eorum locum qui nunc ſurrogati. *n.* 4

Comitatus Cæſaris dici cœptus ſub Adriano, quod ſenatus eum comitaretur. 12. 10. *n.* 2

Commeatus.

Commeatus quid ſit, parce militi dandus, expeditionis tempore. 12. 43 *n* 1.2.& 36 *n.*10

Commeatu accepto qui non redijt, vel ſine eo emanet, punitur. *n.* 3. 4. 5

Commeatum habere debent Palatini, Senatores, Illuſtres. *n* 6

Commeatus etiam accipitur pro annona militari. *n* 8

Commeatum procurare debet Dux exercitus. *n.*9

Cavere debet ne hoſtis à tergo relinquatur, loca exploranda, caſtra munienda. *n.* 10

Comminatio.

Comminatio Judicis, programma, epiſtola, ſubſcriptio vim ſententiæ non habet. 7.57.*n* 1.3

Quando habeat formam decreti, & quid judicis inhibitio operetur. *n* 2.4 5

Commodatum.

Commodatum quid, qui differat à locatione, precario & mutuo, 4. 23. *n.* 1

Commodati.

Digitized by Google

Commodati actio directa quibus & adverſus quos detur, quid in eam veniat. n 4.5.6
Commodatarius ſi ſua culpa rem perdiderit, liberabitur præſtando æſtimationem. n 8
Commodatarius ſi dolo fecerit quo minus poſſit reſtituere. num 9
Commodatarius quam culpam præſtet, an & caſum. n.10 11
An teneatur commodatarius probare culpam à ſe abfuiſſe n.12.13
Quid, ſi à nuncio ſit commiſſa. ibid.
Commodati actio contraria quando & ad quid detur. n 14. 15. 16. 17

Communi, communio.

quod Commune eſt, meum eſt, id intelligendum in fiſco habente rem communem cum alio. 10 4. n 1 2.3
Communem rem cum altero an poſſit fiſcus dare in pignus, vel locare. n. 7. 8
Communem rem ſi privatus vendat, datur ſocio rei vindicatio. 4 52 n 1.2
Quid, ſi pars ſit indiviſa, vel aliena vendita, aut rei controverſa. n 3 4
Communi dividundo iudicio pendente non eſt poteſtas ſocio alienandi rem. 3.37. n 9
in Communione manere nemo invitus cogitur. n. 7
Communi dividundo judicio, pro quibus rebus, & quando agitur. n.2.3.5.11.12

Compenſatio.

Compenſatio quid, quomodo fiat, cur introducta, & an ipſo jure competat 4.31. n.1.2.3.4
Compenſatio cur ſit opponenda, quis effectus, & quo tempore opponenda. n 5.21.22
Compenſatio in quibus debitis & delictis locum habeat. n 6.7.8 9
Compenſatio cur in ſpeciebus vel quantitatibus ad ſpeciem non procedat. n.10.11
Compenſatio an admittatur, ſi fructus debeantur in genere, item genus cum genere. n 13 14
Compenſatio quibus caſibus ceſſet, item in depoſito. n. 15. 16
Compenſatio ceſſat in debito fiſcali vel reipublicæ. n.19
Compenſationem an objicere poſſit qui juravit ſe ſolutum. n 23
Compenſatio an habeat locum in commodato. 4 23. n.18. & 19
Compenſatio an habeat locum de una ſtatione ad aliam. 10.5 n.3. & ſeqq
Compenſatione mutua delicta tolluntur. 9.35. n 9

Competentia.

Competentiæ beneficium ut non teneatur, niſi in quantum facere poteſt; competit marito, item ſocero. 5. 17. n 13. 14
Competentiæ beneficium eſt perſonale. An detur extraneo dotem promittenti. 7.53. n 30
Non datur hæredibus, niſi ſint filij ex eodem matrimonio nati. n 31.32

Compromiſſum.

Compromiſſum & receptum quid dicatur. 2.56. n 1
Compromittere qui non poſſint. n. 5
Compromitti in plures poteſt. n 7
Compromiſſi vis & effectus. n. 9

Compulſor.

Compulſor quia, ejus ſeveritati occurrit Juſtinianus. 10.19. n. 14 15

Concubina.

Concubina ab uxore in quo differat. 5.26. n 1
Concubinam cum uxore habere non licebat. n 2
Concubinatus hodie prohibitus n. 3
Concuſſio & deprædatio prohibetur. 12.62. n 2

Condictio.

Condictio certi, quænam actio inde naſcatur. 4.2. n.1.10
Condictio datur ad repetendum quod indebite ſolutum. 4.5. n.2 3
Condictio indebiti ut detur quæ ſint requiſita. n 1.3.14
An Condicatur quod ſub conditione vel ante diem ſolutum. n. 4
Condictio hujuſmodi ex quibus cauſis non detur. n 6.7
Condictio non datur ex debito naturaliter tantum. n. 8
Solutum errore juris, aut facti, aut dubitanter, an repetatur. n.14.15
Condictio hæc cui detur, adverſus quos, quid ea petatur. n 17.18.20.21
Condictio ob cauſam quid, qui differat à condictione indebiti. 4 6. n. 1
Condictio hæc quando competat, & quid in eam veniat, n. 2. & 3
in Condictione hac quid cauſa & qualis eſſe debeat. n 7
An qui accepit ob cauſam, cogi poſſit contractum implere. n 9.10
Condictio ob turpem cauſam quando & cui detur. 4. 7. n 1. 2. 3
Condictio hæc quibus caſibus ceſſet. n 4.5.6
Condictio furtiva, quo differat ab actione furti. 4.8. n. 2
Condictio hæc cui & ad quid detur. n 3 4
Condictio furtiva an detur contra hæredes furis in ſolidum. n. 5
Condictio ex lege quid; quando illa detur, ejus exempla varia. 4.9. n.1.2.3
Condictio ex certa cauſa quando habeat locum. n. 4. 5
Condictione ex injuſta cauſa quid perſequamur. n. 6

Conditio.

Conditio quid, quid ea operetur, quæ impoſſibilis, turpis, neceſſaria. 6 46. n. 1
Conditio de futuro triplex, poteſtativa, caſualis, mixta. n 2. 3
Conditio in dando vel faciendo præciſè adimplenda. n. 4
Conditio deficiens quatenus faciat legatum deficere. n. 5
Conditio promiſcua, & poteſtativa, intra quod tempus implenda. n. 6. 7
Conditionem adimplere recuſans, pœnitens non admittitur. n. 8
Conditionis negativæ, & caſualis effectus. n.9.10 11
Conditio an habeatur pro impleta, ſi culpa aut caſu teſtatoris evenerit, ne minus impleatur. n. 12
Conditiones plures conjunctim vel disjunctim quomodo implendæ. n.13.14
Conditiones implendæ ius non tranſit ad hæredes. n. 15
Conditiones, ſi ſine liberis, comprehenduntur nepotes n 17
Conditio impoſſibilis cur habeatur pro non ſcripta inſtitutioni, ſecus in contractibus. 6.25. n.2.3
Conditio quot modis dicatur impoſſibilis. ibid.
Conditione quàvis inſtitui poteſt extraneus, filius verò ſub poteſtativa. n. 4 5.6 7
Conditio quando dicatur exiſtere, vel non exiſtere, ut valeat inſtitutio. n. 10
Conditio quando ſubaudiatur & ſuppleatur. n.11.12
Conditiones quo tempore impleantur, & num mater præferatur ſubſtituto? n 15 & 16
Conditio adjecta donationi quid operetur? 8.55. n.2
Conditio eſt præciſe implenda, & in quo differat à modo, num. 3
Conditio, ſi non nupſerit, cur rejiciatur. 6.40. n.1
Conditio quæ nuptias prohibet, vel permittit, cur valida. num. 2
Conditio non nubendi ſine arbitrio Titij an valeat. n. 4
Conditio ſecundis nuptiis recte additur, non tamen virgini n. 8. 9
per Conditionem, ſi caſtè vixerit, non prohibentur ſecundæ nuptiæ, nec legatum amittitur n 10
Conditio, ſi ſine liberis, in quibus liberis locum habeat, & excludat ſubſtitutum 6 42. n 14.15.16.17
Conditionem deficere an faciant liberi jam nati. n. 19

Conditum,

Conditum.

Conditum quid, conduntur in publicis horreis variæ ſpecies annonariæ. 10.26 *n.* 1.2

Frumentum militibus & incolis ex publico erogabatur. *n.* 3. 4 6

An liceat frumentum corruptum incorrupto vel paleas miſcere. *n* 7.8

Frumenta incorrupta ob anni fertilitatem dividi debent inter cives. *n.* 13

Horreorum cura quibus olim & nunc commiſſa. *n.* 10. 11. 12

Frumentum vetus prius vendendum quàm novum, idque erogandum pauperibus. *n* 14

Quâ pœnâ puniatur de jure & conſuetudine qui de publicis horreis frumenta uſurpat. *n* 15 & 16

Conductio

Conductio, & conductor: quando cenſeatur renovata. 4.65 *n.* 1. 12.

Conductori uni ex pluribus quomodo ſubveniatur. *n* 21

Conductor uſuras poſt moram debet. *n* 22

Conductor quod damnum ſuſtineat. *n.* 26

Conductor caſum quem in ſe recepit, in ſolidum præſtat *n.* 27

Conductor quando teneatur de incendio. *n* 28.29

Conductor quid ſi frui non poſſit, & quibus caſibus poſſit expelli *n.*11.12.13

Conductor ad quid agat ſoluta mercede, & quænam repetat. *n* 15

Conductores prædiorum fiſcalium habent utilem actionem. 11.70 *n.* 4.

Conductoribus perpetuariis elocantur prædia Principis vel civitatis. *n* 5

Conductores & actores ſi agant, utuntur jure communi. 11.71. *n* 2

Conductores prædiorum fiſcalium ſubſunt quoad collationem procuratori Cæſaris 11 73 *n* 2

Conductores dominici non liberantur ab ordinariis muneribus. 11.64 *n* 1

Conductores vectigalium à muneribus civilibus & tutelis excuſantur 10.55. *n.*5

Confeſſio.

Confeſſionem in judicio factam utrum ſequi debeat condemnatio. 7.59. *n* 2

Confeſſus crimen, aut de eo pactus, condemnari ſententiâ debet. *n.* 3 4

Confeſſio ſocij ſocio non præjudicat. *n* 5

ut Confeſſus habeatur pro judicato quæ requiſita ſint. *n* 6 7. 8

Confeſſio facta in tormentis quid operetur. *n* 9

Confeſſio errore facta: Item ſuper qua re facienda. *n.*10 11

Confeſſio procuratoris domino abſenti an noceat *n.*13

Confeſſio num poſſit revocari, an præjudicet confitenti non ſecutâ acceptatione totius *n.*14 15.16

Confeſſio extrajudicialis facta abſente vel præſente parte quid operetur. *n* 17.18.19

item Confeſſio facta à defuncto in teſtamento, vel in mortis articulo. *n* 20. 21

Confeſſio jurata, aut adjecta in fraudem legis, an obliget? *n* 22.23

Confitenti ſe occidiſſe ad ſui defenſionem, an credendum. 9 16. *n.*44

Confeſſio in tormentis facta ratificanda. 9 41. *n* 25

Confirmatio.

Confirmatio petitur ſi tutores teſtamentarij non rectè dati ſint. 5.29. *n.* 1

Confirmatur tutor à patre datus filio emancipato, vel naturali. *n* 1 3

Confirmatur tutor à matre datus, factâ prius inquiſitione. *num* 4

an Confirmatio iſta faciat tutelam dativam. *n.* 6

Conſortes.

Conſortes litis qui, & eorum jus in litigando. 3.40. *n.*1

Conſors litis quando ſolus agere poſſit & quomodo. *n.* 2

Quatenus repetat expenſas in lite factas. *n* 3

Conſortes plures poſſunt unum procuratorem conſtituere. *n.* 4

Conſtitutum.

Conſtitutum quid, & quæ actio ex eo detur. 4.18. *n* 1.2

Conſtituens à fidejuſſore in quo differat. *n.* 3

Conſtitutum debitum præcedens includit, & quibus verbis fiat. *n.* 4

Conſtitutum quibus verbis fiat. *n.* 5

Conſtitutum an in majorem quantitatem, quàm eſt debitum, fieri poſſit. *n.* 6

Conſtituens ſcienter non debitum an teneatur. *n* 7

de Conſtituto quod ſub conditione debetur, aut ſine die. *n* 8. 9

Conſtituti ſolutio facienda dicto loco: quid, ſi alio vel tempore offeratur *n.* 10 11

Conſtituere qui poſſint: & an conſtituens ſe pro alio habeat beneficium fidejuſſoribus datum. *n* 13.14.15

Conſuetudo.

Conſuetudo quid ſit, & quid ad eam requiratur. 8 53 *n* 1

Conſuetudo tenet connivente Principe, quando ea abrogetur vel prohibeatur. *n* 2.3

Conſuetudo reprobata an poſſit ex nova cauſa introduci *n* 4

Conſuetudo an ſit probanda & quomodo probetur. *n.*5.6

Conſuetudo obligat incolas ejus loci ubi recepta. *n* 7

Conſuetudo legem interpretatur: an & eam abrogat *n.* 9. 10. 11

An Princeps nova lege poſſit receptam conſuetudinem revocare. *n* 12

Conſuetudinem legi contrariam lex poſterior revocat *n.* 13. 14

Conſuetudo poſterior uti & lex priorem tollit, non facilè tamen ab ea receditur. *n.* 15

Conſules.

Conſulum annalis adminiſtratio. 12.42. *n.*6

Conſulum poteſtas & dignitas apud Romanos, & quot eligerentur. 12.3. *n.*1.2

Conſules qui honorarij, ſuffecti, Conſulares, & quibus præferebantur. *n* 3 4

Conſul & Doctor præfertur, qui prius renunciatus. *n.* 5

Conſul ſi efficiatur Patricius, Conſulares præcedit. *n.* 6

Conſulum quæ ornamenta, inſignia, quibus & ubi iis uti oportet. *n.*12.13.14

Conſules olim miſſilia in plebem ſpargebant. *n.*15

Miſſilium ſparſio cum moderamine dein permiſſa *n.*16.17

Conſulum noſtrorum munus quod ſit. *n.* 18

Conſtantinopolis.

Conſtantinopoli & Romæ ſcientiæ liberales profitebantur. Hæ dein doceri cœptæ in aliis Univerſitatibus. 11. 18. *n* 1

Conſtantinopolis nova Roma à Conſtantino eſt appellata, & privilegiis decorata. 11.20. *n* 1

Conſtantinopolis gaudet prærogativa juris Italici, eſtque immunis à tributis. *n* 2

Conſtantinopolis communis patria ad eam tranſlata imperij ſedes. *n* 1 6

Remanſit Romæ Principatus Eccleſiæ & Pontificis Romani ſedes. *n.* 6

Conſtantinopolis quando deſtituta fuit ſuis privilegiis *n.*7

Conſtantinus.

Conſtantinus Eccleſiæ & Eccleſiaſticis legari & hæreditates relinqui. 1.2. *n.*7 8

Conſtantinus plures honorum gradus fecit, an recte. 12.11, *num.*2

Imperium diviſit, & Senatum, Conſules unum Romæ, alterum Conſtantinopoli deſignari voluit. *n.* 3

Improbatur omnis imperij diviſio. *n.* 4

Conſtantinus labarum in ſignum crucis convertit. 12.17, *num* 2

Corporati.

Corporati qui dicantur, & quibus privilegiis gaudeant. 11.14 n.1.2
Corporati & curiales non poterant mutare domicilium. n 3
Corporati in aliquam civitatem, an teneantur præterita debita ſolvere. n. 4
Si collegiis alicujus loci quid legetur, & illorum numerus poſtea augeatur, an extendatur legatum ad eos qui poſtea ſunt incorporati. n. 5

Contractus.

Contractus quid, quæ ex contractibus oriatur obligatio, quæ actio detur. 4.10. n 4
Contractuum diviſio, & quid in omni contractu requiratur n 5
Contractus quid ſi ſit dolo initus. ibid.
Contractus alij bonæ fidei, alij ſtricti juris. n. 6
Contractus à conſenſu pendet & neceſſitate. n. 7
Contractibus bonæ fidei ſi dolus cauſam dederit, eſt ipſo jure nullius. 2 21. n 5 6.7
Contractum cur non reddat nullum metus, prout dolus. num. 8
Contractus inire judicibus prohibitum, in loco ubi adminiſtrant. 1.53 n.2.3 4
Cur ſecus moribus hodiernis. ibid.
Contractuum innominatorum quatuor ſpecies, quam cum nominatis ſimilitudinem habeant. 4 64. n 3 4
Contractus qualis, ſi pro re detur res & pretium. n 5.6

Conteſtatio.

Conteſtatio litis unde dicta, quid ea ſit. 3.9 n.1
Conteſtationis neceſſaria, & quando lis conteſtata cenſeatur. n 2 3
Conteſtatio non oritur per generalem reſponſionem adverſarij. n. 4
Conteſtatio per quos facienda, quo die. n 5
Conteſtatio litis in quibus cauſis omitti poſſit n.7 8
Conteſtationem quæ impediant, & quos effectus producat. n. 9. 10

Contumacia.

Contumacia quomodo contrahatur. 7 45. n 3
à Contumacia liberat morbus, occupatio, ſententia contra indefenſum lata. n. 5
Contumacia etiam ante conteſtationem fit. n 9
Contumacis rei & actoris pœna. n 10. 11
Cur ob contumaciam rei in ejus bona mittatur actor; effectus miſſionis. n.11 12

Correi.

Correi debendi & ſtipulandi qui, quomodo conſtituantur. 8.40. n 1.2 3
Correi debendi conveniuntur in ſolidum, etiam unus cui nihil datum. n. 4
Correi cæteri per ſolutionem unius liberantur. n 5
Creditor ab uno ex correis partem debiti accipiendo, an cenſeatur diviſiſſe obligationem. n. 7
Correus liberatur per novationem: An pactum proſit correo ſocio. n 8
Item an proſit correo non ſocio n 9
An novatio vel pactum ab uno ex reis ſtipulandi, aliis ſociis noceat. n 10.11
Si unus ex correis debendi integrum debitum ſolverit, an partem poſſit repetere à ſocio. n 12

Creditor.

Creditor quod jus habeat in pignore. 8.14 n 9.
Creditor poteſt agere in debitorem perſonali vel hypothecaria actione. n. 10
Creditor cum hypothecariâ experitur, quid probare debeat. n 6
Creditor habens generalem hypothecam, præfertur, habenti ſpecialem n. 17
Creditor quid ſi ſpecialiter ſibi obligatis poſſit ſuum debitum conſequi. n. 18
Creditor poſterior quando ſortem & uſuras repetat. n. 20
Creditor non adipiſcitur poſſeſſionem pignoris propria auctoritate. n 31
Credens in refectionem domus, illam ſibi obligatam habet. 8.15. n 13
Creditor prior tempore, potior in pignore, ſecundus creditor quomodo poſſit ſibi confirmare jus pignoris adverſus priorem. n 14.15 18
Creditor chirographarius non ſuccedit in locum prioris creditoris et ſolvendo, niſi ſolverit ex pacto, cur eo opus. 8.19 n.4 5
Creditor hypothecarius quando in jus prioris creditoris ſuccedat. n. 1
Creditor tertius, ſecundo potior, quoties ſuccedit in locum primi. n. 2
Creditor antiquior ſi pignus vendiderit extraneo, eum ſecurum facit. 8.20. n.1
Creditori in poſſeſſionem miſſo benigne datur hypothecaria ad recuperandam amiſſam poſſeſſionem. 8.22. n.7
à Creditore pignus pignori dari poteſt, ſed tam diu pignus ſecundi creditoris manet, quamdiu & manet jus primi. 8.24. n.1.2
Creditor fructus perceptos in ſortem & uſuras imputat. 8 25 n.12
Creditor quando cenſeatur pignus remittere. 8.26. n 3.4
Creditor invito debitore pignus diſtrahere poteſt. 8.28. n. 1. 2. 3 4
Creditor quomodo & quando pignus diſtrahere poſſit. 8. 34 n. 1
Illud ſibi addicere non poteſt. n. 2
Creditores ut præferantur fiſco in pœnis. 10.7 n.1.2.3

Cretio.

Cretio hæreditatis quid, & quæ forma. 6 30. n.1
Cretionis ſolemnitas abolita, non petitur tempus, ſed datur à lege annus à die delatæ hæreditatis. n. 2

Crimen.

Crimina punire cur reipublicæ interſit. 9 1. n 1
Crimina punienda in locis ubi perpetrata ſunt, vel ubi rei reperiuntur. 9.15 n 1.2.3
in Criminibus præventioni locus eſt, inter plures Judices. n. 4. 5
Criminum rei quando tranſmittendi ſint ad Judicem loci ubi deliquerunt. 9.3. n 1.2.3
Criminis accuſati fidejuſſoribus committuntur. 9.4 n 8
Crimina morte extinguuntur, excipiuntur certi caſus. 9. 6 n 2 5
Criminalis cauſa ſi cum liberali concurrat. 7.19. n 3
Criminibus quanto tempore præſcribatur. 9.2. n 18
ex Crimine defuncti non tenetur hæres, niſi condemnatio ſecuta ſit eo vivo. 10.1. n.27.28
Crimen fraudati vectigalis adverſus hæredem competit, n.30 31
Crimine peculatus tenetur qui pecuniam publicam ſubtraxit. 9.28. n 1.2
qui Crimine reſiduorum teneantur, & quæ pœna. n. 4
Crimen ſacrilegij mixti fori, quæ ejus pœna utroque jure. 9.29. n 1.2.3.4.5
in Criminibus mixti fori quomodo procedendum. n 6 7
Criminalis actio quando cum civili concurrere & ſimul intentari poſſit. 5.31. n 1.2.3.4
Crimen expilatæ hæreditatis extraordinarium adverſus quos intentetur. 9.32. n.1.2.3
Crimen ſtellionatus quando objiciatur, aut contrahatur, quæ ejus pœna. 9 34. n.1.2.3
Crimen extraordinarium eſt rumpere & perforare aggeres Nili, quæ pœna. 9.38. n.1.2.3

Curator.

Curator teſtamento non datur, datus confirmatur. 5.28. n.7
Curatores num petendi & quando. 5.31. n 3
Curator ad litem datur invito minori, n. 4

Digitized by Google

Curator eſſe non poteſt creditor vel debitor minoris. 5. 34. *num* 4
Curator datur puberi, furioſo, prodigo, ventri, ad lites. *n.* 7. 8
Curator litis æque ac procurator revocari poteſt. *n.* 9
Curator exigere pecuniam à tutore debet & quatenus. 5 17. *n* 15
Curator cavere debet ne quid omittat quod è re minoris ſit, *n.* 16
Curator non tenetur pro tutore præcedente, nec ad rationes cogitur, nedum finita cura. *n.* 17
Curator de culpa tenetur, non de caſu. 5 38 *n.* 1
Curator ad litem pupillo datur, ſi alius tutor non ſit. 4 44. *num* 1
Curator an detur ad litem invitus & invito. *n.* 3
Curator qui differat ab actore, qui datur tutela durante. 5 41 *n* 1. 2
Curator reipubl examinat rationes operum publicorum. 8 13. *n*
Curator reipubl. jus habet exigendi debita civitatis ejusque rationes tractandi. *ibid.*
Curatoribus communia, ſatiſdatio, inventarij confectio, poſſunt & ut ſuſpecti removeri. 5 42. & 43
Curatores annonæ & operum publicorum qui. 10. 26. *num* 11
Curator rei frumentariæ, conventus ob debitum, compenſare non poteſt *n* 17
Curator reipublicæ, in exigendis uſuris ne ſit nimis acerbus. 11. 32. *n* 2

Curiales.

Curiales qui ſint & eorum munus, coram quo conveniantur 13. *n.* 1 2. & 10 31 *n* 2
Curialium privilegia tueri Judex debet, & curare ne injuriis afficiantur. *n.* 6
Curiales qui deſerta curia, rus ſe conferunt, fundis privantur & in patriam revocantur 10 37 *n* 1
Curiales ſine licentia abeſſe à curia non poterant. V Decuriones. *n.* 3. 4

Curioſi.

Curioſi qui, quod eorum officium. Qui mitterentur in provincias, & ad quid. 12. 3 *n* 1 2. 3
Curſum publicum gubernabant, & curabant ut ſervaretur modus evectionis. *n* 4
Curioſi conſtituti qui litteras & mandata Principum deferrent. *n* 8
Curioſi & Stationarii inquirebant in crimina, qui nunc in eorum locum ſubrogati. *n* 9. 10. 11
Curioſi curabant ne pabula deeſſent in ſtationibus equorum publicorum. 12 51 *n.* 16

Curſus.

Curſus publici antiquitas & cur introductus. 12. 51. *n.* 1
Curſus fiſcalis, vehicularis, caballaris, quis, qui eo eximerentur. *n* 3
Curſus publici exhibitio quibus committeretur, quid præbebant Stationarij, Parochi. *n* 6
Curſus Protectores obſervabant ne equi & rhedæ nimium onerarentur. *n* 7
ad Curſum majoribus equis uti non licebat, nec per aliam viam ire, quam publicam. *n* 9
Curſu publico uti non licebat, niſi impetrata prius eſſet evectio. *n.* 12. 13
Curſus publicus quibus permiſſus fuerit. *n.* 5
Curſum hodiernum exactiorem eſſe oſtenditur, & quo differat à veteri. *n.* 18. 19

Cuſtodes.

Cuſtodes corporis principis qui fuerint, & qui nunc eo munere fungantur in aula. 12. 17. *n.* 1. 2
Cuſtodes corporis Principis cur neceſſarij. *n.* 3
Cuſtodum Præfecti duo ſunt in aula regia. 12. 4 *n* 9
Cuſtodes vigilant, dum dormit Princeps, dicti olim Protectores. 12. 30. *n* 2
de Cuſtodia reorum, 9. 4 *per tot.*

D.

Damnum.

Damnum quando quis cenſeatur dediſſe, & de eo excuſetur. 3 15 *n.* 9. 10.
Damnum datum non videtur ædibus certo perituris, & ut a ſuis ædibus arceret quis incendium. *n.* 7
Damnum dantis pœna: quando ad æſtimationem deveniatur. *n* 17
in Damni æſtimatione ex l. Aquilia quod ſit officium judicis. *n.* 13. 18
Damnum reipublicæ præſtabunt adminiſtratores, quorum culpa tardius ab eis rationes ſunt exactæ. 11. 31 *n* 6
Damnum ex jactu mercium, omnium contributione ſarciendum. 11. 5. *n.* 14. 15

Debitores civitatis.

Debitores civitatum apud quos depoſita pecunia; cur non ſint inquietandi. 11 32 *n.* 1
Debitore civitatis excuſſo conveniuntur poſſeſſores qui ab illo bona emerunt. *n* 3. 4
Debitor civitatis qui majorem partem diſtraxit, cogitur quoque minorem alienare *n.* 6
Debitores prius conveniendi quàm poſſeſſores rerum obligatarum *n.* 8
Debitores ſi bona diſſipaverint, ut non appareat eorum poſſeſſor civitas hoc damnum ſuſtinet. *n* 9
Debitores civitatis non poſſunt in ea honores gerere, nec vectigalia conducere, aut legationibus fungi. *n.* 12
Debitorum qui à civitate mutuum acceperunt, alia ratio eſt. *n.* 13
Debitores & eorum fidejuſſores quo ordine à fiſco conveniantur 10. 2 *n.* 1. 2
Debitor non liberatur ſolvens exactori publico, hic tamen prius conveniendus. *n.* 6

Decani.

Decani qui ſint, & eorum munus, ſuberant Primicerio, 12. 27. *n.* 1. 3
Decani nunc ſunt Eccleſiarum præpoſiti: quod eorum munus. *n.* 6. 7
Decanorum officium verſabatur in humandis mortuis tempore Juſtiniani. *n* 8
Hodie ad id ſunt confraternitates conſtitutæ. *n.* 9

Decreta.

Decreta decurionum quomodo fiant, & cujus juſſu fiat convocatio. 10. 46 *n* 1
Quo ordine vota proferantur, & hodie in curijs rogentur. *n* 2
Decretum à majore parte curiæ prolatum, an teneatur Præſes exequi *n* 4
Decreta ambitioſa improbantur. *n* 6
Decretis ſi quis ſe gravatum ſentiat, poterit ab ijs appellare. *n.* 5
Decretum intervenire oportet in prædiorum curialium venditione 10. 33. *n* 1
Decretum adhiberi debet in alienatione rei hæreditariæ & ſolutione curiæ facienda *n.* 8
Decreti forma non ſervata, infirmatur venditio & donatio prædiorum. *n* 6. 7
Decreto opus eſt, ut bona immobilia minorum alienentur. 5 71. *n.* 1. 2. 3. 4
Decreto ſi res ſit vendita, in eaque læſus minor, reſtituitur, *n* 9
Decreto opus non eſt, ſi res quæ alienatur, ſervari non poſſit, ſi cauſa neceſſaria ſubſit, ſi accedat conſenſus Principis alienationi. 5 72 *n.* 1. 2. 3. 4

Decuriones.

Decuriones unde dicti, cujus qualitatis & conditionis eſſe debeant. 10. 31. *n.* 1. 2. 3
Decuriones an externi, & ditiores cives eſſe poſſint. *n.* 4. 5. 6.

Decuriones creari poſſunt filij famil. & creari conſenſu patris obligant ipſum patrem reipub n. 8. 9. 10. 11
Decurionum ludos exhibere & alia onera ſuſtinere debebant. n. 33
Decurionum filij legitimi patris conditionem ſequebantur, non matris originem. n. 34. 35. 36
Quando ex privilegio civitatis vel indulgentia Principis filij maternam conditionem ſequantur. n. 37. 38
Decuriones à curia ſua recedentes revocabantur: Item ſtatum alium vel militiam affectantes. n. 42. 43. 44. 45. 46.
Quid, ſi militiæ nomen dediſſent. n. 48
Decuriones fugitivi ab ordine capi poſſunt, nominatorum bona ſubrogatis applicantur, ſi lateant, reverſi ea recuperant. n. 48. 49
Decuriones non poterant onera curiæ declinare, nec per ſubſtitutos implere, niſi eſſent illuſtres facti n. 52. 54
Decurionum privilegia, honores, recenſentur. n. 58. 66. & alijs.
Decuriones non verberabantur, nec capite puniebantur, nec lítia cauſa evocabantur. n. 64 & ſeqq.
ad Decurionatum ſi ſervus vel libertus adſpiraverit, quid juris. 10. 32. n. 1. 2. 3
Si ſervus ad dignitatem irrepſerit, an per ipſum geſta, & decreta, valeant. n. 4. 5. 6.
An teneatur qui inhabilis eſt, detegere ſuam inhabilitatem. n. 8. 9
Decurionum corpus ſuccedit non exiſtente hærede, & excluſo fiſco. 6. 62. n. 1. 2

Defenſio.

Defenſio vitæ permiſſa, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. 9. 16 n. 35. 36. 37
Defendere proximum in diſcrimine vitæ conſtitutum, an quis obligetur. n. 38
Defenſio amici an ita ſuſcipi poſſit, ut ejus invaſorem liceat occidere. n. 39
Defenſio honoris & rerum quatenus licita. n. 40. 41. 43
Defenſionem cauſæ fiſcalis ſuſcipere ſolet procurator generalis ſuo nomine 10. 1. n. 47
Defendere ſe quis poteſt adverſus miniſtrum qui abſque mandato Judicis bona occupat vel deſcribit. n. 35. 36
Defenſores civitatum qui ſint, qui eligendi, à quo confirmandi. 1. 55 n. 1. 2. 3.
Defenſorum ad arbitrium Principis adminiſtratio, illorum juriſdictio. n. 4. 5. 6. 7. 10
Defenſorum officium in cognitione criminum & cauſarum civilium. n. 8

Delatores.

Delatores qui ſint, cur dicerentur ſpeculatores, auricularij & curioſi. 10. 11 n. 1. 2.
Delatores olim admiſſi, dein reſtricta illorum licentia. n. 3.
Delatores qui in totum prohibeantur. n. 4. 5
Deferre nunc nemo poteſt ſine advocato fiſci. n. 6
Deferens ex neceſſitate officij, vel ob cauſam publicam non incurrit pœnam, etiamſi defecerit. n. 7
Delatorum pœnæ variæ. Eorum loco hodie admittitur fiſcus n. 8. 9
Deferre non videtur qui ad ſui defenſionem aliquid opponit teſtibus. n. 10
Delatio ex quibus cauſis fieri ſoleat: quid, ſi tacitum fidei commiſſum incapaci relinquatur. n. 11
Quid, ſi hæres accommodavit tacitam fidem de reſtituenda hæreditate incapaci, ubi multa circa hanc rem traduntur n. 12. 13. 14. 15. 16. & ſeqq.
Deferre ſe omnes poſſunt ad effectum conſequendi portionem eorum quæ fiſco delata. 10. 13 n. 1 & ſeqq.

Delegatus.

Delegatus Judex quis, quo differat ab ordinario. 3. 1. n. 3
Delegatus Principis cur poſſit ſubdelegare. 3. 4 n. 2
Delegatus Judex poteſt recuſari. 3. 5. n. 23

Depoſitum.

Depoſitum quid, & quo differat ab alijs contractibus qui re conſtant. 4. 14 n. 1. 2
Quæ res deponantur. Cui actio depoſiti directa detur & contra quem n. 3. 4
Quid, ſi pecunia ſit depoſita eâ lege ut tantundem reddatur, vel eâ utatur. n. 5
Depoſitarius ſi pecuniam obſignatam alij mutuò dederit. n. 6. 7.
Depoſitarius quam culpam præſtet: quid, ſi ſine culpa res perierit. n. 9. 10
Quæ veniant in hac actione, an uſuræ: quid, ſi earum non ſit facta mentio. n. 11. 12
Depoſitum illico reddendum: cur in eo locum non habeat compenſatio. n. 13
Depoſiti actio contraria cui, & ad quid detur: Item ſequeſtraria actio. n. 18. 19

Deſertores, Occultatores.

Deſertores militiæ qui, illorum cauſa & emanſorum examinanda. 12. 46. n. 1. 2
Deſertores militiæ qualiter puniantur, item Occultatores jure novo. n. 3. 4
Deſertores ſi armis ſe defendant, poſſunt à quocumque occidi. n. 5.
Qui aciem deſerunt, ut ſe ad prædas convertant capite puniuntur. n. 6
Devictis hoſtibus diſtribuenda ſunt præmia in milites, oportet humaniter tractare victos. n. 7.

Diffamari.

Diſpoſitio *L. Diffamari. C. de ingenuis manumiſ.* magnum uſum habet. 7. 14 n. 10
Quis in caſu diffamationis ſit actor: quid, ſi non compareat diffamator. n. 7. 8.
Quis ſit judex in hac cauſa competens. n. 9

Dignitas

Dignitas quid, & cur ad alios non extendatur. 12. 9 n. 5
Dignitates ſolus Princeps creat & Magiſtratus confert. 12. 1. n. 1. 2
Dignitatum diſtinctio. Qui illis functi in Orientis & Occidentis Imperio. n. 3. 4
Dignitas Perfectiſſimi, Clariſſimi, Spectabilis, quibus tribueretur. n. 5. 6
Reges hodie Gubernatores & Præſides creant, in provincias mittunt, concilia conſtituunt. n. 7. 8
Diverſa nunc concilia, & conſiliatij, quo differant à veteribus. n. 9
Majeſtatis eſt creare Duces, Comites, Marchiones, Barones: De illorum origine, ſymbolo, dignitate, prærogativa. n. 11. 12. 13. 14. 15. & ſeqq.
Dignitas regalis perpetua eſt, an & aliæ? quid, ſi conceſſa ſit pro ſe & hæredibus. n. 23. 24
Dignitatis titulo ſucceſſores utuntur, in Hiſpania mortuo patre, filius debet iterum titulum à Rege petere. n. 25
Dignitas perpetua individua eſt, & afficit ipſum locum, in quo ipſa erecta. n. 26
Dignitas major ad primogenitum pertinet: In his attendenda conſuetudo. n. 27. 28
à Dignitatibus quinam arceantur. Item de conſuetudine. n. 41. 42. 43. 44.
Dignitates majores olim confuſæ, ſæpe mutatæ & excogitati novi dignitatum tituli. 12. 8 n. 1.
Dignitatum Illuſtrium diviſio. Ordo inter pares dignitates ſervandus. n. 2. 3. 4. 5.
Dignitates quæ vacantes & honorariæ, quæ præferantur. n. 9. 10. 11. 12.
Dignitate qui donati, eâ ſe dignos præſtent n. 18
Dignitates majores codicillis datæ ijs, de quorum vitæ probitate conſtaret. 12. 60. n. 6. 7.

Dilatio.

Dilationis deliberatoriæ, & probatoriæ quando & in quibus cauſis dentur. 3. 11. n. 1. 2. 3. 4

Dilationes

Dilationes cur plures in criminalibus dentur. n. 6
Dilatio quarta quando detur, quomodo decernenda, effectus dilationum. n. 7. 8. 9
Dilatorias exceptiones concedere ſolet Princeps egenis debitoribus 1. 19. n. 5
Dilatione pendente an currat intereſſe. n. 7

Diſcuſſores.

Diſcuſſores qui ſint, à quo creentur, & conſtituantur, quodnam hic eorum munus. 10. 30. n. 1. 2. 3
Diſcuſſores & illi qui onerant tenuiores homines, ad quid teneantur. n. 4
Gravati provocare debent, prius tamen probare taxationis iniquitatem. n. 5. 6
Diſcuſſor diſcutere debet ſumptus publice factos, & curare ut apocha detur collatoribus. n. 7

Divortium

Divortium quid, quid repudium, quæ cauſæ ſolvendi matrimonium olim. 5. 17. n. 1. 2. 3. 4
Divortium vetitum hodie, quibus de cauſis ſeparatio thori permiſſa. n. 9
Divertere quando permiſſum matrimonio non conſummato. n. 10

Dolus.

Dolus bonus, malus, velatus, apertus. 2. 21. n. 1. 2
Doli quæ actio detur, & quando denegetur. n. 3. 4
Dolus ſi incidat, vel det cauſam contractui bonæ fidei vel ſtricti juris. n. 5. 6. 7.
in Dolo quæ veniant conſideranda, quando de eo agendum, intra quod tempus. n. 9. 10. 11. 12. 13

Domeſtici & Protectores.

Domeſtici & Protectores erant cuſtodes corporis Principis. 12. 17. n. 1
Quot excubarent, qui nunc iſto munere fungantur in aula. n. 2
Domeſticorum & Protectorum ſchola, quis Primicerius, qui primi Domeſtici. n. 3
Decem primatus dignitas, & quibus privilegijs hi omnes ornarentur. n. 4. 5
Illuſtribus reverentia debetur & ſeſſio datur in conſilijs. n. 6
Si Primicerius moriatur ante finitum tempus officij, tranſmittit ad hæredes ſalaria. n. 7
Quid, ſi in itinere moriatur officialis, aut remotus ſit ob culpam, an conſequatur ſalarium. n. 8. 9. 10
Domeſticus Principis qui ſine licentia abeſt, ubi revertitur, ordinem perdit. n. 11
Nolunt Principes ſua negotia negligenter tractari; maximè promovent diligentes, miniſtros. n. 12
Negligentes & ſocordes degradantur, quomodo id fieret. n. 13

Domicilium.

Domicilium ubi quis habere dicatur. 10. 39. n. 2
Domicilium non habent ſtudioſi in loco ubi ſtudent, quando id habere dicantur. n. 3
Domicilium in diverſis locis quando quis habere, vel ſine domicilio eſſe dicatur. n. 7
Domicilium ſui tutoris habet pupillus. n. 10
Domicilium originis non tollitur per locum dignitatis. n. 19.
In Domicilij loco incolæ munera ſubeunt, & conveniuntur. n. 20
Domicilium quod venit ex accidenti, non mutat cauſam originis. 10. 37. n. 6. 8
Domicilium facit municipem, & munera ſubire ubi incola eſt, & originem ducit. n. 16. 19

Donatio.

Donatio quid; qui donare poſſit, per ſe & per alios; qui non poſſint. 8. 54. n. 1. 2. 3. 4
Donari quibus perſonis poſſit vel non: cur pater filiofamil. non poſſit donare. n. 9. 10
Donari res non poteſt, cujus Dominium non transfertur, nec aliena, nec hæreditas viventis. n. 13. 14. 15
Donari quæ res poſſint; an jura & actiones tranſeant ad hæredes. n. 16
Donari nequeunt bona ſubditorum, nec alienantur bona coronæ à Principe. n. 17
Donatio omnium bonorum præſentium & futurorum num valeat. n. 18. 19. 20
Donatio quomodo perficiatur, & acceptetur vivo donante. n. 23
Donatio non fit abſenti, nec ſine acceptatione, nec jus acceptandi tranſmittitur. n. 24
Donationis ſolennia olim, & quæ nunc: illius inſinuatio, & quæ ejus forma. n. 25. 26. 28
Donationis requiſita quoad ſummam: etiam quo Judice facienda inſinuatio. n. 29. 30
Donationes quæ inſinuatione non indigent n. 33. Et quid circa onus inſinuationis & renunciationis nunc receptum. n. 34. 35. 36. 37
Donatio ante vel propter nuptias quare fiat, cur non prohibita uti inter conjuges. 5. 3. n. 1. 2
Donatio hæc augetur, dote aucta, fructus dotis ad maritum, donationis ad uxorem pertinent. n. 3. 4. 5
Donatio propter nuptias an à viro alienari poſſit. n. 6
Donatio convenit cum dote, an cenſeatur ipſo jure conſtituta. n. 7. 8
Donatio hæc an inſinuatione indigeat. n. 9
Donatio facta ſponſæ quando repetatur nuptijs non ſecutis. n. 12
Quid, ſi datum ſit oſculum, vel copula ſubſecuta. n. 13. 14
Donationis & ſponſalitiæ largitatis differentia. n. 16
Donationis executio ſi facta ſit tempore prohibito, vel die nuptiarum. n. 20. 21
Donatio mortis cauſa quæ eſt, quot ejus ſpecies. 8. 57. n. 1. 2. 3
Donatio mortis cauſa, quomodo contractibus aut ultimis voluntatibus annumeretur. n. 4
An hæc donatio inſinuatione indigeat; quando tranſeat dominium rei donatæ in donatorem. n. 5. 6
Quâ actione donans repetat donatum, ſi periculum evaſerit n. 7
Quâ actione rem perſequitur donatarius n. 8
Quot modis revocetur per donatorem: quid, ſi dictum ſit ne revocetur. n. 10. 11. 12. 13. 14
Donare mortis cauſâ poteſt vir uxori, an etiam uſorarius, vel filiusfamil. n. 15. 16. 17
Donatio inter virum & uxorem cur prohibita, ad quos alios ſe extendat prohibitio. 5. 16 n. 1. 2. 3. 4
Donationes & alij contractus inter conjuges quando ſubſiſtant. n. 6. 7
An Legati repudiatio & ceſſio à marito facta in favorem uxoris valeat n. 9
Donatio remuneratoria, Donatio ſimplex, Donatio inter conjuges ut confirmetur. n. 10. 11. 12
Donatio inter conjuges quando confirmetur, an requiratur ad confirmationem traditio. n. 15
Donatio confirmatur morte quæ legitimam non lædit, & quæ non excedit 500 ſolidos n. 18
Donatio à Principe facta ſuæ conjugi illico valet. n. 19
Donatio inter patrem & filium morte & juramento confirmatur. n. 20. 21
An contra prius de non donando juramentum, poſteriori juramento donatio firmetur n. 22
Donatio ſemel perfecta non revocatur, excipiuntur aliqui caſus 8. 56. n. 1. 2. 3
Donatio ob ingratitudinem cur revocetur. 4. 5. 6. 7. 9.
Donatio remuneratoria & dos marito data an revocetur, n. 11. 12
Donatio liberis poſtea natis tota revocatur, Exceptis fructibus interea perceptis n. 22. 23. 24
Donatio an ipſo jure revertatur. n. 29. An liberis natis & præmo-

Digitized by Google

præmortuis ante donatorem reconvaleſcat donatio. n. 29. 30
Donationem an confirmari faciat mors patris, qui poſt natos liberos permiſit donatarium uti ſui re donatâ. n. 31
an Donator poſſit revocare donationis pactum in favorem tertij appoſitum. 8 55. n. 7
Quid, ſi notarius nomine iſtius tertij ſtipuletur, & acceptet donationem, an fiet irrevocabilis. Limitationes. n. 8. 9. 10. 11. 12
Donatio ſub pacto & modo Eccleſiæ facta an poſſit revocari. n. 13
Donatio immodica lætitiæ causâ facta, an teneat. 12. 64. n. 12
Donatio modica nunciatoribus facta, in rationes publicas referenda. n. 13

Dos.

Dos quid ſit. quomodo & quando conſtituatur. 5. 11. n. 1. 2
Dos promiſſa ſine quantitate num peti poſſit. n. 3. 4
Dos alia profectitia, alia adventitia; quinam ejus promiſſione obligentur. n. 5
Dotare filiam an compellatur pater, & quam; quid, ſi filia dives ſit. n. 6. 7. 8
Dotare an teneatur pater filiam iterum nubentem, & avus neptes, mater filias n. 12. 13. 14. 15
Dotem pupillis quatenus tutores & curatores conſtituant. n. 16
Dotis cautæ non numeratæ exceptio cur detur, quando opponenda. 5. 15. n. 1. 2
Dotis receptæ confeſſio, num cenſeatur facta animo donandi. n. 3
An præjudicet creditoribus anterioribus. n. 4

Dotis jura

Dotis dominus an verus ſit maritus, conſtante matrimonio 5. 12. n. 1. 2
Dotem vindicare poteſt uxor marito ad inopiam vergente. n. 3
in Dotem quæ res dentur: quid, ſi in rebus æſtimatis data ſit n. 6. 7
Dotis interitus an noceat marito, & poſſit de evictione agere. n. 8
in Dotem non datur res aliena. Quid, ſi mulier omnia ſua bona in dotem dederit. n. 9. 10
Dotem dare an poſſit minor 25. annis conſentiente curatore. n. 11
Dotem extraneus dans quatenus eam repetat, aut uxor pro ea agat. n. 13
De inſtrumento dotis, & pacto, ut maritus dotem lucretur. n. 15
De reſtitutione dotis, ab uxore, patre, vel extraneo facta n. 15. 16
Dotis repetendæ causâ uxor habet hypothecam in bonis mariti. n. 18
An præferatur creditoribus expreſſam anteriorem hypothecam habentibus n. 19
An privilegium hypothecæ locum habeat in matrimonio putativo. n. 22

Dotis petitio.

Pro dote petenda actio competit mulieri & ejus hæredi contra hæredes mariti. 5. 18. n. 1. 2. 3
Dotem repetit pater, & extraneus qui eam dedit, & quatenus. n. 4
Dos ad patrem redit mortuâ filia; quid, ſi ſuperſint liberi filiæ. n. 5
Dotem reddere tenetur maritus, dominus, & fiſcus n. 6
Dos ſi perierit, ſi confiſcata fuerit. n. 7. 8
Dos qualiter reſtituenda veniat, & quo tempore. n. 9. 10.
Dotis fructus cedunt marito, & qui ultimi anni dividantur n. 11
Dotis repetitio quibus caſibus ceſſet. n. 12. 13. 14. 15

Dotem an amittat uxor propter adulterium; & quid, ſi ipſa id viro objiciat. n. 16
Dotem perdit maritus ſi uxorem occiderit. n. 17
Dote privatur vidua luxurioſè vivens. n. 20
Dos, conſtante matrimonio non reſtituitur, quibus caſibus id ceſſet. 5. 19. n. 1. 2. 3

Duellum.

Duellum prohibitum, & quæ cenſuræ in pugnantes ſtatutæ. 11. 43. n. 4
in Duello oſtentationis causâ pugnantes nullæ decretæ cenſuræ. n. 5
Duellum ex causâ læſæ famæ ſuſcipere viro nobili an prohibitum. n. 6
Duello certare num liceat, ſi periculum vitæ ſubſit, aut pro defenſione patriæ n. 7. 8
Duello an ſe rectè Princeps committat. n. 9
Duellum cum hoſte licitum eſt, non tamen tutum duello finem belli imponere. n. 10

Duumviri.

Duumviri qui, & quæ eorum juriſdictio. 10. 31. n. 24
Duumviri, convocatâ Curiâ, ibi Decuriones nominabant. n. 25
Duumviri ex ordine Decurionum aſſumebantur, quam poteſtatem habuerint 11. 31. n. 3
Et nunc habeant Magiſtratus municipales. 1. 56. n. 1. 2. 3. 4. 5

E.

Eccleſia.

Eccleſia quid, quo ritu dedicetur, & quid obſervetur in ejus conſtructione 1. 2. n. 1. 2
Eccleſiaſticæ perſonæ a quibus oneribus ſint immunes, n. 3. 4. 5
Eccleſiaſtici cogi non debent in neceſſitate ad onera, per ſeculares judices n. 6
Eccleſijs, pijs & locis, licet legata & hæreditates relinquere, perfecto teſtamento. n. 7. 8. 9. 10
Eccleſijs quando nunc non licet immobilia acquirere. n. 11
Qui bona Monachi ad monaſterium tranſeant, & uſusfructus, quem pater habet; & quid juris hodie. n. 13, 14. 15. 16. 17. 18
Eccleſiæ res prohibentur alienari, oppignorari, an etiam locari & permutari. n. 21. 22
Eccleſijs jus aſyli datum, quibus id competat, vel non. 1. 13. n. 2. 3. 4. 5. 6
in Eccleſijs non licet tumultus excitare; ex illis nemo violenter extrahendus n. 1. 7
An extractus debeat mitiori pœnâ coerceri ob crimen. n. 8
in Eccleſia manumiſſio facta an plenam libertatem tribuat. 1. 13. n. 1

Edere, Editio.

Editio actionis, & quæ ejus partes. 2. 1. n. 1. 2
Edenda ſunt inſtrumenta integra, quæ edere teneatur actor reo, & contra n. 11. 12. 13
Edere vel exprimere nomen actionis, item actionem mutare vel emendare quouſque liceat. n. 8. 9

Edictum.

Edictum Ædilitium quando & quibus in rebus locum habeat. 4. 58. n. 1. 2. 3
Edictum Carbonianum quibus detur, quæ in eo cautio præſtetur, & à quo 6. 17. n. 1. 2. 4. 6
Edictum Succeſſorium cur detur, quo ordine, & in quibus locum habeat graduum ſucceſſio. 6. 16. n. 1. 2. 3

Educatio.

Educatio quid, matri committenda. 5. 40. n. 1. 2. 3
Educatio pupilli vitrico vel noverca an permittatur n. 4. 7
Educatio filij an permittenda ſit matri, quæ tranſivit ad ſecundas nuptias. n. 5. 6

Electio.

Electio Decurionum ſolenniter fieri debet, convocatâ Curia per Duumviros, 10. 31. n. 24

Actus

Digitized by Google

Index Rerum & Verborum.

Actus nullus eſt, ſi Decurionum vocatio non fit ſolemnis, in rebus magni momenti. n. 25
Electio iſta quomodo fieret, & quot in ea partes adeſſe oporteret. ibid.
Hodie geſta à majori parte communitatis rata habentur, niſi à minori parte oſtendatur contrarium n. 26
Electioni qui intereſſe poterant & dare ſuffragium: qui illud habent, tenentur approbare nominatum. n. 27
An Magiſtratus, qui habet jus eligendi de conſilio peritorum, illud non ſolum petere, ſed & ſequi teneatur. n. 28
Electus ſi acceptaret, confirmabatur à Superiore, ſin minus, reclamabat, propoſitâ appellatione. n. 29
Eligens indebitè, condemnatur in expenſas litis. n. 30
Quot eligerentur, qui Summates dicerentur, quod eorum munus. n. 32
Electio Magiſtratus ad Principem pertinet. 11. 33. n. 1
Electio libera Principis interdum nominationi adhæret. num. 2
Emancipatio.
Emancipatio quid, apud quem fiat, quo ritu olim, hodie fit ſolâ voluntate patris profeſſâ apud Magiſtratum. 8. 49. n. 1. 2. 3
Emancipationis cauſæ, quod jus conſequatur emancipatus. n. 4. 5
Emancipatio quos effectus producat. n. 6
Emendatio.
Emendare & corrigere nunc licet filium, non in eum ſævire. 9. 15. n. 1
Emendat peccatum Judex, ſi atrox crimen filius admiſerit. num. 2
Emendat & corrigit vir uxorem, pater filium, clericum, & Princeps inobedientes ſubditos. n. 3. 4
Emendatio & caſtigatio moderata eſt domino permiſſa in ſervos. 9. 14. n. 1. 2
Ob nimiam ſævitiam Dominorum poſſunt ſubditi ſe à poteſtate eximere. n. 3
Emphyteuſis.
Emphyteuſis quid, an ſit civilis contractus: de ejus ſubſtantia ſcriptura 4. 66. n. 1. 2. 3
Emphyteuſis civilis & Eccleſiaſtica ad quos tranſeat, & ad quod tempus. n. 4
Emphyteuſis Eccleſiaſtica an tranſeat in extraneos: quid, ſi pro ſe & filiis ſit conceſſa. n. 5. 6
in re Emphyteutica vendita quis potior, an in ea dominus jus habeat prælationis. n. 7
Laudemium cur domino præſtetur, & impetretur ab eo inveſtitura. n. 8
an Emphyteuta poſſit jus ſuum donare, legare, in dotem dare, irrequiſito domino. n. 9. 10
Cur penſio præſtanda, nec remittenda, ſecus in locatione. n. 12. 13
Emphyteuſis quando finiatur, an committatur ipſo jure. n. 14. 15
Emphyteuta an poſſit expelli à domino; quæ cauſæ eum expellendi. n. 16 17. 18
Emphyteuta, ſi partem penſionis ſolverit, ſi diſtulerit ſolvere, an moram purgare poſſit. n. 19 20
An amittat meliorationes. n. 21. An evitetur commiſſio oblata & depoſita penſione. n. 21. 22
Emphyteuta patrimonialis.
Emphyteuta poteſt patrimoniales fundos donare ſalvo canone, an etiam vendere. 11. 61. n. 9
Emptor fundi patrimonialis ſit dominus ſine metu caducitatis, ſecus Emphyteuta, ſi canonem non ſolvat. n. 10
Emphyteuta quivis tenetur canonem præſtare, nec fit illius remiſſio. n. 12
Emphyteutæ non licet deſerere fundos jure emphyteutico ſuſceptos. n. 13
Emphyteuta cavere debet de damno deſertionis, datis pignoribus. n. 14
Emphyteuta patrimonialis non poteſt removere colonum. 11. 62. n. 5
Emphyteutæ prout poſſident patrimoniales fundos, tenetur onera præſtare. 11. 64 n. 3
Emphyteutæ Principis non præſtant onera extraordinaria; poſſeſſores domini fiunt. 10. 47. n. 7. 8
Emptio-venditio.
Emptio venditio quid, in quo diſtinguatur à permutatione & locatione. 4. 38. n. 1 15
Emptionis ſubſtantialia tria, quando ſcripturâ opus. n. 2
Emere qui non poſſint, an Tutor rem pupilli rectè emat. n. 3. 4
An poſſit dominus prædia ſua vendere citra proximorum conſenſum. n. 6
Emptio libera non coacta, non rei ſuæ, quo caſu valeat rei propriæ venditio. n. 7 13
Præter rei traditionem, quid ulterius præſtandum. n. 14 21
Emptio-venditio requirit pretium, quale, an conferatur in arbitrium alterutrius, vel alicujus tertij. n. 13. 14 15. 16. 17. 18
Quid, ſi tertius iniquum ſtatuat, coguntur ne contrahentes ſtare ejus arbitrio. n. 19
Emptionis effectus. Venditio ſimulata nulla: quando donationis causâ contracta intelligatur. n. 21
Emptio-venditio varia pacta admittit, veluti pactum addictionis in diem. 4. 54 n. 1. 2
Pactum legis commiſſoriæ, quis ejus effectus, n. 7
Pactum de retrovendendo quale, cui competat, an poſſit cedi. n. 11. 12. 13
Plura de retractu conventionali & gentilitio. ibid.
ab Emptione-venditione quando recedere liceat. 4. 45. n. 1. 2
Emptio venditio ex cauſa læſionis reſcinditur. 4. 44. n. 1. 2. 3
Emptori læſo & venditori quomodo ſuccurratur. n. 6. 7. 8
ſi Emptor eligat juſtum pretium ſupplere, quid & quantum illud ſit. n. 12
Si verò malit rem reſtituere, fructus perceptos facit ſuos. n. 13
Si res vendita & tradita perierit apud emptorem, an teneatur ſupplere quod juſto pretio deeſt. n. 14
An remedium l. 2. locum habeat in aliis contractibus. n. 15. 16. 17
Emptione perfectâ periculum eſt emptoris, & quibus caſibus hoc ceſſet. 4. 48 n. 1. 2
Emptor an teneatur ad pretium re peremptâ ante traditionem. n. 3. 4. 5
Quid, ſi venditio fuerit ſub conditione celebrata: Quid, ſi ad menſuram, vel per averſionem. n. 6. 7
Res ante venditionem vitioſa, eſt periculo venditoris. n. 11
Epiſcopus & Epiſcopalis audientia.
Epiſcopi unde dicti: quales eligendi: forma electionis. 1. 3. n. 1 2. 3
Epiſcopos hodie Reges nominant. ibid.
Epiſcopi reſidere debent, nec abeſſe ultra annum ibid.
Epiſcoporum munus in rebus conſectandis, defendendis, & exequendis. n. 18
Epiſcopalis audientia, nunc Juriſdictio, etiam in laicos, 1. 4 n. 1
Epiſcopi curare debent, ne recenter nati exponantur, & pupillis tutores dentur. n. 6. 7
Epiſcopi curabunt, ne alij quàm Catholici ad regimen reip. aſſumantur. n. 8
Ibi plura de Epiſcoporum munere.
Epularum ſtudio fugienda, & amplectenda temperantiæ lex. 12. 11. n. 9
Eques, Equeſtris dignitas.
Equites Romani in quo gradu dignitatis & honore erant. 12. 32. n. 1. 2

Ditiores.

Digitized by Google

Ditiores aſſumpti, divitiæ cur neceſſariæ. n. 3
Equitum ordo de variis olim cauſis judicabat. n. 4
Equeſtris ordo ſeminarium Senatorum, etiam nunc. n. 6
Equites militares Principem ad bellum ſequuntur. n. 8
Equites non naſcuntur, ſed fiunt, quibus inſignibus nunc ornentur. n. 9. 10

Erogatio annona.

Erogatio annonæ ex quibus rebus præſtaretur & quàm parce: parſimonia & vita dura in caſtris neceſſaria. 12. 38 n. 1. 2. 3
Stipendia militum quando dari cœperint, & quanta eſſent & nunc ſint. n. 7
Eroganda militibus annona diebus ſingulis, & vinum novum moderate. n. 4
Eroganda annona militi ante lapſum anni: quid, ſi eam petere neglexerit. n. 5
Eroganda & recipienda ante anni ſpatium annóna, qui ad id obſtringantur. n. 7. 8. 9
Capitale militibus domos provincialium vi ingredi & expilare. n. 10
Erogatio annonæ juſtè facienda, in quibus conſiſtebat annona n. 12. 13
Duces qui militum ſtipendia intercipiunt & numeros defraudant, puniuntur. n. 14
Laborum militarium habenda ratio. Varia præmia diſtribuenda n. 15
Erogatio annonaria à militibus vendita publicè. Quid ibi ſtellatura. n. 17
Erogationis pittacia ſeu brevia, ab actuariis conficiebantur. n. 16
Erogationi præpoſiti quale juramentum præſtarent. Solatium militis quid. n. 20

Error.

Error & ignorantia quando tabellionem excuſet. 11. 53. num 5
Error quatenus vitiet emptionem vel non. 4. 38. n. 8
Erratum quid ſi tantum ſit in parte. n. 9
Error communis non facit jus. 10. 32. n. 5
Errore geſta titulo putativo quatenus ſuſtineantur. ibid.
Error calculi veritati non præjudicat 2. 5 n. 1
Si ſuper errore fuerit tranſactum & judicatum, quid juris n. 2
Errore ductus teſtator quid ſi ſervum alienum inſtituerit, eique ſubſtituerit, 6. 24 n. 5

Evectio.

Evectio quid, cui daretur, à quo, & quid contineret 12. 51 n. 12. 13
Evectionis formam tranſgrediens, vel unam mutationem pertranſiens: aut evectionem alteri vendens, graviſſime puniebatur. n. 14

Evictio.

Evicta res quando verè dicatur. 8. 45 n. 1
Evictione obligatus venditor non agit, nec ejus ſucceſſor nec fidejuſſor. n. 2. 3.
de evictione tenetur venditor, ejus hæres, procurator, fidejuſſor n. 4
de Evictione tenetur debitor, pignoribus evictis, & qui rem permutavit n. 5. 6
Evictio an locum habeat in venditore hæreditatis. n. 7
An teneatur de evictione venditor propter agnatum retrahentem. n. 8
An de evictione teneatur donator. n. 9
Evictioni an locus ſit in re legata & in dotem data. n. 10
Quæ actio de evictione competat emptori, à quo ſumptus repetet. n. 11. 12
An pretium reddendum quod fuit tempore evictionis. n. 13
Quid conſequatur emptor actione, & quæ remedia ei competant. n. 14. 15
In evictionis materia, an intereſſe duplum poſſit excedere. n. 16
Si pars evincatur, utrum intereſſe tantum præſtari debeat pro rata partis evictæ. n. 17. 18
Evictio in quibus caſibus non competat. Actio ob evictionem quando ceſſet. n. 19. 20. 21. 22
An emptor qui ſciebat rem alienam eſſe, eâ evicta, pretium repetere queat. n. 25
Evictio ceſſat, ſi emptor non denunciaverit venditori litem motam. n. 27
Denunciatio requiritur, licèt venditor ſciat litem motam. n. 29
Si emptor in lite obtinuerit, utrum repetat à venditore ſumptus, quos fecit in litem. n. 32
Denunciatio litis quibus fieri debeat, quomodo & quando facienda n. 33. 34. 35
Ubi venditor defendere emptorem debet, quid, ſi ſit clericus an cogatur ſequi forum emptoris. n. 36. 37
Ceſſat aliis caſibus evictio ob culpam emptoris. n. 38

Eunuchus.

Eunuchus quis, ejus pretium, quâ pœnâ vetitum eunuchos facere. 4. 42. n. 1. 2
Eunuchis aula, honores, ſacerdotia interdicta. n. 4
Eunuchi teſtamentum facere poſſunt, ſi ſint liberi, 6. 22 num. 4.

Exactores tributorum.

Exactores tributorum qui, qualiter conveniat debitores fiſcales. 10. 19 n. 1
Exactio facienda ex brevibus & tabulariis exhibitis n. 2
Qui dicerentur Opinatores, & Optiones, quod eorum munus.
Exigendum tributum intra anni ſpatium, nec diutius detinendi exactores. n. 6
in Exactione non ſervatur judiciorum ordo, ſtatim allegari debet exemptio. n. 7
Ad tributa realia tenentur conductores fiſci, nec nunc ſunt exempti. n. 8. 9
Officiales fiſci à quibus præſtationibus excuſentur, & qui alij. n. 10. 11
Clericus ſuccedens laïco, vel fiſcus privato, in bonis, ſuccedit in onus iis injunctum. n. 12
Succeſſores clerici interdum ſubeunt onus extraordinarium. n. 13
Executio facienda ſine violentia per officiales locorum, non per compulſores ut olim. n. 14. 15. 16. 17
Exactor quid ſi actum receptum, vel dilatum, denunciare debet ſuſceptori n. 28
Exceptores ſive Auditores computuum, qui olim, eorum munus. 12. 50. n. 12

Executores & Exactores.

Executores & exactores mittebantur pro exigendis tributis, ſi contra mandatum exegiſſent, repellebantur, & ut fures puniebantur. 12. 61. n. 1. 2. 3
Executoribus duarum cauſarum exactio committi poterat, unâ tantum commiſsâ, non ante aliam poterant ſuſcipere n. 5
Executori plura officia eodem tempore non committebantur. Quiſque officium ſuum ſeparatim gerat. n. 6

Exceptio.

Exceptio quid, quotuplex, quando opponenda dilatoria vel peremptoria. 8. 36. n. 1. 2. 3. 4. 5
Exceptio majoris excommunicationis quandocumque-objici poteſt. n. 7
Exceptiones litis finitæ in principio litis ſunt opponendæ, num. 11
quæ Exceptiones poſt ſententiam latam opponuntur. n. 12. 13. 14
Exceptio metus & doli mali cur ſit perpetua. n. 17
Exceptione doli ſe tuetur reus qui juſſu teſtatoris & creditoris uni ex hæredibus totum ſolvit. n. 18
Exceptiones proponere quibus caſibus ſit reo utile, & neceſſarium ſit. n. 19. 20

Exceptio-

Exceptiones reo competentes an fidejuſſori proſint. n. 21 22.23 24
Exceptionibus pluribus quatenus reo uti liceat, itemque contrariis. n. 28
Exceptio annalis ſublata & eorum tempus præſcriptum actionibus perſonalibus. 7 40 n 1
Quomodo minus præſcribatur, quibus modis interruptio n 1.3.4
Exceptio non numeratæ pecuniæ in quo fundetur, & intra quod tempus detur 4 30.n 1.2 3.4
Exceptio hæc datur debitoris hæredi, ejuſque fidejuſſori. n 11.12
Quid, ſi poſt biennium probare velit debitor pecuniam ſibi non eſſe numeratam n. 15
Exceptio iſta quibus caſibus ceſſet; Quid, ſi juramento ſit firmata. n.17 18.20

Excoctio annonæ militaris.

Excoctionem panis Opinatores non exigunt, ſi familiæ non conſiſtant. 12.39. n.1
Excoctionem panis omittere non debet procurator, vel nocet domino ejus negligentia. n. 2
Excoctos male panes qui ad exercitum ferebant, puniebantur. n. 3
Et qui panes aut cibos delicatiores venales importabant. ibid.
Crevit Romanum Imperium ſervata diſciplina & parſimonia, decrevit admiſſis voluptatibus. n. 4
Turcæ nunc veteres Romanos ſequuntur, qui frugalitate & diſciplina imperium protulerunt. n. 5

Excuſatio munerum.

Excuſationem à muneribus habent artifices & eorum diſcipuli. 10.64. n 6
An indifferenter omnibus diſcipulis cenſeatur conceſſa magiſtrorum immunitas. n. 7
Excuſatio ſeu vacatio datur à muneribus perſonalibus, non à patrimonialibus 10.47. n 1
Conceſſa à perſonalibus immunitas probanda eſt. ibid.
Hydraulæ, protectores & præpoſiti laborum qui dicantur, & de eorum privilegiis. n 2.3
Excuſantur procuratores Principis, dum ejus patrimonium procurant. n. 4
Excuſantur advocati & milites, non venatores. n 5
Excuſantur ab extraordinariis & ſordidis muneribus Illuſtres, Senatores, Curiales, Notarij Principis. n 6
Item officia habentes in aula Principis eique ſervientes, & alij t. 47. n. 9

Excuſatio tutorum.

Excuſatio quid, cur proponenda, quæ cauſæ excuſent ab onere tutelæ. 5 62. n.1.2.3.4.7 8
Excuſationem num tribuat lis, quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet. n. 5
Nominatus ad tutelam, ut lite fatigetur, recte ſe excuſat & expenſas petit. n. 6
Excuſare ſe qui non poſſint à tutela vel cura. n.12 13 14. 15
Excuſatio intra quod tempus proponenda & peragenda. n.19 20

Executio.

Executio facienda poſt ſententiam, niſi novata ſit obligatio judicati. 7.53 n.1.2
Executores ſententiæ qui, num poſſint cognoſcere de exceptionibus contra executionem appoſitis. n 3.4
Executioni quando res in alieno territorio ſita, ſit mandanda. n 5
ad Executionem priuſquam procedatur, quæ forma ſervanda. n 6
Executionis ordo quis ſervandus, & quæ ejus ratio. n. 9 10. 11
An hic executionis ordo à judice interverti poſſit. n 13
Pignora capta vendenda, vel in ſolutum accipienda à creditore. n. 19. 20
Si pignora non inveniant emptorem, creditor mittitur in poſſeſſionem. n. 21

Exercitor, exercitoria actio.

Exercitor quis, & quid exercitoria actio. 4 25.n.1.5
Exercitoria cui & adverſus quem hæc actio detur. n.7.8.9
An hæc actio in ſolidum detur adverſus plures exercentes negotiationem. n. 10
Exercitoria quo differat ab inſtitoria n. 11
Exercitoria & inſtitoria ex forma proponendæ actionis metienda eſt. n. 13
Exercitoria non datur ex contractu nautarum. n. 14
Exercitor an teneatur ex delicto eorum qui in navi ſunt. n. 15

Exhæredatio.

Exhæredandi vel inſtituendi cur ſint liberi. 6.28.n.1
Exhæredationis requiſita, ob quot cauſas hodie fiat. n.12
Exhæredationis cauſa exprimenda, à quo probanda. n. 16
an Exhæredationis cauſæ omiſſio teſtamentum reddat ipſo jure nullum. n. 17
Exhæredatio num hodie tantum ob 14. cauſas fiat. n. 18
Exhæredari an poſſint filij contrahentes nuptias ſine parentum conſenſu. n.19
Exhæredatio an per reconciliationem, vel pœnitentiam revocetur. n. 20
Exhæredato juſte filio, ſi poſt teſtatorem deceſſerit, an nepos ex propria perſona querelam, adverſus teſtamentum avi movere poſſit. 3.28 n.15

Exhibitio reorum.

Exhibendi & tranſmittendi rei, juſſu judicis, quid hodie obſervetur. 9.3. n. 1
Reos comprehenſus ad quem judicem remittendus. n. 2
Quid, ſi clericus, miles, aut ſcholaris ſit reus. n. 3
Quid, ſi apprehendi ſe non patiatur. n 4
An poſſit Judex, qui non habet juriſdictionem in reum, eum apprehendere, & tranſmittere ad judicem ſuum, num 5
Reus tranſmittendus ſub cuſtodia ponitur, habet ex longinquo accitus 30 dies ad defendendas res ſuas. n. 7
Exhibitus reus adhibito advocato ſe defendit. n. 8.

Exilium.

Exilium quid, quando alij volentes, alij nolentes, exules fiant. 10 59. n.1
Exulum pœna ante tempus redeuntium, & quæ relegatorum conditio fuerit. n 2.3
Expleto tempore an relegatus maneat infamis, & ab honoribus repellatur n. 4
Exilio imputatur tempus incarcerationis & relegationis, ibid.
Exul ob crimen factus, perpetua notatur infamia, ni mitior impoſita ſit pœna. n. 6

Expenſæ

Expenſæ aliæ neceſſariæ, utiles, & voluptuariæ. 3. 32 num 25
Expenſas quas deducat bonæ vel malæfidei poſſeſſor. n.26
Expenſas factas quid ſi poſſeſſor non petierit. n 30
Expenſas voluptuarias quatenus deducat bonæ fidei poſſeſſor. n. 29
Expenſæ litis quando cenſeantur petitæ, quæ cauſa illarum, in eas victus victori condemnandus, & an in cauſa criminali. 7.51. n.4
Quid, ſi de expenſis Judex nihil pronunciaverit. n. 5
Sufficit quod ſimpliciter condemnet in expenſas. n 6
in Expenſas litis quibus caſibus victus non condemnetur, num 7
Expenſæ quæ præſtentur vel non. n 9
Expenſas an repetat advocatus qui propriæ cauſæ inſervit, num 11
ob Expenſas in rem dotalem factas, hodie non datur retentio, ſed actio. 5.13.n.15
An compenſatio cenſeatur quoque ſublata. n. 16
in Expenſas funeris qui imputentur, & quales ſint faciendæ. 3.44. n 12.14

Expenſæ in funus qua actione petantur, & adverſus quos detur. n. 16.19
Expenſarum iſtarum potior cauſa, quam rel legatæ. n. 17
Quid, ſi legatarius ſumptus funeris fecerit, an eos repetat. n. 18
Expenſæ ludorum publicorum unde olim peterentur. 11. 41. n. 1
Expenſas in ludos conferre cur privatis prohibitum n. 2
Expenſarum modus ſtatutus, & certi ludi permiſſi. n. 3
Legatum relictum in ludos publicos, vel in certum uſum, quando in alium poſſit converti. n. 5. 6
Expenſas in ludos quas prærogavit civitas; ei refundebat magiſtratus. 10.31 n. 51
Expenſa & cura Alytarchiæ ludorum ſunt curæ Comitis Orientis. 1 36. n. 3

F.

Fabrica, Fabricenſes.

Fabrica quid, Fabricenſium ordo, vetitum privatis arma facere. 11.9. n. 4
Fabricenſes qui, varia armorum genera & fabricæ n. 1
Ferrum alia ſpecie commutari, aut deterius dari non poterat. n. 3
Fabricata arma reponebantur in armamentario, & tempore belli diſtribuebantur. n. 5
Armorum cura penes quos fuerit, & quod eorum privilegium. n. 6
Fabricæ protectores eligendi, & arma aſſervanda. n. 7
Fabricenſes ex curialibus eligi non poterant. n. 8
Fabricenſium brachia cur ſignata, quis eorum Judex, quod privilegium. n. 9.10 11
Fabricenſes qua pœna punirentur, ſi procurationem vel agriculturam ſuſciperent. n. 12
Facienda armorum tranſvectio ex publico, præſtitis angariis. n. 13
Tarditatis & negligentiæ pœna in tranſmittendis armis, quàm illa periculoſa belli tempore. n. 14
Item avaritia Præfectorum, qui pro conſervatione arcis non exponunt pecuniam. n. 15

Falcidia.

Falcidia cur reſtringat libertatem legandi. 6 50. n. 1
Falcidia in quibus legatis locum habeat, an & in fideicommiſſis particularibus. n. 2
Falcidia detrahitur ex donationibus mortis cauſa n. 3
Falcidia quibus competat, & adverſus quos hæres Falcidiam deducat. n. 6
Quod tempus in Falcidia ineunda conſideretur. n. 7
Quæ de bonis hæreditariis prius deducenda ſint, in ponenda ratione Falcidiæ. n. 8
Si portio onerata portioni non oneratæ acceſſerit, quomodo Falcidia detrahenda n. 10
in Falcidiam quæ imputat ſibi hæres & quæ non. n. 11
Falcidia quando ceſſet, an ejus prohibitio ſe extendat ad legitimam. n. 12.13.14
Falcidiæ deductio an ceſſet in legatis piis. n. 17

Falſa cauſa.

Falſa cauſa non vitiat legatum, niſi conditionaliter adjecta. 6 44 n. 1.
Falſa demonſtratione legatum non perimitur. n. 2.5
Qui procedat legatum dotis, & dotis liberatio legata videatur. n. 3 4

Falſa moneta.

Falſam monetam cudens qua pœna puniatur, & qui eam ſciens expenderit. 9.24 n. 1.10 12
Penes quos jus cudendi monetam. *ibid.*
Domus in qua moneta cuſa fiſco vindicatur. Excuſatur dominus domus, ſi ignoravit in ea monetam cudi. n. 9
Qui excuſentur à pœna. n. 5 6
An quod quis deprehenſus ſit in loco occulto, & habere apud ſe inſtrumenta, ſit indicium ad torturam. n. 7

Falſum.

Falſum quid ſit, quomodo committatur, vendendo rem duobus. 9 22 n. 2
Falſo utens inſtrumento, præſumitur falſi auctor, niſi auctorem declaret. n. 3
Falſum variè committi exemplis oſtenditur. n. 4 5.6
De Falſo civiliter & criminaliter agitur n. 7.8
Falſi quis judex, & quis de falſo quæri poſſit. n. 9.
Falſi accuſatio per quem inſtituenda, & quod ſpatium ad hanc permiſſum, & qui probetur. n. 10 11.12.13
Falſi pœna quæ & quando ad mortem extendatur & ceſſet. n. 18.20
Falſans clericus litteras Apoſtolicas qui puniatur n. 19
Pœna ſuppoſiti partus quæ olim: qui probetur partus ſuppoſitio, & quis de hoc crimine cognoſcat. n. 21. 22. 23. 24 25
An confeſſio matris extrajudicialis filio noceat. n. 27
Falſi crimine tenetur, qui ſibi legatum adſcripſit, quamvis teſtator id dictaverit. 9 23. n. 1 2
à Falſi pœna excuſat certis caſibus, maximè ſi acceſſerit juſta recognitio. n. 3.4.5.6
Falſi hujuſmodi ſuſpicio, an etiam procedat in teſtamento nuncupativo, & quid moribus noſtris obtineat. n. 8. & 9.
Falſi pœnâ coërcetur qui nomen vel cognomen ſuum in alterius fraudem mutavit 9 25 n 1.2
Quando poſſit quis alterius nomen aſſumere, & interdum debeat. n. 3

Familia.

Familiæ appellatione quid contineatur. 6.38 n 3.
Familia vocata non ſimul omnes ad legatum admittuntur. num. 4
Fratribus relictum; qui ex diverſis præferantur. n 5
Familiæ relinquo, vel in familia, eſt diverſum. 6.42. n. 23.
in Familia ut bona conſerventur, poteſt unus de ea eligi. num 22
Familiæ nomine quid veniat, in actione familiæ erciſcundæ. 3 36 n 1
Familiæ erciſcundæ actio competit cohæredibus & inter eoſdem. n 2.3
Quæ veniant in diviſionem qui fructus reſtituendi, quæ damna reparanda, lucra dividenda, & per quem. n. 7. 8 9.10.11

Fera.

Ferarum ſpectacula paulatim ſublata fuere 11 44 n 3
Ferarum occidendarum data facultas. Taurorum agitatio apud Hiſpanos licita n 4.5
Fera ſit capientis, non vulnerantis. Utrum meo laqueo implicata ſiat mea vel ejus qui occupando eam exemerit. n 10
Feræ beſtiæ quæ ad Principes mittuntur, cur paucis diebus in civitate morabantur n 16
Feræ publico ſumptu alendæ, ſi ſint alicujus loci aut Principis. n 17

Feria.

Feriæ unde dictæ, quid, quotuplices, inter ferias diſcrimen. 3.12. n 1.2.3 4.5
Feriato die qui actus expediri, vel apud arbitrum celebrari poſſint n. 6. 7
in Feriis num hodie, arreſtatio, apprehenſio & citatio fieri poſſit. n. 8
An ſententia ferri, ejus executio fieri & appellatio interponi die feriato. n 10.11.12

Fideicommiſſum.

Fideicommiſſorum origo, quomodo relinquantur, quibus verbis, à quo, & quibus. 6 42. n. 1.2.3
Fideicommiſſo qui onerari poſſint, & in quantum. n. 4
Quæ res per fideicommiſſum relinquantur. De forma & ſolemnitate. n 5.6.7
Fideicommiſſum inutiliter relictum, hæres certus de voluntate defuncti, tenetur id præſtare. n. 9

Digitized by Google

Fideicommiſſi diviſio varia, & an tranſeat ad hæredes. n. 11
Fideicommiſſum poteſt hæres in vita reſtituere. n. 12
Quid, ſi filius à patre rogatus reſtituere, liberos procreaverit. n. 13
De quo parente, & filijs accipienda diſpoſitio l. 30 C de fideicommiſſ. n. 14. 15. 16
Fideicommiſſum impediunt filij ſuperſtites tempore mortis gravati. n. 13. 19
Fideicommiſſum cogitur hæres gravatus reſtituere: quid, ſi monitus id non reſtituat. n. 21
Fideicommiſſum quibus modis extinguatur. n. 27. 28. 29
Fideicommiſſo nondum reſtituto, ſi moriatur fideicommiſſarius, jus ſuum tranſmittit ad hæredes. n. 30

Fidejuſſio, Fidejuſſor.

Fidejuſſio quid, quibus verbis fiat, quid, ſi ſcripto quis dicat ſe fidejuſſiſſe. 8. 41 n. 1. 2. 3
Fidejuſſores cur dentur, pro quibus, & qui prohibeantur. n. 4. 5. 6. 7
Fidejuſſores in quibus obligationibus aſſumi poſſint. n. 9. 10. 11
Fidejuſſoria obligatio an tranſmittatur ad hæredes. n. 13
Fidejuſſor an in duriorem cauſam obligari poſſit, quàm principalis. n. 15. 16. 17
Fidejuſſor an teneatur ad uſuras ex mora rei principalis. n. 20
Fidejuſſori datur beneficium ordinis, ſive excuſſionis. n. 22. & ſeqq.
Item beneficium diviſionis ex epiſtola D. Hadriani. n. 28
An illud competat ſimul cum muliere. n. 30. 31
Fidejuſſori datur etiam beneficium cedendarum actionum. n. 34
An hæc ceſſio peti poſſit poſt ſolutionem. n. 37
Fidejuſſor quibus modis liberetur, vel non. n. 44. & ſeqq.
Fidejuſſores minorum an reſtitui debeant. 2. 24 n. 1
ad Fidejuſſores cur non tranſeat reſtitutio. n. 2
Fidejuſſores tutorum quatenus obligentur. 5. 57 n. 1
Fidejuſſor quatenus liberetur tutore ſolvente. n. 4
Fidejuſſor an teneatur de ijs quæ tutor finitâ tutelâ geſſit. n. 5
Fidejuſſores dotium cur non dentur, ſed pignora; & quæ differentiæ ratio. 5. 20 n. 1. 2. 6. 7
Fidejuſſores non tenentur de exceſſibus nominatorum à magiſtratu. 11. 34. n. 14

Fides.

Fides Catholica quid. Quid fidei ſit, quid credendum penes Eccleſiam eſt jus declarandi. 1. 1 n. 1. 2
de Fide diſputare ſub pœna prohibitum. n. 3. 4
Fides bona in uſucapione quid ſit, & quo tempore adeſſe debeat. 7. 26 n. 10
Fides tacita intervenit, cùm bona reſtituuntur incapaci. 10. 11. n. 12
Omnis ſubſtantia hujus delicti conſiſtit in accommodatione hæredis, quâ præſtat fidem de reſtituendo. n. 16
An hæres qui tacitam fidem accommodavit, poſſit in conſcientia retinere hæreditatem, an verò teneatur reſtituere. n. 18

Filius, Filia.

Filius pro patre non convenitur, niſi patri hæres extiterit. 4. 13 n. 1. 2
Filijfam. cur inſtituendi vel exhæredandi. 6. 28. n. 1
Filia quæ renunciavit hæreditati, an poſſit præterita experiri contra teſtamentum patris. n. 5
Filius præteritus cur dicat teſtamentum nullum, etiam abſtinendo ſe. n. 8. 10
Filia ſi bonis paternis renunciaverit, an ijs poſtea auctis poſſit inde legitimam petere. 5. 28. n. 30
Filius exhæredatus in computatione legitimæ num connumeretur. n. 40
Filiusfam. cur ne quidem permittente patre poſſit facere teſtamentum. 6. 22. n. 13
Filiusfam. an de adventitijs in quibus pater non habet uſumfructum, poſſit teſtari. n. 15. 16
Filiusfam. decurio creari poteſt, & creatus conſenſu patris, obligat ipſum patrem 10. 31. n. 8
Filij nati ante dignitatem patris an ſint illuſtres. n. 68. 69
Filij decurionum an patris conditionem ſequantur. n. 34. 35
Filij maternam originem & nobilitatem ut ſequantur, ſtatuto fieri poteſt. n. 39
Pro filio in decurionem creato, an & quatenus obligetur pater. 10. 60. n. 1 & ſeqq.
Filiusfam. cum patre ad idem munus an vocetur. n. 9
Filiusfam. minor an reſtituatur ex ſuo contractu, & quando hæc reſtitutio ceſſet. 2. 23. n. 1. 2
Filius natus ante dignitatem patris an ſit illuſtris. 10. 31. n. 68. 69
Filijfam. ducebantur ad prædia & ſequebantur paternam militiam. 12. 48. n. 1. 2
Filius unicus, vel ex multis primogenitus, in munus patris ſuccedit. n. 3
Filius cui collatum eſt munus, an teneatur fratribus aliquid dare. n. 4
Filius in bello mortuus prodeſt patri. n. 5
Filius ſecundo genitus patri ſuperſtes, quatenus præferatur nepoti ex filio primogenito mortuo ante patrem. num. 6
Filiis dantur præmia, mortuis parentibus debita. n. 7
Filij ſenatorum cur cum parentibus curiam ingrederentur. n. 8. 9
Filiis officialium providere Principes ſolent, an etiam poſthumis. n. 10
An & ad officia obeunda nec dum idoneis. n. 11
Filij ſenatorum & nobilium ante dignitatem ſuſcepti, ſint clariſſimi, & immunes. 12. 1. n. 58

Fines.

Finium regundorum judicij origo, & quomodo fines probentur. 3. 39. n. 1. 2. 3
Finium regundorum actio quibus detur, quamdiu duret. num. 9
An præſcriptione longi temporis extinguatur. n. 11
Finalis quæſtio coram quo & quando peragenda. n. 5. 12

Fiſcus.

Fiſci & ærarij diſcrimen, & quando confundi cœperit res fiſci & ærarij. 10. 1. n. 3. 4
Fiſcus eſt Principis ſupremi, non civitatis. n. 5
Fiſci & ærarij cura quibus magiſtratibus incumbat. n. 6
Fiſco fraudem faciens qualiter puniatur. n. 18 & 19
Fiſcus an poſſit apprehendere prædia quæ adminiſtrator ex pecunia publica comparavit. n. 22
Fiſci privilegia competunt etiam privato patrimonio Principis n. 23
Fiſco alligante fraudem circa donationem, donatario incumbit onus probandi. n. 24. 25
Fiſcus lite pendente, non poteſt privato cum quo litigat, poſſeſſionem auferre. n. 36. 37
Fiſcus curabit ne bona privatorum vi occupentur, & ut res juſto pretio vendatur. n. 38. 39
Fiſcalis venditio quando retractanda, & ex qua cauſa, & quando non. n. 40. 41. 42. 43
Fiſcalis cauſa intra ſex menſes peragenda, & quid hodie obſervetur. n. 45. 46. 47
Fiſcus quibus præfertur ratione hypothecæ tacitæ. 7. 73. n. 1. 2. 3
Fiſci cauſa an ſit potior dote & primipilari. n. 7
Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat, ſed accipit. 10. 8. num. 4
Fiſcus ſuccedens privato qui obſtrictus erat ad evictionem, tenetur ad litis expenſas. n. 5
Fiſcus uſuras majores ſemiſſibus ſtipulari non poteſt. n. 8

Digitized by Google

Fiſco in pœnis præferuntur creditores. 10 7 n.1.2.3
Fiſcus adverſus quos creditores habeat privilegium & jus hypothecæ. n. 4. 5
Fiſcus an fruatur bonis fideicommiſſo relictis, antequam dies fideicommiſſi venerit. n 6
Duobus fiſci patronis litem moventibus, cui pars pœnæ cedere debeat, an qui primo movit, an qui perfecit. n 8
Fiſcus non poteſt privato cum quo contendit, poſſeſſionem auferre, 11. 71. n. 4
Fiſcus in criminali cauſa, an in integrum reſtituatur, adverſus ſententiam quæ reum abſolvit. 10.9.n 8

Forum

Forum quid, id ſortitur quis ratione domicilij, contractus, delicti, & rei ſuæ. 3 13.n 1.8.11.12
Forum rei actor ſequi tenetur. Reus foro renunciare poteſt. n. 13. 14
Forum clericorum & à quo conceſſum fori privilegium. 1. 2. n. 12
Forum in quo agitur de cohortali vel curiali conditione. 3.15 n. 1.2.
Forum miſerabilium perſonarum, an illi poſſint renunciare. 3. 14. n 2 5
Forum reddendarum rationum. 3.21.n 1.2
Forum in quo agitur cauſa ſtatus, quis illius Judex competens. 3.22 n 1.2 3 4
Fori privilegium habent cauſæ fiſcales & divinæ domus, illatum Judex. 3. 16 n. 1. 2. 3
Fori præſcriptione utuntur Clariſſimi in civilibus cauſis: item Aulici & Principis conſiliarij. 3.24 n.1.2 4
Fori privilegio gaudent milites adſcripti matriculæ: item milites togati. 3.25.n.1.2.3.6
Forum ſortitur mercator ubi ſtationem negotiationis habet. 10.39 n.6

Fructus.

Fructus in petitione hæreditatis, qui reſtituendi veniant, & à quo. 3.31 n 14
Fructus in rei vindicatione cur petendi. 3 32 n 19
Fructus quos malæ fidei poſſeſſor reſtituere debeat. n.20
Fructus quos bonæ fidei poſſeſſor lucretur, & quos reſtituere teneatur n. 21. 22
Quid, ſi ex fructibus factus ſit locupletior. n.23 24
De fructibus legatorum & fideicommiſſorum, quando hæres teneatur. 6.47 n 1
A quo tempore debeantur & fidei commiſſario reſtituendi ſint n 2 3
Fructus naſcituri rectè legantur. n 4.5
Fructus an in fideicommiſſaria hæreditatis reſtitutione veniant. 6 49 n.16
An fructus imputentur in Trebellianicam. n. 17
Fructus ultimi anni ſoluto matrimonio qualiter dividantur. 5.18 n 11
Fructus etiam non petiti qui veniant in condemnationem. 7 51.n 2
in Fructus perceptos condemnatur bonæ fidei poſſeſſor vel ejus hæres n. 3
Fructus an veniant in condictionem indebiti & aliæ acceſſiones. 4 5 n 10.21

Frumentum.

Frumentum ad uſum militum reponendum in publicis horreis. 10. 26 n 2
Interdum plebi ex eo ſubvenitur n. 3
Frumentum vetus corruptum miſcere novo quatenus liceat. n 4. 6. 7
An licitum ſit tritico purgato miſcere paleas. n. 8
Rei frumentariæ cura quibus committi ſolita n.9 10 11
Frumenta incorrupta ob anni fertilitatem dividi poſſunt inter cives. n 13
Frumentum vetus prius vendendum quam novum, & quid tempore famis n 14
Frumenta uſurpantium & in uſus ſuos convertentium pœna. n 15.16
Frumentum extra territorium ne exportetur. 16. 6 n. 15
Frumentum neceſſitatis tempore venditum revocari poteſt à civibus n 14
Frumentaria largitio publice & gratis populo facta. 11, 21.n.1 2 3.4
Frumenti loca, Conſtantinus annonam præſtituit in pane cocto, & quæ ratio. n 6.7
De frumento & ut juſto pretio vendatur, providere debet magiſtratus. n 8. 9
Frumento depoſito an adminiſtrator vel depoſitarius uti poſſit. n 10
Frumenti quantitas diſtribui ſingulis diebus ſolita in cives egenos Alexandriæ. 11.27 n.1
Frumentariæ teſſeræ ſignatæ publico ſigno. n. 2
Inter canonem frumentarium & frumentum publicum quod ſit diſcrimen. n. 4
Ut ſit copia frumenti & vendatur publice, ſpectat ad curam magiſtratus. n. 5. 6
Frumento ſuſcipiendo & admetiendo duo præfecti: quorum recte ordinata Princeps approbare ſolet. n. 7. 8
Frumento fiſco vendere cur omnes tenerentur. 10.27 n.1
Frumentum alio evehendi facultas data alicui cur reſtringenda. n. 2
Frumenta emere & adſervare tempore neceſſitatis omnes debent n 3
Frumento aliiſque ſpeciebus juſtum pretium ſtatui ſolet. n. 4 5. 6
Frumenta ſua an Clerici vendere teneantur. n. 7
Frumenta certo pretio taxari cur hodie difficulter poſſint. n. 8
Frumenti pretium num reſtringi poſſit tempore neceſſitatis. n 9
Frumenta in horreis fiſcalibus reponuntur, ibi de officio ſuſceptoris. 10.70.n 11

Fugitivus

Fugitivus vel ervo quis, ejus pœna, & quæ in celantes fugitivos. 6.1.n 1.2.3.4
Fugitivos ſervos fiſcales protegentium pœna. n 5
Fugitivi ſervi uſucapi non poſſunt. n. 6
Fugitivum monachum repetit prælatus. n 7
Fugitivi coloni ad agriculturam revocantur, eos occultantes quâ pœnâ afficiantur. 11. 63 n. 1. 4

Functio.

Functio ſive præſtatio glebæ, follis & ſeptem ſolidorum ſublata. 12 2 n 8 9
Functio vel collatio tempore belli, remittitur tempore pacis. n 10
Functio voluntaria ſuſcepta ab exempto, eum nec liberos obligat in futurum. 10. 41 n. 9

Fundus dotalis.

Fundi dotalis alienatio cur prohibita: & cum juramento, 5. 23. n. 4. 9.
Fundus æſtimatus alienatur, niſi aliter convenerit. n. 5
Quas res poſſit alienare maritus. An uxor poſſit ſe obligare & res gerere, ſine conſenſu mariti. n.6 7.8

Fundi limitrophi.

Fundi limitanei aſſignati ſunt militibus, quales hi fuerint. & qui limites Imperij Romani. 11.59 n.1.2.3
Fundorum limitaneorum diſtributio inter milites, commiſſa Præfecto præt. n 4. 5
Ne frumenta militibus deeſſent, datæ ſunt eis poſſeſſiones & agri cum omni jure. n. 6. 7
Fundi & Caſtra dantur, nunc Vaſallis, & militibus caſtrenſibus, privatis non licet caſtra munita habere, & quare. n. 9. 10. 11
A Rege obtinere quis poteſt jus muniendi arcem ſuam; Arces & caſtra limitrophia ſolent cuſtodiri à militibus patriæ n 12. 14
Caſtra ita munienda à Principe, ne ſint ſubditis terrori, noxia ſæpe regno diffidentia. n. 16
Arcem munitam ſi Princeps recuperet, tenetur eam reddere antiquo domino. n. 17

Digitized by Google

Fundi patrimoniales.

Fundi patrimoniales qui, eorum diſtinctio, item bonorum patrimonialium Principis. 11. 61 n. 1. 2. 3

Fundi empti aut donati jure privato, dominium tranſit in emptorem pleno jure. n. 4

Inter Fundorum poſſeſſores & habentes emphyteuſim à Principe, & alios emphyteuticarios diſcrimen. n. 5

Fundos patrimoniales à privato emens, non cogebatur deſertos ſuſcipere; ſecus ſi à fiſco, tenebatur peræquationem admittere n. 6

Fundi limitrophi & ſaltuenſes eripiuntur ab ijs qui eos impetrarunt n. 7

Fundi patrimoniales poſſunt ab emphyteuta donari ſalvo canone, an & vendi. n. 9

Fundi patrimonialis emptor fit dominus ſine metu caducitatis, ſecus emphyteuta, ſi canonem non ſolvat, niſi is minor ſit. n. 10

Fundi patrimonialis poſſeſſor ſuſtinet adjectionem: emphyteuticario prætextu adjectionis vel reſcripti fundus non aufertur, ſi canonem ſolvat. n. 11. 12

Fundos jure emphyteutico receptos non licet deſerere. n. 13

Fundos patrimoniales in emphyteuſim accipiens, cavere debet de damno deſertionis, datis pignoribus. n. 14

Fundos iſtos qui poſſedit 40. annis, quaſi donatos adverſus fiſcum defenditur. n. 15

Fundos donatos qui aſſerit, probare id debet, & ſpatio 40. annorum poſſediſſe. n 16. 17

Fundi rei privatæ.

Fundi rei privatæ vel dominici, qui ſint, & qui fundi ſaltes. 11. 65 n. 1

Nihil ex ijs uſurpandum, nec ex aqua pertinente ad iſtos fundos. n. 2

Fundorum rei privatæ venditio à fiſco revocari non poteſt. n. 3

Fundi rei privatæ elocari poſſunt cum onere canonis: item relocari & vendi. n. 4. 5

Fundum ſi quis vendiderit alicui, qui ſolvendo non eſt, ipſe obligatus fiſco. n 6

Fundi & ſaltus rei dominicæ

Fundi dominici ſi occupentur, revocantur cum antiquo cenſu. 11 66. n 2

Fundos iſtos occupans non juvatur præſcriptione. n. 3

Fundorum rei dominicæ poſſeſſores exhibere debent ſuos titulos. n. 4

in Fundos & ſaltus rei dominicæ immiſſi greges ovium à fiſco vindicantur. n 5

in Fundos alienos qui permittit pecora mitti, quâ pœnâ afficiatur. n. 6

Furioſus.

Furioſis quis detur curator, quid, ſi ei hæreditas ſit delata. 5. 70 n 1. 12

Furore intermiſſo non deſinet eſſe curator. n. 14

Furioſus habens dilucida intervalla, ſi contractum fecerit, an præſumatur eum feciſſe tempore furoris. n. 15

Furioſus prohibetur teſtari. 6. 22. n. 1. 2.

Ob furorem qui ſe occidere tentavit, nec perfecit, excuſatur. 9. 50. n. 6

Furtum.

Furtum quid, nominis & rei, diſtinguitur à damno injuriâ dato. 6. 2. n. 1. 2

Furtum non committit impubes, ſecus filiusfam. ſi rem patris ſurripiat. n. 3. 4

Furtum quando & à quibus committatur. n. 5. 6

Quid, ſi quis exiſtimet ſe non invito domino id facere, aut contra. n 7

Furti actione an teneatur qui alienum ſervum ſollicitavit, ut domino ſuo aliquid ſurriperet. n 8

Furti tenetur inventum detinens lucri causâ, & æs alienum exigens extra domini voluntatem. n 8 10

à Furto excuſat neceſſitas, & rei propriæ ſubtractio. n. 9. 13

In furem quotupliciter agatur, cur in pecuniam damnetur. n. 14. 15

Furti actio quibus competat & contra quos. n. 16. 17. 18 19. 20

Cur non datur contra domeſticas perſonas, nec contra uxorem. n. 21. 22

Quid, ſi uxor rem ab extraneo marito commodatam ſurripiat. n. 23

Furti an teneantur qui rem ex incendio vel naufragio ſurripiunt. n. 24

Furti actio quid ſi cum alijs concurrat. An olim fuerit corporalis pœna. n 25 26

Furibus quam pœnam mores noſtri infligant, & pro quibus furtis n. 27. 28

Fures à quo magiſtratu puniantur, & quæ pœnæ in corruptorem ſervi & filijfamil. n. 29. 30

Furtivæ res non uſucapiuntur. An & furtivus partus ancillæ. 7. 26. n 4 6

Fuſtigatio quando infamat. 2. 12. n. 10

Fuſtibus qui cæderentur, & de fuſtuaria pœna. 12. 36. n 42

G.

Gemma.

GEmmas equorum frenis & ſellis prohibitum inſerere. 11. 11. n. 1

Privatis veſtium ornatus interdicitur. Quid cucurniæ ſignificatio. n. 2

Gemmata fibula non permittitur, ſed aurea, ibi de chlamyde militari & de donis militum. n. 3

Gemmas annulis licet apponere, non autem gemmatum munus offerre. n. 4. 5

Gemmata veſtimenta qui facit, quâ pœnâ puniatur. n. 6

Gladiatores.

Gladiatorum ludi cur ſublati à Principibus. 11. 43. n. 1

Gladiatorum ſanguinem cur Romani biberent. ibid.

Gladiatores maneant qui juventutem inſtruant. n. 2

Gladiatorum torneamenta prohibentur, & ſi in ijs mortuo denegatur ſepultura. n. 3

Gradus.

Gradus quomodo computentur inter collaterales, utroque jure. 5. 5. n 3. 4

Graduum par affinitatis ratio obſervatur, niſi affinitas fuerit ex prohibito concubitu orta. n. 5

à Gradu primo ſi filius ſit præteritus, cur teſtamentum vires ſumat à ſecundo, à quo fuit exhæredatus, cum in filio poſthumo ſecus ſit. 6 26 n 17

Ad quot gradus ſive generationes duret prohibitio alienationis hæredibus facta. 6 41. n 26

Grex.

Grex dominicus quid, ex eo ſubtrahens equum quâ pœna puniatur. 11. 75. n. 1

Princeps ſæpe pœnam remittit, quia non vult ditari, nec fiſco ſuo favere. n. 2

ex Grege alieno qui animalia abegit, graviſſimè punitur. n 3.

Emens equum, furto ſubtractum, perdit pretium, & dominus equi eum jure capit. n. 4

Eritne tutus emptor, ſi dominus equi non inveniatur. n. 5

Grege turbato quid ſi dominus ſeiri nequeat, aut rem ſuam derelinquat. n. 6. 7

Gynæcium & Gynæciarij.

Gynæcium, & Gynæciarij qui. 11. 7 n 7

Gynæciarij & Baphi non erant ſervi, ſed addicti texturæ. n. 8

in Gynæcio qui laborarent. n. 13

H.

Habitatio.

HAbitatio quid ſit, qui illam habet, in quo differat ab uſu domus. 3. 33 n 3 ... 6

Habitatio differt ab uſufructu, & uſu, & recipit jus accreſcendi. n. 37
Habitatio negotiandi cauſa non facit incolam, licèt ibi forum ſortiatur. 10. 39 n. 5. 6

Haſta

Haſtæ fiſcalis jus, quid ſubhaſtatio, & in quibus rebus procedat 10. 3. n. 1
Subhaſtationis ſolennitas; quis eam decernat; quando plus offerenti res addicatur. n. 2. 3. 4. 5.

Hæres, Hæreditas.

Hæredes alij neceſſarij, alij ſui & neceſſarij, alij extranei. 6. 27 n. 1.
Hæredes inſtituendi ſunt liberi, vel exhæredandi. 6. 28. n. 1
Hæreditas aditur ſolâ voluntate, quando jus adeundi in hæredes tranſmittatur. 6. 30 n. 6. 19
Hæredis ſui & extranei differentia quoad actionem & tranſmiſſionem hæreditatis. n. 21
Hæreditatem adire qui poſſint, delatam infanti acquirit pater. n. 22. 25
Hæres per aditionem in jus omne defuncti ſuccedit, & in totum fit hæres, licet ſubſtitutum in parte habeat. n. 3. 31
Hæreditatem pupilli qui agnovit, per hoc teſtatoriæ etiam hæreditati admittendę obſtringitur. n. 32
Hæres onera hæreditaria ſubire & actiones ſuſcipere cogitur. n. 33
Hæredes plures ſi ſint, quiſque pro parte ſua obligatur. Quid conſuetudo obtineat n. 34
Hæreditas omittitur vel amittitur abſtinendo vel repudiando. 6. 31. n. 1. 2
Hæres filius an poſſit legitimam retinere & repudiare hæreditatem. n. 6. 7
Hæreditate repudiatâ quando pars poſſit retineri. n. 8. 9
Hæres inſtitutus poteſt à judice mitti quandocumque in poſſeſſionem. Quid, ſi ad eam plures concurrant, & paria jura habeant. 6. 33. n. 1. 2. 8. 9
Hæres alienare non poteſt legata vel fideicommiſſa. 6. 43 n. 7. 8
Hæres ſi juſſus ſit reſtituere, quod ſibi ex hæreditate ſupererit, cum morietur. n. 11
Hæres quando teneatur de uſuris & fructibus legatorum. 6. 47. n. 1.
Hæreditate reſtitutâ non deſinit is qui reſtituit, eſſe hæres 6. 49 n. 1
Hæreditariæ actiones ex S. C. Trebell. in quem tranſeant. n. 2. 3
Hæreditaria onera quatenus ſuſtineat qui ſponte adijt hæreditatem. n. 4. 5. 6
Hæreditas non adita cur non tranſmittatur. 6. 52 n. 1
Hæreditas non adita quando tranſmittatur ex jure deliberandi. n. 2
Item ex potentia ſuitatis, ſuus ad quoſcumque hæredes hæreditatem tranſmittit. n. 3
Hæres cavere debet de præſtando legato poſt eventum conditionis. 6. 54. n. 1. 2. 3
Hæredes ejus qui ad munus publicum electus eſt, & poſtea mortuus, an tale munus continuare teneantur. 10. 68. n. 1
Hæredes plures an poſſint habere juriſdictionem, vel officium unum. 10. 60. n. 6. 7.
Hæreditas quatenus vendi poſſit, & quæ ſequantur emptorem. 4. 39. n. 1. 14
Hæreditate venditâ, an actiones & nomina tranſeant in emptorem. n. 3. 4
Hæreditatis venditor tenetur rem tradere, item creditoribus hæreditarijs. n. 56
Hæreditate vendita, an jus accreſcendi tranſeat in emptorem. n. 15
Hæredes tutorum quando ex perſona defuncti conveniantur. 5. 54. n. 1. 2. 3
Hæreditate privatur non curans teſtatorem ægrotum. 6. 35. n. 1
Hæreditate etiam privatur, qui teſtamentum oppugnat; nec implet voluntatem defuncti, nec ejus necem vindicat, & qui ingratus eſt. n. 2. 5. 6. 7
Hæreditas adulteræ & uxori inceſtuoſæ & alijs indignis denegatur. n. 3. 4
Hæreditas filio delata, an ob crimen patris, fiſco applicetur. 9. 8. n. 24

Hæretici.

Hæretici qui cenſeantur, qui eorum judices. 1. 5. n. 1
Hæreticorum pœnæ canonicæ & civiles. n. 2. 3
Hæreſis Manichæorum damnata, quæ eorum pœna. n. 4. 5
Hæreticorum bona quibus applicentur, & de Samaritis. n. 6. 7. 3.
Hæretici & Judæi ad decurionatum vel alium honorem aſpirare prohibentur. 10. 30. n. 8

Homicidium

Homicidium quid, in quos committatur, qua lege vindicetur. 9. 16. n. 1. 2. 3
Homicidij pœna; an puniatur conatus, quando capitis pœna obtineat. n. 4. 5. 6. 7. 8
ab Homicidij pœna qui immunes, an minor ætas, vel ebrietas excuſet. n. 9. 10
ab Homicidio non eſt facile concedenda remiſſio, à Principe erit petenda. n. 11
Homicidium præſumitur commiſſum dolo, quem abfuiſſe probabit reus. n. 12
Homicidium quando præſumatur dolo commiſſum, ibi de poculo amatorio n. 13. 14. 15
de Homicidio an teneatur vulnerans, ſi alius ſuperveniens occidat. n. 17
Homicidium mandans an pari pœna teneatur qua mandatarius. n. 18. 19. 20
Homicidium conſulens, ei auxilium dans, aut ratum habens, ut puniatur. n. 22. 23. 24. 25
Homicidium à pluribus commiſſum quomodo puniendum. n. 26
Homicidio patrato in rixa plurium ſubito orta, ſi de auctore non appareat, vel dubitatur, quà pœnâ puniatur. n. 27. 28
An qui lethale vulnus inflixit in rixa, teneatur pœnâ ordinariâ. n. 29. 30
Indignus judicatur interficiens hæreditate occiſi, & ſi frater fratrem occiderit. n. 31. 32
Si maritus in adulterio uxorem occiderit, qui puniatur & quibus actio acquiratur. n. 33
Homicidij involuntarij nulla pœna, ſi moderamen inculpatæ tutelæ ſervetur. n. 34. 35. 36. 37
Homicidij caſualis exempla, & qui puniatur. n. 45
An occidens Titium quem putabat eſſe Cajum, ſit pœnæ legis obnoxius. n. 46
Homicidium publicâ auctoritate commiſſum licitum eſt. n. 47
Quando liceat ſibi jus dicere ſeque defendere adverſus aggreſſorem, eumque occidere. Vide. 3. 27 n. 2. 3. 4. 5.
Qui mortem ſibi conſciverunt, qua pœnâ puniantur. 9. 50. n. 1. 2. 3. 5

Honor

Honor & honores accipiuntur pro functione publica. 10. 40. n. 1.
Honores gradatim deferendi, conſiderantur perſonæ conditio, ætas, origo, facultates. n. 2
Honores in eadem familia continuare non oportet. n. 3. 7
ad Honores promoveri ſolent nobilium filij, & in paterno munere ſuccedere. n. 6
Honorum & munerum continuatio, & iteratio fieri poteſt ex neceſſitate. Quid hodie ea in re obſervetur. n. 11. 12. 14.
Honorem qui ſponte agnovit, immunitatem non amittit. 10. 43. n. 1
Ab honoribus rejiciuntur obſcuro loco nati, libertini, mercatores; Quid de his hodie. 12. 1. n. 35. 36. 37

Hypotheca,

Digitized by Google

Hypotheca.

Hypotheca & pignus differunt, quis finis utriuſque. 8.14 n. 1. 8
Hypothecaria non prius utitur creditor, quam principalem excuſſerit. n.14.15
Hypothecaria cum creditor experitur, quid probare debeat. n 16
Hypothecariam generalem habens præfertur habenti ſpecialem poſteriorem. n 17
Hypothecaria actio quando extinguatur, manente ſalva hypotheca n. 32
Hypothecæ tacitæ effectus, quod rem afficiat, & tranſeat cum ſuo onere. 8 15 n.14
Hypothecæ tacitæ jus in quibus cauſis, & quibus perſonis competat. n.9 10.11.12.13
Hypothecariâ actione agit uterque, ſi utrique res ſit pro parte obligata. 8 18 n.2
Hypothecam habens prius, is potior habetur. n.4.5.6
Hypotheca generalis prioris creditoris præfertur ſpeciali poſterioris n 7
Hypothecam ſpecialem habens, interdum eum qui generalem, ſed poſteriorem accepit, antevertit n. 8
Quid juris, ſi plures concurrant, vel privatus cum fiſco, vel privilegiati. n 10.11.12
Hypotheca quid ſi conſtituta ſit à non domino, cui poſtea dominium acceſſit n. 17
Hypothecam tacitam qui habeant: & An mulier in repetitione dotis ſuæ præferatur omnibus creditoribus n.18. 19.20.21.22
Hypothecam tacitam licet fiſcus habeat in bonis ſui creditoris, non tamen habet pro pœnarum perſecutione. 10. 7. n. 5

I.

Ignorantia.

IGnorantia alia juris, alia facti. 1.18 n.2
Ignorantia facti alia proprij, alia alieni, hæc probabilis. n 3 4.5
Ignorantia juris divini vel naturalis neminem excuſat. n 6
Ignorantia juris civilis non prodeſt in lucris, ſed in damnis evitandis n 7
in Ignorantia juris ſuccurritur militi, minori, mulieri, ruſtico. n 8

Immunitas.

Immunitas non conceditur à patrimonialibus. 10.25 n 1
Immunitatis privilegium non creditur conceſſum quod fiſco & aliis nocet. n 3
Immunitas non extenditur ad onera quæ tempore belli imponuntur. n 4
Immunitate nemo gaudet tempore neceſſitatis. n. 6
Immunitatem habens à collectis, ſi eas ſolvat, ſibi non præjudicat in futurum. n 7 8
Immunes ad reparationem viarum, aggerum & ſimilium munerum adſtringuntur. n.9.10 11
Immunitatis jus concedi ſolet civitati, civibus deficientibus datur aliis. n.12.13.15
Immunitas in perpetuum data, cedit in incommodum concedentis. n. 14
Immunitas certis perſonis data, an hæredibus, & quibus cenſeatur conceſſa n 16
Immunes qui fuerint à lucrativa deſcriptione, & quæ res ab onere ſiliquarum excuſentur. 19.35 n 1.2

Imperium.

Imperium per mare & flumina publica Reges exercent. 11. 12. n.8 9.10
Imperium mixtum, quid, in quo diſtinguatur à juriſdictione, & à mero imperio. n 20
Imperium merum num alteri mandari poſſit. Quid moribus. n. 21
Imperium merum quid ſit, & quid complectatur. 3. 13. num. 19
Imperium merum an jure Canonico ſit delegabile, & quid de mixto. n.22.23

Impuber.

Impuberi arrogato & ſine cauſa emancipato quarta debetur. 8 48. n 10
Impubes torqueri non poteſt. 9 41. n.32
Impubes teſtis eſſe nequit. 4.20. n 2
Impubes teſtari prohibetur. 6.22. n.1

Inceſtus.

Inceſtus cum quibus perſonis committatur. 5.5. n 2
Inceſtus juris gentium à civili diſtinctio n. 10
Inceſtas nuptias contrahentium pœna. Quid, ſi non ſint conſummatæ. n 11.12.14
Inceſtuoſi an ſint alendi. n. 12
Inceſtus crimen, ſi abſque matrimonio committatur, quæ pœna. n 16

Incola.

Incola, advena, civis & municeps quis dicatur. 10.39 n 1
Incolæ non fiunt ſtudioſi, niſi decennio alicubi habitaverint. n.2.5.6
Lapſus decem annorum non ſufficit, quamdiu conſtat de animo redeundi. n. 5
Incolatus ut aliquem adſtringit muneribus, ita iiſdem obligatur & Judici ſubjicitur. n.17.18.19.20
Incola qui fuit tempore contractus, an pro debito civitatis conveniri poſſit ſi alio in loco nunc habitet. n.21.22

Indebitum

Indebitum quid dicatur, & quando id poſſit repeti. 4 5 n.3
Indebitum ex perſona dantis & accipientis quomodo æſtimetur. n 12
Indebiti quantitas æſtimatur ex perſona pupilli & illius cui ſolvitur. n. 13
Indebitū errore juris aut facti ſolutum an repeti poſſit n 14.
de Indebito cui incumbat probatio. n. 22

Indicium.

Indicium quid, quod ſufficiens dicatur ad torturam. 9. 41. num 4
Indicium unicum an ad torturam ſufficiat. n. 5
Indicium probandum per duos teſtes habiles. n 6.7
Indicium ſufficiens an ponat fama, & res reperta in loco perpetrati delicti. n 9.10
Indicium an ponat fuga, quando purgari id poſſit. n. 11. 12. 13
Indicium hoc an valeat, ſi reus convictus ſocium criminis nominavit. n. 14.
Indicium veriſimilia quæ dicantur. n.16.17.19
Indigni celicto qui habeantur. 6.35. per tot.

Induciæ.

Induciæ quinquennales qualiter debitoribus concedantur. 1 19 n 5.6
Induciæ iſtæ an proſint fidejuſſori. Quid, ſi renunciaverit. n.8.9.

Infamia, infames.

Infamia facti & juris quando irrogetur, & quibus ex cauſis. 2.12. n 1.2 3.4.5
Infamia irrogatur ob latam culpam, ob perfidiam, delictum, damnationem. n.6 7.8 9
Infamia in famoſis judiciis damnatum ſequitur, perpetuò durat. n.12.13
Infamia quibus caſibus irrogetur, aboleatur, quis ejus effectus. n.14.15,16
Infames ab honoribus arcentur, & onera ſubeunt. 10.57. n. 1. 2
Infamis admiſſus ad honores removetur; an per eos qui eum elegerunt. n 4
Ob inopiam hominum poſſunt viles homines obtinere officia publica, ſi per ſe viles artes non exerceant. n.5 6

Infantes expoſiti.

Infantes exponere à parente crudeli & indignus patriâ poteſtate. 8 52 n 1

Digitized by Google

Inſans expoſitus manet liber : expenſæ in eum factæ, jure repetuntur. n. 3
Infantem expoſitum ſi fur ſuſceperit, cur alimenta non repetat. n. 4
Infantes expoſiti quorum parentes iis alendis non ſufficiunt, à quibus ſint alendi. n. 5

Ingenuus.

Ingenuus quis dicatur : an manumiſſio officiat ingenuitati. 7 14. n. 1
Ingenuitati quæ non noceant ; quomodo illa probetur. n. 2. 3. 4

Injuria.

Injuria quid, quando committatur re, vel verbis. 9. 35. n. 1
ad Injuriam requiritur animus injuriandi : quando præſumatur. n. 2
ab Injuria excuſat ætas, furor ; an & ebrietas, an veritas convitij.
Injuriarum an teneatur defendendi ſui cauſâ quid objiciens. n. 4
Injuriam non tollit præfatio honoris. n. 7
Injuriam retorquere poteſt provocatus. n. 8 10
Injuriarum actio privata eſt, & per compenſationem tollitur. n. 9
Injuriam per quas perſonas pati quis dicatur. n. 11. 12. 13
Injuriæ pœna quæ ſit ; quomodo poſſit agi civiliter & criminaliter. n. 16. 17
Injuria quando tollatur & aboleatur. n. 18. 19. 20
Plena ſatisfactio quomodo hodie fiat, & de actione ad palinodiam. n. 21. 22
Injuria non aboletur ſalutatione, reconciliatione, pœnitentiâ. n. 23. 24
Injuria ſemel remiſſa non repetitur, ſed ſupereſt actio civilis ad intereſſe, expenſas. n. 25

Inimicitia.

Inimicitia præbet nominato ad munera juſtam cauſam appellandi 10. 66. n. 1
ob Inimicitias recuſatur Judex & teſtis. n. 2
ab Inimico reconciliato cavendum. ibid.

Inquiſitio.

Inquiſitio quid : quando inſtituenda per Judicem 9. 2. n. 1. 2 1
Inquirere an Judex poſſit ſine accuſatore, & quod ejus officium. n. 22. 23
Inquirendum in crimina, etiam potentiorum ; ſed cautè Princeps procedat. 12. 23. n. 9
Inquiſitores criminum non ſtatim ea divulgent, ſed probent n. 10. 11
Inquiſitores mittuntur in Hiſpania, qui inquirant in acta judicum & rectorum provinciæ. 12. 14. n. 6

Inſtitor.

Inſtitor quis ſit, & in quo à procuratore differat. 4. 25 n. 3
Inſtitor an poſſit litteras cambij acceptare. n. 4
Inſtitoria actio in quibus cum exercitoria conveniat aut differat. n. 11. 13
Inſtitor an finito officio teneatur. n. 12

Inſtitutio hæredis.

Inſtitutio hæredis quid, ejus forma, an nutu fiat, an certâ demonſtratione 6. 16. n. 1. 2 3
Inſtitutio hæc an valeat, Sempronius Plotij hæres eſto. n. 6
Inſtitutio collata in alterius arbitrium an valeat, an ſit captatoria. n. 7. 8. 9
Inſtitutio hæredis quatenus in tempus mortis conferatur. num 10
Inſtitui qui poſſint, qui prohibeantur. n. 11. 12
Inſtitutus in re certa, hæredis, an verò legatarij loco habeatur. n. 13
Inſtitutio ſuper propriis bonis facienda. n. 14
Inſtitui unus aut plures poſſunt, ex certa parte aut partibus, n 15. 16
Inſtitui poſſunt hæredes purè & ſub conditione, non in diem. 6. 25. n. 1
Inſtitui extraneus poteſt ſub quavis conditione, filius non ſub alia quam poteſtativa, an & nepos. n 4 5
Quid, ſi filius inſtitutus & reſtituere rogatus liberos ſuſceperit. n. 13

Inſtrumentum.

Inſtrumentum, quid, aliud publicum, vel privatum. 4. 21. num. 1
ad Inſtrumentum publicum vel privatum quæ requiſita, n 2 3. 4. 5 6. 7
Inſtrumentorum materia, ſcriptura probatio. n 9 10
Inſtrumento an obſit raſura, & falſitas in parte. n 11
Inſtrumento nedum perfecto licet pœnitere, & venditor non cogitur rem tradere. n. 12. 13
Inſtrumenti fides quot teſtibus probetur, & quibus modis oppugnetur. n. 14. 15. 16. 20
Inſtrumenta quando & ubi proferenda, & adverſario edenda. n. 17. 18. 19
Inſtrumentis quanta fides tribuatur ex comparatione litterarum. n. 21. 22. 23. 24
Inſtrumentum quando non liceat improbare, quid, ſi perditum ſit, an noceat parti. n 25. 26. 27. 29. 30
Inſtrumentum cancellatum inventum penes debitorem, inducit liberationem. n. 28

Interdictum.

Interdictum quid, unde dicatur, quo differat ab edicto, 8. 1. n. 2
Interdictorum formulæ nunc ſublatæ, actiones introductæ, coram quo agitandæ. n. 3. 4. 5. 8
Interdictum de arboribus cædendis quibus detur. n. 7
Interdictorum variæ diviſiones, finis. n 9. 10 11. 12
Interdictum quorum bonorum, an detur cuilibet hæredi, & contra quem, & ad quid. 8. 2 n. 2. 3. 4. 5. 6. 8
Interdictum Quod legatorum, cui & adverſus quos detur, 8. 3. n 1. 2. 3. 6. 7
Interdictum recuperandæ, quod *unde vi* appellatur, competit dejecto qui poſſidet. Item aliis, datur contra eos qui vi dejecerunt. 8. 4. n 1. 4. 5. 6
Interdictum hoc an detur contra tertium poſſeſſorem, & quid veniat reſtituendum. n 18. 19 21
Interdictum hoc an ceſſet, ſi notarius prædo ſpoliatus fuerit à domino. n. 27. 28
Quæ ſit pœna violentiæ poſſeſſoribus impoſita, & ad quos extendatur. n. 29. 30. 31
Interdictum uti poſſidetis quid, quis eo experiatur, an competat colono, creditori. 8. 6. n 1. 3. 4. 5
Interdictum hoc an detur dejecto vi de poſſeſſione, & hæredi, ceſſionario. n 7. 8. 9
Adverſus quos detur, & quibus in rebus locum habeat, n. 10. 11
Interdictum hoc quæ cauſa dandi. Quid, ſi uterque litigantium poſſideat & probet ſuam poſſeſſionem. n. 13. & 14
Interdictum de tabulis exhibendis, quibus detur, adverſus quos, & ad quid. 8. 7 n 1. 2. 4. 5 6
Interdictum de liberis exhibendis, cui & adverſus quem detur. 8 8. n. 1. 2
Interdictum de libero homine exhibendo cur detur, quibus & adverſus quos. ibid n 8 9. 10. 11
Interdictum hoc quando ceſſet. An iterum detur illi qui eo egit. n. 12. 13
Interdictum de precario cur competat, quando ceſſet, quis effectus. 8 19. n. 3 4 5
Interdictum hoc eſt perpetuum, datur hæredi, & contra hæredes ejus qui precario rogavit, n 7
Interdictum Salvianum unde appellatum, cui detur, & ad quid. n. 9.
Interdictum hoc cùm neceſſarium, cur extet actio Serviana. n. 11. 13
Interdictum hoc adverſus quem detur, item utile Salvianum. n. 12. 13. 14

Intereſſe.

Id quod intereſt ex damno & lucro æſtimatur. 7. 47. n. 14
Id quod intereſt non excedit duplum in caſibus certis, quid in incertis n. 2

In id

In id quod intereſt agitur, ſi pretium ſit datum in venditione. num 8
Id quod intereſt in delictis æſtimatur, ultra duplum. n 10
An pœnæ conventionales poſſint excedere duplum. n 21.22

Inventarium.

Inventarium quid, ejus conficiendi forma & tempus. 6.30. num. 8
in Inventario quæ res deſcribantur, & quis ejus uſus hodie. n. 9
Inventarii utilitas & effectus. n 11
Inventarij neglecti pœna. n 12
Inventarium ſi filius non conficiat, an perdat legitimam. n.13.14
Item hæres ut Falcidiam, ita & Trebellianicam, amittat. num 15
in Inventario ſi ſponte hæres res aliquas omiſerit, quâ pœnâ puniatur. n 16
Inventarium facere an hæres teneatur. n. 17
Inventarij confectio an poſſit à teſtatore remitti. n. 18

Irenarcha.

Irenarcha quis, à quibus eligatur, & quod ejus munus. 10 75 n. 1
Irenarchis ſuberant Limenarchæ, curioſi, & ſtationarij milites. n. 2
Quod eorum munus. n 3
Irenarchæ ſublati, qui nunc illis ſimiles, & qui Limenarchæ & Portulani n 4.5 6.7

Iudex, Iudicium.

Judicium quid, & diviſio judiciorum, & quibus perſonis conſtet. 3.1. n 1.2
Judex quis dicatur, quis ordinarius, delegatus. n 3
Judices qui conſtitui poſſint, an minor, cœcus, fœmina, ſervus impediantur. n 4 5 6
Judicis officium in cognitione ſuſcipienda & cognoſcenda. n 8 9 10.11.12
Judicis officium in deciſione cauſæ. n 15
Judices jurant ſe ex fidâ legum obſervatione judicaturos. num 16
Judex ordinarius an recuſari poſſit. Item advocatus fiſci. num 23
Judicis recuſatio, & ſuſpicionis cauſa quando probanda, & coram quo proponenda. n 24.25 26
Judices pedanei qui, unde aſſumpti, de quibus cauſis cognoſcant. 3.3. n.1.2 3.4
Judices dari qui poſſint, & qui dari non poſſint. 3.4. n 1. 2. 3
Judex in ſua cauſa nemo eſſe poteſt, nec jus dicere. 3. 5. n. 1. 2
Princeps an in propria cauſa poſſit jus dicere. n. 3
in Judicio ſtare nequit ſervus, neque filiusf. abſque conſenſu patris, nec minor abſque curatore. 3. 6 n. 2. 3. 4. 5. 6
in Judicio agere nemo invitus cogitur, exceptio à regula. 3.7 n.1.2.3
Judiciorum ordo ſervandus, committitur quando cauſarum cumulatio judicantis arbitrio. 3.8. n 1 2
Judex ſecundum conſcientiam, an ſecundum allegata & probata judicare debeat. 1.40. n.9
Judicium civile & criminale intra quod tempus peragendum. n 17.18
Judicium petitorium an cum poſſeſſorio cumulari poſſit, & quid de petitorio retinendæ 8.1. n. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20
Judex, utrâque parte præſente, ſententiam ferre debet. 7. 41 n. 1. 4
Judex non excedit modum ſuæ juriſdictionis, nec pœnam mutat. 9.67. n 24
Judicis arbitrium an extendi poſſit ad pœnam capitalem. num 21
Judices militares & civiles qui, & quod eorum officium. 1.44. n 1.2

Iudæi.

Judæis privilegia, jura, religionis libertas conceſſa. 1. 92 num. 1
Judæi non ſint cogendi ad fidem, quæ pœnæ in eos ſtatutæ, & quibus oneribus implicentur. n.1.2.3.4.5

Iuramentum.

Juramentum quid, quàm variæ formulæ juramenti. 4. 1. n.1.2.3
Juramentum quando licitum. n. 5. 6
Juramentum an habeat vim confirmandi contractus & actus invalidos. n 8.9
Juramenti promiſſorij effectus, & an ex eo detur actio. num 19.
Juramentum voluntarium & judiciale, qui illud deferre poſſint. n 11.12
Juramentum qui deferre poſſint. n 13.14.15
Juramentum quibus deferatur, delatum ſuſcipiendum, niſi remittatur. n.16.19
Si actor nihil probaverit, an hoc juramentum reo poſſit deferri. n. 20
Juramentum neceſſarium quale ſit, & quando locum habeat. n.23 25
Cui hoc juramentum potius deferendum, cur referri non poſſit. n.24.26
an Juramentum ſemel delatum poſſit revocari. n. 27
Juramenti aſſertorij vis & effectus, item neceſſarij vis. n.28 32.33
An per uſum maneat impunitum. n. 35
Juramentum calumniæ quomodo & quando illud ab actore & reo præſtetur. 2.59 n.1.2
Juramentum hoc quibus remittatur, qui ad illud teneantur, in quibus cauſis præſtetur. n.4.5.6 7
Juramentum calumniæ ſi omiſſum fuerit, an vitietur proceſſus. n. 10
Quæ ſit pœna juramentum calumniæ recuſantis, quando illa ceſſet. n.12.13
Juramentum veritatis dicendæ, & de malitia quod ſit, quando præſtetur. n 14.15
Juramentum an confirmet pactum de ſuccedendo vel non ſuccedendo 2 3 n.15.20
Jusjurandum in litem in quibus judiciis præſtetur. 5. 53. n.1.4.5

Iuriſdictio.

Juridici Alexandriæ officium, cura, & dignitas. 1. 57. n 1. 2
Juriſdictio quid, & à quo detur, an dari poſſit à collegio. 3.13. n.2.3
Juriſdictioni non eximitur, ſi qui vocatus eſt ad judicem, miles poſtea fiat. n. 4
Juriſdictionem qui poſſint prorogare, & quæ ad id neceſſaria. n 14.15.16.17
Juriſdictionis conceſſæ effectus, eâ conceſsâ an veniat imperium. n. 18
Juriſdictio in quo diſtinguatur ab imperio. n. 20
Juriſdictio quibus caſibus finiatur & amittatur. n. 24
Juriſdictio principis an cenſeatur conceſſa, conceſſo caſtro. 10.10. n 5
Juriſdictione ſpecialiter conceſsâ, an cenſeatur Princeps derogare juri quod populo competit, eligendi Magiſtratum. n. 7
Juriſdictione conceſsâ an cenſeantur conceſſa regalia & bona vacantia. n. 8
Juriſdictio alicui conceſſa in aliquo caſtro an transeat ad hæredes. 10.47. n.19
Juriſdictio eſt de novo impetranda, niſi quæ conceſſa per modum contractus. n. 20

Ius accreſcendi.

Jus accreſcendi quid, an in contractibus obtineat. 6 51. n 9
Jus accreſcendi an locum habeat in fideicommiſſoria ſubſtitutione. n 10

Jus accreſcendi inter quos ſucceſſores obtineat. n. 11
Qui dicantur conjuncti, tria eorum genera. n. 12. 13
Jus accreſcendi inter verbis conjunctos an locum habeat. num. 14
An pars deficiens accreſcat hæredibus invitis. n. 15
An & legatariis; an cum onere, an ſine onere. n. 16. 17
Quid, ſi diverſi generis plures concurrant in eandem rem. n. 18
in Jure accreſcendi an ſit quædam prærogativa inter eos, qui collectivo ſermone conjuncti ſunt. n. 20
Jus accreſcendi an in uſufructu legato, & re legatâ ſervo communi obtineat. n. 22. 23
Jus accreſcendi ceſſat in legato alimentorum. n. 24
Jus accreſcendi à teſtatore prohiberi poteſt. n. 25

Jus deliberandi.

Jus deliberandi quid ſit, & quid cretio hæreditatis. 6. 30. n. 1
Deliberandi tempus à quo petitum, & à quo nunc detur. n. 2
Jus deliberandi quibus competat, & quid, ſi plures ſint hæredes inſtituti. n. 3
Juris deliberandi forma, & effectus. n. 4. 5
Jus adeundi delatâ hæreditate, quando in hæredes tranſmittatur, & quæ ſint requiſita ad tranſmiſſionem. n. 6
Juris enucleati auctor Juſtinianus. 1. 17 n. 3
Juriſconſultorum auctoritas. n. 1. 2.

Jus liberorum.

Jus liberorum omnibus eſt conceſſum. 8. 59. n. 1
Jus legitimæ ſucceſſionis in bonis liberorum. n. 2

Jus aureorum annulorum.

à Jure aureorum annulorum, quo differebat natalium reſtitutio. 6. 8. n. 1. 2
Jus hoc quibus communicatum, etiam Manumiſſis. n. 3

Jus dominij.

Jus dominij in pignore quando creditor impetret. 8. 34. n. 1. 2. 3
Jus dominij non ante biennium creditor impetrat, intra id tempus debitor offerre poteſt debitum. n. 4. 5. 6
hoc Jus impetrati dominij moribus ſublatum. n. 8

L.

Labarum.

Labarum, inſigne inter vexilla Romanorum, Conſtantinus in crucem convertit. 12. 18 n. 1. 2
Labarum ſive vexillum in exercitu defertur, quod ſummè cuſtoditur. n. 3
Laborum Præpoſiti qui in palatio Principis fuerint. n. 4
Quibus hi annumerati, & privilegiis decorati. n. 5

Largitio.

Largitiones ex contributione redactæ referebantur ad Theſaurarios. 10. 23 n. 1. 2
Largitiones & pecuniæ collectæ mittebantur ad Comitem ſacrarum Largitionum. n. 3. 4
in Largitionum & collectarum exactione ſervanda antiqua conſuetudo. n. 7
Largitionum exactio nunc facienda juxta facultates civium. ibid.
Largitionum duæ arcæ, duo quoque Numerarij. n. 11
Largitionales tituli quid ſint. ibid.
Largitiones faciendæ à Principe in benemeritos, ſed cum menſura n. 12
Laudemium debetur domino cenſus ex venditione rerum immobilium. 10. 35 n. 7

Legatio, Legatus.

Legati qui, à quo, & ad quem mittantur. 10. 63. n. 1
Legatorum diſtinctio, quæ virtutes in iis requirantur. n. 2. 3
Legati quales mitti ad hoſtes, nobiles & indigenæ. n. 4. 5
Legatis ſine literis non creditur: Quid, ſi ſint illuſtres, n. 6. 7
Legatus ſi non admittatur, an violetur jus gentium. n. 8
Legatus explorabit conſilia, etiam miniſtros corrumpendo. num. 9
Legati ſunt inviolabiles, habent jus aſyli. n. 10
Legati ſi deliquerint, remittendi ad ſuum dominum. n. 11
Legati hoſtium an poſſint intercipi. n. 12
Legati ubi conveniantur, ſi hæreditatem adierint, ſi contraxerint. n. 13. 14. 15
Legati à Principe deſignati num poſſint ſe excuſare. n. 16.
à Legatione excuſatur pater trium liberorum. n. 17
Legati civitatum qui vocentur, cujus auctoritate fiant. n. 18. 19
Legati civitatum à quibus, & an cum ſalario decernuntur. n. 20. 21
Legatus ſi in legatione moriatur. n. 22
Legatis & Syndicis civitatum ſalarium aſſignatur, tenetur deferre literas ſuæ commiſſionis. n. 23
Legati prohibentur propria vel aliena negotia gerere. n. 24. 25
Legationes plures an liceat obire: quæ excuſent à muneribus. n. 26. 27. 28

Legatum.

Legatum quid, legati diviſio quibus legata relinquantur. 6. 37. n. 1. 2. 3. 4
Legatus ab inſtituto, ſubſtituto, legatario, ſed non in amplius oneratur. n. 5. 6
Legari quæ res poſſint: quid, ſi res ſua legatario legetur. n. 7. 8
Legatæ rei quæ non habet commercium, num æſtimatio debeatur n. 9. 10
Legatur rectè pignus creditori, uxori dos, & res hæredis. n. 11. 12. 13
Legari poteſt res aliena utroque jure, item oppignorata. n. 14. 15. 16
Legata ex quibus peti & ad quod tempus relinqui poſſint. num. 17
Legatum in annos ſingulos, vel, ſi legatarij cum Titio morentur, quomodo debeatur. n. 18. 19
Legata petuntur, non vi occupantur; quando adimantur. n. 26. 27. 28. 29
Legatum relictum fratribus qui ex diverſis præferantur. 6. 38 n. 5.
in Legatis alternativis cujus ſit electio. n. 8. 9
inter Legata & fideicommiſſa differentiæ: eæ ſublatæ à Juſtiniano. 6. 43. n. 1. 2
Legatorum exæquatio quatenus procedat, & legatariis tribus actionibus experiatur. n. 3. 4
de Legato optionis collato in arbitrium tertij. n. 6
Legari hodie poteſt perſonis incertis, item poſthumo, Eccleſiis piiſve locis. 6. 48 n. 1. 2. 3
Legatum rerum immobilium incapaci relictum, an debeatur ejus æſtimatio. n. 4. 5. 6

Legitima.

Legitima quo jure debeatur, quanta olim, & hodie ſit. 3. 28. n. 31. 32. 34
Legitima non integra relicta liberis, agetur ad ſupplementum. n. 28
Supplementum hoc à Judice petitur non obſtante pacto. num. 29
Si filia bonis paternis renunciaverit, an iis poſtea auctis poſſit inde legitimam petere. n. 30
Legitima collateralium an ſit aucta. n. 33. 35
Legitima quo titulo relinquenda. n. 36
Legitima ex ſubſtantia patris relinquenda. n. 37
Legitima detrahi nequit de bonis Comitatus & alienari prohibitis. n. 38
Legitima quo tempore debeatur, quæ in eam imputentur. num. 39
An filius exhæredatus in computatione legitimæ connumeretur. n. 40
Legitima relinquenda purè & ſine gravamine. n. 41

Quid.

Digitized by Google

Quid, ſi fideicommiſſum ſit reciprocum, inter filios, & conditio illis utilis. n. 42
Legitimæ quantitas an minui vel tolli ſtatuto poſſit. n. 43
an Legitima filio debita publicetur ob delictum. 9. 49. n. 12
an Legitima filio deportato cedat fiſco. n. 15

Legitimatio.

Legitimatio quid, & quotuplex. 5. 27 n. 4. 5. 6. 7
Legitimationis, per oblationem Curiæ, effectus. n. 6
Legitimatio per ſubſequens matrimonium quatenus procedat n. 7. 8. 9
Quis ſtatus parentum circa liberorum legitimationem conſiderari debeat. n. 12
Qui filiæ non legitimentur. n. 11. 13
an Legitimetur filius per ſubſequens matrimonium in articulo mortis contractum. n. 14
an Legitimatus excludat ſubſtitutum. n. 15
an Legitimationem impediat matrimonium intermedium. n. 16
an Legitimetur nepos ex filio naturali præmortuo, per matrimonium avi. n. 17
Legitimationis & nativitatis quæſtio ubi tractanda. n. 18
Legitimatio per reſcriptum quatenus procedat. n. 19. 21
an ſic Legitimatus cum liberis juſtis poſtea natis ſuccedat. n. 20
Legitimandi poteſtas Principis in ſuo territorio. n. 22. 26
Legitimationis mentio an ſit facienda in literis impetrationis beneficij. n. 23
An poſſit Princeps proprios filios legitimos efficere. n. 25
Legitimandi modus per nominationem, & arrogationem ſublatus. n. 27. 28. 29.
Hodie filij illegitimi non ſuccedunt. n. 30

Lenocinium.

Lenocinium exercere, & ancillam, vel ingenuam proſtituere, prohibitum. 11. 40 n. 5
Lenonum & meretricum tributum ſublatum. n. 6
Lenocinij crimen quando contrahatur; quid, ſi marito objiciatur. 9. 9. n. 8. 9. 10
Lenocinij pœna: eâ tenetur qui adulterium ſuaſit, & inde quæſtum fecit. n. 11. 43

Lex.

Lex Regia quo tempore lata. 1. 14. n. 1
Legem fert Princeps, quando ei data hæc poteſtas. n. 2
Leges quales eſſe oporteat; forma & finis legum. n. 3. 4. 5. 6.
Leges in futurum ſcribuntur, quandoque ad præteritum revocantur. n. 7. 8
Legum effectus eſt obligare omnes ſubditos; an etiam extra patriam exiſtentes. n. 9. 13
Leges ſcire quid ſit, an actus irritus ſit contra legem. n. 10. 11. 12
an Lex advenas obliget, & quatenus. n. 14
Legibus an ſit ſolutus Princeps, & quibus non. n. 15
An Principis ſucceſſor obligetur. n. 16
Leges interpretari ſolius eſt Principis. n. 17. 19
Leges à promulgatione ſtatim obligant. n. 20
Legem tollit & mutat Princeps. n. 21
Legum mutatio non præſumitur. n. 22
Leges à mandatis quo differant. 1. 15. n. 1
Legem condere an poſſit Senatus, & quæ jura illi competant. 1. 16 n. 1. 2
Legibus non exemplis judicandum. 7. 45 n. 12
L. Cornelia de falſis in uſum revocata. 9. 22 n. 1
L. Julia Miſcella unde dicta, cur ſublata. 6. 40 n. 1. 7. 8
L. Furia & Voconia modum poſuere legatis. 6. 50. n. 1
L. Juliâ de ambitu, ejuſque pœna. 9. 29. n. 2
L. Julia Repetundarum qui teneantur. 27 n. 1
L. Viſelliâ quid conſtitutum. 9. 21. n. 1
L. Jul. peculatus & de reſiduis diſcrimen. 9. 28 n. 1. 2. 3
L. Rhodiâ ſi jactus mercium relaxcitur à vectoribus, 11. 5. n. 24
L. Fuſia Caninia cur ſublata. 7. 3. n. 1. 2

Libellus.

Libellus quid; quæ in eo petuntur, clarè deſcribi debent, 2. 1. n. 4. 5
Libellus alternativus an valeat. n. 6
in Libello qualiter exprimi debeat cauſa petitionis. n. 7
Liber rationum an ſit exhibendus, & ad id cogi poſſit mercator. n. 10
Libello eodem an cumulari poſſint actio de peculio tributoria, & de in rem verſo. 4. 26. n. 17.
Libellus accuſatorius quid continere debeat. 9. 2. n. 3
Concluſio in eo neceſſaria non eſt. n. 4
Libelli famoſi, & pœna eos ſcribentium & manifeſtantium. 9. 36. n. 2. 3
Quid, ſi in libello verum crimen detexerint. n. 4
Libelli famoſi auctores quâ pœnâ nunc afficiantur. n. 5

Libertas.

Libertas dedititia quid, ejus conditio ſublata. 7. 5 n. 1
Libertas Latina ſublata. Qui nunc manumiſſi fiant cives Romani. 7. 6. n. 1
Libertas fideicommiſſaria quibus, quomodo, quibus verbis relinquatur. 7. 4. n. 1. 2. 3
Libertatis relictæ effectus. n. 6
Libertas quibus caſibus pro præmio concedatur. 7. 13. n. 1
Libertatis ſtatus quomodo probetur, quæ allegari pro eo poſſint. 7. 16 n. 6. & ſeqq.
ad Libertatem proclamare quibus non liceat. 7. 18 n. 1
Libertas præſcribi poteſt per ſervum bonâ fide. 7. 22. n. 1

Liberi, liberti.

Liberorum diſtinctio, & cur inſtituendi vel exhæredandi ſint ſui. 6. 28. n. 1.
Liberis emancipatis præteritis quomodo ſubveniretur. n. 2
Liberorum differentia in materia inſtitutionis & exhæredationis ſublata. n. 3
Liberi in conditione poſiti ex teſtamento num cenſeantur vocati. 6. 25. n. 14
Liberis legitimis hæreditas defertur; item nepotibus ex filia. 6. 55 n. 3. 4. 5.
Liberis ſolis proſpexit S. C. Orficianum, eoſque ſuccedere voluit 6. 57. n. 1. 2
Liberi duorum pluriumve fratrum patruo quomodo ſuccedunt. 6. 58. n. 7
Liberti & libertini olim diverſi, non excuſantur à muneribus. 10. 56. n. 1. 2.
Liberto quis ſuccedat, ibi de jure patronatus: 6. 4. n. 1. 2. 3.
in Libertos ingratos datur actio patrono. 6. 7. n. 1
Liberi libertorum poſt delictum nati, actione iſtâ tenentur. n. 2
Liberti ad honores admittebantur, ſi jus aureorum annulorum impetraverint. 10. 32. n. 1. 2
Libertini à dignitatibus arcebantur, non eorum filij, & quæ ratio. 12. 1. n. 36

Libri.

Libri mercatorum qualiter probent. 4. 21. n. 4
Libri ſtudiorum causâ comparati, an peculio quaſi caſtrenſi adſcribantur, nec conferantur. 6. 20. n. 12
In Licitatione plus offerenti res addicebatur, prout hodie in auctionibus addicitur. 10. 3. n. 4

Litigioſi.

Litigioſi exceptio quæ, contra quem non habeat locum. 8. 17. n. 1. 7
Litigioſa res dicitur lite conteſtatâ. n. 2
Litigioſa res fit in realibus per libelli oblationem. n. 2
Litigioſâ re legatâ, præſtatur ejus æſtimatio legatario. n. 8

Locatio.

Locatio quid, in quo ſimilis emptio venditioni. 4. 65. n. 1. 2
Locationis pretium an conſiſtere debeat in pecunia numerata. n. 3
Locatio qui differat à mandato & emptione, n. 4

Locare & conducere qui poſſint vel non. n. 5. 6
Locari quæ res poſſint, item res communes, & operæ honeſtæ. n. 7 8. 9. 10 11
Locationis tacita renovatio quando ſubſiſtat. n. 12 13
Locatio ad quod tempus fiat, & an ad hæredes tranſmittatur. n. 15
Locati actio ad quid detur, an emptor obligetur ſtare huic contractui. n. 16
Locatori quid præſtandum veniat finitâ locatione. n. 17 18. 19
Locare poteſt fiſcus rem cum altero communem, item hypothecæ ſubjicere. 10. 4. n. 7. 8
Locatio prædiorum civilium vel fiſcalium alia temporalia, alia perpetua. 11. 70. n. 3
Locantur prædia Principis vel civitatis perpetuarijs conductoribus, nec ab ijs auferuntur, etiamſi melior conditio offeratur. n. 5
Locator non tenetur fundum relocare ſuo colono; fallit id in publicorum prædiorum conductione. n. 10
In Locatione fundorum civitatis an id nunc obtineat. n. 11
Locatione finitâ num cogi poſſint coloni agros publicos retinere. n. 13

Logographi.

Logographi & cenſuales qui dicantur, & quod eorum officium. 10. 69 n. 2
Logiſtæ, Boëthi, Medogrammatei, Diaſtolæ qui fuerint, & quibus nunc ſimiles. n. 1. 3. 4

Lucra.

Lucra advocatorum & aliorum officialium moderatè & ſine concuſſione petenda. 12. 62. n. 1. 2. 3
Benigni eſſe debent Judices & Advocati fiſci, in cognitione cauſarum fiſcalium. n. 4
Lucrativi tituli vel oneroſi qui ſint. 10 35. n. 3
Lucrativa deſcriptio ſeu præſtatio quatuor ſiliquarum, à quo, & cui præſtanda. n. 1. 2

Lucus Daphnenſis.

Lucus Daphnenſis ubi ſit, prohibitum arbores exſcindere, vel aliò transferre. 11. 77. n. 1. 2 3
Quâ pœnâ puniatur conductor fundi fiſcalis arbores ibi cædens. n. 4
Qui quercus ædificijs aptas exſcindunt in alieno fundo, puniuntur. n. 5

Ludi publici.

Ludi publici qui, de intervallo ludorum ſæcularium. 11. 40. n. 1. 2
Ludi ſcenici qui fuerint, qui tragici, comici, ludi florales. n. 3. 4
Ludis gymnicis delectabatur populus Romanus. n. 7
Ludi ſcenici & impudicæ ſcenæ ſunt ſublatæ. n. 9
Ludi & comœdiæ probantur quæ à civibus vel juventute exhibentur. n. 15 16
Ludis abſtinendum, & pecunia in uſus neceſſarios impendenda. 11. 41. n. 3. 4
Ludorum & curſus publici cura ad Decuriones pertinebat. 10. 31. n. 33

M.

Magiſter.

Magiſter militum Judex eſſe poteſt. 3. 1. n. 7
Magiſtri militum origo, dignitas, officium. 1. 29. n. 1
Magiſtri militum dignitas quanta, cur poſt diſcreta. 12. 4. n. 3. 7
Magiſter equitum & peditum qui nunc in aula Regia. n. 8. 9.
Magiſter memoriæ, epiſtolarum & libellorum officium. 12. 9. n. 1
Magiſtri memoriæ dignitas & poteſtas, & qui hodie tales. n. 2. 8
Magiſtri ſacrorum ſcriniorum immunes ab omnibus oneribus. n. 4
Magiſtri officiorum munus; de quibus cognoſceret, quis hodie. 12. 6. n. 2. 3
Magiſtro officiorum ſubſunt omnes Palatini & miniſtri aulæ. 12. 26. n 6. 7
Magiſter officiorum & Magiſter militum per Orientem quibus præeſſent. 12. 60 n 16. 17

Magiſtratus.

Magiſtratus municipales qui, eorum electio, excuſatio. 1. 56 n. 1. 2. 3. 5
Magiſtratus hi quam juriſdictionem habuerint, & nunc habeant. ibid.
Magiſtratibus diverſis cura ærarij & fiſci demandata. 10 1. n. 6
Magiſtratus plures nemo gerit, nec ultra modum ſumptuum oneratur. 10. 41. n. 8. 10
Magiſtratus majores à Principe creantur. 12. 1. n. 2. 7
Magiſtratus uter melior, perpetuus, an temporalis. Quid de Conſiliarijs adſcriptis conſilio. n. 10
Magiſtratus ab omnibus honorandi, & viciſſim honorem debent alijs. n 65.
Magiſtratus inferior inſignia ſuæ dignitatis ſubmittit intraturus domum ſuperioris. 12. 3 n. 13
Magiſtratus ſuperior inſignibus ſuis uti debet, uti regit. n. 14
Magiſtratus & miniſtri Principis caveant imperare, ſint fidi, prudentes, ſinceri, non adulatores. 12. 10 n. 5.
Magiſtratibus majoribus præficiendi nobiles, & cur. 12. 11. n 6. 7.
Magiſtratus curare debet, ut bene inſtituatur juventus. 10. 36 n 3
Magiſtratibus, magiſtris, & miniſtris neceſſarijs ſalarium conſtituendum ex bonis publicis. n. 4. 5. 8. & 12. 16 n. 9
Magiſtratus, quibus nominandi & eligendi facultas eſt, optimos & maximè idoneos cives deſignent ad munera. 10. 65 n. 2. 3
Magiſtratus electio ad Principem pertinet, vel nominatum confirmat. 11. 31. n. 1. 2
Magiſtratus qui idoneos nominavit, non tenetur de mala adminiſtratione. n. 8
Magiſtratus opus publicum ex ærario exſtruere non debet inconſulto Principe, ſumptu ſuo etiam privati poſſunt. 8. 12. n. 3

Magnates.

Magnates regni ſine juſſu Regis non peregrinantur, jubentur quandoque commorari in urbibus. 10. 37 n 5
Magnates & ſupremi Palatini Magiſtratus, quibus muneribus liberarentur. 12 6. n 7
Magnates & illuſtres viri magis laude ducuntur, quàm ſpe alicujus præmij. n 8
Magnates quem ordinem ſervent in ſeſſione. 12. 8 n 14
Magnates & Primores regni à Rege honorantur: à ſubditis quibus nunc titulis decorentur. n. 19 20
Magnates habent juriſdictionem, non poſſunt tamen avocare cauſam. n. 21
Magnates & Duces Hiſpaniæ quam prærogativam habeant. 12. 1. n. 16
Quando dignitates ſuæ titulæ utantur filij Magnatum. n. 24. 25
Magnates Hiſpaniæ detinent & uſurpant vectigalia, ex ſola tolerantia. 10. 16. n. 9

Majeſtas.

Majeſtatis eſt Duces & Comites creare, quales olim & nunc, & quot dominia habere debeant. 12. 1 n. 11 12. & ſeqq.
Majeſtas Regia injurias contemnit, & ob maledicta pœnam remittit. 9. 7. n. 2. 4
Majeſtatem Divinam qui lædunt, ut blaſphemi, quâ pœnâ afficiantur. n 6. 7

Majeſtatis

Digitized by Google

Majeſtatis crimen quod, cui ſimile, in quos committatus. 9. 8. n. 2. 3. 4. 5

A quibus. Singularia in hoc crimine. n. 6. 7. 8. 9

Pœna, etiam in filios reorum ſtatuta, etiam in natos ante reatum patris. n. 16. 17. 23

Majeſtatis rei a die commiſſi criminis nobilitatem & bona perdunt. 12. 1. n. 70. 71

Majuma.

Majumæ ludus obſcenus, prout & ludi in feſto Flore per meretriculas repræſentabantur. 11. 45. n. 1. 2. 3

Majumæ ludi prohibiti, iterum reſtituti, ſi in his caſtitas ſervetur. n. 4

Majumæ feſtum quo modo nunc in Hiſpania celebretur: admittere debet Magiſtratus honeſtas civium feſtivitates. n. 6. 7

Mala fides.

Malam fidem non purgat longiſſimum tempus. 7. 39. n. 16

Mala fides auctoris nocet cuicumque ſucceſſori. 7. 31. n. 4

Mala fides auctoris nocet hæredi & legatario. 7. 33. n. 7

Maleſici, Mathematici.

Maleſici qui dicantur, & quâ pœnâ puniantur. 9. 18 n. 1. 2

Maleficis & ijs qui cum dæmone pactum ineunt, capitalis pœna infligitur. n. 3

Mathematici qui hic damnentur, & quâ pœnâ afficiantur, & qui eos conſulunt. n. 4. 5. 6

Mancipes, Manſiones.

Mancipes mancipati ad cuſtodiendum curſum publicum. 12. 51. n. 6

Manſiones quoque curabant equorum & pabula. *Ibid.*

Rerum Mancipi & nec mancipi ſublata differentia. 7. 31. n. 5

Mandare, Mandatum.

Mandatum quid, quotuplex, quot modis contrahatur. 4. 35. n. 1. 2. 3

Mandare qui poſſint, vel non, & quibus mandari. n. 4. 5

Mandantur res honeſtæ: Quid ſi quis mandet hominem vulnerari. n. 6. 7

Mandati actio directa cui, & contra quem, & ad quid detur. n. 8

Mandatarius an teneatur de omni culpa: Quando ad uſuras. n. 9. 10. 11

Mandati actio contraria cui, & ad quid, & adverſus quos detur. n. 12. 15

Mandati actio etiam fidejuſſori datur, contraria poſt ſolutionem. n. 20. 22. 23

Mandatum quibus modis finiatur. n. 24. 25. 26. 27

Mandato opus habent procuratores, num etiam conjunctæ perſonæ. 2. 13. n. 13. 16. 17

Mandatum ſpeciale quænam requirant. n. 21

Mandans expreſſe verberare, ſi mors ſequatur, an teneatur pœnâ ordinariâ. 9. 16. n. 20. 21

Manumiſſio.

Manumiſſio quid, quot modi manumittendi 7. 1. n. 1. 2. 3

Manumiſſionis teſtamentariæ & fideicommiſſariæ diſcrimen. 7. 2. n. 1

Manumittere quâ ætate quis poſſit teſtamento. n. 3

Manumitti poteſt communis ſervus. Quid, ſi unus partem ſervo leget. 7. 7. n. 1. 2

Manumitti poſſunt ſervi Reipublicæ; effectus ejus. 7. 9 n. 1. 2

Manumiſſio à quo fieri debeat, & quâ ætate. 7. 10. n. 1. 2

Manumiſſio in fraudem creditorum facta nullum habet effectum. 7. 11 n. 1. 2. 3. 4

Manumiſſionibus quædam communia. 7. 15. n. 1

Manumiſſioni quæ non obſtent. 7. 16. n. 7

Maritus.

Maritus pro uxore non convenitur, ſecus de conſuetudine. 4. 12. n. 1. 2

Maritus debitor ob adminiſtrationem obſtringitur, non uxor. n. 4

Maritus ex cauſa primipilari obſtrictus, tenetur & ejus uxor. 12. 63. n. 4. 5

Maritus dotem vindicat tanquam civilis dominus. 3. 32. n. 2

Maritus an ſit verus dotis dominus. 5. 12. n. 1

Marito ad inopiam vergente, mulier dotem vindicare poteſt. n. 2

Maritus uxori conſtante matrimonio non rectè donat. 5. 16. n. 1. 2. 3. 4

Maritus rem mulieri donatam an rectè oppignoret. n. 13

Maritus quando teneatur dotem reddere. 5. 18. n. 6

Maritus ſi uxorem adulteram occiderit an dotem lucretur. n. 17

Maritus, ſi dotem reſtituat ſine cauſa, fructus repetit. 5. 19. n. 1

Maritus non cogitur dare uxori fidejuſſores ſervandæ dotis. 5. 20. n. 1. 2

Maritus, etſi fundi dotalis dominus, non poteſt eum alienare. 5. 23. n. 1. 2

Maritus nihil juris habet in paraphernis, niſi uxor patiatur. 5. 14. n. 9. 11

Maritus tributa ſolvit de rebus dotalibus. 10. 17. n. 34

Mater.

Mater pro debitis filij non convenitur. 4. 12 n. 5

Mater an filiam dotare teneatur. 5. 11. n. 14

Mater filijs quomodo tutores det. 5. 29. n. 3. 5

Mater tenetur filijs naturalibus tutores petere. 5. 31. n. 2

Mater & avia quando tutrices eſſe poſſint. 5. 35. n. 1. 2

Mater ſi vidua fiat, aut luxurioſe vivat, an rea ſumat tutelam. n. 3. 6

Matris renunciatio an præjudicet liberis quoad ſucceſſionem. 6. 20. n. 17

Mater hæretica ſi ſit, alendi ſunt liberi apud patrem fidelem. 5. 24. n. 4

Materna origo non alligabat filium Curiæ. 10. 31. n. 36

Matri qui liberi ſuccedant, quæ partes hæreditatis illi dentur. 6. 57. n. 2. 5. 6

Matri illuſtri, filij ſpurij non ſuccedunt. n. 3

Medici.

Medici neceſſarij, curare debent æquè pauperes ac divites. 10. 52 n. 11. 13. 14

Medico paciſci non licet cum infirmo, quid, ſi iterum in morbum reincidat. n. 15. 16. 17

Medicus tenetur periculum mortis ægroto indicare, an ab hæredibus ſalarium exigere poſſit. n. 18

Medici, qui intra numerum ſunt, fruuntur privilegijs. n. 19

Medicorum exploranda doctrina, & quare. n. 21

Medicus imperitus graviter punitur. *ibid.*

Medici Principis cur Comites dicti, illorum triplex ordo, & neceſſitas. 12. 13. n. 1. 4. 5

Mendici.

Mendicantes validi & debiles qui. 11. 25. n. 1

Mendicis ſubveniendum, item miſeris & lapſis facultatibus. n. 2. 12

Mendicantes cur inſpiciendi; validi & robuſti addicuntur ſervitijs. n. 3. 4. 5

in Mendicantes fiebat inquiſitio; validi quomodo & à quo coërcerentur. n. 6. 7. 8

Mendici validi quâ nunc pœnâ coërceantur. n. 9. 10

Mendicitas & prodigalitas varijs legibus coërcita. n. 11

Miſeris Regioſis, & quibus permiſſum mendicare, ſubveniendum. n. 13. 14

Menſores.

Menſores qui, & qui nunc ita appellentur. 12. 28 n. 1

Menſorum officium, & de eorum Primicerio. n. 2. 3

Menſurarum ac ponderum origo, & de Ponderatore. 10. 71. n. 1. 2

Merces.

Merces ad hoſtes deferre prohibitum. 12. 45. n. 1

Merces devecturi, notificent in quem locum eas deferent. n. 2

Digitized by Google

Merces annotare utile reipub. & ne exportentur quibus opus habemus. *n.* 3

Merces corruptas commixtas cum incorruptis, an ſit licitum vendere. 10.16.*n.*5

Meretrix.

Meretrix turpiter facit quod ſit meretrix, non tamen turpiter accepit. 4.7 *n.*1

Meretrix an poſſit agere ad id quod ſibi promiſſum. *n.* 2

Meretrici donatio facta an valeat; & quid ſi à milite fiat. 8. 54. *n.* 11

Metallarij, Metalla.

Metalli appellatio quid comprehendat. 11.6.*n.*1

Metallarij qui, huic conditioni perpetuò obnoxij. *n.*2

Metallarij corpus faciebant, qui præficerentur. *n.* 3

Metalla ex quibus provincijs fodienda. *n.*4

Metallorum fodinæ an ſint juris publici. *n* 5

Metallorum fodinas Princeps ſibi reſervat. *n.* 8

Metalla effodere quatenus privatis permiſſum. *n* 9 10.11

Metallorum venæ & fodinæ quovis loco inventæ Regibus cedunt. *n.* 16. 17. 18

Metalla quærere & effodere invito domino, quando liceat. *n.* 19. 20. 21. 22. 23

Metallicam venam qui invenit, & jus fodiendi habet, an poſſit eam ſubtus, invito vicino, proſequi. *n* 24. 25

Metatores, Metata.

Metatores qui, cur Gallice *Fourriers* dicti. 11.41 *n.* 2

Metatorum munus in militia, & in caſtris diſponendis & vallandis. *n* 2

Metatores, militibus ad bella proficiſcentibus, ubi hoſpitia parabant *n* 4

Vetitum occaſione tranſitus militum, per concuſſionem quippiam accipere *n.*5.6

Metatores quomodo inter dominum & militem hoſpitium dividant. *n* 7

à Metatis an liceat civibus, datâ pecuniâ, ſe redimere. *n.* 8

Metata plura exigere quàm opus ſit, grave damnum. *n.* 9

à Metatione immunes qui ſint, & quid de domibus Regijs & Prætorijs. *n.* 10 11

Metatorum pœna, & eorum qui pecuniam extorquent. *n.* 12. 13

Metœci.

Metœci qui ſint, cur cogerentur bona ſua vendere, antequàm migrarent. 10.1.*n.*32

Mœtici à Principe concedebatur bona retinere, & hæredes exiſtere ſuis parentibus. *n* 33

Metrocomia.

Metrocomia quid ſit, quibus aſſignaretur & prohiberetur alienatio. 11. 55.*n* 1

Metrocomiæ habitatores Clericis ſuas poſſeſſiones vendere prohibentur. *n.* 2

Metropolis.

Metropolis eſt Berytus, unà cum Tyro, nec huic per hoc detrahitur. 11.21.*n.*1

Metropoles plures eſſe poſſunt in una provincia, ſic ut ſcindatur in partes. *n.* 2

Metropolis fieri non poteſt nec dividi ſine aſſenſu Pontifi[illegible] & Principis. *n* 3

Metropoles civitates in Belgio, quomodo ibi unitæ ſint Provinciæ. *n.* 4. 5

Metus.

Metus & doli diverſa ratio. 2.21.*n* 7.8

Metus cur non reddit contractum nullum, prout dolus. *n.* 8

Metus & vis differentia. 2. 20. *n* 2

Metus cur matrimonij contractum irritat. *n.* 5

Metus quis ſufficiens ad reſcindendum contractum, *n.* 6

Metum ſola dignitas vel reverentia non infert. *n* 7

Metus juſtus, præſens cum atrocitate facti conjunctus. *n.* 8

Metus quomodo probetur, quæ ex eo actio detur, cui & contra quem. *n.* 9. 10 11

Metum excludit novus conſenſus ratihabitio. *n.* 15

Militantes.

Militantes in rebus & militantes in ſcrinijs qui. 12. 20. *n.* 1

Militantes in ſacris ſcrinijs recenſentur varij. 12. 19.*n.*4.8

Militantium nullus duplici officio fungi poterat. *n.* 5

Qui ex Militantibus in rebus poſſent alios in ſuum locum ſubrogare. *n.* 5

Adjutores promoti ad Laterculenſis gradum non poſſunt alios ſubrogare. *n.* 6

Militantes ſenes cur retinendi in officijs. *n* 15

Militantes in ſacris ſcrinijs quibus privilegijs fruerentur, & ad quos honores eveherentur. *n.* 21.22

Militantes quando, & coram quo convenirentur. *n.* 17. 18. 19.

Militantes in ſacro palatio erant varij, de quibus. 12. 29. *n.* 1. 2

Militantes in palatio quibus muneribus liberentur, privilegijs fruantur. *n* 3.7.8 9

item Militantes primicerij facti, & uxores illorum. 12. 30. *n.* 8, 10. 11

Miles, Militia.

Militia duplex, armata & inermis. 12. 34. *n* 1

Milites armatæ militiæ credant ſe juſtè militare, & ſe poſſe hoſtem occidere. *n.* 2. 3

Milites probati in militiam recipiendi, qui rejiciendi. *n.* 4 5. 6. 7.

Militare cur prohibeantur mercatores, & milites negotiari. 12. 35. *n* 1. 2

Milites prohibentur in provincia in qua merent prædia comparare *n* 3

Militiæ non adſcribebantur niſi nobiles & honeſtiores cives; qui nunc. *n.* 8. 10

Milites gregarij, cur caligati dicerentur. *n* 9

Militaris diſciplina maxime ſervanda, habendus militiæ delectus. 12. 36. *n.* 1. 2. 3

Milites probandi; minùs accurata probatio quæ hodie fit. *n* 4

ad Militiam an ſint inviti cogendi. Qui Voluntarij milites & Dati. *n* 5. 6

Militares copias ex internis colligere tutius quàm ex externis *n.* 7

Militum externorum duces provincias plerumque exhauriunt. *n* 8

Milites a furtis & ſceleribus ſe temperare debent. *n.* 9

Milites in caſtris continendi, ad alios numeros non transferendi citra Principis facultates. *n* 10.11.12.13

Militiæ pedeſtris magna vis, in exercitio & officio continendi milites *n.*14 15.16.17

Militares exercitationes à Ducibus belli promovendæ, *n.* 18

Militum copias alere debet Princeps qui diverſas ditiones habet. *n.* 19

Militum privilegia varia recenſentur. *n.* 20. 21. 22. 23. 24

Militum ſtipendia & quando accipienda, & quid ſi capti ſint ab hoſtibus. *n.*26.27.28

Milites vel legati ab hoſtibus capti à quo redimendi. *n.* 29

Milites ſacramento ſoluti & honeſte miſſi quam immunitatem habent. *n* 30 31.32

Milites delinquentes quibus pœnis afficiantur. *n.* 33. 34. 35. 37. 38

Miles quid ſi Tribuno reſiſtat, & Tribunus in caſtigando excedat *n.* 36

Militum Præfectus arcem tenens, amittens, muniens invito Principe, quâ pœnâ puniatur. *n.* 39. 40

Militum transferentium ſe ad hoſtes, item exploratorum pœna. *n.* 41, 42

Et quæ in ſeditioſos; quando in auctores animadvertatur. *n.* 43. 44

de Militaribus judicibus, & judicijs, plura ibid. *n.* 49. & *ſeqq.*

de Militari teſtamento. Vide teſtamentum infrà.

Militiæ præfectus, an poſſit ad expeditionem ex vicino loco militem cogere. 11.1.n.23

Minor.

Minor reſtituitur læſus probatâ ætate & læſione. 2. 22 n.1.2.3
Minor non ob omnem læſionem reſtituitur. n.4.5
Minor quando non reſtituatur, & contractus ab eo geſtus teneat n.7
Minoris reſtitutio an patri ejus proſit 2.23.n.3
Minor filiusfamil. an reſtituatur ex ſuo contractu. n.1.2
Minor reſtituitur in iis cauſis in quibus tutor intervenit. 2.25.n.1
Minoris reſtitutio non prodeſt ejus conſorti. 2 26 n.1
Minor reſtituitur adverſus contractum, niſi eum ſervaturum juraverit 2.28.n.1.2.
Minor ex variis aliis cauſis reſtituitur, de quibus. 2. 29 n.30.31.32.33.34
Minor adverſus delictum ſub diſtinctione reſtituitur. 2. 35. num.1
Minor reſtituitur cauſâ rogatâ adverſus fiſcum. 2.37. n.1
Minor mutuum accipiens quomodo reſtituatur. 2.38 n 1
Minori qui hæreditatem gravatam adivit reſtitutio datur. 2.39. n.1
Minor ſi lucroſam hæreditatem omiſit, reſtituitur. 2. 40 num.1
Minor an poſſit eſſe judex. 3 1. n 4
Minor 25. annis an procurator eſſe poſſit. 2.13. n 9
Minor conveniri poteſt ex mutuo in ipſius rem converſo. 5.39. n. 1.

Moderamen.

Moderamen inculpatæ tutelæ in quo conſiſtat. 9.17. n 4
Moderata defenſio permiſſa ſi invaſus non poſſit aliter periculum evadere. 9.16. n 36
Moderamen inculpatæ tutelæ ſi provocatus exceſſerit punitur. n. 37
Moderata caſtigatio ſervi Domino eſt permiſſa. 9. 14. n. 1. 2

Modus.

Modus quid, & in quo differat à cauſa & conditione. 6. 45. num. 1
Modus qua cautione implendus à Legatario. n. 2
Modus quando ſit inſtar conditionis. Quando implendus. n.3.4.5
Quæ actio ex modo naſcatur. n. 6

Monachus, Monaſterium.

Monachi bona ad Monaſterium tranſeunt, & uſusfructus. 1.2. n 13.14
Monachus ante ingreſſum poteſt teſtari, & poſt bona ſua dividere. n. 15
Monachus quis dicitur poſt profeſſionem, ante eam quid poſſit, & quid ſi moriatur. n.16.17
Monaſterio acquiruntur bona profitentium. n. 18
In Gallia & aliis provinciis remanent profitentium bona penes proximos ab inteſtato. n. 19
Monachi ex teſtamento ſuccedere non prohibentur, & quomodo. n 19
Monachi & Clerici iiſdem privilegiis gaudent. n 20
Monaſterium bonorum capax, non excludit ſubſtitutum. 6 49. n 14
Monacho ſi data facultas habendi quid proprij, an de eo teſtetur. 6.22. n.20

Moneta, Monetarij.

Moneta à monendo cur dicta, quæ prohibita. 11. 10. n. 1. 2. 3
Monetam cudere ſolius eſt Principis. n.4 5
Monetæ cura & veneratio magna apud veteres. n. 6
Monetæ bonitas alia intrinſeca, alia extrinſeca. n. 11
Monetam abrogare vel detrahere non licet. n. 14
Monetam corrumpere non debet Princeps ut ærarium ſuum augeat. n 15 16
Monetæ valor ſi augeatur, augentur & rerum pretia. n. 17
Monetarij Principis monetam cudunt, eorum conditio certa. 11.7. n 17 18
Monetarij falſam monetam fabricantes committunt crimen læſæ majeſtatis. n.19.20
Monetariorum corpori plures erant officinatores adſcripti, qui ſuberant procuratoribus monetæ. n.21.22
Monetarij filia cur prohiberetur extraneo copulari. n 23
Monetæ artifices hodie honeſtæ ſunt conditionis, & immunitate gaudent. n.24.25

Monopolium.

Monopolia vendentium improbantur. Quæ pœna. 4. 49. n 1. 2
Monopolia quando exercere liceat. n. 3

Mora.

Mora quando ex re vel ex perſona fiat. 4 31.n 26
in Mora an debitor conſtituatur unica interpellatione. n.27.28
Mora quomodo purgetur. n. 29
Mortui illatione locus fit religioſus. 3.44 n.6

Morbus.

Morbus excuſat à muneribus, & quis. 10.50 n 1 2
Morbus patris non excuſat filios, nec omnis debilitas. n. 3
Morbus ipſa ſenectus, omnium malorum officina. n. 4
Morbo ſi laboret is cui urbis regimen eſt commiſſum, an ſalarium accipiet. n. 5

Mulcta.

Mulcta unde dicta, qui differat à pœna. 1.54. n.1
Mulctare qui magiſtratus poſſint. n. 2
Mulcta publicis operibus aut fiſco applicatur. n 3
Mulctarum modus: effectus: quomodo mulcta dicenda, & an remitti poſſit. n.4.5.6.7

Mulier.

Mulier num in judiciis teſtis eſſe poſſit. 4.20. n.2
Mulier cur in teſtamento teſtis eſſe prohibeatur. 6. 23. num.12.
Mulier quæ præpoſuit, tenetur ex contractu cum magiſtro navis inito. 4 25.n 6
Mulieri ſubvenitur ex interceſſione ſua. 4.19. n.2
Mulier ſi propriam ſuſcipiet obligationem, non juvatur. num 5
Mulier & vir ſi pro alio intervenerit, cur fiat ſubducto perſonæ fœminæ.
Mulier ſi pro marito interceſſerit, cur non valet interceſſio. n. 13. 14 15
Mulier quâ pœna afficiatur nubens intra annum luctus. 5.9 n 2.1
Mulier tranſiens ad ſecundas nuptias, quæ reſervare teneatur liberis. n. 5
Mulier an præferatur creditoribus expreſſam hypothecam habentibus. 5.12. n 19
Mulier ratione dotis habet jus tacitæ hypothecæ. n.18.21
Mulieri hoc jus competit etiam in matrimonio putativo. num 22
Mulier an poſſit legatum à marito relictum & ſimul dotem petere. 5.13. n.12
Mulier adultera an amittat paraphernalia & dotem. 5. 18. n.18 19
Mulier tutelæ officio non fungitur, exceptâ matre. 5. 35. num 1
Mulier conjugata an teſtamentum facere poſſit; & Quid juris hodie. 6.22. n. 17.18
Mulier impudicè vivens dote vel legato privatur. 9. 9. n 14 40
Mulieres quæ ſe propriis ſervis junxerunt quâ pœnâ afficiantur. 9.11. n 1.2
Mulieri raptæ bona damnati acquiruntur, niſi fuerit ancilla. 9 13. n. 5
Mulier nobilis nupta plebeio efficitur plebeia 10. 39 n.13
Mulier in cauſa criminali convenitur in foro mariti. n. 14
Mulier patrimonialia munera ibi ſuſtinet, ubi bona poſſidet. 10.62. n.1

Mulier

Digitized by Google

Habitatio differt ab uſufructu, & uſu, & recipit jus accreſcendi. n. 37

Habitatio negotiandi cauſa non facit incolam, licèt ibi forum ſortiatur. 10. 39 n. 5. 6

Haſta

Haſtæ fiſcalis jus, quid ſubhaſtatio, & in quibus rebus procedat 10. 3. n. 1

Subhaſtationis ſolennitas; quis eam decernat; quando plus offerenti res addicatur. n. 2. 3. 4. 5.

Hæres, Hæreditas.

Hæredes alij neceſſarij, alij ſui & neceſſarij, alij extranei. 6. 27 n. 1.

Hæredes inſtituendi ſunt liberi, vel exhæredandi. 6. 28. n. 1

Hæreditas aditur ſolâ voluntate, quando jus adeundi in hæredes tranſmittatur. 6. 30 n. 6. 19

Hæredis ſui & extranei differentia quoad aditionem & tranſmiſſionem hæreditatis. n. 21

Hæreditatem adire qui poſſint, delatam infanti acquirit pater. n. 22. 25

Hæres per aditionem in jus omne defuncti ſuccedit, & in totum fit hæres, licet ſubſtitutum in parte habeat. n. 30. 31

Hæreditatem pupilli qui agnovit, per hoc teſtatoris etiam hæreditati admittendæ obſtringitur. n. 32

Hæres onera hæreditaria ſubire & actiones ſuſcipere cogitur. n. 33

Hæredes plures ſi ſint, quiſque pro parte ſua obligatur. Quid conſuetudo obtineat n. 34

Hæreditas omittitur vel amittitur abſtinendo vel repudiando 6. 31. n. 1. 2

Hæres filius an poſſit legitimam retinere & repudiare hæreditatem. n. 6. 7

Hæreditate repudiatâ quando pars poſſit retineri. n. 5. 9

Hæres inſtitutus poteſt à Judice mitti quandocumque in poſſeſſionem. Quid, ſi ad eam plures concurrant, & paria jura habeant. 6. 3. n. 1. 2. 8. 9

Hæres alienare non poteſt legata vel fideicommiſſa. 6. 41 n. 7. 8

Hæres ſi juſſus ſit reſtituere, quod ſibi ex hæreditate ſupererit, cum morietur. n. 11

Hæres quando teneatur de uſuris & fructibus legatorum. 6. 47 n. 1.

Hæreditate reſtitutâ non deſinit is qui reſtituit, eſſe hæres. 6. 49 n. 1

Hæreditariæ actiones ex S. C. Trebell. in quem tranſeant. n. 2. 3

Hæreditaria onera quatenus ſuſtineat qui ſponte adijt hæreditatem. n. 4. 5. 6

Hæreditas non adita cur non tranſmittatur. 6. 52 n. 1

Hæreditas non adita quando tranſmittatur ex jure deliberandi. n. 2

Item ex potentia ſuitatis, ſuus ad quoſcumque hæredes hæreditatem tranſmittit. n. 3

Hæres cavere debet de præſtando legato poſt eventum conditionis. 6. 54. n. 1. 2. 3

Hæredes ejus qui ad munus publicum electus eſt, & poſtea mortuus, an tale munus continuare teneantur. 10. 68. n. 1

Hæredes plures an poſſint habere juriſdictionem, vel officium unum. 10. 69. n. 6. 7.

Hæreditas quatenus vendi poſſit, & quæ ſequantur emptorem. 4. 39. n. 1. 14

Hæreditate venditâ, an actiones & nomina tranſeant in emptorem. n. 3. 4

Hæreditatis venditor tenetur rem tradere, item creditoribus hæreditarijs. n. 56

Hæreditate vendita, an jus accreſcendi tranſeat in emptorem. n. 15

Hæredes tutorum quando ex perſona defuncti conveniantur. 5. 54 n. 1. 2. 3

Hæreditate privatur non curans teſtatorem ægrotum. 6. 35. n. 1

Hæreditate etiam privatur, qui teſtamentum oppugnat, nec implet voluntatem defuncti, nec ejus necem vindicat, & qui ingratus eſt. n. 1. 5. 6. 7

Hæreditas adulteræ & uxori inceſtuoſæ & alijs indignis denegatur. n. 3. 4

Hæreditas filio delata, an ob crimen patris, fiſco applicetur. 9. 8 n. 24

Hæretici.

Hæretici qui cenſeantur, qui eorum judicet. 3. 5. n. 1

Hæreticorum pœnæ canonicæ & civiles. n. 2. 3

Hæreſis Manichæorum damnata, quæ eorum pœna. n. 4. 5

Hæreticorum bona quibus applicentur, & de Samaritis. n. 6. 7. 8.

Hæretici & Judæi ad decurionatum vel alium honorem aſpirare prohibentur. 10. 30. n. 8

Homicidium

Homicidium quid, in quos committatur, qua lege vindicetur. 9. 16 n. 1. 2. 3

Homicidij pœna; an puniatur conatus, quando capitis pœna obtineat. n. 4. 5. 6. 7. 8

ab Homicidij pœna qui immunes, an minor ætas, vel ebrietas excuſet. n. 9. 10

ab Homicidio non eſt facile concedenda remiſſio, à Principe erit petenda. n. 11

Homicidium præſumitur commiſſum dolo, quem abfuiſſe probabit reus. n. 12

Homicidium quando præſumatur dolo commiſſum, ibi de poculo amatorio n. 13. 14. 15

de Homicidio an teneatur vulnerans, ſi alius superveniens occidat. n. 17

Homicidium mandans an pari pœna teneatur qua mandatarius. n. 18. 19. 20

Homicidium conſulens, ei auxilium dans, aut ratum habens, ut puniatur. n. 22. 23. 24. 25

Homicidium à pluribus commiſſum quomodo puniendum. n. 26

Homicidio patrato in rixa plurium ſubito orta, ſi de auctore non appareat, vel dubitetur, quâ pœnâ puniatur. n. 27. 28

An qui lethale vulnus inflixit in rixa, teneatur pœnâ ordinariâ. n. 29. 30

Indignus judicatur interficiens hæreditate occiſi, & ſi frater fratrem occiderit. n. 31. 32

Si maritus in adulterio uxorem occiderit, qui puniatur & quibus actio acquiratur. n. 33

Homicidij involuntarij nulla pœna, ſi moderamen inculpatæ tutelæ ſervetur. n. 34. 35. 36. 37

Homicidij caſualis exempla, & qui puniatur. n. 45

An occidens Titium quem putabat eſſe Cajum, ſit pœnæ legis obnoxius. n. 46

Homicidium publicâ auctoritate commiſſum licitum eſt. n. 47

Quando liceat ſibi jus dicere ſeque defendere adverſus aggreſſorem, eumque occidere. Vide. 3. 27 n. 2. 3. 4. 5.

Qui mortem ſibi conſciverunt, quâ pœnâ puniantur. 9. 50. n. 1. 2. 3. 5

Honor

Honor & honores accipiuntur pro functione publica. 10. 40. n. 1.

Honores gradatim deferendi, conſiderantur perſonæ conditio, ætas, origo, facultates. n. 2

Honores in eadem familia continuare non oportet n. 3. 7

ad Honores promoveri ſolent nobilium filij, & in paterno munere ſuccedere. n. 6

Honorum & munerum continuatio, & iteratio fieri poteſt ex neceſſitate. Quid hodie ea in re obſervetur. n. 11. 12. 14.

Honorem qui ſponte agnovit, immunitatem non amittit. 10. 43. n. 1

Ab honoribus rejiciuntur obſcuro loco nati, libertini, mercatores; Quid de his hodie. 12. 1. n. 35. 36. 37

Hypotheca,

Digitized by Google

Hypotheca.

Hypotheca & pignus differunt, quis finis utriuſque. 8.14 n. 1. 8
Hypothecaria non prius utitur creditor, quam principalem excuſſerit. n.14.15
Hypothecaria cum creditor experitur, quid probare debeat. n 16
Hypothecariam generalem habens præfertur habenti ſpecialem poſteriorem. n 17
Hypothecaria actio quando extinguatur, manente ſalva hypotheca n. 32
Hypothecæ tacitæ effectus, quod rem afficiat, & tranſeat cum ſuo onere. 8 15 n.14
Hypothecæ tacitæ jus in quibus cauſis,& quibus perſonis competat. n.9 10.11.12.13
Hypothecariâ actione agit uterque, ſi utrique res ſit pro parte obligata. 8 18 n 2
Hypothecam habens prius,is potior habetur. n.4.5.6
Hypotheca generalis prioris creditoris præfertur ſpeciali poſterioris n 7
Hypothecam ſpecialem habens, interdum eum qui generalem,ſed poſteriorem accepit,antevertit n. 8
Quid juris, ſi plores concurrant, vel privatus cum fiſco, vel privilegiati. n 10.11.12
Hypotheca quid ſi conſtituta ſit à non domino, cui poſtea dominium acceſſit n. 17
Hypothecam tacitam qui habeant: & An mulier in repetitione dotis ſuæ præferatur omnibus creditoribus.n.18. 19.20.21.22
Hypothecam tacitam licet fiſcus habeat in bonis ſui creditoris,non tamen habet pro pœnarum perſecutione. 10. 7. n. 5

I.

Ignorantia.

IGnorantia alia juris, alia facti. 1.18 n.2
Ignorantia facti alia proprij, alia alieni, hæc probabilis. n.3 4.5
Ignorantia juris divini vel naturalis neminem excuſat. n. 6
Ignorantia juris civilis non prodeſt in lucris, ſed in damnis evitandis. n 7
in Ignorantia juris ſuccurritur militi, minori, mulieri, ruſtico. n 8

Immunitas.

Immunitas non conceditur a patrimonialibus. 10.25.n 1
Immunitatis privilegium non creditur conceſſum quod fiſco & aliis noceat. n 3
Immunitas non extenditur ad onera quæ tempore belli imponuntur. n 4.
Immunitate nemo gaudet tempore neceſſitatis. n. 6
Immunitatem habens à collectis, ſi eas ſolvat, ſibi non præjudicat in futurum. n 7 8
Immunes ad reparationem viarum, aggerum & ſimilium munerum adſtringuntur. n.9.10 11
Immunitatis jus concedi ſolet civitati, civibus deficientibus datur aliis. n.12.13.15
Immunitas in perpetuum data, cedit in incommodum concedentis. n. 14
Immunitas certis perſonis data, an hæredibus, & quibus cenſeatur conceſſa n. 16
Immunes qui fuerint à lucrativa deſcriptione, & quæ res ab onere aliquarum excuſentur. 19.35 n 1.2

Imperium.

Imperium per mare & flumina publica Reges exercent. 11. 12. n 8 9.10
Imperium mixtum, quid, in quo diſtinguatur à juriſdictione, & à mero imperio. n 20
Imperium merum num alteri mandari poſſit. Quid moribus. n. 21
Imperium merum quid ſit, & quid complectatur. 3. 13. num. 19
Imperium merum an jure Canonico ſit delegabile, & quid de mixto. n.22.23

Impubes.

Impuberi arrogato & ſine cauſa emancipato quarta debetur. 8 48. n 10
Impubes torqueri non poteſt. 9 41. n.32
Impubes teſtis eſſe nequit. 4.20. n 2
Impubes teſtari prohibetur. 6.22. n.1

Inceſtus.

Inceſtus cum quibus perſonis committatur. 5.5. n 2
Inceſtus juris gentium à civili diſtinctio n. 10
Inceſtas nuptias contrahentium pœna. Quid, ſi non ſint conſummatæ. n 11.12.14
Inceſtuoſi an ſint alendi. n. 12
Inceſtus crimen, ſi abſque matrimonio committatur, quæ pœna. n 16

Incola.

Incola,advena,civis & municeps quis dicatur. 10.39 n.1
Incolæ non fiunt ſtudioſi, niſi decennio alicubi habitaverint. n.2.5.6
Lapſus decem annorum non ſufficit, quamdiu conſtat de animo redeundi. n. 5
Incolatus ut aliquem adſtringit muneribus, ita iiſdem obligatur & Judici ſubjicitur. n 17.18.19.20
Incola qui fuit tempore contractus, an pro debito civitatis conveniri poſſit ſi alio in loco nunc habitet. n.21.22

Indebitum

Indebitum quid dicatur,& quando id poſſit repeti. 4 5.n.3
Indebitum ex perſona dantis & accipientis quomodo æſtimetur. n 12
Indebiti quantitas æſtimatur ex perſona pupilli & illius cui ſolvitur. n. 13
Indebitū errore juris aut facti ſolutum an repeti poſſit n 14.
de Indebito cui incumbat probatio n. 22

Indicium.

Indicium quid, quod ſufficiens dicatur ad torturam. 9. 41. num 4
Indicium unicum an ad torturam ſufficiat. n. 5.
Indicium probandum per duos teſtes habiles. n 6.7
Indicium ſufficiens an ponat fama, & res reperta in loco perpetrati delicti. n 9.10
Indicium an ponat fuga, quando purgari id poſſit. n. 11. 12. 13
Indicium hoc an valeat, ſi reus convictus ſocium criminis nominavit. n. 14.
Indicium veriſimilia quæ dicantur. n.16.17.19
Indigni relicto qui habeantur. 6.35. per tot.

Induciæ.

Induciæ quinquennales qualiter debitoribus concedantur. 1 19 n 5.6
Induciæ iſtæ an proſint fidejuſſori. Quid, ſi renunciaverit. n.8.9

Infamia, infames.

Infamia facti & juris quando irrogetur, & quibus ex cauſis. 2.12. n 1.2 3.4.5
Infamia irrogatur ob latam culpam, ob perfidiam, delictum, damnationem. n.6 7.8.9
Infamia in famoſis judiciis damnatum ſequitur, perpetuò durat. n.12.13
Infamia quibus caſibus irrogetur, aboleatur, quis ejus effectus. n.14.15,16
Infames ab honoribus arcentur, & onera ſubeunt. 10.57. n. 1. 2
Infamis admiſſus ad honores removetur; an per eos qui eum elegerunt. n 4
Ob inopiam hominum poſſunt viles homines obtinere officia publica, ſi per ſe viles artes non exerceant. n.5 6

Infantes expoſiti.

Infantes exponere à parente crudeli & indignus patriâ poteſtate. 8 52 n 1

Infans.

Infans expoſitus manet liber : expenſæ in eum factæ, jure repetuntur. n. 3
Infantem expoſitum ſi fur ſuſceperit, cur alimenta non repetat. n. 4
Infantes expoſiti quorum parentes iis alendis non ſufficiunt, à quibus ſint alendi. n. 5

Ingenuus

Ingenuus quis dicatur : an manumiſſio officiat ingenuitati. 7 14. n. 1
Ingenuitati quæ non noceant ; quomodo illa probetur. n. 2. 3. 4

Injuria.

Injuria quid, quando committatur re, vel verbis. 9.35. n. 1
ad Injuriam requiritur animus injuriandi : quando præſumatur. n. 2
ab Injuria excuſat ætas, furor ; an & ebrietas, an veritas convitij.
Injuriarum an teneatur defendendi ſui cauſâ quid objiciens. n. 4
Injuriam non tollit præfatio honoris. n. 7
Injuriam retorquere poteſt provocatus. n. 8. 10
Injuriarum actio privata eſt, & per compenſationem tollitur. n. 9
Injuriam per quas perſonas pati quis dicatur. n. 11. 12. 13
Injuriæ pœna quæ ſit ; quomodo poſſit agi civiliter & criminaliter. n. 16. 17
Injuria quando tollatur & aboleatur. n. 18. 19. 20
Plena ſatisfactio quomodo hodie fiat, & de actione ad palinodiam. n. 21. 22
Injuria non aboletur ſalutatione, reconciliatione, pœnitentiâ. n. 23. 24
Injuria ſemel remiſſa non repetitur, ſed ſupereſt actio civilis ad intereſſe, expenſas. n. 25

Inimicitia

Inimicitia præbet nominato ad munera juſtam cauſam appellandi 10. 66. n. 1
ob Inimicitias recuſatur Judex & teſtis. n. 2
ab Inimico reconciliato cavendum. ibid.

Inquiſitio.

Inquiſitio quid : quando inſtituenda per Judicem 9. 2. n. 1. 21
Inquirere an Judex poſſit ſine accuſatore, & quod ejus officium. n. 22. 23
Inquirendum in crimina, etiam potentiorum ; ſed cautè Princeps procedat. 12. 23. n. 9
Inquiſitores criminum non ſtatim ea divulgent, ſed probent n. 10. 11
Inquiſitores mittuntur in Hiſpania, qui inquirant in acta judicum & rectorum provinciæ. 12. 14. n. 6

Inſtitor.

Inſtitor quis ſit, & in quo à procuratore differat. 4. 25 n. 3
Inſtitor an poſſit litteras cambij acceptare n. 4
Inſtitoria actio in quibus cum exercitoria conveniat aut differat. n 11. 13
Inſtitor an finito officio teneatur. n. 12

Inſtitutio hæredis.

Inſtitutio hæredis quid, ejus forma, an nutu fiat, an certâ demonſtratione 6. 26. n. 1. 2. 3
Inſtitutio hæc an valeat, Sempronius Plotij hæres eſto. n 6
Inſtitutio collata in alterius arbitrium an valeat, an ſit captatoria. n. 7. 8. 9
Inſtitutio hæredis quatenus in tempus mortis conferatur. num 10
Inſtitui qui poſſint, qui prohibeantur. n. 11. 12
Inſtitutus in re certa, hæredis, an verò legatarij loco habeatur. n 13
Inſtitutio ſuper propriis bonis facienda. n. 14
Inſtitui unus aut plures poſſunt, ex certa parte aut partibus, n 15. 16
Inſtitui poſſunt hæredes purè & ſub conditione, non in diem. 6. 25. n. 1
Inſtitui extraneus poteſt ſub quavis conditione, filius non ſub alia quam poteſtativa, an & nepos. n 4 3
Quid, ſi filius inſtitutus & reſtituere rogatus liberos ſuſceperit. n. 13

Inſtrumentum.

Inſtrumentum, quid, aliud publicum, vel privatum. 4. 21. num. 1
ad Inſtrumentum publicum vel privatum quæ requiſita. n 2 3. 4. 5 6. 7
Inſtrumentorum materia, ſcripturæ probatio. n 9 10
Inſtrumento an obſit raſura, & falſitas in parte. n 11
Inſtrumento nedum perfecto licet pœnitere, & venditor non cogitur rem tradere. n. 12. 13
Inſtrumenti fides quot teſtibus probetur, & quibus modis oppugnetur. n. 14. 15. 16. 20
Inſtrumenta quando & ubi proferenda, & adverſario edenda. n. 17. 18. 19
Inſtrumentis quanta fides tribuatur ex comparatione litterarum. n. 21. 22. 23. 24
Inſtrumentum quando non liceat improbare, quid, ſi perditum ſit, an noceat parti. n 25. 26. 27. 29. 30
Inſtrumentum cancellatum inventum penes debitorem, inducit liberationem. n. 28

Interdictum.

Interdictum quid, unde dicatur, quo differat ab edicto, 8. 1. n. 2
Interdictorum formulæ nunc ſublatæ, actiones introductæ, coram quo agitandæ. n. 3. 4. 5. 8
Interdictum de arboribus cædendis quibus detur. n. 7
Interdictorum variæ diviſiones, finis. n 9. 10 11. 12
Interdictum quorum bonorum, an detur cuilibet hæredi, & contra quem, & ad quid 8. 2 n. 2. 3. 4. 5. 6. 8
Interdictum Quod legatorum, cui & adverſus quos detur, 8. 3. n. 1. 2. 3. 6. 7
Interdictum recuperandæ, quod *unde vi* appellatur, competit dejecto qui poſſidet. Item aliis, datur contra eos qui vi dejecerunt. 8. 4. n 1. 4. 5. 6
Interdictum hoc an detur contra tertium poſſeſſorem, & quid veniat reſtituendum. n 18. 19 21
Interdictum hoc an ceſſet, ſi notorius prædo ſpoliatus fuerit à domino. n. 27. 28
Quæ ſit pœna violentiæ poſſeſſoribus impoſita, & ad quos extendatur. n. 29. 30. 31
Interdictum uti poſſidetis quid, quis eo experiatur, an competat colono, creditori. 8. 6. n 1. 3. 4. 5
Interdictum hoc an detur dejecto vi de poſſeſſione, & hæredi, ceſſionario. n 7. 8. 9
Adverſus quos detur, & quibus in rebus locum habeat. n. 10. 11
Interdictum hoc quæ cauſa dandi. Quid, ſi uterque litigantium poſſideat & probet ſuam poſſeſſionem. n. 13. & 14
Interdictum de tabulis exhibendis, quibus detur, adverſus quos, & ad quid. 8. 7 n 1. 2 4. 5 6
Interdictum de liberis exhibendis, cui & adverſus quem detur. 8 8. n. 1. 2
Interdictum de libero homine exhibendo cur detur, quibus & adverſus quos. ibid n 8 9. 10. 11
Interdictum hoc quando ceſſet. An iterum detur illi qui eo egit. n. 12. 13
Interdictum de precario cur competat, quando ceſſet, quis effectus. 8 19. n. 3. 4 5
Interdictum hoc eſt perpetuum, datur hæredi, & contra hæredes ejus qui precario rogavit, n 7
Interdictum Salvianum unde appellatum, cui detur, & ad quid. n. 9.
Interdictum hoc cùm neceſſarium, cur extet actio Serviana n. 11. 13
Interdictum hoc adverſus quem detur, item utile Salvianum. n. 12. 13. 14

Intereſſe.

Id quod intereſt ex damno & lucro æſtimatur. 7. 47. n. 14
Id quod intereſt non excedit duplum in caſibus certis, quid in incertis n. 2

In id

Digitized by Google

in id quod intereſt agitur, ſi pretium ſit datum in venditione. num 8
Id quod intereſt in delictis æſtimatur, ultra duplum. n 10
An pœnæ conventionales poſſint excedere duplum. n 21.22

Inventarium.

Inventarium quid, ejus conficiendi forma & tempus. 6. 30. num. 8
in Inventario quæ res deſcribantur, & quis ejus uſus hodie. n. 9
Inventarii utilitas & effectus. n 11
Inventarij neglecti pœna. n 12
Inventarium ſi filius non conficiat, an perdat legitimam. n. 13.14
Item hæres ut Falcidiam, ita & Trebellianicam, amittat. num 15
in Inventario ſi ſponte hæres res aliquas omiſerit, quâ pœnâ puniatur. n 16
Inventarium facere an hæres teneatur. n. 17
Inventarij confectio an poſſit à teſtatore remitti. n. 18

Irenarcha.

Irenarcha quis, à quibus eligatur, & quod ejus munus. 10. 75 n. 1
Irenarchis ſuberant Limenarchæ, curioſi, & ſtationarij milites. n. 2
Quod eorum munus. n 3
Irenarchæ ſublati, qui nunc illis ſimiles, & qui Limenarchæ, & Portulani n 4.5 6.7

Iudex, Iudicium.

Judicium quid, & diviſio judiciorum, & quibus perſonis conſtet. 3.1. n 1.2
Judex quis dicatur, quis ordinarius, delegatus. n 3
Judices qui conſtitui poſſint, an minor, cœcus, fœmina, ſervus impediantur. n 4 5 6
Judicis officium in cognitione ſuſcipienda & cognoſcenda. n 8 9 10.11.12
Judicis officium in deciſione cauſæ. n 15
Judices jurant ſe ex fidâ legum obſervatione judicaturos. num 16
Judex ordinarius an recuſari poſſit. Item advocatus fiſci. num 23
Judicis recuſatio, & ſuſpicionis cauſa quando probanda, & coram quo proponenda. n 24.25 26
Judices pedanei qui, unde aſſumpti, de quibus cauſis cognoſcant. 3.3. n.1.2 3.4
Judices dari qui poſſint, & qui dari non poſſint. 3.4. n 1, 2. 3
Judex in ſua cauſa nemo eſſe poteſt, nec jus dicere. 3. 5. n. 1. 2
Princeps an in propria cauſa poſſit jus dicere. n. 3
in Judicio ſtare nequit ſervus, neque filiusf. abſque conſenſu patris, nec minor abſque curatore. 3. 6. n. 2. 3. 4. 5. 6
in Judicio agere nemo invitus cogitur, exceptio à regula, 3.7 n.1.2.3
Judiciorum ordo ſervandus, committitur quando cauſarum cumulatio judicantis arbitrio. 3.8. n 1 2
Judex ſecundum conſcientiam, an ſecundùm allegata & probata judicare debeat. 1.40. n.9
Judicium civile & criminale intra quod tempus peragendum. n 17.18
Judicium petitorium an cum poſſeſſorio cumulari poſſit, & quid de petitorio retinendæ. 8.1. n. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20
Judex, utrâque parte præſente, ſententiam ferre debet. 7. 41 n. 2. 4
Judex non excedit modum ſuæ juriſdictionis, nec pœnam mutat. 9.67. n 24
Judicis arbitrium an extendi poſſit ad pœnam capitalem. num 21
Judices militares & civiles qui, & quod eorum officium, 1.44. n 1.2

Iudæi.

Judæis privilegia, jura, religionis libertas conceſſa. 1. 91 num. 1
Judæi non ſint cogendi ad fidem, quæ pœnæ in eos ſtatutæ, & quibus oneribus implicentur. n.1.2.3.4.5

Iuramentum.

Juramentum quid, quàm variæ formulæ juramenti. 4. 1. n.1.2.3
Juramentum quando licitum. n. 5. 6
Juramentum an habeat vim confirmandi contractus & actus invalidos. n 8.9
Juramenti promiſſorij effectus, & an ex eo detur actio, num 19.
Juramentum voluntarium & judiciale, qui illud deferre poſſint. n 11.12
Juramentum qui deferre poſſint. n 13.14.15
Juramentum quibus deferatur, delatum ſuſcipiendum, niſi remittatur. n.16.19
Si actor nihil probaverit, an hoc juramentum reo poſſit deferri. n. 20
Juramentum neceſſarium quale ſit, & quando locum habeat. n.23 25
Cui hoc juramentum potius deferendum, cur referri non poſſit. n.24.26
an Juramentum ſemel delatum poſſit revocari. n. 27
Juramenti aſſertorij vis & effectus, item neceſſarij vis, n.28 32.33
An perjurium maneat impunitum. n. 35
Juramentum calumniæ quomodo & quando illud ab actore & reo præſtetur. 2.59. n.1.2.
Juramentum hoc quibus remittatur, qui ad illud teneantur, in quibus cauſis præſtetur. n.4.5.6 7
Juramentum calumniæ ſi omiſſum fuerit, an vitietur proceſſus. n. 10
Quæ ſit pœna juramentum calumniæ recuſantis, quando illa ceſſet. n.12.13
Juramentum veritatis dicendæ, & de malitia quod ſit, quando præſtetur. n 14.15
Juramentum an confirmet pactum de ſuccedendo vel non ſuccedendo 2 3 n.15.20
Jusjurandum in litem in quibus judiciis præſtetur. 5. 51. n.1.4.5

Iuriſdictio.

Juridici Alexandriæ officium, cura, & dignitas. 1. 57. n 1. 2
Juriſdictio quid, & à quo detur, an dari poſſit à collegio, 3.13. n.2.3
Juriſdictioni non eximitur, ſi qui vocatus eſt ad judicem, miles poſtea fiat. n. 4
Juriſdictionem qui poſſint prorogare, & quæ ad id neceſſaria. n 14.15.16.17
Juriſdictionis conceſſæ effectus, eâ conceſsâ an veniat imperium. n. 18
Juriſdictio in quo diſtinguatur ab imperio. n. 20
Juriſdictio quibus caſibus finiatur & amittatur. n. 24
Juriſdictio principis an cenſeatur conceſſa, conceſſo caſtro. 10.10. n 5
Juriſdictione ſpecialiter conceſsâ, an cenſeatur Princeps derogare juri quod populo competit, eligendi Magiſtratum. n. 7
Juriſdictione conceſsâ an cenſeantur conceſſa regalia & bona vacantia. n. 8
Juriſdictio alicui conceſſa in aliquo caſtro an tranſeat ad hæredes. 10.47. n.19
Juriſdictio eſt de novo impetranda, niſi quæ conceſſa per modum contractus. n. 20

Ius accreſcendi.

Jus accreſcendi quid, an in contractibus obtineat. 6 51. n 9
Jus accreſcendi an locum habeat in fideicommiſſoria ſubſtitutione. n 10

Digitized by Google

Jus accreſcendi inter quos ſucceſſores obtineat. n. 11
Qui dicantur conjuncti, tria eorum genera. n. 12. 13
Jus accreſcendi inter verbis conjunctos an locum habeat. num. 14
An pars deficiens accreſcat hæredibus invitis. n. 15
An & legatariis; an cum onere, an ſine onere. n. 16. 17
Quid, ſi diverſi generis plures concurrant in eandem rem. n. 18
in Jure accreſcendi an ſit quædam prærogativa inter eos, qui collectivo ſermone conjuncti ſunt. n. 20
Jus accreſcendi an in uſufructu legato, & re legatâ ſervo communi obtineat. n. 22. 23
Jus accreſcendi ceſſat in legato alimentorum. n. 24
Jus accreſcendi à teſtatore prohiberi poteſt. n. 25

Jus deliberandi.

Jus deliberandi quid ſit, & quid cretio hæreditatis. 6. 30. n. 1
Deliberandi tempus à quo petitum, & à quo nunc detur. n. 2
Jus deliberandi quibus competat, & quid, ſi plures ſint hæredes inſtituti. n. 3
Juris deliberandi forma, & effectus. n. 4. 5
Jus adeundi delatâ hæreditate, quando in hæredes tranſmittatur, & quæ ſint requiſita ad tranſmiſſionem. n. 6
Juris enucleati auctor Juſtinianus. 1. 17 n. 3
Juriſconſultorum auctoritas. n. 1. 2.

Jus liberorum.

Jus liberorum omnibus eſt conceſſum. 8. 59. n. 1
Jus legitimæ ſucceſſionis in bonis liberorum. n. 2

Jus aureorum annulorum.

à Jure aureorum annulorum, quo differebat natalium reſtitutio. 6. 8. n. 1. 2
Jus hoc quibus communicatum, etiam Manumiſſis. n. 3

Jus dominij.

Jus dominij in pignore quando creditor impetret. 8. 34. n. 1. 2. 3
Jus dominij non ante biennium creditor impetrat, intra id tempus debitor offerre poteſt debitum. n. 4. 5. 6
hoc Jus impetrati dominij moribus ſublatum. n. 8

L.

Labarum.

Labarum, inſigne inter vexilla Romanorum, Conſtantinus in crucem convertit. 12. 18 n. 1 2
Labarum ſive vexillum in exercitu defertur, quod ſummè cuſtoditur. n. 3
Laborum Præpoſiti qui in palatio Principis fuerint. n. 4
Quibus hi annumerati, & privilegiis decorati. n. 5

Largitio.

Largitiones ex contributione redactæ referebantur ad Theſaurarios. 10. 23 n. 1. 2
Largitiones & pecuniæ collectæ mittebantur ad Comitem ſacrarum Largitionum. n. 3. 4
in Largitionum & collectarum exactione ſervanda antiqua conſuetudo. n. 7
Largitionum exactio nunc facienda juxta facultates civium. ibid.
Largitionum duæ arcæ, duo quoque Numerarij. n. 11
Largitionales tituli quid ſint. ibid.
Largitiones faciendæ à Principe in benemeritos, ſed cum menſura n. 12
Laudemium debetur domino cenſus ex venditione rerum immobilium. 10. 35 n. 7

Legatio, Legatus.

Legati qui, à quo, & ad quem mittantur. 10. 63. n. 1
Legatorum diſtinctio, quæ virtutes in iis requirantur. n. 2. 3
Legati quales mitti ad hoſtes, nobiles & indigenæ. n. 4. 5
Legatis ſine literis non creditur; Quid, ſi ſint illuſtres, n. 6. 7
Legatus ſi non admittatur, an violetur jus gentium. n. 8
Legatus explorabit conſilia, etiam miniſtros corrumpendo. num. 9
Legati ſunt inviolabiles, habent jus aſyli. n. 10
Legati ſi deliquerint, remittendi ad ſuum dominum. n. 11
Legati hoſtium an poſſint intercipi. n. 12
Legati ubi conveniantur, ſi hæreditatem adierint, ſi contraxerint. n. 13. 14. 15
Legati à Principe deſignati num poſſint ſe excuſare. n. 16
à Legatione excuſatur pater trium liberorum. n. 17
Legati civitatum qui vocentur, cujus auctoritate fiant. n. 18. 19
Legati civitatum à quibus, & an eum ſalario decernuntur. n. 20. 21
Legatus ſi in legatione moriatur. n. 22
Legatis & Syndicis civitatum ſalarium aſſignatur, tenetur deferre literas ſuæ commiſſionis. n. 23
Legati prohibentur propria vel aliena negotia gerere. n. 24. 25
Legationes plures an liceat obire: quæ excuſent à muneribus. n. 26. 27. 28

Legatum.

Legatum quid, legati diviſio quibus legata relinquantur. 6. 37. n. 1. 2. 3. 4
Legatus ab inſtituto, ſubſtituto, legatario, ſed non in amplius oneratur. n. 5. 6
Legari quæ res poſſint: quid, ſi res ſua legatario legetur. n. 7. 8
Legatæ rei quæ non habet commercium, num æſtimatio debeatur. n. 9. 10
Legatur rectè pignus creditori, uxori dos, & res hæredis. n. 11. 12. 13
Legari poteſt res aliena utroque jure, item oppignorata. n. 14. 15. 16
Legata ex quibus peti & ad quod tempus relinqui poſſint. num. 17
Legatum in annos ſingulos, vel, ſi legatarij cum Titio morentur, quomodo debeatur. n. 18. 19
Legata petuntur, non vi occupantur; quando adimantur. n. 26. 27. 28. 29.
Legatum relictum fratribus qui ex diverſis præſetantur. 6. 38 n. 5.
in Legatis alternativis cujus ſit electio. n. 8. 9
inter Legata & fideicommiſſa differentiæ: ex ſublatæ à Juſtiniano. 6. 43. n. 1. 2
Legatorum exæquatio quatenus procedat, & legatarius tribus actionibus experiatur. n. 3. 4
de Legato optionis collato in arbitrium tertij. n. 6
Legari hodie poteſt perſonis incertis, item poſthumo, Eccleſiis piiſve locis. 6. 48 n. 1. 2. 3
Legatum rerum immobilium incapaci relictum, an debeatur ejus æſtimatio. n. 4. 5. 6

Legitima.

Legitima quo jure debeatur, quanta olim, & hodie ſit. 3. 28. n. 31. 32. 34
Legitima non integra relicta liberis, agetur ad ſupplementum. n. 28
Supplementum hoc à Judice petitur non obſtante pacto. num. 29
Si filia bonis paternis renunciáverit, an iis poſtea auctis poſſit inde legitimam petere. n. 30
Legitima collateralium an ſit aucta. n. 33. 35
Legitima quo titulo relinquenda. n. 36
Legitima ex ſubſtantia patris relinquenda. n. 37
Legitima detrahi nequit de bonis Comitatus & alienari prohibitis. n. 38
Legitima quo tempore debeatur, quæ in eam imputentur. num. 39
An filius exhæredatus in computatione legitimæ connumeretur. n. 40
Legitima relinquenda purè & ſine gravamine, n. 41

Quid

Digitized by Google

Quid, ſi fideicommiſſum ſit reciprocum, inter filios, & conditio illis utilis. n. 42
Legitimæ quantitas an minui vel tolli ſtatuto poſſit. n. 43
an Legitima filio debita publicetur ob delictum. 9 49. n. 12
an Legitima filio deportato cedat fiſco. n. 15
Legitimatio.
Legitimatio quid, & quotuplex. 5. 27 n. 4. 5. 6 7
Legitimationis, per oblationem Curiæ, effectus. n. 6
Legitimatio per ſubſequens matrimonium quatenus procedat n. 7. 8. 9
Quia ſtatus patrimonii circa liberorum legitimationem conſiderari debeat. n. 12
Qui filiæ non legitimentur. n. 11. 13
an Legitimetur filius per ſubſequens matrimonium in articulo mortis contractum. n. 14
an Legitimatus excludat ſubſtitutum. n. 15
an Legitimationem impediat matrimonium intermedium. n. 16
an Legitimetur nepos ex filio naturali præmortuo, per matrimonium avi. n. 17
Legitimationis & nativitatis quæſtio ubi tractanda. n. 18
Legitimatio per reſcriptum, quatenus procedat. n 19. 21
an ſic Legitimatus cum liberis juſtis poſtea natis ſuccedat. n. 20
Legitimandi poteſtas Principis in ſuo territorio. n. 22. 26
Legitimationis mentio an ſit facienda in literis impetrationis beneficij. n. 23
An poſſit Princeps proprios filios legitimos efficere. n. 25
Legitimandi modus per nominationem, & arrogationem ſublatus. n. 27. 28. 29.
Hodie filij illegitimi non ſuccedunt. n. 30
Lenocinium.
Lenocinium exercere, & ancillam, vel ingenuam proſtituere, prohibitum. 11. 40 n 5
Lenonum & meretricum tributum ſublatum. n. 6
Lenocinij crimen quando contrahatur; quid, ſi marito objiciatur. 9. 9. n. 8. 9. 10
Lenocinij pœna: eâ tenetur qui adulterium ſuaſit, & inde quæſtum fecit. n. 11. 43
Lex.
Lex Regia quo tempore lata. 5. 14. n. 5
Legem fert Princeps, quando ei data hæc poteſtas. n. 2
Leges quales eſſe oporteat; forma & finis legum. n. 3. 4 5. 6.
Leges in futurum ſcribuntur, quandoque ad præteritum revocantur. n. 7. 8
Legum effectus eſt obligare omnes ſubditos; an etiam extra patriam exiſtentes. n. 9. 13
Leges ſcire quid ſit, an actus irritus ſit contra legem. n. 10. 11. 12
an Lex advenas obliget, & quatenus. n. 14
Legibus an ſit ſolutus Princeps, & quibus non. n. 15
An Principis ſucceſſor obligetur. n. 16
Leges interpretari ſolius eſt Principis. n. 17. 19
Leges à promulgatione ſtatim obligant. n. 20
Legem tollit & mutat Princeps. n. 21
Legum mutatio non præſumitur. n. 22
Leges à mandatis quo differant. 1. 15. n. 1
Legem condere an poſſit Senatus, & quæ jura illi competant. 5. 16 n. 1. 2
Legibus non exemplis judicandum. 7. 45 n. 12
L. Cornelia de falſis in uſum revocata. 9. 22 n. 1
L. Julia Miſcella unde dicta, cur ſublata. 6. 40 n. 1. 7. 8
L. Furia & Voconia modum poſuere legatis. 6. 50. n. 1
L. Juliâ de ambitu, ejuſque pœna. 9. 29. n. 2
L. Julia Repetundarum qui teneantur. 27 n. 1
L. Viſelliâ quid conſtitutum. 9. 21. n. 1
L. Jul. peculatus & de reſiduis diſcrimen. 9. 28 n. 1. 2. 3
L. Rhodiâ ſi jactus mercium relaxcitur à vectoribus, 11. 5. n. 24
L. Fuſia Caninia cur ſublata. 7. 3. n. 1. 2
Libellus.
Libellus quid; quæ in eo petuntur, clarè deſcribi debent, 2. 1. n. 4. 5
Libellus alternativus an valeat. n. 6
in Libello qualiter exprimi debeat cauſa petitionis. n. 7
Liber rationum an ſit exhibendus, & ad id cogi poſſit mercator. n. 10
Libello eodem an cumulari poſſint actio de peculio tributoria, & de in rem verſo. 4. 26. n 17.
Libellus accuſatorius quid continere debeat. 9. 2. n 3
Concluſio in eo neceſſaria non eſt. n. 4
Libelli famoſi, & pœna eos ſcribentium & manifeſtantium. 9. 36. n. 1. 2
Quid, ſi in libello verum crimen detexerint. n 4
Libelli famoſi auctores quâ pœnâ nunc afficiantur. n 5
Libertas.
Libertas dedititia quid, ejus conditio ſublata. 7 5 n. 1
Libertas Latina ſublata. Qui nunc manumiſſi fiant cives Romani. 7. 6. n 1
Libertas fideicommiſſaria quibus, quomodo, quibus verbis relinquatur. 7. 4. n 1. 2. 3
Libertatis relictæ effectus. n. 6
Libertas quibus caſibus pro præmio concedatur. 7. 13. n. 14
Libertatis ſtatus quomodo probetur, quæ allegari pro eo poſſint. 7. 16 n 6. & ſeqq.
ad Libertatem proclamare quibus non liceat. 7. 18 n. 14
Libertas præſcribi poteſt per ſervum bonâ fide. 7. 22. n. 5
Liberi, liberti.
Liberorum diſtinctio, & cur inſtituendi vel exhæredandi ſint ſui. 6. 28. n 1.
Liberis emancipatis præteritis quomodo ſubveniretur. n. 2
Liberorum differentia in materia inſtitutionis & exhæredationis ſublata. n. 3
Liberi in conditione poſiti ex teſtamento num cenſeantur vocati. 6. 25. n. 14
Liberis legitimis hæreditas defertur; item nepotibus ex filia. 6. 55 n. 3. 4. 5.
Liberis ſolis proſpexit S. C. Orficianum, eoſque ſuccedere voluit 6 57. n. 1. 2
Liberi duorum pluriumve fratrum patruo quomodo ſuccedunt. 6. 58. n. 7
Liberti & libertini olim diverſi, non excuſantur à muneribus. 10. 56. n. 1. 2.
Liberto quis ſuccedat, ibi de jure patronatus: 6. 4. n. 1. 2. 3.
in Libertos ingratos datur actio patrono. 6. 7. n. 12
Liberi libertorum poſt delictum nati, actione iſtâ teneantur. n. 24
Liberti ad honores admittebantur, ſi jus aureorum annulorum impetraverint. 10. 32. n. 1. 24
Libertini à dignitatibus arcebantur, non eorum filij, & quæ ratio. 12. 1. n. 36.
Libri.
Libri mercatorum qualiter probent. 4 21. n. 4
Libri ſtudiorum causâ comparati, an peculio quaſi caſtrenſi adſcribantur, nec conferantur. 6. 20. n. 124
In Licitatione plus offerenti res addicebatur, prout hodie in auctionibus addicitur. 10. 3. n 44
Litigioſi.
Litigioſi exceptio quæ, contra quem non habeat locum. 8 37 n 1. 7
Litigioſa res dicitur lite conteſtatâ. n. 2
Litigioſa res ſit in realibus per libelli oblationem. n. 3
Litigioſâ re legatâ, præſtatur ejus æſtimatio legatario. n. 5
Locatio.
Locatio quid, in quo ſimilis emptio venditioni. 4. 65. n. 1. 2
Locationis pretium an conſiſtere debeat in pecunia numerata. n. 3
Locatio qui differat à mandato & emptione, n. 4

Digitized by Google

Locare & conducere qui poſſint vel non. n. 5. 6
Locari quæ res poſſint, item res communes, & operæ honeſtæ. n. 7 8. 9. 10 11
Locationis tacita renovatio quando ſubſiſtat. n. 12 13
Locatio ad quod tempus fiat, & an ad hæredes tranſmittatur. n. 15
Locati actio ad quid detur, an emptor obligetur ſtare huic contractui. n. 16
Locatori quid præſtandum veniat finitâ locatione. n. 17 18. 19
Locare poteſt fiſcus rem cum altero communem, item hypothecæ ſubjicere. 10. 4. n 7. 8
Locatio prædiorum civilium vel fiſcalium alia temporalia, alia perpetua. 11. 70. n. 3
Locantur prædia Principis vel civitatis perpetuarijs conductoribus, nec ab ijs auferuntur, etiamſi melior conditio offeratur. n 5
Locator non tenetur fundum relocare ſuo colono; fallit id in publicorum prædiorum conductione. n 10
In Locatione fundorum civitatis an id nunc obtineat. n. 11
Locatione finitâ num cogi poſſint coloni agros publicos retinere. n. 13

Logographi.

Logographi & cenſuales qui dicantur, & quod eorum officium. 10. 69 n. 2
Logiſtæ, Boëthi, Medogrammatei, Diaſtolæ qui fuerint, & quibus nunc ſimiles. n. 1. 3. 4

Lucra.

Lucra advocatorum & aliorum officialium moderatè & ſine concuſſione petenda. 12. 62. n. 1. 2. 3
Benigni eſſe debent Judices & Advocati fiſci, in cognitione cauſarum fiſcalium. n. 4
Lucrativi tituli vel oneroſi qui ſint. 10 35 n. 3
Lucrativa deſcriptio ſeu præſtatio quatuor ſiliquarum, à quo, & cui præſtanda. n. 1. 2

Lucus Daphnenſis.

Lucus Daphnenſis ubi ſit, prohibitum arbores exſcindere, vel aliò transferre. 11. 77. n 1. 2 3
Quâ pœnâ puniatur conductor fundi fiſcalis arbores ibi cædens. n 4
Qui quercus ædificijs aptas exſcindunt in alieno fundo, puniuntur. n. 5

Ludi publici.

Ludi publici qui, de intervallo ludorum ſæcularium. 11. 40, n. 1. 2
Ludi ſcenici qui fuerint, qui tragici, comici, ludi florales. n 3. 4
Ludis gymnicis delectabatur populus Romanus. n. 7
Ludi ſcenici & impudicæ ſcenæ funt ſublatæ. n. 9
Ludi & comœdiæ probantur quæ à civibus vel juventute exhibentur. n 15 16
Ludis abſtinendum, & pecunia in uſus neceſſarios impendenda. 11. 41. n. 3. 4
Ludorum & curſus publici cura ad Decuriones pertinebat. 10. 31. n. 33

M.

Magiſter.

MAgiſter militum Judex eſſe poteſt. 3. 1. n. 7
Magiſtri militum origo, dignitas, officium. 1. 29. n. 1
Magiſtri militum dignitas quanta, cur poſt diſcreta. 12. 4. n. 3. 7
Magiſter equitum & peditum qui nunc in aula Regia. n. 8. 9.
Magiſter memoriæ, epiſtolarum & libellorum officium. 12. 9. n. 1
Magiſtri memoriæ dignitas & poteſtas, & qui hodie tales. n. 2. 3
Magiſtri ſacrorum ſcriniorum immunes ab omnibus oneribus. n. 4
Magiſtri officiorum munus; de quibus cognoſceret, quis hodie. 12. 6. n. 2. 3
Magiſtro officiorum ſubſtant omnes Palatini & miniſtri aulæ. 12. 26. n 6. 7
Magiſter officiorum & Magiſter militum per Orientem quibus præeſſent. 12. 60 n 16. 17

Magiſtratus.

Magiſtratus municipales qui, eorum electio, excuſatio. 1. 56 n. 1. 2. 1. 5.
Magiſtratus hi quam juriſdictionem habuerint, & nunc habeant. ibid.
Magiſtratibus diverſis cura ærarij & fiſci demandata. 10 1. n. 6
Magiſtratus plures nemo gerit, nec ultra modum ſumptuum oneratur. 10. 41. n. 8. 10
Magiſtratus majores à Principe creantur. 12. 1. n. 2. 7
Magiſtratus utes melior, perpetuus, an temporalis. Quid de Conſiliarijs adſcriptis conſilio. n. 10
Magiſtratus ab omnibus honorandi, & viciſſim honorem debent alijs. n 65
Magiſtratus inferior inſignia ſuæ dignitatis ſubmittit intraturus domum ſuperioris. 12. 3 n. 13
Magiſtratus ſuperior inſignibus ſuis uti debet, uti regit. n. 14
Magiſtratus & miniſtri Principis caveant imperare, ſint fidi, prudentes, ſinceri, non adulatores. 12. 10 n. 5.
Magiſtratibus majoribus præficiendi nobiles, & cur. 12. 11. n 6. 7.
Magiſtratus curare debet, ut bene inſtituatur juventus. 10. 36 n. 3
Magiſtratibus, magiſtris, & miniſtris neceſſarijs ſalarium conſtituendum ex bonis publicis. n. 4. 5. 8. & 12. 16 n 9
Magiſtratus, quibus nominandi & eligendi facultas eſt, optimos & maximè idoneos cives deſignent ad munera. 10. 65 n. 2. 3
Magiſtratus electio ad Principem pertinet, vel nominatum confirmat. 11 33. n. 1. 2
Magiſtratus qui idoneos nominavit, non tenetur de mala adminiſtratione. n. 8
Magiſtratus opus publicum ex ærario exſtruere non debet inconſulto Principe, ſumptu ſuo etiam privati poſſunt. 8. 12. n 3

Magnates.

Magnates regni ſine juſſu Regis non perigrinantur, jubentur quandoque commorari in urbibus. 10. 37 n 5
Magnates & ſupremi Palatini Magiſtratus, quibus muneribus liberarentur. 12 6. n 7
Magnates & illuſtres viri magis laude ducuntur, quam ſpe alicujus præmij. n 8
Magnates quem ordinem ſervent in ſeſſione. 12. 8 n 14
Magnates & Primores regni à Rege honorantur: à ſubditis quibus nunc titulis decorentur. n. 19 20
Magnates habent juriſdictionem, non poſſunt tamen avocare cauſam. n. 21
Magnates & Duces Hiſpaniæ quam prærogativam habeant. 12. 1. n. 16
Quando dignitates ſuæ titulæ utantur filij Magnatum. n. 24. 25
Magnates Hiſpaniæ detinent & uſurpant vectigalia, ex ſola tolerantia. 10. 16. n. 9

Majeſtas.

Majeſtatis eſt Duces & Comites creare, quales olim & nunc, & quot dominia habere debeant. 12. 1 n. 11 12. & ſeqq.
Majeſtas Regia injurias contemnit, & ob maledicta pœnam remittit. 9. 7. n. 2. 4
Majeſtatem Divinam qui lædunt, ut blaſphemi, quâ pœnâ afficiantur. n 6. 7

Digitized by Google

Majeſtatis crimen quod, cui ſimile, in quos committatur. 9. 8. n. 2. 3. 4. 5
A quibus. Singularia in hoc crimine. n. 6. 7. 8. 9
Pœna, etiam in filios reorum ſtatuta, etiam in natos ante reatum patris. n. 16. 17. 23
Majeſtatis rei a die commiſſi criminis nobilitatem & bona perdunt. 12.1.n. 70.71

Majuma.
Majumæ ludus obſcœnus, prout & ludi in feſto Flore per meretriculas repræſentabantur. 11. 45. n. 1. 2. 3
Majumæ ludi prohibiti, iterum reſtitui, ſi in his caſtitas ſervetur n. 4
Majumæ feſtum quo modo nunc in Hiſpania celebretur: admittere debet Magiſtratus honeſtas civium feſtivitates. n. 6. 7

Mala fides.
Malam fidem non purgat longiſſimum tempus. 7. 39. n. 16
Mala fides auctoris nocet cuicumque ſucceſſori. 7. 31. n. 4
Mala fides auctoris nocet hæredi & legatario. 7. 33. n. 7

Malefici, Mathematici.
Malefici qui dicantur, & quâ pœnâ puniantur. 5.18. n.1.2
Maleficis & iis qui cum dæmone pactum ineunt, capitalis pœna infligitur. n. 3
Mathematici qui hic damnentur, & quâ pœnâ afficiantur, & qui eos conſulunt. n. 4. 5. 6

Mancipes, Manſiones.
Mancipes mancipati ad cuſtodiendum curſum publicum. 12.51. n. 6
Manſiones quoque curabant equorum & pabula *Ibid.*
Rerum Mancipi & nec mancipi ſublata differentia. 7. 31. n. 5

Mandare, Mandatum.
Mandatum quid, quotuplex, quot modis contrahatur. 4. 35. n. 1. 2. 3
Mandare qui poſſint, vel non, & quibus mandari. n. 4. 5
Mandantur res honeſtæ: Quid ſi quis mandet hominem vulnerari. n. 6. 7
Mandati actio directa cui, & contra quem, & ad quid detur. n. 8
Mandatarius an teneatur de omni culpa: Quando ad uſuras. n. 9. 10. 11
Mandati actio contraria cui, & ad quid, & adverſus quos detur. n. 12. 15
Mandati actio etiam fidejuſſori datur, contraria poſt ſolutionem. n. 20. 22. 23
Mandatum quibus modis finiatur. n. 24. 25. 26. 27
Mandato opus habent procuratores, num etiam conjunctæ perſonæ. 2. 13. n. 13. 16. 17
Mandatum ſpeciale quænam requirant. n. 21
Mandans expreſſe verberare, ſi mors ſequatur, an teneatur pœnâ ordinariâ. 9. 16. n. 20. 21

Manumiſſio.
Manumiſſio quid, quot modi manumittendi 7. 1. n. 1. 2. 3
Manumiſſionis teſtamentariæ & fideicommiſſariæ diſcrimen. 7. 2. n. 2
Manumittere quâ ætate quis poſſit teſtamento. n. 3
Manumitti poteſt communis ſervus. Quid, ſi unus partem ſervo leget. 7. 7. n. 1. 2
Manumitti poſſunt ſervi Reipublicæ; effectus ejus. 7. 9 n. 1. 2
Manumiſſio à quo fieri debeat, & quâ ætate. 7. 10. n. 1. 2
Manumiſſio in fraudem creditorum facta nullum habet effectum. 7. 11. n. 1. 2. 3. 4
Manumiſſionibus quædam communia. 7. 15. n. 1
Manumiſſioni quæ non obſtent. 7. 16. n. 7

Maritus.
Maritus pro uxore non convenitur, ſecus de conſuetudine. 4. 12. n. 1. 2
Maritus debitor ob adminiſtrationem obſtringitur, non uxor. n. 4
Maritus ex cauſa primipilari obſtrictus, tenetur & ejus uxor. 12. 63. n. 4. 5
Maritus dotem vindicat tanquam civilis dominus. 5. 12. n. 2
Maritus an ſit verus dotis dominus. 5. 12. n. 1
Marito ad inopiam vergente, mulier dotem vindicare poteſt. n. 2
Maritus uxori conſtante matrimonio non rectè donat. 5. 16. n. 1. 2. 3. 4
Maritus rem mulieri donatam an rectè oppignoret. n. 13
Maritus quando teneatur dotem reddere. 5. 18. n. 6
Maritus ſi uxorem adulteram occiderit an dotem lucretur. n. 17
Maritus, ſi dotem reſtituat ſine cauſa, fructus repetit. 5. 19. n. 2
Maritus non cogitur dare uxori fidejuſſores ſervandæ dotis. 5. 20. n. 1. 2
Maritus, etſi fundi dotalis dominus, non poteſt eum alienare. 5. 23. n. 1. 2
Maritus nihil juris habet in paraphernis, niſi uxor patiatur. 5. 14. n. 9. 11
Maritus tributa ſolvit de rebus dotalibus. 10. 17. n. 34

Mater.
Mater pro debitis filij non convenitur. 4. 12. n. 5
Mater an filiam dotare teneatur. 5. 11. n. 14
Mater filijs quomodo tutores det. 5. 29. n. 3. 5
Mater tenetur filijs naturalibus tutores petere. 5. 31. n. 2
Mater & avia quando tutrices eſſe poſſint. 5. 35. n. 1. 2
Mater ſi vidua fiat, aut luxurioſe vivat, an rea ſumat tutelam. n. 3. 5
Matris renunciatio an præjudicet liberis quoad ſucceſſionem. 6. 20. n. 17
Mater hæretica ſi ſit, alendi ſunt liberi apud patrem fidelem. 5. 24. n. 4
Materna origo non alligabat filium Curiæ. 10. 31. n. 36
Matri qui liberi ſuccedant, quæ partes hæreditatis illis dentur 6. 57. n. 2. 5. 6
Matri illuſtri, filij ſpurij non ſuccedunt. n. 8

Medici.
Medici neceſſarij, curare debent æquè pauperes ac divites. 10. 52. n. 11. 13. 14
Medico paciſci non licet cum infirmo, quid, ſi iterum in morbum reincidat. n. 15. 16. 17
Medicus tenetur periculum mortis ægroto indicare, an ab hæredibus ſalarium exigere poſſit. n. 18
Medici, qui intra numerum ſunt, fruuntur privilegijs. n. 19
Medicorum exploranda doctrina, & quare. n. 21
Medicus imperitus graviter punitur. *ibid.*
Medici Principis cur Comites dicti, illorum triplex ordo, & neceſſitas. 12. 13. n. 1. 4. 5

Mendici.
Mendicantes validi & debiles qui. 11. 25. n. 1
Mendicis ſubveniendum, item miſeria & lapſis facultatibus. n. 2. 12
Mendicantes cur inſpiciendi; validi & robuſti addicuntur ſervitijs. n. 3. 4. 5
in Mendicantes fiebat inquiſitio; validi quomodo & à quo coercerentur. n. 6. 7. 8
Mendici validi quâ nunc pœnâ coërceantur. n. 9. 10
Mendicitas & prodigalitas varijs legibus coërcita. n. 11
Miſeris Regioſis, & quibus permiſſum mendicare, ſubveniendum. n. 13. 14

Menſores.
Menſores qui, & qui nunc ita appellentur. 12. 28. n. 1
Menſorum officium, & de eorum Primicerio. n. 2. 3
Menſurarum ac ponderum origo, & de Ponderatore. 10. 71. n. 2. 2

Merces.
Merces ad hoſtes deferre prohibitum. 12. 45. n. 1
Merces devecturi, notificent in quem locum eas deferent. n. 2

Digitized by Google

Merces annotare utile reipub. & ne exportentur quibus opus habemus. *n.* 3

Merces corruptas commixtas cum incorruptis, an ſit licitum vendere. 10.16.*n.*5

Meretrix.

Meretrix turpiter facit quod ſit meretrix, non tamen turpiter accepit. 4.7 *n.* 1

Meretrix an poſſit agere ad id quod ſibi promiſſum. *n.* 8

Meretrici donatio facta an valeat; & quid ſi à milite fiat. 8. 54. *n.* 11

Metallarij, Metalla.

Metalli appellatio quid comprehendat. 11.6.*n.*1

Metallarij qui, huic conditioni perpetuò obnoxij. *n.*2

Metallarij corpus faciebant, qui præficerentur. *n.* 3

Metalla ex quibus provincijs fodienda. *n.*4

Metallorum fodinæ an ſint juris publici. *n.* 5

Metallorum fodinas Princeps ſibi reſervat. *n.* 8

Metalla effodere quatenus privatis permiſſum. *n.*9 10.11

Metallorum venæ & fodinæ quovis loco inventæ Regibus cedunt. *n.* 16. 17. 18

Metalla quærere & effodere invito domino, quando liceat. *n.* 19. 20. 21. 22. 23

Metallicam venam qui invenit, & jus fodiendi habet, an poſſit eam ſubtus, invito vicino, proſequi. *n* 24. 25

Metatores, Metata.

Metatores qui, cur Gallicè *Fourriers* dicti. 12. 41. *n.* 2

Metatorum munus in militia, & in caſtris diſponendis & vallandis. *n* 2

Metatores, militibus ad bella proficiſcentibus, ubi hoſpitia parabant. *n* 4

Vetitum occaſione tranſitus militum, per concuſſionem quippiam accipere *n.*5.6

Metatores quomodo inter dominum & militem hoſpitium dividant. *n* 7

à Metatis an liceat civibus, datâ pecuniâ, ſe redimere. *n.* 8

Metata plura exigere quàm opus ſit, grave damnum. *n.* 9

à Metatione immunes qui ſint, & quid de domibus Regijs & Prætorijs. *n.* 10. 11

Metatorum pœna, & eorum qui pecuniam extorquent. *n.* 12. 13

Metœci.

Metœci qui ſint, cur cogerentur bona ſua vendere, antequàm migrarent 10.1.*n.*32

Metœci à Principe concedebatur bona retinere, & hæredes exiſtere ſuis parentibus. *n* 33

Metrocomia.

Metrocomia quid ſit, quibus aſſignaretur & prohiberetur alienatio. 11. 55. *n.* 1

Metrocomiæ habitatores Clericis ſuas poſſeſſiones vendere prohibentur. *n.* 2

Metropolis.

Metropolis eſt Berytus, unà cum Tyro, nec huic per hoc detrahitur. 11.21.*n.*1

Metropoles plures eſſe poſſunt in una provincia, ſic ut ſcindatur in partes. *n.* 2

Metropolis fieri non poteſt nec dividi ſine aſſenſu Pontifi[illegible] & Principis. *n* 3

Metropoles civitates in Belgio, quomodo ibi unitæ ſint Provinciæ. *n.* 4. 5

Metus.

Metus & doli diverſa ratio. 2.21.*n* 7.8

Metus cur non reddit contractum nullum, prout dolus. *n.* 8

Metus & vis differentia. 2. 20. *n* 2

Metus cur matrimonij contractum irritat. *n.* 5

Metus quis ſufficiens ad reſcindendum contractum, *n.* 6

Metum ſola dignitas vel reverentia non infert. *n* 7

Metus juſtus, præſens cum atrocitate facti conjunctus. *n.* 8

Metus quomodo probetur, quæ ex eo actio detur, cui & contra quem. *n.* 9. 10. 11

Metum excludit novus conſenſus ratihabitio. *n.* 15

Militantes.

Militantes in rebus & militantes in ſcrinijs qui. 12. 20. *n.* 1

Militantes in ſacris ſcrinijs recenſentur varij. 12. 19.*n.*4.8

Militantium nullus duplici officio fungi poterat. *n.* 5

Qui ex Militantibus in rebus poſſent alios in ſuum locum ſubrogare. *n.* 5

Adjutores promoti ad Laterculenſis gradum non poſſunt alios ſubrogare. *n.* 6

Militantes ſenes cur retinendi in officijs, *n* 15

Militantes in ſacris ſcrinijs quibus privilegijs fruerentur, & ad quos honores veherentur. *n.* 21.22

Militantes quando, & coram quo convenirentur. *n.* 17. 18. 19.

Militantes in ſacro palatio erant varij, de quibus. 12. 29. *n.* 1. 2

Militantes in palatio quibus muneribus liberentur, privilegijs fruantur. *n* 3.7.8 9

item Militantes primicerij facti, & uxores illorum. 12. 30. *n.* 8, 10. 11

Miles, Militia.

Militia duplex, armata & inermis. 12. 34. *n.* 1

Milites armatæ militiæ credant ſe juſtè militare, & ſe poſſe hoſtem occidere. *n.* 2. 3

Milites probati in militiam recipiendi, qui rejiciendi. *n.* 4 5. 6. 7.

Militare cur prohibeantur mercatores, & milites negotiari. 12. 35. *n* 1. 2

Milites prohibentur in provincia in qua merent prædia comparare *n.* 3

Militiæ non adſcribebantur niſi nobiles & honeſtiores cives; qui nunc. *n.* 8. 10

Milites gregarij, cur caligati dicerentur. *n* 9

Militaris diſciplina maximè ſervanda, habendus militiæ delectus. 12. 36. *n.* 1. 2. 3

Milites probandi; minùs accurata probatio quæ hodie fit. *n.* 4

ad Militiam an ſint inviti cogendi. Qui Voluntarij milites & Dati. *n* 5. 6

Militares copias ex internis colligere tutius quàm ex externis *n.* 7

Militum externorum duces provincias plerumque exhauriunt. *n* 8

Milites à furtis & ſceleribus ſe temperare debent. *n.* 9

Milites in caſtris continendi, ad alios numeros non transferendi citra Principis facultates. *n* 10.11.12.13

Militiæ pedeſtris magna vis, in exercitio & officio continendi milites *n.*14 15.16.17

Militares exercitationes à Ducibus belli promovendæ, *n.* 18

Militum copias alere debet Princeps qui diverſas ditiones habet. *n.* 19

Militum privilegia varia recenſentur. *n.* 20 21. 22. 23. 24

Militum ſtipendia & quando accipienda, & quid ſi capti ſint ab hoſtibus. *n.*26.27.28

Milites vel legati ab hoſtibus capti à quo redimendi. *n.* 29

Milites ſacramento ſoluti & honeſtè miſſi quam immunitatem habent. *n* 30 31.32

Milites delinquentes quibus pœnis afficiantur. *n.* 33. 34. 35. 37. 38

Miles quid ſi Tribuno reſiſtat, & Tribunus in caſtigando excedat. *n.* 36

Militum Præfectus arcem tenens, amittens, muniens invito Principe, quâ pœnâ puniatur. *n.* 39. 40

Militum transferentium ſe ad hoſtes, item exploratorum pœna. *n.* 41, 42

Et quæ in ſeditioſos; quando in auctores animadvertatur. *n.* 43. 44

de Militaribus judicibus, & judicijs, plura ibid. *n.* 49. & *ſeqq*

de Militari teſtamento. Vide teſtamentum infrà.

Militiæ

Digitized by Google

Militiæ præfectus, an poſſit ad expeditionem ex vicino loco militem cogere. 11.1.n.23

Minor.

Minor reſtituitur læſus probatâ ætate & læſione. 2. 22 n.1.2.3
Minor non ob omnem læſionem reſtituitur. n.4.5
Minor quando non reſtituatur, & contractus ab eo geſtus teneat n.7
Minoris reſtitutio an patri ejus proſit 2.23. n.3
Minor filiusfamil. an reſtituatur ex ſuo contractu. n.1.2
Minor reſtituitur in iis cauſis in quibus tutor intervenit. 2.25. n.1
Minoris reſtitutio non prodeſt ejus conſorti. 2 26 n.1
Minor reſtituitur adverſus contractum, niſi eum ſervaturum juraverit 2.28. n.1.2.
Minor ex variis aliis cauſis reſtituitur, de quibus. 2. 29 n.30.31.32.33.34
Minor adverſus delictum ſub diſtinctione reſtituitur. 2. 35. num.1
Minor reſtituitur cauſâ cognitâ adverſus fiſcum. 2.37. n.1
Minor mutuum accipiens quomodo reſtituatur. 2.38 n 1
Minori qui hæreditatem gravatam adivit reſtitutio datur. 2.39. n.1
Minor ſi lucroſam hæreditatem omiſit, reſtituitur. 2. 40 num.1
Minor an poſſit eſſe judex. 3 1. n 4
Minor 25. annis an procurator eſſe poſſit. 2.13. n 9
Minor conveniri poteſt ex mutuo in ipſius rem converſo. 5.39. n. 1.

Moderamen.

Moderamen inculpatæ tutelæ in quo conſiſtat. 3.17. n 4
Moderata defenſio permiſſa ſi invaſus non poſſit aliter periculum evadere. 9.16. n 36
Moderamen inculpatæ tutelæ ſi provocatus exceſſerit punitur. n. 37
Moderata caſtigatio ſervi Domino eſt permiſſa. 9. 14. n. 1. 2

Modus.

Modus quid, & in quo differat a cauſa & conditione. 6. 45. num.1
Modus qua cautione implendus à Legatario. n. 2
Modus quando ſit inſtar conditionis. Quando implendus. n.3.4.5
Quæ actio ex modo naſcatur. n. 6

Monachus, Monaſterium.

Monachi bona ad Monaſterium tranſeunt, & uſusfructus. 1.2. n 13.14
Monachus ante ingreſſum poteſt teſtari, & poſt bona ſua dividere. n. 15
Monachus quis dicitur poſt profeſſionem, ante eam quid poſſit, & quid ſi moriatur. n.16.17
Monaſterio acquiruntur bona profitentium. n. 18
In Gallia & aliis provinciis remanent profitentium bona penes proximos ab inteſtato. n. 19
Monachi ex teſtamento ſuccedere non prohibentur, & quomodo. n 19
Monachi & Clerici iiſdem privilegiis gaudent. n. 20
Monaſterium bonorum capax, non excludit ſubſtitutum. 6 49. n 14
Monacho ſi data facultas habendi quid proprij, an de eo teſtetur. 6.22. n.20

Moneta, Monetarij.

Moneta à monendo cur dicta, quæ prohibita. 11. 10. n. 1. 2. 3
Monetam cudere ſolius eſt Principis. n.4 5
Monetæ cura & veneratio magna apud veteres. n. 6
Monetæ bonitas alia intrinſeca, alia extrinſeca. n. 11
Monetam abrogare vel detrahere non licet. n. 14
Monetam corrumpere non debet Princeps ut ærarium ſuum augeat. n 15.16
Monetæ valor ſi augeatur, augentur & rerum pretia. n. 17
Monetarij Principis monetam cudunt, eorum conditio certa. 11.7. n 17.18
Monetarij falſam monetam fabricantes committunt crimen læſæ majeſtatis. n.19.20
Monetariorum corpori plures erant officinatores adſcripti, qui ſuberant procuratoribus monetæ. n.21.22
Monetarii filia cur prohiberetur extraneo copulari. n 23
Monetæ artifices hodie honeſtæ ſunt conditionis, & immunitate gaudent. n. 24.25

Monopolium.

Monopolia vendentium improbantur. Quæ pœna. 4. 49. n 1. 2
Monopolia quando exercere liceat. n. 3

Mora.

Mora quando ex re vel ex perſona fiat. 4 31. n 26
in Mora an debitor conſtituatur unica interpellatione. n.27.28
Mora quomodo purgetur. n. 29
Mortui illatione locus fit religioſus. 3.44. n.6

Morbus.

Morbus excuſat à muneribus, & quis. 10.50 n.1 2
Morbus patris non excuſat filios, nec omnis debilitas. n. 3
Morbus ipſa ſenectus, omnium malorum officina. n. 4
Morbo ſi laboret is cui urbis regimen eſt commiſſum, an ſalarium accipiet. n. 5

Mulcta.

Mulcta onde dicta, qui differat à pœna. 1.54. n.1
Mulctare qui magiſtratus poſſint. n. 2
Mulcta publicis operibus aut fiſco applicatur. n 3
Mulctarum modus: effectus: quomodo mulcta dicenda, & an remitti poſſit. n.4.5.6 7

Mulier.

Mulier num in judiciis teſtis eſſe poſſit. 4.20. n.2
Mulier cur in teſtamento teſtis eſſe prohibeatur. 6. 23. num.12.
Mulier quæ præpoſuit, tenetur ex contractu cum magiſtro navis inito. 4 25. n 6
Mulieri ſubvenitur ex interceſſione ſua. 4.19. n.2
Mulier ſi propriam ſuſcipiet obligationem, non juvatur. num 5
Mulier & vir ſi pro alio intervenerit, cur fiat ſubductio perſonæ fœminæ.
Mulier ſi pro marito interceſſerit, cur non valet interceſſio. n.13. 14 15
Mulier quâ pœna afficiatur nubens intra annum luctus. 5.9 n 2.3
Mulier tranſiens ad ſecundas nuptias, quæ reſervare teneatur liberis. n. 5
Mulier an præferatur creditoribus expreſſam hypothecam habentibus. 5.12. n 19
Mulier ratione dotis habet jus tacitæ hypothecæ. n.18.21
Mulieri hoc jus competit etiam in matrimonio putativo. num 22
Mulier an poſſit legatum à marito relictum & ſimul dotem petere. 5.13. n.12
Mulier adultera an amittat paraphernalia & dotem. 5. 18. n.18.19
Mulier tutelæ officio non fungitur, exceptâ matre. 5. 35. num 1
Mulier conjugata an teſtamentum facere poſſit; & Quid juris hodie 6.22. n.17.18
Mulier impudicè vivens dote vel legato privatur. 9. 9. n 14 40
Mulieres quæ ſe propriis ſervis junxerunt quâ pœnâ afficiantur. 9.11. n 1.2
Mulieri raptæ bona damnati acquiruntur, niſi fuerit ancilla. 9 13. n 5
Mulier nobilis nupta plebeio efficitur plebeia 10.39. n.13
Mulier in cauſa criminali convenitur in foro mariti. n. 14
Mulier patrimonialia munera ibi ſuſtinet, ubi bona poſſidet. 10.62. n 1

Mulier

Digitized by Google

Mulier domicilium mariti ſequitur, ibi dos repetenda,actio movenda. n 3
Mulier nupta extra patriam an eximatur legibus ſuæ patriæ. *num.* 5
Mulieres munera agnoſcunt congruentia ſexui ; Cur ab officiis publicis arceantur. n 5.6.7.10
Mulieres quorum munerum & honorum capaces. n. 9. 13. 14
Mulieres ſolent officia maritorum impetrare pro filiis. n. 15.16
Mulier nubendo ſequitur conditionem viri , an per hoc amittat nobilitatem generis. 12.1 n 48.49
Mulieres in pleriſque regnis ſuccedunt deficientibus maſculis. n 51.52
Mulieres caſtra non ſequebantur , poſtea id permiſſum. An expediat. 12.36.n.47
Mulierum veſtibus & annulis virorum gemmas licuit apponere & quare. 11.3.11.4

Munera.

Munera ſunt onera reipublicæ , quæ recenſentur. 10. 38. *num* 17
Munera & honores continuare non oportet in eadem familia. 10 40.n 3.13
Munus patris defuncti quandoque nobilium filij ſubeunt. *num* 6
Munerum & officiorum continuatio fieri poteſt ex neceſſitate. n 11
Servatur intervallum triennij & ſæpe fit mutatio officiorum. n. 12
Munera alia perſonalis,alia patrimonialia. 10.41.n.2
Munus Decaprotiæ patrimonij eſt. n 3
Munus protoſtaſiæ & ſacerdotij quale fuerit. n. 4
Munera alia ſunt quæ ipſis rebus adhærent , & ſuſtinentur ab omnibus poſſeſſoribus. n 5 6
Muneris ordinarij & extraordinarij effectus. n. 8
Munera patrimonialia non niſi nominatim remittuntur. *num.* 9
Muneribus cur obſtricti ſunt Philoſophi. n. 10
Munera civilia & publica quæ ſint. 10.42. n.1
Muneribus & honoribus qui ſæpius onerari non debet. n.2
Munera & honore quos quis geſſit, repetit , ſi civium copia deſit. n 3 4
Munera & officia in opidis , inter nobiles & cives dividenda. n. 5
Muneris vacationem is qui habet , ſi ſponte munus aliud ſuſcepit,non amittit immunitatis privilegium. 10. 43. n. 1. 9
Munera ſordida quæ dicantur. 10.47. n.13
Munera ſordida qui ſubire non teneantur. 11.36 n.1.2.3
ad Munus vile & quod quis de jure ſubire non tenetur , an hodie cogi poſſit. n 4 5
Munus tironiæ curatoris frumenti eſt : ſimilis curator nunc eſt. 10 27. n.11.12
Muneris ſumptus quos unus ex collegis fecit , à conſortibus repetit pro rata. 11 37. n 1
Munitionum equi & currus ſumptu Ærarij nunc procurantur. n. 2

Municipes.

Municipes qui dicantur ; filij patris originem ſequuntur. 10.38.n 1.2 3
Municeps cenſetur ejus civitatis non in qua fortuito naſcitur,ſed ex qua pater civis eſt. n. 4
Municipem ut efficit manumiſſio , ita quoque allectio & adoptio. n. 11
Municeps qui ſe contulit in aliam provinciam animo perpetuo ibi manendi,deſinit eſſe municeps. n. 20

Murileguli.

Murileguli qui dicantur. 11.7. n.1
Murileguli piſcatores non poterant ad aliam conditionem aſpirare. n. 2
Murileguli retrahuntur ad conditionem ſuam , & filij eandem ſequuntur. n 3.4

Mutuum.

Mutuum quid,in quibus rebus conſiſtat. 4.2.n 1.2
Mutuum qui poſſint contrahere vel non. n 3.4.5.6.7
Mutuum qui accepit , ad quid obligetur , & quâ actione. n.11.12
Quid ſi pecuniæ depoſitæ permiſſus fuerit uſus. n 13
Quid , ſi non data ſit pecunia , ſed res alia,ut ea vendita fieret mutua. n. 16
in Mutuo non poteſt quis in amplius obligari quàm accepit. n 18
Poteſt reddi res alia quæ data ejuſdem generis. n. 19
Mutua pecunia an ſit reddenda in eadem ſpecie & forma n. 23
Si pecuniæ valor mutetur , cujus temporis æſtimatio in reddendo ſit ſpectanda. n. 24
Mutuo data moneta quid ſi amplius non reperiatur. n. 25
Ad quod uſque tempus referenda ſit æſtimatio vini, n 27.28.29
Qui hac actione non conveniantur. n. 31
Mutuum dari filiofamilias prohibitum. 4.28. n 4
Mutuum datum juſſu patris , aut ejus ratihabitione confirmatur. n. 9

N.

Natales.

NAtalium reſtitutio omnem delet notam. 6.8. n.1
Natalium reſtitutio non extinguit jus patroni. n. 2
Natalibus reſtituere , vel inhabilem habilem reddere , quis poſſit 10.32. n.6
Natalibus reſtituuntur omnes liberti , & jus habent annulorum. n 3

Naturales.

Naturales liberi qui,quatenus inſtitui poſſint. 5.27. n 1
Naturalibus liberis an legitima debeatur. n. 2
Naturales quibus modis legitimentur. n. 3
Naturales ab inteſtato qui patri ſuccedant. 6.55 n.14

Natus.

Natus me vivo,vel me mortuo inſtitui poteſt. 6.29.n.11
Natus poſt decem menſes an juſtus cenſeatur. n. 12
Nativitate poſthumi rumpitur teſtamentum. n.13.17
Natus quid ſi nullâ voce edita moriatur. n 14
Natus intempeſtive , aut ita ut vivere non poſſit, an teſtamentum rumpat. n.15.16

Naves.

Naves privilegiatæ an teneantur publicas merces oſtendere. 11.1. n.8
Naves & merces quando in commiſſum cadant. n 9.11
Navis dominus ignorans merces prohibitas exportari , navem non amittit. n.10.12
Navium inopia vicinis ſupplenda. n 21.22
Naves qui detinent , cur ob culpam judicum puniantur. *num* 17
Navi & re aliâ ad communem uſum paratâ , quis uti poſſit,& ſocium cogere. n. 39
Navi ad portum reverſa unde egreſſa eſt , non confecto itinere ob adverſam tempeſtatem , an reſtituendum ſit pretium pro loco. n. 40
Naves non excuſantur ab onere , & ſi excuſentur , publicantur. 11.3. n.1.4
Naves habere quibus permiſſum , vel non. n 2.3
Navium publice utilis eſt uſus , excuſatio punitur , ſi ante Yeleem embolam fiat. n. 5
Navibus potentiorum titulos affigentes , puniuntur. n. 8
Naves privati cogi poſſunt commodare fiſco , & agricolæ currus. n.9.10
Naves amandi à ſolo Principe facultas datur. n 9
Nautis & ruſticis , qui naves & currus amittunt,an teneatur Princeps damnum ſarcire. n. 11

Navigatione

Digitized by Google

Navigatione impedita à piratis, an excuſetur vectigalium conductor à præſtatione penſionis conventæ. n. 12. 11. 14

Navis levandæ cauſa ſi merces in mare projiciantur, non fiunt capientium. 11 5. n 26

Navis & merces in littus ejectæ, ſi ſint hoſtium, ſunt capientium. n. 32

Naves nimium non onerandæ, nec animalia. 11.4. n. 5

Naves Tyberinas poſſidentes onus publicum ſuſcipere coguntur. 11.26. n 1 2.3

Naufragium.

Naufragium unde dictum: factum cenſetur ob nimium onus. 11.5. n 1

Naufragii judicium ſummariè exercetur. n 7

Naufragij loco teſtimonia recepta fidem faciunt. n. 8

Naufragij quæſtio intra biennium finienda, cur acceleranda. n 8 9

Naufragorum mors per quos probetur, an uni teſti fides habenda. n 10.11

Nautis de naufragio deponentibus quando non credendum ſed vectoribus. n. 12

Naufragij damnum magiſter navis præſtat, ſi ipſe aut ejus nautæ in culpa ſint. n. 13

Naufragij periculum ſi jactus mercium fiat, à quibus ſarciendum. n. 14

Naufragorum bona fiſco, aut dominis locorum non acquiruntur. Quid, ſi non compareant poſſeſſores. n. 26 27 28. 29

Naufraga bona ſurripientes quâ pœnâ puniantur. n.30.31

Naviculary, Nauta.

Naviculatij qui ſint, quale fuerit illorum collegium & officium. 11.1. n 6

Nautæ quas ſpecies deferant, eas profiteri oportet. n. 7 13 14

Naviculatij per tempeſtatem in devia loca delati excuſantur. n 31

Nautæ qui ſuâ culpâ frumentum ad exercitum vehere differunt, qua pœnâ puniantur. n 32.33

Nauta ſi devia quærat, ſuſpectus habetur; ſi ut non ſolvat vectigal, punitur. n 34

Nauta immunis eſt qui propter illicitas exactiones, curſum navigationis immutat. n. 35

Nauta punitur qui moratur in portu favente vento. n.36

Naviculariorum bona obligantur pro publicis ſpeciebus, quas vehunt. 11.2. n 1

Navicularius ſi rem vendiderit, tenetur emptor pro modo portionis comparatæ onus ſubire. n 2

Quid, ſi emptor rem aut domum pro penſione fiſco obligatam retecerit. n.3.4

Naviculatij poſſidentes publicas ſpecies, non debent aliis navem onerare. 11.4. n.1

Naviculatij quando excuſentur à caſu, & quando non: non excuſatur ſi dicat ſe ignorare capacitatem navis. n.2.3.4

Nautæ cur puniantur, etiam ſine culpa ſua: an ad eos pertineat caſus. 11.5. n.2.3

Nauta qui impetu aquarum vel vi ventorum obruitur, non tenetur de naufragio. n. 4

Negotiorum geſtio.

Negotiorum geſtor quis, & qui à procuratore differat. 2.19. num. 1

Negotiorum geſtorum actio, & quando concurrat cum aliis. n. 2

Negotiorum actio directa & contraria, illa ad quid detur. n 3. 4

Negotiorum geſtor quid ſi debitum non exegerit. n 5.6

Actio contraria cui, contra quem & ad quid detur. n 9

Negotiorum geſtor quando nihil repetat. n.11.12.13

Actio hæc quibus modis tollatur, finiatur. n.14.15

Negotiatores.

Negotiatores quo differant à mercatoribus. 12.35. n.1

Negotiatores non militant. n. 2

Negotiatores armorum & fabricenſes poſſunt militare. n. 4

Negotiatores vices nullâ dignitate fruuntur. 12.1 n 37

Negotiatio officit nobilitati, niſi neceſſitas coëgerit. ibid.

Negotiatio cum hoſte vetita. 4 63. n. 1

Negotiatores & proviſores aulæ qui. n 3

Negotiatio illa arcenda quâ regnum depauperatur, de qua hodie queritur Hiſpania. 12.45 n.4

Nepos.

Nepos ex filio exhæredato, an ex propria perſona querelam adverſus teſtamentum avi movere poſſit. 3.28. n. 15

Nepos ante emancipationem patris conceptus, in poteſtate avi naſcitur. 6 29. n 2

Nepotes poſthumi qualiter ex formula Galli inſtituendi, n 5. 6

Nepos præteritus quando rumpat teſtamentum avi. num 9 & 10.

Nepotes ex diverſis filiis quomodo ſuccedant, & quid, ſi ſoli concurrant 6 55 n. 5 6

Nepotes poſt mortem avi concepti, an ad ipſius hæreditatem admittantur. n 7

Nepotes ex filia ſuccedunt cum aliis filiis. n. 8

Nepos ex ſeniore fratre, an excludat patruum à jure primogenituræ. n. 11

Nepotes non obſtante renunciatione matris, an poſſint ſuccedere avo. 6.48. n.6

Nilus

Nilus expurgandus, qui ab eo onere excuſentur. 11. 28, num 1

Nilus fluvius rigat totam Ægyptum, quia ibi non pluit. n 2

Ad purgationem & curam fluminum qui teneantur, n 3 4.5

Impedimenta ex flumine publico ſunt auferenda. n. 6

Nili aggeres frangentibus quæ pœna impoſita. 9.38. n. 1.2

Et hodie in eos qui aggeres frangunt. n. 3

Nobilitas.

Nobilitas generis ad quos poſteros deſcendat. 12.1. n.29

Nobilitas acquiritur armis & ſcientia. n 30

Nobilitas virtute quæſita interdum præſtantior nobilitate generis. n. 31

Nobilitas codicillis obtenta, ubi obtineat. n. 32

Nobiles cur potius promovendi ad honores, officia militaria & aulica n. 33

Nobilibus quibus Princeps utetur. n 34

Nobilium egeſtas damnoſa; ideo iis ſuccurrendum. ibid.

Nobiles novos expedit Principi creare. n 35

Nobilis feudi poſſeſſio & divitiæ, an nobilem reddant, num 40

Nobili ex patre natus, matre verò ignobili, nobilis eſſe dicitur. n. 46

Nobilitas utriuſque parentis, quibus caſibus neceſſaria, num 47

Nobilitas muniis acquirebatur, & in poſteros tranſmittebatur. n 48

Nobilitatem generis mulier nubendo ignobili amittat, n 49

Nobilitat maritum Duciſſa, Comitiſſa, moribus gentium. n 50 51

Nobiles in honoribus & feudis occupandis præferendi, ſi virtus adſit. n. 63

Nobile feudum nobilitat poſſeſſorem. n. 64

Nobiles legationibus funguntur. n. 65

Nobilitas reatu, & artibus ſordidis perditur. n 71 & ſeqq.

Nobilitas recuperatur novâ Principis conceſſione. n 76

Nobiles prohibentur patrocinium inferiorum vel communitatis in damnum fiſci ſuſcipere. 11.51. n 2

Nobiles debent Principem juvare & ad bellum comitari, an ſuo ſumptu Vaſalli 10.48 n.7.8

Nobilitati non officit quod quis ſolverit tributa, aut geſſerit actus contrarios. 10.43. n 7.8

Nobiles & honeſtiores militiæ adſcribebantur. 12.35.n.8
Nobiles & ignobiles cur non niſi gradatim ad honores ſint evehendi. 12.5.n.2

Nominatores.

Nominandi ad officia optimi & induſtrij. 11.33.n.1
Nominatum quando Princeps eligat. n. 2
Nominare ſolebant ſucceſſores Duumviri. n. 3
Nominati ſi tempore depoſiti officij ſolvendo ſint, non tenentur electores. n. 5
Nominati ſucceſſoris periculum quiſque ſuſcipit nominator. n. 7
Nominatores hodie non tenentur de facto ſucceſſorum. n. 8
de Nominatorum exceſſibus quando fidejuſſores teneantur, vel non. 11.34 n.1.2.3.4
Nominatoris culpa quomodo puniatur, non eligendo perſonam idoneam. n. 5
Nominationi filij ſi pater conſenſerit, quomodo obligetur. 10.31. n.8.9.10.11
Nominatorum periculum quo ordine quiſque ſubeat. 11.35. n.1.2.3

Notarius.

Notarij inſtrumentum quantam fidem mereatur. 4.21. num.7
Notario mortuo alius inſtrumentum cœptum perficit, juſſu judicis. ibid.
Notarius ſi ſit inhabilis, an valeat inſtrumentum ab eo confectum. n. 8
Notarius Principis ſeu Secretarius quis, ejus munus. 12.7. num.2
Notariorum Tribuni qui fuerint, & de eorum munere. n. 3
Notariorum Primicerius quamdiu militaret, & ad quam dignitatem aſcenderet. n. 5
Notarij falſi acta nullius ſunt momenti. 12.50 n.6
Notarij non debent ſe immiſcere alterius officio, aut alio in loco inſtrumenta facere. n. 15
Notarij Pontificij, Regij, & perpetui apud nos. n. 16

Novatio.

Novatio quid, quotuplex, quomodo contrahatur. 8.42. n.1.2.3.5
Novare qui poſſint; debent nunc expreſſe dicere ſe novare. n. 4. 6
Novationis voluntariæ & neceſſariæ effectus. n. 8
Novationis & delegationis idem effectus. n.13.14.15
Novatio ab uno ex reis ſtipulandi facta, an aliis noceat. 8.40. n.10.

Novi operis nunciatio.

Novum opus quis facere dicatur. 8.11 n.1
Novi operis edictum ad quæ ædificia pertineat. n. 2
Novum opus nunciare qui poſſint. Quid de uſufructuario. num 3
Nunciare opus an is poſſit qui ſervitutem habet. n. 4
Novi operis nunciationis executio quibus detur. n 5.6 7
Novum opus quibus nunciari poſſit: quid, ſi plurium res ſit. n. 8
Nunciari an ſocio rectè poſſit. n. 9
Nunciatio in re præſenti fieri debet, in loco operis. n. 10
Nunciationis novi operis effectus. n. 13
Nuncians an poſſit propriâ auctoritate ædificium deſtruere. num. 18
Nunciatio quotupliciter tollatur. n.19.20,21.22

Noxa

Noxa vel noxia, à nocendo, eſt delictum. 3.41. n.1
Noxalis actio in dominum proponenda. n. 3
Noxæ deditione quando dominus liberetur, vel non. n.4.5

Nullitas.

Nullitas ſententiæ coram quo judice proponenda. 7. 64. num 9
Nullitatis cauſa qualiter deduci debeat. n. 8
Nullitas devolvit cauſam principalem. n. 10
Nullitatis & iniquitatis querela, ſimultaneo proceſſu expeditur. n. 11
Nullitatis querela ad quod uſque tempus proponi poſſit. num. 12
Nullitatis querela inſtituta, an ſententiæ executio differri debeat. n. 13

Numerarij.

Numerarij qui, quod eorum officium, qui liberi fuerint. 12.50. n 1.2.3
Numerarijs adjungebantur Adjutores & Chartularij, & quamdiu. n. 7
Numerarij adjutores electos tenebantur admittere. n. 8

Nundinæ.

Nundinæ unde dictæ, earum privilegium & ſecuritas. 4.64. n. 1. 2
Nundinarum finis & utilitas. n. 3
Nundinarum jus & privilegium, intra quod tempus amittatur. n. 4

Nuptiæ.

Nuptiæ quid, qui eas contrahere poſſint. 5.4. n.1.2
Nuptiæ cum quibus non teneant. n.3.4.5.6 23
Nuptijs ætas requiſita. n. 7
Nuptiæ conſenſum contrahentium requirunt. n. 8. 9
Nuptijs filiæ quid ſi pater non conſentiat. n 19
Nuptiæ an non conſiſtant citra patris conſenſum. n. 20
Nuptiarum effectus, circa cohabitationem, forum, dignitatem. n. 21
Nuptiæ novâ mariti dignitate non ſolvuntur. n 22
Nuptiæ quæ nefariæ, inceſtæ, illegitimæ. 5.5 n.1.2
Nuptiæ inter collaterales quouſque prohibitæ utroque jure. n. 3. 4
Nuptiæ inter affines prohibitæ. n. 5
Nuptias impedit cognatio ſpiritualis, legalis & ſervilis. n. 6. 7
Nuptiæ inter diſparis conditionis perſonas prohibitæ, hodie permiſſæ. n. 8
Nuptiarum inceſtarum pœnâ. n. 14
Nuptiæ non tenent cum pupilla, non redditis rationibus. 5.6 n 3
Nuptiæ prohibentur ratione poteſtatis cum ſubdita. 5. 7. n. 1
Nuptiarum impedimenta Papa ſolvit. 5.8. n.2
Nuptiæ ſecundæ & ulteriores, quando permiſſæ. 5. 9. n 1. 2
Nuptijs ſecundis contractis lucra liberis ſervanda. n.12.13

O.

Oblatio.

Oblatio pecuniæ debitæ non ſufficit ut ſiſtat uſuras, ſed hæc tria: oblatio, conſignatio, depoſitio. 4. 32. num.32
Oblatio ſolvit antichreſin. n. 32
Oblatio pretij in retractu, qualiter, cui, & à quo facienda. 4.54 n 16.17
Oblatio votorum pro ſolius Imperatoris ſalute. 12.49 n.1
Oblationem votorum cur Imperatores coarctarint. n. 4
Oblationem exigendi quæ ratio; cum fuerit voluntaria. num. 5
Oblationes variæ hodie excogitatæ & exiguntur. n. 6
Oblatio debiti fiſcalis impedit futuram pœnam, & liberat debitis publicis. 10.70. n.15

Obligatio.

Obligatio quid, quotuplex, unde naſcatur. 4.10. n.1.2 3
Obligatio quæ contractus nomine intelligatur. n. 4.
Obligatio an per alios nobis acquiratur. 4.27. n.1
Obligatio literarum qui contrahatur. 4.10. n 2.3

Obligatio

Digitized by Google

Obligatio naturalis qui inter fratres contractu contrahatur. 4. 5. n. 9
Obligatio hæc ſtatim patri acquiritur. n. 10
Obligatio hæc qui mortuo patre per ſucceſſionem tollatur. n. 15
Obligatus debitor alternativè, utrumque ſolvens, quod maluerit repetet. n. 19
Obligationes & actiones ab hæredibus & contra hæredes incipiunt. 4. 11. n. 2
Obligatio confunditur, ſi creditor ſit defuncti hæres. 4. 16. n. 4

Obſequia.

Obſequiorum & operarum diſtinctio. 6. 6. n. 1
Obſequia à quibus præſtentur, & quibus, & quæ debeantur. n. 2. 3. 4
Obſequia à collatoribus & colonis quæ præſtanda. 10. 24. n. 2
Obſequia ſolita præſtanda dominis, etiam titulo non probato. n. 5

Officia, Officiales.

Officium quomodo diſtinguatur à militijs. 12. 60. n. 1
Officia jam alij alijs erant honoratiores. n. 2
Officia ſine probatorijs non dabantur. n. 3. 4. 5
Officia majora nobilibus, minora plebeijs conferebantur. n. 9
Officijs præficiebantur patriæ benè affecti, & in iſtis retinebantur. n. 10
Officia cur indignis non conferrentur, nunc ſecus. n. 11
Officia altiora quidam ambiunt, ut ſcelera ſua occultent. n. 12
Officijs malè functi ad alia adſpirare non poterant. n. 13
Officiales ad ſuum officium redire cogebantur, & illius rationes reddere. n. 14. 15
Officialium qui Judex competens. n. 16
Officia plura eodem tempore habere non licet. 10. 43 n. 8
Officia plura unus obire, nec plures uni officio ſe immiſcere debent. 12. 61 n. 6
Officia quæ habent juriſdictionem plures ejuſdem familiæ non obeunt. 10. 42 n. 6
Officiales fabricis deputati cur Barbaricarij dicti. 12. 21. n. 1
Officiales ſenio confecti poterant alium ejuſdem ſcrinij ſubſtituere. n. 3. 4
Officiales Principis à quibus præſtationibus excuſentur. 10. 19 n. 10
Officia habentes in aula qui immunes habeantur. 10. 47. n. 9
Officialis decedentis ſucceſſor accipit ſalarium totius anni. 12. 20 n. 6
Officijs aulicis qui præficiendi, habenda in promotione ratio meritorum. n. 8. 9
Officiatorum ambitio damnatur. 12. 19 n. 8
Officia necdum vacantia confert Princeps. 12. 7. n. 7
Officium vacaturum per mortem, an conceſſum videatur ſi alijs modis vacet. ibid.
Officio quis privatur propter negligentiam, vel abſentiam. n. 8
Officia aulica antiqua cum hodiernis aulæ regiæ conferuntur. 12. 26 n. 2. 3. 4. 5
Officia liberis officialium Princeps confert. 12. 48. n. 10
Officia quæ eruditionem requirunt, an dari poſſint filijs necdum idoneis. n. 11
Officia diverſorum magiſtratuum recenſentur lib. 1.

Opera publica.

Opera publica & communia quæ ſint, & qui diſtinguantur. 8. 12. n. 1. 2
Opus publicum auctoritate propriâ occupans punitur. n. 6
Opus novum extruendum non eſt, niſi perfecto opere incepto. n. 8
Operibus publicis reſtaurandis ſumptus unde ſumantur, n. 9. 10. 11
Opus publicum ædificans quando ſe obliget. n. 13
Operi publico num ædificantis nomen inſcribi liceat. n. 14

Operæ.

Operæ libertorum cur debitæ, & quid earum loco præſtetur. 6. 3. n. 1. 2
Operæ officiales quibus non debeantur. n. 3
Operas quibus caſibus libertus non præſtet. n. 5
Operæ quæ à dominis poſſint ſubditis imponi & ab alijs exigi. 10. 24 n. 3
Opinatores non poterant exigere, ſed inſtare apud Præſidem. 10. 32. n. 5

Ordo.

Ordo quis in Judicio ſervandus, quæſtio major præferenda in non. 3. 8. n. 1
Ordo arbitrio judicis committitur, & num actio civilis criminali ſit anteponenda. n. 2
Ordo quis ſervandus, ſi concurrat cauſa liberalis cum alijs. 7. 10. n. 1
Ordo eſt, ut de libertate prius, quam de hæreditate cognoſcatur. n. 2
Ordine motus ad tempus, expleto tempore an officio priſtino fungi poſſit. 10. 59 n. 5
Ordo quis in potioribus denominandis ad munia publica. 10. 65 n. 1. 2
Ordo in patrimonialibus non ſervatur, ſed quiſque onera ſubit. n. 3
Ordo non ſervatur in conferendis officijs, digni omiſſo digniore electio valet. n. 4
Ordo quis ſervandus, quando duo ſimul ad magiſtratum ſunt aſſumpti. 11. 35 n. 6
Ordo inter pares dignitate ſervandus. 12. 8 n. 4. 5
Ordo equeſtris ſeminatium ſenatorum, in Hiſpania præſertim. 12. 32 n. 6

Origo.

Originem patris, non avi, nec matris filij ſequuntur, niſi civitas materna id permittat. 10. 38 n. 2. 3
Originem propriam non mutat filius ſi in itinere naſcatur aut parentes domicilium mutarint, aut patrem aliquo ſequatur. n. 4. 5
Originis domicilio nemo ſe poteſt eximere, ne diuturna quidem abſentia n. 6. 7
Origo retinetur quoad honores, non quoad munera obeunda. n. 8. 9
Origo manumiſſionis attendi debet in muneribus civilibus n. 10
Originarius ne alio migret, prohiberi à domino poteſt & revocari. n. 18. 19
Originarius ſi locum mutarit, animo non redeundi, deſinit eſſe civis. n. 10
Originarius civitatem ſuam deſerens, quid ex ſuis bonis relinquere teneatur civitati. 10. 34 n. 7. 8

P.

Pactum.

Pactum, pactio, conventio, qui differant. 2. 3. n. 1
Pactum quid & quotuplex n. 2
Paciſci qui poſſint & qui alijs paciſcendo non præjudicent. n. 3. 4. 5
Paciſci de quibus rebus liceat, vel non. n. 7. 9
Pactum de hæreditate viventis inutile. n. 11
Pactum utile quo ſpes ſucceſſionis remittitur inter fratres n. 12
Pactum de hæreditate tertij viventis quomodo valeat, n. 13
Pactum de futura ſucceſſione an juramento firmetur. n. 15
Pactum de mutua ſucceſſione inter quos valeat. n. 16. 17. 18
Pactum de non ſuccedendo cur reprobetur: & quid jure Canonico, n. 19. 20. 21

Pactorum effectus. Cur ex pacto nudo actio non detur. n. 22. 23
Pacta prætoria, legitima, obligationem & actionem pariunt. n. 25
Pacta incontinenti adjecta, quibus contractibus inſint & ad agendum valeant. n. 26
Pactum prius per poſterius quomodo illidatur. n. 28
Pactum addictionis in diem duplex, quæ utriuſque vis. 4. 54 n. 2
Pactum Legis Commiſſoriæ quod ſit, ejuſque effectus. n. 7
Pactum de retrovendendo quale & an licitum ſit; cui competat, an cedi poſſit n. 11. 12. 13. 14. 15
Pactum hoc quàm varie accipiatur & quamdiu duret, ſi adeſt clauſula quandocumque, ſemper, &c. n. 22
De retractu gentilitio ibidem tractatur, & qui procedat. n. 23. & ſeqq.
Pactum cur in pignoribus reprobetur, & de pacto L. Commiſſoriæ in pignoribus. 8. 35 n. 1 & ſeqq.
Pacta conventa ſuper dote & donatione propter nuptias ſervanda. 5. 14. n. 1
Pacta doti adjecta quæ inutilia ſint. n. 8
Pactum ut dos apud maritum maneat, utile eſt. n. 5

Pagani.

Pagani unde dicti, prohibentur illorum ritus & ſacrificii. 1. 11 n. 1
Pagani quâ pœnâ afficiantur, & Rectores provinciæ eorum ſuperſtitionem diſſimulantes. n. 3. 4

Palatium.

Palatium unde dictum, illud Princeps inhabitat. 11. 57. n. 1
Palatia ædificate, & arces munire ſolius Principis eſt. n. 2
Palatia habitare privatis non licet, nec violare, aut juxta ædificare. n. 3
Palatium regis hodie qui habitent. n. 4. 5

Palatini.

Palatini varij recenſentur, qui in palatij ſcrinijs militabant. 12. 24 n. 1
Palatinorum officium & cura, & eorum qui in provincias mittebantur. n. 2. 3
Palatinorum mores obſervandi causâ, mittendarij mittebantur. n. 4. 5
Palatinorum numerus ſtatutus, privilegia, ijs data. n. 9. 10. 11

Panis.

Panis coctus diſtributus; ſex unciarum panes dati. 11. 23. n. 5
Panis coctus cur diſtribueretur, non frumentum. n. 6
Panes civiles olim dati, quibus nunc ſimiles. 11. 24 n. 3. 5
Panes civiles alienari, aut in alium transferri non poterant, poſtea id mutatum, & quare. n. 6

Parricidium.

Parricidium quid, ejus pœna olim ſingularis, quæ hodie. 9. 17. n. 1. 2
Parricidij an teneantur qui facinus tentarunt patrare. n. 4
Parricidij conſcij & participes puniuntur. n. 5
Item pater, mater, & avus ſi occiderit ſobolem ſuam. n. 6
Parricidæ excuſantur aliquando quoad pœnam. n. 10

Paſcua.

Paſcua publica certâ penſione elocantur. 11 60. n. 1
Paſcuorum penſio non augenda. n. 2. 3
Paſcua à militum equis non depaſcenda. n. 4. 5
Paſcuorum communium uſus ſit moderatus, pro prædiorum modo, & animalium numero, quæ quiſque poſſidet. n. 6
Paſcuorum publicorum an aliquod jus habeat dominus loci. n. 7
Paſcendi causâ licet animalia in privati agrum immittere collectis fructibus. n. 8
Paſcendi jus in agris privatis communitas non habet n. 10
Paſcua communia non tranſeunt in alienationem, licèt Princeps ſua prædia alienet. n. 13

Patricij.

Patriciatus dignitas, Patricij patriâ poteſtate liberantur. 12. 3. n. 7
Patriciatus dignitas an conſulari fuerit ſuperior. n. 3
Patricij ſimiles qui hodie. n. 10

Patria poteſtas.

Patria poteſtas quibus modis acquiratur. 8 47. n. 1
Patriam poteſtatem non habet mater in filios. n. 2
Patriæ poteſtatis effectus. n. 3 4 5
Patriâ poteſtate indignus pater, qui filios exponit; quâ pœnâ puniatur. 8. 52 n. 1
Pater ob famem filios poteſt vendere; an & mater. 4. 43. n. 1. 2
Partes an cenſeatur ſimul venditus, venditâ filiâ. n. 3
Partus ſuppoſitio quomodo probetur; quæ ejus pœna. 9. 22 n. 23. 24. 25

Patronus.

Patronus quando ſuccedat liberto. 6. 4. n. 1. 2
Patronus poteſt jus patronatus remittere. n. 3
Patronatus jus varijs ex cauſis amittitur. n. 4

Peculatus.

Peculatus crimen qui committant, quæ pœna. 9. 28 n. 1. 2
Peculatus crimen an committat qui pecuniam alterius civitatis quam Romanæ ſubtraxit. n. 3

Permutatio.

Permutatio in quo differat ab emptione. 4. 64. n. 1
An ſit contractus innominatus: An differat à contractu Do ut Des. n. 5
Permutatio an ſit, ſi pro re detur res & pretium. ibid.
Permutatio an ſit, ſi dedi pecuniam, ut mihi Stichum dares. n. 6

Pignoratio.

Pignoratio, per quam alius pro alio prægravatur & detinetur, fieri non debet. 11. 56 n. 1. 2
Pignorationes in ſcholaſticos & clericos exerceri prohibitum. n. 3
Repreſentus repreſaliarum uſus, quæ in ijs concedendis conditiones requirantur. n. 4

Pignus.

Pignus ab hypotheca differt, eſtque duplex, tacitum & expreſſum. 8. 14. n. 1. 2
Pignorari quæ res poſſint, an etiam militia, & caſus militiæ. n. 4. 5
Pignus acquiritur ei qui pecuniam mutuam dedit. n. 7
Pignoris & hypothecæ finis & effectus. n. 8. 9
Pignori rem obligatam an debitor impediatur alienare. n. 10
Pignorata res ut reddatur ſolutione facta agitur. n. 23
Pignore caſu amiſſo manet debitori integra debiti actio. n. 24
Pignus liberatur obſignatione pecuniæ. n. 26
Pignus remiſſione & conventione ſolâ liberatur. n. 28
Pignus quando non liberetur, nec extinguatur uſucapione. n 29. 31
Pignus tacitum quid, invecta pro penſione tacitè obligantur. 8. 15. n. 1
Pignus ex inductione bonorum quando contrahitur. ibid.
Pignus tacitum an locum habeat in mercibus in domum illatis, & in pecunia, & ſupellectili. n. 5. 6
Pignoratum fundum ſi quis emat, an teneatur fructus reſtituere. n. 8
Pignoris taciti & hypothecæ effectus. n. 9. 10. & ſeqq.
Pignori res aliena dari nequit, vendi tamen poteſt. 8. 16. n. 1. 2
Pignus rei alienæ quibus caſibus valeat, aut convaleſcat n. 6

Pignorari

Digitized by Google

Pignorari quæ nomina & res generatim poſſint. 8. 17. n. 1. 2.
in Pignore qui potiores habeantur, vide 8. 18 per tot.
Pignus quando ſibi confirmet quis ſuccedendo in locum prioris creditoris. 8. 19. per tot.
Pignus creditor vendendo extraneo quomodo eum ſecurum faciat. 8 20. per tot.
Prætorium pignus quid, in quibus rebus conſtituatur. 8.21 n.1.3
Pignus hoc quo differat à judiciali pignore. n. 5. 8. 23. n. 1
Creditori in poſſeſſionem miſſo benignè datur hypothecaria, ad recuperandam amiſſam poſſeſſionem. n. 7
Pignoris capti effectus, ut publice vendatur. Quid, ſi non reperiatur emptor. 8. 23. n 4
Pignus ſi pignori datum ſit, tamdiu manet ſecundi creditoris, quamdiu manet ius primi. 8.24 n 1
Pignore remiſſo cenſetur debitum remitti. 8 26 n.1.2
Pignus extinguitur illius diſtractione, jure pignoris factâ, 8. 26 n. 1. 2
Pignus non prohibetur creditor vendere, qui id ei liceat, vel non. 8. 28. n. 5. 6
Pignoris venditionem debitor prohibere non poteſt, niſi creditori ſatisfecerit, 8 29 n.1.2
Pignus ſi à creditore venditum ſit, non ſervato juris ordine venditio nulla. 8 30. n. 1
Pignus luitur ſeu liberatur ſolutione totius debiti, non partis, 8. 31. n. 1

Piſtores.

Piſtorum origo & collegium 11. 15. n. 1
Piſtores ad dignitatem vel aliud officium promoveri nequeunt. n. 2
Piſtores quibus oneribus excuſentur, ubi conveniantur, nulla ipſis facienda injuria. n 7 8
Piſtores quæ cavere oporteat in vendendo pane, & frumento, emendo. n. 9.

Pœna.

Pœna cur inventa, pœna capitalis ad beſtias, ad furcas, ad crucem abrogata. 9. 47. n. 1. 2
Pœnæ quæ hodie ſucceſſerint. n. 3
Pœnæ deportationis ſimilis eſt damnatio ad triremes. n. 5
Pœnæ à legibus nominatim dictis impoſitæ, nec pendent à judicis arbitrio. n 16.17.21.24
Pœnæ quatenus ſint arbitrariæ, & remittantur ex circumſtantijs. n. 18
Pœna quando commutanda, & quæ forenſi imponenda. n 19.20.28.
Pœnæ probatio quæ, & an poſſit inferri ex præſumptione. n 22
Pœna quando honeſtioribus & alijs ob artificium remittatur. n. 25
Pœna non differenda nec acceleranda ſententia. n. 26
Pœnæ executio juſſu Principis ſuſpendenda per dies 30, & cur. n. 27
Pœnarum quis finis, pœnæ tenere debent ſuos auctores. n. 29. 30
Pœna judicis male judicantis jure novo & noviſſimo 7. 49. n. 2
Pœna corrumpentis judicis quæ: Judex ſecundum mores non facit litem ſuam. n.3.5

Poſſeſſio.

Poſſeſſio quid, quotuplex, civilis & naturalis; quando dicatur legitima. 7. 32. n 1. 2. 3
Poſſeſſio civilis & naturalis acquiritur animo & corpore ſimul. n 4. 5
Poſſeſſio defuncti an continuetur in hæredem ſuum, ſine nova apprehenſione. n. 6
Poſſeſſio an ſtatuto aut conſuetudine poſſit induci. n. 7
Poſſeſſio quando pupillo aut infanti acquiratur. n 8.9
Poſſeſſio per quos acquiratur, n. 10
Poſſeſſio an ignoranti per ſervum & filiumfamil. acquiratur. n. 11
Non ex omni cauſa, ſed peculiari, ignoranti quæritur uſucapionis conditio. n 12
Poſſeſſio quomodo per procuratorem ignoranti acquiritur. n 13
Poſſeſſionis materia eſt res corporalis, non prohibita poſſideri n. 14
Poſſeſſionis acquirendæ forma: quomodo emptori quæritur ſciente venditore. n. 15
Poſſidere in ſolidum duo eandem rem non poſſunt. n 17
ad Poſſeſſionem non opus eſt totius partis apprehenſione. n 18
Poſſeſſionis cauſam non licet ſibi mutare, niſi ex nova cauſa. n. 19
Poſſeſſionis cauſa eſt juſtus titulus: n. 20
Poſſeſſio ſolo animo retinetur. Quid, ſi colonus eam reliquerit dolo vel culpa. n 21. 22
Poſſeſſionem apprehendere quid ſi noluerit ſervus vel colonus. n. 23
Poſſeſſionis acquiſitæ effectus. n. 24
Poſſeſſio an ſolo animo amittatur. n 25
Poſſeſſio rei mobilis vel immobilis, quibus modis amittatur. n. 26
Poſſeſſio quomodo amittatur facto noſtro vel alieno. n 27
Poſſeſſionem qui ſine juſto titulo poſſidet, cogitur eam reſtituere. n. 28

Poſtliminium.

Poſtliminium quid, ejus fictio, item L. Corneliæ effectus. 8. 51. n. 1. 2
Poſtliminium quid reſtituat; An filius reverſus ſuccedat patri. n. 4. 5
Poſtliminio matrimonium non reſtituitur, ſed redintegratur conſenſu. n. 9
Poſtliminij jure qui non gaudeant. n. 10
Poſtliminium quibus in rebus ſit, aut non. n. 12
Poſtliminij jure utitur & hæreditatem adit redemptus pretio necdum ſoluto. n. 16
Poſtliminio arma non redeunt. Quid juris ſi miles arma amittat. 11. 44. n. 8

Poſthumus.

Poſthumus quis eſt ſuus, vel alienus. 6. 29 n. 1
Poſthumus alienus an olim inſtitui potuerit & nunc poſſit. n. 4
Poſthumorum nepotum inſtitutio ex proviſione Galli Aquil. n. 5
Poſthumus natus quatenus rumpat teſtamentum. n. 9. 13
Poſthumus an poſſit exhæredari. 3. 28. n. 7

Prædia.

Prædia qualitate magis quàm loco ſunt diſcernenda. 3. 34. n 3
Prædia vendi vel donari non poſſunt ſine colonis & adſcriptitijs. 11.47 n 6.7
Prædia & bona cenſitorum referuntur in æſtimium, ut ſervetur modus cenſendi, & peræquandi. 11. 57. n. 11. 12. 13
Prædium deſertum alteri à peræquatore aſſignatur, ſine onere ſolvendi præteritos cenſus. n. 17
Prædia deſerta addicuntur ſub triennij immunitate. 11. 58. n. 3
Prædia tributaria fertilia emens, omiſſis ſterilibus, tenetur pro ijs ſolvere tributum fiſco. n. 11
Prædia à domino deſerta, ſuſceptoribus ſine onere reliquorum addicebantur. n 16
Prædia & caſtra dabantur militibus caſtrenſibus, capitali pœnâ ſtatutâ in occupantes. 11 59 n.10
Prædia dominica alienata aut data ſub minore cenſu, revocantur, & antiquus cenſus ſolvitur. 11 66 n 2.3
Prædia tamiaca quibus concederentur. 11.68 n 1 2
Prædiorum tamiacorum venditio quatenus valeat, ſalvo canone, n. 3 4

Digitized by Google

Prædia civitatis, uti & reditus alienari non poſſunt. 11. 69. n. 1.
Prædia acquirunt civitates, & ſe obligant & alios obligatos habent. n. 2
Prædia civitatis emi poſſunt, modò præſtet canonem qui emit. n. 3
Prædia civitatis vel Principis elocantur perpetuarijs conductoribus dato fidejuſſore. 11. 70. n. 5
Prædia à Principe donari poſſunt ipſi perpetuario. n. 6
Prædia alia Princeps relevat à tributis, alia transfert, aut taxare facit. 10. 25. n. 1. 2
ob Prædiorum deteriorationem conceditur relevatio & remiſſio penſionis. n. 6
Prædia Decurionum ſine decreto alienari non poterant, nec hodie res communitatis. 10. 33. n. 1. 2. 8

Præfecti

Præfecti prætorio dignitas, cui par fuit dignitas Præfecti urbis & Magiſtri militum. 12. 4. n. 1. 2. 3. 4
Præfecti urbis poteſtas quomodo deinde fuerit diſcreta. n. 7
Præfecti prætorio quanta poteſtas in creandis & abdicandis officialibus. 1. 26. n. 4
Præfecti prætorio ſententia non provocatur. n. 6
Præfecti prætorio privilegia & ejus officium. n. 7. 8
Præfecti prætorio Africæ circa milites imperium. 1. 27. n. 1. 2
Præfecti annonæ dignitas. An fuerit ordinarius Magiſtratus. 12. 59. n. 1. 2
Præfecti annonæ cura circa diſtributionem annonæ. n. 4
Præfecto prætorio Orientis claſſium cura data; ſimilis eſt hodie Archithalaſſus maris Præfectus. 11. 12. n. 3. 4. 7
Præfecti duo, frumento ſuſcipiendo & admetiendo, præerant. 11. 27. n. 7
Præfectorum officia libro primo referuntur.

Præpoſiti.

Præpoſitus ſacri cubiculi quis, ejus dignitas. 12. 5. n. 1. 2
Præpoſitus hic præerat cubicularijs, ſed non habebat in eos juriſdictionem, tantum in Tamiacos Cappadociæ. n. 3. 5
Præpoſiti laborum qui fuerint quibus privilegijs decorati 12. 17. n. 1. 4. 5
Præpoſiti veſtibus Principis, non debent à tinctoribus niſi lotas & puras ſpecies recipere. 11. 17. n. 12
Præpoſiti Baſtagarum quid curarent. n. 27

Præſcriptio.

Præſcriptionis & uſucapionis diſcrimen. 7. 33. n. 1
Præſcriptionis & uſucapionis communia. n. 2. 3
Præſcriptionem quomodo litis conteſtatio interrumpat. n. 4
Præſcriptionis & uſucapionis requiſita. n. 5. 6. 7. 8
Præſcriptio longi temporis in actionibus perſonalibus & mixtis ceſſat. 7. 34. n. 1
Præſcriptione hac tolluntur actiones in rem, cur hæ citius præſcribantur quàm perſonales. n. 2
Præſcriptio longi temporis non nocet militibus, minoribus, abſentibus. 7. 36. n. 1. 2
Præſcriptio quadriennij datur adverſus fiſcum vindicantem bona 7. 37. n. 1
Præſcriptione longi temporis non acquiruntur bona fiſcalia, dominica jura Majeſtatis. 7. 38. n. 1. 2
Præſcriptione 30. vel 40. annorum omnes actiones perſonales tolluntur. An & hypothecaria. 7. 39. n. 1. 2. 3. 4. 5
an Præſcribatur jus luendi pignus, item juri retrahendi. n. 8. 9. 10
Præſcriptio incipit currere ex tempore quo cœptum eſt agi poſſe. n. 11. 12
Præſcriptio quibus modis rumpatur, quis interruptionis effectus. n. 14
Præſcriptionis effectus, n. 15
Præſcriptio 30. annorum cum mala fide non procedit jure Canonico. n. 16
Circa præſcriptionem rerum & actionum quid moribus mutatum n. 17. 18
Quomodo præſcribatur mixtis actionibus. 7. 40. n. 2
Præſcriptionis interruptio quomodo fiat. effectus. n. 3. 5

Præteritio.

Præteritio quando vicem exhæredationis fit. 6. 28. n. 1. 7
Præteriti à patre liberi dicunt teſtamentum nullum. n. 2. 3. 8
Principi emancipati an ſicut ſui poſſint dicere teſtamentum nullum. n. 4
Præterita filia quæ renunciavit hæreditati, poſſit experiri contra teſtamentum patris. n. 5
Præteritus filius an poſſit dicere teſtamentum nullum, abſtinendo ſe ab hæreditate. n. 10
Præteritio paterna an ita ponat teſtamentum nullum, ut nihil hodie ex eo debeatur. n. 11
Præteritus ſi ſit filius à primo gradu, & exhæredatus à ſecundo, quid juris. n. 14. & tit. 26. n. 17

Prætor.

Prætor unde dictus, quis Urbanus, & Peregrinus. 1. 39. n. 1
Prætorum auctoritas & poteſtas in judicando. n. 3
Prætoribus quæ ſub Principibus poteſtas data. n. 4
Prætorum dignitas quanta fuerit in libera republica, & poſt. 12. 2. n. 1. 2
Prætoris munere vel alterius Magiſtratus, an fungi poſſint exteri. n. 4

Prævaricatio.

Prævaricatio, & Prævaricatores quid, unde dicti. 9. 45. n. 1
in Prævaricatores & tergiverſatores quæ pœna ſtatuta. n. 24

Precarium

Precarium quid, & qui à donatione & commodato differat. 8. 9. n. 1
Precario quid ſi tempus adjectum ſit. n. 2
Precario quid poſſidet, interdicto uti poſſidetis experitur. n. 3

Preces

Preces qui offerre poſſint, cui exhibendæ. 1. 19. n. 1. 2
Preces non offerendæ ſi juri adverſentur, & fiſco damnoſæ. n. 3
Precibus non ſolet Princeps reſcribere in damnum tertij. n. 4. & 22. n. 3

Pretium.

Pretium certum & in numerata pecunia neceſſarium in emptione. 4. 38. n. 15. 16
Pretium ſi conferatur in alterius contrahentis arbitrium, cur inutilis venditio. n. 17
Pretium collatum in arbitrium tertij, qui valeat. n. 18
Pretium ſolvere cur teneatur emptor, etiam re perempta ante traditionem. 4. 48. n. 2

Primicerius.

Primicerius honore & ordine primus. 12. 7. n. 1
Primicerius notariorum, qualis hodie. n. 2
Primicerij munus biennale, eo depoſito dignitatem magiſterij conſequebatur n. 5
Primicerius ſi ante finitum officij tempus moriatur, tranſmittit ad hæredes totius anni & ſequentis ſalaria. 12. 17. n. 7
Primicerio domeſticorum Principis, quis nunc ſimilis, n. 4
Primicerium hunc ſequebantur decem primi Domeſtici & Protectores. n. 5

Primipilus.

Primipilus quis, & quod ejus officium, quot cohortes habuerit. 12. 63. n. 1. 2. & 58. n. 13
Primipilus ſi ex adminiſtratione debitor ſupererat, ejus bona & dotalia uxoris fiſco erant obnoxia. n. 4. 5

Digitized by Google

Primipili privilegium fiſco competens, an ſe extendat adverſus quæſtores. n.6.7
Primipilaris cauſa eſt publica, ideo dotalia bona & liberorum ſunt obnoxia. n. 8
Primipilarijs quæ commoda darentur, quibus muneribus eſſent exempti. n. 10
Primipilatus cauſâ reus coram ſuo judice conveniendus, num. 11

Princeps.

Princeps legibus ſolutus, & quibus. 1.14. n 15
Principis eſt leges interpretari, tollere, & mutare. n. 17 21. 22
Princeps legibus regni ſubjectus eſt. 10.1. n 8
Principis mandata literis probantur. 1.15 n.2
Princeps & inferiores domini num poſſint officiarios ſuos deponere. 1.26. n. 5
Princeps num poſſit contractus à ſe geſtos in contrahentium damnum retractare. 10.5. n.7
Principi an liceat auferre privatis res proprias, & quando. n. 8. 9
Princeps an poſſit dominium alicui, jure civili quæſitum, auferre. n.10.11.12
Princeps an obligetur ad reparationem damnorum. n. 13
Princeps bona vacantia dare poteſt pleno jure. 10. 10 n.4 5.6.7
Princeps non ſolet bona fiſcalia & incorporata donare, donata revocantur. 10.12 n.3.4.6
Princeps inſpicere debet, quid & quibus donet. 10. 14. n 3. 5
Princeps largitates, quæ ærarium exhauriunt, revocare poteſt. n. 6
Princeps bona reſervata & regalia non donat in præjudicium ſucceſſorum. n.7.8
Princeps poteſt juſta ex cauſa tributa ſubditis imponere. 10.16. n.10
Princeps qui ſe ab inopia & debitis liberavit, ſubditorum ſuccurſu, gratus eſſe debet & beneficium agnoſcere. num. 14
Princeps qui ſe gerere debeat, ut obſequentes habeat ſubditos. n. 17
Princeps nova tributa imponit, ſed ex ordinum judicio, & quare. 10. 17. n.9
Princeps an poſſit divites & urbes compellere ad mutuandas pecunias. 10.18. n.4
Princeps non debet gravare ſubditos, multò minus alienos populos, nequidem urgente neceſſitate. n.4 6
Princeps, & qui eum inducunt ad novam collectam, peccant, & tenentur damnum reſarcire. n. 8
Princeps largitiones faciet in benemeritos, ſed cum menſura. 10 23. n.12
Principis ſolius eſt monetam cudere, non vicinorum corrumpere, ærarij ſui augendi cauſâ. 11 10. n.4.15.16
Princeps hodie maris dominium ſibi vindicat, item leges fert navigantibus. 11.12. n 8 9
Principis eſt mare tutum reddere, claſſes armare ad ſervandas diſſitas regiones. n 10.11
Principis eſt bellum indicere. 11.46. n.17
Principis ſupremi eſt protegere ſubditos à violentiis. 11. 53. n 3
Princeps ſolus concedit repreſalias cauſâ cognitâ. 11. 56. num. 5
Princeps poteſt ex cauſa prædia limitanea militibus aſſignare, eaque privatis eripere. 11.59. n.3.4
Principis ſolius eſt agros paſcuos ad culturam reducere, aut eos alienare. 11.60 n.11.12
Princeps ſolus Magiſtratus creat. dignitates confert, Gubernatores in provincias mittit. 12.1. n.2 7
Princeps ſpectacula ſolebat edere. 11.49 n.1
Princeps ut populo placeret, annonam gratis largiebatur. 11.23. n.1
Princeps annonâ populum corrupit, ut imperio potiretur. num 2
Princeps ſolet approbare quæ Præfecti diſpoſuerunt in re annonaria. 11.27. n 8
Princeps audiens aliorum conſilijs cur ſuum celare debeat. 12. 8 n. 16
Princeps ad Præturam non evocat viros clariſſimos in provincijs degentes. 12.11. n.3
Principis approbatione beneficia aut officia reſignari debent 12.20. n.4 5
Princeps quos ad aulæ officia debeat aſſumere. n 9
Principis permiſſu removentur. n. 10
Princeps ne temere potentiores puniat: ſi rebellionem metuat, honoribus afficiat, clementiæ ubique memor. 2 23. n 11
Principis ut vitia, ita & virtutes amplectuntur aulici. Quæ parſimonia Principi neceſſaria. 12.31. n.5
Principes referuntur, qui venundationem officiorum publicorum permiſerunt. 12.33. n.4.5
Princept an poſſit cives ſuos alienare, impellente publicâ cauſâ. 12.48. n 5.6

Principes.

Principes officij non poterant adſpirare ad aliam militiam, aliàs carebant ſalarijs, & ſuæ civitati reſtituebantur. 12.58. n.18
Principes officiorum qui dicerentur, quando fierent agentes in rebus. 12.22. n.1
Principes conſequebantur præfecturas. n. 2
Principe inconſulto officiales ad munera publica non mittebantur. n. 3
Principes agentium in rebus, circa actiones exercendas, idem jus habuerunt quod Comites Conſiſtoriani. n. 4. 5
Principes retinebant privilegia, etiam depoſito officio, & non conveniebantur, niſi coram majoribus judicibus. n.6.7

Privilegium.

Privilegium prælationis habet mulier ratione ſuæ dotis. 5 12. n.20
Privilegium hypothecæ an locum habeat in matrimonio putativo. n 22
Privilegium in præjudicium alterius mulieris non obtinet. num. 25
Privilegium matris datur ejus liberis, non hæredibus extraneis. 7.74 n 2
Privilegium fiſci eſt, quod præfeтatur ratione hypothecæ tacitæ. 7.73 n.1
Privilegium fiſci ſe non extendit ad alienata, & ſolum ante contractum cum fiſco initum. n. 5
Privilegia plura fiſci referuntur. 10 1. n.23. & per tot.
Privilegia ſcholarum militantium recenſentur. 12. 90. per tot.
Privilegia Aulicorum, quæ & retinent functi munere. 12, 29 n 8 9.
Privilegia corporatorum urbis Romæ referuntur. 11. 14. per tot.
Privilegia domus Auguſtæ vel rei privatæ recenſentur. 11. 74 per tot.
Privilegia eorum qui in ſacro palatio militant, vide 12 29. per tot.
Privilegium Palatinorum quod non agnoſcerent onus temonarium, & præbitionem tyronum. n 6
Privilegia Aulicorum quæ hodie, qui Principi miniſtrant. num. 8
Privilegia retinent functi dignitate. n. 9
Privilegia curialium Judex tueri debet, & curare, ne illi injurijs afficiantur 11.13 n 6
Privilegia ſi ſint deperdita vel antiquata, petitur illorum renovatio a Principe n. 7
Privilegia an ad ſui validitatem requirant confirmationem ſucceſſoris. n 8

Privilegia

Digitized by Google

Privilegia an requirant ſcripturam: qui probentur amiſſa, & confirmentur. n. 9

Privilegiorum confirmatio non extenditur ad ea quæ, lædere poſſint jura & bona Principis n 10

Privilegiis civium gaudent incorporati urbis Romæ. 11.14. num 2

Privilegia & lucra corporatorum & ordinariorum miniſtrorum, non communicanda aſſumptis ſupra numerum 11.17.n 8.9.10

Privilegia urbis Conſtantinopolitanæ, & quæ Aulicis conceſſa, vide. 11.20 per tot.

Privilegia collegijs & urbibus conceſſa, nunquam revocanda. 12.21.n.7

Privilegia quæ in contractum tranſeunt, non revocantur, ex quibus utilitatem communitas ſentit. n. 8

Privilegium quo quis excuſatur à muneribus, an tranſeat ad hæredes. 10.47 n.14

Privilegium conceſſum per viam contractus, irrevocabile, & tranſmiſſibile ad hæredes n. 15

Privilegium conceſſum generi & poſteris, quos comprehendat. n. 16

Privilegium immunitatis ſimpliciter conceſſum an ſit reale, vel perſonale. n.17 18

Privilegium non amittit quis per actum, quo contra privilegium egit. 10 41. n 3.4 5

Privilegium amittet in futurum, ſi nihil faciat, aut opponat, longo tempore n 6

Privilegia Medicis conceſſa,& quibus. 10 51.n.11.12.19

Probatio.

Probatio quid, quæ probanda ſint Judici, & quare. 4. 19. n 1 2

Probationum quæ vim habeant, & earum loco ſuppleant. num 3

Probatio alia plena,alia ſemiplena, duæ ſemiplenæ an vim habeant plenæ probationis. n. 4. 5

Probatio circa quæ decernatur, fieri debet lite conteſtatâ. n. 6. 7

Probare quando actor & reus debeat. n. 8

Probari negativa non poteſt,quando poſſit. n. 9

Quæ ſit negativa facti, qualitatis, aut juris, & à quo probanda n. 10

Probandi modi. Inſtrumenta quid probant: Conſanguinitas ut probetur, item virginitas, & filiatio. n. 11. 12.13.14

Privatæ atteſtationes quam fidem faciant. n 17

An acquieſcere teneantur hæredes atteſtationi teſtatoris. num. 18

Probandi onere relevatur, qui poſſidet. Quid, ſi injuſtè poſſideat. n.19 20

In judiciis mixtis utraque pars probat, ſed quæ obtinebit. n. 21

Probatio quæ requiratur in criminalibus. n. 22

Proconſul.

Proconſulis poteſtas, dignitas, quibus inſignibus uteretur. 1 35. n. 4 5

Proconſulis juramentum, cûm provinciam ingrederetur. n 7

Proconſul juriſdictionem demandare poteſt Legato. n. 8 9

Proconſul ea quæ imperij ſunt, ſolus exercet n. 10

Proconſulis dignitas diminuta. Quot ei legati,quot apparitores 12.56. n 2.3

Proconſules an habuerint ſtratores. 12.25. n.5

Procurator.

Procurator quis, qui cogantur per procuratorem litigare. 2.13 n. 1.2

Procuratorem qui conſtituant. Quando curatores procuratorem conſtituant n 3 4.5

Procurator quando alium ſubſtituat. n 6.7

Procuratores qui eſſe prohibeantur. n. 8

Procurator an minor 25 annis eſſe poſſit. n. 9

Procurator invitus nemo conſtituitur: & quando cogi poſſit. n. 10

Procurator in quibus cauſis poſſit conſtitui. In criminalibus an admittatur. n 11

Procuratoribus quæ exceptiones obiici poſſint n 12.13.14

Procurator tutorum bonorum quæ poſſit,vel non. n. 20

Procuratores quibus modis eſſe deſinant. n. 23

Procurator an cogatur appellare, & appellationem proſequi. n 24 25

Procurator fiſci & procurator Cæſaris quis. 10.1 n. 6.

Procurator Principis interim quod procurat ejus patrimonium,excuſatur à muneribus. 10.47. n 4

Procurator conſtituebatur ad exigendum canonem a Metallarijs. 11.6. n 4

Procuratores Gynæcij & Baphij qui ſint, & quod eorum munus. 11 7. n.19

Procuratores hi ſatiſdare tenebantur, item Adminiſtratores Reipublicæ. n 15.16

Profeſſores.

Profeſſores à quibus muneribus ſint immunes. 10. 52. n 1. 2

Profeſſoribus immunitas data etiam ab oneribus realibus. n 3.4.

Profeſſores eſſe oportet intra ſtatutum numerum, & judicio ordinis probatos. n 5.6

Profeſſoribus ex publico ſalarium conſtituitur, & quale. n 7 8

Profeſſores in perpetuum conducti, ſi moriantur, tranſmittunt ſalarium ad ſuos. n 9.10

Profeſſoribus delati honores & ſalaria, ſed eorum numero non adſcribebantur Geometræ. n 26

Neque Poetæ, neque Philoſophi qui ſe tales eſſe ſimulabant.fruebantur immunitate. n 24.25

Profeſſorum appellatione comprehendebantur Medici, de quorum ſcientia, curatione, mercede, ſubrogatione, immunitate & alijs requiſitis agitur. d 1.52 per tot.

Profeſſores qui in urbe Conſtantinopolitana viginti annos profeſſionem exercuerant, Comitativâ honorabantur. 12.15. n 1

Profeſſores ad ſacerdotia prima evehebantur, & illuſtribus connumerabantur,& quare. n.2.3

Profeſſoribus judicio Ordinis probatis privilegia & præmia dabantur. n. 4

Dantur & hodie illis qui ſunt probi moribus, docti, facundi, prudentes. n. 5

Profeſſionem merentur probati & ſtricto examine explorati. Nimia ſtudioſorum turba cur rejicienda. n. 6

Protectores.

Protectores & Præpoſiti laborum qui dicantur, & de eorum privilegiis & qui hodie tales. 10.47.n.3

Protectores armatam militiam exercebant & Principis perſonam cuſtodiebant. 12.17.n. 1

Protectorum loco & cuſtodes, qui nunc vocentur in aula Regia. n. 2

Proxeneta.

Proxenetæ nuptiarum quantum permiſſum exigere præmij loco. 5 1. n 20

Proxeneta ſi exceſſerit laudando ſponſam,quid juris. n. 21

Proximi ſcriniorum

Proximi ſacrorum ſcriniorum ſecundum à magiſtris locum obtinent,& eorum vices implent. 12.19. n.2

Proximi ſcriniorum quo in honore, durante militiâ,& peractâ eſſent. n. 3

Proximis annumerati plures militantes in ſacris ſcrinijs, n 4.5 6

Melloproximi ſequenti anno futuri erant proximi. n. 4. 5. & 6

Proximorum

Digitized by Google

Proximorum aliorumque in ſacris ſcriniis militantium privilegia. n.21.22

Publica lætitia.

Publica lætitia nuncianda modico præmio. 12.64. n.1
Publica lætitia quas ob cauſas indicetur n. 2
Publicabatur victoria quæ ad Principem referebatur n. 3
Publicam pacem nunciatores referebant, quo nuncio omnes lætabantur. n.4.5
Publicabant nunciatores novos Conſules, quorum poteſtas ſub Imperatoribus diminuta. n. 6.7
Publicæ lætitiæ cauſâ quæ creationis die fierent ibid.
Publicæ lætitiæ cauſâ donatio immodica an valeat. n. 12
Publicæ lætitiæ cauſâ ſi quæ donentur, in rationes ſunt referenda. n. 13

Publicæ rationes.

Publicas rationes ſuſceptores conficiebant, ſed nulla iis auctoritas niſi Procurator Cæſaris eas approbaſſet. 10.1. n.13.14
Publicæ rationes quid ſi hodie approbatæ ſint à Judice n.15
Publicæ rationes non rectè ſubductæ, an iterum ſubducendæ: Quid, ſi errore, aut dolo fuerint factæ. n. 16. 17. 18
ex Publicis rationibus mutuam pecuniam accipere, inconſulto Principe, veritum ſub pœna. 10.6. n.1.2

Q.

Quarta.

Quarta olim legitima, nunc aucta pro liberorum numero. 3.28. n.31.32
Quarta Falcidia in quibus legatis locum habeat. 6. 50 num. 2
Quarta hæc ex quibus bonis deducenda; & imponenda illius ratione; quod tempus conſiderandum. n. 8
Quartæ deductio quibus caſibus ceſſet. n. 12.13
Quarta Trebellianica quid, qui differat à Falcidia. 6. 49. num. 9
Quartas duas an filius gravatus poſſit detrahere. n. 11
Quartam Trebellianicam exemplo Falcidiæ detrahit hæres gravatus fideicommiſſo. n.4 10
Quartæ Trebellianicæ detractio quando [illegible] An prohiberi poſſit. n.19.20
Quæ in hanc quartam imputentur. n.16.17.18
Quarta ex conſtitutione D. Pij relinquenda impuberi arrogato. [illegible].48 n.9
Quarta hæc an ſit omnium arrogatoris bonorum. n. 10
Quarta portio delatoribus debebatur; qui inde dicti Quadruplatores. 10.13.n.3
Quarta pars ex bonis Decurionis defuncti Curiæ præſtanda. 10.34 n. 1
Quarta iſta ex bonis omnibus deſumitur, qui fiat partium diviſio. n. 2
Quartæ loco dodrans liberis curialibus debetur. n. 5
Quid, ſi pater curialis filios non haberet, ſed filias, quid obſervaretur. n. 6

Quæſtio.

Quæſtio quando decernenda, quæ præmittenda priuſquam ad torturam deveniatur. 9.41. n. 1.4
Quæſtionem priuſquam Judex decernat, quæ illi conſideranda. n.21.22
Quæſtio non decernitur ubi de crimine legitimè conſtat, nec in eum qui convictus eſt. n. 2
Quæſtionem præcedunt indicia urgentia, de quibus actum ſup. de indicijs
Confeſſio in tormentis facta ratificanda. n. 25
Quæſtiones adhibitæ quando & quoties repetendæ ex novis & ſine novis indiciis. n. 26.
Quæſtionis repetitio quando pendeat ex Judicis arbitrio, n. 27
Quæſtionis quis modus ſervandus,
Quid, ſi reus conſtanter in tormentis crimen negaverit, num abſolvendus. n. 29
Quid praxis hac in re obſervet: ſi plures, quis prior torquendus. n.30.31
Qui torqueri poſſint aut non poſſint. n. 32. 33. 34. 35. & ſeqq.

Quæſtores.

Quæſtorum origo, numerus, dignitas, munus. 1.30. n.2. 3. & 4
Quæſtoris ſacri palatij dignitas & poteſtas. 12.6 n. 1
Quæſtores & Aſſeſſores ærarij Regij qui nunc, & quod eorum munus. 10. n. n.7.11

Querela.

Querela inofficioſi teſtamenti quid, quo jure introducta. 3.28. n.2.3
Querela quibus liberis competat, an detur naturalibus & legitimatis per reſcriptum Principis, petente patre. n 4.5.6
Querela datur liberis à matre præteritis, quo caſu non. n. 8 9
Quærelam pater filij nomine, cur eo invito non intentet. num 10
Quærela datur parentibus. Quando fratribus & ſororibus. n.11.12
Querela quando tranſmittatur ad ſucceſſores. n. 13
Querela adverſus quos detur, quando movenda, quo loco, coram quo. 16.18.19
Querela intra quod tempus proponenda. n. 20
Querelæ effectus jure veteri, & novo. n.22.23
Querela ceſſat, ſi aliud remedium ſuperſit, ſi juſtè exhæredati ſint liberi, ſi eis legitima ſit relicta n.25.26.27.28
Querela inofficioſæ donationis, qui differat à querela inofficioſi teſtamenti. 3.29. n.1.2
Querela hæc quibus, & contra quorum donationes competat. n. 3
Querela hæc non revocat niſi quod immodicè donatum, n 4.5
Querela non proponitur niſi mortuo donatore, nec conceditur revocatio. n. 7
Querela quibus caſibus ceſſet. n. 9
Querela inofficioſam dotem reſcindit. 3 30 n. 1
Querela num ceſſet, ſi dotis aſſignatio facta ſit primo marito. n. 3
Querela hæc vim habet, quando dos immoderata data eſt, num 2
Quid, ſi pater inofficioſè filiam dotavit ob generis nobilitatem. n. 4
An poſſint filij, mortuo patre, qui inofficioſè dotem dedit, eam revocare. n. 5

.R.

Rapina.

Rapina atrocior furto, cur tamen fur manifeſtus magis puniendus quàm raptor. 9.33 n. 5
Raptor qui differat à graſſatore, & hic à latrone. n. 6
Actio vi bonorum raptorum cui, adverſus quem, & ad quid detur. n.1.2.3

Raptus.

Raptus quid ſit, in quibus fiat, quæ ejus pœna. 9.13. n. 1
Raptor virginis in ipſo crimine ab omnibus occidi poteſt, num 2
Raptui ſi mulier conſenſerit, an rapientem excuſet. n. 3
Raptæ mulieri bona damnati acquiruntur, niſi fuerit ancilla. Quid, de Moniali rapta. n. 5
Raptoris bonis indigna eſt mulier, ſi ei nubat; bona acquiruntur parentibus ſi nuptiis non conſentiant. n 6
Raptæ cum raptore permiſſum hodie matrimonium, ſed hic non evitat pœnam legis. n. 7

Digitized by Google

Raptor nuptiæ gravius punitur. An & raptor ſponſæ ſuæ. An puniendus qui rapuit,& non vitiavit. n. 8 9
Raptus num fiat cum meretrice, & quâ pœnâ puniatur. Quid, ſi mulier rapiat virum. n. 11. 12

Reconventio.

Reconventio quid, & coram quibus fieri debeat. 7. 45. num. 18
Reconventio quando non admittatur, & an Clericus coram ſeculari judice reconveniri poſſit. n. 19
Reconventio quibus controverſiis objici nequeat. n. 20
Reconventio an opponi poſſit; & quid, ſi omiſſa fuerit. n. 21
Reconventio obtinet etiam in cauſis diverſis à conventione. n. 22
Reconventionis finis. Quando, & quomodo proponenda, an ſimul cum conventionis cauſa decidenda. n. 23

Rector.

Rector provinciæ quis dicatur, è quorum ordine aſſumeretur. 1. 40 n. 1. 2
Rectoris munus, & quæ in ſubditos poteſtas. n. 3. 4. 6
Rector quomodo in adeundo & cognoſcendo ſe debeat gerere. n. 8
Rector provinciæ quæ præcavere debeat. n. 10. 11

Recuſatio.

Recuſari judex ex quibus cauſis poſſit, & an judex ordinarius poſſit. 3 1 n. 23
Recuſari num poſſit advocatus fiſcalis. ibid.
Recuſans Judicem allegare debet ſuſpicionis cauſam. n. 24
Judici ſuſpecto addendus Epiſcopus. n. 21
Recuſatio Judicis quando proponenda. n. 26

Reductio.

Reductio à ſententia arbitri quatenus permiſſa, & quid praxis introduxerit. 2. 56. n. 14. 15
Coram quo judice & intra quod tempus petenda. n. 16. & 17
An liceat appellare à judice qui ſuper reductione cognovit. n. 18

Relatio.

Relatio quid, quomodo facienda, quod in ea edendum conſultationis exemplum litigatoribus. 7. 61 n. 1. 2
Relationi dum Princeps reſcribit, pro ſententia non eſt. num 3
Relationis uſus an ſit jure ſublatus. n. 5
Quid moribus noſtris obſervent Magiſtratus. n. 6

Relegatio.

Relegatio quomodo differat à deportatione. 9. 47. n. 6
Relegandi jus Procurator Cæſaris non habet, nec Præſes Provinciæ deportandi. n. 8. & 1. 40. n. 4
Relegatorum ante tempus in provinciam redeuntium pœna, & cuſtodii eos dimittenti. n. 7
Relegationis tempore finito, dimittendi ſunt rei, ſi in carcere detineantur damnati. n. 9
Relegati ad tempus, ſi carcere detineantur, imputatur illud tempus exilio. 10. 59 n. 4
Relegatus ad tempus vel ordine motus, an expleto tempore adhuc maneat infamis, & ut talis ab honoribus repellatur. n. 5
Relegatus ſi ſit ob crimen, infamia perpetua manet, niſi Judex graviorem pœnam quam lex imponit, ſtatuat. num. 6
Relegatus rectè teſtamentum condit. 6. 22. n. 9

Remiſſio.

Remiſſio delinquentis an fiat ad locum ubi delictum commiſſum eſt. 3. 15. n. 3
Remiſſio pœnæ ſtrictè intelligenda, ſecundum loci ſtatuta. 9. 48. n. 19. 10
Remittere vel commutare pœnam ſolius Principis eſt. n. 17. 24

Renunciatio.

Renunciatio futuræ ſucceſſionis cur improbetur jure civili, non Canonico. 2. 3. n. 14
Renunciare liti poteſt qui agere in judicio cœpit. n. 7.
Renunciatio filiæ non eam excludit à petitione legitimæ, niſi cum juramento bonis renunciaverit. 3. 28. num 30
Renuncians an excludatur à remedio. l. 2. C. de reſc. vend 4. 44. n. 18
Renunciare Velleiano an mulier poſſit. 4. 29. n. 13
Renunciare Macedoniano cur non poſſit filiusfamil. 4. 28. num. 19

Repudiatio.

Repudiatio hæreditatis quomodo fiat; & à quo facta non valeat. 6. 31. n. 2
Repudiat tutor non ſolus, nec filius ſine juſſu patris, nec pater ſine voluntate filij. n. 3
Repudiare Prælatus hæreditatem Eccleſiæ delatam non poteſt, ſine aſſenſu capituli. n. 4
Repudiare hæreditatem non poteſt qui ſe ingeſſit pro hærede. n. 5
Repudiatione unius, alteri ſuccedendi via aperitur, niſi qui repudiat, duplici jure poſſit ad. re. n. 12

Reſcriptum.

Reſcripta varia, alia juſtitiæ, alia gratiæ. 1. 23. n. 1. 2
Reſcripta hæc qui differant, & quid in ijs obſervandum. num 3
Reſcripta an perpetuum habeant vigorem. n. 4
Reſcripta gratiæ perpetua; Juſtitiæ annalia. n. 5
Reſcripta gratiæ à tempore datæ vim habent, juſtitiæ non. num 6
Reſcriptis omnibus quæ communia, eorum forma. n. 7. 8
Reſcripta Principis ſi iniqua ſint, quid facere judicem oporteat. n. 11
Reſcripta quibus modis & caſibus ſint vitioſa. 1. 22. n. 1
Reſcripta quid ſi per fraudem vel mendacium fuerint impetrata. n. 2
Reſcriptum quid ſi nihilominus Princeps erat conceſſurus. n. 3. 4
Reſcripta ne privatos lædant, potius impropriè accipienda. 11. 17. n. 10
Reſcriptorum verba in eum ſenſum flectenda, ut minimum lædant. n. 11
Reſcripto P[illegible] qui ſe læſum probat, quo remedio ſubveniatur. n. 12
Reſcriptum quo quis eximitur à muneribus patrimonialibus belli tempore, non valet. 10. 48. n. 3. 4. & 31. num 23
Reſcriptum quo immunitas datur à muneribus ordinarijs cur non valeat. 10. 16. n. 29
Reſcriptum Principis tunc valet, quando apertè de ejus voluntate conſtat. n 30. 31

Reſtitutio in integrum.

Reſtitutio in integrum minori, quando, & quibus ex cauſis detur. Vide ſup. de minore.
Reſtitutio non datur minori adverſus geſta per tutorem ſuo nomine. 2. 25. n. 2
Reſtitutio adverſus ſententiam ſummorum judicum cur admittatur, & non appellatio. 2. 27. n. 1
Reſtitutio conceditur contra quamcumque ſententiam, modo fuerit valida, & lata durante ætate minore. n. 2
Reſtitutus adverſus aditam hæreditatem, ut eam deleat, reſtitui poteſt. 2. 40. n. 3. 4
Reſtitutio fruſtra petitur, cùm ipſo jure tutus eſt minor. 2. 41. n. 1
Reſtitutio minori Juriſconſulto, vel mercaturam exercenti an detur. 2. 42. n. 1. 2. 3
Reſtitutio non datur majori, ſi ratum habeat quod minori ætate geſſit. 2. 46. n. 1
Reſtitutio denegatur, ſi minor ſe majorem ſimulaverit. 2. 43. n. 1
Reſtitutio ſemel petita & à judice denegata, non datur. 2. 44. n. 1

Reſtitutio

Digitized by Google

Reſtitutio quatenus denegetur his qui veniam ætatis impetrarunt. 2. 45 n. 1
Reſtitutio à quo judice impetretur: hodie à ſupremo Senatu datur. 2. 47 n. 1 4
Reſtitutio ita facienda, ut reciprocè quiſque ſuum recipiat 2. 48 n. 1
Reſtituitur major ex juſta cauſa veluti abſentiæ. 2. 51. n. 2
Reſtituitur miles ratione abſentiæ ex cauſa militiæ. n. 3
Reſtituuntur & ex alijs cauſis majores, de quibus vide 2. 14 per tot.
Reſtitutio hæc petenda intra quadriennium continuum. 2. 52 n. 2 3. 4
An currat hoc tempus ignoranti reſtitutionem ſibi competere n. 6
Reſtitutioni locum facit alienatio judicij mutandi cauſâ facta. 2. 55. n. 1

Reſtitutio Reorum.

Reſtitutio & remiſſio pœnarum ſpectat ad Principem. 9. 51. n. 1
Reſtitutio ſtrictè procedit ſine damno tertij: qui audiendi nunc. n. 2 3. 4
Reſtitutione facta quænam bona recuperet reus. n. 5 6
Reſtituenda hæreditas, bonorum poſſeſſio, & alia jura, & actiones. n. 7. 8
Reſtituti teſtamentum convaleſcit: Interim quæ geſſit filius, rata manent. n. 9
An & teſtamentum quod filius fecit reſtituto patre, vel ante reſtitutum patrem. n. 10
Quid moribus obtineat, præſertim in Brabantia hac in re, & quomodo gratia Principis procedat. n. 15. 16. 17. 18. 19

Reſpublica.

Reſpublica quid, & quæ publicæ res. 11 29 n. 1
Reipublicæ Romanæ jure gaudent civitates & oppida. n. 2
Reipublicæ quæ dicantur, & eorum diſtinctio. n. 4
Reſpublica aliquando utitur jure communi, aliquando jure ſingulari, n. 5
Reſpublica quando utatur jure minoris. n. 7
Rempublicam ſi quis vult citare, an ſufficiat ejus Syndicum citare. n. 8
Reſpublica tenetur conſtituere Syndicum, & per eum agere. n. 9. 10
Reipubl. bona adminiſtrator non poteſt alienare ſine conſenſu curialium. n. 11
Reipublicæ expedit ad eam promovere homines mediocris ingenij, quàm ſublimioris. 12 32. n. 7

Retractus.

Retractus conventionalis, vel gentilitius. 4. 54. n. 11
Retractus conventionalis vim & effectum vide dicto. 4. 54. n. 12. & ſeqq.
Retractus gentilitius quo tempore concludatur, quibus currat n. 23
Retrahendi jus qui habeant. Quis proximior hic cenſeatur. n. 24 25 26
Retractus quibus in rebus locum habeat, & qui procedat. n. 27
Retrahens pretium totum offerre debet. n. 28
Retrahere agros Reipubl. tenetur adminiſtrator. 11. 30. n. 4

Reus.

Reus ſtipulandi & promittendi quis. 8. 40 n. 1
Rei quomodo conſtituantur, an in diem & ſub conditione poſſint obligari. n. 2
Rei plures fieri poſſunt in contractibus & ultima voluntate. n. 3
Rei debendi in ſolidum conveniuntur, etiam unus cui nihil datum. n. 4
Rei unius ſolutione num ceteri liberentur. n. 6
Correi unius pactum an ceteris ſocijs noceat, n. 11
Reus ſi debitum integrum ſolverit, an partem petere poſſit à ſocio. n. 12
Reorum plurium conſtitutio & effectus quis hodie. n. 18, 17
Reus traſmittendus ſub cuſtodia ponitur. 9. 5. n. 1. 2. 7
Reus qui fraudem fiſco fecit, qualiter puniatur in bonis acquiſitis & acquirendis. 10. 1. n. 18. 19
Reo mortuo ante condemnationem ejus bona fiſco non acquiruntur. n. 27. 28
Reo mortuo extinguitur crimen, & quando non, 9. 6, n. 25

Ruſticani.

Ruſticani capitationem ſolvere tenentur, non alia onera publica ſubire. 11. 54 n. 1
Ruſticos qui ad obſequia cogunt, & eorum equos capiunt, puniuntur. n. 2
Ruſticis & eorum rebus, quæ privilegia & exemptiones datæ de jure & moribus hodiernis. n. 3. 4
Ruſticis fallacibus denegantur exemptiones, quæ ſolis ſimplicibus dantur. n. 5
Ruſtici quovis tempore, etiam feſtivo, poſſunt cogi annonam in civitates vehere; Item vicini urgente neceſſitate. n. 6
Ruſtici ita hodie vexantur ob belli cauſam, ut agros ſuos cogantur deſerere, magno Reipubl. damno. n. 7
Ruſticis quando ſubveniatur ob juris ignorantiam, 1. 18, n. 8
Ruſticorum teſtamenta ruri condita, ſunt privilegiata. 6, 23. n. 29

S.

Sacra res.

Sacræ res quovis jure quæſitæ, nullo modo alienandæ vel oppignorandæ. 1. 2. n. 21
Sacræ res, urgente neceſſitate publicâ, alienari poſſunt. n. 22
Sacræ res alienentur, quæ ſolemnitas intervenire debeat n. 23

Sacrilegium.

Sacrilegium qui proprie committunt, qui puniantur. 9, 19 n. 1. 2. 4
Sacrilegi qui impropriè; & quæ pœna utroque jure, & hodie. n. 8
Sacrilegij crimen eſt mixti fori. Ab Eccleſiaſtico punitus poteſt & à ſæculari puniri. n 5. 6

Salarium.

Salarium ex publico præbendum juſſu Principis. 10. 36, n. 1
Salarium conſtitui poteſt Profeſſoribus & Medicis ſine juſſu Principis. n. 2
Salarium quævis civitas miniſtris neceſſarijs conſtituit, & bonis deficientibus collectam imponit. n. 4
Salarium à Principe conſtitutum augeri poteſt à civitate, n. 5
Salaria præbent civitates citra Regis licentiam; in municipijs ea præſtant domini locorum. n. 6
Salarij loco hodie dantur ſportulæ Judicibus, qui ſi majores ſint, ſalarium à Principe accipiunt, & quare. n. 7
Salarium Magiſtratus inferiores à municipijs accipiunt; ſi id non ſit ſufficiens, aliquid amplius exigere poſſunt, donec augeatur. n. 8
Salario conſueto tenentur officiales adminiſtrare, licèt non ſit ſufficiens. n. 9
Salarium conſuetum quod dicatur, etiam quando varia- tur. n. 10
Salarium Medici ex publico habentes, promiſcuè omnes curare debent. 10 52 n. 13
Salarium ſi aſſignatum non ſit, moderatum quando exigendum. n. 14
Salario eodem curandus is, qui ſæpius in eundem morbum incidit; nec cum eo paciſcendum, n. 15. 16

 Si curam

Digitized by Google

Si curam Medicus protraxerit, ut plus ab ægro extorqueat, punitur. n. 7
Salarium an poſſit Medicus exigere ab hæredibus, aut ægrotantem deſerere. n. 18
Salaria militum Romanorum: quando ea dari cœperint, quanta eſſent, & nunc ſint. Cur media pars ſervaretur apud ſigna. 12. 38 n. 7
Salaria olim Magiſtratibus & Advocatis data, nunc quoque ex publico danda. n. 12
Salarijs contenti eſſe debent Magiſtratus, & nihil ultra accipere. 9. 27. n. 4. 5
Excipiuntur caſus. n. 5

Salgamum.

Salgamum quid ſit, quæ ejus loco militibus non liceat extorquere. An oblata accipere. 12. 42 n 1. 2. 4
Salgamum quod hodie detur militibus n. 3
Salgami loco in præſidijs dantur ſupellectilia, quæ reſtituenda juxta inventarium. n. 5
An damna & ſumptus quos ob militum tranſitum & hoſpitationem aliqui paſſi ſunt, ſarciri debeant à communitate. n. 6

Saltus.

Saltus divinæ domus, erant fundi inculti paſcuis deſtinati 11. 65 n. 1
Saltus rei dominicæ ſunt fundi rei privatæ, dati in emphyteuſim à fiſco. 11. 66 n. 1
Saltus dominici non devaſtandi, nec pecora in eos immittenda. n. 5

Satiſdatio.

Satiſdatio quid, quotuplex, quæ ſufficiens; qui ſatiſdare non poſſint. 2. 57. n. 1. 2
Satiſdatio quibus remittatur, quam præſtet actor & ejus procurator. n 3. 4. 5

Schola.

Scholæ Palatinæ quot. Fabricenſium non fuit ſchola, ſed corpus certum. 12. 30 n 1
Schola Protectorum fuit undecima. Qui Protectores apud nos. n. 2
Scholæ militantium undecim recenſentur, Principem comitari ſolitæ. n. 1. 4
Scholæ aliæ armatæ, aliæ inermes, & cui ſubjectæ. n 5
Schola quævis ſuum habebat Comitem; quæ ei poteſtas. n. 6. 7. 8
Schola Domeſticorum & Protectorum diviſa in equites & pedites. 12. 17 n 1
Scholæ huic adſcripti qui negligenter officium fecerant, aut crimen aliquod commiſerant, degradabantur. n. 13

Securitas.

Securitas datur navigantibus & proficiſcentibus. 11. 1. n 7
Securitas data eundi, num & redeundi data cenſeatur. n. 15
Securitas ad quas perſonas extendatur. n. 16
Securitas etiam rebus datur. An extendatur ad revehendum merces hoſtiles. n. 17
Securitatem publicam frangens, quâ pœnâ afficiatur. n. 18. 19

Seditio.

Seditio quid, quæ ejus pœna, ad quos extendatur. 9. 30. n. 1
Seditionis auctores gravius puniuntur; multitudini parcitur. n. 2
Seditionem miles qui ob non ſolutum ſtipendium intendit & Principem ſuum vulneravit, qui puniatur. n 4
Seditio levior qui in milite punienda. n. 5
Seditio ne fiat, maxime vigilandum, & quomodo præcavenda. n. 6
Seditioſi olim acriter puniti, idque ſortitione. 12. 36. n 43
Seditio prius ſedanda quàm in auctores animadvertatur. n. 44

Senatus.

Senatus quid ſit, & quæ jura illi competant. 1. 16 n. 1
Senatus an poſſit leges condere n. 2
Senatoribus quare Ægyptus non fuerit uſa, ſed Magiſtratu municipali, & Juridico Alexandriæ. n 3
Senatores & curiæ patroni ubi domicilium habeant, & conveniantur. 10. 39 n. 15. 16
Senatores nominati, quam penſionem penderent. 12. 2. n. 8
Senatorum filij ante dignitatem ſuſcepti, an ſint clariſſimi. 12. 1 n. 59
Senatoribus & pudicis matronis vetitum intereſſe ſpectaculis. 11. 40 n 11
Senatoribus non fuit permiſſum habere vel ædificare naves, nec negotiari cum provincialibus. 11. 3. n. 3
Senatus Præſes & Cancellarius omnes Senatores præcedit, hi inter ſe ſervant promotionis ordinem. 12. 8. n. 12
Senatores utebantur veſte purpureâ & togâ prætextâ. 11. 8. n. 3

Senatuſconſultum.

S.C Macedoniani origo, quid prohibeat, ad quos ſe extendat 4. 28 n. 1. 2
S.C Macedonianum mutuum dari filiofamil. prohibet, non alios contractus. n. 4. 5
S.C. Exceptio quibus caſibus ceſſet; ſi patiatur pater filium negotiari. n 8 9 & ſeqq.
S.C filiusfamil. renunciare non poteſt: quid, ſi juraverit, an in conſcientia teneatur. n. 18. 19. 20
S.C. Velleianum vetat mulieres intercedere pro alijs, quando dicantur intercedere. 4 29 n. 1. 2. 3
S.C quando non ſit locus. Quid, ſi mulier tantam pecuniam acceperit ut intercederet. n. 18. 19
S.C mulier renunciare an poſſit: Quibus detur S.C. exceptio. n 23. 24. 25
S.C Silaniani origo & cauſa, & qui eo teneantur. 6. 35. n. 1. 2. 3
S.C. Silaniano quod tempus præſcriptum accuſationi ſuper nece defuncti n 8
S.C. qui ſervi noxij & qui non n. 9
S.C. Pegaſiani & Trebelliani cauſa, ut aditâ fideicommiſſariâ hæreditas reſtituatur. 6. 49 n 1. 2
S.C Tertyllianum admittit matrem ad filij abſque liberis defuncti ſucceſſionem. 6. 56 n. 1
S.C Orphitiano liberi matribus ſuccedunt 6. 57 n 1
S.C. Libonianum punit eos qui ſibi aut ſuis legatum teſtamento adſcripſerunt. 9. 23 n 1. 2
S.C Turpillianum punit tergiverſatores, qui accuſationem deſerunt non impetratâ abolitione. 9. 45 n. 2. 3. 4

Sententia.

Sententia definitiva & interlocutoria quid, quando revocari nequeat. 7. 45. n. 1. 2
Sententia à Judice ferenda. Quid, ſi ab alio lata: forma ſententiam ferendi. n. 3. 4. 5. 6. 8
Sententia ut valeat, ferenda in eum qui litem eſt conteſtatus Quando ferenda. n 8. 9
Sententia de omnibus rebus in judicium deductis ferenda. Quid, ſi plures juris quæſtiones concurrant, quæ præferendæ. n 10. 11
Sententia ex peritorum conſilio ferenda, quando ſine eo valeat. n. 13. 14
Sententiam ſi plures juſſi ſint judicare, omnes adeſſe & pronunciare debent. n. 15
Sententiæ diſſonæ inter pares numero quid ſi proferantur. n. 16
Sententiæ ſolennitas, quomodo, quando, quibus præſentibus pronuncianda. n 24
Sententia debet eſſe condemnatoria vel abſolutoria. n. 25
Sententia plena eſſe debet: an conditionem admittat. n. 26. 27
Sententia lata non reſcinditur ſine appellatione, nec revocatur ſemel lata. n. 29. 30

Sententia

Sententia interlocutoria reſcindi poteſt, quando ab ea appelletur. n. 33. 34
Sententia quibus modis nulla dicatur. n. 36
à Sententia præfecti prætorio cur non appelletur. 7. 42. n. 1. 2
Sententiam utrâque parte præſente Judex ferre debet. 7. 41 n. 1
Sententia valet ſi altera pars abſit per contumaciam. n. 2
Sententia quid ſi lata ſit contra abſentem non ritè citatum. n. 6
Sententia lata die feriato, vel alio loco quàm deſtinato, non tenet. n. 7
Sententia a judice ex ſcripto proferenda; coram partibus recitata mutari nequit 7. 44. n. 1. 2. 3 4
Sententia ex conſilio petitorum proferenda. n. 6
Sententia certa cur eſſe debeat, quando incerta valeat. 7. 46 n. 1. 2. 3
Sententia petitioni accommodanda. An Judex petitioni ſit adſtrictus. n. 7. 8
Sententiæ modus circa taxationem & æſtimationem ejus quod intereſt. 7. 47. n. 1 & ſeqq.
Sententia ab incompetenti Judice lata eſt nulla. 7. 48 n. 1
Sententia Judicis malè judicantis non eſt nulla, niſi dolo lata. 7. 49 n. 1
Sententia reſcindi non poteſt, ne quidem reſcripto Principis. 7. 50 n. 1. 2. 3
Sententia per appellationem retractatur à Judice ſuperiore. n. 4
Sententia ſi ipſo jure nulla ſit, Judex ordinarius de cauſa cognoſcit n. 5
Sententia quibus modis tranſeat in rem judicatam. 7. 52. n. 1
Sententia non retractatur propter inſtrumentum recens repertum. n. 5
Sententia pro reo lata dat illi exceptionem rei judicatæ; pro actore dat actionem judicati. n. 6
Contra quem hæc actio detur, & quæ cauſa hujus actionis. n. 7. 8
Sententiæ latæ facienda eſt executio; niſi novata ſit obligatio judicati, aut ſententia non valeat. 7. 53 n. 2
Sententiam qui Judices exequantur, & qui non. n. 3
Sententia ubi executioni mandanda, & quæ forma ſervanda. n. 6. & ſeqq.
Sententiâ unâ plures condemnati, an in ſolidum obligentur, vel pro parte. 7. 55 n. 1
Sententia lata quando alijs non præjudicet. 7. 56 n. 1 & ſeqq.

Separatio.

Separatio bonorum quid, & quando illi ſit locus. 7. 72. n. 18
Separationem bonorum qui petant. Quibus caſibus ceſſet. n. 19. 20

Sepulchra.

Sepulchra familiaria quæ ſint, & cur in civitate ſepeliri prohibitum. 8. 44 n. 2
Sepeliuntur nunc Chriſtiani in Eccleſijs & cœmeterijs, niſi rei criminum. n. 3
Sepulta corpora an aliò transferantur abſque venia, & quando. n. 4
Sepulchra familiaria & hæreditaria differunt. n. 7
Sepulchri electio libera, permiſſa inſcriptio. n. 8. 9
Sepeliendi ubi filij, cæterique deſcendentes, uxor. n. 10

Sequeſtratio.

Sequeſtratio num permitti debeat pecuniæ creditæ. 4. 4. n. 1
Sequeſtratio pecuniæ debitæ, non aliarum rerum, cur ceſſet. n. 2
Sequeſtratio non tantùm rei, ſed & perſonæ fit. n. 4
Sequeſtraria actio directa datur ſequeſtranti, contra ſequeſtrum, contraria ſequeſtro ad repetendum ſumptus. 4. 34. n. 19

Servitus.

Servitus alia ruſtica, alia urbana. Quæ urbanæ ſervitutes. 3. 34 n. 4. 13
Servitus altius tollendi, vel non tollendi, quomodo conſtituatur. n. 14
Servitus ne luminibus officiatur, qui differat à ſervitute altius non tollendi. n. 15
Servitus proſpectus qui differat à ſervitute ne luminibus officiatur. n. 16
Servitus luminum, & ne luminibus officiatur, qui differant. n. 17
Servitutes quomodo conſtituantur. n. 20
Servitutes an uſucapi poſſint. n. 22
Servitutes omnes habent cauſam perpetuam, non uſum continuum. n. 24. 25. 26
ad Servitutum præſcriptionem an opus titulo, ſcientiâ, & patientiâ. n. 27
Servitus quomodo amittatur. Quæ actiones pro ſervitutibus dentur. n. 28. 29. 30

Servus.

Servus fugitivus vel erro quis, quæ in eum pœna. 6. 1. n. 2 3
Servos publicos protegentes graviter puniuntur. n. 5
Servi fugitivi non uſucapiuntur. n. 7
Servus ut exponeretur, pactum quando valeat. 4. 55 n. 1
Serva ut proſtituatur, non valet pactum. 4. 56 n. 1
Servus ſi ita fuerit alienatus, ut manumittatur, pactum tenet. 4. 57 n. 1
Servi varijs modis manumittebantur, de quibus. 7. 1. n. 2
Servus communis manumitti nunc poteſt ab uno dominorum. 7. 7. n. 1
Servus pignori datus à domino manumitti non poteſt 7. 8. n. 1
Servi reipublicæ manumitti poſſunt. 7. 9. n. 1
Servum pupilli num poſſit tutor manumittere. 7. 11 n. 2
Servus aut libertus ad decurionatum aſpirare nequeunt. 10. 32. n. 1.
Servus ſi ad dignitatem irrepſerit, an geſta ab eo, rata habeantur. n. 4

Silentiarij.

Silentiarij & Decuriones eorum qui fuerint, quod officium, 12. 16. n. 1
Silentiarij, decuriones & uxores eorum coram quo conveniantur. n. 2
Silentiariorum privilegia & quibus connumerarentur. n. 5. 8
Silentiarij quamvis ſint in patria poteſtate, ſalaria aliaque emolumenta ſibi acquirunt, nec ea conferunt. n. 7

Societas.

Societas quid, quomodo contrahatur, & ad quod tempus. 4. 37. n. 1. 2. 3
Societati omnium bonorum quæ conferantur. n. 4
Societate ſimpliciter coita quæ communicentur. n. 5
Societatis lucra & damna qui dividantur. n. 6
Societatis conventio valet de lucro & damno inæquali. n. 7. 8
Socius quam culpam præſtet, & cur actio pro ſocio utrimque directa. n. 11. 12
Societas quibus modis ſolvatur. n. 13. 14 15 16. 18
Societas ut ſit perpetua, nequidem à teſtatore effici poteſt. n. 17

Solutio.

Solutio quid, ſolvit qui debet & ejus hæres, Maritus pro uxore, & contra. 8. 43. n. 1. 2. 3
Solutio cui fiat, an alij quàm creditori; an ejus ſervo: An creditoris creditori n. 4. 5. 6
Solvi an aliud pro alio poſſit creditori invito; integrum debitum an per partes. n. 8. 9. 10. 11
Solutio facienda modo & loco convento. An ante diem adjectum fieri poſſit n. 12. 13

Digitized by Google

Solutio quomodo probetur. Quid operetur chirographi redditio n. 14. 15. 16
Solutionis effectus. Non revocatur ſemel ſolutum niſi læſio intervenerit. n. 17. 18

Spectacula.

Spectaculorum finis, virtus, voluptas, & quæſtus. 11. 40. n. 1
Spectacula, & ludi tragici, comici, mimici per quos exercerentur. n. 2. 3. 4
Spectacula impudica quæ olim permiſſa, nunc ſublata, n 5. 6. 7
Spectacula hiſtrionum bonis moribus obſunt, & ſcelera docent. n. 12
Spectacula reipubl. noxia debent Magiſtratus tollere. n 13. 14
Spectacula, feſtivitates & ludos qui honeſtè exhibentur, permittendi, & quare. n. 15. 16

Spoliatus.

Spoliatus ante omnia reſtituendus. 8 4. n. 17
Spoliato omnia reſtituenda quæ habiturus erat antequam ſpoliaretur. n. 21
Spoliatus prædo à vero domino quid juris. n. 27. 28

Sponſalia.

Sponſalia quid, unde dicta, quibus verbis contrahentur. 5. 1. n 1. 2. 3
Sponſalia quando in nuptias tranſeant. Qui ea contrahere poſſint. n. 4. 5. 6
Sponſalia inducunt juſtitiam publicæ honeſtatis. n. 7
Sponſalia parentes pro impuberibus contrahunt. n. 8
Sponſaliorum effectus. n. 9
Sponſæ illicitus concubitus qui vindicetur. ibid.
Sponſio prima conjugij futuri præfertur ſecundæ juratæ. n. 10
Sponſalibus contractis quid ſi interceſſerit copula. n. 11. 12.
Sponſalia de præſenti effectum habent matrimonij. n. 13
Sponſalia de futuro quas ob cauſas ſolvantur. n 14. 15. 16.
Sponſæ fornicatio ignorata ſponſo, an det jus ſolvendi ſponſalia, aut vis ab alio illata. n 17
Sponſalia pœnæ adjectionem non ferunt. n. 18
Sponſa an teneatur exſpectare ſponſum abſentem. n 19
Sponſalia ſi Rector provinciæ contraxerit cum provinciali, perdit arras. 5. 2 n 1
Sponſalitia largitas quid, & quando reſtituatur, vel non. 5. 3. n 11
Sponſæ ſi facta ſit donatio, num repetatur nuptijs non ſecutis n. 12
Sponſæ oſculo dato, quid lucretur ſi illa moriatur ante nuptias. n 13
Quid, ſi copula ſubſequetur, aut ſponſalia nulla ſint ratione impedimenti. n 14. 15

Sportula.

Sportulæ quid, quibus præſtentur, & à quo. 3. 1. n 4
Sportulas ſolvere qui non teneantur. n. 5
Sportularum modus quæ Judicibus dantur. n. 6

Stationarij

Stationarij & curioſi in mores & delicta militum inquirebant 12. 23. n. 7
Stationarij quod graviora deferrent, abdicati, & ſubrogati magiſteriani. n 8
Stationarius ſimiles Saiones, horum loco Procuratores fiſcales & inquiſitores. n 9. 10. 11
Stationarij cur carcerem habere non potuerint. 12. 58. n. 8

Statua

Statuas erigere nulli licet, niſi beneficio Imperiali. 1. 24. n. 1
Statuæ Principum jus aſyli præbent. 1. 52. n. 1
Si ſubſit juſta cauſa, non ob crimen. n. 2

Statutum.

Statuta condunt liberi populi. 1. 57. n. 4
Statuta ligant intra territorium ſubditos, modo non ſint contraria juri. n. 5
Statuta collegia de rebus ſuis condunt, ſuperiore ea confirmante. n 6
Statuta an magiſtratus poſſint condere; confirmata à Principe vim legis habent. n. 7
Statuta ſic confirmata an poſſint à magiſtratu revocari. n. 8
Statutum habilitans ad teſtandum uno in loco an extendatur ad bona alibi ſita. 6. 23. n. 24

Stellionatus.

Stellionatus quid, quando objiciatur. 9. 34. n. 1
Stellionatus crimen quomodo committatur. n. 2
Illius pœna, & quando ceſſet. n. 3
An damnato infamiam inurat. n. 4

Stipulatio.

Stipulatio quid quomodo contrahatur. 8 38. n. 1. 4
Stipulationis introducendæ cauſâ, qui à pacto nudo diſtinguatur. n. 2
Stipulatio unde dicta, quo jure introducta. n. 3
Stipulatio inter abſentes inutilis. Quid, ſi ſcriptura uſi ſint. n 5
Stipulari qui poſſint: Cur pupillus non obligetur: ſecus pubes curatore abſente n. 6. 7. 8
Stipulatio cur non valet, ſi quis alteri dari ſtipuletur, valeat tamen mutuum. n. 11
Stipulatio valet, ſi ejus qui ſtipulatur, interſit: & ſi pœnam ſibi dari ſtipuletur. n. 12
Stipulatio ſibi dari poſt mortem, vel poſt mortem ſervi, qui valeat. n. 15
Stipulatio faciendi quando ad hæredes promiſſoris tranſeat. n. 16. 17
Stipulationis purè factæ effectus; & quæ in diem, & ſub conditione. n 18. 19. 20
Stipulatio ſub conditione concepta ad hæredem tranſmittitur, ſecus ſit in legatis. n. 21
Stipulatio pura ſtatim committitur; & eâ debitum peti poteſt. n. 22
Stipulatio conditionalis committitur lite motâ. n. 23
Stipulatio committitur per adjectionem pœnæ. Quid, ſi non pœna, ſed tempus faciendi vel dandi ſit adjectum. n. 24. 25
Stipulatio inutilis, ſi quis alteri ſtipuletur, niſi ſtipulantis interſit alteri dari 8. 39 n 2. 3. 4
Stipulatio quando inutilis ratione formæ, vel materiæ. n. 6. 7
Stipulari non licet pœnam quâ matrimonium cogatur. n. 8
Stipulatio inutilis quâ conſtringitur libertas teſtandi. n. 9
Stipulatio inter milites & conjuges de reciproca ſucceſſione valet. n. 10

Stratores.

Stratorum munus quod fuerit. 12. 25. n. 1
Stratores miſſi qui equos probarent. n. 2
Stratoribus dona & xenia accipere an fuerit permiſſum. n. 3
Stratores quibus nunc ſint ſimiles, & quinam illi qui Principi equum aſcendenti opem ferebant. n. 4

Studia, Studioſus.

Studijs loca aſſignata, nunc Academiæ nuncupatæ, quarum uſus in republ. maximus. 11. 18 n. 1. 2. 8
Studiorum cauſâ peregrinatio utilis, Profeſſores publicè conſtituti audiendi. n. 3. 4
Studioſi prohibentur mutuò obſtrepere: & fabri juxta ſcholas habitare. n. 5. 6
Studioſorum privilegia, quinam ijs gaudeant, & ad quos præter ſtudioſos extendantur. 4. 13. n. 5

Stuprum.

Stuprum quid, cum qua, & quando committatur, vi & ſine vi. Quæ pœna, 9. 9. n 48. 50

Stuprantis

Stuprantis nondum viri potentem quæ pœna. n. 49
Stuprum ſi attentatum fuerit,qui violentia probetur. n 50
Stupratam virginem cogitur quis ducere vel dotare n.51.52
Stuprata ſi fuerit vidua quid juris. ibid.
Stuprata honoris reſtitutionem poſtulans, ſi decedat, an teneatur reus ad dotem. n 53
Stuprario maſculorum capitalis, hodie ignis ſupplicio punitur. n 54.55

Suarij, & vini Suſceptores.

Suarij & porcinarij qui. Suillam tenentur ad pondus vendere. 11.16. n.1.2
Cura vendendi carnes & piſces juſto pretio pertinet ad Præfectum urbis,hodie ad Magiſtratum n 3
Sues & alia pecora mactare licet privatis majoribusque familijs,ad victum miniſtrorum. n. 4
Suarijs alij pecorum cuſtodes permiſcentur. n. 5
Suarijs quibus conceſſum fori privilegium, & immunitas. n 6 7
Suſceptores vini qui dicantur: ijs ſimiles hodie caupones, qui vina vendunt. n.8.9
Suſcipientes hoſpites an de eorum facto teneantur. n 9
Sit vinum purum, & juſta menſura vendatur. n. 10
Cur prohibita popinarum frequentatio. n. 11

Subſtitutio.

Subſtitutio quid, quotuplex, quando ſubſtitutus ad hæreditatem admittatur. 6.26. n.1
Subſtitutionis vulgaris caſus qui intelligatur. n 2
Subſtitutio in unum caſum facta ad alterum extenditur. num. 3
Subſtitutio eſt potior jure accreſcendi: ſecus certis caſibus. num. 4
Subſtitutionis partes cenſentur repetitæ quæ in inſtitutione. num. 5
Subſtitutio vulgaris quibus modis expiret. n.6.8
Subſtitutio an locus fiat,minore reſtituto contra aditionem. num 7
Subſtitutio pupillaris quid, quæ ejus forma, quæ tacita & expreſſa. n 9
Subſtitutio pupillaris expreſſa continet tacitam vulgarem, & contra. n. 10
Subſtituere pupillariter quis poſſit: & quis non. n.11.12
Subſtitui quibus poſſit pupillariter. Quando in poteſtate liberi eſſe debeant. n.13.14 15.
Subſtitutio hæc an fiat exhæredato,aut præterito. n 16
Subſtitutio hæc ut valeat, quæ requirantur. n.18.19
An exiſtentia ſui hæredis confirmet tabulas pupillares. num.20.
Subſtitutionis generaliter conceptæ quis effectus, item factæ noviſſimo morienti. n.21.22
Subſtitutio hæc. Quiſquis mihi hæres erit, & Titio filio meo hæres eſto,facit trientes. n. 23
Subſtitutione verò factâ, Titio cum filijs, & Seio, ſemiſſes fiunt. n. 24
Subſtitutionis pupillaris effectus. n. 25
Subſtitutus duobus impuberibus non admittitur, altero impubere mortuo. n. 26
Subſtitutus ſuccedit impuberi,etiam in bona patris. n. 27 & 28
Subſtitutio pupillaris expreſſa matrem à ſucceſſione excludit,ita ut nec legitimam petere poſſit. n. 29
Subſtitutio tacita pupillaris quæ expreſſa vulgari continetur,an matrem excludat. n.30.31
Subſtitutio vulgaris & reciproca matrem excludit. n. 32
Subſtitutio pupillaris quibus caſibus ceſſet. n 33.34.35
Subſtitui exemplariter quibus poſſit, & à quibus. n. 36 37. 38
Subſtitutionis exemplaris effectus, & quibus modis expiret. n.39 40

Succeſſio ab inteſtato.

Succeſſio ab inteſtato quæ, variè de hac ſancitum. 6. 55 n 1.2
Succedunt primo loco liberi primi gradus, ſublatâ differentiâ ſexus ſuitatis & emancipationis. n 3.4 5.9.
de Succeſſione nepotum vide ſuo. Nepotes.
Succeſſio hæc qui hodie mutata; & quid de jure primogenituræ. n.10 11
Succeſſio hæc ad legitimatos pertinet. n 12
An excludat legitimatus legitimum ex intermedio matrimonio natum n 13.
Succeſſio alijs legitimatis qui deferatur. n 14 15
Succedunt ſecundo loco aſcendentes. Olim mater non ſuccedebat,hodie ſuccedit, quid, ſi ad ſecunda vota tranſeat. 6 56 n.1.2.3.
De concurſu matris cum alijs perſonis æqualiter ſuccedentibus. n. 5
Si Aſcendentes ſoli extant, quomodò liberis ſuccedant. num 6.
Succeſſio qui fiat, ſi aſcendentes concurrant cum collateralibus. n. 7.
Si concurrant cum liberis præmortuorum fratrum, quid juris n 8
Succeſſio hæc qui ſecundùm mores obtineat. n. 9
Succedunt tertio ordine collaterales, & inter eos fratres utrimque juncti,etiam emancipati. 6.58 n 1 2.3
Non diſtinguitur in quibus momentis bonis,niſi veniant fratres ab altero parente juncti n 4
Fratrum filij quomodo ſuccedant jure repræſentationis. num. 5
Præferuntur fratribus altero parente tantum juncti. num 6
An duorum fratrum liberi patruo ſuo in capite ſuccedant. n. 7
in Succeſſione hac poſt hos, quiſque ut proximior ita potior. n 8
Succeſſio ad quem uſque gradum fiat. Hodie quid obtineat. n.10.13
Succeſſionibus tam ex teſtamento, quam ab inteſtato communia. 6.59.per tot.

Suffragium.

Suffragium quid dicatur. 4.3. n.1
Suffragij obtinendi causâ, quando, quid dare permiſſum. num. 2
Suffragij nomine quod datur, dominium acquiritur. n. 3
Suffragia & officia publica ambire hodie vetitum. n. 4
Vide plura infra. 12.33.n.4.5

Superindictum.

Superindicti nomen ſublatum, manſit ejus effectus exigendi collationem. 10 18. n.1
Superindictum non niſi urgente causâ, & deficientibus ordinarijs tributis, locum habebat. n 2
Deficientibus tributis & reditibus, poteſt Princeps bona ſua non alienare, ſed in feudum dare. n 3
Superindictis non oportet nimium gravare ſubditos, ſed potius ſuſpendere largitiones alijs factas. n 4
Superindictum ad ſolas præfecti litteras ſolvendum non eſt, ſed requiritur Principis approbatio. n 9
Plura ibi vide.

Suſceptores.

Suſceptor,Præpoſitus, Arcarius quis; quis generalis & particularis. 10.70. n 1.2
Suſceptor ex quo ordine eligatur, quod ejus munus,qui et adſiſterent. n 3.4
Suſceptores præſentibus civitatum defenſoribus, præſcribunt modum jugationis. n 5
Suſceptoribus, præter bona quorum æſtimatio fiebat, alias ſpecies provinciales præſtabant. n.6 7
Suſceptores ne nimium provinciales onerarent, menſuræ & pondera conſtituta ſunt. n. 8
Suſceptores auri ſummas & reliquas ſpecies theſauris inferebant. n. 10

Suſceptorum.

Suſceptorum erat, frumenta in horrea fiſcalia convehere, & Dardanarios æquè ac flagellatores annonæ arcere. *n.* 11
Suſceptoris officium in annotandis, aſſervandiſque frumentis, & recipiendis apochis. *n.* 12
Suſceptor collationem differre non poteſt, ideo mittebantur exactores & opinatores qui tributa colligerent. *num.* 13
Suſceptor ſine mora recipiat oblationem; quam ſi rejiciat, debitor proteſtabitur, nec in commiſſum cadet. *n.* 14
Suſceptorum ſubſidium ſunt Nominatores, cur his non liceat bona ſuſceptorum emere *n.* 17
Suſceptorum munus annuum, eo finito rationes ab iis ſubducendæ. *n.* 18
Suſceptores non poſſunt hodie ad idem nec ad aliud officium promoveri, niſi ſatisfecerint. *n.* 19
Suſceptores, libros rationum edere debent coram Rationalibus, quibus continentur accepta & expenſa. *n.* 20
Suſceptor novus non tantum præſentis, ſed & præteriti anni debita & aliqua recipit. *n.* 21
Suſceptor quid ſi doloſè in rationibus reddendis verſatus fuerit. *n.* 22
Suſceptor qui officium ſuum non rectè fecit, ad id nunquam revertitur. *n.* 23
Suſceptores & exactores publicæ pecuniæ convenit paucos eſſe. *n.* 24
Suſceptoribus & exactoribus abdicatis, num expediat provincias ipſas ſua vectigalia colligere. *n.* 25
Vide quæ de ſuſceptoribus dicuntur lib. 10. 1. *n.* 12. 21. 22

T.

Tabularij, Tabelliones.

TAbularij, Scribæ, logographi, cenſuales, Boëthi, Logiſtæ, Medogrammatici, Diaſtoleæ qui, & quod eorum officium. 10.69. *n.* 1.2.3
Illi & eorum filij adſcripti ſunt ſuo collegio, nec liberantur obtento alio munere. *n.* 4
Hodie in civitatibus ſunt Notarij & Scribæ, non adſtricti. *num.* 5
Et iis nominandi filios poteſtas datur. *n.* 6
Tabellio de falſo damnatus, an poſſit deinceps inſtrumenta conficere. *n.* 9
Tabularij & Tabelliones qui differant; quorum munere funguntur Notarij. *n.* 10
Tabelliones ad decurionatum aſſumpti fuere, ſed non poterant utroque munere ſimul fungi. *n.* 11
Tabelliones cur ad curias non vocabantur. *n.* 12
Tabellionum ſive Notariorum requiſita. *n.* 13.14

Teſtamentum.

Teſtamentum quid, ſolenne in qua materia & quibus verbis ſcribatur. 6.23. *n.* 1.2
Teſtamento error ſcribentis aut in nomine hæredis non nocet. *n.* 3
In eo neceſſaria hæredis inſtitutio, ſubſcriptio, ſignatio, & unicus contextus. *n.* 4.5.6.7
in Teſtamento cur requirantur ſeptem teſtes: Quot tempore peſtis. *n.* 8.9
Teſtamentum ut valeat, an rogari debeant teſtes; quomodo ſignent; an coram iis relegendum ſit teſtamentum. *n.* 10
Teſtium conditio quando inſpicienda, & qui adhiberi poſſint. *n.* 11
Cur removeantur fœminæ, hæredes; non item legatarij. Teſtamentum dictantibus cur aliquid relinqui poſſit. *n.* 12.13
Teſtamenti nuncupativi forma: teſtatorem audire teſtes & videre oportet. *n.* 14.15
Teſtamenti perfecti effectus. Ex imperfecto an teneatur hæres præſtare relicta. *n.* 16.17.18
Teſtamentum in ſcriptis cui deſunt aliqua ſolennia, an ſuſtineatur ut nuncupativum, velut codicillus. *n.* 19
Teſtator ſi ſigilla aperuerit, an videatur voluntatem mutaſſe. *n.* 20
Teſtatoris voluntas quando infirmetur, vel lapſo decennio irrita fiat. *n.* 21
Teſtamenti tabulæ apud quem judicem aperiendæ. *n.* 22
Teſtamenta qui hodie condantur. *n.* 23
Teſtamentum patris inter liberos quomodo fiat; & an ſuſtineatur non adhibitis teſtibus. *n.* 25
Teſtamentum ſi pater non perfecerit, voluntas ejus ſervatur ab inteſtato. *n.* 26
Teſtamenti diſpoſitio an valeat, ſi extranea perſona admixta fuerit. *n.* 27
Teſtamentum quando cenſeatur revocatum & quid de diviſione inter liberos à patre facta. *n.* 28
Teſtamentum ruſticorum, an ad alios ruri habitantes extendatur. *n.* 29.30
Teſtamentum coram principe, vel magiſtratu conditum, *n.* 31
Teſtamentum ad pias cauſas. Quid, ſi teſtator mutare volens voluntatem, morte fuerit præventus. *n.* 32.33
Teſtamentum facere qui prohibeantur, & qui non. 6.22. *n.* 1.2.3.4.5.7.
Teſtamentum à muto & ſurdo factum quando valeat. *num* 6
Teſtamentum deportati & ad mortem damnati non ſubſiſtit. Quid, ſi à Principe reſtitutus ſit deportatus, *num.* 8
Quid, ſi reus, pendente accuſatione, mortem ſibi conſciverit. *n.* 10
Teſtari an poſſint capri [illegible]latronibus obſides, peregrini, alienigenæ. *n.* 11.12
Teſtari cur non poſſit filiusfamilias, nequidem ad piam cauſam. *n.* 13
Teſtari cur de caſtrenſi & quaſi caſtrenſi peculio poſſit. *num.* 14
Teſtari an non poſſit filius de bonis adventitiis, quorum pater non habet uſumfructum. *n.* 15
Teſtamentum cum minor facit, quid nunc obſervandum, *num* 16
Teſtamentum an mulieres facere potuerint; & an conjugatæ hodie poſſint citra mariti conſenſum. *num.* 17. & 18
Teſtamentum facit Princeps de rebus ſuis privatis, non de rebus imperij. *n.* 22
Teſtari hæretici prohibentur. An etiam excommunicati & uſurarij. *n.* 23.24
Teſtamentum qui facere poſſit vaſallus de feudo. *num.* 25. 26 27
Teſtamentum miles facere poteſt abſque ſolemnitate, quando in expeditione eſt. 6.21 *n.* 1
Teſtari quibus conceſſum jure militari, & de caſtrenſibus bonis. *n.* 4.5
Teſtamentum militare nullam in diſponendo formam deſiderat. *n.* 7
Sufficit, ſi de voluntate militis conſtet, per teſtes etiam non rogatos. *n.* 8 9
Quid, ſi in ſermonibus jactaverit miles, ſe illum vel illum inſtituere velle. *n.* 10
Teſtatus an in dubio miles videatur jure communi, vel militari. *n.* 14
Teſtamentum militis an querelæ ſubjaceat. *n.* 16
Teſtamenti militaris privilegium, quod poſſit in ſecundum caſum ſubſtituere. *n.* 17 18
An militibus noſtri temporis eadem ſint privilegia, *n.* 22.23

Teſtes.

Teſtes, qui eſſe prohibeantur, eorum conditio. Quid, ſi de ſtatu dubitetur 4.20. *n.* 1.2.3.4.5

Teſtes

Teſtes parentes, & liberi adverſus ſe mutuo non audiuntur. n 7
Teſtis idoneus an ſit frater in cauſa fratris. n 8
Teſtes domeſtici non admittuntur, quo caſu admittantur. n 9 10
Teſtes cogendi cum in civilibus, tum criminalibus n. 11. 12
Teſtimonium an cogantur dicere Illuſtres, valetudinarij, milites, ſacerdotes. n. 13
Teſtimonium an cogatur advocatus dicere in cauſa clientis, & an contra clientem productus excuſare ſe poſſit. n. 14
Teſtis productio & examinatio ubi facienda & coram quo. n. 15
Teſtibus à quo ſumptus præſtandi, & intra quod tempus interrogandi n. 16
Teſtes quot requirantur, & quando uni credatur. n. 17
Teſtes an rogandi & citandi, & quot interrogandi. n. 18
Teſtes quando producendi: jurati audiuntur: à quo judice. n 19. 20. 21
Teſtes examinandi parte citata; ante examen licet in teſtes objicere. n 22. 23
Teſtes interrogati, num teneantur dare rationem ſcientiæ. n 24
Teſtimonium de auditu alieno & de viſu an probet n 25
Teſtium quarta productio non admittitur regulariter. n 27
Atteſtationes publicantur, & fit copia partibus, & ijs licet dicta teſtium refutare. n. 28
Teſtes non admittuntur poſt publicationem ſuper novis articulis. n 30
Teſtimoniorum effectus. n. 31

Theſaurus.

Theſaurus quid, ſi de domino conſtet. 10 15 n 1
Theſaurus quando cedat inventori totus, aut pro parte; aut nihil. n. 2
Theſaurus quid ſi arte magicâ fuerit inventus. Cur olim vetitum Theſauros quærere. n. 3
Theſaurum invitis nec volentibus dominis licet quærere, & quare. n. 4
Theſaurus inventus in loco publico, ſacro, aut religioſo, cui cedat. n. 5
Theſaurus inventus in Eccleſia, cujus ſit hodie n 6
Theſaurum an emphyteuta, & Vaſallus faciant ſuum, quem in prædio emphyteutico inveniunt. n. 7
Theſaurum, an poſſeſſor majoratus in fundo majoratus inveniens ſibi acquirat. n 8
Theſaurum qui ſciebat eſſe in domo, quam emit, an ejus ſit dominus. n. 9
An eo caſu venditor poſſit uti remedio l. 2. C. de reſc. vendit. n. 10
Theſaurus an ſit pecunia inventa, cùm ædificium reſtauraretur, & cui cedat n. 11
Quid, ſi inveniatur in fundo vendito ſub pacto redimendi, vel ſub conditionali, aut quid ſi à ſciente. n 12
Auri & argenti fodinæ, cæteræque metallorum venæ cenſentur fundi partes. n. 13
Theſauros an jure hodie Principes, quocumque in loco inventos ſibi adſcribant. n. 14
Theſaurum totum conſuetudo æqua Principibus tribuit. n. 15
Nec improbanda conſuetudo quæ Theſaurum partiri vult, inter inventorem, proprietarium & territorij dominum. n. 16
an Theſauri acquiſitione neceſſaria ſit apprehenſio. n. 17

Tractoria & Stativa.

Tractoriam qui à Præfecto præt. non acceperat, curſu publico non utebatur. 12. 52. n 1
in Tractorijs ſeu ſchedis ſcribebantur ſtativa, & manſiones, ubi curſores ex publico alebantur, n. 2

Diſcrimen inter ſtativa & manſiones. ibid.
Tractoria duos dies continebant ad iter ingrediendum, & quinque ad id conficiendum. n. 3
Inſpicienda erat evectio & ſubnotanda. Sic hodie inſpiciuntur literæ liberi tranſitus & regiſtrantur. n. 4
Graviſſime puniebantur qui ſine diplomate curſum uſurpabant. n. 5

Tranſactio.

Tranſactio quid, qui differat à pacto, quotuplex. 2. 4. n 1. 2
Tranſigere qui poſſint, qui alieno nomine. An pater de bonis filij. n. 3. 4. 5
Tranſigere de quibus liceat; cur non de re judicata. n. 6. 7
Tranſactio ſuper una re non nocet in alia. n. 8
Tranſigere quomodo liceat de fideicommiſſo, de hæreditate & querela. n. 9
Tranſigere quomodo de controverſijs ex teſtamento ortis liceat. n. 10
Tranſigere an liceat ſuper alimentis. n 11
Tranſactio in criminalibus quatenus admittatur. n. 12. 13
Tranſactio ſuper adulterio cur non permittatur. Quid de raptu. n. 14
Tranſactio cur permiſſa non ſit de criminibus publicis non capitalibus n. 16
Tranſactio ſuper crimine falſi cur licita. n 17
Tranſactionis effectus. Quomodo finem litibus imponat, n. 18 19 20
Tranſactioni ſi reus contravenerit, quomodo actori conſulatur. n. 22
Item ſi per acceptilationem facta ſit. n. 23
Tranſactio non retractatur, & ſi nulla fuerit cauſa tranſigendi. Quæ actio detur. n 25. 26. 27
Tranſactione factâ non licet pœnitere; licet ab ea recedere utriuſque conſenſu. n 28 29. 30
Tranſactio ſi jurata ſit, quâ pœnâ puniatur contraveniens, n. 31. 32
Tranſactio infirmatur inita ex falſis inſtrumentis. n. 33

Tranſmiſſio

Tranſmiſſio hæreditatis & legatorum permiſſa per Juſtinianum. 6 30. n 21
Tranſmiſſio non aditæ hæreditatis ex jure deliberandi. 6, 52. n. 2
Tranſmiſſio ex potentia ſuitatis; ſuus ad quoſcumque hæredes hæreditatem tranſmittit. n. 1
Tranſmiſſio hæc non habet locum in liberis reſpectu matris, nec in emancipatis. n. 4
Tranſmittit hæreditatem non aditam filius, quamvis habeat beneficium abſtinendi. n. 5. 6
An conditio, ſi voluerit, adjecta, ſuo hæredi tollat ſuitatis effectum. n. 7
An ſubſtitutio vulgaris tollat ſuitatem. n. 8
Tranſmiſſio hæreditatis ex jure ſanguinis, in quibus locum habeat. n. 9
Tranſmiſſio hæc non ſe extendit ad necdum natum aut conceptum. n. 10
Quid mores hac in re obſervent. n. 12

Tributum.

Tributa colliguntur, ut militibus ſtipendia præſtentur, & reſpubl. conſervetur. 10. 16. n. 1
Tributa ornamenta pacis & belli ſubſidia ſunt. n. 2
Tributa fundis imponi, Capitatio perſonis indici ſolent, n. 3
Tributa ſolus Princeps imponit, & alij qui ſuperiorem non agnoſcunt. n 4. 5
Tributa imponendi jus non habent Domini territoriorum, licet regalia habeant. n 6 7
Tributa non imponuntur niſi juſta ex cauſa & utili reipubl. n 10. 11
Tributi exactio, ceſſante cauſâ, ceſſare debet, nec ob æs alienum Principis exigi debet tributum. n 12

Tributa Princeps exiget, ſi ejus ſtatus id requirat & quomodo. *n.* 13. 14
Tributorum exactio modica eſſe debet, & pro viribus ſubditorum. *n.* 15
Tributorum nimiæ exactiones turbant regna, eaque ad rebellionem excitant. *n.* 16
Tributa ſolvenda pro modo poſſeſſionum: prædia obligata comitatur obligatio poſſeſſoris. *n.* 18. 19
Tributi & æris alieni diſcrimen. Quomodo utriuſque onere obſtringantur hæredes. *n.* 20. 21. 22
Tributa ordinaria etiam non ſubditi habentes in loco patrimonium ſolvere tenentur. *n.* 18
Plura de cenſibus, cenſendi modo, libro cenſuali ſeu æſtimio agitur. *ibid. n.* 38. 39. *& ſeqq.*
Tributorum & collectarum diſcrimen: qui indicantur collectæ. 10. 17 *n* 7. 8. 11
Et qui ad eas teneantur, fusè *n.* 22. 23. *& ſeqq & tit.* 19. *per tot.*

Tutor, Tutela.

Tutela quid, quotuplex, qui potior teſtamento tutores dare & dari. 5. 28 *n.* 1. 2 3. 4. 5. 6
Tutores teſtamentarij non recte dati, quando confirmentur. 5. 29. *n.* 1
Tutor an naturali filio detur à patre. *n.* 4
Tutor quid ſi à matre detur liberis. *n* 5
Tutelam dativam an faciat iſta confirmatio. *n.* 6
Tutela legitima quibus deferatur. 5. 30. *n* 1. 2
Tutela dativa non datur habenti aliunde tutorem. 5. 31. *n.* 1
Tutorem petere filijs etiam naturalibus tenetur mater. *n.* 2
Tutores petendi an & curatores, & quando: ſi minor ad litem non petat, invito dabitur. *n* 3. 4. 5. 6
Tutores ubi petantur. Quid, ſi pupillis bona habeat diverſis in locis. 5. 32 *n.* 1. 2
Tutores illuſtribus à quibus eligi & dari poſſint 5. 33. *n.* 1
Tutores vel Curatores qui date vel dari poſſint, vel non. 5. 34 *n.* 1. 2
Tutelæ officio quando mulier fungi poſſit. 5. 35. *n.* 1
Tutorem habenti cur tutor non detur. 5. 36. *n.* 1
Tutor & curator inventarium facere debent, quæ pœna non facientis. 5. 37. *n.* 1
Tutores juramentum & cautionem de defendendo præſtant. *n.* 5
Tutoris officium circa inſtructionem pupilli, ejuſque bona. *n* 7. 8
Tutoris officium circa ſolutionem faciendam pupillo, & nomine pupilli. *n.* 9
Tutor quando teneatur pupillo ad intereſſe, quid, ſi ignoret ſe tutorem datum. *n.* 10
Tutoris officium circa alienationem bonorum pupilli. *n* 11
Tutor num teneatur pupillarem pecuniam fœnori dare. *n* 12 13. 14
Tutor & curator qui ſervavit non ſervanda, tenetur ob culpam. 5 38. *n* 1
Tutoribus non conceditur adminiſtratio niſi ſatisdent. Qui non teneantur. 5. 42 *n* 1. 3
Cur fidejuſſoribus ſatiſdare oporteat, non pignoribus. *n.* 2
Tutor & curator quis ſuſpectus, quis ſuſpicionis effectus. 5. 43. *n.* 1 2
Tutor olim, hodie & curator ad litem pupillo datur, ſi alius tutor non ſit. 5. 44 *n* 1
Tutor liberis contra matris præmortuæ voluntatem dari non debet 5. 47. *n.* 1
Quid juris, ſi pater velit matrem eſſe tutricem filiorum. *n* 3
Tutor tenetur rationes reddere. Quando intereſſe, & quam culpam præſtet. 5. 51. *n* 3. 4. 5
Tutor ex quibus cauſis debeat uſuras, quamdiu hæ currant. 5. 56 *n.* 1. 2. 3
Tutorum hæredes tenentur, item fidejuſſores, ratione adminiſtrationis tutorum. 5. 57 *n.* 1
Tutor quibus caſibus & quo tempore auctoritatem interponere debeat. 5. 59 *n.* 2
Finis & effectus interpoſitæ auctoritatis; quod pupillus obligetur: An etiam naturaliter. *n.* 8. 9
Tutoris unius auctoritas ex pluribus datis an ſufficiat. *n.* 11
Tutoris & curatoris officium quando finiatur. 5. 60. *n.* 1 2. 3
Tutor & curator ex quibus cauſis excuſentur ab onere tutelæ vel curæ. 5. 62. *& ſeqq.*

Tyrones.

Tyrones milites quâ ætate legi, & in numeros referri potuerint. 12. 44 *n* 1. 2
An pupilli militare poſſint: cur Principum filiæ militiæ aſſuefaciendi. *n* 2
Quâ ætate apud Hiſpanos unus è familia educetur. *n.* 3
Tyronis præſtandi onus apud Romanos, non diſſimile oneri unum educendi ex familia ad bellum. *n.* 4
Tyronicum aurum quid. *ibid.*
Tyrones qui dicantur: eorum gradus erat poſterior, qui ad altiorem promoverentur. *n.* 5
Tyronum brachia notabantur, ne vagarentur, aut fugerent. *n.* 6
Juvenes ingenui militiæ incumbere debent, non ſervi, quæ pœna alienum ſervum militiæ inſcribentis. *n* 7
Tyrones mitius puniuntur. Item ſi arma amittant vel alienent. *n.* 8

V.

Vacatio.

Vacatio à muneribus alia eſt perpetua, alia temporaria, à quo detur. 10. 44 *n.* 1. 2
Vacatio non facile à Principe danda, & quare. *n.* 3
Vacatio quibus ad tempus concedatur. *n.* 4
Vacatio à Principe data, an dicatur perpetua. *n.* 5
Vacatio ſimpliciter data, ad ordinaria non porrigitur. 10, 45 *n.* 1.
Vacationem qui habet, quid, ſi ad extraordinaria munera compellatur. *n.* 2
Vacantes officiati, alij honorarij, alij ſupernumerarij dicebantur, qui nunc ſint. 12. 8 *n* 9 10
Vacationem à muneribus tribuebat legatio tranſmarina, 10 63. *n* 25
Vacabat à muneribus quamdiu quis legatum agebat *n* 26
Vacationem non habebat, qui pretio, non meritis, dignitatem obtinuerat. *n* 27
Vacationem à muneribus habent artifices: an & eorum diſcipuli. 10. 64 *n.* 6. 7
Vacatio & immunitas datur plurium liberorum patri. An eo mortuo in filijs conſervetur. 10. 51. *n.* 1. 2. 7

Vectigal

Vectigalium diſcriptio, eorum cauſa, quis poſſit indicere. 4 61 *n* 1. 2
Vectigalium à ſolutione nemo immunis, præter fiſcum & Nobiles. *n.* 3. 4
Vectigal quibus rebus imponatur, & quantum. *n* 5. 6
Vectigal ad quod tempus locari ſoleat, & qui reconducere prohibeantur. *n* 7. 8
Vectigalium obligatio, exactio recenſetur *n.* 9
ob Vectigal non ſolutum dicitur in commiſſum cadere res quæ non fuit profeſſa. *n* 10
Commiſſi perſecutio adverſus quemlibet poſſeſſorem competit. *n* 11
Vectigalia nova Principis juſſu imponuntur. 4 62. *n.* 1
Vectigalis defraudati crimen ad hæredes tranſit 10. 5. *n.* 30
Vectigalia cenſentur a Principe juſte impoſita, nec cauſa à ſubditis inquirenda. 10. 18. *n.* 13
Vectigalia & collectæ qui nunc petantur & à quibus. *n.* 11. 12

Vectigal

Digitized by Google

Veſtigal & collecta, ſi imponatur mercibus & fructibus, facilius exigitur, quàm ſuper vino aut cervisia. n. 14
Veſtigal prædiis impositum maximè probatur. n. 17
Veſtigal rebus ad victum neceſſariis, & aliis imponere olim turpe n. 15. 16. 17
Veſtigal chartæ ſigillatæ impoſitum, in hiſce Belgicis provinciis probandum. n. 18
Veſtigalia nova non facilè imponenda, non omnis tamen remittenda. n. 19. 20
Veſtigalia & tributa moderata qui Principes exegerint, vel remiſerint. n. 21

Vehicula honoratorum

Vehiculis & carrucis non utebantur niſi præditi aliquâ dignitate. 11. 19. n. 1
Nondum electi in ſenatorum ordinem, pedibus ibant, uti Judices inferiores. n. 2
Vehebantur carrucis ad aulam viri Illuſtres, dabanturque iis equi & currus in provinciam adminiſtrandam profecturis n. 3
Vehiculis hodie etiam cives abjecti utuntur. Ideo revocanda in uſum conſtitutio Regis noſtri. n. 4
Vehiculis mercenariis omnes uti poſſunt. n. 5

Venatio.

Venatio principe digna, qui eam exercuerint. 11. 44 n. 6
Venationem an poſſit Princeps prohibere, & quibus eam permittere, Clericis quæ interdicta. n. 7
Venatorem ſi dominus privatus non ſinat fundum ſuum ingredi, an fera ibi capta fiat capientis. n. 8
Venatione, piſcatione, aucupio, quod uſufructuarius capit, an ſuum faciat. n. 12
Venationis prohibitio ad quas feras ſe extendat. n. 14
Venatori occidenti leonem præmium propoſitum, ſi occidat leænam gravidam, num duplex debeatur. n. 15

Venditio

Venditio quid, qui vendere poſſint, maritus uxori num vendere poſſit. 4 28 n. 1. 3 5
Vendere an poſſit dominus prædia ſua citra conſenſum proximorum. n 6
Venditio rei propriæ, rei ſpirituali annexæ, alienæ, vitioſæ non valet. n. 10 13
Venditâ hæreditate etiam actiones in emptorem tranſeunt. 4 39. n 3
Venire quæ res non poſſint, & qui vendere prohibeantur. 4 40. n. 12
Venditio ob tributa non ſoluta, non reſcinditur. 4 46. n. 2
Fusè de emptione venditione. 4 38. & ſeqq.

Veredi.

Veredi, veredarii, curſores, nuncii, angarii, qui. 12. 51. n 4
Veredi ne nimium onerarentur, obſervabant Protectores. ibid.
Veredorum ornamenta quæ fuerint. n. 7
Veredos & paraveredos uſurpare non licebat, ne curſus publicus impediretur, de quo vide. d. tit. 51

Veſtes holoberæ.

Veſtes holoberæ, holoſiricæ, auratæ, & conchyliatæ quæ 11. 8. n. 1
Veſtes præcipuæ quæ fuerint, quæ purpureæ, Tyriæ, hyacinthinæ, janthinæ, fucinæ. Quæ ſericoblatæ: Quid blata, & qui his veſtibus uterentur. n. 2. 3
Veſtis purpureæ & ſericæ uſum interdixere Impp. tam viris quàm fœminis. n 4
Item purpuræ nundinas fieri vetant à privatis. Phœnicea purpura quoque vendi prohibetur. n. 5
Veſtes ſericæ & auratæ conceduntur mulieribus. Quid lex Oppia prohibuerit. n 6
Veſtes auratæ & paragaudæ ſeu fimbriæ aureæ viris tantum interdictæ: niſi ſint in miniſterio Principis. n 7
Veſtium luxus pluribus edictis prohibitus, quæ ſatius foret non publicari. n. 8
Veſtium ſericarum uſus & omnis luxus hodie prohibetur. num 9
Veſtem ſumptuoſam & peregrinam comitatur morum & ſtatus everſio. n. 10
Veſtis peregrina religionem peregrinam redolet. n. 11
Veſtes ornatiores magiſtratibus datæ, quæ illæ ſint, & quæ aliis promiſcuè permittantur. n. 12
Veſtis genus proprium omnibus dignitatibus & officiis dare cur intenderit Imp. Alexander. n. 13

Veſtis militaris.

Veſtes quo tempore militibus darentur & eanon veſtium inferretur. 11. 40. n. 1
Veſtes olim milites ſibi & arma procurabant n. 2
Veſtes ex publico & chlamydes adæratæ ſingulis ſolidis datæ fuerunt. n. 3
pro Veſtium tributo quantum Provinciæ certæ conferrent. n. 4
in Veſtes ſexta pars hujus tributi, textoræ & confectionis causâ ſervabatur; quinque partes militibus erogabantur. n. 5
Veſtibus quibus honoratiores milites, & equites ad bellum ituri ſe ornarent n. 6
Veſtis, obſequii & victus causâ milites ſervis comparabantur. n. 7

Veterani.

Veterani qui, quæ eorum privilegia, quare iis conceſſa. 12. 47. n 1. 2
Veteranorum privilegia alia ad teſtamenta, alia ad pœnas pertinent. n. 4
Veteranorum privilegia etiam ad eorum filios extenduntur. n 5
Veterani ab injuriis defenduntur, Protectoriâ dignitate honorantur. n 6
Veteranorum privilegiis uti volens, honeſtam miſſionem probare debet n 8
Niſi qui in poſſeſſione eſt privilegiorum. n. 9
Veterani forum mutant, Judicium militare non coguntur obſervare n. 10
Veteranorum militia hodierna pluris facienda, quàm imperitæ multitudinis. n. 11
Veteranis præferre tyrones turpe. Unde tam exiguus hodie in bello progreſſus. n 12. 13
Veterani honeſtè miſſi & ſacramento ſoluti à muneribus civilibus excuſabantur. 10. 54 n 3. 4
Veterani perpetuâ immunitate fruebantur & agris donabantur n 5
Veteranorum privilegiis non gaudent cauſariè miſſi. n. 6
Veterani & qui vicena ſtipendia meruere, cur hodie ſacramento non ſolvantur; Quid apud Hiſpanos. n 10. 11
Plura de honeſta & ignominioſa miſſione, vide d. tit 54. & 4. 65. n. 2. 3

Vicani.

Vicanus unus pro alio cur detineri prohibeatur. 11 56. num 1
Vicani prædium ob publica alicujus debita detineri nequit. n. 2

Vicarii.

Vicariorum poteſtas: de rebus gravibus ad Principem referunt. 1. 38. n 1
Vicarios Juſtinianus ſuſtulit, & ſubſtituit Comites. n 2
Vicarii hodie plures in imperio. n 3
Vicarii mittebantur in provincias mandato Principis, ut Vicarii Orientis, quatuor diœceſeos Thraciarum, Ponticæ, Aſianæ & Macedoniæ. 12. 60 n 4. 6

Victus.

Victus victori in expenſas condemnatur. 3. 1. n 12
Etiam in criminali causa, niſi juſtam litigandi cauſam habuerit. ibid.

Vidua.

Viduæ & aliæ miſerabiles perſonæ an utantur ſuo privilegio contra æquè privilegiatas. 3 14 n. 1. 2

Digitized by Google

Viduæ privilegium eſt, ne cogantur ex ea provinciam comparere; an huic privilegio poſſint renunciare n. 5.6
Vidua luxurioſe vivens privatur dote. 5.18 n. 20
Vidua tranſiens ad ſecunda vota an revocare poſſit; quæ filiis donavit ob ingratitudinem 8.56.n. 6
Vidua retinet & exercet artificium mariti per ſervos. 11.7. num. 5
Vidua nobilis an mortuo marito ignobili recuperet prioris mariti dignitatem, aut propriam, quam perdidit. 12. 1. n. 57
Vidua an gaudeat privilegiis mariti quoad realia. 12. 30. n. 11

Vindicatio.

Vindicatio quid, cui hæc actio competat. 3.32.n. 1
Vindicans jure niti debet, & probare rem ſuam eſſe, quomodo id probabit. n. 6.7
Vindicanti quibus remedijs conſulatur: prius de poſſeſſione judicandum. n. 12.13
Vindicatio datur ei ex cujus pecunia res ab alio empta, vel ex pecunia in dotem data. n. 15
Vindicationis actione qui conveniantur. n. 16
Probatâ actoris intentione, reus in quæ condemnetur. n. 17. & ſeqq.

Vis.

Vis quid, quæ publica, quæ privata. 9.12. n. 1
Vis quando concurrat cum raptu, aut alio crimine. n. 3
Vis publica qui puniatur. n. 6
Vis privata quibus caſibus committatur. n. 9.10
Vis privata punitur tertiâ bonorum parte. n. 12
An uſufructuarius hoc judicio damnatus tertiam ſui uſusfructus partem amittat. ibid.
Fiſcus, cui tertia hæc pars acquiritur, ad onera tenetur pro rata. n. 13
Hæc pœna hodie eſt arbitraria. Caveat Judex durius quid conſtituere quamvis commiſſa depoſcat. n. 14

Uſucapio.

Uſucapio quid, cur introducta, quæ res uſucapi non poſſint. 7.26 n. 2.3.4.5
Uſucapi num poſſit partus ancillæ furtivæ. n. 6
ad Uſucapionem quæ requirantur. n. 10.11.12
Uſucapiendi cauſa juſta eſt tranſactio. n. 20
Uſucapio pro donato ut procedat, quid requiratur. 7. 27. num. 1
Uſucapio pro dote valet contracto matrimonio. 7.28 n. 1
Uſucapit hæres rem in hæreditate inventam, quam defunctus ſine vitio poſſidebat. 7.29. n. 1.2
Uſucapio non procedit, ſine poſſeſſione, bonâ fide, & titulo. 7.30 n. 1.2.3
Item tempore legitimo, tempus auctoris quando proſit ſucceſſori. 7.31. n. 2.3
Vitium auctoris nocet cuicumque ſucceſſori quoad acceſſionem, hæredi quoad uſucapionem, etiamſi nolit uti acceſſione defuncti. n. 4

Uſura.

Uſura & ſors quid. Acceſſioni opponitur ſors. 4.52. n. 1.2
Uſuræ pro quibus rebus exigantur. n. 3.
Uſurarum diviſio, quæ licitæ, vel illicitæ. n. 4.5.6
Uſuræ an etiam jure civili prohibeantur: quis earum modus. n. 7.8.9
Uſura centeſima quæ & in quibus permiſſa. n. 10
An etiam in datione ſpecierum. n. 11
Uſuræ minores quæ & quibus permiſſæ. n. 13
Uſura centeſima hodie mercatoribus permiſſa. n. 14
Uſurarum pœnam ultra legitimum modum ſtipulari non licet. n. 15
Pactum antichreſeos an valeat n. 16.17
Uſurarum & reditnum diſcrimen, cur hi permiſſi, & quando juſti. n. 18
Uſuræ uſurarum peti non poſſunt, ne quidem in ſortem redactæ. n. 19.20
Uſuræ citra ſtipulationem peti an poſſint. n. 21
Uſurarum ſolutio ex pacto non arguit ideo debitas. n. 22
Uſurarum obligatio an per conteſtationem inducatur. n. 23
Uſuræ quibus modis deberi deſinant. n. 30
Uſurarum obligatio quando in totum vel pro parte extinguatur. n. 31.32.33
Uſuras pretij non ſoluti an poſſit venditor petere. 4. 49 n. 17
Uſuras & ſortem quibus caſibus adminiſtratores reipublicæ præſtare teneantur. 11.38. n. 2.3

Uſus.

Uſus quid, uſus cur individuus & uſusfructus dividuus. 3.33. n. 33.34
Uſus domus quid ſi relictus ſit: & quid ſi conſtitutus ſit habenti exiguam familiam, an debeatur uſus eâ auctâ. n. 35
Uſus domus qui differat ab habitatione. n. 36

Uſusfructus.

Uſusfructus quid, quibus in rebus conſtituatur. 3. 33. n. 1.2.3
Uſufructuarius quid cavere debeat, quæ cautio præſtetur. n. 4.5
An cautio ſit de ſubſtantia uſusfructus. n. 6
An teſtator poſſit cautionem remittere in proprio uſufructu. n. 7
An ſit de ſubſtantia cautio in uſufructu improprio. n. 9 & 11.
Uſufructuarij utilitas & poteſtas. n. 12
Uſufructuarius quos ſumptus, & onera ferre teneatur. n. 17.18
Uſufructuarius omnium bonorum an legata & æs alienum ſolvere teneatur. n. 19
Uſusfructus quibus modis finiatur. n. 20.21.22. & ſeqq.
Uſusfructus finitur ceſſione factâ domino: an & extraneo. n. 28
De fructibus pendentibus tempore mortis fructuarij an ejus hæredibus aliquid debeatur. n. 31
Uſufructuario & Colono à quo tempore fructus cedant. n. 32

Uxor.

Uxor indotata, ſi maritus locuples decedat, cum liberis in quadrantem ſuccedit. 6. 18. n. 3
Uxor ob æs alienum ex ædibus ſuis in forum non trahitur. 1. 48. n. 2
Uxor ubi ſepelienda, ſi non elegerit ſepulturam. 3. 44 n. 10
Uxor pro marito non convenitur, nec maritus pro uxore; ſecus hodie. 4.12. n. 1.2
Uxoris dos non amittitur ob mariti delictum, neque cætera bona ob male adminiſtratum à marito publicum munus. n. 1. 4
Uxor an poſſit ſe obligare pro marito, vel cum eo pro alio. 4.29. n. 12.13
Uxor pecuniâ mariti ſi rem emat, ejus dominium acquirit. 4. 50. n. 4
Uxor militis, & ejus qui abeſt reipubl. causâ, reſtituitur in integrum. 2.52. n. 1.2
Uxor an hodie poſſit teſtamentum condere ſine conſenſu mariti. 6. 22. n. 18
Uxori innocenti ſalva manet dos & donatio propter nuptias, ſi reus majeſtatis ſit maritus. 9.8. n. 15
Uxor ſortitur dignitatem mariti, ejusque forum vidua retinet, etiam in cauſa criminali. 10. 39. n. 11.14

F I N I S.

251271 D

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B.17.4.31
BNCF
Google